IOANNIS
HEVRNII
OPERA OMNIA
IN
DVOS TOMOS
DIVISA.


IOANNES HEVRNIVS VLTRAIECTINVS ANNO DOMINI M. D. XCI. ÆTATIS XLVII.
Claudia Brinand. Fecit.

IOANNIS HEVRNII VLTRAIECTINI,

Primarij quondam, in Academia Leidensi, Medicinæ Professoris,


OPERA OMNIA:

TAM AD THEORIAM, QVAM AD PRAXIN MEDICAM Spectantia, quorum Elenchus ante Indicem Capitum habetur.

Iuxta OTTHONIS HEVRNII, Auctoris filij, Medicinæ in Leidensi quoque Academia Professoris Clariss. recensionem ac œconomiam fideliter expressa, ac duos in Tomos tributa.

POSTREMA EDITIO:

Prioribus, non tantùm augustiore formâ, sed & typorum nitore, & mendarum raritate, infinities tum luculentior, tum accuratior.



LVGDVNI,

Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN, & MARCI ANTONII RAVAVD.

M. DC. LVIII.

Nobilissimo, Amplissimo, Magnificoque Viro,

IOANNI AB OLDENBARNEVELT,

EQVITI AVRATO,

DOMINO DE TEMPEL, RODERIS, &c.
Potentissimorum Hollandiæ & VVestfrisiæ Ordinum Aduocato, Primario Consiliario, magni sigilli Custodi, & Archiuorum Præfecto, Domino & Mecœnati obseruando,
dedicat consecratque

OTTHO HEVRNIVS IOANNIS FIL.

OFFERO tibi, VIR NOBILISSIME, scripta Patris mei, quæ olim singulatim prodiere, at nunc vno volumine comprehensa famæ campum simul ingrediuntur. Munus tibi quod donetur licet non indignum, impar tamen fateor tuis tum in communem Patriam, tum in familiam nostram meritis. Non enim vulgaria hîc traduntur (nam Parenti nostro non decretum studiosorum memoriæ cymbam obuia onerare merce) minus tamen hoc donarium agnoscimus quàm vt beneficentiæ tuæ vlla ex parte satisfacere queat. Nam ea tua est prudentia quæ ancipiti etiam maximè Reipublicæ Confœderati Belgij statu, ei robur & firmamentum attulit. Exiguum profectò huius vitæ curriculum vbi absolueris, infinitus te Gloriæ fulgor excipiet, prosperáque ac felix BARNEVELDII memoria & in

men furtim, dum hic fœtus in typorum matricibus hæret, quædam adieci: si non (vt fit in subitario opere) ad venustatem, saltem ad operis metam quod faceret: pedesque addidi, ne mutilus planè prodiret. Hinc est quòd eruditus lector fortasse deprehendet quædam hiulca, quædam inchoata, quædam repetita, quædam loco alieniore dicta. hîc ego Teucer, tu Aiax, me tuo clypeo condas splendido. Nam cùm hæc parari prælo à doctissimo Pauuio sensi, (testis erit ille semper mihi) vt non meo, sed suo nomine hæc mea ederet volui: noluit ille, qui eius est candor, sed meo. Iam ego hæc tibi, Patrone magnifice, defendenda trado. Etsi verò splendore nobilitatis tuæ valdè deterrebar ne hoc facerem, magnitudinis tuæ & exiguitatis meæ non nescius; vt tamen hoc agerem, aliæ etiam graues causæ fuere. Primùm, cùm Institutiones hæ sint medicæ, omnium commodis dicatæ, tibi, qui omnium ex æquo vtilitati ea qua summa polles auctoritate atque prudentia consulis, iure defero. Tum quòd obseruantiæ in te meæ illustre testimonium dare cupiebam ac monimentis testatam relinquere, ac satisfacere cupiditati meæ tui obseruandi atque colendi. Et hoc opus medicum non alteri quàm ei debebatur, in quo vniuersa secundum Regem (cui tu ob summas heroicasque virtutes, probatamque tot Regibus fidem, in rebus dubiis consilium, & in magnis gerendis prudentiam charissimus es & semper fuisti) regni vis atque potestas sita sit. Talem cùm te primus qui te finxit Prometheus & cælitum fauor fecerit, an non meritò cuncti celebrent fœlicem fortunam familiæ tuæ, quæ semper istiusmodi viris fuit referta? Etenim quis nobili Heroë IOANNE RANZOVIO patre tuo militiâ fortior, aut consiliis prudentior? quis HENRICO RANZOVIO auo tuo, Bredoneve proauo, & Caio abauo tuo illustrius virtutis suæ testimonium posteris reliquit? Sed hæc in te solidata effulgescere videmus, vt omnes omnium virtutes, & pace & bello referas. Sanè quod olim Nestor Agamemnoni, id tu Christiano III. Frederico II. & Christiano IV. Daniæ Regibus: vt haut iniuriâ hi Reges, te vno se beatos dum vixerunt, prædicârint, suique Regni gubernacula tibi meritò concesserint, & in tua fide securi conquieuerint. Hæ rationes me impulere, Heros summe, vt Institutiones has medicas, vnà cum altero libello De Modo studendi Medicinę, nuncupare tibi (à quo earum immaturitas & pudor meus me reuocabat) sim ausus. Si quid peccatum, quod tibi tanto viro hæc tenuia offero, spero me veniam apud te inuenturum, qui indole illa tua, haut minùs lęta fronte exigua ab infimis, quàm magna à summis accipere soleas. Patiaris ergo Heros Nobilissime hęc tua gratia illustriora effęcta, nominisque tui fulgore decorata, ad manus hominum ire. Ego iterum omni officio, tuo nomini, laudi, & honori, quantum potero, studebo semper. Vale Heros Magnifice, & tuo patrocinio ac gratia Heurnium tuum fouere ne intermittas. Ex Lycéo Batauiensi, Anno cIↃ. IↃ. XCII.

PETRVS

PETRVS PAAVV
LECTORI S.

AB eo tempore quo professionis medicæ munus in patria Academia suscepi, benigne Lector, hoc vnum mihi in votis, tyronum inceptis vti quantum fieri posset consulerem maxumè. quocircà ab Anatomicis lectionibus quoties respirare mihi datum, crebra ea de re cogitatio, repetiti aliquoties cum amicorum nonnullis sermones: dúmque vt inter familiares fieri assolet, curiosiùs paulò in meorum studiorum incunabula prima, progressum profectúmque aliquando inquirerem, iis me voti mei compotem factum comperi, quæ * Princeps ille medicus in eo requirit qui se Æsculapio deuouit. requirit autem Naturam, Locum studiis aptum, Industriam, Tempus, Doctrinam, Institutionem à puero. Singula absque controuersia in omnibus artibus (præcipuè verò ob difficultatem, multiiugámque, quam in suis asseclis exposcit, rerum variarum cognitionem, in Medicina) summè necessaria: inter quæ tamen posteriora duo primarium sibi vendicare locum mihi videbantur. Cùm enim duo hæc velut obstacula omnibus iis perpetuò occurrant, qui eximij quid sibi addiscendum proponunt: humani dico ingenij imbecillitas; artiúmque obscuræ nubes, densæque, quibus quotquot sunt omnes circundantur, tenebræ, nî commoda docendi ratione, tenellula inprimis ingenia sic excolantur, vt spinosa illa septa intrepidè peruadant, splendidæque illius internæ lucis fulgore illecti strenuè in incepto pergant; metus erit ne deterriti iis quas in ipso protinus vestibulo offendunt, difficultatibus animo deficiant, & desperabundi alia castra petant: sicque perpetuò incerto errabundoque ductu huc illuc tracti, nec sibiipsis nec reipublicæ vlla tandem ex parte vtiles fiant. Et sanè si quis neglectâ commodâ fidaque institutione, peritóque itineris duce, vasto huic mari (de medica arte mihi sermo) temerè se nihilominus committat, hic si non ventis debeat ludibrium, certè vel à minutissima Remora in medio quoque cursu sistetur. quî possit aliter? cùm ne exercitatis quidem labyrinthi has fraudes semel ingressis liceat absque Ariadnes ductu tutum relegere iter?

——— ita Dædalus implet
Innumeras errore vias, vixque ipse reuerti
Ad limen potuit; tanta est fallacia tecti.

Vt optimè de rep. literaria mereri ille videatur, qui methodica compendiosâque Institutione, tyronum ingenia ita format, animósque firmat, vt alacriter nullóque fastidio stadium hoc decurrendo victores tandem ex animi sententia euadant. Talem aliquem mihi disquirenti, qui medicinæ studiosis optumam hac in parte nauasset operam, varij se quidem obtulere; attamen non omnes apti, vt aut publ.cum

* Hippocrates in Lege.

blicum scanderent suggestum, aut à iunioribus cum fructu legerentur: hic etenim prolixitate, alter de industria excogitata obscuritate (vt de impropria loquendi ratione nihil dicam:) ille futili & gregario nimis stylo, rebusque via peruulgata tritis, fastidium potiùs quàm appetitum lectori parere videbantur. Denuò itaque hîc quid agerem incertus, en opportunè mentem mihi subit, Clariss. Virum IOANNEM HEVRNIVM præceptorem meum, cùm sub eo olim medicinæ fundamenta iacerem, vniuersæ nostræ artis capita nobis auditoribus suis lectionibus publicis memoriter dictando proposuisse; schedas meas, licet iam laceras & disiectas, in vnum colligo, auidéque adhibito iudicio lustro: mirum quàm me confestim eorum lectio affecerit, tum quòd iucunda existeret præteritorum studiorum recordatio; tum vel maximè quòd commodissima esse viderem quæ publicè proponerentur, idque præsertim in hac Academia, in qua nata, cuius genio accommodata. Elegantiore itaque charactere descriptum ei fœtum suum iam ignotum defero, communis studij nomine orans & obtestans luci ne inuideret, sed extrema addita manu in publicum prodire permitteret. Renuit ille primùm, ac meo illa nomine prodire voluit: ego contrà, nulla id fronte fieri posse. Quare tandem ille pro suo singulari in medicinam amore, raráque quam summæ eruditioni coniunctam habet humanitate non renuit, petitioni meæ se satisfacturum promittens, simulac per studia magis seria otium ei concederetur: quantum verò operæ iteratæ huic censuræ impenderit, illi probè norint qui è dictantis eius ore excepta eadem hæc penes se seruant: aliam planè induisse faciem videbunt; plurima noua accessisse; quædam apud omnes passim obuia, adempta; breuiter, adeò concinnè aptéque omnia composita, vt merito iure Academiæ nostræ (cui primitias studiorum suorum debent) gratulari debeant, quæ consecuta sit perpetuæ lectionis materiam. Illa omne hoc quidquid est HEVRNIO non inuitè acceptum referet; HEVRNIO, quem suarum

Grande decus columénque rerum

lubens agnoscet. Quid tu Lector? serta sat certò scio huic suspendes Bellerophonti, qui te vel triformi illigatum Chimæræ expedire potis est. Ita vale. In Academia nostra, quæ est Lugduni Batauorum, ANNO CIↃ. IↃ. XCII.

Carmina

Carmina Doctorum Virorum.

IN INSTITVTIONES MEDICAS

Clarissimi, Doctissimique viri D. IOANNIS HEVRNII, Medicinæ Professoris celeberrimi in inclyta Vniuersitate Lugd. in Batauis.

Εὔρνιε, ταῦτ' ἔμαθον σὰ λέγεις, καὶ πάντες ὁμοίως.
Μείζονα τῶν βεβλίων πῶς κεν ἔησι τινά;

FRANC. NANSII.

IN IOAN. HEVRNII D.M. INSTITVT. MEDIC.

Vniuersam corporis humani constitutionem absolutissimè declarantes.

Mundum, Naturamque omnem cui noscere cura est,
Natura genium versat Aristotelem.
AtqueHominem, Mundum fas est dixisse minorē;
Nullam hoc Natura clarius exstat opus.
Cumque Mare, & Terras, Homo ad vnguem, & Sidera norit;
Turpe est naturam ni sciat ipse suam.
Dedecus hoc à se qui vult auertere, is HEVRNII,
Quæ modo dat Medicis, aurea scripta legat.
Discet enim plene, quæ, si esset fortè superstes,
Ipsum non pudeat discere Aristotelem.

BONIF. VVLCANIVS.

Ad Doctissimum Medicinæ D. & Professorem D. IOANNEM HEVRNIVM, de suarum Institutionum Libris Carmen F. Duyck de Iode.

Nil admirari, prope res est vna, beatos
Quæ faciat, cecinit sic Venusina chelys.
Id negat antistes vatum, idemque auctor Apollo,
Dum captus scriptis HEVRNIE magne tuis,
Hæc admirari, prope res, ait, vna beatum
Efficiet latè quæ genus omne hominum.
Ergo iam sileat Lyricorum principis ora,
Diaque vox terrarum omnia peruolitet.

Aliud familiare.

Tota tuis studiis Iuno fauet, optime Iane:
Et dum multiplici te Tua prole beat;
Et dum præclaros oris geniique labores
Ornat auis, pluma versicolore, Dea.

IN INSTITVT. C. V. D.

D. IOANNIS HEVRNII Professoris excellentissimi.

Quæ quondam ex ipsis Phœbi Suadæque medullis,
Naturaque hausit HEVRNIVS è gremio;
Quæque auditorum plena excipiente corona
Dictauit, Clarij vel calamo apta DEI:
Nunc eadem dias dat cernere luminis oras,
Scripta mage æthereis lucida luminibus.
Natura ipsa suum plusquam admirata decorem,
Extollit tanti nomen ad astra viri.
Cui linguā Pitho, mentē imbuit augur APOLLO,
Quem Charitum triga, & turba nouena colūt.
Ergo agedum Panacua cohors, hæc munera grata
Mente cape, atque imis sensibus imbibito.
Omnia sunt cedro dignissima, nil nisi tersum,
Horarum & lotum fontibus inuenies.
Hippocratis genium spirantem aduertis vbique:
Fallor, an est BATAVIS hic NOVVS HIPPOCRATES?

Aliud eiusdem.

Sol toti fundens radios & lumina mundo,
Dicitur humani delicium generis.
Tu modo cum totum spargas hæc lumina in orbē,
O HEVRNI, medici flos & ocelle chori;
Iudice vel Phœbo, Batauo SOL AVREVS orbi
Dicēre, & medici delicium generis.

Gualterius Verdoësius Med.

ΕΙΣ ΑΝΔΡΑ ΛΟΓΙΩΤΑΤΟΝ,

ἐξηγητήν τε τῆς ἰατρικῆς ἐν Λουγδούνῳ Βατάβων δεδοκιμώτατον, τὸν Ἰωάννην Εὔρνιον.

Ἑλλὰς ἐφ' Ἱπποκράτει πρόπαλαι σεμνύνετο χώρη,
Καὶ τῷ Περγαμόθεν γῆθεν πᾶσα κλέει·
Καὶ μελέτησε τὸ Ῥάσιν, Ἀβικενναν, ἠδὲ καὶ ἄλλους
Οὐ τάχ' ὑποβλήτους βάρβαρος ἔσχεν Ἄραβς.
Φερνελίῳ πεδίῳ καὶ Κελτὶς ἀγάλλετο πάτρη,
Ὅς φέρεν οἱ κῦδος ἥλιον ἠδὲ βίον.
Αὐσονίη Ἑρμείωνα κλυτὸν αἶχ γεραίρει,
Καὶ πέρι δὴ φίλεῖται κεῖνον ἀγαζομένη.
Εἶεν ἄταρ Βατάβις κόσμος μὴ γαῖα μεγήραις,
Χαίρειναι ἡ γὰρ ἔχεις χαιρέμεν οἷσιν ἔχεις.
Καὶ πάντων χρέος οὐδὲν ὅπως μνησώμεθ' ἀνάγκη,
Μηδὲ τὸ καὶ σμικροῦ θεσμὸς ἐάσει μέλους.
Ἀλλὰ τὸν ἐκ Φοίβοιο φερέσβιον ἤνορα τέχνην

ΕΥΡΝΙΟΝ

ΕΥΡΝΙΟΝ ἢ σιγῶν ἤντις ἄτερ καὶ ἄγυς·
Τοῦδε σὺ θαρσαλέη Βαταβὶς χάειν ἀνδρὸς ἀρηεα
Σεμνύνε (πάρα γὰρ) τῆς ἑτέρησιν ὁμῶς.
Ὅσις ὁμῆ ῥητὴρ τ' ἀγαθὸς πρηκτὴρ τε γ' ἀμύμων
Ἔξοχά τι ζαθέης ἐσὶν Ἀκαδημίης.
Ἠ' δ' ἱερῆς περὶ πάντα δαήμεναι ὄργια τέχνης
Φοῖβος ἔδω, ἀθάνατον κάρτα βροτοῖσι γέρας.
Τῷ σε καὶ αὐτὸς ἄλις μακαρίζεμεν ἠχὶ δυναίμην
Ὄλβιον ὦ Βατάβων τῶ τροφίμοιο πέδον.
Ἄφθιτον ἴσθι δέ σοι νῦν Εὔρνιε κῦδος ἀφύξας·
Τοῦ πῖον Βαταβὶς ἄχος ὄρεξε νεός.

Τῆς ἰατρικῆς τοῦ αὐτοῦ πραγματείας πέρι,
πρὸς ἀναγνώστην.

MΩΝ χαλεπῶς περὶ ἐπιπλῶσαι Κώοιν ἀμφοιτᾶς.
Εὔνεφιλ, ἰατρῶν σύρτιας ἡγεμόνος;
Μῶν τε μέγ' ἠδὺ ἐπῶς πρήσσειν περὶ λαῖτμα Γαλήνου
Σὺν σωῇ ἀσκηθεῖ νηί νόοιο θέλεις;
Ἀλλὰ σύ μευ πρὶν ἄκουσον, ἐμῷ τ' ἐπιπείθεο μύθῳ.
Τῷ μὲν ἐμὸν πειθὴς, κηρόθεν εὐφρονέοις·
Νῆα τεὴν οἴηκί γ' ἐπάρτυε πρόσθεν ἀρίστῳ,
Σπεῦδε τιν' ἐν ὄψει καὶ κυνοσουρὰν ἔχειν.
Ταῦτα γὰρ ῥηϊδίως ὁ πλόοθεν ἐσὶ πορίζειν,
Σοὶ τὸν ἐπεὶ καὶ τὴν Εὔρνιος ἔνθα δίδοῖ.
Τούνεκ' ἄρ' Εὐρνιάδην μή πως ἀθέριζε, Γαλήνου
Τὴν ἄλα καὶ περόων σύρτιας Ἱπποκράτους.

Γυλιέλμος Εαπέλιος Νησιώτης.

⁂

Carmina Variorum

IN IOANNIS HEVRNII

CLARISSIMI MEDICI
Compendioſam Artem, ac
Praxin Medicinæ.

O *HEVRNI medicâ potens in arte,*
Germen Hippocratis vel Æſculapi,
Quàm libens video hunc nouum libellum!
Nouum, ſed veteri politum ab arte:
Qui mole exiguus, ſed vſione
Magnus: quicquid habent diſerta Graiûm
Scripta, quicquid habent & Italorum,
Vnus continet, explicâtque nobis:
Néſcias breuiúſne clariúſne.
Non adſtrictior inſula ille alumnus,
Non apertior ille Pergamenus.
Vt, me iudice, quicquid horum vterque
Gloria ſibi vindicat ſeorſim,
Vnus tu tibi vindices, O HEVRNI.

EIDEM REI.

LONGAM ARTEM VITAMQVE
BREVEM *prædixerat olim,*
Ille decus medicis & Deus Hippocrates:
LONGAM VITAM ARTEMQVE BREVEM
nunc dixerit idem,
Hæc ſi ſcripta legat, maximus Hippocrates.

I. LYPSIVS.

⁂

ΕΙΣ ΤΗΝ ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΕΥΡΝΙΟΥ
Μέθοδον ἰατρικήν.

ΔΕΥΤ' ἰατρῶν παῖδες, μεθόδου πὶς ἴχνια τῆσδε
Εσπόμενοι, τέχνην πρόσδετ' ἐς ἀθανάτην.
Ὅσσα γὰρ Ἱπποκράτης τε βραχὺς, μακρός τε Γαληνὸς
Ἠδ' ἀναρίθμητον ἔθνεα συγγραφέων
Ἀῤῥαβίων, ἠδ' Ἑλλήνων, νεαρῶν τε Λατίνων,
Τέθμια δογματικῆς χεῦαν ἀκισορίης·
Κηφίζων φιλιατρικὴν δαπάνας τε πόνους τε
Εὔρνιος ἐν βιβλίῳ δράγματι δῆσεν ἑνός.

BONAVENT. VVLCANIVS.

⁂

ΕΙ'Σ ΤΗ'Ν ΤΟΥ͂ ΣΟΦΩΤΑΤΟΥ ΚΑΙ
πιστοτάτου ἰατροῦ Ἰωάννου Εὐρνίου μέθοδον πρακτικὴν ἐπίγραμμα Φραγκίσκου Νανσίου.

OΣΣΑ ὁ Ἱπποκράτης μεθόδου πέρι τῆς θεραπείης,
Ἔν τε τόσαις βίβλοις ὅσσα Γαληνὸς ἔχει.
Καὶ τὰ μετ' ἀμφοτέρους τούτους ἐχάραξαν οἱ ἄλλοι
Χερσὶν ἰατροὶ σοφαῖς, καὶ λίπον ὀψιγόνοις·
Πάντα Μαχαονίης δεδαημένος ὄργια τέχνης
Εὔρνιος, ἐν ταύτῃ ἀμφίεπε Μεθόδῳ.
Τ'μμι φιλίατροι τήνδ' αἰὲν ἑλίσσετε βίβλον
Ἠματίης χερσὶν νυκτερινῆς τε ὁμοῦ.

ΤΟΥ̓ ΑΥ̓ΤΟΥ͂ ΕΙ'Σ ΤΟ'Ν ΑΥ̓ΤΟ'Ν
ἰατρικώτατον ἰατρόν.

TΩΝ νεκύων ψυχὰς μεταβαίνειν σώματ' ἐς ἄλλα
Θείῳ ἔδοξε πάλαι Πυθαγόρᾳ Σαμίῳ.
Ὅττι δὲ δόγμα ἐκεῖν' οὐ πάντως ἔπλετο ψευδὲς,
Εὔρνιος ἄμμι πέλει μάρτυς ἀναμφίβολος·
Καὶ γὰρ ὅδ' ἰητρῶν πολλῶν αὐτάρκης ἄλλων,
Ἱπποκράτους ψυχὴν ἠδὲ Γαληνοῦ ἔδυ.

Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὴν δευτέραν ταύτην ἔκδοσιν.

Δεύτεραι ὅττι ῥα φροντίδες εἰσὶ σοφώτεραι, αὕτη
Δευτέρα ἐκδηλοῖ ἔκδοσις ἀμφαδίην.

IOANNIS POSTHII,

ARCHIATRI,

Cùm viueret,

WIRZEBVRGICI,

ELOGIVM

DE IOANNE HEVRNIO,

Viro optimo & Medico celeberrimo.

Siluar. lib. II.

ILLVSTRAT *Medicam feliciter* HEVRNIVS *artem,*
Commodus & viuâ voce librísque suis.
Quin etiam reddit vitam morientibus ægris,
Mirificâ miscens pharmaca rara manu.
Ergo virum præsens celebrátque & suspicit ætas,
Postera sed faciet Dîs in honore parem.

CARMINA VARIORVM in Lib. de Morbis Capitis

CLAR. VIRI,

IOAN. HEVRNII.

IOSEPHVS SCALIGER

IVL. CÆS. F.

Τοὺς ἄλλους ὁρόων κεφαλῆς πέρι πολλὰ μογοῦντας
ΕΥ̓ΡΝΙΟΣ, Ἱπποκράτους ἄνθεα δρεψάμενος,
Ὑμεῖς μὲν κρηπῖδα καλοῦ ἐστήσατε πολλοῦ ἔργου,
Εἶπεν, ἐμὸν δ᾽ ἐπὶ τοῦ τὸν κολοφῶνα θέμεν.
Αἴτια γὰρ τῶν κεφαλῆς τε νόσων σελίδεσσι χάραξε
Ταῖς πατρονίαις αἴτια, τάς τε νόσους.
Τόσσον ὑπερβάλλει γὰρ βίβλους βίβλος ΕΥΡΝΙΟΥ ἄλλας,
ὅσσον τῶν μελέων ἡ κεφαλὴ προέχει.

IDEM.

HEVRNIVS *Hippocratis carpentes florea serta*
In capitis morbos edere multa videns,
Praeclara sunt artis, ait, primordia vestra.
Huic summam nostrum est imposuisse manum.
Protinus & capitis morbos digessit in vno,
Morborum & causas, certáque signa libro.
Quo libro tanto libros supereminet omnes,
Quanto cuncta super cætera membra caput.

CL. V. D.

IOANNI HEVRNIO

MEDICO PRÆSTANTISS.

Et Academiæ Lugdunensis Rectori Magnifico.

O *Merito nostri Princeps Rectorque Lycei,*
Et medica in Batauis dux columenque rei:
Cui studium est capiti diros auertere morbos;
Ipsámarcem vitæ ne Libitina petat:
Me quoque vis in fronte tui prostare libelli
HEVRNIE, quàm vellem posse negare tibi!
Ne temerè lectorum oculos aurésque fatigem,
Assiduè doctis quorum eris in manibus.
Verùm vrges. & mî certum est non tendere contrà,
Et pulcrum tanto cedere velle viro,
Omnes cui Belgæ iamdudum cedere gaudent,
Et quotquot gemina sunt Medici Hesperia.

FRANCO DVYCKIVS.

In librum V. C. ac Medici doctiss.

IOANNIS HEVRNII

De Morbis Capitis Carmen

IANI DOVSÆ FIL.

I*AM satis afflictis miserunt numina terris*
Inde trucem belli rabiem, Martisque procellas;
Mortiferam hinc cladem membris, morbósque proteruos.
Scilicet humani pars corporis illa, supernè
Diuinos alta mentis quæ concipit haustus,
Arx animi, mundi effigies, fons denique vitæ
Ætherea, quantis huc vsque exercita pœnis!
Queis obsessa malis! capitum non agmine tanto
Horridus Alciden Lerna circumstetit hydras.
At bene, quòd te hæc monstra, Heurni doctissime, contra,
Omnibus exhaustis nondum in Pythone sagittis,
Armauit Phœbus. nulla est mora, protinus omnes
Diffugiunt leti comites, capitique minata
Horribili aspectu pestis numerosa recedit.
Nec tu Pæonus tantùm ista pericula succis
Perniciemque domas, & auaro surripis Orco
Tot capita, extendens properantia fila sororum.
Sed fontem vitare mali, sed funditus auctam
Exstirpare doces labem, populisque futuris
Consulis, & nondum natis tua munera prosunt.

At letum, infesto quod demetit omnia ferro,
Exalet à libris, reuocant qui à limine fati
Luctantem cum morte animam. vosque ite sub Orcum
Infames tenebræ: nil vobis iuris in illos,
Perpetuum ipse suo quos lustrat lumine Phœbus.

BONAVENTVRÆ VVLCANII.

ΦΕΥ πόσος ἀργαλέων νόσων στρατὸς ὥρσεν ἐπ' αἶαν
Κυκλώσας βροτοῦ σώματος ἀκρόπολιν;
ΕΥΡΝΙΕ βάλλε τεοῖς ὀλοὸν ἔθνεα, βάλλε βέλεσσιν,
Ἢ προθέλυμνος ὅλη ἄμμιν ὄλωλε πόλις.
Τίς δὲ βροτοῦ κορυφῆς προφερέστερός ἐστιν ἀρήγειν,
Ἢ σύ, ὃς ἰητρῶν εἶ κορυφαιότατος;

EIVSDEM.

INnumerabilium, heu, morborum exercitus arcem
Corporis humani arctâ obsidione premit.
HEVRNI sterne tuis genus exitiale sagittis,
Aut vrbs cum populo funditus interiit.
Quis capiti humano est arcere potentior hostem,
Quàm tu, Pæoniæ qui cluis artis apex?

FRANCISCI NANSII.

ΟΥ κισσῷ, αὐτὰρ γεύσει δοκιμάζεται οἶνος.
Ταύτῃ ὁρᾷν, γεῦσαι. μὴ γλυκερὸν δίδομεν·
Πολλάκι τοῖσι νοσοῦσι δοκεῖ δύσχυμος, ὁ οἶνος
Νήδυμος. ἀλλ' ἀνόσοις μοι ἅλις ἐστὶν ἀεθεῖν.

In eundem librum, ad ZOILVM.

ΦΕΥγε σὺ Μῶμε. κάρη τόδε ΕΥΡΝΙΟΥ, ἐστὶ δοχεῖον
Γοργόνος. ἢν γε ψέγῃς, αἶψα γένοιο πέτρη.
Αὐτὰρ μὴ ποτε τοῦτο γένοιτο. τάδ' εἰ ἀπαρέσκει,
Μὴ μωμήσῃ, ἀτὰρ βέλτερα σὰ πρόφερε.

In Librum C. V. D.

IOANNIS HEVRNII,

De Morbis Capitis.

G. DVYCK LECTORI.

SCire velis Lector, cur laudis opuscula quædam
Nil referant? Vox sunt tinnula, nil aliud.
Ast præsens liber & capite & cerebro, inspice, pollet:
Quæque feras, lecto præmia scire velis.
Haud dubius membris bene consulere omnibus, ægro
Qui bona prodiderit pharmaca tot capiti.

IN LIBRVM VIRI

C. D. HEVRNII

DE MORBIS CAPITIS

Carmen Phaleucium.

HVc Galli positis humi coronis,
Germani quoque fascibus relictis,
Hac & vos Itali, simul frequentes
Admoaete pias manus labellis.
Maius nescio quid venustiásque
Iam se tollit hamo: videte, amabo,
Quàm bellum Caput exerit per auras.
Quot spirat Veneres suis ocellis,
Quot circum glomerat greges Amorum,
Natalem modula inaugurantam.
O bellum Caput! ô Apellis artem!
O matrem Venerum Cupidinúmque!
Erumpas Dea. Nixij ministrant,
Et concham valido impetu recludunt.
Expandas Venus illa ebarna colla,
Et laues humeros, & has mamillas,
Quas tot lacteoli premunt Amores.
Sed non hoc satis, HEVRNIANA Siren,
Quin perrumpimus hos, & hos recessus,
Et septa intima plena suauitatum
Illibata prioribus Camœnis.

In Zoilum.

Zoile, quid ringis? Caput hoc quid toruus oberras?
Iamiam Gorgoneos experiare modos.

EZECH. VALENS.

In Clarissimi Medici D. D.

IOANNIS HEVRNII,

ΚΕΦΑΛΑΙΚΆ.

DVm caput in nostrum iurat malè sana dolorum
Factio, diripiat Mentis vt acropolin,
Distribuitque operas, sacer excitat inde penates
Morbus, & à subito sidere nomen habens,
Inde dolorifici contendant agminis alæ,
Et lentâ amcingunt obsidione domum.
HEVRNIVS interea è speculâ vigil excubat altâ
Custos, insidias detegit & rabiem.

Arma

Arma mouet contra, capitalem iurat in hostem,
Insano sanum offerre caput capiti.
Dat signum; fugiunt acies, Mens arce recepta
Tuta sui in fastos Consulis acta refert.

Raph. Thorij.

In Clariss. Excellentissimique Viri

D.D. IOAN. HEVRNII

Professoris Medici in Acad. Logodunensi Batauorum celeberrimi

PRAXIN DE MORBIS CAPITIS.

Pergama facundum iactent antiqua Galenũ,
Insula Cos magnum tollat in astra senem,
Atque Arabes Razim celebrent, magnúmque Auicennam,
Gaudeat & Celso Roma superba suo:
Atque alios alij extollant, diuina medendi
Ars quibus indulsit viuere perpetuum:
Et quibus aeternos statuit post funera honores,
Ac superis Phoebus inserit ordinibus.
Quis credat? maius Batauis iubar emicat oris
HEVRNIVS, *ille tuum Leyda beata decus,*
Qui docta instructus ratione vsúque medendi,
Et Razem & magnum est amulus Hippocratem.
Testantur scripta hoc toto qua publicat orbe,
Scripta per aeternos viuere digna dies.
Felices nimium Batauos, quibus HEVRNIVS *vnus*
Alter & est Razes, alter & Hippocrates.

ALIVD.

Dum magnum Hippocratem ô HEVRNI *rationibus aequas,*
Fundis & arcanas, Cous vt alter, opes:
Nec minus artificem felix te dextera clamet,
Dextera vel Razis vincere docta manum,
Et quae scripta facis toti nunc publica mundo,
Ingenij & genij sint monumenta tui:
Quos tibi pro meritis Phoebus decernet honores,
Et tanto imponet nomina digna viro?
Fallor; an & Phoebo & Musis, Batauóque Lyceo
Alter eris Razes, alter & Hippocrates?

Gualterus Verdoëfius Med.

In Clariss. Doctissimique Viri D.

IOANNIS HEVRNII

ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΤΟΥ

De Morbis pectoris Librum.

Ἄκαρ ἐόντα νόσοιο, νόσος πάλαι ἀμφεκάλυψε
Εὐρνιάδην κρυερῶν· βῆ ἴμεν εἰς ἐνέρων.
Βῆ ἴμεν, ἱμερόεν δὲ λίπεν φάος ἠελίοιο
Διοτοῦ Ἀπόλλωνος τὸ κλέος Εὐρνιάδης.
Τῶν θανάτων ἀλκτῆρα τέλος θανάτοιο κάλυψε;
Τὸν δὲ Ἀΐδαο ἐχθρὸν κρύψατο νὺξ Ἀΐδαο.
Μαῦψ δέ μιν εὐρυμέδοντες ἀνεκλαύσαντο Βατανοί,
Κλεινοὶ ἁλιστρεφέων τέκτονες ἱπποσυνῶν.
Ζεὺς δὲ πατὴρ ἐγέλασσε νόσους πάλαι ἀνδράσιν ὄρσας,
Ἀντὶ πυρὸς δεινοῦ Ἰαπετιονίδου.
Στὺξ φλογερὴ κτυπέεσκε πυασομένη καταβαίνων,
Τεσσάρας ἐσχάτιης ὄχθης ἀναπεζόμενον.
Κλῶθες ἀπορρήγνυντο, καὶ οὐκ εἴδωλα καμόντων
Πορθμεία δειλαίων ἐξέλιπον νεκύων,
Ἀλλὰ μάτην τάδε πάντα· μάτην δολόεις Ἀϊδωνεύς,
Μοιριδίῃ δὲ πάλαι ἥρπασέ νιν παλάμῃ.
Ὢ πόποι, ὢ μέγα θαῦμα· νέκυς ζωοῖσιν ἀρήγει,
Νούσων ἀλκὺς, νούσους οὗται ἀλεξόμεναι.
Νεκρὸς ἐὼν, μερόπεσσι κακὰς ἀπὸ κῆρας ἀλάλκει;
Νεκρὸς ἐὼν, κλεινὸς ζῇ πάλιν Εὐρνιάδης.
Νῦν δέ που ἐν φθιμένοισι μέγ' εὐχετάων ἀλάληται,
Καὶ ἱερὸν νήσους ἀμφιπολεῖ μακάρων.
Ἀσφοδελὸν λειμῶνα, καὶ ἔξατα πίειρα γαίης,
Καὶ κλυτὸν ἡρώων ναιετάων πεδίον.
Ἦ γε Διὶ χθονίῳ καὶ ἐπαινῇ Περσεφονείῃ
Φησί, ΘΑΝΩΝ ΑΥΤΟΝ ΕΞΕΛΑΣΑΙ ΘΑΝΑΤΟΝ.

Daniel Heinsius.

IN LIBRVM

D. IOANNIS HEVRNII

DE FEBRIBVS.

Et bona Romani coluere, & numina sceuas
Hae ne nocerent, illa vt alma prodessent:
Lurida sic sanctos extorsit Febris honores;
Velut benigna si maligna non esset.
Postquam at, Iane, tuo febris data Febribus ausu,
Ludibrium est quam fecerat timor diuum:
Et soliti febrire prius, nunc aere puro,
Hac februantes expiantur à peste.
Nempe vt purgarat monstris Tirynthius orbem,
Ita exigendis Hercules clues morbis.

F. F. F. Raphelengius.

IN LIBRVM DE PESTE CL.

Doctissimique Viri,

D. IOANNIS HEVRNII,

Medicinæ Doctoris & Professoris, Academiæque Lugduno - Batauæ Rectoris Magnifici.

INclite vir, felix animi, qui publica iure
Cōmoda prima putas, eadémq; fideliter auges:
Quas tibi, quas canto soluent pro munere grates
Paonidæ? quorum decus, & rediuiua nitescit
Gloria, dum pestis caussas, grauioráque signa,
Pharmacáque in lucem reuocas, quâ parte videntur
Tecla magis, quâ plus nebulis, & nocte laborant:
Quas reliquum mortale genus? quod luce recenti
Discussis animi tenebris, si fida capessit
Hac tua iussa, procul diris languoribus æuum
Exiget, ac tarda fatis concessa senecta
Tempora decurret: quos non implêsse videntur
Flagitij numeros: HEVRNI, *si te, optime, si te,*
Post superos rerum dominos, non pectore toto
Suspiciant, gratique colant: tibi sacra, tibi aras
Mentis inoblitæ statuant, te semper in ipsis
Mirantes oculósq; ferant, celebréntq; canendo?

Marcellus Marcelli Antuerp.

CL. V. D. IOAN. HEVRNIO,

Medicinæ D. ac Professori in Acad. Lug. Bat. celeberrimo, eiusdemque Rectori Magnifico,

DE PESTE SCRIBENTI.

IVpiter, è saxis hominum formasse figuras
Dicitur, ascita Deucalionis ope.
Fabula naturam tetigit, vèx fabula: nec iam
Progenies finem Deucalionis habet:
Carnea formentur quanquam nunc corpora, duris
Corda tamen saxis asperiora manent.
Non hanc duritiem pœnarum iniuria tollit,
Afficiente illâ, deficit illa minus;
Ni tu, magne HEVRNI, cælestia vulnera cures,
Auferas ignoti quot sua pœna mali?
Noscitur, & duce te morbo medicina paratur,
Pestis ut agra suum non agat officium.
Felices Batauos, quîs te duce nulla nocebunt
Pocula Circæis iuncta veneficiis.

P. Hondius.

In Clarissimi Viri

D. IOANN. HEVRNII

Medicinæ Professoris celeberrimi, Academiæ Leidensis quintùm Rectoris

LIBRVM DE PESTE.

Νούσων μυρία φῦλα κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται,
Λοιμὸς ἀτὰρ πάντων ἔξοχα λαοφθόρος.
Ἄξιος ὢν μεγάλης κλυτὸς ΕΥΡΝΙΟΣ ἐστὶν ἀμοιβῆς,
Ὅς κε φθορὸς λοιμοῦ λαοφθόρου πέλεται.

Idem Latinè.

INnumerus Morborum exercitus obsidet Orbē,
Sed nil Peste magis lethiferum Orbis habet.
At modò lethifero dum lethifer HEVRNIVS hosti est,
Quanam hoc pro merito gratia digna fiet?

Bon. Vulcanius.

IN IOAN. HEVRNII,

Æui sui Medicorum principis, & in Academia Leidensi primarij Medicinæ Professoris, DE MORBIS VENTRICVLI librum, ab eius filio OTTHONE HEVRNIO, ibidem Medicinæ Professore, post obitum editum.

PRodierat magni hic in lucem posthumus HEVRNI,
Et ut parente fœtus orbus vagiit.
Vagiit: at simul ac natali est cognitus adstant
Magni parentis magnus OTTHO filius;
Risit, &, ô, dixit, seruabor munere nati,
In quo lepos parentis & parens mihi.

I. Anraet.

Idem in eiusdem

DE SAGIS RESPONSVM.

IMpos terra fuit diras deprendere sagas;
Infida lympha promeruere fidem.
Reiicit HEVRNIADES bruta ludibria lymphæ,
Vltrices pœnas certiùs ire docet.
Iam nec aquis, nec erit quisquam se teste Lycaon,
Nec iam saga sub hoc crimine Dipsas erit.

AMVLE

AMVLETVM MVSIVVM
Responsioni inculpatæ superadditum,

PRO CL. V.

IOANNIS HEVRNII
Triumpho aduersus Canidias.

ATat! Deorum quisquis Auernea
Tenebrioaam sceptra domas, ferox
Quorsum tamulias? quidve in vnum
Infera geas Erebi innocentem
Vultis Poëtam? Dira Anima Deo,
Patri tencbrarum illachrymabili
Dèuota multàm turba, auitâ.
Digna Styge ô Soboles? quid alto
Surgis baraohro exercitas iasoleus
Videre lucem? quid tenebris bonâ
Cam luce commerci? reconde
Vipereos furibunda criaeis
Gens dira, tristis relligio, truces
Cocyti alamaa, seu Stygis, horrida
Noctis Sorores: qaid? facesse
Ad Stygios adytus Aacrni.
Vestris, aeque hoc fas, sacra fero sacris
Impunè si & fas, facra feram haud sacris
Turpissimis, Diti nefando
Falleris, haud operor tyraano:
Hallaciaare. hinc gens iaamabilis
Facesse cam patre hinc iaamabilì
In rem malam, tuásque raptis
Effuge res fuge habens quadrigis.
Narthecia Artis perdita gens tua
Vtensile omne ah! condito, verticis
Horret capillus ceu Echino
Æquoreo caput, aut furenti
Apro. reconde ah! qua educat Hesperæ
Venena tellas, quaque ferax necis
Colchos, reconde & has Cypressos,
Tarpiaque omina caprificos,
Stirpeis, sepulchris tristibus erutas
Absconde, ranarum & saaguine turgida
Atro oua, nocturnaque plumam
Verte procul strigis, ossa fato &
Truci cadentem; craaij, & horrida
Pilo ossa calua, atque inguinis, & cani
Direpta ieiuao, abde dira
Pestifera monumenta fraudis.
Absconde & herbarum sobolem impiam,
Phallos, Aaernalem Filicem. satam
Veneficaqae Antirrhinum Arti
Pestiferis calathis recoade,
Ah! conde: non hac hic sibi vendicat
Sacra HEVRNIANI sedula vis Gens,
Verùm virarum gentem amica
Innocuam ô benè! veritati
Diuus patronus vendicat HEVRNIVS,
Is aamque vestrarum sladet artium
Exolaere iasontes malignâ
Suspicioae animas. Patrona
Imbelliorum ac dia viragiaum
Virtus Patrona ah! pectorum inermium!
Is vestra vobis digna vindex
Acer habere iubet, tuásque
Te res habere; illum modò liberas
Venefica Artis stigmate liberas
Iubeto habere, quas aefandum haud
Iaaocuas docuistis Artem.
Alis peruectis cedito ia aera
Gens Auernalem perdita, ad atheris
Assertor alma Veritatis
Templa sui nitidis quadrigis,
It Veritatis diuus amabilis
Patronus! huic vos libera gens meta
Artis nefanda huic patroao
Nectite laureolas corollas.
Huic veritatis magnanimo Herculi,
Diao huic patroao ô libera gens mala
Cauterio Artis, nósque vobiscum
Aureolas legimus corollas.

H. Delmanhorstius Leydensis, Med.Doct.
D.D. I.Heurnij olim discipulus.

AD CL. V. I. HEVRNII,
Huius æui Medicorum Principis,

LIBROS DE MORBIS
Muliebribus & Ventriculi posthumos,

A FILIO D. D. OTTHONE HEVRNIO
Luce donatos.

QVacunque HEVRNIADÆ supererrant nominis vmbra,
Inaocui Manes, humaai numinis vmbra,
Posthuma geas, supera geati, domuique Deorum
Gens sociata, Anima iadigetum subducta per actam
Lactescentem adytus Cæli, quâ circus alamnas
Corporea extorres telluris colligit vmbras:
Quodcunque vmbrarum superest, Medica vltima palma,
Sudorisque pij humana ah! praconia diuis,
Iaferagcas, spissaq; aaima, & cælestium inanes;
Manibus offerimus tellurem astris misceates.
Qui meliora? eheu! diuina hic particula aura
Corporeis obuelata atrâ pendigiae auerni
Ignoscit meliora, immortali uepenthe
Cassa adlambit iners vaaas Aganippidos vndas;
Qua posis indigna hac quãquã suspẽdis honoris
Laurea vendibilis huic opera donaria. Quorsum
Differat? Alme parens Medicorũ gloria, Magni
Hippocratis soboles, Tranquillo digna parente
Stirp?, Arabum, Gracáq; domo dignissima proles,
Artis Paonia custos, rigidásque satelles,
Et Medici CORNV veri, & Coum armamentum,

Cui Natura parens educto in laminis oras
Et genij & generis diuina insignia Trina
CORNVA *donare, inculpata insignia gestis*
CORNVA, *Paonia inattritissima robora fama*
CORNVA, *queis, cùm te facilem Natura creârat,*
Mentis aduersus prauisos mentis ictus
Innocui, quem defensum horũ & Cornua librûm
Ire etiam satagunt, ne quid mala Cornea possint
Inuidia: atque hac qua secula! Cornua librum
Tutari hoc satagunt & promercalia! libri
Doctrina tecti laura, ne nubium inane
Vanarum' tonitru innocuum immortale bidental
Tangat, inamœni disperdens sideris æstro.
At tuus hac Stomachus, cui tot medicamina misces
Dia, coquit, morsus Cordis, quis ritè ferendo,
Theriacâ aqui animi mulces: Muliebre virili
Marte Malum omne domans propriâ ampullaris in arte.
Quacunque in Morbis siluit Muliebribus ipsus
Hippocrates, Morbis supplet Muliebribus alter
Hippocrates, & qua doctâ caligine adumbrat
Obruta. Quas Morbis linguas Muliebribus aufert
Iuppiter Ascraus, sanè haud sine numine diuûm
Restituit, morbosque loqui facit HEVRNIVS*, ingens*
Miraclum! Morbos Muliebres, non Muliebres
Imò Mares, Magnosque, & causarum abdita luce
Donat, at in Cæli diffundit filius *aura:*
Maximus Heurniades, *meritum cui laudis amorem,*
Publicaque aternis grati monumenta fauoris
Manibus Heurniadæ *figam, bustumque quotannis*
Heurniadæ *extollam sacram, & merita vltima clamans*
Perpetuum *aternos iudicam* auditor *honores.*

H. Delmanhorstius MED. DOCT. apud Leidenses, 28. Augusti, anno 1607.

IN HIPPOCRATIS

PROGNOSTICA

A IOAN. HEVRNIO

Paraphrasi & Commentariis illustrata.

Ναύτης ἠλιβάτῃ σκοπιῆς ἀπὸ τῆλε δεδορκώς,
Χειμῶνος πολλῇ λαίλαπ' ἐπερχομένου.
Τῷ δ' ἑζόμενος πάντων ἐφύπερθεν ἰητρῶν
Τῶν νούσων ἐφόδους φράζεται Ευρνιάδης.
Παιήων μὲν ἔδωκε κακὰς ἴσαι κῆρας ἀλαλκεῖν
Ευρνιάδῃ ξυνὸν ἀμφιέπουσι τέχνην.

Τὰς δὲ νόσους προϊδεῖν, τάτε σήματα, μὴ ἴσος ἐστὶν
Πλὴν τοῦ ἀκαστερέης ἥμενος ἐν σκοπιῇ.

ΩΣΗΠΠΟΣ ΣΚΑΛΛΑΝΟΣ ΙΟΤΛΙΑΔΗΣ.

Idem Latinè.

Nauta procul celsa speculans de vertice rupis,
Motus fergentis turbinis inde notat.
Sublime HEVRNIADES *medicos supereditus omnes*
Morborum aduentus, insidiasque videt.
Ast aliis Paan concessit fata morari,
HEVRNIADÆ *medicam quos sociauit opus.*
Morborum sed signa tamen prænoscere, soli,
In medici studij qui sedet arce, datum est.

Iosephus Scaliger Iul. Cæs. F.

IN EADEM PROGNOSTICA à I. HEVRNIO edita.

Ευρνιος ἀθανάτα δεδαημένος ὄργια τέχνης,
Εν σελίσιν ταύτην ἐξεδίδαξ' ὀλίγαις·
Εθνεα τ' αὖ νούσων ἀλαλήμενα μυρί' ἐπ' αἶαν
Δεῖξεν ἀλευάμεναι, δεῖξεν ἀλεξόμεναι.
Χρήματα δὲ νῦν θεῖον ΠΡΟΓΝΩΣΙΑΣ ἐκτελέουσι
Χρησμῶν ἐκ τρίποδος μᾶλλον ἀναμφιβόλως.
Εἴπατε ΕΥΡΝΙΟΝ ὦ φιλακέστορες, ὅσκεν ὀπάζει
Καὶ παρεόντα νοεῖν ὔμμι, καὶ ἐσσόμενα.

Idem Latinè.

Pæoniam callens quanta est canque HEVRNIVS *artem*
Inclusit breuibus Mnemosynes tabulis:
Agminaque edocuit latè diffusa per orbem
Morborum effugere, aut tollere de medio.
At modò diuino PROGNOSTICA *tradidit ausu,*
Qua Tripodis superant indubitata fidem.
HEVRNIADÆ *gratare cohors studiosa medendi,*
Qui, qua adsunt, catus, & nosse futura docet.

BON. VVLCANIVS.

In effigiem Medici Clarissimi

IOANNIS HEVRNII,

ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΤΟΥ.

Ex quo superbi fabricator saeculi
Patronus agris additus mortalibus
Diuum beata sustulit commercia
Audax Prometheus: pœnaque audendi, lues,
Terris salutem sustulit, nobis Deos:
Adhuc monemur: HEVRNII *vultum vides*

Sed iam perempti. fugit auctorem suum
Ars ipsa vitæ. fataque & contagia
Quæcumque nostris imminent ceruicibus,
Dum rebus omnis exulat lapsis Deus
Pertæsus aui, mille surreptos neci
Quos liberali vindicarat dextera,
Cæcis tenebris mancipatos & Stygi,
Pensant in vno: mille in HEVRNIO *neces*
Manesque sæuus supputauit Æacus
Toruusque Minos. si quid hoc, Diui, tamen,
Totus quoque hic est: HEVRNIVS MENTEM SVAM
NEGAT TENEBRIS: ARTIFEX CORPVS NECI.

D. Heinsius olim scripsit.

CARMINA LVGVBRIA VARIORVM,

In IOAN. HEVRNII Obitum.

EPITAPHIVM C. V. I. HEVRNII,

Eodem in loco cum vxore sepulti.

HIC *ille Heurniades, cui se tot maxima debent*
Nomina, cui debet se medicina, iacet.
Natura potius quam morbi crimine raptus,
Quam toties aliis sustulit artis ope.
Ne tumulo quid desit, adest fidissima coniux,
Et vitæ comitem, nunc quoque mortis habet.
Sic olim coniuncta thoro, nunc iuncta sepulchro
Continuat pactam, nondum aliena, fidem.

Daniel Heinsius.

CL. V. D. D. IOANNIS HEVRNII,

Huius æui medicorum Principis,

EPITAPHIVM.

H*EVRNIVS hac molli requiescit IANVS in vrna,*
Quo viuo Medices gratia viua fuit.

ALIVD.

HEVRNIVS Hippocratis Genius hac conditur vrna,
Cui non inueniet terra Batauia parem.
Flete ô Pæonides, & crines soluite Musæ,
Occidit, heu, vestri famáque Solque chori.

ALIVD.

HEVRNIVS hic situs est, quem Gratia, Suada, Lepores
Lugent, & laceris, deflet Hygeia comis.

IN OBITVM EIVSDEM.

O*Ccidit HEVRNIADES, Medicorum Battauia Sol,*
Quo viuo semper viuida Hygeia fuit.

IN LAVDEM EIVSDEM.

C*Os quantum Hippocrati, Galeno Pergama debent,*
Tantum, magne HEVRNI, terra Batauia tibi.

G. Verdoësius Med.

In obitum Nobiliss. & CL. V.

D. IOANNIS HEVRNII,

Medici incomparabilis.

Q*Vicumque iustâ lance res mortalium*
Perpendit, infima atque summa conferens,
Quot lacrymarum quot dolorum reperit
Caussas, beata hic nemini quem perfrui
Detur quiete; cuncta sed nata occidant,
Peiora crescant, fintque adulta pessima,
Seque ipse vincat orbis impudentia!
Echidna, praster, vrsus, immanis lea,
Panthera, tygris, seps, chelydrus est homo.
Homo omne monstrum est: Pectore is tegit suo
Quicquid malorum fingere aut fari queas.
Augetur ille? augentur ista; nec prius
Culmen malorum maximum inuadit scelus,
Quàm fibra suna mentis elisa vltima est.
Ergo beatos ter quatérque quos prius
Æternitati destinatos perpeti
Subduxit isti vita & inuidæ DEVS!
Hisce in beatis inclyto HEVRNIVS loco
Ponendus: ille qui recondita intimè
Arcana nôrat maximæ matris; cui
Comperta mille graminum discrimina,
Qui sistere vnus exeuntem spiritum, &
Donare vitum sueuerat mortalibus.
Ille, ille namque morte prostratus iacet,
Ereptus orbi, ereptus inuidentia,
Tutus; beatus, liber immunis, suus.
Coniunx maritum, liberi lugent patrem,
Ægri Machaona; Imperatorem Schola,
At nos amicum: Vinculum istud maximum est.

Quid flemus HEVRNI? lacrymas quid
fundimus?
Ereptus es, nec totus ereptus tamen;
Viuis pudicæ in coniugis præcordiis;
Nouemque viuis liberorum in vultibus,
Viuis sonorâ vectus in cælum tubâ
Famæ perennis, ipse quam inflasti tibi.
Quod nemo viuus, vnus extinctus facis,
Per orbis omnes scripta mittens angulos.
Sed vita vitas vna cunctas continens
Est ista Christo quam propinquus exigis.

P. BERTIVS.

PVRI ALIQVOT IAMBI

Vice Lachrymarum ab
ipso statim

IOANNIS HEVRNII

V. C. funere effusi,

A PETRO SCRIVERIO.

QVid hoc mali? quid iste voltus anxius?
Quid, ô quid ista PRÆFICA?
Quid ista verba tertiata quid volunt
In ore commorantia?
Sinistra signa! concauum gemunt Stryges.
Quid, ô, quid esse suspicer?
Abisset ille noster ÆSCVLAPIVS,
APOLLINISQVE CORCVLVM?
Abisset illud inclytum SCHOLÆ *iubar*
BATAVIENSIS, *ô Dolor,*
Abisset ille, nominare quem vetas,
Ferociente calculo?
At ecce! lotus oblitúsque funebri
Inauis hoc thoro iacet.
At ecce! vt vndique agrimonia ingruant
Reciprocante spiritu?
Vt vxor ægra, Liberique naniis
Lacunar omne farciant!
Vt alta taxus HEVRNIANA *tempora*
Virere non sinat, vide.
Scelesta FATA! *(maximum hoc enim sce-*
lus:)
Virum abstulistis optimum,
Virum, triumphum in arte nobilem suâ;
Virum, anchoram omnibus sacram.
Et ecce! spectat in forum beatulus
Modò efferendus, ô Dolor!
Manus ne friget ergo, friget heu manus,
Tot vnde febrientibus
Salus creata? friget illa prô Dolor!
O ægra LEIDA! *ius tibi*
Dolere, LEIDA, *maximè hac enim* DIES
SVPREMA *fulsit* HEVRNIO,
Tuo HEVRNIO, *inquam; abiuit* ILICET *tua*
VALE *ille* TVDINIS DATOR,
Abiuit ille SOSPITATOR ILICET
Abiuit ÆSCVLAPIVS;
Cui ipse CONSVS *&* NOVENSILES DEÆ,
Patérque APOLLO *mutuam*
Dedêre opellam. O ille VIR, *Deûm genus,*
MACHAONVMQVE *maximus.*
VIR *ille* VIXIT, *Attico madens sale,*
Madénsque lacte Romulo!
VIR *ille* VIXIT, *ille* VIXIT, *ô Dolor?*
O ægra LEIDA! *quid tuo*
Quid esse ciui acerbius potest? tibi
Quid esse luctuosius?
Patronus ille SANITATIS, *& bonus*
Cruces fugare querqueras,
Periculúmque in AGGERVNTA *vertere*
Malum vndè traxerat pedem,
Catúsque pensa prorogare, CERBERIQVE
Hiantu ora fallere.
Tuus Patronus ille, LEIDA, *nunc* FVIT,
Tibi Patronus & Tuis.
Sed heu sibi ipse vix Patronus heu! miser
Putandus hocce nomine:
Tamen Beatus: ecce! nunc Polum tenet,
Et OPTIMATIVM *choros*
Frequentat ille, factus INDICES *nouus,*
DEVSQVE, *penè quod fuit.*
Beatus, ô, Beatus, ô, ter & quater
In astra raptus HEVRNIVS.
Laboris omnis, omnis anxitudinis,
Molestiaque nescius,
Sedet superbus, aspicitque inanias
Ineptiásque sæculi.
Beatus, ô, Beatus ille, qui procul
Abactus Orbe naufrago,
PERENNITATIS *aureum scypham bibit:*
VALETE MORTVALIA.

Lubentissimo ac Christianissimo animo FATI MVNVS impleuit XI. Augusti Anno Sal. CIↃ. IↃ. C. I. Cùm per XX. Annos Medicinam apud BATAVOS professus, & sexies Lugdunensis Academiæ Rector fuisset;

Vixissetque magna cum Laude Annos LVIII. Menses VI. Dies VII.

Natus Vltraiecti CIↃ. IↃ. XLIII. Die XXV. Ianuar. Manè post horam quintam.

Denatus Leidæ CIↃ. IↃ. CI. Die XI. Augusti; eodem ferè, quo natus, momento.

CARMEN

CARMEN FVNEBRE

In obitum magni viri, peritissimi Medici

D. D.

IOANNIS HEVRNII

VLTRAIECTINI,

Professoris Academiæ apud Batauo-Lugdunenses.

IRe iterum in lacrymas, sic fata Deúsque requirunt,
Torqueor, & tremulis iterum singultibus auras
Pulsare: ô diram pestem! ductante choreas
Inuidiâ, ægrotis frustrà pullentibus ibit
Ad manes tenebrarum imos, diuulsus ab orbe,
HEVRNIVS: *heu tristem Matri, Natisque molestam*
Diuidiam! in luctum soluuntur iure propinqui,
Et lessis miserè luget Cadmua, gemitque
Omnis quem cernunt occasus Solis & ortus:
Hinc est quòd subitò nobis totique Lycæo
Nigra dies & nigra simul surrexerit hora:
Immeritò, si scire cupis, sic collige mecum.
Olim matris adhuc cùm conditus HEVRNIVS *aluo,*
In dubio natura parens faceretne Galeno
An similem Hippocrati: tandem hæc sententia menti
Fixa fuit iuxta Sumij præcepta magistri,
Partem aliquam Hippocratis, partem de mente Galeni
Sumere, & ex binis vnum formare figuris.
Natura insistit firmè; tum prodiit infans
In lucem: tandem transacto temporis orbe
Creuit, liquit humum, tetigit pede sidera cæli.
Si rectè sapio, fieri non pluris Apollo
Debuit, aut alias medicâ magis arte peritus;
Hic equidem, plenus diuini mentis & haustus
Ætherei, tantum humanas profecit in artes
Quantum homini licuit: medicas apponere dextras
Doctus, & exanimem ex ipsis reuocare tenebris;
Nemo dexteriùs diuini Numinis vsus
Muneribus, possit quisquam fors ferre secundas.
Sed quò tantus amor laudandi me rapit, istud
Velle meum est, non posse datur; quin exigit hora
Longè aliud, Parcæ stimulant ad funera, cogunt
Cudere epos, pelluat inuitum didere versus.
Præcipites Parcas duraque immitia mortis
Verbera! sic quem vis torquet per fuua Charontis
Flumina lex illex: decuit meminisse dolorum
Tristia quos gignunt diuisi funera amici,
Arripiat potius fruges consumere natos.
Noxia fusa meis numeris miscentur, in vrnâ
Omnium acerba cinis virtutum clauditur: eheu
Mæstum dissidium: sed lætus transitus illi,
Non nobis; fruitur sortes quod mente petiuit;
Vixit, quem dederat cursum fortuna peregit,
In rem communem & patria vigilauit abundè
Hactenus, at nunc post decisa negotia felix
Compositus, postquam tranquilla pace quieuit.
O nati dulces, & magni coniugis vxor,
Præcessit, sedemque tibi super astra parabit:
Parce precor vanis funus lacerare querelis,
Omnibus est lethi calcanda eadem via, vin' tu
Fati decretis oppedere? non. vetat illud
Relligio, pietas & mens sibi conscia veram
Inde à principio in Christo sperare salutem:
Ignosco natura hominis quâdam tenus, atqui
Vertitur in vitium nimium. quæ cura remordet
Falsò animum? meruit nomen famámque perennem
Per terras, vera ductus virtutis amore,
Non fastiditos inter celeberrimus vates,
Et clarus famâ doctas per Apollinis artes
Floruit, hinc virtus Studiis conturat amicè,
Et votiua velut tabula emicat, emicat ille
HEVRNIVS, *ille tuus scriptis super æthera notus;*
Nunc in cælum abiit, lacrymosâ valle solutus:
Nos, cùm nostra vocant quemuis sua fata, sequemur.

Henricus Mout-haen Vtrix.

V. CL. D.

TOBIÆ FISCHERI,

Apud Sniduicienses in Silesia Medici celeberrimi, deploratio mortis huius æui Medicorum Principis

IOANNIS HEVRNII.

HEI factum lacrymabile, atque acerbum!
Hei fati violentium maligni,
Et Parcas rigidas, graues, seueras:
Vestra concidit HEVRNIVS *manu! ô nunc*
Singultus animo profundiori,
Et suspiria lacrymásque planctúsque
Excite, ac manibus ferite corda,
Qui fontes Sophiæ politioris,
Et Machaonias amatis artes,
Et cladem hanc generis dolete nostri.
Sic letho abripiatur HEVRNIVS? *quem*
Virtutum integritas, domúsque auita
Splendor, cognitióque litterarum,
Doctrina, ingenium, & decus medendi,
Sublimem statuunt Olympi ad oras.
Cui Musæ faciles, Minerua, Apollo,
Vni præ reliquis magè æstimato,
Quod contractâ aliis manu dedere,

CORNV

CORNV diuite abundius benigni
Profudere, siniique largiori.
Hei factum lacrymabile, atque acerbum!
Hei fati violentiam maligni,
Hei Parcas rigidas, graues, trucésque,
Letho extinguier HEVRNIVM! *& sepulcro in-*
volui nobile tam caput? nec vltra
Fetus ingenij sagacioris
In lucem dare publicam, & medendi
Æternis monumenta digna cedris!
O factum lacrymabile atque acerbum!
Sed visum hoc superis quietiori
Defessum, emeritum, loco beare,
Atque inferre polo: quid ergo? Nomen,
Doctrina, Ingenium, Decúsque, Honórque,
Et Fama, interitus necisque & vrna
Ignara, orbe vigent cluúntque vtroque,
Quem Sol exoriens rubente lustrat
Vultu, quémque iterum videt reflexo
Temone, Hesperium petens cubile.
Ergo care Deo vale, atque lætus
Cæli gaudia carpe: dúmque sese
Arcûs terga premens pluentis, alto
Prodat Christus in æthere intuendum,
Tellus ossa, precor, tegat quieta.
Felix qui Patria, Deo, suísque,
Quot vixit placido dies tenore
Claudit, promeritam occupans quietem.

VITA AVCTORIS.

IOANNES Heurnius patrem habuit Otthonem Heurnium, natum patre Ioanne Heurnio, antiquâ & non obſcurâ Belgarum familiâ orto: qui vxorem legitimo matrimonio ſibi iunxit Geertruydam Okkers, virginem ditiſſimam, Conſulis vrbis Iſelſteinienſis filiam, iunctam ſanguine familiæ De Meurskens, quæ etiamnum hodierno die Meurſam metropolim Comitatus Meurſiæ Conſulari dignitate gubernat, auitum decus reſeruans quod per annos trecentos continuato honorum curſu in eadem familia perſeuerauit, vt ex archiuis eiuſdem Comitatus conſpicuum. Affinitatis huius copula familiæ Heurnianæ iungitur V. CL. Ioannis Meurſij Iuris Doctoris proſapies. Ex hac Geertruyda Okkers vnicum cùm ſuſcepiſſet filium Otthonem, militandi deſiderio tactus, profectus eſt in Hungariam, ibique in aula Regis Ludouici vixit. poſt aliquot annos inde in patriam rediens, deprehendit vxorem fatis conceſſiſſe: hoc infortunium vxoris quibuſdam agnatis mendacio exaggerantibus, filiumque ipſius vnicum etiam obiiſſe afferentibus. At nefarij homines eum vix decennem (vt patrem vitæ militari deditum circumuenirent & emungerent) in Angliam per fraudem & ſcelus, matre iam mortua, clam per vim miſerant. Videns igitur Ioannes Heurnius ſe & cælibem & improlem (nam per dies pauciſſimos in patria ſubſtitit, perpetuò ei adhærentibus vxoris agnatis, vt ne quid de filij ſorte reſciſceret præcauerent, ne videlicet præter ſpem quod iam ſpe deuouerant luctum amitterent) vendit quibuſdam vxoris ſuæ agnatis viliſſima etiam tum præſenti pecunia, cùm iacerent pretia prædiorum, ampliſſimum patrimonium: nam reditum in Hungariam maturabat, vt cum rege contra Turcarum Imperatorem in expeditionem iret. Propriis igitur ſumptibus ſex equites inſtruit ac alit, & cum illis regis Ludouici aulicis ſe iungit. Ludouicus Hungariæ rex iuuenis, nec ſatis cautus, imparibus viribus occurrit Solymano Turcarum acerrimo Imperatori, qui Sauo, Drauo, Danubioque fluuiis pontibus ſtratis caput regni Budam petebat: ibi miſerando caſu rex in paludibus ſuffocatur, vniuerſus exercitus occidione perit, anno Chriſti 1526. Mahumetis 932. Deſideratus & hîc ſimul eſt ſuo cum comitatu Ioannes Heurnius. Ita Solymanus Hungariam præſidio nudatam deprehendens, Budam capit & incendit, vbi tunc etiam ſimul conflagrauit nobiliſſima illa Bibliotheca à Matthia Coruino Hunniadis filio Hungariæ rege ingenti ſumptu & labore conſtructa. Nam per omnes Turcæ ditiones libros in expugnatione Conſtantinopolis & Athenarum ſeruatos coëmi curauerat.

Ottho Heurnius ita nefariè à propriis agnatis in Angliam miſſus, ibi locatur inter Angliæ proceres primati pro honorario puero, cum quo deinde vixit vſque ad annum ætatis 18. viditque tragœdias regis Henrici; & Thomam Morum aliósque capite truncari conſpexit. Tandem occultæ patriæ amoris ſcintillæ ſe exerere cœpere, & ſtimulum patriam repetendi iniecere. Etenim

Non

Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focis.
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.
Cùm bene sint clausæ cauea Pandione natæ,
Nititur in siluas quæque redire suas.

Redit igitur in patriam, inquirit de statu parentum; vtrumque mortuum, & se bonis omnibus destitutum intelligit; idque scelerata agnatorum fraude, qui eius exilium hoc scelere cumulauerant. Quid ageret aulæ assuetus, patrimonio naufragus? fortunam plus quàm ferream tamen coquere cogitur. Id dolentiùs sibi deplorandum tota vita prædicare solitus, quòd liberalem artem nullam didicisset, quodque aulæ delitiis assueuisset, quæ in hoc vlcere tanquam vnguis ipsi existebant. Pecuniæ summulam, ad mille florenos, ex aulicis officiis in Anglia homo extraneus & alienigena multo labore collegerat: Vitam igitur ciuilem Vltraiecti aggreditur; conuersatur cum ciuibus & innotescit. Ducit in vxorem Geertruydam à Velsen, antiqua patricia familia oriundam, ex qua suscepit primogenium filium hunc Ioannem Heurnium. Rei familiaris stabiliendæ causa laxam & amplam vini Rhenani mercaturam aggreditur: id ipse magna copia Vltraiectum ex Germania aduehit, totius ditionis Vltraiectinæ œnopolas vino instruit, & volente euentu honestas sibi diuitias acquirit.

Natus est Ioannes hic Heurnius Vltraiecti ad Rhenum anno 1543. Ianuarij 25. stylo antiquo, qui dies dicatus est memoriæ conuersionis D. Pauli. Incidit autem punctistitium natiuitatis in quadrantem ante sextæ mediam matutinam. Hoc anno inter Carolum Quintum Imperatorem & Galliæ regem Franciscum bellum gliscebat, ac Turcarum Imperator Suleimanus Albam regalem, nobilem Hungariæ vrbem, occupat. Fuit Ioanni Heurnio à teneris vsque vnguiculis placidum ingenium: cunis nunquam fuit agitatus, sed cùm mater ipsum lactasset, lecto imponebat, apposito domestico catello, qui vbi infans euigilasset ex lecto desiliens ad matrem in culina sedentem contendebat, vnde mater infantem expergefactum colligebat. Prima linguarum fundamenta posuit sub G. Macropedio Vltraiectinæ scholæ Rectore, celebri eo tempore viro. In pueritia tardissimi fuit ingenij, adeò vt ante annum ætatis vndecimum ne alphabeta quidem exactè tenuerit, & ante decimumquintum Grammaticam vix perceperit. Postea non desiderio sed rabie quadam studia apprehendit, diebus noctes cumulans.

Cùm iam primas adolescentiæ metas ingrederetur, anno ætatis decimo octauo à patre ducitur Louanium, & apud V. CL. Gemmæ Frisij filium victum redimit. Ibi per biennium Medicinæ, Philosophiæ & Mathesi operam dedit, eósque progressus fecit vt anno 1577. librum de natura & præsagio horrendi Cometæ, qui eo anno orbem terrarum terruit, ediderit. Inde anno ætatis vicesimo primo Parisios profectus, ibi familiariter vsus est celeberrimo viro, Galliarum regis Medico & Professore L. Dureto, qui Medicorum (vt Heurnius dicere solebat) post Galenum fuit primus. hunc per triennium docentem ea diligentia audiuit, nullam vt lectionem negligeret: auditáque fuit ex suggestu Dureti vox, cùm seriùs ipsum interdum accedere conspiceret, Mi adolescens doleo iam quædam dicta esse quorum particeps non es. Magnum Dureti affectus erga Heurnium indicium: à viro enim graui nec verborum prodigo, quem etiam ipse Rex reuerebatur, nunquam ea vox nisi erga Heurnium publicè audita. Cum hoc Praxin Medicam vidit, & plures à calculo sectione liberari, astante Dureto, à peritissimo eius æui lithothomo Laurentio Collodæo, quo maiorem ea in arte neminem fuisse subinde Duretus dicere solebat: nam præter mollissimam in crudelissimo opere encheiresin, ea ipsi erat agilitas pari

cum

cum securitate euentúsque fœlicitate iuncta, vt sæpe iam calculos euulsos ægrotis ostenderet, cùm ipsum in operis præparatione versari censerent. Illustre huius lithotomi Dureti hoc est Elogium in Commentariis ad Aph.t. c.22.lib 2. Coacar. vbi de curatione calculi agit: *Hic silendum mihi est medico, quòd ea curatio ex Dictatoris edicto pertinet ad chirurgum incidendi & euellendi peritum. Qualem ipsi vidimus vtrumque Laurentium Collodæum patrem & filium, qualem etiam speramus fore nepotem Philippum. Deum rogo vt conatus eorum fortunet, ad immortalem sui nominis gloriam, & Reipublicæ vtilitatem.* Eodem tempore ibi audiuit in Philosophia Carpentarium & Petrum Ramum, cui familiarissimus erat: nam cùm regio edicto chartæ & libris aliquid tributi esset impositum, id abolere studiosi per Ramum conati sunt: Ramus assumpto Heurnio & vno aut altero Gallo, studiosorum causam multis verbis apud Principem Condæum egit. In literis audiuit turnebum & Auratum. Ibi dum hæret, Belgarum Legatus ex Hispania Lutetiam venit: ei cùm familiariter innotuisset, petit vt sibi det fidele consilium qua ratione per Hispaniam commodè peregrinari posset. Obmutescit legatus; mox respondet, Quid tibi cum patriæ tuæ hostibus? plus vnicum tuum Vltraiectum amœnitatis & admirationis habet quàm Hispania tota: crede mi iuuenis, & meo periculo miseriísque monitus ne fœlicitatis & libertatis tuæ sis prodigus, Nihil admirandi habet Hispania præter montes superbiæ & miseriarum valles: ô térque quatérque beati qui crediderunt & non viderunt. Adeò insignis Hispaniæ laus omnem cupiditatem Hispanias visendi deleuit.

Parisiis anno ætatis vicesimo quarto in Italiam profectus est, qua petagrata Patauij substitit; vbi tunc eodem tempore eorundem cum ipso studiorum fuere consecranei Petrus Forestus Reipublicæ Delphensis postea celeberrimus medicus, Ioannes Duuius medicus excellentissimus, D. Busenius Principis Mauritij Nassouici postea medicus, & D. Teilingius Alcmarianæ Reipublicæ hodierno die clarissimus medicus. Audiuit hîc Hieronymum Capiuaccium, Hieronymum Mercurialem, B.Paternum; cum quibus etiam praxin Medicam vidit: in Anatomicis præceptorem habuit Aquapendentem; in Botanicis M. Guillandinum botanicorum eo æuo principem. Hîc dum vixit bis à virulentis animalibus vitæ discrimen adiit, semel ab homicidis. primo à serpente Boas, secundo à Phalangio. Nam dum æstiuo tempore sub vesperam in horto ædibus vicino in gramine longissimo recumbit testudinem pulsans, Boa seu Boua serpens è flumine Medoaco, seu Brenta, Patauium interluente, hortúmque alluente, egressus per gramen repens Heurnio insidiabatur. Est ingens hoc serpentis genus, nam in Africa cxx. pedum longitudinis deprehensus à Regulo Consule Romano ad fluuium Bagradam: opúsque fuit totius exercitus vi, & balistis ac tormentis vt necaretur, haud secus quàm si munitissimum oppidum expugnandum fuisset: huius pellis & maxillæ duranere Romæ in delubro vsque ad bellum Numantinum. Sub Claudio Cæsare huiusmodi in Vaticano occisus solidum habuit in aluo infantem. Est hoc serpentis genus Italiæ inquilinum; prosequitur greges armentorum, & lacte reguis vberibus se insinuat,& tam diu sugit donec interimat:inde à boum depopulatione,teste Isidoro, Boas seu Boua nuncupatur. Huius serpentis insidias ex fenestra Heurnij hospita spectans, repente horrendum inclamat:accurrit ille, quærit quid vociferetur: illa animum colligens ei aperit quo in discrimine fuerit, & indubiè ab hoc serpente aut lethali veneno inficiendum fuisse, aut deglutiendum: nam vafrum hoc animal se in humilem formam colligere nouit, & silenti gressu per gramina repere, mox homini imminens in bouinam molem se erigit, hominemque inuadit. Secundum ibi Heurnio vitæ periculum fuit à Phalangio. hoc Cretæ valdè frequens. Italiæ non infrequens insecti est genus, quod illi Sphalangi

 appel

appellant, insectum est paruum scorpione veneno non infetius, araneo simile, sed paulò maius: pedes habet octo, vtrimque quatuor, quorum singuli quatuor constant articulis, vnguésque habent incuruos: anterioribus binis pedibus procedit, posterioribus recedit. Superior corporis pars pilosa est, coloris cinerei, rubentibus duabus maculis anteriori in parte variegata. Venter totus flauet; sed vbi ei pedes nectuntur maculas habet atras. Telas araneorum more texit, muscísque & papilionibus vescitur. Oua ferè sexaginta producit, quæ pectori adhærentia fouet, pullósque exclusos ventri adhærentes gestat donec adolescant. Habebat venenatum hoc animal in obscuro parietis specu in ipsa Musei lectica, latebras. Heurnius cubitum quadam die iturus specum conspicit, candelam immittit vt loci arcana videat: at ilicò furibundum Phalangium fremens prosilit, & eius manui insiluisset, nisi casu quàm consilio res meliùs cessisset: nam præ subito pauore manum repente retrahit, candelámq; proiicit, aduocat domesticos, rem cómemorat; illi accurrunt, & pessimum insectum necant, eiúsq; naturam & vires enarrant.

Processerat Heurnius cum D. Busenio ad vicinas Patauio vrbes perlustrandas: fortè contigit vt ipsis in pago esset pernoctandum. Cubitum ituri ea deprehendunt indicia quæ recentia designarent homicidia. Consternantur, sed tempori se aptare debebant. Candelam igitur extinguunt, ianuam obuallant, mensæ assident, & insomnem noctem agunt. Vix noctis erat concubium, cùm seræ clauis inditur, & ianuæ reseratio tentatur: at id impedimenta obiecta impediebant. Inclamat igitur caupo ianuam aperirent, vxorem suam parturire, ibique esse linteamina quibus indigeat. Respondent illi iure hospitij ea nocte suum esse cubiculum, si quid requirat in auroram vsque exspectet: ringitur ille, & cum seruo vi annixus ianuam in humum prouoluit. Ibi tunc ab vtroque ianuæ latere strictis gladiis se Heurnius & Busenius opponunt homicidis, & neminem nisi ilicò gladio transuerberandum ea nocte cubiculum ingressurum inclamanr. Tam præsenti audacia territus caupo minitabundus abit. Manè vastum in ædibus silentiű: caupo & seruus in latebris erant: tandem vix multum inclamata procedit eius vxor, tristi vultu & querula voce viri sui ebrietatem deplorans, qui totam familiam ea nocte conturbasset. Illi paucis respondent se eiusmodi ebrietatis gnaros esse, artem eam fugandi optimè nouisse, quam vbi cauponem deprehenderent ipsum docerent, simúlque pro hospitio ipsi satisfacerent. Ita vitæ discrimen euasere.

Contigit vt dum ante Academiam Patauij obambularet æstiuo tempore, ei Venetorum ad Turcarum Imperatorem Legatus occurreret: quærit ex Heurnio quis ea hora lecturus; negat Heurnius quemquam lecturum propter ordinarias æstiuales continuas ferias. Longo deinde sermone variis de rebus habito, ita legato placere cæpit, vt secum ad cænam ipsum abduceret, stipendiúmque amplum offerret si secum Constantinopolin ire vellet; medicum suum ipsum futurum, proximúmque à se locum habiturum. Negat Heurnius sua in potestate id esse, se parentes super ea re literis consulturum. Respondet Legatus sibi non esse integrum vt exspectet, nam Senatum Venetum iter vt maturet imperare. Atque ita irrita in Turciam fit peregrinatio.

Patauio Papiam profectus est anno ætatis vicesimo octauo, ibique gradu doctoratus est decoratus. Hîc deinde hærens innotuit Illustrissimo domino Nicolao Renaldo Perenoto Domino à Granuella & Chantonay, Comiti à Cantecroy, qui deinde ipsum per bienniű pro medico honorificè aluit. Cùm autē celeberrimus eius Acad. Professor ei filiam vnicā simul cum Professione & tota hæreditate tradere decreuisset, & iā publicè doceret vt eruditionis specimē daret, Itali plures corriuales in eius perniciē conspirauere: itaq; satis perspecta ac cognita cùm in huiusmodi rebus ipsi fidelis esset Italorum pertinax indoles, clam repente in patriam est reuersus

ea festinatione vt exili tempore totum iter conficeret, nullum sibi locum tutum nisi patriam existimans.

Vltraiectum ex Italia post diuturnam peregrinationem ita reuersus, anno ætatis tricesimo, in ipso ciuilis belli æstu medicinam ibi exercuit, & domesticus fuit medicus Generosissimarum Comitum de Egmont, & Vltraiectinæ prouinciæ eò tempore Gubernatoris Domini De Noortcarmes, cuius etiam fauore paternas ędes immunes seruauit à tyrannide militum Hispanorum, quibus eo tempore singuli ciues suis in ædibus victum dare compellebantur, cum summo rei familiaris dispendio: eorum fastum deuorare cogebantur, ita vt quot in vniuerso Belgio ædes tot & priuatæ tyrannides essent.

Erat hic Dominus de Noortcarmes ab Hispanis quibusdam veneno potionatus, vnde in virulentum tædiosissimum inciderat Icterum. Ipse & causam morbi sui nouerat & immedicabile malum esse sentiebat; vt tamen mali tædium leniretur, iubet totius regionis medicos conuocari. Vbi in domo ipsius conuenissent, imperat vt non omnes simul nec etiam duo vel tres iunctim, sed singuli seorsum conclaue suum ingrederentur, addens se liberum cuiusque velle audire iudicium, nec sub tyrannide contradictionis & disputationis suam salutem exponere, sibi decretum esse: se medicorum ambitionem & inuidiam nouisse, & quàm crebrò bona consilia fastu contradicendi euertantur, vtque ex ambitione & inuidia ipsorum disputationes nascuntur, ita vt plurimum in mera audacia & fastuoso supercilio fundamentum tantum habere, vnde & cum ægrorum salutis dispendio eos tantum quibus cerebrum omne in lingua, & qui adulationis quàm medendi peritiores sunt, aput imperitos semper triumphare, veritatem superbiæ & audaciæ fulmine offuscari: rationes se firmas & solidas morbi sui, cur andique modum audire velle à singulis, & non confusam à toto cœtu promiscuè prolatam de morbi sui indole orationem, qualem olim fingunt Cyclopum fuisse ad Vlyssem: quare se rogare vt boni consulant si singulos de morbo suo seorsim consulat, nam plurium medicorum præsentiam tantùm ad veritatis silentium vtilem esse se arbitrari. Singuli igitur seorsum Gubernatoris conclaue ingrediuntur, priores seniores, iuniores posteriores; vltimus autem omnium Ioannes Heurnius, vt pote omnibus ætate minor. Reliqui multa egregiè de Ictero dixerant, & præclaros curandi modos proposuerant, sed Gubernatori nullus satisfecerat. Vltimum igitur cùm videret ingredi Heurnium, siluit, nec de morbi historia percontanti quicquam respondit, existimans se frustra subinde interrogationibus lassari, cùm nullus omnium causam ipsi etiamnum enarrasset. Mirabatur Heurnius interrogatum ægrum integræ mentis nihil respondere. Ad astantes igitur se conuertit: Vide, inquit, Dominum Gubernatorem defatigatum, ita vt mihi nihil respondere queat, nec vllas ansas dare quibus latentem morbi sui indolem apprehendere possim: vos autem qui iam sæpe ipsum audiuistis ea commemorantem, mihi ad pauca respondete. Cœpit igitur symptomata omnia examinare actionis læsæ, qualitatis mutatæ, & excrementorum, causasque internas & externas omnes explorare, certisque indiciis deprehendit ictero ipsum laborare patriæ nostræ insolenti, sed Italiæ frequenti (nam plures similes ibi casus viderat) nimirùm virulento, à veneno hausto. Hactenus Gubernator siluerat, at ita morbi sui intimam indolem detectam cernens, exclamat mirabundus, vnicum iuuenem sibi satis fecisse, à reliquis nihil nisi defatigationem consequutum. Reliquos igitur medicos omnes dimittit, solum Heurnium sanitatem suam curare iubet: qui tamen in diuturno & tædioso morbo alios interdum medicos aduocari curauit, vt calumniam vitaret. Quærit ex Heurnio Gubernator qua via & ratione morbum fugari posse existimet. respondet Heurnius malum iam radices egisse, nec vlla humanæ opis vi debellari posse. Annuit ad illa Gubernator: nam se id ex mali violentia vitiùmque debilitate facilè colli-

 gere.

gere. Rogat igitur vt cùm medela morbi desperata sit, tædia mali lenire velit. Id se fideliter facturum promisit Heurnius. Lenta autem inextricabilis adamantini morbi carnificina miser ægrotus attritus tandem exspirauit.

Ducit Vltraiecti Ioannes Heurnius in vxorem Christinam Beiers, virginem indigenam, antiqua patricia familia oriundam. Iam rebus Belgij Illustrissimi Principis Auraici aduentu non nihil recreatis & immutatis, eligitur & Ioannes Heurnius eiusdem Principis suffragio in Senatorem, seu Scabinum Reipublicæ Vltraiectinæ: nihil homini Musis & tranquillitati dedito grauius accidere potuit turbulentissimo hoc temporum statu: vix tandem multis precibus magnóque molimine eis officij vacationem impetrauit.

Anno ætatis tricesimo octauo, Christi 1581 euocatur ex Patria sua Vltraiecto, à Nobilissimis Curatoribus Academiæ & Amplissimis Consulibus vrbis Leidensis ad Professionem Medicam. Deserit igitur patriam, venit Leidam anno ætatis 38. Christi 1581. Octobris 31. Nouembris autem die septimo, matutina hora octaua præfatus est in Institutiones Medicinæ quas viua voce publicè dictauit, & postea edidit: has in eadem Academia eius filius Ottho Heurnius iam publicè enarrat. Ioannes Heurnius hunc campum nactus in quem excurrere ipsius virtus cognitióque posset, ad gloriam virtutis via grassatus est pertinacissimo labore ad extremas vsque vitæ metas; nam in literarum epulis ille semper Esurio, Saturio nunquam. Quæ ibi publicè docuerit, hoc opus testatur, id námque totum ibi natum & in lucem prolatum. Quo autem emolumento Academiæ Leidensi inseruierit, testis celebetrima eiusdem Academiæ fama, nam bonam imò potissimam nominis partem ei attulit: testis & discipulorum vberrima seges, quæ ex eius schola, tanquam ex Chironis antro, prodiit nobilissima. Sexies Magnifici Rectoris dignitatem sustinuit ibidem. Docuit & ibi in Collegio Illustrissimorum Ordinum Hollandiæ & Vvestfrisiæ libros quatuor Aristotelis Meteorologicos, & tres de Anima, quos etiam lucidis Commentariis illustrauit.

Intimam hîc coluit amicitiam cum viris æui nostri celeberrimis, Donello, Iunio, & Lipsio, quem sanitati ex diuturno morbo restituit, in quo mirandi quid Cl. Viro contigit. Diu Cl. Lipsius tædiosissimo malo conflictatus fuerat, febriles insultus varios expertus, stomachus totúmque corpus ei flaccidum & marcidum. contigit quodam die vt assumpto pharmaco aluum exoneraret: sentiit autem dum naturæ necessitati pareret, ingentem se copiam aluo effundere, eámque continuam & cohærentem. Intuetur quid rei sit, videt attonitus eiusmodi massam se effudisse quæ formam & characterem intestinorum plenè exprimeret: consternatur, ilicóque Heurnium vocat, de vita sua actum dicens, nam omnia se intestina effudisse. Inspicit alui proluuiem Heurnius, & læto vultu ad Lipsium versus, respice inquit, trophea de tuo morbo, hîc focus & sentina totius iacet mali. Nam erat lenta & viscida pituita, paulatim in tota intestinali fistula coaceruata à sedentaria & in studiis contabescente vita, eius figuram referens; quæ cùm computruisset & vicinis partibus noxam suam communicasset, sentinam malorum in totum corpus propagauerat. Hoc morbi fomite expurgato recreatus est vir clarissimus, & ad pristinam sanitatem rediit.

Anno 1588, vocatus est ab Illustrissimis Ordinibus Frisiæ & Generosissimo Comite Ludouico Nassouio ad munus Professionis medicæ in ipsorum Academia Franekerana sustinendum, oblato stipendio honestissimo: sed tum benignitate Nobilissimorum Accademiæ Leidensis Curatorum, Amplissimorúmque Consulum Leidensium, tum loci amænitate detentus, sortem mutare noluit.

Integra sanitate toto vitæ tempore vsus est ad quinquagesimum sextum vsque ætatis annum: semel tantùm in Italia paucissimis diebus febri conflictatus, quam ilicò larga venæ sectio abstulit. Colico dolore statim affligebatur si calida siccáque

copiosiùs

copiosiùs assumeret; quare sibi à pipere, cæpis, raphano, & id genus eduliis studiosissimè cauebat. Variolis non laborauit: metuens tamen sibi ab externo irritamento, non libenter hoc morbo afflictos adibat. Anno ætatis 56 Christi 1598 Februarij 8. die (quo tempore ingens ille Cetus hæsit in Cattorum littore prope Leidam) cùm celebri conuiuio à Nobilissimis Academiæ Curatoribus, & Amplissimis Consulibus vrbis Leidensis instructo interesset, ibiq; Rhenanum mustum biberet, repentè percepit sibi vrinæ reddendæ facultatem inhibitam: domum igitur rediens ne vrinæ quidem guttam excernere potuit, nisi post longa medicamentorum molimina, tum enematum, tum fomentorum, vrinam postea reddidit, sed non nisi cum cruciatu, & stillatim. Donec paulatinâ hac carnificinâ attritus, anno ætatis 58 Christi 1601. de nocte diei 29. Maij, qui erat Martis, incidit in lethalem febrem, quæ cùm subinde violentiam remitteret, mox & acriùs insurgeret, fomite mali perpetuò superstite, tandem lenta hac dolorum carnificina prorsus emaciatus, placidè & tranquillè in Christo obiit Augusti die vndecimo, qui erat Saturni, manè, paulo ante sextæ mediam, eodem ferè quo natus momento. Ea in crudelissimis doloribus eius fuit constantia, etiam in extrema cùm iam staret vitæ linea, vt perpetuò astantes & amicos placidissimè cum omnium sensuum integritate compellaret. Nam ea Augustini vox altè eius animo insederat, *Nos homines sub tot casibus cottidianis fragiles ambulare, & si casus ipsi repentini non accidant, tamen nos diu viuere non posse.* Nam vt lignum vri natum est, vt arista secari, sic homines mori. Post mortem eius in vesica septem reperti sunt calculi (qui ab eius filio Orthone asseruantur) forma & magnitudine nucis iuglandis maioris, omnes æqualis magnitudinis & ponderis, nam quilibet ponderis duarum est drachmarum, ita vt septem quatuordecim drachmas expleant. Pater Ioannis Heurnij Ottho Heurnius mortalitatem expleuit an. 1583. Augusti 28. mater autem Geertruyda à Velsen anno 1603. Vxor Ioannis Heurnij Christina Beiers breui ipsum sequuta est, pestis enim eam abripuit anno 1604. Septembris 26. die, qui erat Dominicus, vesperi cùm sonaret hora decima, anno ætatis 49. Suscepit ex vxore sua Ioannes Heurnius liberos vndecim, Otthonem, Ioannem primum, Ioannem secundum, Thomam, Lydiam, Iustum, Susannam, Margaritam, Isabellam, Abrahamum & Isaacum geminos. Horum sex etiamnum sunt superstites, quinque interiere: nam Ioannes primus bimulus ex variolis Vltraiecti obiit: Susannam & Margaritam pestis Leidæ abstulit; illam anno 1604. Septembris 26. qui erat Dominicus, de nocte hora secundæ media; anno ætatis 15. hanc eodem anno, eiusdem mensis die 16. qui erat Iouis, à prandio, quadrantem ante secundam, anno ætatis 13. Abrahamus Leidæ à pestis fatali vi octennis expirauit anno 1604. Septembris 28. qui Mercurij, de nocte hora primæ media: ibidem & Isaacus trimestris mortalitatem expleuerat, anno 1597. Ianuarij die 23. manè hora secunda.

I. HEVRNII TVMVLVS

HIC SITVS EST VIR CELEBERR. D.D. IOANNES HEVRNIVS, IN ACADEMIA LEIDENSI PRIMAR. MEDICINÆ PROFESS. PER ANNOS XX. ET IN EADEM VI. RECTOR MAGNIFIC. MAGNÆ PRVDENTIÆ: SVMMÆ IN DOCENDO ET SCRIBENDO VENVSTATIS AC CELEBRITATIS. VITA LAVDAB. TRANSACTA OBIIT XI. AVG. AN. cIↄ. Iↄ. cI. VIXIT AN. LVIII.

INDEX

Contentorum Tomi Primi & Secundi.

COMMENTARIA

IN HIPPOCRATIS

INDEX

INDEX
Librorum & Capitum, huius Tomi Primi.

INSTITVTIONES MEDICINÆ.

SECVNDA MEDICINÆ PARS, *Pathologia.*

ĩ 4 2. De

LIBRI VIII.

De Sympromatis.

ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ.

LIBRI IX. De Vrinis.

LIBRI X.

De Pulsibus & Respiratione.

LIBRI XI.

De Prognosi.

INSTITVTIONVM MEDICINÆ

LIBRI XII.

De Methodo medendi.

Θεραπευτική.

MODVS RATIOQVE STVDENDI

eorum qui Medicinæ operam suam dicarunt.

&

METHODVS AD PRAXIN MEDICAM.

LIBRO PRIMO.

LIBRO SECVNDO

SECVNDA PARS
LIBRI SECVNDI.

LIBRO TERTIO VERA MEDENDI TRADITVR METHODVS.

DE MORBIS QVI IN SINGVLIS partibus humani corporis insidere consueuerunt, Liber.

DE MORBIS OCVLORVM Aurium, Nasi, Dentium & oris, Liber.

DE MORBIS PECTORIS, LIBER.

IOANNIS

IOANNIS HEVRNII INSTITVTIONES MEDICINÆ.

LIBER PRIMVS,

De Elementis.

CAPVT I.

De Medicinæ natalitiis: eius sectis, earumque placitis.

Nominis ratio.

MEDICINÆ nomen à medendo ductum, propriè curatricem partem quæ morbis medetur cōplectitur: Eo quod hæc sola diu viguerit primū, vt quamnis aliæ partes accesserint, nomen tamen ars propterea non mutarit. Quod etiam in Geometria factum videmus, quæ nomen inuenit, quod in Ægypto terrarum limites, Nili annua exundatione confusos, restitueret certa terrarum dimensione: Quæ rudior eo sæculo ars, quamuis auctior elegantissimis à demonstrationibus sensuique abditissimis postea euaserit, id tamen nomen numquam deposuit.

Origo medicinæ.

Initium Medecinæ arti dedit experientia: experientiæ occasionem præbuit quotidiana necessitas. Cum ægri in compita deferri & à prætereuntibus remedia sciscitari inciperent; inde Empirica secta enata fuit, quæ ab vsu artem solo petebat. Non aliter ac fabri ferrum ex certis præceptis cudere discunt, naturam tamen ferri, ac vnde oriatur, non inuestigant. Hi rationem rerum inutilem iudicabant, quod aut idem traderet ratio quod vsus, aut diuersum: si idem, superfluam; si contrarium, falsam esse habendam dicebant, vt quæ à certissima rerum magistra deflectat. Apud Ægyptios enatam aiunt: & ratio accinit, nam præcipua axiomata Medica ab his manarunt: quale est hoc à magno Hippocrate omnium primum monstratum: * Πέπονα φαρμακεύειν ἐ κινέειν, μὴ ἢ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ. Quod enim Ægyptiorum Medici purgantia remedia ineuntibus morbis vitarent, abundè testatur Aristoteles 3. *Politicorum* 11. vbi hæc scribit: Καὶ ἐν Αἰγύπτῳ μετὰ τὴν τετρήμερον κινεῖν ἔξεστι τοῖς ἰατροῖς· ἐὰν δὲ πρότερον, ἐπὶ τῷ αὐτῶν κινδύνῳ. Dicit Ægyptios noluisse quicquam in ægrotis innouari, non nisi peracta quarta die, alioqui medici id suo periculo agebant. Nam hi vsu deprehenderant, ineunte morbo pharmaca esse nocua. Ita creuit Medicina in Ægypto. Quin Hippocratis coætaneus Herodotus refert, in hac gente singulos morbos suos habuisse medicos: ita caput, dentes, oculi suos. Experientia autem primum Diæteticam inuenit, vt testatur Hippocrates *in libro De veteri medicina.* Nam hunc librum citat Erotianus *in Onomastico,* & Galenus *in expositione linguarum,* & Hippocrati ascribunt. Dum homines per ægritudines cibos mutantes iuuarentur, creuit illa. At Herodotus dicit hoc Ægyptios etiam fecisse; qui scribit, hos se singulis mensibus assueuisse per triduum purgare; putantes ex cibis omnem calamitatem morbiferam nasci. Nam aër his extra querelam erat, vt qui, Herodoto teste, nunquam mutetur ibi: nec ex fracta corporis œconomia morbi illis; nam refert hos omnium hominum saluberrima sortiri corpora. Igitur ab Ægyptiis enata fuit medicina, si fides Hippocrati, qui à Diætetica illam primordia sumpsisse prodidit. Acron Agrigentinus Empiricam sectam primus fecit. Hic ante Hippocratem vixit. Hunc secuti sunt Philinus, Philistion, Crito, Serapion, & Menodotus. Etenim ante hanc conditam sectam, Græci qui medendo excellebant, Deorum filij vocabantur. Qui herbariam potius quandam experientiam, quam veram artem medendi calluisse videntur. Talia norat apud Græcos Chiron, & ab eo

1. Aph. 22. * *hoc est, cum efferuescit materia modo huc, modo illuc fertur, excludenda in principio, etiamsi paroxysmo expecto fuerit: alioqui coquenda prius.*

In Euterpe.

Plin. 29. lib. 1 & Diog. Laert. & Plutarchus de Iside & Osiride.

eruditi Heroës. Sic multa legimus de Aristæo Polyido, & Melampode, qui quod Prœtidas elleboro purgasset, Melampodium dictum elleborum fuit.

Empirica secta iam facta, cum homines rerum experientias causis firmare optarent; quod bis ignoratis, effectus fallant, ad earum inuestigationem inclinare cœperunt. Ita paulatim Dogmatica medicina subnasci cœpit, quæ fuit ante Hippocratem apud Cnidios, Rhodios, & Coos. Huic maiestatem atque splendorem primum afflauit Hippocrates, qui vixit sub Datio Longimano Hesteris forte filio, quæ nuperat Assuero, quem Græci Xerxem, Chaldæi Artaxercem appellant. qui Hippocrates, vt inquit Celsus, *vir fuit arte & facundia clarus*. Hæc medicina Hippocratica vsque ad Magni Pompeij tempora Græcia & Latio celeberrima fuit: quousque Asclepiades Prusiensis medicinam facere cœpit. Habuit Dogmatica, quæ & Rationalis, præstantissimos fautores, & inter alios, Praxagoram, Dioclem Carystium Antigoni regis medicum, Erasistratum nepotem Aristotelis, Herophilum, cæterosque plurimos. Etenim Strabo, qui Augusti Cæsaris tempore vixit, scribit, ætate sua inter Laodiceam & Caruram fuisse scholam percelebrem eorum medicorum, qui Herophilum sectabantur: qualis etiam erat tempore patrum suorum Smyrnæ, medicorum Erasistrati sequacium de his meminit *in Arte medica* Galenus. Hæc rationalis medicina tempore Pompeij cœpit languescere, vsque dum sub Antoninis à Galeno pristinæ claritati restituta fuit.

Dogmatica. *Lib. 12.*

Methodica autem, secta omnium postrema enata fuit; ita originem duxit, vt narrat Plinius *libri septimi trigesimo septimo, & vigesimi sexti tertio*. Hanc secutus est Themison Laodicæus Syrus: hic primus Methodicæ sectæ nomen dedit. Huius meminit Iuuenalis, vbi recenset senectutis mala.tot ei inesse ait.

Methodica.

Quot agros Themison Autumno occiderit vno.

Hunc sequuti sunt Soranus Ephesius; cuius scripta, quæ apud nos exstant, Cœlius Aurelianus Latina fecit: Masæus, Antipater, sed ante cæteros Thessalus Trallianus: Agathinus magnus, Archigenes, qui, vt refert Dion Cassius, Imperatori Adriano lethalem sub sinistra mamma locum indicans, in causa fuit, vt ipse se seruo, in extremo hydropis morbo, necandum dederit.

Plin. 19. Lib. 1.

Hæ præcipuæ sectæ floruere. Placita earum ita breuiter accipe. Rationales, naturas rerum rimabantur, morborum causas inuestigabant. signis ad causarum inuentionem vtebantur. Indicationibus ad curationem pergebant. Empirici causarum & naturarum inuestigationem reiiciebant. syndromas seu signorum concursus in dignoscendis morbis obseruabant. medicamentis vtebantur. Fidem habebant experimentis aliorum. In incognitis morbis ad similia remedia & membra transibant, quem ἐπιλογισμὸν appellabant; vt in morbis crurum, brachiorum remedia adhibebant, & deficiente mespilo, cotoneis vel sorbis vtebantur. Methodici, signis contemptis, nec causis multum inspectis, in cunctis morbis duo perpetuo occurrere defendebant, ab ipsis communitates dicta, à quibus remedia possint euocari; laxum, & strictum. Præterea in omnibus morbis ineuntibus inedia vtebantur, quam Diatriton appellabant, quod & Ægyptios fecisse diximus. Demum cyclos quosdam in nutriendo & medendo obseruabant: quorum hos metasyncriticos, quasi euocantes humores, illos resumptiuos appellabant.

Placita sectarum.

Tandem floruere Arabes hac arte, sed sero. Cum enim Græcia & Latium florerent, numquam Arabia ex studiis cognita fuit; quasi gloria Romanorum deterrita, nullis rebus gloria dignis operam nauare auderet. His tandem fractis, hanc gloriam litterariã Arabes his etiam abripere conati sunt. Dum reges eorum Mahomed & Almansor in Marocho bibliothecas & gymnasia extruere cœpissent, propositisque præmiis ad bonas artes suos inflammarent. Hinc felici quodam multorum annorum successu, præclarissimi ibi viri effulsere. Inter hos Isaac ac Serapion omnium fere primi, & Auerrhoës, Auicennas, Razes, Mesue. Anno centesimo supra millesimum Auicennas floruit. Et paulo post studia apud Gallos parum reuiuiscere cœpere, tempore Gratiani, & P. Lombardi. Ita paulatim ad nos peruenere, Occidentalium Imperatorum opera, qui harum regionum Academias erexerunt.

Arabes. *Addit.*

Vt ad rationales itaque redeam, hi & experientiam amplectuntur, & rationem ei iungunt. Propterea venabantur cognitionem corporis humani, & id secabant, elementorum, causarumque quibus mutari corpus possit, necessariam indagationem iudicabant. Hanc nos amplectimur, ex ratione & experientia conflatam. Non enim solam nudamque volumus experientiam; illa enim si rationi non fuerit consociata, periculi plena est, quod multa putantur fieri lege naturæ in corpore humano, quæ fiunt symptomatica, hoc est, vi morbi expressa. Accidit & illud, quod nullus morbus sit idem omnibus, nec vllum est remedij genus quod habet eandem vim in singulis. Nec soli rationi & iudicio standum: nam hoc difficile est distinctione corporum, causarum, signorum, medelarum: ad cognoscendum, præsagiendum, & curandum, & quod similitudines sæpe bonis medicis imponant. Multa sanè solitaria ratio suadet, quæ tandem vsu coarguit. Quare recte Salustius, *Vtrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget.*

CAPVT II.

De Medicina Definitione & Diuisione.

MEDICINA EST ARS, CORPORIS HVMANI VITIA PER ADIECTIONEM ET ABSTRACTIONEM EMENDANDI. Quasi *προσθαίρεσιν* esse dicas. *Definitio.*

ARTEM esse dicimus, quia multa ex artis natura mutuatur; alioqui mixtam esse facultatem dicere possumus ex scientia & arte. Pura enim scientia esse non potest, quoniam non omnia demonstrat sua, sed plurima leuibus signatutis adsequitur, & signis *στοχασμοῖς*. Præterea circa æterna non versatur, sed quæ condita sunt & interitura. Præterea quod principium suum non habeat in reipsa, nempe natura; sed aliquod eius principium in artifice est. Nec pura ars esse potest, quod principium eius solum non consistat in artifice, sed partim quoque in natura. Præterea quod non sit purus habitus cum ratione aliquid faciendi, sed multa quoque contemplatione adsequitur. Artem tamen esse dicimus, quod principium eius aliquod in artifice consistat, quodque finem artis habeat, nempe opus. Sed cum artes aliæ sint factiuæ; aliæ actiuæ: inter factiuas cum Galeno medicinam numeramus: vt quæ opus post actionem, hoc est sanitatem relinquat. Factiuæ artes vel nouum opus conficiunt, vel factum resarciunt: quod nempe iam labefactatum fuerit, medicina resarcire docet. Et quamuis in conseruatrice medicinæ parte nihil agere videatur, id fit ob vitij exiguitatem, quod tamen actionum integritati nondum officit, nam substantiæ vnde constat forte particula exhausta est.

Num ars vel scientia. *Gal. ad Thrasybulum.*

Subiectum medicinæ est humanum corpus. Finis sanitas. *Subiectum.*

Partes medicinæ ducimus partim à materia: partim ab operandi modo, fineque diuerso. A materia principia *Diuisio.*

Diuisio. principia artis ducimus, quæ docent φυσιολογικὴν, παθολογικὴν, σημειωτικήν. A fine diuerso ducuntur hæ partes: ὑγιεινή, quæ corpus docet cõseruare similibus alimẽtis. θεραπευτική, quæ corpus docet mutare diuersis remediis προφυλακτική, quæ partim mutare, partim conseruare corpus humanum docet, & diuiditur in γηροκομικὴν & ἀναληπτικὴν hæ partes ex morbo languentes reficere, vel senum corpora fouere docent. His adde eam partem quæ de remediorum & alimentorum facultatibus tractat.

CAPVT III.

De Elementis.

Altivs explicabimus quæ ad conditionem humanæ pertinent naturæ: etenim neque bonã valetudinem tueri, neque causas morborum intelligere, neque signis quicquam deprehendere, neque morbum profligare poterit is, qui elementa corporis humani, quoque modo à pristino statu recedant, ignorauerit. Diximus medicinæ finem esse sanitatem: ea vero sanitas corporis actiones secundum naturam commodas perficit. At quia corpus constat ex partibus similaribus & dissimilaribus, ideo sanitas alia similarium partium, alia dissimilarium: vtraque ex commoda temperie eorum vnde constructa sunt, sanitatem accipiunt. Sunt autem factæ similares partes ex quatuor humoribus, atque illi ex quatuor elementorum temperamentis ab elementis ergo & eorum temperamentis est incipiendum.

Quid. Est igitur Elementvm, *minima pars eius cuius est elementum. Minima pars*, id est simplicissima, quæ in alias specie diuersas diuidi nequit. nam simplex de forma dicitur, vt minimum de quantitate: non autem *Auerroes 42. De cælo.* datur minima quaotitas. Quod autem simplex, id vel sensui nostro ita videtur; vel ratione est simplex qood ratione vero est simplex, definitur ab Aristotele esse corpus, quod in varia, specie diuersa diuidi nequit. quodque rem cui inest constituit.

Principia. Differunt autem elementa à principiis vniuersitatis: quod elementa ex se vicissim oriantur: principia autem nullo modo.

Hæc autem elementa & multa sunt, & contraria, idqoe demonstratur ex euidenti, & ex ratione. ex euidenti, quod multi morbi diuersis rationibus curentur; id autem fieri non posset, nisi homo ex variis constaret elementis. Ita cum ex immoderata purgatione moriuntur, nullus ex sola bile vel pituita purgata obiit. Præterea ratione ita demonstratur: caro nostra si incidatur, aut ingenti æstu incandescat, acerbus dolor oritur; dolor autem sine mutatione rei sensilis, quæ dolet, fieri nequit. caro igitur si doleat, mutatur: nihil autem mutatur, nisi sit in quod mutari possit. si igitur caro dolet constabit ex multis elementis.

Quot. Sed quot illa erunt? Ex sphærici corporis circulari motu demonstramus quatuor esse, nec pauciora, neque plura: quod enim in circulum mouetur, peripheriam & centrum habeat necesse est; illa autem quæ leuissima sunt in illo corpore sphærico, tendunt ad circumferentiam; quæ grauissima, ad centrum. vt autem illa duo corpora iungerentur, opus fuit, mediis quibusdam vinculis, quibus vnum recta à medio, alterum ad medium ferretur. hinc aqua circa terram locum inuenit, aer ad ignis regionem à natura locatus fuit. Plura autem his elementa esse nequeunt: neque enim motus illis assignari posset, neque locus in natura.

Contraria. Hæc autem contraria esse debuerunt, vt pugna sese mutarent, & sic inde aliquid enasceretur. Nisi enim mutarentur, nihil inde magis quam ex atomis Democriti surgere posset. mutatio autem sine tactu fieri nequit. opus igitur fuit tactilibus qualitatibus. illæ autem sunt: Acumen, Grauitas, Densitas, Calor, Frigus, Humiditas, & Siccitas. Acumen vt secat in partes minimas corpus, grauitasque vt contundit; ita nec ad aliam formam corpus traducere potest: argumento est nix, quæ in minimas secta partes, nix esse non desinet. At Calor & Frigus, rem quam tangunt mutant, aliamque rei formam inducunt. sic & (quamuis lentius) humiditas & siccitas. His ergo qualitatibus præualebunt elementa, vt sese interimere possint, quo aliud aliquid nascatur. Sed hæ qualitates non sunt præcipuæ elementorum formæ, quia sensibus occur- *Formæ.* runt, eosque feriunt. absurdum quoque esset simplici corpori duas tribuere formas, indeque componi corpus vnum. Præterea si caliditas & siccitas, quæ sunt in igne, forent formæ, profecto illæ formæ causa forent quod ignis esset rarus, leuis, magnaque agendi potentia aliis præualeret; itaque & medicamenta quæ calida & sicca essent, leuia esse deberent, leuissima, & citissimæ actionis: quod non ita est. Quare horum propria accidentia Medici inuestigant.

Ignis natura calidus, siccus, rarus, leuis, eo purior *Ignis.* quo cælo Lunæ vicinior, multum formæ, parum materiæ habet. Vtiturque natura igne ad omnium rerum mistionem: cætera enim elementa, materia esse ignis videntur. ignis enim (vti inquit Hippocrates) est omnia mouere, vt aquæ nutrire. Maximo splendore insignis est ignis, verum non lucet, nisi densa materia recipiatur. Regionem ignis reliqua elementa excedere accensi ligni flamma commonstrat. Eius vis est in medicamentis, coquere, attenuare, incidere.

Aër igni proximus, nusquam purus. eius officium est *Aër.* cuncta peruadere atque implere. calidus & humidus: talem vocat cum *Hippoc. in lib.* περὶ ἀρχῶν (qui male *De carnibus*, περὶ σαρκῶν inscribitur) Stoici (vt refert Galenus *De simplicium* vi) aërem frigidum esse dicebant, quod ex materia frigida oriretur. nempe aqua. Peripatetici contra calidum, quod vi caloris nasceretur; cum scilicet aqua vi caloris rarior facta, in aërem abiret. potioremque causam esse efficientis, quam materiæ fatebantur. Præterea Stoici dicebant, Oleum multo aëre irrigatur, at oleum concrescit, igitur aër est frigidus, nam frigoris vis est cuncta congelare. Peripatetici quidem oleum concrescere fatebantur, sed non ad glacialem duritiem, vnde illi aërem calidum asserebant, qui oleum vndique rigat. Galenus aërem frigidum nusquam dicit: attamen libro 5. de vsu partium dicit, Cerebrum magis calidum quam aërem esse. & in libro De respiratione dicit, cor egere refrigerio ipsius aëris: sed frigidum aëra non dicit; etenim cerebrum & cor magis semper calent quam aër æstate media. vnde cum Galenus calidum eum non dicat, nos mentem Galeni hac ratione elicimus; Quicquid eiusmodi est vt nullum extremorum obtineat, id facile ad naturam vtriusque extremi ducitur: talis est aër; nam facile incalescit, facile item refrigeratur: quare medius erit aër inter calorem & frigiditatem, eritque hac qualitate temperatus. Præterea omnis medicorum sententia statuit, illa medicamenta esse temperata, quæ multum aëris in se habent, quale est oleum, quod imbibit omnium herbarum sibi iniectarũ facultates, siue eæ frigidæ fuerint, siue calidæ.

Stoici elementorum mutuam mutationem ad fusionem & densationem referebant.

d Gal. 5. nat. fac. cap. lib. 1.

Aqua. Aqua frigidissima atque humidissima, nusquam pura. eius officium cuncta delineare, nutrire atque fœcundare. inde Thales Milesius, aquam principium rerum dicebat. Ausonius.

Milesius Thales sum; aquam qui principem
Rebus creandis dixit, vt Vates Pindarus.

Galenus eam summe humectare dicit. Peripatetici aërem summe humidum ponunt. Respondeo, recte Galenum dixisse, vt medicum, aquam humectare, quamuis summe humidam hanc non dicat: aqua enim

quia diutius corporibus hæret quam aër, magis humectare eo potest, quamuis aër, vt Peripatetici dicunt, magis humidus sit: quia tamen tam crassam substantiam non habet vt aqua, non potest tantum madorem corporibus præbere. Est igitur aqua vt medicamentum humidissima; aër vt elementum humidissimus. Miri quid in elemento hoc est, nam Spiritus Dei ferebatur super aquas, dicit Moyses. quo innuit, aquam esse insigne elementum, in quo creando ipse Deus cogitauerit. Igni & aqua olim scelesti interdicebantur: & castæ matronæ cum in manum viri venirent, iubebantur aquam & ignem tangere.

D. Basilius in hexaemero.

Terra. Terra frigida est & sicca, nusquam pura, nisi ad centrum, ad quod neque aër neque aqua pertingere possunt. Eius in natura officium, lineamenta aquæ beneficio rebus inscripta retinere: multum materiæ præbere rebus creandis: fœcunda rerum semina gremio suo fouere. Ignis itaque & aër, plurimum formæ obtinent. aër enim terram, aquâ madidam, attollit atque aperit, vt igni aditus pateat, quo cuncta ex his quatuor elementis enasci possint. Hippocrates hæc quatuor elementa vocat, Calidum, Frigidum, Humidum, Siccum.

CAPVT IV.

Quomodo Elementa constituant res mixtas. Et de mixtione.

VT igitur aliquid oriatur, diuersa contrariaque decenti proportione mista in vnum conueniant necesse est, alioqui nulla mixtio fieri posset. Est itaque *Mixtio: Exiguorum corporum motus, ad mutuum contactum, vt fiat vnio.* Talia sunt liquida, tenera, mollia, quæ suum extremum facile cum alio vnum reddunt.

Mixtio quid.

Forma elementorum. Hæc autem elementa formas suas non perdunt in mistione, sed victas sub mutua qualitatum pugna retinent. Cedunt autem illæ elementorum formæ, dignioris formæ præsentiæ, suæq; naturæ vigorem, sub alterius imperio deponunt, id est, vt vulgo dicitur, potentia sunt, non actu, non enim quod in simplici rerum transmutatione contingit, idem in elementorum quoque mixtione euenit; elementa enim in mixtione suas formas retinent potentia, alia autem quæ ex simplici transmutatione oriuntur, formas perdunt. vt in herba nata ex quatuor elementis; hæc elementa retinet: quum autem coctione in sanguinem mutatur, herba veterem formam ponit, nascente noua forma sanguinis; sed tamen elementorum formas non deponit, quamuis diuersa portione elementa misceantur; modo enim plus aëris, modo plus aliorum elementorum inest. Id Hippocrates sentit *libro De natura humana*, vbi scribit: *Cum quid interit, quod tunc calidum, ad calidum reuertitur vnde ortum fuerat: sic frigidum ad frigidum: humidum ad humidum: siccum ad siccum.* putat enim Hippocrates quod quæcunque ad gignendum coierunt, talem vim retinêt in corpore qualem contulerant; propterea moriente homine, cuncta eo redire vnde dimanarunt. Vnde nos colligimus, si eò redeant, oportet vt integras formas retineant.

Hæc tamen elementa, quamuis in exiguas partes discissa fuerint, tamen illæ partes non sese peruadunt, vt sibi inserantur mutuo, (nam ita fieret penetratio dimensionum, essentq; duo corpora in eodem loco, quod est absurdum) verum qualitates minimarum harum partium mistarum sese mutuo peruadunt, atque confunduntur totæ: vt vnicuique peculiaris sibique dicata natura inde enascatur. Ex esculentis igitur caro nostra originem trahit, esculentæ autem res ex quatuor elementis. Corpus ergo nostrum ex quatuor elementis constat. quum ergo obuium habuerimus corpus densum & siccum, multum terræ illi inesse existimabimus.

sic quum lubricum atque humidum corpus, plurimum aquæ inesse putabimus. idemque de cæteris est existimandum, vt sese qualitates eorû nobis obiecerint.

Vt finem faciam, illud addo, dici posse. Qualitates sunt accidentia, quibus non licet sine substantiis existere. Si ergo confundantur qualitates totæ totis, simul erit necesse inseri sibi mutuo confundique substantias ipsorum elementorum. Vbicumcunque enim est qualitas, ibi eius esse debet subiectum. Respondemus: Illud esse negandum: quia illa elementorum in minimas partes distractio, & eorum deinde distractorum vnio, sufficit vt qualitates confundantur, & vniantur sibi mutuo.

Dubium.

INSTITVTIONVM MEDICINÆ LIBER SECVNDVS, De Temperamentis.

CAPVT I.

Quid Temperamentum, & quomodo nascatur in rebus.

DE Elementorum permistione egimus: sequitur vt de Temperamentis agamus, quæ soboles quædam sunt permistorum elementorum. Vt igitur temperamentum nascatur cuique rei, non elementorum moles, aut ponderis magnitudo inspicienda est, sed vt viribus ipsa elementa concurrant. Vberior alioqui in nobis est terræ moles quam aliorum elementorum: quare horum vis & efficacia metiri debet. vt, nimirum, tantum elementorum conueniat, quantum qualitatum mediocritati cuique rei effingendæ commodum fuerit. Maximè autem vires elementorum præ se ferunt qualitates, calida, frigida, humida, sicca. quæ quidem non in eadem mole concurrunt, verum moderatione quadam sese sibi iungunt; vt modo calor exuperet, modo frigus, modo humiditas, modo siccitas. Verum certos limites pro cuiusque rei temperie constituenda, hæ qualitates habere debent; vltra citraque, quorum limitum ambitum mistio non fit, vt quæque res suum temperamentum sortiatur. Quum autem hos limites non deserit mistio elementorum, *fit temperamentum: quod est, forma cuiusque partis, resultans ex idonea & accommodata quatuor elementorum proportione, in qualitate, quantitate, mistione, & viribus.*

Proportio elementorum ad temperam. creandam.

Temperamentum quid.

Diximus esse *formam cuiusque partis*: nam temperamentum, vt ait Galenus, propriam cuiusque partis substantiam continet. dat carni quod caro sit, & neruo quod neruus sit. nam cuique rei id quod est præbet.

1. De vsu part.

Diximus, *resultans ex idonea & accommodata quatuor elementorum proportione*: nam pro diuersa ratione dominantis elementi in prima partium conformatione, diuersa quoque est ipsarum partium substantia. exempli causa, In cordis conformatione prima, igneum elementum maxime dominabatur, vnde & calidissimum euasit. Sed dicet quis: Cur ergo nô potius dicemus, temperamentum igneum, aëreum, aqueum, terreum? Cur Galenus potius dixit *secundo De temperamentis, capite vltimo & penultimo*, temperiem biliosam, vel melancholicam; vt & *in tertio libro Prognosticon*, *aphorismo decimo sexto*? Respondeo, Galenum rectè dixisse, scilicet temperamento nomen præbens ab humoribus congenerantibus, non primatio, sed secundario. nam primario rectè dicetur ab iis, quibus mixtio competit, id est ab elementis teste Aristotele. Sed rectè Galenus medicorum more, vt quæque sensibus proxima sunt, maluit inspicere, & ab humoribus temperamenta nominauit; quia vt elementa se habent ad omnia mixta,

ita

ita humores se habent ad animantia sanguine prædita. Verum multi hic falluntur, Galeni sententiam non adsequentes. qui putant eum hunc melancholicum dicere, in quo sanguis melancholicus abundat; biliosum, in quo bilis. Senteutia Galeni est, quod pro diuersa ratione dominantis humoris in prima partium conformatione, diuersa sit ipsarum partium substantia. vt iuuenem biliosum vocat temperamento, à bile congenerante. Temperamentum enim omne emanat ab humoribus congenerantibus. Congenerantes voco, qui sunt in semine, ex quibus omnium solidarum partium substantia est. Genitos autem voco humores, qui sunt in massa sanguinis. igitur temperamentum non consistit in humoribus sed in solidis partibus, quæ, pro diuersa ratione humorum congenerantium in semine repertorum, tales vel tales euasere. Fatemur ergo, recte cum Galeno dici, temperamentum biliosum, non à bile genita, sed generante, id est temperamento quod refert dominatum bilis. quæ bilis ad generationem huius conspirat corporis; recte inde biliosum temperamentum dicitur. Hyparxis igitur temperamenti, consistit in partium solidarum, & humorum congenerantium, id est, eorum qui sunt in semine, ratione: non autem genitorum humorum, qui sunt in massa sanguinis. Nihilque repugnat, hominem temperamento frigido, ex vsu largiore vini, multam bilis copiam coaceruare: huiusmodi enim bilis, est humor postgenitus, non humor ille generans, à quo temperamenti ratio desumitur. sic mulieres frigidæ, magnam bilis coaceruant copiam, ob corporis densitatem, negato fuliginibus exitu, vnde incandescunt, ac bilem generant: sic Paulus Rhetor, vt scribit Galenus, qui corporis habitu pituitosus erat, & temperamento omnino frigido, eiiciebat magnam bilis copiam; vocatque eum Galenus πικρόχολοντα ἄνω, quod supra bilem deiiceret. Igitur ab illorum humorum vbertate & dominatu, non licet temperamento nomen imponere; sed tales succos vbertate quadam luxuriare in tali homine dicemus. Recte igitur Galenus melancholicum & biliosum dixit temperamentum, vt hi humores, secundarij ad temperamenti rationem confluunt; primario autem elementis debetur omnis mistionis ratio.

Hyparxis temperamenti in quibus.

2. Acut.

1. De Temper. cap. vlt. & penult.

CAPVT II.

De Temperamentorum differentiis, quot qualesque sint.

QVVM igitur ex varia elementorum mistione rei cuiusque peculiaris natura nascatur, clarum est, non esse borum elementorum parem in quibusq; temperaturis portionem. Quum igitur paria elementa æqualibus ponderibus, mole, atque magnitudine concurrunt, enascitur temperamentum quod ad pondus εὔκρατον dicitur, cogitatione magis quam reuera existens, vt medici regulam habeant, instar statuæ Polycleti, ad quam omnem temperiem exigerent.

Eucraton duplex: simpliciter, & in singulis generibus.

Aliud autem εὔκρατον est in singulis generibus, in quibus, est ea moderatio & mediocritas elementorum, quæ animalis naturæ maxime conuenit, quæ secundum generis sui amœnam æquabilitatem, omnibus muniis defungitur in corpore. vt in equo, vt velox sit; in leone, vt immanis, crudelis: in ficu arbore, optima illa est, optimeque temperata, quæ plurimos ficus profert; vt scilicet cuique adsit ea mediocritas, quæ maximę naturę eius conueniat. Hancq; temperiem ad iustitiam vocamus; quæ non pondere aut mole explorat elementorum vim, sed quantum cuique rei ad peculiarem sui naturam conuenit. id enim est iustitiæ: sua cuique tribuere. Est igitur tēperamenti æqualitas in omnibus animantibus, stirpibusque, non quæ spectatur ex paribus elementorum viribus, sed quæ tum animantis, tum stirpis naturæ maxime conuenit. conuenit autem, vt modo humidum vincat siccum, modo frigus calorem. neque enim simile temperamentum habere debet, homo, leo, canis, apis, formica. Quare, vt breuiter transigamus, si verum fateri volumus, ex temperamento ad iustitiam cuique parti accommodato, consistet illud temperamentum ad pondus. Frustra igitur illud Medici inquirunt in vnaquaque parte, nisi in ipsa cute manus. nā si os esset tēperatum ad pōdus, non esset siccū.

Temperies ad iustitiam.

Vnde Temperamenta nomen gerant.

Quando autem ab ea mediocritate recedit, intemperatum dicitur, & ab eo quod maxime superat nomen accipit. vt calidum, quum calor frigori præcellit. sic de frigore, humore, siccitate. itaque talia corpora, non vocamus absoluta ratione calida, frigida, humida, sicca; sed per excessum. Sic calidum animal vocamus, in quo calor vberior est quam frigus. Quod autem ita calidum, frigidum, humidum, siccum dicitur, bifariam ita vocatur. primo modo, nulli quam sibi comparatum suæque naturæ: sic canis suæ naturæ collatus, siccus dicitur. altero autem modo, quum alicui comparatur: vt canis homini comparatus siccus est, cani humidus. Ita vna res calida & frigida vno tempore dici potest. In vnoquoque igitur generè, vbi quid à mediocritate recessit, ab eo quod vincit nomen accipit, ac intemperatum dicitur. In eo autem dispari concentu, necesse est vt vna qualitas excellat, vel duæ: tribus excellere non licet. Singulorum autem exuberatione, quatuor simplicia nascuntur temperamenta, calidum, frigidum, humidum, siccum. Calidum in quo calor cæteras qualitates vincit frigidum in quo frigus cæteras antecellit. Ita tamen intelligendo, vt quæ in opposita sunt cōtrarietate qualitates, mediocriter sese habeant. Hinc & composita temperamēta sūt quatuor, ex simplicium exuberantia nata.

Nouem itaque sunt temperamentorum genera: εὔκρατον vnum; quatuor simplicia; totidemque composita. Hæc autem temperamenta late fusa sunt. non enim quæ calida sunt, eodem feruoris æstu incalescere videntur, sed suam habent ambitus latitudinem. In compositis autem temperamentis, nempe calido & humido, calido & sicco, frigido & humido, frigido & sicco aut par est vincentium qualitatum robur, aut non eodem filo sese temperant. Quocunque modo sit, ab vtroque nomen gerunt excessu, sic vocamus calidum, siccum, seu siccitas seu calor vicerit. Vnde concludimus, innumerabiles esse temperamentorum varietates, vt scilicet maiore vel minore proportione conueniunt qualitates: indeque consurgunt proprietates infinitæ corporum.

CAPVT III.

De temperamenti cuiusque notis, & indicibus.

Gal. 1. Tem. 1.

Εὔκρατον autem temperamentum, optime resistit turbulento incursui omnium causarum externarum. operationes enim habet perfectissimas: deinde illa temperamenta quæ illi finitima & confinia. Quæ autem autem ab eucrato longius recesserunt, facilius labuntur & expugnantur. At vnde singula temperamenta agnoscemus? Respondendum cum Galeno, ex εὐκράτους naturis in singulis generibus: quibus si reliqua committes, quid vberius singulis insit, facile percipies; idque ages cum hoc corpus de quo iudicium facies, recte sese habeat in calore qui extrinsecus inuadit: sic & in frigore, humiditate, & siccitate. Sed quis erit iudex discernendi temperamenti? nam portiones elementorum exquisite mistæ, omnem iudicij tenuitatem subterfugere videntur. Respondeo: vt olfactui fidem habemus de odoribus, & de coloribus visui; ita profecto de tactilibus qualitatibus tactui, tanquam fido exploratori, fides non est deroganda, præsertim temperamenti hominis. Si quis sēsibus stare nolit, sed cuncta demonstrati

1 Tem. 16.

Index temperamentorum

ratione velit, exspectet, quod Plato vouet in Ciuili, dum res ipsæ loquantur, suamque indolem nobis dicant: vel cum Anaxagora, qui, vt refert Aristoteles, niuem albam negabat, ad Pyrrhoniorum dubia se vertat, quibus nihil ratum est. Explorationem itaque temperiei humanæ tactui committimus. Hic ignem calidum, niuem frigidam dicet; ex his perfusa, mediocria pronunciabit: terram aquæ perfusam, nec molle nec durum fatebitur. Maximeque fides erit illi cuti, quæ est in aciuis digitorum, ea tamen cautione, ne vel callo ex laboribus obducta sit, vel frigore horreat. est enim ea cutis, caro neruosa, vel potius neruus carnosus: nó enim simpliciter caro est, quia exacte sentit; neque purus neruus est, quia sanguinem profundit; componitur autem ex mistione carnis & nerui. Igitur recte cum Galeno tactum iudicem ponimus calidi & frigidi corporis: humidi autem & sicci, coniunctam cum tactu rationem; quippe omne siccum durum est; at non protinus, omne quod durum, siccum est, vt in glacie venit. Igitur de his non pronunciandum priusquã exploraueris, quomodo in calore & frigore sese habeant. neque enim quod molle sensui nostro occurrit, id protinus humidum erit, vt metalla ab ingenti æstu colliquata, humida tactu videntur. Oportet ergo priusquam tactus de humido & sicco pronuntiat, vt ratio accedat, quæ iudicet quomodo illa sese habeant in calore & frigore. Recteque id humidum esse, quod cum moderato calore sensibus nostris occurrit; idque demum siccum esse, quod non cum acerbo frigoris rigore tactui nostro occurrit. Inde recte dicimus, quum duram partem in corpore humano inuenimus, eam non esse humidam; etenim tanta vis frigoris in humano corpore esse nequit, vt inde durities proficiscatur. Et quãvis adeps, à frigore, quum fluide è venis dimanauit in partem membranosam frigidam concrescat, tamen in duritiem omnino non abit.

Cutis — *2. Tem. 8.* — *Dura cum summo frigore non omnia sicca.* — *Mollia cum ingenti calore non omnia humida.*

Quæcunque ergo sunt partes cute duriores, his rationibus explotatæ, in his omnibus siccum præualet humido; quæ autem molliores, in his humiditas vincit. calidiores autem partes sunt, quanto magis sanguine abundant, exanguia cuncta frigida sunt. Calidorum series hæc est. spiritus omnium quæ in corpore sunt calidissimus est, fluens scilicet ille, non fixus: hinc Cor: deinde Iecur (vt ait Galenus *primo de Temperamentis*) dein sanguis; caro simplex, vtpote ex sanguine genita: hinc lien: hinc renes: dein cutis, quæ temperata est. Sed dices, Caro liquatur à febris ardore; igitur à frigore concreuit. Respondeo, Liquitur adiposa humiditas, non caro, quæ nec assando consumitur. Dein frigida, quæ tanto frigidiora, quanto minus sanguinis aut carnis habent pituita carnium frigidissima est: dein os: cartilago: χονδρώδης σύνδεσμος, id est, vinculum cartilaginosum: postea ligamentum: proximus est tendo: his minus frigeí membrana: tunicæ arteriarum, venarum: hinc nerui duriores, tum molliores: spinæ medulla: cerebrum: adeps vt dicunt omnes Antiqui, referente Galeno, hinc cutis temperata. Siccissimus pilus: hinc os: cartilago: χονδρώδης σύνδεσμος: tédo: arteriæ: venæ: neruus motui dicatus: postea cutis temperata. Humida, pituita: sanguis: pulmo (vt scribit Galenus *secundo de Temperamentis*.) hinc viscerum substantia, quam παρέγχυμα appellabat Erasistratus, iecur, lien, renes, cor; tanto humidiores cute, quanto molliores. Cor renibus ac liene tanto siccius, quanto durius. hinc sequitur caro. demum cutis iterum.

Partium temperies. — *Calida partes.* — *Frigida partes.* — *Galen. 1. Temp. 19.* — *Sicca partes.* — *Humida, &c.*

Sed dicet aliquis: Omnes corporis partes internæ calent, igitur tactus non æquus harum æstimator. Respondeo, nos ponere tactum iudicem, cum ratione: quãuis igitur illæ partes calidæ sentiantur, tamen calorem non habent ex sua temperie, sed aliunde. Est enim duplex in partibus calor, vnus insitus & ingenitus partibus similaribus à prima conformatione, quẽ ἔμφυτον vocant. alter autem perenni fluxione è partibus principibus dimanat in singulas corporis partes; quem ἐπίκτητον & prioris perfectionem appellare possumus. Nam calor partibus insitus, non præbet vitam nisi potentia, plantarum fere more; sed ad energiam ducitur ab influente calore, vnde singulæ partes viuunt actu. Tactus ergo cum ratione iudex esto. Quod autem talis influens spiritus insit, hac ratione conuincitur: Quando traducuntur humores aliunde ad aliam partem, liuorem trahit & emoritur indicium, quod aliunde influit calor, qui tunc aditu arcetur ab illa parte. idem experimur in laqueo interceptis partibus. ergo calor ille aliunde influit. cuius appulsu vita inest. quoque discedente labitur vita.

Duplex calor

CAPUT IV.

Cuiusque hominis Temperies vnde deprehendatur: & vnde principum partium, & totius habitus: & de iis, quæ habitum sequuntur.

ITAQVE vt cuiusque hominis temperamentum exploremus; enumeranda erit partium principum temperies; & totius habitus; & ea quæ habitum comitantur: nam ex his intelligemus quo temperamento homo sit præditus. Comitatur itaque temperamentum gracilitas atque crassities. Sed videndum num ea adnentitia sit, vel à natura, hoc modo: Qui calidi natura sunt, his venæ sunt amplæ. nam calor is (vt de elementis diximus) omnia mouet atque extendere. Qui autem frigidi sunt natura, tenues venas sortiuntur. Quod si igitur quis pinguis & crassus fuerit, & latas habeat venas, hic consuetudine talis est, non natura. sic si quis angustis venis tenuis fuerit, ex natura eam tenuitatem non gerit. Harum rerum hæc ratio est: quicquid in calido sanguine pingue est, id alimentum fit calido, vnde & absumitur: in frigidioribus autem seruatur, donec elapsum extra venas ad frigidas mambranas in adipem cogatur. Hac ratione & quæ in latibulis viuunt animalia obesa sunt: vt & fœmina viris sunt obesiores, quia frigidiores. At natura qui temperati sunt, si mediocri exercitio vtantur, hos eusarcos fieri necesse est. Qui autem temperati à negotio ad otium sese conferunt, hi carnosi euadunt atque corpulenti: etenim natura nunquam est otiosa, & coctio naturæ munus est & agglutinatio, vt iis id quod iam habet conseruet. Quibus vtique humidum abundat, & calor non longe abest à mediocritate, hi vasta mole carnis gaudent. Si autem calor longe abeat ad frigiditatem, adipis magna luxuriat copia. Igitur vt mediocritas carnis, temperatæ naturæ est nota; ita plenior caro argumento est, quod humidum plus iusto inest: etenim ex sanguinis copia nascitur caro. In quibus vero plus adipis inest, in his frigiditas dominatum obtinet, plusque frigidi quam humidi habent; quare religiose in iis secanda vena erit. Quantum denique sanguinis in carnoso illo habitu atque pleno adesse liceat, id mensura & mole adsequi non licet, ratione licet: quippe vbi nullum morbosum symptoma, crassatum corpus fatigat sanguinis copia, intra sanitatis limites est. Etenim latitudo sanitatis tanta est, quamtum intereft inter id quod pulchre suis muneribus fungitur, & id quod oblæsam actionem obtinet.

Comitantia Temperamentum. — *Galenus 2. Tem. 9.* — *2. Tem. 9.*

Quum igitur quæque pars ingenitum sibi temperamentum habeat, ex his partibus recte dimensis, seorsumque æstimatis; & tandem in commune relatis, qua temperie homo sit explorare possumus, non ex vna parte sola Quia autem εὐκρασία temperies regula aliorum est, eius sic inibimus cognitionem. Homo temperatus animaduertitur, quod decenter sese habeant partes eius similares, & instrumentariæ, & illa quæ has comitantur. Partes similares tactu & visu indicantur.

Totius temperies vnde æstimanda.

Tactu, in hoc homine nec calidæ, nec frigidæ, nec humidæ, nec siccæ erunt, sed quadam mediocritate manum tangentis demulcebunt, non molles, non duræ. Visus autem quod amœno quodam colore eoque viuido perfusus erit, non glaber, non hirsutus. Pili in infantia flaui, cum iuuenis fuerit, nigricantes ac mediocriter crispi erunt, non graciles, non crassus. Instrumentariæ autem partes recte se habebunt in numero, magnitudine, situ, & figura: vt inde pulcritudo quædam totius corporis concinna nascatur. Denique cognoscetur ab iis quæ comitantur has partes, nempe à facultatibus naturalibus, vitalibus & animalibus. Ab actionibus naturalibus; nam edit bibitque moderate, coquit bene assumpta, & feliciter excrementa excludit. Animalibus ab actionibus, artuum motibus sensuque cæteros antecellit. nec somnolentus, nec peruigil, prudens, humanus, & candidus. A vitalibus, nec temere audax, nec ignaue timidus; non cunctator, non præceps. Talis est homo temperatus, & cuncta temperamenta cum eo collata diiudicantur. Nam crassum corpus, ad hoc relatum, dicitur crassum, pingue, durum, glabrum. hoc Polycleti statua. Quæque autem temperamenta tanto insalubriora erunt, quanto magis ab hoc omine εὐκράτῳ discesserint.

1. Tem. 1. Art. med. 51.

A Comitantibus.

CAPVT V.

De partium principum Temperamentis: & primum de cerebri temperie, & quibus notis quaque se prodat.

HOMINIS temperiem maxime æstimabimus partibus principibus, vnde magna pars reliquarum originem trahit ac gubernatur. Quare ex his partibus recte perpensis & seorsim æstimatis, posteaque in commune collatis, hominis temperamentum, vt quod ex his constat, deprehendemus. Dent itaque nasutiores hoc mihi, vt paululum σημειωτικὴν confundam physiologicis: quo vsus eluceat horum minus exercitatis. Primum igitur de cerebri agemus temperie. natu omne genus neruorum & spinalis medulla inde originem trahit. Temperati cerebri hæ sunt notæ. excrementa quæ per aures, oculos, nares dimanant, naturalia sunt. Pili per infantiam subruffi, in adolescentia flaui, in iuuentute ad nigredinem vergunt, inter læues & exquisite crispos medij; vix caluitium sequitur. Mediocritas capitis est in magnitudine & figura, non facile ab externo incursu qualitatum læditur. Calidi autem cerebri hæc sunt iudicia. opinionum inconstantia: ingenij, sensuum, motuumque celeritas. Somni breues & leues, parum alti. totum caput calidius rubicundiusque. oculorum venæ manifestæ. excrementa per aures, oculos, nares, palatum pauca, & cocta, quum moderate cibis indulgent; plura autem & incocta, quum liberius rerum calidarum & humidarum vsu se inuitarunt. odoreque aromatum læduntur, vt ex aëre calido: caput enim eorum tunc maxime succis madet, cum susq; deq; diæta vtuntur. capilli autem primo ortu statim nascuntur. Si cerebrum valde caleat, statim nigri, sin minus, flaui, qui deinde nigri euadunt. calidarum vsu rerum læditur; frigidis autem rebus externis & internis iuuatur. Sed dicet quis, Mirum id videtur, si similia similibus gaudeant, & contraria contrariis. Respondendum, quod intemperatæ naturæ, modico contrariorum gaudeant vsu. recte autem id dicitur, quæ secundum naturam se habent, similia postulare. at facile pars, à similibus suæ intemperaturæ læditur. hinc gaudet contrariorum vsu. Frigidum autem cerebrum his notis sese prodit. Inconstantia opinionum, adestque sensuum, motuum, & intellectus tarditas. Somni longi, profundi. caput nec tactu feruens, nec colore rubens, sed pallore suffusum. Pili diu à natiuitate oriuntur tenues, exigui incrementi, plani, ruffi, & stabiles: hoc est, qui caluitiem non trahunt, sed canitiem. Venæ in capite obscuræ latent. A frigidis rebus offenditur, à modice calidis iuuatur; nam valde calida liquant humores in cerebro contentos, inde cerebrum fatigatur catarrhis. Sicci autem cerebri hæc sunt signa firma & stabilis huius est essentia, vnde difficile discunt. memoria fida, sensuum integritas, motuum promptitudo, vigiliæ frequentes. vnde & in eis gracile caput & siccum apparet. capitis excrementa exigua. capilli celerrime à natiuitate luxuriant, robusti, crispi. caluities cito succedit. a siccis læduntur, humidis iuuantur. Humidum cerebrum fluidum est. hinc facile discunt, at infida memoria. sensus turbulenti, quasi sopiti. motus tardi. somnus multus ac profundus. caput humidum ac obesum apparet, excrementa prodeunt vberrima à capite. capilli læues, planique. canities, non caluitiũ sequitur. iuuantur siccis, læduntur humidis.

Cerebri temperati nota. Art. med. 13.

Calidi cerebri.

Dubium.

Frigidi cerebri.

Sicci cerebri.

Humidi cerebri.

Calidum & siccum cerebrum his signis animaduertitur. sensus sunt exquisiti. vigiliæ plurimæ. talis cerebri videtur fuisse Mæcenas, qui quum perpetua febre laboraret, vt scribit Plinius, ei triennio nullo horæ momento contigit somnus. Adest præterea capitis calor. facies ad ætatis vigorem rubicundior. excrementa ex auribus, oculis, naribus, palato nulla. Pili primo ortu nascuntur crispi & nigri. Sed dices, Si nigredo nascatur ex fuliginum adustione, quo modo Italæ mulieres lotas aqua forti comas, vel suffitas nidore sulphureo, Soli exponunt quo candescant? Si itaque Sol in alborem foris abducit pilum, cur & calor intus non dealbat fuliginem? Respondeo. Non agit internus calor in separatam fuliginem, sed permixtam madori. Sed Sol excludit à pilo fuligines & aër intrat. Calidum & humidum cerebrum his notis agnoscitur. color & calor faciei bonus erit. oculi sunt calidiores, cum venis in ipsis oculis amplis. excrementa copiosa, mediocriter cocta. capilli plani, subflaui. caluitiem non sentiunt. à calidis grauantur. Si accedat vsus humectantium, vberrimam excrementorum copiam mox profundunt. Si autem cerebrum longe calidius atque humidius fuerit, visus erit turbulentus; quasi mente perculsi oculos circumrotant vagos. sensus cuncti parum accurati. somnus vigiliis interceptus, plenus imaginum: nam, vt dicit Galenus, ἅμα τε κωματώδεις εἰσὶ καὶ ἄγρυπνοι. male id vertunt interpretes, Graui somno tentantur, & vigilant: id non est possibile, sed inclinationem habent ad somnum, & vigilant. His quoque adest excrementorum copia. Bellum huic temperamento indixit rerum calidarum & humidarum vsus, & Auster; nam, vt scribit Hippocrates, Auster caput grauat, frigida autem & sicca amica sunt, vt Aquilo, qui, vt scribit Hippocrates, corpora solida facit, & ad motum expedita, & boni coloris. tale autem cerebrum multis morbis est obnoxium. Si vero cerebrũ longe calidius fuerit, parcius autem humidum, insignia erunt caloris signa, quibus se iungent obscuræ quædam humiditatis notæ. Sin autem humiditas vberior fuerit, manifestæ erunt notæ humiditatis, parcius calor sui indicium dabit. Hac ratione omnes compositæ intemperaturæ examinandæ veniunt. Cerebri autem sicci & frigidi hæ notæ erunt. sensus in iuuentute accurati, qui postea marcescunt: accurati autem sunt propter calorem natiuum qui tunc emicat: eadem ratione qua fugatur Epilepsia ætatis mutatione, vt scribit Hippocrates. quæ circa caput celerius senescunt. vnde Cato Censorius apud Plinium dicebat, iuuenilem senectam maturæ mortis indiciũ esse. frigidum sentitur caput, & decolor apparat. oculorum venæ delitescunt. excrementa inconstanter vacuantur; modo enim leuissima habent capita: modo minima de causa fatigantur catarrhis. capilli in lucem editis vix enascuntur, ruffi. progressu ætatis si siccitas

Calidi & sicci cerebri.

7. Lib. 51.

Dubium.

Calidi & humidi cerebri.

Art. med. 19

1. Aph. 17.

Frigidi & sicci cerebri.

2. Aph. 45. & 5. aph. 7. Lib. 7. cap. 51.

frigiditatem vicerit, caluescunt; si frigiditas, canescunt. læduntur ab incursu rerum frigidarum. Frigidum & humidum cerebrum his notis exploratur. Sensus sunt obtusi & tardi, somnus altus, capillorum canities, non caluitium catarrhis obnoxium est.

CAPVT VI.

De Pulmonum temperie, Oculorum, Cordis, Iecoris, Genitalium, Ventriculi, & habitus corporis.

PVLMONIS temperies ita animaduertitur. siccus si sit, excrementis vacat, vocem claram efficit. si humidus fuerit, vocem edit raucam & obscuram: & qui humidos habent pulmones, quum vehementius loquuntur, aut acutius, impeditur expectoratio.

Oculi temperati

Iam ad Cor veniendum esset, ni cælestis illa oculorum vis nos sisteret; quare horum temperiem dicamus Oculos temperatos denotat: elegans concinnaque magnitudo, vel paruitas; vtraque cum visu accurato: etenim paruitas à pauca materia, magnitudo à multa materia profecta fuit. quia autem concinna adest figura, à virtute formatrice robusta ac vegeta formatos esse denotat, quemadmodum magnitudo vel paruitas cum hebeti visu, multam materiam vel paucam à formatrice male temperatam testatur. At qui calidiores sunt oculi, in his calor manifeste apparet. item motus facilis, & creber, oculi vagi, venæ laxæ.

Oculi calidi.

Frigidiores vtique omnia contraria obtinent. Sicciores duri apparent & sicci, excrementorum paucitas adest & crassities. Humidi apparent molles cum multo madore, & tenuis humoris copia. Sed quidnam cæsios oculos, quos Græci γλαυκοὺς appellant, efficit?

Glauci vnde oculi.

Respondet Galenus, humoris crystallini amplitudo, splendor exquisitus, & situs eminentior: præterea paucitas puritasq; humoris aquei qui ad pupillam situs est.

Nigri oculi vnde.

Et quid oculos reddit nigros? Respondeo, his contraria, nempe crystallini humoris paucitas, splendor eius non æque fulgens; situs profunditas, copiaque vel impuritas humoris aquosi. Si ergo omnes priores causæ adfuerint maxime cæsius redditur: si posteriores, nigerrimus erit color: si quædam adsint, quædam desint, maior & minor fiet glaucedo, & nigri oculi pro illarum numero & viribus. Sic medij oculi mediis causis id acceptum referunt.

Corporis totius temperamentum, cordis atque iecoris naturam sequitur. etenim alimentum musculi atque partes extremæ à iecore habent; è corde spiritum & calorem sumunt. vnde & harum partium naturam redolent. Dico, Corporis totius temperamentum cordis atque iecoris naturam fere imitatur: etenim substantia musculorum à iecore alimentum, à corde spiritum caloremque sumit. Cum igitur ex his quodammodo constent, eorum conditionem & naturam omnino redolebunt. Sentiendi etiam & mouendi vis, nequit sine cordis œconomia integra perdurare: & totum corporis theatrum peruadit & vegetat cor. Quare eius temperiem peruestigamus.

Cordis temperatura. Cordis calidi.

Cordis igitur calidioris alia signa sunt quæ perpetuo eueniunt; alia quæ non semper, sed magna ex parte adsunt. Propria quæ semper eueniunt sunt, pulsus frequens atque velox; respiratio magna; animus amplus & excelsus, præsens, & acer. Et si calor multum exuperet, præceps tunc iracundia adest & temeritas; natura ad actiones prōpta; thorax hispidus, necnon partes hypochondriis vicinæ; thorax latus, cum paruo capite. Nam

Minus propria signa quæ magna ex parte eueniunt.

thoracis amplitudo quandoque sequitur calorem cordis, quandoque magnitudinem cerebri, quamuis non adsit cordis calor; nam cerebri magnitudinem sequitur cranij amplitudo, cranium, sequuntur vertebræ, has imitantur amplitudine costæ. Si ergo cum capite paruo vel mediocri iungitur thoracis amplitudo, indicio erit, cor calere. At si thorax capiti respondet, vt scilicet amplior thorax se iungat cum magno capite, tunc inde temperiem cordis non licet colligere; verum tunc alia signa, quæ calorem cordis indicant, peruestiganda sunt, his quæ ab amplitudine thoracis ducuntur neglectis. Indicia autem quæ magna solum ex parte eueniunt, sunt: Vniuersum corpus calidum, ni iecoris frigus reuocet, quod ex venarum tenuitate apparebit.

Cordis frigidi.

Cor autem frigidum sua quoque habet signa propria, & ea quoque quæ non semper eueniunt. propria, vt pulsus minores, non tamen necessario tardiores aut rariores. respiratio pulsui respondet, si thorax tanto minor fuerit, quanto cor frigidius. sin autem maior est quam frigoris portio requirat, respiratio non solum minor erit, verum etiam tardior ac rarior. animus humilis ac demissus, timiditas, pectus glabrum, thorax exiguus, cum magno capite. Non semper vtique eueniunt sed sæpe; corpus totum frigidum, ni calor hepatis frigus arceat, thorax paruus; nisi cerebrum omnino caleat.

Cordis siccioris. Cordis humidi.

Cordis siccioris notæ sunt, pulsus durus, ita non facilis, sed quæ ægre pacari potest. vniuersus habitus siccior, ni hepatis humiditas reuocet. Humidius cor indicant: pulsus mollis, mores ad iram procliues, sed quæ facile mitescat, corporis habitus humidior, ni refragetur hepatis siccitas.

Cordis calidi & sicci.

Cordis vero calidi & sicci hæc sunt notæ: pulsus magnus & frequens, celer; multo autem velocior & vehementior si thorax, ad analogiam caloris cordis, non sit auctior. animus præceps ad iram, mores feri, ad furorem procliues, qui ægre pacantur. Pectus omnium maxime hirsutum, tale cor videtur fuisse Aristomenis Messenij, quod Athenienses ob eximiam caliditatem exectum, pilis refertum inuenerunt, quum eum aliquando captum & elapsum astu cepissent.

Plin. lib. 11. cap. 17.

Cordis calidi & humidi

Cordis quidem calidi & humidi notæ sunt hæ: pulsus magnus, velox, frequens, mollis: verum arteriæ submissio quæ συστολὴ dicitur, est celerior quam elevatio quæ διαστολὴ dicitur. Respiratio pulsui similis est, si thorax pro cordis analogia sit expansus: sin minor extiterit, tanto velocior & frequentior erit, quanto thorax minor extiterit, resarcit enim frequentia sua magnitudinem: vt Ascanius sequitur patrem non passibus æquis. Minus hirsuti, quam calidi & sicci corde: expediti, animus placidior. Morbis hi sunt obnoxij putridis, maximè si exsuperet humiditas.

Cordis frigidi & sicci.

Cordis vero frigidi & sicci hæ sunt notæ: pulsus duri, parui, inspiratio moderata atque parua, si amplitudo pectoris frigori respondeat. maxime omnium glabri sunt in pectore. Si vero maior thorax, tardum & rarum respirant, animus minime in iram præceps, iram tamen diu retinet semel conceptam. nudum his omnium maxime pilis pectus.

Cordis frigidi & humidi.

Qui vtique frigido atque humido sunt corde, illis pulsus adest mollis. pectus glabrum, animus minime excelsus atque acer. ad iracundiam prompti, quam facile deponunt. timidus, & piger.

…ris tempera-tura. Calidi nota.

Iecoris calidioris signa sunt: calidior sanguis, eoque feruens totum corpus, nisi frigus ipsius cordis temperarit feruorem hepatis. Bilis flaua in iuuentute, hinc statim atra. venæ totius corporis amplæ. venter & hypochondria hirsuta.

Iecoris frigidi.

Iecur frigidius, indicat sanguis ac totius corporis habitus frigidior, nisi ferueat cor, ac obtundat frigus. pituitæ copia. venæ graciles, venter & hypochondria glabra.

Iecoris sicci.

Iecur siccum indicat: sanguis parcior, crassiorque. & habitus corporis siccus. venæ duræ, quia referunt ideam hepatis vnde dimanarunt. Hic humor cordis, iecoris siccitatem ad humorem traducere nequit.

Iecoris humidi.

Iecur humidius ostendunt: sanguis copiosior & humidior. totum corpus humidius, nisi cor renitatur, venæ sunt molliores.

Iecoris calidi & sicci.

Iecur calidum & siccum indicant: sanguis crassior, & siccior, parciorque totumq; corpus siccum: Bilis flaua copiosa. in ætatis vigore atra. venæ latæ & duræ. hypochondria & venter hispidus.

Iecoris calidi & humidi.

Iecur calidum & humidum indicant, sanguis abundantior.

tior. totum corpus calidius & humidius, nisi cor obstiterit. venæ amplæ. hypochondria hirta, minus tamen quam in calido & sicco. Si superat humor, putredini obnoxium redditur: si calor, parcius ægrotabit.

Iecoris frigidi & sicci.

Iecur frigidum & siccum his signis: sanguis paucus: totũ corpus frigidius & siccius nisi refrænet vis cordis cõtraria. venæ angustæ. hypochondria glabra.

Iecoris frigidi & humidi.

Iecur frigidũ & humidum ita indicatur: sanguis pituitosus. totiusq; corporis habitus eo vergens, nisi cor obstiterit. venæ paruæ & tenues. hypochondria glabra. Quum autem conspirant hæ duæ partes, nempe Cor & Iecur, in vnum temperamentum, totum corpus hanc ideam exprimet, ac sequetur harum partium vim.

Genitalium partium temperatura. Calidarum.

Genitalium partium calidarum nota est, ad venerem impetus. fœcunditas, præcipue in masculis gignendis. pubes illis celerrime nascitur.

Frigidarum.

Frigidiores, contrariæ notæ indicant. Humidiores indicant, semen largum & humidum. Siccas, parum & modice crassum semen. hæ sunt notæ simplicium.

Composita.

Calidiores & icciores; statim postquam ex ephebis excesserunt, ad venerem proni. primaque adolescentia hirciunt, eduntq; vocem grauiorem. ac protinus venere satiantur; si venerem cogant, offenduntur. semen illis crassum & fœcundum. partes ad vmbilicum vsque hispidæ. natura illis omnino petulca. Calidæ & humidæ partes, his parent è notis. moderate venerem affectant: liberiore eius vsu non læduntur admodum. semine abundant. Loca minus hirsuta quam calidis & siccis. Frigidis autem & humidis partibus: non proni ad concubitum, sed tarde exercent rem veneream. semen tenue, aquosum, infœcundum; vel saltem fœmellas generant, partes glabræ sunt. Frigidæ & siccæ partes his notis innotescunt: semen paucum, crassum, cætera prædictæ temperiei similia.

Ventriculi temperatura. Calidi.

Ventriculus calidus: deterius appetit, fundendo humores illarum venarũ quæ aluum rigant, laxando quoque membra solida. difficilia coctu facilius coquit, vt bubulam carnem; nam facilia in eo corrumpuntur. ructus edit nidorosos. cibo potuq; gaudet calido, modico frigidorum vsu non grauatur. calidorum foris admototum vsu læditur, nec perfert.

Frigidi.

Ventriculus frigidus, vehementius appetit, excitato suctionis quasi sensu: negligentius mitigat, maxume si ingestus cibus frigidus coctuq; difficilis fuerit. ructus edit acidos. alioqui cibo & potu frigido delectatur; immoderato autem eius vsu offenditur. & ab externis admotis remediis frigidis læditur statim. Sed dices, Senes aluo frigẽt, minus tamen appetunt. Respondeo, fessa & effœta membra minus sentiunt suctionem quæ fit in stomacho; vel non adest ab exhausto inedia in denso seniliq; corpore: Nam fames est sensatio suctionis: censor famis ventriculus, quia ei nil concedit vlterius membrum.

Sicci.

Siccus ventriculus his notis innotescit: sitis frequens, quæ modico potu sedatur, plurimo grauatur. Fluctuationibus turbatur, & supernatat in eo quod abundat. cibis siccis delectatur; quia naturæ cuique temperies sua est sanitas.

Humidi.

Humidum ventriculum his signis nosces. nulla sitis vexat: humorem largum facile tolerat. humidis delectatur.

Composita temperies.

Compositæ temperies ventriculi ex simplicibus cognoscuntur. vt calida & sicca temperies ex siti animaduertitur.

Sitis triplex forma.

Verum noscẽdum, num sitis illa proficiscatur à ventriculo; aut ortum trahat à pulmonibus, an ab hepate. Nam quæ à ventriculi vel iecoris calore orta est, eam hypochondriorum calor prodit, sedatq; eam potissimum frigidæ potus, inspiratus autem aër non iuuat: quæ vero à pulmonis cordisq; intẽperie profecta est, æstuans spiratio & longa exspiratio hanc prodit, ac leuat hanc aër frigidus haustus. potus frigidus eam iuuat, non tamen statim sedat.

Ventriculi affectio aliunde.

At quod ventriculus cibos interdum ex imbecillitate non possit concoquere, id non solum ex eius intemperie solet euenire, sed & ex succi aliunde influentis vitio. Aliis enim ex capite pituita decidua est, ac in ventriculum præcipitatur. aliis à iecore in ventriculum bilis influit. Agnoscitur vitium, si ab igneo ventriculi calore & siccitate sit, tunc caro bubula & suilla melius mitigatur, quam pisces saxatiles: lenior enim & tenellulus cibus his, vi caloris, in bilem abit, non aliter quam mel amarum redditur nimia coctione. At quæ a iecore refunditur bilis, flaua est ac pallida; quæ à ventriculo oritur, porracei est omnino coloris. Pituita autem quæ à capite defluit, sese prodit, catarrhis frequentibus, ac capitis dolore.

Notandum.

Hactenus de partium principum temperie: quam ita æstimetis velim; Partes quasq; non ad alias collatas nos calidas frigidas ve appellare, sed ad seipsas, hoc est ad eam partem quæ inter ipsas moderata est collatam. Quamuis enim alicui cor frigidius procreatum fuit, multo tamen id ardentius est cerebro calidissimo.

Habitus corporis temperies.

Totius corporis habitus constat ex partibus oculis expositis; nempe cute & musculis, qui ossa cingunt. sequiturque maxima ex parte cordis atque iecoris naturam. Ea tamen lege inspicietur hic corporis habitus, vt ne quid delinquant externa. nam si quis sub sole torrido æstate media versatus fuerit, peruertet ille notas quæ à colore, duritie, atq; mollitie ducuntur. nec more puellarum, vitam vmbratilem sectetur, in otio versans; nam ita candidiorem cutem induet. Idem iudicium de aliis rebus non naturalibus estò.

Habitus corporis temperatus.

Deprehendetur temperatus habitus his notis. color non albus, non ruber: cutis equidem ex semine fabricata fuit, vnde & ideam seminis gerit. semine igitur probe mitigato, candida cutis redditur. rubet autem ex sanguine, commercio hepatis recte elaborato; nam eo alitur. refert ergo colorem floridum ex commercio hepatis, eoque faciem suffundit. Vbi igitur purus sanguis cum candida cute iungitur, venustissimo splendescit colore facies; pili sunt flaui. Sed dicet quis. Galenus, nigricant modice hi, inquit. Respondeo: Paulus *libro primo, capite sexagesimo*, hoc ita explicat, magis flauent in pueritia quàm nigricent, at magis in iuuentute nigricant. *1. Temp. 11.* adest optimus habitus carnis in qualitate & quantitate, omnia mediocria habet, non hispidus, non mollis, mediocriter crispus.

Calidus.

Habitus calore excellens, siccitate & humiditate mediocritatem attingente, colore rubet; tactu calet. adipis minus quam carnis habet. ob calorẽ, venas habet amplas. hirsutus est. capillis nigris.

Frigidus.

Frigidi autem habitus corporis, tactu friget, facile frigus sentit; ægre incalescit. capilli rufi. frigus valde excedit, cutis plumbeo colore linescit. adeps est moderata. pilorum adest inopia, vel rari sunt & plani.

Siccus.

Qui autem sicco sunt corporis habitu, illorum corpus siccum sentitur, durum, & gracile.

Humidus.

Qui vero humido sunt habitu, illi carnosi magis sunt & molliores quam temperati. Plinius, *secundi libri septuagesimo octauo* inquit: Corporum proceritas in Æthiopia, & plaga glaciali, illic ignium nisu, hic humoris alimento

Composita temperies.

Calidus & siccus corporis habitus, tactu percipitur calidus, siccus, & durus, gracilis, & hirsutus. capilli nigri. pinguedine caret. Si calor exæstuat, color quoque cuti adest niger.

Calidus & humidus.

Calidi & humidi habitu, corpore sunt calidiore, magisque carnoso & molliore quam temperati. Si autem calor plus quam humidum mediocritatem superet, paulo molliores erunt quam illi qui temperatum habent habitum, & carnosiores aliquantulum, verum magis erunt habitu hirsuto, adipisque experte. pilis nigris. Quod si humor copiosus fuerit, calor autem modice excellat: corpus quidem paulo calidius hirsutiusque multo vero carnosius & mollius existet, putridisque morbis vndique tentabitur; etenim humor facile vitium contrahit.

Dubium.

Sed dices, Græci mortuos *ἀλίβαντας* vocant, quod *μηδέν τι λιβάδος*, id est, nihil humecti in se habeant: nam ortus nostri principium calidum & humidum est: quare viuaces erunt ab hac temperie. Respondeo. Cum humidum est pingue, lentum, ac copiosum, ad multum tempus calori sufficit. Ita, inter insecta, apes

viuaces

viuaces sunt: nam harum dulce humidum lentore restagnat, nec facile tenues euanescit in auras: continetur enim à calore aptum calori pabulum. Aquatilia vero, tenuis humidi copia breuis vitæ sunt. Tales hi sunt de quibus loquitur Auicenna prim. 4. tract. 2. cap. 8. Quidam inquit, homines carnosi, mediæ impatientes sunt: nam dissoluuntur, quia eorum humidum, aqueum est instar piscium. Contra auri humidum adeo est glutinosum, vt nec igne minuatur. Ita plantæ oleaceæ resinamq; sudantes, pingui succo rigatæ, viuaciores sunt. Superare itaque calor humiditatem debet: si contrarium euenerit, putredine fatiscent facillime color illis ex albo & rubro miscetur.

Frigidus & hum. Frigidi & humidi habitu corporis albescunt. Si frigus maius fuerit, liuescunt capillus rufus. glabritas partibus adest. *Frigid. & siccus.* Frigidi & sicci habitu corpus illorum tactu frigidum & durum: & quamuis graciles sint, pinguedo per carnes spargitur. glabri sunt. Vt autem qualitas vincit, ita ampliora eius erunt indicia. Noscentur autem qui ex ætatis decursu euasere frigidiores & sicciores: etenim corpus habent durum, gracile; in quo atra bilis abundat, eoq; nigrum & hirtum apparet, si iuuenta calida & sicca præcesserit. *Ab ætate sicci qui & frig. d. vt ds. ... Notandum.* In his omnibus est temperaturæ frigidæ & raræ indicium commune, si corpus facile refrigeretur: calidæ autem & densæ, si difficile: rursus siccæ, si à siccantibus lædatur, aridumq; & ad motum difficile reddatur. Præterea animaduertendum, num illa crassities quæ percipitur, ex subiectorum ossium amplitudine oriatur, vel num adsit congestio quædam succorum nutritioni dicatorum.

CAPVT VII.

Temperamentum ingenitum ex multis causis mutari: & ex quibus.

2. Temp. 25. HIPPOCRATES, vt monet Galenus, dicit, spectandum esse ad temperamenta recte dignoscenda, ex quibus in quæ sint factæ mutationes. Fit enim non raro, vt præsens nota prioris temperamenti sit, non illius qood nunc est. Vt si quis annos natus sexaginta denso pilo fuerit, non inde calidus iam esse censebitur, sed quod talis fuerit, consistunt enim pili antea geniti, modo herbarum vere enatarum, quæ nonnunquam æstate perseuerant. Nam, si valentem habeant originem à primo ortu, perennant, ritu earum herbarum quæ radices in terram valentes egerunt. Igitur vidēdum ex quibus in quæ factæ sint mutationes. etenim humanom corpus omnium iniuriis expositum est, vnde & assiduo harum appulsu mutationibus redditur obnoxium. Inde & Hippocrates recte dixit; qualis aër, talis spiritus: quales spiritus, tales humores: quales humores, tales partes solidæ, & tale totum corpus. Vbi ergo spiritus nostri corporis incalescunt vehementius, vt à vini liberaliore potu, vsu calidorum esculentorum ac poculentorum, sensim afficit humores: hinc calor ad solidas partes prorepit, vnde & humores à pristino statu dimoti, obtritis frigidorum elementorum portiunculis ac ad calorem promotis aliam induunt temperamenti formam, pristina spoliata. Vt si sanguis primum dominium obtinuerit in congenitis humoribus, iam æstu torrefactus in bilem abeat, bilisq; nimia torrefactione in melancholiam. Vnde Hippocrates scripsit: *Quibus iuuenibus profusior est aluus, iis senescentibus contrahitur: & quibus in adolescentia fuit astricta, affecta ætate soluitur.* *2. Ap. 20.* Quod tunc bilis mitior pituitescat; & vetus alui infirmitas ab æstu, temperamenti mutatione sanetur. Attamen congenitum temperamentum, quod nobis ex congenerantibus humoribus, qui in semine erant, agnatum est, plane mutari nequit: in partibus enim solidis vis temperamenti fouetur: (hoc genuinum temperamentum:) quæ solidæ partes ex semine ortum ducunt. Quare quamuis victus consuetudine & ætatis mutatione ab aliis postgenitis humoribus alio impellatur genuinum hoc temperamentum, ad pristinum tamen temperamenti modum recurret data occasione, sunt enim illæ partes firmissimis fibris intercepτæ, quibus plurimum inest vitium & stabilimenti, vt pristinam suam naturam perpetuo redoleant. Affici ergo potest à genitis humoribus, at integre mutari nequit. Mutantur autem geniti humores, vt sanguis, pituita aliiq; humores, & indenata caro, (quæ, & vi auulsa, generatorum humorum vi reuocatur,) ex ætatis mutatione, & rerum quæ ingeruntur ac externarum appulsu, quæ ad aliam temperiem traducunt humores genitos, qui & aliquo modo afficiunt ingenitum temperamentum. Verum solidæ partes, quæ ex humoribus congenerantibus, hoc est, qui semini inerant, ortum ducunt; (ex quibus genuina temperies constat) abcissæ semel, nulla arte reuocantur. Attamen impulsu humorum postgenitorum aliquantulum à genio pristino deflectunt. Hippocrates vtrumque temperamentum exprimit, adscititium & agnatum: *Minus,* *2. Aph. 35.* inquit *periculose ægrotant, quorum naturæ, vel ætati, vel habitui congener est morbus, quam quibus earum rerum exceptione, non est congener.* Galenus *in commentariis,* sensum Hippocratis esse inquit, quod minus ab iis morbis periclitentur, qui familiares sunt primæ temperationi, & præsenti temperamento, quod est ab ætatis mutatione, esculentis, poculentis, exercitio, vel parte anni. vocatq; Galenus hanc, aduentitiam naturam. *Agnatum est permanens ex solidarum temperie. Ascititium ex humoribus carneq; e mutationi obnoxia.* quare pristinum temperamentum manet, quamuis a contactu congenitorum humorum affectum; non tamen adeò mutatum, quin ad se redeat data occasione.

A multis autem quæ nos ambiunt, & nos perpetuo comitantur, geniti humores, vt sanguis, & caro, atque habitus totus mutantur. Etenim quamuis externus hostis abesset, qui nos concuteret atque lacesseret, intus tamen interitus atque senij causam gerimus, calorem natiuum; qui à primo ortu mitis, nullaque acrimonia feriens: At progrediente ætate, non modica portione *Ætas.* in accretionem profusa, siccescunt membra, consumto humido à calore: quo confecto, restinguitur & ipse calor. Hæc nostra intestina calamitas, quam nulla ars sistere potest. Dum enim calor iocūdi fruitur commercio humidi, auide id absumit, quo labente, & ipse calor extabescit, suo defraudatus genio; humidum enim conficiens, seipsum diripit atque vastat. Quare nobiscum gerimus nostri interitus causam: etenim idem calor in nobis & vitæ & mortis auctor est; vitæ quidem per se; mortis autem ex euentu. nam quum nostrum viuere nihil aliud sit quam senescere, exhausto calore atque humido, extrema siccitas inducitur; vnde & calor euanescit in auras. Illuc autem dum se prouehit calor, huc & illuc, qua & qua variis mutationibus traducitur corpus. Hos vero naturæ curriculos ætates appellamus, quæ maxime temperiem inuertere possunt, calore natiuo absumente humidum. quæ consumtio si sisti posset, perpetuari & non finiendis ætatibus sustentari posset animal. *Pueri.* Pueri itaque in primo vitæ ingressu, vtpote principiis suis proximi, nempe semini & sanguini menstruo, humidis fluxilq; rebus, multum habent humidi spermatici primigenij, perfusi calore & spiritu vitali. Est enim consentaneum, vt id quod augetur humidissimum sit, quo non solum materia dissipata restauretur, sed quæ prius extiterat connaturalis materiæ accessione augescat. Argumenta humoris sunt, vndique sequacia membra ad omnem flexum quocunque ducas. Quanto ergo ortui vicinior, tanto humidior; quanto senior, tanto tabidior, atque exsuccus redditur. Vnde & medio ambitu ætatis, sicci & humidi medium obtinebit. Cæterum cum id quod in lucem a Deo datum est, crescere debeat atque augeri: cumque caloris sit omnia mouere; igitur quo ortui viciniora, eo magis calore perfunduntur: quare in pue-

ris

Calidum natiuum. *6. Epid. sect. 5. aph. 5.* *Dubium.*

es calidum innatum abundat. Voco autem calorem natiuum, eam substantiam quam à primo ortu sortiti sumus abundè calidam & humidam, cuius ὑπογῆς semen est, qoem calorem vocat Hippocrates animam; estqoe tanto vberior, quanto calidior & humidior fuerit in pueris. Sed dicet aliquis. Iuuenes tactu calidiores percipiuntur, igitur non pueri. Respondeo breuiter: Puer iuuene non est calidior, sed calore natiuo est calidior. etenim, vt diximus, summe calida & humida est substantia caloris natiui: substantiæ ergo copia & vbertate eum metimur, non qualitatis exuperantia; quia natiuus non est cuius bonam partem nacti sunt iuuenes. Est igitur infanti plurimus natiuus calor, isque blandus: iuueni autem plurimum periit, ac acredinem habet: ita vt pueri vbertate substantiæ excellant, iuuenes acredine & qualitate instar febrientium: nec enim eo filo fungitur naturæ muniis vt in pueris. Vbertate copiæ itaque metimur hoc calidum: quod non qualitas mera, sed substantia est, vt scripsit Theophrastus libro de calido & frigido.

Adolescentia. Prima itaque ætas adolescentia dicta, quod ob humidi natiui vbertatem adolescat, vsqoe ad annum fere vicesimum quintum producitur. In hoc autem adolescentiæ ambitu hæc series tenebitur: infantia ad septimum: pueritia ad decimum annum: hioc ad decimum octauum pubertas excurrit. Adolescentia, totius ambitus nomen obtioens, ad vicesimum quintum annum. Secunda ætas dicitur Iuuentus; euagatur ad quadragesimum annum. huic virilis masculusque animus proprius est, calida ea est & parce humida: cum adolescentia æstimata, calida & sicca; etenim humidum primigenium parcius obtinet. Hæc ætas inter vtramque ætatem nutat, nec vt puerilis madet, nec vt senectus siccitate arida est. tantum humoris consumpsit, nihil vt incremento supersit. Tertia ætas constans est & matura, vix quinquagesimum annum attingens. illa temperata est. Quarta ætas præcipitata & ingrauescens ad annum sexagesimum quintum: quæ prima senectus dicitur. Hæc siccum & frigidum corpus reddit: frigidum tamen minus. Tandem est ætas decrepita frigida & sicca, vitam claudens. Ita ad summum ætatis florem vt caloris acrimonia accreuit, ita sensim collabitur & marcescit, dum extremo senio exeso humido primigenio contabescat. Ætatis autem cuiusvis temperamentum ita accipiemus, vt cum temperata ætate conferatur: ea est puerilis. Quum itaque ætatum tempericm describimus, videndum cum quibus eas comparemus. etenim nulla ætas, absoluto sermone, est calida & sicca: nam caloris vehiculum est humiditas primigenia; quare in sicco non habitat. Qui igitur puer siccus & calidus inter pueros fuit, ille quoque inter senes calidus & siccus erit: si tamen ad suæ ætatis decursum referatur, pueritia illius calida & humida fuit, iuuentus calida & sicca.

INSTITVTIONVM
MEDICINÆ
LIBER TERTIVS.

De Facultatibus earumque functionibus, Spiritibus & innato Calido.

CAPVT I.

Quid Anima, Natura, Calidum natiuum: Spiritus quid, & eius vis. Quid Facultas & Opera.

IAM facultates & vires, quæ partibus à temperamento vel aliunde insertæ sunt, explicandæ, & earum historia enarranda est, vt commode ad morborum dignotionem venire possimus. Cum igitur medicina non in solius corporis, sed hominis, qui ex animo & corpore constat, cognitione versetur, & eum temperies corporis à nobis enarrata sit, iam animi eiusque virium contemplatio nobis adeunda est.

Anima. Abstrusa profecto nimis, sensibusque abdita animi essentia est, quare solis operibus proditam mens nostra eam videt, ac eius naturam peruestigare potest. etenim natura nostri corporis architectrix, id summa quadam & admiranda arte machinata est, vt amplissimo annorum spatio opus suum illabefactatum persisteret: imo si materię fatum id concederet, immortale opus suum sisteret. hinc vires quasdam & facultates corporibus indidit, quibus condita animantia possent perdurare. Ni enim hæ facultates inessent, ne temporis quidem momento durare animalia possent. Eo factum, vt partes quæque suis facultatibus insignitæ, totum seruent, iis actionibus & operibus quibus totum carere nequit. *Opera ea vocare solet Galenus quæ iam per aliquam actionem finita sunt:* vt stirps surgens ex semine, vt fœtus vi procreatricis & formatricis absolutus. *Actionem vero vocat actiuum ipsum motum quo opus perficitur.* *Opera 1. Nat. fa.* *Actiones.* Cum autem singula opera ab aliqua proficiscantur actione, actionem certè facultas aliqua præcedere debet à qua fiat. vt enim operis cuiusque causa est actio; ita & Actionis causa est facultas aliqua. etenim nihil sioe eo quod operandi vim habet perfici potest. Quare omnium actionum quas quotidie obimus, aliqua causa esse debet. At quæ sit causa vnde hæ prodeant, obscurum est. Omnes, dicit Galenus, animam esse fatentur: sed quæ sit eius substantia, oescitur. *Lib. de substantia fac. nat.* Id scimus, dicit cuncta corpora genita ex quatuor elementorum mixtione ortum ducere: vnde & anima, quamuis commigret in hæc corpora, illorum naturis obnoxia est: in immensa enim intemperie, fugit è corpore animus: at integra temperie, anima non exuetur corpus. Quare, dicit Galeous, cognitio eius non est necessaria. Respondemus Galeno, temperiem causam esse, sine qua anima non proferat sua munera, sed totam vim in anima esse. Vnde doctissimi viri. *Animam definierunt, causam esse primam omnium munerum & actionum corporis nostri*: idemque fere esse quod *Natura*: quam *definiunt esse causam primam quæ nos efformauit atque conseruat, quæ perpetuo operi suo insidens, facultates cunctas ad actiones concitat, propria earum auctor.* *Anima quid.* *Natura.*

Quando naturæ substantiam indagamus, vis & potentia caloris natiui prima sese commonstrat. est enim, vt dicit Galenus, calor natiuus substantia facultatum nostri corporis, aut saltem primum & necessarium instrumentum ipsarum. *1. ad Glauc.* *2. Calidum natiuum.* Quare *Calorem innatum viuifico spiritu perfusum, Naturam vocamus*: is enim animal ab initio conformauit, auxit, & nutriuit. Tria ergo absoluere videntur naturam atque complecti simul; id est, in vna substantia natiui caloris, qui natura dicitur, insunt humidum primigenium, spiritus & calor: omnia vno ortu ex semioe producta. vnde & naturæ byparxis in semine consistit. Qoare quum partes solidæ solæ ex semine ortum ducant, his natura valida inerit, ac inde ad carnes natura manabit. Cuique parti similari suus calor natiuus inest: vt in osse est alia temperamenti lex quam in neruo, ita & caloris natiui: hinc nec os neruum, nec neruus os gignere possunt: nam sua cuique parti, proprietas insidet, & inoatus calor; cuius beneficio viuunt ac alimenta trahunt, & aluntur, & sentiunt, & mouentur. Solidis partibus insertus est calor ille natiuus, qui tamen vt vita

fruatur,

fruatur, à spiritu fluente à principibus partibus ad energiam vocari debet. Partes vero principes sunt, Cerebrum, Cor, & Hepar, quæ insigniter spiritu totaque natura ceteris præualent, quæque non tantum sibi student, sed aliis vndique de sese promuot certis ductibus spiritus: vt qui potentia in partibus corporis viuebat calor, in suas functiones & vires excitetur: non aliter quam Sol, qui cuncta sua luce fouens ad propriam functionem suscitat cuiusque calorem. Homo autem, qui ab Aristotele microcosmus dicitur, in principibus partibus calorem natiuum energia spiritu perfusum gerit, cuius appulsu, ceterorum membrorum ingenitus calor emicat. tumque his spiritibus abunde perfusus & excitatus Natura dicitur, quæ cuncta munia nostri corporis prosequitur. *Rectéque Natura à Medicis definiri potest, calorem esse parti innatum influente spiritu à partibus principibus perfusum, à quo ad energiam vocetur.* Miranda certe huius sunt caloris ita perfusi officia: quamuis calor quatenus est calor, homogenea congregat, & heterogenea segregat; quatenus tamen hic calor natiuus diuino hoc spiritu perfusus est, portionem cerebri, quæ in semine erat, sursum collocauit, & cranium ex eodem semine natum cerebro circumduxit, cæterasque partes suo ordine & situ collocauit. Quare natura spiritus rectè indaganda est, vt quid sit anima & eius facultas, rectè intelligere possimus.

1. Physio. *Natura.*

Medici spiritus nomine aërem, auræque ventum, & omnem tenuem abditamque intelligunt substantiam. Nos autem de spiritu agimus quatenus est animæ corporis humani, vel animi proximum instrumentum. Talem spiritum Stoici Philosophi animaduerterunt toti mundo insertum esse, qui cuncta cælesti quodam semine perfundit, vtpote vnde omnia vitæ principia ducant: ipsumque à summo Deo fabricatum è substantia quadam tenui, æthetea, nec sensibus comperta. Plato hunc spiritum *in Timæo* mundi animam appellat. Huic spiritui in vniuerso florenti, nobis quid simile à natura inditum est, qui sua luce membra cuncta lustrans, in illis vitalem calorem excitat sopitum; adeo vt fœtus prodocere, alere, & ad maturitatem perdocere certam possit. Quod fido testimonio ex Solis calore conspicuum reddi potest; vt cuius benigno influxu in imis quoque terræ visceribus, metalla & gemmas vegetiores fieri cernimus, ac emicare eorum calorem ac naturam. Ita & nostrum afflat vità calorem spiritus, ex partibus principibus profectus, non aliter atque Sol plantas. Vnde & Sol à Platone boni filius dictus fuit: & Haly lumen cæli, ac mundi gubernatorem vocat: quod, vt idem ait, ab eo mouetur, quodcunque à se ipso mouetur, appulsu scilicet caloris illius ad cuiusque calorem innatum. Ita cœlestia corpora mouent quasque res, prout moueri aptæ sunt: vt semen ranarum, cum Sole mouetur, ranas profert: piscium, pisces: caro tacta calore solari, vermes profert. Nam vt est cuiusque calor insitus, & natura, ita à Sole ad actum prouocata, effectus profert. quare Haly astronomus, vocat Solem planetam magnæ potestatis, altitudinis, ac magnitudinis immensæ. Ita in nobis spiritus partium principum, varias actiones profert, vt est calor insitus membri natiuus quem illustrat ac excitat. cuique enim parti calor est peculiaris. Hic viuificus spiritus, ex elementis quidem, quæ in semine erant, prognatus fuit, sed elaboratissimus: vt rectè Auicenna scripserit, eum ad cœlestium corporum naturam proxime accedere, huncque illustrem esse, æthereæque lucis plenissimum, ac tenuissimum, quique omnem sensum subterfugiat. Talis enim esse debet, vt huc & illuc, qua & qua momento temporis diffundi possit, membraque peruadere celere quadam pernicitate. Quare Plato hunc spiritum ignem vocat: Hippocrates & Aristoteles spiritum esse dixerunt. Academici, vt Alexander in problematibus refert, dicebant, hunc spiritum vinculum esse immortalis nostræ mentis, & corporis, qui ea nectat atque coniungat. Disparia etenim sunt natura mens & corpus, quæ sine idonei medij interiectu societatem inire nequeunt. quare à summo Deo condita mens, hac pura splendidaque veste induitur, vt nostri corporis incola fiat. Nam is spiritus, corpori animoque oppido quam familiaris est, vnde iungit vtrumque. non enim corporis expers est omnino; nec crassa mole corporea fatigatur; sed facilis & paratus ad cuncta naturæ munia exsequenda. Hic spiritus, ab ipso generationis ortu, cunctis inest: de quo Aristoteles pulchre prodidit, in corpore, spumosoque corpore spiritum, in spiritu naturam contineri, quæ respondet elemento stellarum: quæ facit vt fœcunda sint animalia.

Spiritus quid? & eius via. *2. de gen. animal. 9.*

Erit igitur Spiritus, Æthereum quoddam corpus, è purissima sanguinis parte elaboratum, & in aura tenuissimæ substantiam demutatum, primum animæ organum ad functiones. De eius generatione dicimus, quod inditur in ipso genitali semine à principi partium rectrice facultate; quæ in spumosam illam substantiam vires suas fundens, diuinum hoc æthereumque inserit, quod fœcunda quadam vi, ideam gerit eius vnde dimanauit. Hinc equinum semen equos, humanum homines generat. Generatur itaque spiritus à principum partium rectrice facultate, quæ semen primum hac vi insigniuit: dein ab ipso parentum semine in fœtum inseritur. etenim genitura dimanat à toto parentum corpore, à solidis & mollibus partibus, & , vt ait Hippocrates *libro De Genitura*, id quod robustissimum est secernitur: hinc quidem seminis eiectu imbecilles reddimur. Itaque robustissima res quum fit genitura, calidissimam & multo spiritu præditam necesse est esse. Hic autem qui in semine latet spiritus dum à facultate fœtus formatrice cunctis partibus distribuatur, dumque cuique parti, ex sua dignitate hunc largitur, absumitur; in eisque partibus receptus, calor natiuus dicitur. Simul enim atque in vtero materno fœtus accepit formam, hic spiritus cunctis partibus inest, alius alius, nec omnibus idem: qui tamen, pressus corporea mole, actu non viuit, nisi ab influente à solidis partibus spiritu excitetur. Quare illum calorem natiuum vocabimus; enim autem spiritum. Hæc eius est generatio. Sed quænam spirituum functio? cuique parti principi peculiaris spiritus est: quæ vt nobilitate inter se differunt, ita & variis spiritibus ad sua munera vtuntur. hinc sequitur, spiritus omnium actionum esse ministros. igitur ad vitam ac coctionem, ad nutritionem, sensum & motum spiritus aptissimi: nam his labefactatis, etiam cunctæ hæ operationes fatiscunt. spiritus enim vitæ stabilimentum est, cum innato calido. Præter innatum calidum fixum, tres statuunt medici spiritus, quos vagos vocant. vnum naturalem, è iecore per venas in habitum corporis diffusum, alterum vitalem, quem cor perpetuo per arterias euomit. tertium animalem, qui in cerebri ventriculis genitus, hinc per neruos dimanans, partibus motum & sensum afflat. Tres itaque sunt principes partes. totidemque spiritus, virium illarum partium vehicula, quique è suis propriis fontibus profecti in omne corpus, id gubernant. Ex his conspicuum fit, vitalem atque naturalem spiritum, per totum corpus traiici atque diffundi; eoque allabi, vbi neque vena neque arteria est: etenim continuatione quadam cæteras peruadunt partes. At animalis spiritus, qui sensus & motus auctor est, nusquam potest officium suum facere, sine neruis aut neruorum filamentis & staminibus

Spiritus ortus. *Calor natiuus, & spiritus. Functio spirituum.*

nibus. Prudenter id à natura commentum, quod quæque partes alimento & vita egeant non motu & sensu. Promanant ergo spiritus influentes à partibus, quæ principatum in corpore nostro obtinent, nempe cerebro, corde, & hepate: suntque virium animæ vehicula.

Quid facultas.

Sed quidnam est facultas? compertum enim iam nobis est, spiritum hunc vaporosum corpus esse tenue, elaboratum, qualique aura suauis, quæ cognata nobis spirat: quæ cuncta lustrans, viuificans, sensum motumque excitat. Sed quidnam est facultas? Galenus dicit *Facultatem, causam effectricem esse omnium actionum, sitam in proprio cuiusque rei temperamento.* nam asserit, ex calido frigido, humido, & sicco eius constare substantiam. Vnde nonnulli pertinacissime defendunt, facultatem nihil aliud esse quam ipsam temperiem, sed præter multa absurda sibique pugnantia quæ illi loquuntur, fateri quoque coguntur aliquam facultatem esse æqualem; aliquam inæqualem, calidam, frigidam, humidam, siccam. Alij. quum animaduerterent, Galenum non satis exprimere substantiam facultatum, nec declarate, substantiale an accidens sit, dixere, facultatem esse vim atque potentiam vernaculam, maximeque propriam animæ, quam anima suo veluti de sinu profert ad munerum functiones. Sed hæc opinio absurdi quoque aliquid continet: nam si facultas est animæ maxime vernacula & insita proprietas, non debebant animæ facultates, à partibus animæ separare; eo quod integra saluaque anima fascultas auferri posset (vt illi dicunt;) pars animæ neutiquam. Verbi gratia: facultatem auctricem in vigore corporis aboleri, hoc & rationi & auctoritati Galeni repuguat. Nam quod corpus in vigore non augetur, id non abolitæ facultatis, sed materiæ, instrumenti vel subiecti vitio fit. Huc accedit, si facultas statuatur proprietas animæ maxime germana, eam in nullis rebus requiri posse quam quæ vita vt anima prædita sunt: cum tamen medici & Philosophi rebus vita carentibus suas facultates tribuant.

10. Simp. 10 2. Nat. fac. 4.

Quid facultas.

Qui Philosophiæ vestigia sequi volet & medicinam conformem reddere philosophiæ, ille definiet *Facultatem esse Actionum quas res quæque edit proximam & precipuam causam.* vel, vt breuius dicam *Rei cuiusque formam.* Sed quemadmodum duplex forma à Philosophis statuitur, ita quoque duplex statuenda facultas. Accidentalis quidem, ex quatuor elementorum proportione nata temperies: Essentialis vero peculiari nomine caret; & in rebus viuentibus dicitur anima, in rebus vita carentibus dicitur facultas generali nomine à Philosophis: à medicis totius rei substantia. vnde apud medicos ortæ fuerunt occultæ rerum proprietates. *Animam* autem definit Aristoteles esse *Actum primum corporis organici, viuentis potentia: primam, præcipuam & mouentem actionum caussam.* Hanc quidam Philosophi ex variis operibus quæ exercet varia natura esse existimauerunt. Sed si quis altius philosophari volet, non sine magna ratione, animæ formam vnam statuere possit, quæque diuidi in varias partes & formas nequeat; vnicam suapte natura possidens facultatem, quæ varia munera exerceat: quod instrumenta quibus vtitur sunt diuersa temperie & structura. vt idem Sol eadem præditus facultate, ceram liquat & lutum indurat, nec propterea diuersas obtinet naturas: sic eadem anima, in cerebro auctor est sensus ac motus: in corde pulsus: in hepato senguinis. Nam licet diuersa hæc sint opera, nec ab omnibus partibus exerceri queant; id fit, quia quæque partes habent suum calorem natiuum (quem Galenus, *secundo ad Glauconem secundo*, dicit esse substantiam facultatum, vel earum proximum instrumentum) ad sua munera aptum, temperiem propriam & structuram. Vnde Aristoteles, senis, dicebat, oculus, æque acute ac iuuenis cerneret (est enim eadem & quidem vbique anima, eadem in membris præstitura officia) si singula apta forent ad ea instrumenta. Aristoteles cum pentagono comparat animam: vt enim in simplici figura pentagoni, trigonus & tetragonus insunt potestate; ita quidem noua est substantia quæ multis viribus sese fundit ac ostentat. Sed quia durum quibusdam videri posset, facultatem in vita præditis vocare animam vel formam, eamque vnicam statuere, cum classici auctores eam in varias species diuiserint; qua ratione id faciamus, exponendum. Illud inprimis præfati, nos hic nomen facultatis non sumere pro relatione efficientis ad suum opus, seu pro potentia; sed pro reipsa, ipsaque caussa functionum, vt vocat Galenus vbi ait, est tertia anima siue facultas. & alias vocat tres animæ partes vel facultates. Ratio ergo est cur anima non sit secanda in tria genera, quia est forma corporis: cuique autem corpori vna est forma, quæ præbet, vt loquitur Aristoteles, τὸ τί εἶναι, hoc est vt aliquid sit hoc quod est. vnde fieri nequit vt plutes sint formæ neque animæ vnius corporis, non modo pugnantes, sed ne aliqua quidem ratione diuersæ genere. Nec conuincit Galeni argumentum, quo distinctas natura & loco esse conatur probare, quod diuersa opera edant: etenim diuersitas operum non tantum varietati causæ efficientis, sed & diuersitati materiæ & instrumenti adscribenda: quæ ipsa instrumenta varia structura & temperie prædita sunt, aptaque hinc, vt diuersa exerceant munia. Oportebat itaque Galenum probare, diuersa animæ officia non pendere à materia aut instrumento, ac tum demum animæ diuersitati adscribere potuisset. Nihilominus facultatũ diuisionem ad medicos vsus aptatam, recteque exprimentem animæ varias aptitudines, recipimus.

6. Epid. 5. 5. & 5. libro & 6 libro de Plac. Hippoc. & Plat.

CAPVT II.

De tribus Facultatibus corpus nostrum gubernantibus. & primo de Naturali & eius diuisione, De procreatrice, nutrice, formatrice.

ET quia tria opera maxime diuersa in humano corpore excellunt, fit vt tres facultates diuersæ distingui possint. Actionum enim genus triplex est, aliud nobis commune cum plantis, seminibus, animantibus, ac omnibus viuentibus, generatio scilicet & nutritio. aliud perfectioribus tantum animantibus commune est; sensus scilicet & motus. aliud medium videtur inter hæc duo; videlicet vitam spargere per totum corpus. Ex his Galenus colligit, aliam facultatem esse animalem, aliam vitalem, aliam naturalem. Sanguinis purior magisque aërea & vaporosa pars quæ ex sanguine exhalat, dum in hepate coquitur à spiritu hepati ingenito, eoque perfunditur, fit spiritus, quem Galenus cum Stoicis naturalem vocat; Plato concupiscibilem, ob cupiditatum quas parit multitudinem: ab Aristotele vegetatiua dicitur. Dicuntur autem Naturales, quod instrumenta sint animæ, cum nutriendi officia corpori præbeant, ideoque crassiore & humidiore natura constant. nutritio enim concoctione perficitur, ad modum elixationis, à calore nempe vuido multoque. Hic autem calor commodius non potuit collocari quam in instrumento aliquo crasso. Vnde in hepate colligimus spiritus esse crassos & humidos. Huius spiritus quantum in corde per venam cauam inuehitur, ibi elaboratur, tenuiorque redditur, ac in aëris naturam abit: hinc serpit ad sinistrum cordis sinum, ibique fit spiritus vitalis, feruens & acer, qui toto, per arterias, funditur corpore, viuificoque nectare cunctas rigat partes. Est vitalis hic menti minus idoneus, nisi à cerebri insita vi dometur stabiliorque reddatur. Anima enim quæ quieto, minimeque præcoci vtitur spiritu, prudens fit; vnde & senes iunioribus prudentiores sunt. experientia idem

Naturalis spiritus.

Vitalis spiritus.

Animalis spiritus.

conuincit in phreneticis; spiritibus enim calore æstuantibus, nec sentiunt nec intelligunt vt autem feruentior hic spiritus minus idoneus ad cerebri officia, ita quoque idem spiritus crassior & humidior; vt in lethargicis & comatosis videmus. portio itaque vitalis spiritus, quæ per carotidas arterias (quæ per ceruicem ascendunt) in cerebri basin rapitur, contextuque illo admirabili, qui & retiformis dicitur, mitigata, mox in cerebri ventriculo rapitur: ibi cerebrum vi sua insita hunc spiritum moderatur, qui alioqui, vt dicit Alexander Aphrodisæus, est velut equus indomitus. Hunc Spiritum animalem, vult Galenus primum esse animæ instrumentum, propterea que animalem dictum, quod solis animalibus insit, non plantis: nam, vt dicit Aristoteles, animal ob sensum primo tale est. quæ enim sensum habent, non solum viuunt, sed & animalia sunt. Itaque naturalis spiritus, primus est in serie spirituum, qui aliis spiritibus se præbet alimentum.

2. De ani.

Naturalis facultas. *Naturalis* itaque *facultas est, quæ ex iecore, venarum adminiculo, vniuerso corpori alimentum præbet.* hæc Græcis dicitur θρεπτικὴ, hoc est altrix: vel ἐπιθυμητικὴ, hoc est concupiscibilis seu appetitrix. hac ferimur in voluptates.

Diuisio naturalium facultatum. Multiplex est harum facultatum differentia, vt patet ex Galeno *De naturalibus facultatibus.* hac ratione recte diuidi possunt, vt aliæ facultates naturales sint quibus administratur, aliæ quæ ministrant. illæ autem quibus administratur, sunt, prima naturæ opera, ac veluti capita. Diuiduntur in Procreatricem, (que & Generatrix dicitur) in Nutricem, & Auctricem. Comprehendit Procreatrix Alteratricem, & Formatricem omnium membrorum. Etenim dicit Galenus primi Naturalium facultatum sexto. Rerum generatio, simplex naturæ actio non est, sed ex alteratione & formatione composita. vt enim os vel vena fiat, alteratam oportet substantiam vnde fit. Propterea effingi debet, vt decentem figuram & posituram habeat. Auctrix autem & nutrix, illæ vnicæ sunt, nec diuiduntur in alias: nisi quod ministrantes illis inseruiant. Sunt autem ministrantes facultates, quæ scilicet alimenta præparant & suggerunt nutrici facultati & auctrici: hæ sunt Attractrix, Retentrix, Concoctrix: quæ diuiditur ratione diuersæ materiæ quam coquit; hinc alia Chymifica, alia Sanguifica interdum à Galeno vocatur: & Expultrix. Alij addunt, quæ Adponit, Adglutinat, & Adsimilat. Tunc enim nutritionem fieri arbitratur Galenus, cum is qui conuertitur ad alimoniam cibus, corpori vndique similis factus fuerit, quod assimilare medici vocant. Itaque recte hæ facultates ab Auicenna dictæ sunt ministrantes, quod altrici facultati, vt munus suum obeat, operam dicarint.

Gal. nat. fac. 4
Generatrix.
Auctrix.
Nutrix.
Famulantes.
Nutritio

Procreatio quid. Prima itaque inter eas quibus ministratur, est *Procreatio*, quæ *definitur* à Galeno primi De facultatibus primo, *motio nouam substantiam ducens.* Vt autem quæque substantia in aliam commutari possit (vt semen in os aut neruum) ea propriæ substantiæ mutationem subire debet, alioqui eadem substantia maneret. eademque apte ad suam naturam conformari postulat: his enim absoluitur procreatio.

Formatio. *Est* autem *formatio, geniti animalis congrua delineatio, & partium eius in situ, cauitate, figura, & connexu decens positio* Hæc caloris beneficio perficiuntur. calor etenim quatenus calor, mutat atque alterat, heterogenea segregat, homogenea congregat: quatenus vero est diuinus, partes quasque suo situ locat & format. mutatione igitur & conformatione absoluitur procreatio. vnde generatio non est commixtio viri cum muliere, sed est promotio formæ, de potentia in actum. Hæc autem vis semini inest, quæ non ex copia, sed vi spectanda. semen à toto & solidis partibus manat; vnde & magna vis spirituum illi inest. etenim huius causa, arteriæ ab aorta testibus inseruntur. & ab hepate venæ naturalem vim testibus inuehunt; & nerui, per spinæ medullam animalem vim præbent. Hinc semen corpus est omnium viribus ornatum, quod naturæ rationem gerit, ac animal procreat vteri proprietate excitatum. Nam statim vis conformandi exsurgit, quam nonnulli idolum vocant & simulachrum generantis. Hæc procreatrix facultas cum suum officium fecerit in fœtu effingendo, quumque dentes protulit, tunc feriata silet, ac nutritionis officium sagax natura init: hinc sensus ad ἐνέργειαν ducuntur, ac mouendi hinc vis appellit. Immortalis vero mens nostræ, animæ, non cum semine traducitur, sed à summo Deo creata, in infãtis corpus commigrat mense quarto; quo tempore cerebrum, omniaque cætera absoluit vis procreatrix. Etenim vis quæ in semine delitescit excitata à proprietate corporis vteri, ad effingendum fœtum se vertit. ita spiritus, qui in semine, ad spiritum recedit. solidæ partes, quæ in semine sunt, in solidarum partium substantiam facessunt. Ita collectus in se spiritus partium articulator atque opifex ab Hippocrate dicitur. *Genitura*, inquit, *in pellicula est, & spiritum habet intro & foris.* & postea dicit: *Caro augescens à spiritu articulatur, & abit in hac vnumquodque simile ad simile; densum ad densum, rarum ad rarum, humidum ad humidum, siccum ad siccum: & vnumquodque in propriam regionem abit, iuxta cognationem ad id vnde genitum est. atque*, inquit, *hac cuncta, auctore spiritu, articulantur.* Et mox subdit Hippocrates *Articulato iam puero, formis membrorum elucentibus, & ossa duriora fiunt & cauantur, atque hac à spiritu fiunt.* Merito profecto Hippocrates munus formationis & structuræ spiritibus attribuit, cum in illis ceu propria sede formatrix facultas consederit quæ partes format.

Semen.
Mens.
Fabrica fœtus
Lib. De natura fœtus

Series promotionis. Hac serie fit procreatio. Corpus seminis in rudimenta quædam se expandit; id dum fit, in vtero rudimenta illa exprimit, rudia quædam exordia partium similarium instar tenuium filorum intertextorum. ex mero semine hæc stamina sunt concreta, habitaculaque sunt caloris natiui. his non affatim sed paulatim aspersus maternus sanguis qui menstruus dicitur, ibi concrescit, carneamque molem efficit, similaribusque partibus alimento cedit. à similaribus partibus instrumentariæ integratæ, totum fœtum absoluunt. Similares vocamus simplices sui similes: vt os, neruus. Instrumentarias, cor, cerebrum, brachia. Ex his quædam principes partes sunt: quædam seruientes: & ex his ortæ. Et quædam ab his reguntur, quædam non. Principes dicuntur, quæ virtutem ex se promunt, aut succum, quorum officio vita carere nequit. quare harum partium ratio in curatione maxime est habenda. quædam partes imbecilles sunt, vt adenes, vt cutis: in has principes partes se exonerant. quasdam procreatrix quoque facultas dedit nutritioni; vt ventriculum, hepar, lienem, atque venosum totum genus. quasdam vacuationibus naturalibus instituit, vtramque vesicam & intestina.

Partes corp.

Nutritio Quod demum alteratione & formatione procreatum fuit, in nutricis postea potestatem venit, quæ est vitæ totius comes; tamque late se fundit eius vis, vt hæc plantis nobiscum communis sit. Est etenim naturæ ipsius hoc opus: nam est illa naturæ vis, illudque studium, vt id quod eam habet conseruet; id fit nutriendi officio. Sensus vero & motus propria animalium sunt: quare dicit Galenus, Stoici hæc animæ, at nutritionem & accretionem naturæ opera vocabant. ita, inquit Galenus, animal à natura simul & anima gubernari dicimus: stirpes à sola natura.

Sensus & motus.
1. Nat. fac.
6. Epid. 3.

Est

Quid nutrix. *1. Nat fac. 6.* *1. Sanit. tuenda.*

Est autem *altrix facultas, vel nutrix*, vt scribit Galenus, *qua alimentum in corporis substantiam conuertit, eique assimilat, vt resarciat quod exhaustum est.* etenim vt idem ille docet, quum dissoluatur perpetuo effluxu corporis nostri substantia, comesse necesse est, vt quod exhaustum est, restauretur: quod fit dum id quod alimenti loco assumitur, illi simile factum fuerit quod effluxit. quod fit, cum is succus qui nutriturus est, à vasis excedit, perque totam partem spargitur, eique assimilatur: id cum fit, corpus nutriri dicitur. Si quidem par quantitas apponatur ei quod effluxit, priorem habitum conseruabit: si vberior, saginat: si parcior, extenuat.

CAPVT III.

De Nutritioni famulantibus, Attractrice, Retentrice, Coctrice, Excretrice, Agglutinatrice, &c.

Ministra. *Attractrix.*

PERFICITVR autem nutritio, auxiliaribus & ministris facultatibus, Attractrice, Retentrice, Concoctrice, Expultrice. Cuique parti sua vis est attrahendi. hac enim fuit fœcundata à spiritibus hepatis, qua quod illi est familiare, ex sanguine prolectat; quod noxium & infensum, à se ablegat potentia expultricis. Attrahit autem pars eo fine, vt sibi iungat quid, & suauiter eo fruatur: quod dum fit, retinet. dumque diutius continet, id coquit, ac in naturam propriam transfert. Quatuor hæ facultes nutritioni necessariæ. Vis trahendi in œsophago elucet, coquendi in ventriculo, & hepate: in intestinis expulsio, coctrix infirma; reliquæ absunt. Recte dixit Hippocrates, omnium vna est influxio & conspiratio: quare aliud ex alio trahit membrum. attrahit quidem id quod est valentius: valentius vero aliud est alio tempore: vt quum ventriculus alimento turgescit; quumque hepar vehementer appetit; id valentius trahit. at iecore saturato, ventre inedia languescente, commigrat in eum valentior trahendi vis. Aliæ autem partes puto alimento; aliæ crasso & turbido; aliæ tenui & halituoso nutriuntur: quare & talem quoque attrahunt. lien quod in iecore crassiotis est allicit; eoque fruitur. vnde & aliquid in omentum, lactes, intestina, ventriculum trahitur. sic alio tempore ventriculo alimentum affundit, alio iterum elicit ex eo. per eadem ergo instrumenta, ac ductus eosdem, attrahunt partes & reiiciunt à sese. Est autem attractio duplex. Prima, quæ fit successione ad id quod vacuatur, quemadmodum folles attrahunt aërem. hac tractionis specie, semper id attrahitur primum quod est leuius. Altera tractionis species est, qua trahitur id quod familiare est & amicum: vt ferrum à magnete. hac tractione trahitur interdum id quod grauius est, modo id cognatum natura. Arteriæ vtroque hoc modo attrahunt. etenim vim habent à corde, qua dilatantur & contrahuntur. Omne autem dilatatum ad se trahit ex vicinis: vnde arteriæ quæ in cutem finiuntur, aërem attrahunt, quæ vero in oscula venarum desinunt, halituosum sanguinem ex illis eliciunt, & ex intestinis id quod leuissimum est attrahunt. Arteriæ itaque quatenus instrumenta caua & dilatabilia, semper id quod leuius est primum attrahunt: at quatenus nutriri postulant, ab illis id quod conueniens est in tunicas attrahitur. Quod autem arteria ex vicinis trahit, argumento est quod præcisis arteris & venæ inanes consriciuntur, effluxo nempe sanguine. Hoc trahendi officium præstatur fibris & villis rectis.

3. Nat. 13. *1. Nat. fac. 14.* *2. Nat. fac. 3.* *3. De nat. fac. 14.* *3. Nat. fac. penult.* *4. De vsu part. 7.*

Retentrix.

Retentrix facultas à Galeno demonstratur pulchre quomodo in vtero fit: de Naturalibus facultatibus tertij quarto & tertio capite.

Coctio. 3. Nat. fac. 7

Coctio est alteratio in propriam eius quod nutritur qualitatem. Vt in ventriculo propria tacitaque substantiæ vis cibum in chylum vertit: in sturnorum ventre cicuta, (nobis indomita ac inuicta) hac recondita vi in chylum & sanguinem abit: Sic alimentum hac alteratione propriam exuit naturam, ac in aliam transit speciem, vt in sanguinem, bilem, vel melancholiam. quare quot sunt coctiones, tot sane substantiæ mutationes erunt, priusquam in propriam cuiusque qualitatem mutari possint. Sic in ventriculo chylus: in iecore sanguis: in solidis partibus ros efficitur. A ventriculo itaque propria eius qualitas chylo imprimitur: quam cum habet, coctus dicitur chilus. Hæc coctio in ventriculo ad modum elixationis perficitur, quæ fit calore vuido. hinc dicebat Hippocrates: vigilans calidior exterius, dormiens è contra. Empedocles Philosophus putrefactione cibos coqui puttabat. cuius opinionem sequuti Veteres, ἄσηπτα vocabant, quæ nos ἄπεπτα. Sic hepar coquit, ac in sanguinem vertit chylum in se attractum, diuina illa facultate sanguificatrice, quæ αἱμάτωσις appellatur, ita in tertia cōcoctione, sanguis sua forma exutus, ros fit, & in solidarum partium, à quibus coquitur, qualitatem mutatur. Vt autem solidæ ille partes multæ sunt, sic & variæ concoctiones tertiæ existunt; aliter enim os coquit, aliter aliæ partes. Omnibus tamen idem finis est, nimirum ita alterare alimentum, vt postea facile in nutrimentum partis abeat. hæc alteratio donec in similitudinem alendæ abeat particulæ, dicitur coctio; vbi autem iam apponit, dicitur nutritio. Quare solo fine differunt: coctio enim ad partis qualitatem mutat alimentum: at nutritio in partis substantiam vertit alimentum.

Gal. 8. κ. τόπους

Expultrix. 3. Nat. fac. 3.

Expultrix est facultas naturalis, qua singulæ partes superuacanea excernunt. Vt partes, inquit Galenus, *ex sese mutuo trahunt alimentum, ita altera in alteram quod superuacuum est deponit à se.* Maxume autem potentibus id licet: hinc fluxionum causæ. Habet enim quæque particula germanum quoddam robur, quo quod superuacuum est prosequitur. Vbi igitur aliqua pars hoc robur exuit, tunc in illam ex omnibus partibus fluunt excrementa: robusta enim, quasi onus in sibi vicinas deponunt; hæ iterum in alias se imbecilliores, dum in mahume imbecillem procumbat; hinc enim in aliam transfluere nequit, vtpote nec fortiore id recipiente, nec laborante id expellere valente. Eisdem autem effluunt ductibus ad centrum corporis, per quos prius subierant in hepar & circumferentiam; vt, Hippocrate auctore, in iis qui altero crure mutili sunt, his statis periodis copiose effluit sanguis sine vllo incommodo. At, vt docet Galenus, pars non prius abiicit materiam quam attraxit, vel aliquod eius excrementum, quam maxima pars eorum transierit in contrarium affectum. sic venter satiatus, chylum dimittit. sic vesicæ quod attraxerunt quando id multitudine distendit, vel qualitate mordens molestum est, his irritata facultas expultrix eiicit. etenim excrementa cum diutius in corpore moram trahunt, putrescunt, atque mordacia ac infecta iis quæ continent redduntur.

3. Nat. fac. 12.

Agglutinatio. 3. Nat fac. antepenultimo.

Agglutinatoria hac ratione perficitur: Inquit Galenus, sicut animalibus edendi finis est ventris impletio, sic quoque particula apponendi finem facit cum conuenienti humore est impleta. Is humor sic appositus, ab aliis partibus eripi nequit: sed qui in venarum sinubus est nec adhuc adglutinatus, hanc vicissitudinem subire potest. Quædam partes numerosam desiderant alterationem, vt os: est enim qualis carnibus sanguis, talis ossibus medulla. Carnes autem & viscera exigua alteratione nutriuntur. Attractum alimentum primo parti adponitur, dein agglutinatur, mora crassius redditur, tandem assimilatur. Sed

Assimilatio.

ὁμοίωσις. 1. Nat fac. 10. assimilari & in eandem formam duci nequit, nisi societatem aliquam & cognationem habeat in qualitatibus cum parte nutrienda. Hinc nec quodque animal quolibet cibo nuttiri potest, nec quibus nutriri potest, iis protinus. Ideo multis instrumentis opus fuit, vt quodque ad partis nutriendæ qualitatem propriam traduci posset. Vt enim ex sanguine os fiat, necesse est varia alteratione vt dealbetur & induresscat. propterea & excrementorum vehicula desiderauit natura, ne excrementa salubribus succis officerent; propterea receptaculis opus fuit excrementorum dum luxuriauerint. Alia itaque instrumenta præparant alimenta, alia separant excrementa, alia deferunt. *Appositio, qua Græci πρόσθεσις, quo modo differat ab agglutinatione.* Quo modo appositio differat ab agglutinatione, pulchre docet Galenus *De naturalibus facultatibus, libri primi capite vndecimo*, in hydrope. & qua ratione inter se distent agglutinatio & assimilatio, eodem loco eleganter docet Galenus in alpho morbo. & quanta sit qualisque ventriculi actio, demonstrat Galenus, *libri tertij naturalium facultatum septimo.*

Fibra. 3. Nat. fac. 8. Hæc trium facultatum naturalium munera, tribus fibrarum generibus absoluuntur. Sunt fibræ aliæ rectæ, in longitudinem porrectæ: aliæ transuersæ, quæ ad rectos angulos in rectas incidunt: aliæ obliquæ, quæ ad impares angulos incidunt in rectas fibras. Facultas attractrix, rectis vtitur fibris: expultrix trans- *5. De vsu part.* uersis. retentrix obliquis fruitur fibris. Galenus *tertij De naturalibus facultatibus capite vndecimo* Quod, inquit, ex vnica tunica constat instrumentum, vt vesica, folliculus fellis, vterus & vena, omnia fibrarum genera obtinet. At quæ ex duabus tunicis composita sunt, in his, obliquis fibris miscentur rectæ, tantumque in vna tunicarum eaque interna; deprehenduntur, vt in arteriis & aluo; nam transuersæ tantum in vnica tunica sunt eaque externa. Sola intestina omnium instrumentorum, inquit Galen. ex duabus tunicis, atque harum vtraque ex transuersis fibris conflata sunt.

Auctrix. 1. Nat. fac 7. Auctricis facultatis ministra est nutrix & alteratrix: huic proprium est, in omnem partem proferre quæ iam genita nataque sunt, manente eadem forma. quod solius naturæ munus est: nec est in rerum natura quicquam quod seruata eadem continuatione extendi possit à nobis in tres dimensiones vlla arte.

Sed antequam abeam, restibilis definiatur quæstio grauissima, De innati calidi per anni tempora mutatione: quæ etiam omnium doctissimum Fernelium exercuit *libri quarti nono.* Vita certe nostra nihil aliud est quam mori. tam diu enim viuimus, dum flamma natiui calidi suam * eclampsin sortitur in hu- *id est, emicationem* mido primigenio: quod dum fit, splendet nobis vita, vnaque quod dum fit, absumitur humidum primigenium, quo absumpto extinguitur vitalis lux. Nutricatu quidem quotidie resarcitur id, non tamen eadem integritate: argumento est nostra mortalitas. Sed, si ita *Quæstio. Si sit calidum nat.* atteritur perpetuo calidum natiuum (hoc est humidum primigenium, spermaticum perfusum calore & spiritu) videbitur illud non posse abundantius esse hyeme quam æstate superiore. huic sententiæ recla- *1. Aph. 15.* mat Hippocrates. Et ex aduerso: tantum perire videtur calidi natiui quantum ascititij sibi acquirit calidi. Verum in præcedente æstate plurimo ascititio calido occupatum fuit: Itaque tunc minus erat quam sequenti hyeme. Alioqui qui iam febricitat plus habebit calidi natiui, quam postea cum iam febri defunctus erit. Natura calidi natiui recte explorata esse *Solutio.* debet, quo difficultas cedat. Calidum quid vocemus natiuum, modo diximus. illud autem est duplex: fluens *Calidum nat. duplex.* & fixum: fluens in corde stabulatur, totique corpori per arterias affluit: fixum est in solidis cunctis partibus. Flu- *1. Vs part. 1.* ens itaque ille calor poterit augeri hyeme, quod voluit Hippocrates. sed fixus ille in partibus calor primigenius humido spermatico constans, à fatali suo calore perpetuo conficitur. Hac itaque ratione, æstate superiore calidum erat vberius, quam sequente hyeme: nimirum fixum calidum. non autem fluens, quod à corde manat. Scribit hoc Galenus, duplex esse calidum natiuum, alterum nimirum in corde. & fixum, quod nequit eadem bonitate augeri.

CAPVT IV.

De Vitalibus facultatibus.

COR perfectis animantibus datum est, vt sanguis arteriosus & vitalis procrearetur; & vt calor visque vitalis toti corpori impartiretur. Ab hoc, tanquam vberrimo de fonte viuificum nectar procedit, vnde partes omnes decorem suum tuentur. Aristoteles naturalem vim vnà in corde ponebat: sed his rationibus optime medicorum sententia firmabitur: Quæcunque ita comparata sunt, vt possit vnumquodque illorum labefactari aliis inuiolatis, eiusdem ea non sunt substantiæ. vt parti quæ ἀτροφίᾳ laborat, naturalis vis deest, vitali integrâ, alioqui putresceret. in pestilenti febre contra, pulsus est imbe- *Dubium.* cillis, vitalis vis laborat, nec extabescit æger. Præterea Aristoteles asserit, facultatem in ea parte esse, vnde eius nascitur instrumentum; putauitque venas à corde *Num hepar venarum principium* germinare. dicimus non esse efficiens venarum principium, nam est eadem vis efficiens omnium partium: nempe procreatrix fœtus. neque est principium materiale generationis venarum, quia hepatis materia est sanguinea, venarum vero semen. Sed potest tamen hepar dici principium venarum propter finem; quia venæ sunt propter hepar. Vel hepar est principium venarum originis & implantationis. id declarat dissectio fœtuum qui vtero gestantur. recipiunt namque nutrimentum ex materno sanguine per vmbilicum, in quem subeunt arteriæ duæ atq; vna vena: vena rectâ tendit in hepar ipsum; arteriæ ad vesicam, ac inde repentes per spinam inseruntur in cor, nec hepar attringunt; & vena in hepar inseritur, nec cor attingit. Præterea venæ portæ nullum est commercium cum corde. piscibus cordi vena nulla inseritur, licet sanguinem habeant. Cum itaque, vt dicit Aristoteles, in ea parte facultas sit, vnde eius oritur instrumentum, cumque venæ à corde non nascantur, naturalis facultas inde non deriuabitur, sed ab hepate. Verum cum arteriæ ductus suos habeant à corde, etiam ibi stabulatur vitalis vis: cuius arteriæ instrumenta sunt.

Vitalis facultas est qua ex corde per arterias vitam vniuerso corpori afflat per spiritus: qui, cum tenuissimo sanguine, in sinistro cordis sinu generati, inde in omnes partes dimanant; ac viuifico illo nectare eas rigant. *Vitalis facultas, quid.* Hanc vim Stoici θύμωσιν, vel θυμικὴν, id est, irascibilem & animosam vocant; quod à corde ira procedat: vel, vt inquit Plato, & Galenus, quod hæc vis ei insit.

Sunt tres functiones huius vitalis facultatis, affe- *Functiones vitalis facultatis. Gal. De Platonis & Hippoc. plac. 7.* ctuum concitatio, pulsuum effectio, spirituum vitalium generatio. Primo dicendum de affectuum concitatione. Vtitur hæc facultas vitalis, ad sua munera obeunda, spiritu vitali, qui vt varie comparatus fuerit, *Affectus animi.* ita multifariam θυμικὴν facultatem concitat. hinc varia hominum pectora & mores proficiscuntur, pro diuersa crassitudine & raritate horum spirituum, in quibus hæc animosa facultas sedet. Varie au- *Animosa vis* tem afficiuntur hi spiritus ab alimentis & ab externo aere: vnde fit vt qui populi frigore strictas mundi partes incolunt, ob densos spiritus, qui ex san-

guine

Asiatici cur molles.

guine fluunt crasso, animosi ac formidabiles sint, quique intrepide periculis se obiiciunt. Quæ naturæ conditio in Asiaticis desideratur; qui molles, labascunt duro aliquo incommodo; quia exiles habent spiritus, tenuem quo prædiri sunt sanguinem: spiritusque propterea habent cito euanidos: irâ incandescunt quidem ocius & acriter bellum ineunt, sed ad primum sanguinis intuitum labascunt. At Europæi conspecto sanguine, acrius in hostem insurgunt, ac in pugnam incalescunt ardentius. Quod discrimen animorum in bello ciuili obseruatum, his expressit Lucanus:

Europæi cur fortes.

Quicquid ad Eoos tractus, mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia cœli.
Omnis in Arctois populus quicumque pruinis
Nascitur, indomitus bellis, & mortis amator.
Fœlices errore suo quos ille timorum
Maximus haud vrget lethi metus. —

Spiritus vitales, eorumque ortus, & principatus vitalium fac.

De spirituum vitalium generatione dicimus, quod eximia & illustris illa rerum natura à summo Deo rebus indita, vim curandi spiritus vitales in corde posuit; quod pulsat perenni & constanti motu semper: cuius assiduitate perpetua, fit spirituum vitalium generatio. Hic spiritus calorque vitalis, aëris frigidi occursum expetit; quo defraudatus, collabitur. Etenim, vt scribit Galenus, calor, ne euanescat euaporatione, perpetuo redintegratur frigore. Quatuor autem causis calor interit. aut vehementia dissipante calorem: quemadmodum dicitur maius lumen obfuscare minus. vel à suo contrario: quemadmodum aqua extinguit ignem. denique copiâ affusi nutrimenti, suffocantis calorem: vt nimium oleum ellychnij flammam: &, quemadmodum scribit Hippocrates, ex hac causa, habitissima constitutio corporis, quæ in summum euasit, qualem in athletis cernere est, summè periculosa, eò quod spiritus vitales copia affusi nutrimenti soffocentur. vel calor extinguitur inopia alimenti, vt cum flamma angusto loco coërcita marcescit: vt in cucurbitulis medicis, cum flamma aëre defraudatur: sic in hominibus quum fauces præcluduntur & cutis spiracula. hæc incommoda abesse debent vt spiritus vitales rite generentur.

Galenus 6. Epid. 6. 1. Caloris interitus ex quibus.

Pulsuum effectio.

Quum itaque cor viscus nobilissimum sit, quod naturaliter ipsum per se micat, fontemque habeat natiui caloris nectarisque viuifici, vnde partium omnium solidarum spirituumque fluxa viuacitas recreatur atque reficitur, hoc sedes est spiritus vitalis. propterea summus Deus rerum gubernator, vim agitantem perenni motu in corde posuit, quam pulsum vocant. qua vi, spiritus generantur & conseruantur, aërem quum dilatatur attrahendo, & quum contrahitur fuligines excludendo. Arteriæ eadem vi cum corde mouentur, distenduntur, & se submittunt, vt excrementa excludant, ac alimenta spiritibus adducant. Quare cordis coagmentatio tribus intexta est villorum generibus, quibus diastoles & systoles officia continentur.

Respirationis causa.

Sed & cordis calorem respiratio fouet. Respirationis in vniuersum sunt tres causæ: nimirum vsus triplex, instrumenta triplicia, & causa efficiens vna. Vsus triplex, nempe caloris temperatio, spirituum nutritio, & fuliginum exclusio. instrumenta triplicia, larynx, pulmo, & thorax. Causa efficiens vna, voluntas quæ in vigilantibus mouet musculos ab electione, in dormientibus ab instinctu. Id est actio musculorum, thoracis, in vigilantibus est voluntaria ab electione, in dormientibus vero ab instinctu naturæ.

CAPVT V.

De Animalibus facultatibus, & de Sensibus externis.

QVemadmodum vegetandi vis muta & cæca nihil præter alimentū requirit: & suas omnes gestiones in id confert: sic via animalis sagacior in rebus extra nos positis versans & vitæ præsidia quærens, sensibus omnium rerum nunciis, notiones in se comprehendit, vt vitæ præsidia amplectatur, ac perniciosa à corpore reiiciat. Hæc facultas in cerebro, arce quadam sublimi & specula sedet: etenim concusso compressoque cerebro, sensus & motus in animali stupent & abolentur. In phrenitide medici capiti adhibent remedia, non cordi, quod facultas læsa ab hoc morbo in cerebro consistat. sic & in apoplexia. Quod si hæc vis in corde habitaret, cordi apte remedia admouerentur. Dicitur vis animalis, quod animalibus tantum sit propria. *Est* ergo *animalis facultas, quæ ex cerebro per neruos, ceu riuulos quosdam, sensum* (visionem, auditum, gustum, olfactum, tactum) *& motum in vniuersum corpus transmittit: rerum demum conceptiones, intellectiones, & memoriam impartit, datque motum à consilio manantem, adminicula neruorum.* Hæc, animalia ad ea capessenda quæ conducunt mouet atque impellit: hæc gressum & musculorum motum perficit; ac omnem voluntarium motum. Hæc facultas animalis vim suam exercet in iis neruis, qui cauitatem non habent, irradiatione quadam perinde ac radij solis aërem aquamue transeunt, vt testatur Galenus *primo De symptomatum causis quinto*, Dum enim patulos poros gerunt nerui, non solum irradiatione, sed & corporeæ substantiæ traductione à cerebro illabitur his facultas; vt in opticis neruis. Hæc denique facultas principatum in animali gerens, cogitationem, intellectionem, exactumque rerum iudicium complet, ac perceptarum rerum memor est. His hominem Deus donauit vt summo merito homo inter animantia cætera, diuinum animal, multiplex, plenum consilij & rationis à Platone & Cicerone sit nuncupatus.

Animalis vis stabulatur in cerebro.

Quid facultas animalis.

Facultatem animalem diuidimus in sentientem & mouentem. sentientem, in internam, & externam: rationisque participem; & rationis expertem. Internam in cognoscendi, & appetendi facultatem. cognoscendi iterum diuidimus in imaginationem, cogitationem, & memoriam. Externus autem sensus fungitur suo munere vel contrectando, vt gustus & tactus: vel corporis interuentu sentiunt, vt auditus, visus, olfactus.

Diuisio facultatū animalium. Interni.

Externi.

Est ergo sentiens facultas, quæ rerum omnium extra nos positarum varietates & discrimina diiudicat & discernit, in cerebro residens. etenim rerum omnium ideas, characteres, & quasi vmbras sensuum famulatu haustas contemplatur, discernit, & diiudicat. Omnium enim sensuum imagines huc ad sensum communem feruntur; quemadmodum ex peripheria circuli lineæ omnes in centrum fluunt. sic & à sensibus quidam meatus patent, per quos accepti rerum characteres & ideæ quasi viuæ imagines & vmbræ rerum, ad cerebrum affluunt. Harum iudex & æstimator est sensus communis. Instrumentum primarium huius facultatis est spiritus animalis, qui ex vitali fabricatur, quum per venas iugulares & arterias carotidas. per regionem ceruicis, in contextum admirabilem, qui in cerebro est, delatus, vi cerebro ingenita, in animalem vertitur spiritum. ibi nouo fulgens decore, ad omnia munera sentientis facultatis aptè instructus, officia sentientis animæ per sensus exequitur externos; vt visum, auditum. Plato *in dialogo De natura*, dicit; *Quinque quum sint externi sensus, duo sunt*

Sentiens vis communis.

Spiritus animalis.

crassissimi, tactus terreus, & gustus aqueus: duo tenuissimi & purissimi, tributi elementis purissimis, visus igneus, & auditus aëreus: inde fit vt illis maximè delectetur corpus, his mens. *Odoratus.* *odoratus medius est naturâ inter vtrosque; qui nullo elemento tribuitur, sed substantia cuidam media inter elementa: scilicet halitui. Fit autem halitus cum aut aër in aquam, aut aqua in aërem transit.* Hæc Platonis sententia hac ratione stabilitur: Tales sunt sensus, quales sunt res ipsis subiectæ: nam analogiâ illis respondere debent.

Auditus. Formatur auditus, cum auris ab ictu aëris sonat: hoc est, cum auri ab ictu inuehitur aër sonans: qui blande ferit & concutit ingenitum auri aërem, vt ea motione totus strepat & personet. ille aër ingenitus in imo auris anfractu sedens membranæ crassioris meningis inuoluitur, in quam membranam auditorius neruus fusus explicatur, qui exceptum sonum ad communem sensum defert qui in cerebro est.

Odor vt fiat. Odor fit, cum per aërem aut aquam fusa qualitas per nares ad cerebrum euehitur.

Visio. Visio formatur, cum illustratum medium, vt aërem, rei color afficit: qui aër imaginem oculo imponit, & per opticos neruos in cerebrum ad communem sensum fertur. *Color quid.* Pulchrè Plato *in Timæo*, definit *colorem flammam à singulis corporibus emanantem, habentem aptitudinem vt à visu commodè sentiatur.* Hac definitione indicat Plato, colorem esse natura fulgidum: fulgor autem est ignitorum corporum. Celeberrima quæstio in hac arena versatur: ob dogmatum varietatem & auctorum grauitatem, Num visio fiat foras è conspectu erumpente lumine, quod cum externo iunctum coëat. Talis fuit Platonis sententia *in Phædro*, vbi hanc luminum coïtionem vocat *συναύγειαν*, hoc est iuncturam, coïtionem. Eleganter hac de re Galenus *septimo de Dogmatibus Hippocratis & Platonis, & primo De symptomatum causis*, & Macrobius *septimi Saturnalium decimoquarto*: Gellius vero, *quinti libri decimosexto*, & Valesius *libri secundi vigesimo sexto*: & Fernelius, *sexti decimo.* Hos locos consulant qui quæstiunculis delectantur. nos, in Institutione hac, instituti nostri memores, hæc accidimus. diuerticula hic vito: ne filum nostri instituti confundatur, & tenebræ ne finem medicinæ, ad quem hæc confero, inuoluant à lectoris oculis. Nam hoc solum hic mihi studium est, vt hoc breui scripto discat lector, quo spectent cuncta quæ in medica arte traduntur, vtque illa vno quasi intuitu conspiciat, totamque œconomiam medicam complectatur.

Gustatus. Gustatus oritur quum liquidi quid spongioso linguæ corpori admouetur, mox eius imago ad communem sensum vt spiritus animalis fertur. Quare sicca, quæ fundi nequeunt, sensus saporis non percipit: vt illis quibus causo implicitis lingua torretur arida.

Tactus. Tactus fit, cum tactilis qualitas cutim ferit.

CAPVT VI.

De sensibus internis, & num fascinatio & miracula fiant imaginatione.

DE externis sensibus hactenus: iam de internis agendum, qui suum domicilium in cerebro habent, scilicet de Imaginatione quæ phantasia dicitur, cogitatione, intellectu, memoria. *Gal. 1. de causis sympt.* Sensus, dicit Galenus, magis consistit in patiendo quam in agendo: quare dicimus omni sensui esse commune, vt perpetiendo sentiat. Etenim quodque sensus instrumentum mutari debet & affici à qualitatibus coporis. vt si paries à me videbitur, oportet vt oculus, eius imaginem excipiat; quare tunc patitur aliquid & immutatur oculus. *7. De Prac. Hippoc. & Plat.* Verum hæc alteratio non est sensus, sed alterationis dignotio & perceptio, id est, cognitio & apprehensio. quum scilicet facultas quæ in neruis est, affectiones quæ instrumentis sensuum contigerunt, in cerebro sedenti primario sensui renunciant. *Phantasia.* Ille tunc imagines ante se positas inspicit, maximè quum turbulenti spectrorum & imaginum incursus à sensibus hausti feriantur. tunc enim vires suas colligens, sibi hanc operam nauat primarius sensus, vt quæ altius infixæ fuerunt imagines promat: indeque imaginatrix surgens facultas, illa spectra & imagines fingit ac expoliri satagit. *Miracula num imaginatione edantur, & fascinum.* Auicenna & Algazelus tantum huic phantasiæ tribuunt, vt & miracula hac edi existiment; his ducti rationibus: Anima est forma materiæ expers, intelligentiis, quæ sunt orbium cœlestium motores, proxima. Hæc autem anima vi imaginationis ita excoli potest, vt non in sibi datum corpus solum, verum in quamlibet materiam sine instrumento aliquo agere possit; homines sanare, illisque rursus morbos inferre; elementa spoliare naturali vi vt nec ignis vrat: prophetare: miracula edere, cum scilicet imaginatio extollitur benigno siderum concursu. Si tunc vehementi imaginatione, Saturni, Iouis aliorumque planetarum intelligentiæ imagines hauriantur; sic enim reddi animam nostram intelligentiæ imaginem, ideoque omnem materiam ei parere. *Quid imaginatio, & eius vis, & num mutet faciat, & non fascinat.* *Imaginatio est actus animæ simulachra sensibus apprehensa intellectui repræsentans; eo fine data à summo Deo, vt simulachra à sensibus accepta seruet in illorum absentia, illaque cum opus est intellectui repræsentet.* Non ergo impellit corpus, nisi quatenus imaginis obiectione appetens excitatur ad fugam vel amplexum rerum. Sed illa miracula admiranda imaginationi tribui non possunt, cum conceptæ illæ imagines, res nullæ sint, sed rerum veluti vmbræ, quales in speculis apparent. Non enim sunt veræ formæ, ex materiæ potentia enatæ; etenim ab his res denominari solent. Sed in speculo quod lapis apparet, non lapideum propterea speculum vocamus, nec medici cerebrum ægrum, cum morbum imaginatur, dicitur. & forma omnis vera, cum subiecto cui inest ostendi potest. hæ imagines in minima pupillæ parte totæ insunt; quare plurimum à formis materiæ inhærentibus, & ex ea eductis differunt. Præterea, omnia generant sibi similia, vel deteriora; nec res naturalis potest quicquam supra suam naturam producere. Hæc autem simulachra non sunt res veræ, sed rerum effigies & vmbræ. Itaque & hoc solum possunt agere, significare nimirum, figurare, repræsentare. vt ducis imago nihil idem potest quod dux, exercitus instruere, in hostes educere, opem ferre; sed repræsentare solum ideam. Sic in speculis nulla fit alteratio ob res, hoc est, ob imagines conceptas; ita nec imaginatio nos mutat: est enim à summo Deo condita Imaginatio, vt repræsentet & exprimat significando. Quod si ergo in corpus cui inest nihil agit, quomodo ergo in alienum? Accedit etiam illud ab omni sæculorum memoria confirmatum, quod solæ illæ actiones extra efficiens aliquid efficiunt, quæ in effectore non manent, sed transeunt in passum. sed imaginatio est actus manens in imaginante, quippe sensio quædam est, nec mutat aliquid, quemadmodum oculus non mutat parietis quem inspicit colorem. Effigies itaq; in phantasia receptę nihil aliud faciunt quam referre & repræsentare. id ex eo patet; Quod animal huiusmodi phantasmata nec intra se amplectitur, nec refugit, sed res ipsas extra se positas persequitur, quæ quodam charactere expressæ fuerant. Dicit Pomponatius Imaginatio in conceptu est efficax. est enim idea, ad cuius

cuius exemplar virtus formatrix fœtum effingit. sic pannos pauonibus obtendunt varie pictos, vt pulli varient coloribus. Respondemus, externus calor incubantis pauonis non præbet formam, sed calorem roborat atque auget internum: alioqui nec ex anseris ouo incubans gallina excluderet anserem. Dicit iterum Pomponatius, liberi similes sunt parentibus: id fit ex imaginatione. Respondemus, id fieri vi seminis; etenim animalia quæ pollent vi imaginandi, cæca quamuis fuerint, tamen patribus similem prolem proferunt. Sic in hominum vita euenit: sæpe procreatur qui cascum abominetur, quamuis id nunquam in mentem matri venerit, quod scilicet auus aut proauus eundem cascum fastidierint. Quare non imaginationi, sed semini id adscribendum. Sic & calculosi & podagrici nascuntur ex seminis inquinamento, dicit Pomponatius. fœtus tamen afficitur à matre; igitur imaginatio in alienum corpus agit. Respondeo, fœtus non est diuersum corpus, nam eodem sanguine & spiritu alitur, & cum mollis massa sit, facile signatur at quum adultior fuerit, rarissime notatur. etenim tunc ex repentina mutatione interficitur vel eiicitur. Accedit & illud, quod subiti terroris notas potius quam rerum petitarum signa excipiat fœtus: at in illis trepidationibus, spiritus non inseruiunt imaginationi: subito enim motu trepidat perculsum animal, antequam imaginetur. Quare eæ notæ sunt à spiritibus, & non ab imaginatione. Dicet quis: Obseruantum est, anus solo intuitu vel imaginatione infantulos nulli alij causæ obnoxios vertisse in tabem. Respondemus, id non fuisse vi imaginationis, sed propter crudelem trucemque aspectum, vnde fœdo illo intuitu terrentur infantuli, ac motis spiritibus ægrotare incipiunt; maxime si languidior fuerit puer, minimeque alacer. Sed dicet quis: Plinius & Plu- 7. Lib. 2. 5. Symp. 7.
tarchus de mulieribus Thybiis mira narrant: & id facere videtur Plinij opinionem probabilem, quod geminas habeant in singulis oculis pupillas illæ veneficæ. quod & Cicero, vt testatur Plinius, asseruit. Respondemus, geminam pupillam non plus posse simplice, nisi quod geminam recipit speciem eius rei quam inspicit; quam tamen speciem, anima vnam vnius rei speciem iudicat. & in nobis nerui optici, per quos spiritus vectores facultatum feruntur, gemini sunt. Sed illi oculi geminis pupillis fœdi sunt in turpi vetula, hinc trepidationem maiorem inserunt puerulis: quemadmodum & bubonum oculi coruscantes in tenebris cordatos quoque viros terrent. Sed
Charadrius. dicet quis: Scripsit Plutarchus, charadrium auem (quam icterum putant, alij galgulum, Hadrianus Iu-
5. Problem. 7. nius Rupicem vertit) ab icterico visam, croceam bilem ad se trahere morboque laborantem liberare. Plutarchus eodem loco putat, inuidiam imaginatione proprium tabefacere corpus, & etiam contaminare alienum: causamque harum rerum refert ad effluuia, quæ ex tali surgentia corpore, ad alios & perueniunt, aliosque lædunt. Respondeo; quamuis charadrios auicula attraheret bilem, tamen non liberaret à morbo; qui est obstructio & intemperies hepatis Et quomodo effluuia ad se traheret charadrius, etenim oculis conniuet, & caput sub alis condit? Sed dicat quis: Imprimunt fascinatores imagines diratum imaginationum suarum spiritibus, vnde fomitem fascini aliis inuehunt. Respondemus, vt Sole aërem relinquente nihil lucis in aëre remanet, sic nec spiritus ab anima deserti, quicquam eius habent luminis: vt cuneus ab artifice relictus, nullam cudendi vim habet.

Cogitatio. Cum igitur imaginatrix facultas simulachra à sensibus hausta diu retinet, primarius sensus illam vim promit quæ dicitur cogitatio, quæ imaginum va-
Memoria. rietates discernit ac diiudicat: cumque exacte eas distinxit, tunc in opus erumpit conseruatrix earum facultas quæ illas ecerebro imprimit citra materiæ vllum vestigium, diciturque memoria, quæ hæc spectra aliquando inspicit, & se certo aliquo tempore ea vidisse meminit. Sunt itaque hæ, nempe imaginatio, cogitatio, memoria, facultates primarij sensus, nobis cum belluis communes. at belluæ nihil his sortiuntur præstantius.

Cum autem his cogitationibus, & etiam vigiliis & laboribus exhauriantur spiritus animales, his DEVS Optimus Maximus vinculum iniecit, nempe somnum. quod est vinculum primarij sensus: quo pri- Somnus.
mario sensu sopito, & reliqui externi sensus consopiuntur. ab Aristotele definitur, facultatis animalis quies, hoc est, sensus communis vel primarij. Finis somni, est restitutio virium & spirituum per vigilias exhaustorum. Causam materialem somni non videtur satis descripsisse Aristoteles, vt qui potius comatis quam somni attulerit. horum tamen summum discrimen est apud medicos: nam à somno quis facile excitatur: coma vero est inexpugnabilis dormiendi cupiditas. Causa materialis somni est suauis & be- Causa somni.
nigna sanguinis & spiritus vitalis anathymiasis in cerebrum delata, qua ad instaurationem virium & spirituum fruitur. cerebrum etenim ab inopia spiritus 6. Epid. 5.
animalis se colligit, primum sensitiuum, & auide rapit illam anathymiasin. vt somnus nihil aliud sit, quam id tempus quo suo pabulo nempe anathymiasi illa fruitur cerebrum, quam vertit in spiritum animalem. etenim si quis continuo vigilet, exhausto cerebro & absumptis spiritibus, facile in delirium, & siccam cerebri intemperiem is incidit, quam ἀγρυπνίαν vocant. Causæ autem tres suauem somnum proferre solent, vaporis somniferi suauitas, cerebri temperies, & mentis tranquillitas.

Appetendi quoque facultas animalibus inest. quæ Appetitus.
nihil aliud est, quam cum cognoscendi facultas rem quam salutarem sibi obiectam iudicauit, eam appetit interiore quadam animi agitatione; vnde impulsum animal eo mouetur, vt optata consequatur, & ample- Motrix vis.
ctatur. eaque vis motrix vocatur, quæ spirituum opera sua munera exequitur, qui in prima parte cerebri elaborati, hinc ad posteriorem partem delati in spinæ medullam labuntur, ac motum præbent.

Hæc de facultatibus cognitio medico ad dig- Vtilitas notitia elementorum, Temperamentorum, & Facultatum.
noscendum, prædicendum & curandum necessaria est. Velim profecto, inter legendum medicorum scripta, perpetuo cogitet studiosus, quamnam ad medicinam faciendam, illa, cui inhiat, lectio, adferat vtilitatem. Quam hic ita habeto. Descripsimus primum breuiter elementa, ex quorum concursu temperamenta enascuntur corporis totius, & eius partium. Ex temperamentis nascuntur nutritij succi, & humores: ex succis, semen genitale: ex semine & sanguine corporis partes, & calidum innatum, spiritus, & facultates animi: & ex horum commoderatione sanitas; horumque ex dissidio, morbi eorumque causæ. Propterea discimus historiam concurrentium elementorum, vt sciamus, ex horum concordi pace temperamenta consistere, ac sanitatem: ex horum vero discordia temperamenta peruerti, & sobolem morbosam subnasci, adeo vt etiam succorum vincula laxentur, & calidum natiuum vna cum facultatibus opprimatur. Deinde temperamentorum œconomias discimus, quo temperie totius corporis cognita, & partis quæ obsidetur peculiari natura perlustrata, rite remedium, quod morbus euocat, in vsum vertatur: Nam, vt docet medendi Methodus (cuius munus est, omnia quæ discuntur in medicina, ad vsum caute vertere) cum quis æger est à toto corpore vel vitio partis, illa ægritudo eiusque causa indicat contrarium remedium, quo morbus, hoc est intemperies, vel infarctus,

 vel-

vel tale aliquid,eiusque causa exigatur. Cum id iam decretū est ex lege Methodi medicæ, quo remedio nimirum contrario fugari debeat morbus & eius causa,hoc non sufficit ad curandum,sed reliquæ indicationes vna ad censum hunc vocandæ. Quare medicus inspicere debet temperamentum totius corporis, & partis afflictæ :: num scilicet sint illa paria remedio quod morbus eiusue causa postulat. Accidet itaque aliquid temperies à decreto iam remedio; vel admittet iam à morbo quæ petitur remedij quantitas. &, vt hoc recte fiat, propterea ediscimus temperamentorum historias. non, vt male olim fiebat in scholis, propterea, vt de temperamentis differamus, (in quorum explicatione mille quæstiunculas inferebant professores, ac à vero eorum vsu abducebant iuuentutem,) sed vt decretum morbo morbique causæ contrarium remedium corpori adhibeatur, examinato eo ac efformato ad corporis partisue cui adhibetur, temperiem. præterea horum necessaria est scientia, ad dignoscendum, & præsagiendum: dum notamus quæ temperies quibus morbis morbificisue causis facile peruertatur: ac quantum à natiuo genio abierit corpus & pars. Deinde, vt ad vsum facultatum veniam earumque functionem, ita etiam de his statuendum, nos eas discere. non tantum vt illas noscamus, & de illis differamus, sed vt ad dignoscendum, prædicendum, & curandum eas conferamus. Nam ex his innotescet nobis ægri vis. Itaque cum morbi natura peruestigata fuerit, eiusque causa cognita, illis medicina opponet contrarium remedium. Sed hoc non satis est ad medendum: sed opus est vt à morbo eiusque causa decretum remedium limetur à temperamento totius, vel partis ægræ, vt iam diximus, & dein etiam à viribus: Hæ noscuntur ex facultatum functionibus. Itaque num contrarium hoc remedium, quod etiam corporis totius & partis ægræ temperies iam admisit, vires etiam ferant, decernendum est ex facultatum iam explicatarum functionibus si actis, vel vegetis. quare harum historia nosci debuit. Dein, in morbis, ad noscendum, quæ pars ægrotet, facit facultatum cognitio. & ad prædicendum; nam vires cum morbo semper conferuntur dum hoc agimus. Ita etiam, quæ iam De humoribus dicemus, ad medici exercitationem per morbos abducemus. Qui autem scire velit, quo modo hæ facultates se fundant per singulas partes; & in quibus præcipue partibus singulæ harum vires exerceantur, legat pulcherrimos Galeni libros De vsibus partium humani corporis.

INSTITVTIONVM

MEDICINÆ

LIBER QVARTVS,

De Humoribus.

CAPVT I.

Quid sit humor, & quot sint; Qui, & vbi gignantur; Quales nutritij sint humores; & de sanguine.

HIPPOCRATES libro de natura humana posteaquam demonstrasset, omnibus rebus quatuor elementa esse comunia, nempe calidum, frigidum, humidum, & siccum; aliud præterea elementorum genus nos docuit, quod omnibus rebus non est commune: nimirum humanæ naturæ peculiaria elementa, sanguis, melancholia, pituita, & bilis. De his humoribus hæc indaganda: quid humoris nomine intelligamus: quot & qui illi humores sint: quis eorum in corpore vsus: & quæ eorum propriæ dotes,

Quid perpendendum de humoribus

Quid sit Humor.

Humores sunt substantia humida, ex eorum, quibus vestimur, & poculentorum mistione genita, vt exhaustum in corpore resarciatur. Sunt enim corpori familiares; ab his enim, vt dicit Hippocrates, constituti sumus & alimur. Hi sunt quatuor, Sanguis, Pituita, Bilis, Melancholia. Hos Hippocrates demonstrauit omni tempore, omnique ætate in homine esse; etsi aliis temporibus vberius vel parcius dominatum teneant. Hi humores gignuntur ab hepate, ex chylo, vi ventriculi præparato; sola materiæ & coctionis varietate distincti. Nam quæ pars chyli temperatior est, in sanguinem ab hepate vertitur, quæ modum vbique excedit, flaua bilis; quæ mediocritatem non attigit, pituita; quæ vero ex coctione subsedit, melancholia dicitur.

Quot & qui

Vbi gignantur, & vnde.

Quales nutritij sint humores.

Humores hi vniuersum vt corpus recte alant, rite comparati esse debent in substantia, qualitate, quantitate, loco, & mistione: certos enim in his limites habent, quos si desiderant, morbos præbent. Habent enim humores ambitus certos in calore, frigore, siccitate & madore. tenuitate, lentore, & inmixtione, vt eleganter demonstrauit Hippocrates libro De veteri medicina. Sic bilis effluens ex proprio loco, erysipelata generat, & herpetes: pituita, œdemata: melancholia, cancros, sanguis effusus in pulmone, tabem. Chylus ex ventriculo ad hepar per mesaraicas venas labitur, ibique dum mutatur, ob venarum angustias quæ per hepar sparguntur, proxime carnem hepatis attingit, & hæmatosios vi, quæ in hepate resedit, in sanguinem transformatur: sunt enim illæ venæ tenues admodum, hinc facile his subsidiis ab hepate coquitur.

Sanguinis vox homonyma.

Sanguis duobus modis intelligitur: primo, pro omnibus quatuor humoribus qui in venis continentur, quibus apertis effluit sanguis quatuor humoribus præditus, totum corpus nutriens. modo sumitur pro puro illo & sincero humore, *qui proprie Sanguis dicitur*; ab aliis tribus humoribus secretus. de illo hic agimus. *Hic est substantia mediocri, media crassitie, colore rubeo, sapore dulci, quia à calore moderato genitus: calidus & humidus.* Quod autem Galenus aliquando dixit, sanguinem inter cunctos humores esse calidissimum: id ita accipiendum, nisi bilis permista fuerit copiosissimo sanguini, nutrire non poterit. Ergo omnium succorum qui corpus nutriunt, ac partes calidioris temperiei efficiunt, solus sanguis est. Vere crescit: nam, dicit Hippocrates, ver eius naturæ affine: argumento, quod eo tempore hominum viuidus color maxime efflorescat, tum & dysenteriæ & hæmorrhagiæ eueniant. Si autem sanguis putredine, vel alterius materiæ mistione ab his qualitatibus abeat, vitiosus dicitur: nam fit vel flauior, vel tenuior, vel calidior, vel amarior, vel salsior, pituitosior. Aristoteles ex Hippocratis libello De corde, sanguinem frigidum existimauit: vbi dicit Hippocrates, Sanguis natura non est calidus, vt nec alia quæpiam aqua, sed calescit. quasi dicat, sanguinem tantum calere spirituum permistione, aliàs natura frigidum; quia dicit Aristoteles, sanguis etiam effusus coagulatur in aëre calido; coagulatio est à frigore & siccitate. imo, inquit, sanguis calet, vt in lebete aqua feruens. Respondeo cum Galeno non tantum frigida congelari. vt pix & resina monstrant. sed id si detur, Aristoteles tamen eam congelationem reiicit in fibras sanguinis. Quod ait sanguinem calere à corpore, quemadmodum aqua ex

Sanguis qualis.

Sanguis frigidus Aristoteli.

Gal. de temporibus.

2. De part. animalium

ex lebete; id hoc argumento labefactatur: quia detracto sanguine corpus refrigeratur, lebes effusa aqua non. *Copia sanguinis nota.* Dominatum sanguinis indicat color faciei rubicundus; habitissima constitutio corporis, sine multa copia adipis; miri & halituoso calore perfusus; ab exercitio inturgescens; animus hilaris; venæ tumentes; suppressa vacuatio sanguinis; oculorum venæ rubentes; sudor copiosus. hæc de sanguine.

CAPVT II.

De Pituita.

PITVITA *naturalis, substantia est lenta, colore alba, insipida, frigida & humida.* Talis pituita naturalis nullum habet receptaculum quo expurgetur: *2. Natural. facult. 8.* quia alterari desiderat, non vacuari: *Vsus pituitæ.* & frigidas partes alere potest, vt cerebrum: tum in sanguinem versa, calidis partibus in alimentum cedit. *Vnde nascatur. 1 Natural. fac. 3. & libro De atra bile.* Ex pituitoso cibo in ventriculo generatur. tamen inde non sequitur, quod in hepate non gignatur. nam in fœtu qui in vtero gestatur, tota sanguinis massa ab hepate est, nec quicquam à ventriculo. *Vsus.* Vsus pituitæ est hic: nisi enim pituita reluctaretur, in animantis corpore, incendio bilis consumerentur omnia, quod enim in vniuerso est aqua, id in animantis corpore est pituita.

Triplex pituita. Est pituita triplex: alia ad nutriendum apta, quæ alimentaria dicitur, cum sanguine mixta; & in tota ea sanguinis massa, est pars quarta: alia superuacanea, quæ aut naturalis, vel præter naturam. *Naturalis pituita superuacua.* Naturalis superuacanea, (vt quæ in capite, ventriculo, intestinis hæret) nulla putredine fœdatur. intestinis data, ne perpetuo bilis incursu (nam tertio fere die se folliculus fellis in intestina exonerare solet) intestina erodantur, nimisque stimulentur. *Superuacanea præter naturam.* Præter naturam est acida, & salsa: ambæ in venis consistentes. acida, nimio frigore talis euasit, non quemadmodum vinum; nam quæ à putredine ita acescunt, seruant quoddam [illegible]: tale nihil est in acida pituita. salsa, calida est, fit ex pituitæ putredine, vel vstione, vel ex mistione salsi & serosi humoris, vel bilis vstæ: *Aquea pituita, & vitrea.* Extra venas est aquea pituita; & alia vitro similis, & muccosa, vi caloris genita, quæ cum vi detinetur in aliquo loco, acerbissimos dolores inuehit, *2 De locis aff.* ita vt Galenus calculo se laborare, cum hæc illi molesta esset, putarit. *Gypsea.* quæ vitrea, si iterum vi caloris coquatur, gypsea dicitur, quæ in calculos & tophos abit in arthriticis. Acida frigida est, hinc aquea, dein vitrea. *Signa pituitæ copiosæ.* Signa luxuriantis pituitæ obseruantur ex rebus naturalibus, vt temperamento totius & partium principum: à facultatibus omnibus; & à rebus præter naturam, vt morbis: & rebus non naturalibus, vt aëre, cibo, potu, motu, quiete, somno, vigilia, retinendis; & animi affectibus. Cum hæ res conspirant ad pituitæ generationem, tunc ea luxuriat. Segnes facit, obesos, somnolentos, colore non roseo, stupidos. atque iis, vt Cicero ait, anima pro sale, veluti suibus data est.

CAPVT III.

De Bile.

Natura bilis. BILIS *substantia est tenuissima, leuissima, reliquis humoribus veluti flos vini supernatans.* colore naturali est citrina, qualis color cernitur in malo citrio: calida & sicca: sapore amara: genita ex calore hepatis, & chyli materia ad flammam paratiore. respondet æstati, isto argumento, quod tunc morbi biliosi corpora nostra affligunt; vt febres ardentes, & vomitus biliosi. Omnia in corpore nostro gelido stringerentur rigore, nisi flaua bilis obstaret. frigidiores partes, calfacit, partibusque calidioribus vna cum sanguine nutrimentum præbet: sanguinem fluxum reddit, vt prompte venas traiiciat.

Duplex bilis. Bilis autem duplex est: Alia nutriendum apta, quæ Alimentaria, vtilis, imo necessaria omnino. Alia superuacanea, quæ aut naturalis aut contra naturam. *Bilis nutritia.* Alimentaria bilis est quarta pars sanguinis, quæ in venis est tenuissima. crassiores sanguinis partes attenuat, vt prompte per venas peruehantur: partesque frigidiores calfacit. *Pallida bilis.* Si languidior fuerit calor, bilis pallida generatur, quæ ad citrinum colorem non surgit, vtpote non satis excocta; cumque vi fracti caloris à sanguine secerni nequeat, vertitur in ichorosam humiditatem: hinc febres synochi non putridæ. Bilis hæc alimentaria non naturalis redditur vel propriæ substantiæ corruptione: (vnde herpetes, tertianæ febres, & ardentes) vel alienæ substantiæ permistione (vt bilis sanguinea, pituitosa, melancholica.) *Varia bilis.* Hinc bilis quædam crocea, rubea, viridis & ad nigredinem tendens.

Superuacua naturalis bilis. Bilis superuacanea naturalis est ea quæ à folliculo attracta, naturali modo extra venas subsistit, genita ex tosta bile alimentaria quæ in venis continetur. & proprio ductu in intestina euacuatur, vt ea vellicatione ad egerendum excitet, & vt detergat pituitam muccosam quæ est in intestinis.

Bilis præter naturam qua druplex. Bilis præter naturam est quadruplex: vitellina, porracea, æruginea, & isatodes: vt enim varie torretur, ita & multifariam coloribus insignitur. *Vitellina.* Vitellina similis est oui vitello veteri & crudo; estque flauior, calidior, crassior flaua bile; oritur ab vstâ flauâ bile, caloris vi. hinc ex flauo, igneum colorem; & ex tenui substantia dissipata vi caloris, crassiorem suscepit consistentiam. Vnde cum flaua bile sit calidior, non videtur Auicenna recte contendisse hanc fieri, *Contra Auicennam.* quum miscetur portio pituitæ, flauæ bili; quia esset frigidior flaua bile. at omnes medici calidiorem dicunt. *6. Epid. 1. 38.* Galenus dicit pallidam bilem fieri, cum miscetur flaua bilis aqueæ humiditati: vitellinam vero consumpta humiditate aquea. *Ichor.* Plato in Timæo, liquidum ichorem vocat hanc aqueam humiditatem. Diocles antiquus medicus dicit, omnibus humoribus peculiarem ichorem adesse; eo ichore quum spoliatur bilis, vi caloris, vitellina redditur. hæc est sententia Galeni. *Vitellina bilis vnde.* Quod vitellina bilis non oriatur ex mixtione pituitæ, vt putat Auicenna, his rationibus conuincitur. Vitellina bilis est crassa & summe flaua, ergo non fit permistione pituitæ; nam hæc pallidiorem redderet. *Pallidus color.* pallidus color species tres auctione diuersas sub se habet; harum summe intensam ξανθὸν, hoc est, flauam vocant. colorem lumine remissum ὠχρὸν, hoc est, pallidum: medium πυῤῥὸν, quod est ruffum, vocitant. Singulique suum ambitum habent ad inferiores gradus. Plato in Timæo demonstrat πυῤῥὸν, hoc est ruffum, ex flaui & fusci contemperatione produci; pallorem, flaui & albi copula generari. Cum ergo Galenus vitellinam bilem ἄκρως ξανθὴν, hoc est summe flauam vocat, non ea fiet ex pituitæ mistione. *Vitellina vbi gignatur: & vbi alia.* Hæc vitellina bilis in venis generatur & in hepate: at porracea, æruginosa, & isatodes frequentius in ventriculo oriuntur. *Porracea.* Porracea, porro similis, oritur ex cibis calidis in ventre corruptis, nec in chylum abeuntibus: ex eduliis malis, vt à brassicæ, betæ, & olerum vsu. Aliquando tamen in venis gignitur, & decumbit in ventrem. Itaque calorem indicat præter naturam, vel olerum naturam. Quare sæpe, at non semper, nascitur in ventriculo. *Æruginosa.* Æruginosa feri ærugini similis, gignitur ex corruptis eduliis, vel ex vitellina bile nimium adusta. Quare vitellina bilis & porracea

porracea cum in ventriculo generatur, naſcuntur ex corruptis eduliis: cum in venis, oriuntur ex vitellina vſta. Iſatodes cæruleo colore eſt obſcuriore. ex ærugi- noſa magis aduſta oritur, vt teſtatur Galenus *ſecundo Prognoſticon aphoriſmo trigeſimo nono.* Auicenna Ziniariam bilem ſtatuit barbaro nomine, tam alienam à natura, vt ſit in venenis. dicit etiam ex porracea generari. quum adeo torretur vt in albedinem abeat, quemadmodum in carbonibus euenit. Sed id abſurdum: eſſet enim humor, ſine humiditate actu & potentia; non magis humor quam calculus. Signa abundantis bilis elucent ex rebus naturalibus: hoc eſt, temperamento totius & partium, calido & ſicco, quique calido ſunt hepate. a facultatibus naturalibus, vitalibus & animalibus. à rebus non naturalibus, vt eſt aër, potus & cætera talia: & rebus præter naturam, vt morbo. ex ſolemni euacuatione ſuppreſſa.

Iſatodes. *Ziniaria bilis.* *Signa abundantis bilis.*

CAPVT IV.

De Melancholia.

Alimentaria

MELANCHOLIA eſt triplex: Alimentaria, & ſuperuacanea: quæ aut naturalis, vel præter naturam. *Alimentaria ad nutriendum apta, eſt quarta pars ſanguinis craſſior, acerba, frigida, & ſicca, quantum humoris indoles ferre poteſt.* Seruit alendis membris frigidis & ſiccis qualia ſunt oſſa; & vinculo quaſi retinet ſpiritus & calorem, vt fiant conſtantes nec euaneſcant. vnde hi prudentiores, vt ſcribit Ariſtoteles. eſt enim, auctore Auicenna, ſpiritus & caloris vinculum. dicitur ſuccus melancholicus, non atra bilis. Huius ſucci duplex in corpore eſt finis, vnus τὸ εἶναι ἁπλῶς, alter τοῦ εὖ εἶναι, hoc eſt, vt ſit animal ſimpliciter, ob fibras: & vt melius ſit. Nam fibroſæ ſiccæque partes hoc nutriuntur, cum affuſo ſanguine: & retinet ſpiritus & calorem. maxime per corpora circumfluit autumno.

7. Phyſic.

Superuacanea. 1. 2. Nat. fac. 9.

Superuacanea melancholia quæ naturalis dicitur eſt craſſior fæx ſanguinis: à liene prolectatur, ac ventriculo confert ad retentionem, & ad famem excitandam.

Alia eſt præter naturam, quæ atra bilis dicitur. Galenus *ſecundi naturalium facultatum vltimo*, dicit, huic nullum nomen inditum fuiſſe, niſi quod eam quidam radentem & acidam appellarunt: quia acris fit in modum aceti, corpus & terram radit, & ebullitione fermentat terram. nam dicit, ex vſtione acredinem aſciuit, ac in cinerem quaſi abiit. nam naturalis ſuperuacua eſt quaſi fæx non vſta; at hæc, quaſi vſta fæx. Eſtque triplex, vel ex vitellina bile, vel ex ſanguine, vel ex melancholico ſucco naſcitur. Galenus *libro ſecundo Naturalium facultatum* dicit oriri, cum vel calore vruntur, vel putredine feruescunt. differunt calore, vt humor fuerit vnde oriuntur. A melancholico ſucco quæ fit atra bilis, ita differt à priſca ſua natura; qua fæx vſta, à non vſta. nam acris euadit, & terram fermentat: non tamen ita vt illa atra bilis quæ enata eſt ex vitellina bile; nam ea eſt omnium peſſima: tanto malignior, quanto bilis eſt ſucco melancholico acrior. in terram effuſa, fermenti more attollit & radit, ſplendetque. hæc in perniciem ægri ſemper excernitur: nam omni feri ſui benignitate ſpoliata eſt ab æſtu; quare effera, omnia corrodit & cancroſa efficit. Quæ fit ex ſanguine vſto, omnium eſt mitiſſima. vide Galenum *ad Aphoriſmum decimum quartum, libri ſecundi Porrheticon*: & Hippocratem *De aëribus, locis, & aquis.* Negat doctiſſimus Fernelius à ſanguine fieri. Verum Galeno ſtatuitur ea quæ ex ſanguine, ſemper mitior, quam quæ à ſucco melancholico fit; igitur diuerſa. Aetius etiam dicit omnem ætatem quartana corripi.

Atra bilis triplex. *Ex ſucco melanch.* *à ſanguine.*

Num ex pituita. 2. Prog.

Auicenna adiecit atram bilem ex pituita. Reſpondet Manardus 9. *epiſt.* 2 & Hippocrates negat in ardentiſſimis febribus, & in thorace, partium omnium calidiſſima; atram bilem ex pituita oriri poſſe. Igitur nec vnquam, nec vſquam id euenict: Et pueri qui epilepſia tentantur, nunquam fiunt melancholici. Equidem agnoſco ex dulci pituita ſanguinem, ex ſanguine bilem & melancholiam gigni, & ex his tandem atram bilem: ſed, vt pituita ſegregata à ſanguine in atram abeat, negamus. Nam quæ extreme diſtant, mutari in ſe inuicem nequeunt, niſi per media. ſunt autem extremi colores albus & niger. albus non niſi per pallidum, rufum, flauum, rubrum, in nigrum mutari poteſt. Deinde, ſegregata à ſanguine pituita, vel reſoluitur in flatus aut aquam, vel concreſcit in vitream, vel gypſeam, aut corrumpitur in ſalſam. & vſta pituita nunquam aceſcit.

Signa ſunt, hypochondrium ſiniſtrum diſtentum flatubus, &c. apud Fernelium *de ſignis*; ibi omnium humorum ſigna pulche refert. Succus melancholicus non concreſcit: ſanguis concreſcit.

Propriæ itaque cuiuſque ſucci dotes, hæ. Pituitæ, vt in ſanguinem coctione faceſcat, artuſque riget. Bilis, vt excretricem vim inteſtinorum irritet, & à pituita ea liberet. Melancholiæ, vt acerba vi ventrem tendens, firmet, & in amplexum ciborum cogat, dum coquantur. Sanguinis, vt nutriat & calfaciat: tantum enim caloris, quantum ſanguinis obtinemus.

Sed dum nos hæc, quæſo, memor ſit ſtudioſus, vt in exercitationem medicam hæc abducenda putet. Hoc enim ſcopo, nimirum ad dignoſcendum corpora, ſigna, morbos, & eorum cauſas, hæc diſcimus. prætetea ad prænoſcendum, & curandum. Ab humoribus enim excretis, & ex eorum circumfluentium per corpora ſignis, plurimum iuuamur in præſagiis, & dignotione morborum, & cauſis morbificis. Et in curando maxima Indicatio ducitur à cauſa morbifica, quæ ſæpe humor. Sed perpetuo menti hæreat, duplicem quemque humorem eſſe, nutritium alium, alterum vero excrementitium. Profecto ſi Paracelſus nutritium ab excrementitio potuiſſet internoſcere: non ita hos dilapidaſſet. Inſpicite à vena ſecta eliſum ſanguinem, nutritios humores videbitis. Dum enim conglobata fuerit illa ſanguinea maſſa, in ſupremo loco purpuraſcentem bilem videbitis: voluite maſſam, in fundo atra melancholia erit: media ſi inſpexeritis, lenta notabuntur, pituitam vocamus; & omnia hæc, purpureo quodam colore à mero ſanguine imbuta. Vocent alij ſulphur hæc, ſalem, mercurium, de nomine cum nullo contendo. Sed in folliculo fellis alia bilis eſt, excrementitia illa. an, ô Paracelſe, Aſclepiadum ſchola vnquam dixit corpora ex his conſtare? ex his nutriri? cancros potius ex his contaminatis aſſeruit. Cum itaque neceſſaria ſit medico cognitio rerum earum ex quibus conſtamus, & Hippocrates demonſtrarit nos conſtare ex humoribus quos ex ſanguine materno hauſimus; ratum ſit, neceſſariam de Humoribus ſcientiam eſſe. Quibus autem modis integros humores, & temperies corporis tueri liceat, eleganter docuit Galenus, *libris de ſanitate tuenda, & De Alimentis*: quare ego ſuperſedeo.

INSTITVTIONVM MEDICINÆ LIBER QVINTVS,

De Procreatione Hominis.

CAPVT I.

Quid sit semen. Vnde effluat. Mutili cur integros procreent pueros. Semen quo modo generet hominem. De muliebri semine.

DEVS optimus maximus, maris, & fœminæ permistione, nouus vt fœtus sobolesceret in caduca hac mortalitate iussit. Propterea semen fœcundum vt in horum corporibus adolesceret voluit. Hoc autem ex humoribus, de quibus hactenus, primordia ducit sua. *Homo constat ex quatuor humoribus.* Etenim cunctæ corporis partes sanguinem (in quo quatuor nutricios humores inesse demonstrauimus) sibi dicatum prolectant: quo hunc apponant, agglutinent, & assimilent. Quod ibi tum superest, in seminis abit materiam. Nam testes, per vasa semini dicata, à vena caua & arteriis sugunt putum putumque sanguinem; hæc iterum ab aliis venis ac arteriis grandioribus; quæ iterum ab exilibus proliciunt; quæ nutricatum deferunt singulis partibus, & ex illis bibunt id quod restibile est ex nutricatis solidarum partium. Ita ex quatuor succis, qui in semine sunt, gignitur homo. quod semen cum misceatur cum semine menstruo (in quo oculis & manibus tangi possunt quatuor humores) quis quæso tam veritatis osor hos à fabrica humana vt excludat? Cunctæ quæ in lucem veniunt res ex semine nasci videntur, cui Deus mundi architectus vim quandam indidit, qua species quæque perpetuarentur. Seminis itaque natura est nobis perspicienda & vis, quo sciamus, quomodo humanum corpus procreatum sit. Cum autem nihil melius rei alicuius naturam aperiat definitione; eam scribamus duplicem: vnam breuem, memoriæ accommodam; alteram, doctrinæ causa, paulo prolixiorem.

Quid semen, definitur. *Semen est corpus spumosum, in testibus elaboratum, procreandi hominis causa.* Vel, *est corpus similare spumosum, dilabens à toto corpore, in testibus elaboratum, quod in vterum eiaculatur, vt ex eo homo procreetur.* Hãc si definitionem explicauero, postea iure supersedebo. Dixi esse corpus similare: nam ita hoc esse demonstrauit Galenus ex sententia Aristotelis, Athenæi, imo & ex sua. *1. De semine 5.* Nam quælibet vel minima pars seminis est semen, etiamsi quod primo prodit crassius sit, quam quod vltimo.

1. De semine 5. Diximus, esse Corpus spumosum: ita Galenus lubenter amplectitur fabulam Veneris natæ mari spumoso. Sedqua causa spumescit? vt Spuma nascatur, opus est corpulenta materia, & vaporosa: & vt talis materia agitetur motu, vel calore, vel vtrisque. *Cur spumosum semen. 1. De semine 2.* Semini est corpulenta materia, quia est excrementum vltimi nutricatus; vaporosæ illi materiæ loco est spiritus vitalis; non autẽ flatus: nam si is hic esset, nõ seminis eiectione animalia languescerent plus, quam à sanguine effuso. calor iunctus motui hîc, efficit in ea materia seminali spumam ex Hippocratis etiam sententia.

Diximus præterea in definitione, semen dimanare à toto corpore, ita loquitur Hippocrates *libro de genitura*, *Lib. De genitura.* semen à toto corpore deciditur, hoc est, à solidis partibus, & etiam mollibus, & ab omni humido, hoc est à sanguine, & cæteris succis. itaque à toto corpore manat semen. Sed quo modo à toto deciditur? Galenus *primo De semine vndecimo*, scribit semen non fieri ex colliquatione totius corporis, sed ex coctione sanguinis. At nonne bellum gerit Hippocrates cum sua propria sententia, qui ait à toto fluere semen corpore: *4 De morbis. Semen vnde effluat.* & tamen affirmat (& vita hæc hoc docet) integros fœtus procreari ex mutilis parentibus? Sed respondet Hippocrates, mutili parentes tot habent membra, quot filij integri. Quare Hippocratis sententia non fuit, quod semen à qualibet parte effluat, ea ratione vt ex digito patris gignatur digitus filij. Rectè itaque accipiatur Hippocrates. Natura sagax non ex vna parte principe voluit semen proficisci, ne concidat animal: sed ab omnibus. non tamen vt à brachio quod funditur semen, brachium gignat; quamuis, vt mox dicemus, similitudinis in brachio causa esse possit. Nam omne semen stabulatur in testibus, idque decus suum induit, quo prolificum euadit. Itaque cum Hippocrates scribit, semen à toto corpore venire; si intelligere id velimus de seminis materia, certe illa decidua est à plurimis partibus corporis: sed procreatricem vim bibit à testibus. Sed quo modo mutilus pater refert integri pueri membra? δυνάμει dico ea habet. quia in semine à toto deciduo quod excultum est in fœcunditatem à testibus, ea vis indita est, quà totum puerum procreet. *Mutili cur integros procreent pueros.* Itaque non fuit hæc sententia Hippocratis, vt semen à toto fluens, quælibet totius pars, progignat talem partem, vt quòd à brachio funditur, brachium gignat, vt Philosophi male illum intellexere. Sed dicet quis, si semen à toto corpore deciditur, ergo in cunctis partibus adesit semen. *Dubium.* itaque dubitamus, cur spermaticæ abscissæ partes non reuocentur: nam eum genitæ sunt ex semine, eo etiam nutrientur: cur ergo non repullulant? *1 De sem. 12. & penult.* Cum itaque hoc non eueniat; videbitur certo semen non dimanare à toto corpore. Respondemus, generatur quidem in partibus solidis semen; at non ea copiâ, qua generationi par sit; sed nutritioni sufficit. nec etiam vasa habet semen, quò reponatur, vt tam diu hærere possit. *1. De sem. 13.* Vena tamen renasci potest, ob tenellam naturam; arteria non ita. Ergo semen non fit colliquato corpore, sed à sanguine cocto etiam in venis quæ propè à partibus solidis absunt. Propterea dicimus semen esse partem superfluam, ratione partis producentis: nam est vtile excrementum.

Diximus in definitione, A testibus elaboratum. nam ibi fœcundam vim, vltimumque decus induit. Nec id reclamat Galeno, *secundo* * *De semine quarto*, dum in vasis semini dicatis hoc elaborari scribit. ** & 14. De vsu part. 11.* Non enim propterea credendum est, perfectius in testibus non effingi: argumento sunt Eunuchi; nam hi, etiam illæsis vasis spermaticis, non gignunt. *Testes faciunt semen.* & his abripitur corpus in alienam qualitatem; quod insigni testium vi spoliati viuant. etenim testes non aliter vim suam traiiciunt per totam corporis œconomiam, quam vis vitalis & animalis. Vt autem hæc pars Definitionis rectè intelligatur, tria enarrabo, primum quo tempore hæc vis elaborandi semen floreat in testibus. secundum, quo modo semen alliciatur à toto corpore ad testes. tertium, num semen exacte in testibus fœcunditatem bibat. Scribit Hippocrates hanc vim in testibus efflorescere, dum hirciunt homines, hoc est ea ætate, qua vocem grauiorem edunt, & venerem agnoscere incipiunt; nimirum à decimoquarto anno. *6. Epid. 1.* Quo vero modo alliciatur semen ad testes à toto, difficile scribi potest: puto tamen id fieri non alia vi, quam tali, qua pharmaca adducunt purgandos succos. & quare hos trahunt pharmaca? propter similitudinem, qua illis consociabilia sunt. talis similitudo est inter testes & sanguinem coctum seu semen. Et vt pharmaci vis venit ad humores ducendos, non aliter vis testium ad sanguinem coctum: nam totum hæc vis corpus peruadit: & in testibus viget sincerissima seminis qualitas. Num verò exacte in testibus fœcunda vi imbuatur semen, iam indagandum. *1. De sem. ca. penult.* Dicimus fœcundari semen à

testibus

testibus,non tamen exacte.imo idonea esse debet materia ea quæ accipiet vim formatricem, & in testibus elaborari,quô hac vi rigetur à testibus. Verum testes ipsi hac vi perfunduntur,à toto & à partibus principibus, & maximè à spiritibus vitalibus. ob id scripsit Galenus, semen plene rigari ac perfundi spiritu vitali cum elaboratum est in testibus. Itaque vis illi formatrix semini elaborato in testibus affunditur maxime à spiritu vitali. *2 Generat. animal. 3.* Et hoc forte voluit Aristoteles, vbi scribit semen esse fœcundum propter spiritum. Fœcundum semen intelligit,quod decoratum est vi formandi. Sed cur ob spiritum est semen fœcundum? quia, inquit Aristoteles,in semine est vis respondens elemento stellarum:quia sicut generat cœlum & conseruat elementa;à pari hæc vis generat & conseruat semen fœcundum. Si itaque semen fœcundum est ob spiritum vitalem quod vis procreatrix in semine stabulatur,itaque hæc vis affluet testibus.

Quo modo excipiatur vtero,

Diximus præterea in Definitione:id in vterum eiaculari:per vterum inteligimus eius collum & internum spatium. Semen propellitur tensione spermaticorum vasorum à viris in collum vteri mulieris,& in fundum vteri(cum concipit mulier) trahitur. At fœmineum semen effunditur tam in collum quam in fundum vteri, vt testatur Galenus, *libro de Vteri sectione*, ex anatomicorũ sententia, qui prodidere,vasa quædam ad collum vteri deferri;alia autem,his ignota, ad vteri apices. Sed his reclamat Fernelius;nam,ait,hoc semen in ingrauidata muliere si in fundum effunderetur, putresceret. Respondemus:Natura sagax tunc vteri maxime in collum effundit semen; & exigua pas seminis quæ in fundum præcipitata fuit, vnà cum lochiis extruditur in parturigine.quin Galenus asserit in ingrauidatis ani- *2. De semine 1.* mantibus conspici semen super membranam allantoiden.Postremo in Definitione diximus, vt ex eo homo procreetur: hic est finis optimus.

Quo modo generet semen hominem. Lib. 1. de semine. Semen concurrit actiue & passiue,

Sed quo modo ex semine gignatur homo, non conuenit inter Hippocratem & Aristotelem.Nam Aristoteles putat semen tantum concurrere cum sanguine muliebri vt efficiens causa,postea euanescere, cum officium fecit in sanguine menstruo elaborando. Hippocrates contra,id ponit & efficiens & materiale. idque probat *initio libri De natura pueri*, in genitura psaltriæ, elapsa sexto die. Sententia itaque medicorum & ipsarum mulierum est,cum fit conceptio,semen retineri in vtero;dum illud totum elabitur,irrita est conceptio atque frustra. *14. De vsu partium 7.* Docet Galenus, in semine contineri vapidam partem, & corpulentam: vapida parte, hoc est spirituosa,concurrit semen actiua vi;at corpulenta sua parte, concurrit vt materia passioni exposita. hac ratione fugabitis philosophorum hac de re controuersias. *7. Sanit. tuend. 2.* Cum autem dicit Galenus muliebrem sanguinem conuenire vt materiam; semen, vt agens ac vim effectricem: dicere vult, quod in semine vis effectrix multis parasangis excellat materiam eius: ex aduerso, in muliebri sanguine efficacior est materia, quam vis agendi. nam semen maiori vi spirituum vitalium turget;non ita sanguis.

De Muliebris seminis vsu

Hæc hactenus de virorum semine: iam addamus quid de muliebri.Colligimus ex Galeni *libro primo De semine, capite quarto & quinto*, etiam vsus aliquos esse semini muliebri. Ab hoc rigatur vteri cauitas, cum virile non ea copia elidatur,quâ totum vterum occupet: sed miscentur hæc semina in vnam compagem. Vtile etiam hoc semen,ad fabricam allantoïdis tunicæ. Deinde etiam est semini virili pro esca, ineunte conceptu. per escam non verum alimentum accipe,sed quasi alimentum;nam semen non vere & exacte alitur.

CAPVT II.

De Fœtus formatione, & de Secundinis, de Temporibus fœtus. Num mas vel fæmella gestetur.

SVPEREST vt de fœtus formatinoe agamus. Dicimus fœtum fabricari à formatrice vi, quam vocat *1. De semine 10.* Galenus vegetabile principium. Et tamen de hac vi formatrice dubitare videtur Galenus: verum *secundi De temperamentis vltimo*, formatricem hanc agnouisse videtur. Scribit ibi Aristotelem dubitasse, vtrum hæc vis formatrix prodeat ex elementis;hoc est, num sit ex temperie calidi,frigidi,humidi,& sicci: vel num potius sit quid aliud ab elementis. Credendum est,inquit,cum calidum,siccum,humidum,frigidum, sint instrumenta fœtus formationi dicata, formam quid aliud esse ab elementis & à temperamento: & quod temperies accedit ad fœtum efformandum vt instrumentum, & agens secundarium: sed vis formatrix hæc, prodit ex forma parentis, tanquam princeps actionis. Hæc itaque vis effingit fœtum, at non ex quauis materia, sed ex sanguine, & vtriusque parentis semine: Et hac etiam lege,vt non cunctæ partes ex eadem materia prodeant, nec vt eodem tempore proferantur. Ne quid confundamus, primo de membranarum productione agam, quibus inuoluitur fœtus, mox ad fœtum me vertam.

Membranæ fœtum inuoluentes tres.

Tres sunt membranæ quibus includitur fœtus. Prima appellatur choroides, extima omnium: hæc vtero adnascitur orificiis vasorum, hoc est osculis venarum & arteriarum:quo huius combinationis beneficio hæc membrana plurimam venarum & arteriarum sobolem accipiat. Tota hæc soboles tandem in binas venas totidemque arterias abit, quibus aduehitur nutricatus fœtui. Hæc membrana non cingit totum fœtum, sed, instar fasciæ,tantum pectoris & abdominis partem. Fabricata fuit hæc tunica ex vtriusque parentis seminis parte impuriore. Huius internæ parti adnectitur allantoides membrana, quæ fabricatur ex semine muliebri solum, cum in profundum vteri proiiciatur; & totum fœtum cingit.rigatur venis & arteriis; quibus adnectitur secundinis,hoc est chorio.& cum secundina non inuoluat totum fœtum,hæc allantoides vltra chorion hæret vtero,non autem adnascitur vtero vt chorion, sed illi adhæret solum. Hac membrana seruatur lotium. Vrinalis enim meatus prodit à fundo vesicæ fœtus, & peruenit ad cauitatem illam quam efficit allantoides & & amnios.Nam tertia tunica est amnios:tenuis illa totum excipit fœtum;& iungitur secundæ tunicæ, beneficio vasorum vmbilicalium. Pronascitur ex vtriusque parentis semine impuriore sed non adeo impuro vt illud, ex quo chorion,sudoris hæc receptaculum dicitur. Vesalius quartam addit tenuissimam, quæ amplectitur totum fœtũ; quæ interdum prodit cum fœtu,sed sæpius cum secundinis indusiũ vocant. vsus eius, vt sordes crassiores accipiat. Fæces nullas excernit infans; nam ex sanguine puro nutritur: quare nec his tunica debetur. Hæc est Galeni sententia.qui volet accuratas de his obseruationes, legat Aurantium *De formatione humani fœtus*; qui quædam, vsu secandi, in humano corpore aliter obseruauit,& profecto scitu digna & necessaria. Ego hîc,qui depingo synopsin quasi ad lectionem veterum, *in Institutionibus* ab eis abire nolui, quo rectius illi intelligantur. Id tamen fateor Aurantium optime quam plurima obseruasse, & vere: vt ea quæ de corticosa substantia vteri dicit in ingrauidatis, ego ita deprehendi sectione mulierum,& quæ de placenta vteri, cotyledonibus,de venis & arteriis vteri, vasis vmbilicalibus, & de vracho optime ille in paruo illo libello *De humano fœtu.*

Partes vnde quæ suo fiant.

Iam ad formationem fœtus redeo. Hæc vt commode percipiantur, hac hypothesi vtemur, Non cunctas particulas fœtus ex eadem materia fabricari. nam quædam herbescunt ex solo sanguine. etenim, vt testatur Galenus, hepar & cor ex sanguine sobolescunt. eo tamen discrimine, vt hepar ex crasso è venis effuso sanguine; cor vero ex tenui per arterias dimanante effictum sit. at cerebrum ex tenuissima parte seminis, vim ad centrum rapiente spiritu. Vnde illud obseruabile, Flatus natura sua ad peripheriam ferri corporis; verum spiritus, ad centrum, ob sui tutelam: nam est principium per se mobile. At crassior pars seminis ad circumferentiam propellitur, vnde effingitur cranium: vt ea crassitie sua sit propugnaculum & quasi tutela tenuiori semini & spiritibus. Itaque hoc ratum sit, aliquas partes ex semine, nonnullas vero ex sanguine graminescere. Secundo, talem ponemus hypothesin, cunctas partes non eodem tempore pronasci. Cum enim similitudo quædam intercedat arti cum natura, cuius ars imitatrix est: cumque ars non omnes partes in fabricis suis simul absoluat: nec naturam id facere putabimus: vtpote cui illud studium perpetuo adsit, vt ab imperfectis ad absoluta prorepat. Quin vsus illum morem naturæ aperit: nam in abortiuis fœtibus id conspicium est: quin dentes, & in brutis cornua post emicare solent. Quare non immerito dubitat Galenus de serie filoque quo enascuntur in fœtu partes: & ingenuo illo verbo vtitur, nescio. Sed si quid verisimile liceat proferre, dicam hepar primo, secundo cor, tertio cerebrum exsplendescere. Id puto innuere vsum partium. Nam vt genitus fœtus aleretur, non necesse fuit vt micarent arteriæ: quin minime visu vel auditu opus fuerit: etenim plantæ vitam prius viuit nouus fœtus, atque ita nutritur.

Gal. De format. fœtus 2. & 1 De sem. 2.

Flatuum & spirituum contrarius motus.

Partes num cuncta simul creentur.

Quatuor fœtus tempora.

Propterea agnouit Galenus quatuor in fœtu tempora: quæ perpendi exacte debent Quatuor etiam temporibus fœtus absoluitur ex Hippocratis sententia. Primum, dum adhuc semen apparet: qualem in elisione facta à psaltria. ideam notauit Hippocrates hanc substantiam vocat non fœtum, sed geniturain. sexto die psaltria eam excussit, & characterem non solius sanguinis, sed & seminis præ se ferebat. Secundum fœtus tempus est, cum illa moles carnea apparet, ita vt non æque semen in ea conspicuum sit: attamen necdum in carnea hac mole elucent efformata viscera, sed rudimenta tantum eorum quædam adumbrata sunt. Tertium tempus est, cum iam viscera efformata elucent, ita vt etiam in reliquis partibus fœtus appareat conformatio; quæ tamen conspectior exsplendet in visceribus, quam in cæteris partibus: & hoc tempore dicitur ab Hippocrate fœtus integer. Vltimum tempus fœtus est, dum is mouere se incipit: & tunc non amplius fœtus, sed infans appellatur ab Hippocrate. Sed dices, quodnam est tempus fœtus, quodnam infantis? Fœtus tempus, ex sententia Hippocratis, est plerumque quadraginta duorum dierum, ad spatium, quod longissimum est: vltra quod tempus si excurrat fœtus, inquit Hippocrates, grauiter affligetur, ac breui morietur. Diximus longissimum tempus fœtus esse quadraginta duorum dierum; vel, vt idem ait Hippocrates, paulo breuius, vel paulo longius. nam masculus trigesimo, vel vigesimo quinto die absolui potest. si fuerit fœmininus fœtus, absolui poterit trigesimo sexto die, & plerumque quadragesimo secundo. Quod longe prolixius excurrere nequeat tempus hoc, probat Hippocrates à lochis: Nam vt lochia coaceruantur in fœtus formatione, ita & in puerperio excluduntur: at quadraginta duobus diebus illis defunguntur, si vero marem pepererint, triginta diebus lochia puerperis fluunt. Et ineunte parturigine, copiose fluunt proximis diebus lochia, quæ eunte die sensim acciduntur: ita vt in fœminino fœtu exarescant quadragesimo secundo à partu die; in masculo vero fœtu, trigesimo finiuntur. Eodem itaque modo vt effunduntur lochia, ita & coaceruata fuere in primo ingrauidationis tempore Nam ineunte conceptu, coaceruatio huius excrementi fit perampla. nam exilis fœtus pauco nutricatu eget. propterea vberrime illico à partu erumpunt lochia, & sensim fistuntur. Hæc etiam testatur abortus: nam inquit Hippocrates, si abortiat mulier fœmellam quadragesimo secundo die, integra erit efformatio: sin marem, trigesimus dies integrum dabit. Ita habemus tempora fœtus: Hoc Carmen id fere dicet:

Lib. de elb. mestr. & De nat. pueri.

Sex in lacte dies; ter sunt in sanguine terni:
Bis seni carnem: ter seni membra figurare.

Hic prima pars, exprimit genituram dictā Hippocrati seminiformem. secunda pars hic notat carniformem molem, in qua principum partium nondum conspicua admodum rudimenta: fœtus dicitur Hippocrati. Tertia pars delinea: tria membra, hepar, cor, cerebrū, & cæterarū adest adumbratio, ramificatio quodāmodo Hippocrati. Quarta designat articulata cūcta, cū iam calcitrat & mouetur, dicitur puer & animal Hippocrati. Tempus vero infantis apud Hippocratem, *libro De natura pueri*, est, cum puer mouetur. id fit in masculo, mense tertio: in fœmina quarto mense. Nam mas ex semine crassiore concreuit, vnde cum citius stabilimentum sumat, etiam citius mouetur, calidiore vegetioreque semine natus. Et si quid certi sit ad dignotionem gestati fœtus, num masculus vel fœmina, non rectius quam à motus principio id accipimus. Ita de tempore fœtus & pueri vere ratiocinamur, modo vnicus gestetur fœtus: sed quid si gemelli? eorum procreationis causas videamus.

Tempus infantis.

Num mas vel fœmina gestetur.

CAPVT III.

De gemellorum procreatione, & Fœtus in vtero alimento. & de similitudine pueri cum parentibus. & cur mas vel fœmina gignatur

SCRIBIT Hippocrates vnica venere gigni gemellos; quod in diuersas vteri partes abeat semen: nam obtusos angulos cum habeat vterus, id facile eueniet. Argumento sunt canes, qui vnica venere plurimos fœtus concipiunt. Ita in muliere si in diuersas partes se insinuarit semen satis copiosum, fient gemini membranis distincti: sin non satis copiosum in alterum sinum abierit semen, in alterum autem copiosum & fœcundum, simul procreabitur fœtus & mola, vel quid simile. Si gemini fuerint eiusdem sexus, fœtus vterque eidem secundinæ inuoluetur: attamen intercessione tenuissimæ membranæ interstinguentur. Sin diuersi fuerint sexus, etiam peculiares sortiuntur membranas inuoluentes: Nam mares fiunt ex simili semine.

Lib. de nat. pueri. & de alimento.

Iam de fœtus alimento. Scribit ex auctoritate Hippocratis Galenus, fœtum non solum ex sanguine, sed etiam ex lacte nutriri. à sanguine, nimirum arterioso & venoso, qui à toto corpore allabitur vtero. Allabitur hic sanguis longe alia ratione vtero, in fœta muliere, quam cum his non ingrauidatis, singulis mensibus excluditur. nam tunc exclusus à cæteri partibus, ad vterum propellitur; non autem attractus vtero affluit. at in fœta attrahitur sanguis sensim singulis diebus. propterea asserit Galenus in semine vigere vim tractricem, coctricem, & expultricem. Attrahit itaque sanguinem, cuius puriore parte pro nutricatu fruitur, ac in substantiam fœtus migrat: alia pars facessit in lac, altera fœdior pars in excrementa abit. Sed quo ablegatur hoc excrementum? Duo habet

Alimentum fœtus in vtero.

1. De semine 7. & 5. aph. 37. De natu. pueri.

1. De causis symp. 2.

Lib. de atra bile. 8.

receptacula. nam inter allantoidem & amnion membrãnas, maximeque ca regione qua effunditur vrina, deponitur. alterum receptaculum est in venis corporis vteri; & in puerperio vna cum lochiis excluditur. Fœtus itaque quocunque tempore fruitur sanguine materno; sed postremis mensibus l.. te etiam alitur, cum turgent mammæ.

Similitudinis causa cum parentibus.

Addamus iam quædam de similitudine liberorum cum parentibus. Causa huius rei est formator ipse, qui est vis ipsa formatrix. Sed quo modo? Vt hoc elucеat, indaganda erit causa similitudinis quæ fit secundum speciem, dein secundũ sexum, vltimo secundũ effigiem. Galenus *secundo De semine secundo*, quærit, cur non potius sequatur similitudo speciei patrem, cum ille robustã vim seminis effundat, sed potius matris ideam ducat? vt ex capra & ariete pronascitur hircus vel capra, nõ ouis.

2. De sem.

Hoc fit, inquit, quod fœtus non solum gignatur beneficio facultatis, sed etiam materiæ. & cum duplex sit principium conceptionis, agens & materiale: quamuis menstruus sanguis vtroque gaudeat, materiale tamen potissimum agnoscit, & semen agens, principium vberrimum sortitur. Cum itaque speciei similitudo assecla sit materiæ & substantiæ, quæ maxime in matre florent, ideo potius proles referunt speciem maternam. Alterum, cur modo mas, modo fœmella nascatur, causam esse dicit Hippocrates, robur vel infirmam vim seminis, vtriusque parentis, iam commixti. Validum voco semen crassius, siccius, calidius. Si itaque mixtum semen vtriusque parentis debile fuerit, tenue, aquosum, fœmina progignetur. Sin alterius parentis semen vegetum efflorescat, alterum vero imbelle; si superarit imbelle, siue ex viro siue ex muliere exilierit, fœmina fiet. si robustius superarit, mas gignetur; si vtrumque æquali robore splendeat, fiet hermaphroditus. Monuit Hippocrates, imbelle fœmineumque semen à patre prodire posse, vt & validum ex muliere: quamuis hoc rarius fiat. Visus hæc notauit. nam quidam mariti ex vxore solas fœmellas gignunt: cum aliis cõgressi, & mares procreant; quia semen meretricis huius robustius est vxoris, & vterus calidior. ita mulier cum apud primum maritum fœminas proferret, interdum ex secundo masculos; quia iungitur calidiori mari. Quare ex semine patris producitur & fœmella: & ex matre masculus. nam ab eodem homine semen vegetum, & languidum etiam effluit in vna venere, ita vt postrema eiaculatione imbecillius prorumpat semen: .. t vno concubitu & masculus & fœmineus fœtus semin.. ur.

De nat. pueri. 14. De vs. art. 7.

Cur mas vel fœmella generetur.

Hermaphroditus.

Cur mas in dextris generetur.

Sed quænam est causa quod masculi cubent in dextra vteri parte, fœmina vero gignatur in sinistra? Quia dextra pars est validior sinistra, ob hepatis situm, & vasorum irrigationem: nam ampliores venæ dextram vteri partem peruadunt, vnde calet dextra pars vberius. præterea calidius semen excidit dextris mulierum & virorum testibus. Fieri tamen potest vt à dextro teste profectum semen sinistræ vteri parti inferatur, ita à sinistro viri teste in dextram vteri partem elidi poterit. Vnde videtur quod vterus potior in hac re est semine: nam nouem menses is à fœtu habitatur: sed tam diu non perennat semen: imo post sex dies hoc commigrat in aliam ideam rubram & carneam. Itaque robustum semen eiectum in sinistras, earum frigidiore habitu languescet ac effœminabitur: ex aduerso languidius semen dextris ab vtero acceptum, vegetabitur ac virescet in virum. Attamen, vt scribit Galenus, plerumque dextris mares gestantur partibus vteri. fieri tamen potest, vt à sinistro teste immissum semen in dextram vteri partem procreet fœmellam: quod nimirum valde langueat semen interdum, adeo vt nec vegeta vteri dextri pars in vigorem masculum erigi possit: & ex aduerso euenit.

Gal. 2. De sem. 5. & 14. vsu part. 7. Hip. De superfœt.

14 De vsu part. 2.

6. Loc. aff. 5.

Cur gemini masculi, vel fœmina.

Sed quæ est causa in gemellorum generatione, vt nunc ambo mares sint, nunc fœminæ, nunc mas & fœmina? Docet hoc Hippocrates, libro De superfœtatione: cum nimirum semen valida vi nitet iam mixtum vtriusque parentis & iam secessionem fecerit in duas partes in vtero; ex robusto hoc semine prouenıunt mares; sin debile id fuerit, fœminæ; si vero altera pars seminis eualescat tantum robore, mas & fœmina creabuntur. Hæc etiam vnica venere euenire poterunt: nam sæpe euenit vt postremo emissum semen langueat magis.

Similitudo effigiei.

Inuestigandæ iam sunt causæ similitudinum & dissimilitudinum ex effigie parentum; nam hactenus de similitudine speciei, & sexus. Galenus cunctas causas ad semen refert: nam & mascula & fœminea proles, modo patri, modo matri similis euadit: modo partem aliquam refert parentum, modo nih.l. Plerumque tamen patris filius similis est, ob vim masculi seminis. At cur non semper patri similis est? Hippocrates *libro De superfœtatione*, & De Aëribus, locis & aquis, hoc docet: nam hæc similitudo nascitur à semine, quatenus id dimanat à tota corporis œconomia. hoc est, nonnunquam plus effluit à patre, interdum à matre. ab hac copia est hæc similitudo. Ita aliqua pars in liberis matrem refert, alia patrem, vt copiosius illud ex parentis vtriusque partibus affluxit semen. Hinc est quod morbosi parentes tales etiam proles proferant, surdi surdastros, cæci cæcos. Hæc est causa similitudinis. Sed quo modo semen in causa erit dissimilitudinis? Galenus refert cunctas causas in semen. inficitur interdum semen, tempore veneris, vel ingrauidationis, valida ab imaginatione parentum. vt si pater, dum hoc agit, imaginem quandam valide conceperit mente, filius huius characterem exprimet: sin matris imaginatio fortior fuerit, hanc testabitur effigie sua fœtus: vt si Æthiopem cogitet, quod de Chariclea narrat Heliodorus, quæ alba, ex Æthiopissa nata fuit. Ita *ἐνεργῶς* semini indetur talis vis. alias *μέσως*, per sanguinem mulieris, cum imaginatio post conceptum inficit fœtum. Cum nimirum tunc imaginatio mulieris sanguinem fœtus nutricium inficit: nam in eo non solum est principium materiale, sed etiam effectiuum: & alumno suo imprimit hic sanguis conceptam à matre imaginem. Ita si mora petet ingrauidata vehementer, vi imaginationis fortis, imprimet semini & sanguinis menstruo notam. ita, vt dicit Hippocrates, si carbones petat ingrauidata, & hos comedat, in capite nota erit carbonis. dicit in capite: nam ibi habitat imaginatrix.

Dissimilitudinis causa.

De superfœt.

CAPVT IV.

De Fœtus conceptione. quo modo ea fiat. Semen quodnam fœcundum. quibus opus ad conceptionem.

Quid sit conceptio.

SEd videamus iam quid sit conceptio, & quo modo ea fiat. *Conceptio est viuificatio seminis fœcundi, ad formandum fœtum.* suffecerit illa: sed vt omnia includamus mox notanda, addamus, *Prodiens à proprietate corporis vteri; concurrente maris & fœminæ concubitu, propter speciei conseruationem.* Hæc historia serie quadam à nobis explicabitur. Primo itaque indagabimus, Quo modo fiat conceptus. secundo, definitionis partes enarrabimus: nam causam insanæ libidinis, scholæ parcens, omittere volui. Modus conceptionis hic est, cum iungitur fœmina viro, vir eiicit semen in collum vteri: fœmina in vterum; & in eius collum. Vteri collum tunc aperitur, & prolectat semen, ac id arctissime amplectitur. Et tunc proprietas vteri peculiaris, agens in geminum illud sementum, efficit in fœcundo illo naturæ horto vnum corpus ex vtroque semine, & viuum semen. Nam hanc vim à summo D.. o habet vterus, qua robur & facultatem sopitam in semine euocet *ἐκ δυνάμεως ἐνέργειαν*, quo expergiscatur, vt attracto sanguine menstruo

Quo modo fiat conceptus.

menstruo commodissimo alimento, fabricet fœtum hoc modo fit conceptio. Inde facile definitionem in- *Explicatio definitionis.* telligemus. In ea diximus esse viuificationem: Nam etiamsi semen foret quam maxime fœcundum, nunquam tamen fiet conceptus, ni semen viuificetur: viuificabitur autem ab vtero fœcundo.

Vteri vis. Diximus: Seminis fœcundi: Etenim potis non est vterus vt quodlibet semen viuificet: sed solum id potest in fœcundum. Nam fœcunditas quæ habitat in vtero, non infert fœcundam illam amœnitatem semini, sed δύναμιν iam ante semini inerat. quæ cum sopita iaceret, debebat ab vtero excitari, & viuificari. Nam creatæ virtutes, non possunt materiæ, potentiam, quam non habet ante, donare: nec sine ea formam imprimere: alioqui quidlibet ex quolibet orietur. Id autem non fit; quia quælibet res potentiam non habet cuiuslibet formæ. itaque semen debet esse fœ- *Semen quod fœcundum. 2. De sem. 6.* cundum. Seminis fœcundi nomine intelligo copiosum, quod per vterum expandi queat, & propterea lentum, & non aquosum, ne effluat; calidum, in quo formatrix vis splendeat: quo fiat ex gemino semine corpus vnum viuum, in quo sit motus principium vnum, vt docet Galenus *decimiquarti De vsibus partium septimo.*

1. De sem. 10. Diximus in definitione, ad formandum fœtum: nam, vt scribit Galenus, vegetabile principium est in semine: hoc est, formatrix, quæ effingit venas, arterias, neruos, ossa, & cæteras spermaticas partes. In definitione posuimus, prodeuntem vim ex proprietate corporis vteri. Hæc enim proprietas principatum gerit inter viuificandi organa: quamuis alioqui eucrasia quædam opus sit vtero: hoc est, vt calidum natiuum suam eclampsin ibi habeat. quod est instrumentum adiuuans: nam si intemperie valida tactus fuerit vterus, non concipiet, non aliter ac in hepate hæmatosis immemor redditur sui officij, à soluta temperie, si stupeat calidum natiuum eius; quod secundarium est eius muneris in- *14. De vsu part.* strumentum. Ita etiam in vtero euenit; in quo tunc etiam retentrix vis sese erigit; & clauditur vehementer os vteri: nisi superfœtatio fiat.

Diximus in definitione, concurrente maris & fœminæ concubitu. Duo hic explicanda, Num opus sit *Cap. 4.* congressu: dein quibus ille absoluatur. Galenus *secundo de semine* quærit, cur opus sit fœminæ mare, cum ipsa semen fœcundum gignat? Cum eodem respondemus, fœmina non solum conceptu gaudet, sed etiã fœtus nutritioni vacat: hinc illi euenit copia sãguinis: sanguinis autem copia est illi à frigore: & propterea non adeo fœcundum semen profert: igitur illi opus est viro.

Quibus opus ad conceptum. Vt autem recte instituatur hæc consociatio maris & mulieris, quædam à viro, quædam à fœmina, quædam ab vtrisque postulantur. A mare, temperies, & matura ætas: à fœmina, vt cum menstrualis adhuc sit, illi menses non appareant eo die valide. Si enim nondum menstrualis fuerit, cum his ora venarum & arteriarum nondum pateant, adeo læuis est vterus, vt semen hærere illi nequeat: nam asperitate quadam opus est. Præterea commodam temperiem gerat vterus, vel *5. aph. 62.* saltem viro contrariam. Situs quin etiam orificij vteri sit rectus. Vtriusque autem ratione, petitur venusta vo- *14. De vsu part. 10.* luptas tempore opportuno. Id tempus indicat Hippocrates *libro De puero*, dum menses constiterint, iam *6. Epid. 1.* iam à purgatione solemni mensium. Quamuis alioqui iam, cum velitationem primam mouent menses, conceptus felicitari possit: non tamen cum iam vastum imperium nacti sunt: nam abluunt vnaque rapiunt semen. Post purgationem menstruam est siccior vterus, & semen auidius attrahit. Sunt tamen quædam, quæ non concipiunt, nisi cum iam iam sistent se periodicæ illæ fluxiones: nam harum os vteri à fluxione conniuet valide, & non ita rectum est. Pridie antequam se sistant *3. De Republ.* menses, hæ conceptui studeant. Plato vult vt viri à trigesimo ad quinquagesimum annum; mulieres à vigesimo ad quadragesimum liberis operam dent: ita fortes creantur fortibus; nam tunc emicat calidi vis. Fœminæ si seniores fuerint, illa pomœtia sanguinis tabescunt; & sibi solum eum gignere potest calor tunc, vt eo sanguine mulier nutriatur. & iuniores cum crescant, copia sanguinis etiam fraudatur, qua & sibi & fœtui ea par sit. Ideo caueant mulieres ne nubant ante decimum octauum annum; nam vel abortus, vel mortis discrimen facile incurrent.

Tandem diximus in definitione, Propter speciei *4 De caus. puls. 2.* cõseruationem. finem addimus, nam de re bona agimus.

CAPVT V.

De signis conceptionis. De notis fœcunditatis. & Num marem vel fœminam gerat. & num Geminos.

De signis conceptionis acturi, primum proponamus notas fœcunditatis: dein conceptus signa; tertio signa quæ notant masculum vel fœmellam gestari.

Signa fœcunditatis proponens Hippocrates, ait capi- *Num fœcunda.* tis lotione opus esse, vtque siccetur linteis, omnis odoris expertibus: & vespera galbanũ sinui muliebri subdat: *Lib. De superfœt.* & mane capitis verticem calfacias, dum adhuc cibi expers est: si galbanum olet, fœcunda erit; alioqui non. Ita etiam *in Aphorismis* suffiri iubet mulierem styrace, *5. Aph. 59.* thure, myrrhâ. si odor nares & os feriat, fœcunditatem arguet. nam nulla astrictio odorem vim intercipiet: hoc est, nulla angustia, densitas aut durities occupabit vterum; quæ soboles sunt validæ dyscrasiæ vteri. His adiicit Auicenna, vt hordeum primum maceretur vrina viri, dein fœminæ: si germinat, terræ commissum, fœcunditatem denotat: addit etiam, vrinæ inspergi sul- *Et Ar. 3. De gen. animal. 5.* phur, &c, si die procreet vrina vermes, fœcunditatis argumentum esse. Calidiores temperie, masculos vt plurimum gignunt: & quibus turget dexter testis. Num *Num conceperit.* mulier conceperit, ita deprehendes. si semen non elabitur. & ab osculo vteri clauso. Sed obstetrices monendæ, mollem hanc clausionem esse debere; sine duritie oris vteri à tumore præter naturam. præterea menses consistent, sine febre & rigore; sed cum nausea, vel pica; hoc est, rerum alienarum desiderium aderit, à malis succis ventriculo conceptis. Sed dices, Affirmat Galenus *14. De vsu part. 7. & 2. De sem. 1. 5 aph. 55. & 57.* quinti Aphorismorum sexagesimo, quod & emicantibus mensibus vtero gerat nonnunquam mulier Imo dicimus & profluuio muliebri hanc tentari posse: nam venæ quæ sunt in collo vteri, interdum effundunt ἰχῶρας illa retrimenta, quæ in vteri venis & quæ inter secundam & tertiam membranam colliguntur. id in profluuio illo albo fit. Sed quo modo igitur sciemus, dum ita effluit sanguis, num conceperint? Hoc internoscemus ex sanguinis copia & qualitate, quibus differt hic sanguis ab eo, qui eliditur muliere à fœtu libera: Quia *Gal. de præsag. cap. 8.* in ingrauidata, paucus & malus emanat: colore fœdus; nec fœtui nec fœtæ vtilis. Ille sanguis in ingrauidatis egreditur tantum per venas colli vteri, non etiam per venas corporis vteri. Præterea ex motu quoque quem mulieres sentiunt circa vteri regionem, quod concepit mulier significatio adfertur. Sed id eue- *7. aph. 62.* nit etiam ex flatibus. verum. at nunc non erunt turgidæ *Cur mammæ turgeant, & quando.* mammæ cum papillis. sed tument mammæ tunc demum, cum venter tumet, hoc est vltimis fere mensibus. Illud tamen videri possit à natura alienum, mammas nimirum turgere vltimis mensibus. nam cur non potius primis mensibus surgunt mammæ? iam enim tunc circumfluit plurimum excrementitij succi. Responde- *14. De vsu part. 4.* mus: Primo tempore excrementum in venas vteri ablegatur: & tandem, his repletis ac tensis, alio sãguis truditur. accedit etiam tumor abdominis, qui venas iam repletas premit. Sed dicet quis, Quomodo primis mẽsibus

vterns membranoſus & tenuis tot excrementis erit par ? nam tenſione illa vterus tenuiſſimus redditur. Credite Aurantio & mihi qui hoc vidi in ſecta grauida, vteri ſubſtantiam in ingrauidatis non attenuari, vt hactenus creditum fuit, ſed craſſeſcere. imo tune vterus à membranea ſubſtantia abir, cui ſimilem ſubſtantiam toto corpore non inuenias. Eſt enim ſpongioſa inſtar ſpongiæ, & in mulros cortices diuiſibilis, & peruia pumicis more, ſi exceperis externam tunicam quæ à peritonæo eſt. In abſoluto fere fœtu vterus duorum pene digitorum craſſitiem æquar. quare his etiam excrementis par erit. Cum vero tandem repletus fuerit totus vterus, preſſioque abdomini vltimis menſibus à tumore adſit, quæ venas vteri comprimit repletas, ſanguis alio viam affectat: & quo potius, quam ad ſpongioſam inanitatem glandularum, & genuinam, ob cognationem quæ illi eſt cum mammis, feratur ? eo igitor curſum ſuum ſanguis ille flectit. Præterea ingrauidatis concaui oculi ſunt & ſubalbidi : nam fraudantur hi animalibus ſpiritibus : qui cum à vitalibus fabricentur, iam non æque ad cerebrum, ſed potius ad vterum feruntur. Auicenna meminit vrinæ ineunte prægnatione ſubalbidæ, tenuis, cui grana quædam innatare, dicit. ſed boc varium eſt : nam nec per vterum, nec per vteri venas labitur vrina.

Vterus mire mutatur in grauid.

Iam pauca ſymbola dicam vnde noſcamus num maſculum, vel fœmellam gerat vtero mater. Hippocrates libro De natura pueri, & De formatione fœtus ſcribit: Si maſculus fœtus geſtetur, intumeſcet dextra mamma; & oculus dexter viuacior erit. Cauſa eſt, quod hic maxime in dextra vteri parte concipiatur. Et calore viuaciore erit mulier : nam cum mas nutricatum attrahat, vim illam maſculam toti corpori affundit, non aliter quam teſtes. Sed non debet mulier aliis, verum ſibi tantum comparari: hoc eſt num ingrauidata iam venuſtior ſit quam à fœtu cum eſſet libera, & num eadem, qua ante, victus ratione vtatur. nam ſi meliorem, iam poſtquam concepit, vitam inierit, etiamſi fœmellam geſtet, meliori colore pingetur, quam ante. ita ſi marem gerat, & ſuſque deque viuat, priſtinus color deformabitur. Sed inter cuncta, motus infantis fidiſſimum ſymbolum eſt : nam vehementius ſe mouet mas : Sed & fœmella interdum hoc facit : propterea prudenter ſubdit Auicenna, id mas facit ante quartum menſem: nam is incipit moueri tertio menſe. Et mulier ſentiet motum in dextra parte vteri, ſi ſit mas; & brachij dextri pulſus validius feriet : contra, ſi fœmella. Addit Auicenna, dextram mammam non ſolum turgere, ſed etiam lac fundere. Hoc, inquit, lac ſpeculo inferes, ſoli expones : ſi id concreuerit inſtar gemmæ, marem gerit; ſi diffluit, fœmellam; nam dum mas geritur, vegetat calor, vnde lac craſſius pronaſcitur. Addit Hippocrates, ſi lac ſuper lactucam ſpargatur, ſi effluat, fœmellam geſtari denotat, &, dicit, ſi lac farinæ miſceatur, eaque maſſa igni apponatur : ſi torreatur, marem; ſi diſſoluatur, fœmellam præſagit geri.

Num marem vel fœmellam gerat mulier.
7. aph. 42.

An vero ex Gemellis grauida ſit, & ante parturiginem, & in ea præſente agnoſci poteſt. Ante, ſi vaſtus ſit abdominis tumor, & illi mulieri inſolens hæc amplitudo. In parturigine id notari aſſerit Auicenna ex vmbilico primi erumpentis fœtus; is ſi nodū habeat aut rugā, ſignificatio fiet alterum reſtibilem in vtero eſſe fœtum.

CAPVT VI.

De menſtruo ſanguine. Et cur viri non ſint menſtruales. & quod mulieris ſanguis ſit calidior viri. Quibus non fluant menſes, & quibus parcius, vel validius fundantur. Qua copia ferantur. Muliebritas quid ſit.

ITa ſummus DEVS effinxit ea animantia quæ viuum fœtum edunt, vt quamplurimo ſanguine circumfluant, quo dum vitalem in auram nondum conceptum tulerunt fœtum, is alatur ac creſcat. Dum vero menſtrualis mulier à fœtu libera & expedita eſt, is ſtatis periodis, rataque vieiſſitudine ſingulis fere menſibus erumpit & ſiſtitur. *Eſt itaque ſanguis menſtruus, ſanguis excrementitius, qui in mulieribus non ingrauidatis nec lactantibus, à decimotertio anno vſque ad quinquageſimum egreditur ſingulis menſium periodis, per venas vteri, quo ſana degat mulier.*

Diximus eſſe hunc ſanguinem excrementitium: Nam vt ſemen eſt excrementum partium ſolidarum, ita ſanguis menſtruus eſt partium carnoſarum excrementum hoc eſt, ſunt reliquiæ ſanguinis redundantis, quæ in mulieribus copioſiores ſunt quam ad nutritionem ſit opus. idque ex euentu; quod corpore præditæ ſint minus perſpirabili, ac denſiori quam par ſit, ac quam viri corpus : argumentum eſt in venæ ſectione quæ fit emiſſio ſanguinis, quam largiorem ferunt quā viri. Variæ ſūt opiniones de hoc ſāguine. Breuiter, vt nodos ſoluamus, perpendemus, duplici idea ſanguinem hūc muliebrē notari; vel ratione mulieris, vel ratione fœtus. Si ratione mulieris illū intueamur, erit tota vi excrementitius. propterea ſi aliqua eius moles ſupprimatur, hoc non ſine incommodo mulieri eueniet : nam copia peccat. Dico ſola illum copia primum peccare : nam tunc qualitate alteri ſanguini eſt ſimillimus. Nam eſt ſuperfluitas tertiæ coctionis partis ſanguineæ. Si autem præter naturam cohibeatur in denſo corpore, magnas calamitates adferre ſolebat, dum vel ruit orgaſmo concitus in partem aliquam principem, cuius officio vita carere nequit : vel dum in corpore putreſcit. Alioqui ſanguis menſtruus non eſt vitiatus; imo potius benignus, purpureuſque dicendus eſt, vtpote qui fluat ex venis & arteriis. Similis enim eſt hic ſanguis cruori mactati recens agni : conſiſtentia mediocri, ſapore dulci; ac in terram effuſus concreſcit. Nec illud rationi conſonum eſt, ſanguinem vtero vel aliqua parte contineri tam diu, donec excernatur. nam toti maſſæ ſanguineæ manet innctus : & poſtea, diſtentis ſanguine vaſis, per anaſtomoſin excluditur, vtpote excrementum ſuperflui alimenti. Hanc autem excretionem promouent naturæ vis, meatuum libertas, & materiæ præparatio. Si ita contaminatus eſſet hic ſanguis, vt quidam putant, profecto mulieres à longis morbis exhauſtæ, illum deponerent, nec eo pro nutricatu fruerentur, cum his tunc ſanguis, ex naturæ lege, ſiſtatur menſtruus. Ita ratione mulieris ſanguis ille eſt excrementitius. Si intueamur hunc ſanguinem ratione fœtus, dicimus in eo eſſe principium non quidem procreationis, ſed molis : plus enim materiæ habet quam actus. fertur per venas & arterias in fundum vteri, ibique diaſtole arteriarum maternarum & ſecretione purior factus, in adimentum vertitur fœtui. Nam in ſanguine tres partes deprehenduntur. vna vtilis, nutritioni dicata vtero concepti fœtus, & quantum ad mammas ſurrigitur; ex qua parte lac procreatur. altera incommoda eſt nutritioni, hæc in vteri membranis & venis colligitur, & in parturigine excluditur.

Definitionis explicatio.

Sed cur viri ignorant menſtruam hanc ſanguinis eruptionem ? Galenus ſcribit hanc euenire ex muliebri quadam imbecillitate. Sed quæ hæc imbecillitas, & vnde ? ex frigore quo illæ viros ſuperant. hoc illud eſt, quod dixit Hippocrates, Mulier ambidextra non eſt. nam tanto calore non perfunduntur, quo vtraque excellant parte. Amazones quamuis abſcinderent vber dexterum, quo robur in brachium iret, tamen non potuere efficere vt ambidextræ euaderent : in cauſa eſt frigidior temperies. In viris autem calor validus gignit & exhaurit ſanguinem; nam à calore tenues euaneſcit in auras. Sed his refragari videtur Hippocrates, qui ſcribit, Mulierem babere ſanguinem calidiorem viro. Reſpondemus ex Galeni ſententia, qui ſcribit, in maribus

Cur viri non ſint menſtruales.
Gal. 2. De ſem 5.
Hipp. De morbis mulierum

Mulier habet ſanguinem calidiorem viro Gal. 3. De cauſis pulſ. 2.

ribus pulſus eſſe maiores ac vehementiores : in fœminis eſſe frequentiores & velociores. Quia calor in maribus exſplendeſcit vehementius, & arterias ferit grauius. Ex aduerſo euenit fœminis:nam in his, ait, circumfluit ſanguis excrementis plenus, cuius cauſa fœminarum calor euẽtationis indigus eſt. quare pulſus æquat magnitudinem atque vehementiam non paſſibus æquis, hoc eſt, frequentia & velocitate. Ex quibus colligas, caliditatem bifariam occurrere, vel vt eſt innata, vel vt eſt aſcititia. Certe calore innato partibus, magis viget virile corpus. inde pulſus his maior ac vehementior. Sed aſcititium calidum, quod nimirum micat in humoribus & excrementis, hoc vegetius micat in mulieribus. inde pulſus nactæ ſunt frequentiores & velociores. Quare calore aſcititio fœmina ſuperat marem. Et paſſim dicit Hippocrates, virum eſſe calidiorem muliere. Quare illud notandum, Hippocratem non dicere fœminam eſſe calidiorem viro. & propterea habere ſanguinem calidum : ſed dicit fœminam habere ſanguinem calidiorem. Alia profecto ſententia eſt eius qui affirmat calorem ſanguinis naſci ex ſolidarum partium calore : & aliud is affirmat, qui aſſerit calorem ſolidarum partium auctorem ſui agnoſcere ſanguinis calorem. Qui enim profitetur calorem ſanguinis pendere ex ſolidarum partium calore, is aſſerit calorem innatum, qui habitat in ſolidis partibus, & earum partium ſolidarum temperiem (ex qua pendet calidum natiuum) eo calore excellere. Qui vero pronuntiat calorem ſolidarum partium pronaſci à ſanguinis calore, aſſerit calorem aſcititium florere in eo corpore. Itaque cum Hippocrates ſcribit, fœminam viro calidiorem, id ſumendum de aduena calore. nam ait, eas calidiores (non αἰτίως) quod ſanguinem gerant calidiorem. Inde eſt quod maribus pulſus ſint maiores: nimirum ob calidum innatum vegetius : at in fœminis frequentiores & minores, & celeriores, ob calidum alienum. Hoc itaque calidum natiuum in cauſa eſt quo minus menſtruis tententur viri.

Quibus non fluant menſes. 5. aph. 50. & 51.

Præterea in Definitione diximus, In mulieribus ingrauidatis & lactantibus menſes non egredi : nimirum ea copia qua fœtu vacuis fundi ſolent:ita enim accideretur puero nutricatus, Vt etiam euenit dum lac funditur:nam nec tunc large funduntur, vt ſolent alias. Nam, vt ait Plato, fucum facit natura blandum in lacte:quod, nihil aliud eſt quam albore fucatus ſanguis menſtruus: quo à crudeli cruore veſcendo hominem alienaret. Deinde in definitione diximus, A decimotertio anno menſes fluere, ad quinquageſimum. Hippocrates libro De morbis virginum ſcribit, tenellulis illis ante decimum tertium annum ductus vaſorum eſſe ſtrictiores. & hæ creſcunt, ſanguiſque illis in incrementum abit. Nec vetulis : in quibus cum non ita calor floreat, vt poſſit ſanguis exhauriri : nec etiam moderatus calor vigeat, ſed potius frigus quoddam habeat illas, non mirum ſi inopia ſanguinis ille fluxus areſcat Cum ponimus menſtruales annos illos qui inter decimum tertium & quinquageſimum ſunt, nolim ita conciſim intelligi, ſed plerumque id euenire. quibuſdam enim emicari poſt decimum tertium annum, aliis à quinquageſimo cunctantius ſiſtuntur; vt fuerit peculiaris cuiuſque temperies.

Quibus mulieribus valide fluunt, & quibus parcius. 6. Epid. 2. 70

Sed quibus mulieribus parcius, quibus effuſius feruntur menſes? Quædam candidæ molleſque ſunt mulieres : aliæ aſperæ & fuſcæ. Si tenellulæ illæ fuerint, quales candidæ & molles, hæ circumfluunt excrementis, ac his vltera quinquageſimum annum menſes funduntur. at in aſperis & fuſcis, quinquageſimum annum menſes non attingunt. Si ſemen virile fœmineum, vincit virile mulieris, inde naſcuntur viragines, biduo menſtruales, & diebus ſedecim, vel octodecim puerperiales. Sin viri fœmineum ſemen euicerit fœmineum mulieris, mulier inde ſata ſucci plena erit triduo menſtrualis ; & viginti quatuor vel viginti ſeptem puerperialis : Sin quatriduo, triginta ſex : Sin fœmineum mulieris ius exerceat in fœmineum viri, inde nata erit molliſſima, quam vocat Hippocrates *ὑδατωδεστέρην ſexti epidemiun prima.* pallidæ hæ ſunt, & menſtruales quinque dierum : fereque ſunt puerperiales ad quadrageſimum quintum diem à partu. Has periodos nec tranſcendere, nec antevertere, nec inhibere debet hæc effluxio. Et puerperia exitum habeant liberalem & liberum. Addidimus in definitione, ſingulis menſibus hos fluere:nam inde nomen habent. Effluunt autem trium vel plurium dierum ſpatio. quin ſaltem tres dies vt fluant, naturæ lex iubet. Scribit Paulus, quibuſdam vltra duodecimum diem excurrere has purgationes. Tempus Hippocratis, ob ſobrietatem, qua excrementa fugabantur, non nouit in menſium fluxu ſpatioſius tempus quam trium dierum, aut paulo plurium, hoc eſt quinque dierum menſtruales: Nam molliſſimæ replentur celerius ; viragines autem ſerius : ita purgantur quidem illæ diutius, hæ vero celerius : Harum purgatio fere eſt bidui ; illarum eſt quinque vel ſeptem dierum : Moiſes hunc terminum ſtatuit. Sed iam gulæ ventrique deditæ ſua inertia excrementa congerunt : Ideo nec certam menſium copiam qua ex naturæ lege fluant, docere poſſumus. Optima tamen menſura erit, conuenienter prodeuntis ſanguinis huius * εὐπορία. illa enim index optimus, hunc ſanguinem decenter ferri in ſubſtantia, copia, qualitate, tempore, & excernendi modo. Hippocrates ſcribit, menſes elidi copia duarum heminarum Atticarum, hoc eſt, octodecim vnciarum : paulo plus vel minus, inquit.

Copia qua feruntur menſes.

** Hoc eſt ſi mulier recte curetur, alacriorque inde fiat.*

Diximus in definitione, Per venas vteri : nimirum quæ fundo & eius collo inſeruntur. Sed cur aſſuetis periodis fertur ſanguis ad vterum? quia à natura hic imbecillis eſt, eo igitur protruditur. ſed cum fœtum habet ab eo trahitur.

1. Epid. 2. 58. & 59.

Tandem hoc adiecimus definitioni : Quo ſana degat mulier vt nimirum ſanguis elabatur ex naturæ ductu : id cum fit, non æque morbis tentantur mulieres ac viri : nec, ſi his inuoluantur, ita in diſcrimen trahuntur, beneficio menſium. Ex hac itaque definitione intelligimus, menſes ferri debere, ſi nulla ſit excuſatio morbi, mœroris, vnde ſic emarcuerint vt nihil reſtibile in iis ſit euacuandum ; nulla etiam ingrauidationis, lactis nutritij, aut ætatis. Illa purgatio merito muliebrium nomen habere poteſt. nam videtur ipſa, ipſa muliebritas, vt placet Hippocrati, cum ait ; Phaëthuſam, olim naturaliter menſtrualem, non potuiſſe γυναικωθῆναι, hoc eſt, mulieraſcere, & muliebritatem rurſus nanciſci, quam prius amiſerat ex viri exulantis prægrandi mœrore, cum ei ſedulo medicarum fuiſſet ad menſtruorum ſuppreſſionem. ſed hirſuta penitus euaſit; & barbam produxit, & vocem grauem edebat. Ergo menſtruorum cauſa eſt ἡ γυναικεία φύσις καὶ χροιὴ, hoc eſt natura muliebris, & color, vel potius ſuperficies perpolita & læuis. nam Pythagorei olim omnem corporis ſuperficiem χροιὰν vocabant. Fundamentum itaque naturæ muliebris eſt vterus, cui ſummus rerum opifex D E V S ingenerauit amorem gignendi, ac tum velut fundum concupiſcentiæ condidit, qui nutriendo contineat, & continendo concipiat, vnaque fundatur cum ſemine alimentum, & per hyſtericas venas ſanguinis allapſus ; vnde coagmentatio eſt, ſiue παρέγχυμα viſcerum, & intertexta fibris neruorum caro, vnde muſculi & cutis. Etenim iecur ἰκμάλιον, hoc eſt, gratioſi ſucci fons, affinitate quadam voluptuariæ concupiſcẽtiæ vtero morem gerit ac rigat ſanguine fundum matricis, concipiendo, gignendo, & nutriendo. Facit autem ipſa vteri concupiſcentia,

Muliebrium eſt in menſibus.

6 Epid. in fine.

χροιὰ, quid.

cupisceoria, & venus ipsa, vt viam ad vterum affectet sanguis promptius:nam ea mulier bis vel sæpius mense menstrualis apparet, ἐγχυμένη, καὶ ἐμπεπουλημένη, καὶ συνιοῦσα αὐτῇ. Periodicæ autem mensium excretionis causa est repletio carnium & venarum in corpore, quod est * δυσδιάπνευστον. Repletionem parit edacitas cum hæmatosi valida hepatis, & exigua distributio, otiosa vita.

** Id est, vix perspirabile.*

CAPVT VII.

De Partu, & quod septimestris vitalis, & cur non octimestris. & cur mulier non certo tempore pariat. puerperalia vt fundi debeant. Signa partus.

Quid sit.

NAturalis Partus est exclusio infantis qui in caput prodit tempestiue, id agente vi vteri expultrice, eumque fœlicitante fœta & fœtu, cum vtriusque salute. Nam pariendi omnium optima ratio est, fœtu sua sponte in caput progresso: nã consectariæ partes facile cum se extendant, vna non ægre prodeunt:ita parentum & obstetricum votis respondet.

7. Lib. De hist. animal.

Definitio docet tempestiue fœtum prodire debere. Scribit Aristoteles, à septimo mense, ad vndecimum tempestiue puerum nasci.addit tamen, sæpius nono & vndecimo mense nasci puerum: verum omnium rarissime octauo. Hippocrates à septimo vndecimum etiam ponit, ita vt vndecimum non superet. nam, inquit, quæ putant se vltra vndecimum gestare vtero, falluntur à flatibus, quibus septimanis aliquot ante conceptum intumuerant. nam hæc flatuum moles, mox excipiens ingrauidationem, eius falso suspicionem ante dedit. quare censet Hippocrates, vndecimum mensem superari in ingrauidatione non posse.

Lib. De septimestri, & octimestri fætu.

Elegans dubitatio.

7. Hist. animal. 4.

Sed quænam causa est, cum cætera animantia stata partus tempora sortita sint, mulieri vagum & incertum id euenerit? Animantia cetera certum tempus illud à summo DEO ad partum habent quo iam adoleuere in iustam magnitudinem.ea de causa grandiora animalia, serius pariunt: nam maiori spatio his opus est ad fœtus absolutionem. Eadem etiam de causa masculus citius à matrice abit quam fœmina, quod, cum calore fulgeat, vberius in se trahat alimentum: & inde citius incrementa ducit, & se mouet promptius. quare tunc parturigo in procinctu est, cum maturuit in magnitudinem decentem fœtus. Præterea cum iam in suam magnitudinem adoleuit noua soboles, spoliatur suo nutricatu, cum ei par mater nõ sit. hinc calcitrat, diruptisque membranis facit viam vi. Inde, si mentem intendas, innotescet, cur, præter mulierem, cætera animantia stato tempore pariant: Cum enim varie pastum incat mulier, varie etiam magnitudinem trahet fœtus, modo cunctantius, modo celerius. Bruta vero eidem pastui perpetuo indulgent; quare ab eodem nutricatu crescet fœtus & augescet, eodemque spatio perficietur.

Hipp. De nat. pueri.

Fœtus octimestris non vitalis.

Sed si septimestris fœtus viuit, cur non etiam octimestris? Causa est, quia eodem mense mouetur, & editur, sed nouimestris viuit, quod octauo mense cum moueatur, tandem nono operam dat eruptioni: itaque vno mense octimestris ille non perferet geminos labores. Sed obiiciet quis; Hæc ratio non omnino firma videtur: Nam si cæteris cunctis mensibus, quibus nascitur fœtus vitalis, ante motu percellitur, cur & octauo qui nascitur fœtus, non etiam septimo mouetur mense? etenim qui in lucem progreditur decimo, is mouetur nono mense. Quo itaque aucupia sophistarum fugentur, ita ducemus hanc rem ex arbitrio Hippocratis: hic longã experientia doctus scribit, in totius gestationis historia tres quadragenarios pessimos esse: primus quadragenarius est in primo conceptionis mẽse: in hoc vehementer affligitur fœtus: secũdus quadragenarius est in octauo mẽse: hic mõstris & mutilatis dicatus est mensis. vltimus est quadragenarius, cũ iam in lucem prodiit puer. hic quadragenarius continetur quatuor primis puerperij diebus; tunc enim incurritur variis iniuriis puer, ab insolentia aëris, alimenti, & tegumenti. His ita positis, cum in octauo mense vigescat vis secundi quadragenarij, qui maxime affligit fœtum, cumque hunc excipiat iniuria tertij quadragenarij omnium pessimi, pessundatur infans, impar tot iniuriis. Nec hoc Aristoteli pugnat: qui ait, non omnem fœtum octimestrem esse vitalem, sed in Ægypto, vbi scrophã albã fertiliores matres hæ validos proferunt fœtus, iniuriarum solemnium contemptores. Quare tempestiue erumpit fœtus à septimo ad vndecimum mensem. Plerumque nascuntur nono, rarius decimo, nec crebro vndecimo, rarissime octauo: nam eo mense, ni fœcundissima fuerit mater, natus moritur.

Lib. De septimestri partu. Tres quadragenarij pessimi.

Diximus in definitione, Id agi à vi vteri expultrice: cum enim primum arctissime conniueret vterus, tempore parturiginis ita se laxat, vt animal totum euomat. At quo modo illud fiat, inquit Galenus, hoc solus ille nouit, cuius opera admirari possumus, intelligere non possumus. recte Auicenna vi DEI excelsi illud fieri accinit, vt citra noxam vteri os ita se aperiat. certe τὸ θεῖον principatum obtinet causarum omnium, quod in hac naturæ historia potissimum elucescit: quod est ipsa vis DEI; ac nefas est illam ad examen vocare, nulli subiectam Categoriæ, sed omnium potentissimam.

Gal. 3. Fac. nat. 3.

13. De vsu part.

Positum est in definitione, eam fœlicitari exclusionem, vteri excretrice, fœtu, & fœta: Nam partus pari contentione suscipitur vteri atque fœtus. Vteri quidem, nimium grauidati; proptereaque sarcinam studentis deponere. Fœtus autem, nutricatu & spiritu defraudati, ob molem corpoream & cordis calorem: proptereaque viam ad exitum affectantis, vbi est expiratio, quæ non erat in vtero, & lactis ad nutricatum vbertas. Itaque ad partum non solã expultrice vteri opus fuit, sed infantulus maxime operam suam adhibere debet, quo ruptis membranis, in vitales auras euadat. Quin & ipsa mater opportune suam operam admouebit enitendo: iam tunc cum laxatus est vterus, & os eius hiatu patet: tunc intensis pressisque abdominis musculis elisioni studium omne conferat, cum vinido quodam conatu. Merito reprehendit Galenus obstetrices, quæ primis doloribus, nondum vteri ceruice patente, sedi, parturigini dicatæ, imponunt parturientes: quo fit, vt fractæ misellæ mulierculæ irritis conatibus tandem fatiscant: Cum alioqui, ceruice patente vteri, animose ac strenue ad hoc bellum concitandæ essent ab obstetrice.

3. Nat. fac. 3. & 12.

Addidimus definitioni, cum vtriusque salute: Nam ille est naturalis partus, quo non perit puerpera. Seruatur facile, cum à parturigine commode feruntur lochia. Quod fit trigintaquinque dierum spatio, & ad quadragesimum secundum. nam fœmella cunctantius procreatur, hinc restibilia trahit excrementa plurima, crassiora, & frigidiora; quæ non facile excludi possunt. sed interdum longe curtius finiuntur, vt mox dicemus. Sed quo modo purgari debent lochia in puerperis? primis diebus, plena manu fundantur, ad sesquicotylam; quæ implet vncias tredecim, & se pedetentim sistant, dum ita duos, tres, vel quatuor dies ierint. Dum enim puerperia purgamenta ante diem sistuntur, calamitosa sunt. Nec profusio copiosa primis orta diebus repente suppressa, in vicem subit purgationi debitæ. Est enim consentaneum, vt si fœta mulier fuerit menstrualis trigesimo quinto die à fœtu concepto, atque id semel tantum, integris rebus puerij, eadem fœtum enixa, pari dierum numero fit puerperialis. quo exhauriantur reliquiæ menstruorũ in venis maioribus & circa locos muliebres stabulantium. Itaque intra

Lochia vt fundi debeant.

qua

quadragesimum quintum diem partus historia hęc peragitur, pront periodus menstruæ purgationis breuior aut longior esse solet. Nam quæ sunt biduo menstruales, vt sunt viragines, dies octodecim exigunt in puerperiis, quæ triduo, viginti septem: quæ quatriduo, triginta sex: at menstruales quinque dierum, puerperales sunt ad quadragesimum quintum diem à partu. Infans etiam in naturali partu superstes fit: Itaque non mole nimia aut accisa peccet. Si enim mole nimia turgeat fœtus, ni illa quatuor aut quinque dierum spatio euanescat, perit puer: validam enim mutationem is subit in tertio, vt diximus, quadragenario. in vtero, præter, vmbilicum, omnia clausa erant; iam os, oares, nates, vesica patent, & sua excrementa reddunt, & vmbilicus clauditur. Quare vt hæc ferat puer, robore opus est. Quo autem roboretur fœtus, suadet Galenus, vt ilico à partu puer aspergatur sale, quo arctior superficies euadat corporis: nam ita aëris iniuriam non æque percipiet. Abluant aquâ salsâ ilico infantem: lacte alatur optimo. Prauum fit lac à venere: nam eius copia & qualitas nutritia, à venere corrumpitur. Copia, nam sanguis menstruus ita cursum suum flectit ad vterum; qui iam mammis debebatur: quare lac rabescere incipit qualitate etiam mala, venus contaminat lac, fœdoque odore id afflat: quod illi euenit dum à testibus & vtero muliebri totum corpus fœmineum alterationem quandam in venere subeat, cuius ideam sanguis lacti importat. Præterea à venere lactantes mulieres nouam nonnunquam sobolem concipiunt, quæ omnia lactis præsidia absumit: nam & copia illi opus est; & optimam lactis partē prolectat. ita quod impurum restibile hæret in sanguine, mammis conceditur solùm, cum maxima pueri calamitate. fugiant itaque lactantes fœminæ venerem, quo venustiorem fœtum ac sanum quam maxime nutriant.

Hip. libr. De natura pueri.

1. De sanit. tuenda 1. & 52.

Compendiosa ratio historia partus.

** Conformationis.*

Iam finem fecero, si paucis repetiero necessaria quædam de tempestiuo partu. Est is tempestiuus, nec aute diem, cui præeunt periodi conceptionis, * τονώσιος, & motus. Nam concepti fœtus à virili semine vtriusque parentis; propterea que suam adepti τόνωσιν die trigesimo quinto, bis tanto (hoc est septuagesimo d.e) mouentur. Ex quo ter tanto, hoc est postquam compleuerunt ter septuaginta dies grauiditatis, perfecti & vitales eduntur in lucem. Hoc est quod dicit secundi Epidemiων tertia: Quicquid mouetur septuagesimo, triplicatiooe perficitur. hoc est, duceotis & decem diebus: qui septem faciunt menses. vnde Iarisconsultus: septimo mense nascitur perfectus partus. id iam receptum est, propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis. Sin verò vtriusque seminis prolifici non ante quadragesimum quintum diem descripta sit τόνωσις, & expressa: non ante puer mouebitur, quàm eius temporis duplicatio nonagesimum diem absoluerit. ex quo inita triplicatio & absoluta partum edet perfectum, mensibus nouem exactis, qui continent, suo velut ambitu, ducentos septuaginta dies. Itaque naturalis partus, qui verus est τόκος, est hic, cuius inoffensa fuit gestatio, & qui exacto grauiditatis tempore præscripto, sua sponte, foras affectat viam vitalis, materna & vteri virtute adiutus. Itaque nihil editur à fœta vitale, ante perfectum partum: perfectus verò est, septimo vel nono mense. Itaque cum ostimestris, serius aut citius his mensibus erumpat, significatio erit aliquid sinistri venisse fœtæ, & fœtui: quod vel septimestrem partum tardarit, vel anteuerterit nouimestrem. Sed cur non septimo mense exigitur fœtus, postquam moueri cœpit septuagesimo, cum fausto pede iret fœtus à conceptione ad τόνωσιν, & inde ad κίνησιν? remora est mœror matris interdum, qui protraxit, impressa imbecillitate fœtui, ad octiuestrem hunc partum. hoc etiam fit vitio aëris & diætæ. Nec etiam septimestri partu vitalis est fœtus, si partio nouimestris

Partus naturalis.

3. Aph.

debebatur. Cum mulier est propinqua partui, crebro spiritum ducit; & insolito dolore cor feritur, hoc est stomachus ab extento infante. *Signa partus.*

CAPVT VIII.

De Monstris.

MOnstra ortus sui causam agnoscunt conceptionem deprauatam; quæ est viuificatio seminis deprauata. opus itaque hic etiam erit concubitu, & semine, vnde nascatur monstrum, & mola. Propterea iure ita monstrum definimus, quod est animal male compositum io vtero. Mala enim si non adsit compositio, deformationem etiam monstrificam nesciet animal. Quare malam compositionem perpetuò sociam trahet: siue illud monstrum enatum sit ab intemperie, vel à soluta vnione. Compositio mala hæret, in mala conformatiune, magnitudine, numero, situ: mala autem conformatio, in superficie, figura, meatu, & cauitate. Vitium superficies facit, cum animal rugosum & inæqualitate deformatum pronascitur. In figura monstri quid gerit cum totum corpus aut eius pars à suo charactere abit. In meatu, vt si optici nerui clausi fuerint. In cauitate, vt si abdomen ingenti à mole turgescat. In magnitudine, vt si brachium longius aut breuius fuerit. In numero, si quatuor, vel vnum adsit crus. In situ, vt si hepar in sinistris consederit: & si ossa sede suâ exuta sint. Cum autem monstrorum tam polydædala varietas ludat, quæ quæso maxima horum causa erit? eritne illa in semine, vel sanguine menstruo? Cuncti fere medici & philosophi asserunt monstra gigni vitio materiæ, & non crimine agentis Quam ad rem hac demonstratione vtuntur. Natura ducitur ab intelligentia erroris experte: itaque natura peculiari sua vi erroris est expers: quare omnis error materiæ asscribi debet. Aristoteles huic sententiæ subscribere videtur, qui ait monstra fieri materiæ vitio: & Galenus, qui demonstrauit ornatum ac decus à superiori diuina emanare causa; etiam materiæ deformitatem ac errorem apponit. Si tamen rem ad Lydium lapidem examinauerimus, aliud videbitur. Aristoteles auctor est, artem esse naturæ æmulam, quod hæ maxima iungantur cognatione. At ars vitia sentit & à materia, & ab artifice. similiter itaque in rebus quæ naturâ constant, vitium non solum faciet materia, verum etiam agens. Propterea scripsit Aristoteles, monstra esse naturæ errores; vt artis errores, ea, quæ male ab ea fabricata sunt. Quin Aristoteles subdit, monstra pronasci ex corruptela seminis. nonne ergo nascuntur illa vitio agentis? nam Aristotelis sententia, semen agendi vi tantum, ad fabricam fœtus concurrit, & non ratione materiæ. Si itaque, ex Aristotelis sententia, in semine vis sobolescit agens, principiumue actiuum; & monstra fient ex semine corrupto. itaque monstra fingentur agentis, & non materiæ crimine. Scribit etiam Galenus mole auctiore in vitio corpora esse, quæ ita increscunt, ob vegetum facultatis robur, aut ob materiæ affluxum vberiorem. at molem nimium attenuatam à fracta facultate, materiæque inedia euenire. Quare monstra concipiuntur & materiæ, & agentis seminis crimine. Nec illud inficiamur, naturam rata lege ferri. nec vnquam extra recti lineam in errorem deflectere, sed intelligentiâ quâdam dirigi erroris nesciâ: at non rite hinc conficias, vitio agentis nihil peccari. Quod vt eluceat, compertum esse debet quænam sit differentia inter naturæ & artis molitionem. Cum quid fabricatur ars, illi opus est materia ex qua surgat opus, instrumento, & artifice. Si in aliquo horum vitium fuerit, culpabitur inde ars. In naturalis rei fabrica tribus etiam opus est, naturâ ipsâ, agente secundario, hoc est, instrumento & materia. Quamuis tamen his tribus

Causa monstrorum.

4 De gen. animal. 4. 2. Dectus.

Lib De causis morborum.

in natura, & in arte opus sit, hoc tamen discrimine differunt, quod artifex, etiam si nactus fuerit commodissimam materiam, & promptissima instrumenta, in eo tamen absolutissima artis suæ encheiresis quandoque languet, & deformis editur fabrica. At in rebus natura constantibus, dum instrumentum virij expers fuerit, nec materia contumax fuerit ad typosin, necesse erit vt id quod fabricatur, venuste integrescat: nam in principe actore, nimirum natura, nefas est errorem cogitare, sed hunc agnoscit agens secundarium, nimirum instrumentum. Itaque si fœdatum fuerit malignitate quadam semen, ob calorem quem habet à delatoribus spiritibus vitalibus: cuius actio à temperie bona fœlicitatur, à mala deprauatur; hic calor est agens, at non principatum agendi tenet, sed est actor secundarius, & pro instrumento est actori. Propterea vitium facit in monstris agens causa instrumentalis. *[4. De gen. an mal.]* Et Aristoteles prodidit, ratione loci hoc est vteri, etiam proferri monstra: vt si vterus minor fuerit. Itaque monstra eduntur triplici vi, nimirum materiæ, instrumenti, hoc est agentis secundarij; & vteri minoris: sed raro euenit vteri vitio.

[Quæ causa idea monstrosa.] Sed quænam causa est quod hoc vel illud monstrum nascatur? Varietatis huius causa est efficiens varium, veluti mala conformatio, vel vitiosa magnitudo, numerus, situs partium. Conformatio si violetur, eius vitium conspicuum erit, in superficie, figura, meatibus, vel cauitatibus. inde si deformem sui ideam ducat monstrum, hoc ex materiæ iniquitate ortum ducere potuit. non quidem quà hæc materia peccet copià, sed quia extra naturæ suæ lineam abiit materia in suæ substantiæ modo, aut qualitate. Dum ex substantiæ modo materia peccat, vt cum illa contumaciam & indomabilem quandam vim spirat deformitatis minimeque materiæ æqualis asperitas quædam monstrosa superficiem fœdabit, nec meatus erunt meabiles. sed præter naturæ legem clausi: ita cæci nascuntur, ob densiorem materiam. Sin materia in qualitate peccet, cum nimirum intemperata illa est, præferent vitia potissimum figuræ: *[Artis med. 34.]* ita scribit Galenus, oculos maximos, qui monstri quid inde gerunt, ex materia intemperie tacta pronasci. quod de magnis ille, nos etiam de paruis parum concinne effictis. Magnitudo partium etiam monstrum effingit, cum analogia corpori cæterisue partibus non respondet. hoc euenit ex materia quæ copia, non autem qualitate in vitio est, cùm illa tanta est, quanta à natura triumphari nequeat. accisa vero magnitudo à materiæ *[Lib. 1. De morb. mul.]* nascitur inopia; vel, vt autor Hippocrates, ab exili vtero. nec tũc aderit figura violata; quæ si adfuerit, significationem adferet intemperatæ etiam materiæ. Vteri tamen paruitas totum infantem pusionem facit: at materiæ inopia & totum fœtum, & eius partem attenuat. Sed dicet quis, cùm monstra nascantur diuersæ speciei insignita partibus, potestne homo nasci capite vituli? Philosophi hoc negant, historici asserunt, quid dicendum? Vtrique verum profitẽtur: philosophi; etenim potis non est, vt homo caput vituli gerat, ita vt edat functiones vitulini capitis. historici verò exempla spectant. Numerus etiam partium præter decus luxurians, aut fraudatus, monstri causa esse poterit. id fit vel ineunte iam conceptione, ex materiæ inopia; vel à concepto fœtu octauo mense: nam eo tempore plerumque ægrotat: & mutilatur. Sed cur non aliis mensibus mutilantur? *[Hip. De octimestri & sept. part.]* Quia, inquit, Hippocrates, si aliis mensibus ægrotauerint, moriuntur. nam aliis in mensibus non ægrotant fœtus, nisi inuicta quædam causa morbifica eos fatigarit. Si numerus partium luxuriatit, eæ partes referent ideam non alienam sibi à sexu, vel alienam non alienam, vt si sextus accedat digitus manui: alienam; si hermaphroditus. Hoc fit vitio qualitatis & quantitatis materiæ, quæ non potuit commodè mitigari. Sed hæc materia vel est æque calida, vel æque frigida. si fuerit æque calida, partem superaddet eiusdẽ sexus, indeque surget in mare vel fœmina sextus digitus. Sin materia inæqualis fuerit, ita vt quædã calidior, alia minus calida, nascetur, ex copiosa hac materia, pars diuersi generis. Situ à prauo etiam monstra nascuntur. situs malus oritur à mala qualitate, cuius ratione commotionis fit postea materiæ transpositio. & hoc euenire potest octauo mense: dum fœtus abscessibus tentatur. vnde claudi nascuntur.

Num vero primo conceptu dum typosis fit, enata sit *[Ar. 4 g. n. animal. 4.]* monstrositas, vel octauo mense, ita notabitur. *[Quo imprægnationis tempore monstra fiant.]* Si mater referat se primis mensibus prauis cogitationibus indulsisse, vel si ipsa eo vitio tacta sit, vel si ipsa parte aliqua mutila; in prima typosi vitia inducet fœtus: ita si vterus minor, cunctos tales pariet fœtus. Sin octauo mense ægrotauit mulier valide, hinc illæ iniuriæ erunt. Studeant itaque fœtæ vt prauas pellant imaginationes; optimaque vt diæta fruantur.

Inter monstra etiam videtur mola locum habere, *[Mola quid. 14. Meth. 15.]* inde dicta, quod characterem referat lapidis molendinarij, tardoque quod eius motui respondeat hæc moles. Est autem *mola rudis indigestaque moles vtero addita, quam cruditas edit seminis atque corruptio, vnde est impedita corporis partiumque discretio & accretio.* *[Auic. capite De mola.]* Dixi esse rudẽ indigestamque molem: Nullã enim gerit formam quæ speciem aliquam referat, quapropter vterus laborat tunc morbo in aucto numero: etenim illi additum est quod non deberet. Est autem hæc accretio physica, sed informis. Viuit enim & crescit more tuberum, quæ ὕδνα Græci vocant: non autem stirpium, suis partibus discretis, absolutarum. Præterea addidimus, Eam edi ex seminis cruditate & corruptione: Nam ex deprauata conceptione nata fuit. Hæc impeditio discretionis, impeditio est à seminis cruditate, quod in matrice conceptum est, nec foras elapsum. Cruditati seminis, quæ in testibus ortum habuit, multum adiicit oppressio quam facit muliebris quæ in procinctu est purgatio. hæc copia sua obruit conceptũ semen. Non enim à sanguine semen nutritur, dum informatur fœtus; sed à suo consociali, quod est semen alterutrum, quod dominatu regitur informantis, tum maris, tum fœminæ. Est itaque mola velut quędam μέκωνος quod illa sit crudor quidã, quo vis exoleuit gignendi ac discernendi à semine. *[μέκωνος quid.]* nam κατεψυγμένα Hippoc. est, à celeri motu & mutatione quiescere refrigeratum. *[2. Eiusdem. De frœto coniugij Arist. De morb. mul.]* Quare ex Hippocratis sententia, gemina videtur causa molæ, semen scilicet crassius, & menstruus sanguis crassior, qui obruere potest ita semen, vt discretioni & accretioni operam nauare nequeat. Sed Aristoteles ex solo menstruo molam compingi scribit: Nam cum inter cuncta animantia sola mulier menstruis tentetur, hæc vnica tantum mola laborat. Itaque ex solo menstruo sanguine illi mola nasci videtur, & nequaquam ex semine. Recte hoc Aristotel. ducit ex suis fundamentis, quibus consentanea *[4. De gen. animal. 7.]* affirmat: qui asserebat semen solum efficientis causæ ratione concurrere. Verum Hippocrates, Galenus, Auicenna existimant, eam ex semine, interdum etiam ex abundanti crassoque sanguine combinari. Si enim ex solo sanguine mola cresceret, virgines ea etiam nonnunquam turgerent; quod nunquam euenisse demonstrauit Galenus. Sed iam in his contraho vela, ne extra lineam institutionum longius abeam. *[14. De vsu part. 13.]*

SECVNDA

SECVNDA MEDICINÆ PARS, ΠΑΘΟΛΟΓΙΑ.

INSTITVTIONVM MEDICINÆ LIBER SEXTVS,

De morborum Differentiis.

CAPVT I.

Quid sit morbus.

HACTENVS quæ ad Physiologiam spectant enarrauimus, elementa, temperamenta, facultates, atque humores; quæ res naturales à medicis dicuntur. Iam ductus artis eo nos trahit, vt de his dicamus quæ horum sanitatem euertant, quæ in hac secunda parte, nempe παθολογίᾳ, breuiter complectemur; videlicet affectus omnes præter naturam: nam vt scribit Galenus, *initium curandi est affectus dignotio; quemadmodum finis, remedium.* Vult autem Hippocrates naturas inprimis morborum esse cōsiderandas. Sed singulorum quia nulla est scientia, ab vniuersis initium ducam. *2. Meth.*

Res præter naturam tres. *Morbus quid.* *1. Sanit. & 1. De Morborum Diff. & 1. De Symp. diff.* *Definitionis explicatio.*

Res igitur præter naturam sunt tres, quæ corpus humanum male fatigant: morbus, morbi causa, & symptoma. *Vt sanitas est commoderatio seu dispositio secundum naturam, potens edere actionem per se; Ita Morbus est constitutio præter naturam corporis viuentis, primò & per se lædens actionem*, diciturque morbus quasi μοῖρα βίου, fatum vitæ.

Definitur itaque morbus, Constitutio præter naturam. Constitutio rerum alia composita est ex forma & materia: alia est tantum quædam præparatio & conformatio, quam res quæque sortita est ad actiones suas commodè exercendas. Prior constitutio ex elementis & rerum formis pendet: altera, ex temperie, in partibus similaribus: in organicis verò, ex structura; vt in rebus artificio confectis: quemadmodum in gladio, præterquam quòd constet ex materia & forma, requiritur acumen & durities, vt sit ad vsum promptior, quæ constitutio quasi forma accidentalis est, quæ intendi & remitti potest. talis forma est morbus, non vt prior. Præter naturam diximus: nam in ametria consistit eius forma accidentalis, vt sanitas in eius symmetria. Dixi, corporis viuentis: nam morbus cum actionem lædat, reponendus erit in ea re quæ actionem edit; ea est pars corporis. igitur nec humor, nec spiritus, nec calculi, nec lumbrici morbi sunt, sed tantum causæ. Diximus, primò lædens actionem; excludimus causas morborū, & symptomata, leuioresque affectus. Actionem lædens, diximus; actio formæ debetur, quare excludimus materiæ vitia, vt crassitiem, mollitiem, densitatem: eò quod ad essentiam formæ nihil conferant. æquè enim culter est ligneus atque ferreus; nisi quòd hic diutius duret, & melius scindat. Materiæ vitia, quæ intemperiem sequuntur sunt symptomata, non morbi.

Argenterius summis viribus nititur probare, morbum primò lædere facultatem, deinde actionem. cui respondemus, facultatem nihil aliud esse quam substantiam partium animatarum, quæ sanitatis habitu actiones exercet. ita vt abolita facultate, actio & vita perdatur; at actione læsa non statim perditur facultas. quare immediata causa actionis est sanitas, non facultas; & morbus causa est per se actionis impeditæ: Ideo medicus non curat facultatem sed morbum; vt in obstructo neruo optico. *Argenterij definitio.*

Tria ob oculos semper habenda: corporis partes, contenta & actiones: ex his est quicquid in nobis subsistit. In partibus morbi: in contentis causæ morbificæ fere: in actionibus symptomata etiam consistunt. morbus suum ambitum habet, vti sanitas: inde graues quidam sunt morbi; quidam sunt morbi leues: ita est sanitas perfecta, & alia non absoluta. Quod inter sanitatem & morbum ambigit corpus, neutrum dicitur, hoc est; nec sanum, nec ægrum; id suum quoque sortitur ambitum, vt proxime ad morbū vel sanitatem accedit.

CAPVT II.

De morborum variis differentiis, quæ ducuntur à partibus nostri corporis. Et de parte obsessa proprio morbo: & ab alieno cum afficitur.

MOrborum differentiæ sumuntur à partium nostri corporis varietate, in quibus consistunt: à natura membrorum: & ab adiunctis. *Differentia morborum vnde, & quot.*

Partes autem quum aliæ simplices sint sibique similes, ex elementis genitæ: aliæ organicæ, vel instrumentariæ, ex simplicibus partibus conflatæ; hinc oritur triplex morborum genus: nempe morbus similaris, ὁμοιομερὴς naturalemque temperiem peruertens partis simplicis: morbus organicus, qui instrumenti frangit proportionem: tertius morbus vtrique parti communis, solutio continui dicitur, etenim incommodat functionibus partium similarium & organicarum.

Partes similares occupat intemperies calida, frigida, humida, sicca, simplex vel composita: quæ quum exsuperant, morbi sunt, & actiones lædunt. Intemperies octo morborum genera profert: quatuor simplices, vt calidos, vel frigidos, humidos, aut siccos: vel calidos & humidos, calidos siccos: vel frigidos humidos, frigidos. siccos Porrò hæc intemperies est vel cum materia, vel sine materia. Intemperies partis calida & humida sanguinis particeps φλεγμονὴ dicitur hoc est inflammatio; si vehementi impetu incubuerit, & tumorem dederit. frigida autem & humida, pituitam coniunctam habet, vnde (si tumor) οἴδημα frigida & sicca, particeps melancholiæ, vel atræ bilis, scirrhus, si tumeat, vel cancer dicitur. At si misti humores tumorem fecerint, genuinum nomen trahet à vincente humore *Intemperies morbi.*

humore, vt phlegmone erysipelatodes: œdomatodes: prout cum sanguine copiosiores, & pituita vel bile profusiore, collectus fuerit tumor.

Materia morbi an sint.

Addit Fernelius præter morbos in intemperie, materiæ immoderationem, & formæ corruptelam. Verum qui medicinam cum philosophia conformem reddere conabitur, morbos formæ vel totiussubstantiæ eos duntaxat agnoscet, qui ex incerto, seu nobis incognito intemperiei gradu, dependent. Etenim forma partium maius & minus recipere, & tot morborum variationes sine certa pernicie subire nequit. Quos autem ponit materiæ morbos, materiæ intemperiem, eiusve puritatem; vel propriam formam sequuntur; aut occasionem externam; vt callus à corpore duro.

M. organicarum partium

Partes organicæ nostri corporis vt ritè munia sua exequantur, apte compositæ esse debent in conformatione, numero, magnitudine, situ & coniunctione. vnde tot morborum genera in partibus organicis esse possunt. Conformationis vitia conciduntur minutiùs: suntque vel in figura læsa; vt varij, vari, capite acuminati: vel asperitate aut læuitate, vt aspera arteria si nimis exasperetur, & vterus qui aspredinem habere debet, si nimiam læuitatem nanciscatur, quà fœtum retinere non potest. Denique in meatu vel cauitate, quæ sunt aut angustiores, aut latiores: vt quando obstruuntur venæ, aut spiracula cutis. In numero, cum quid redundat vel deficit: vt in manu, accesserit si sextus digitus aut si vnus desit. In magnitudine, cum diminuitur, vel augetur nimium; vt vastitas vnius cruris; & lingua si nimium concisa. In situ, si pars male nectitur, locove suo recesserit, vt ossium luxatio, & linguæ vinculũ.

Conformationis morbi. *In numero morbi.* *M. in magnitudine* *M. in situ.*

Continui solutio.

Tertium genus dicitur continui solutio. & est morbus communis: æquè partem similarem ac organicam tangit. Ex varia natura partium quibus incumbit, diuersisque ex causis, varia sortitur nomina. vt vulnus à tenuibus rebus ad secandum aptis inciditur: fractura à duris fit: caries, in osse: contractio, in neruis: fissura, in osse. sic diuersa nomina sortitur soluta vnitas à forma vulneris; vt vulnus profundum, latum, penetrans, rotundum, in venis soluta vnitas, dicitur ruptio venæ. apertio venæ fit vel ἀναστόμωσις, quando oscula venarum aperiuntur; quum copiosus sanguis impetu affluit, vnde se laxant venarum oscula; vel oscula illa imbecilla facilè cedunt. Cum ob raritatem venarum sanguis exilit & exsudat à venis, dicitur διαπήδησις, quæ etiam à tenui sanguine nascitur. ἀνάβρωσις vel διάβρωσις dicitur, si venarum erosione prodit sanguis; ab acrimonia fit.

Duplici ratione ægrotant partes.

Morbo qui parti insidet, duplex differentia à Galeno adscribitur, vt si alter parti cui insidet proprius, alter aduentitius & per consensum eam afficiens. quorum illum Primarium seu Primitiuum, hunc Secundarium seu Superuenientem appellare possumus. Galenus illum, affectum per ἰδιοπάθειαν & πρωτοπάθειαν: hunc, affectum per συμπάθειαν & ὑστεροπάθειαν appellat. Posterior hic efficacia morbi alia in parte consistentis parti laboranti impertitur, idque duobus modis, nimirum per Sympathiam, seu Progressum & communicationem, seu Concordiam, vt loquitur Plinius: aut Metaptosin seu Transitum & Translationem. Per Sympathiam morbus fit, cum superstite priori morbo, alius ab eius fomite alteri parti imprimitur: vnde ab Archigene vmbra affectus vocatur, vt cum ventriculi vitio caput tentatur. ideo etiam Sympathiâ parti laboranti remedia non adhibemus: fit tamen morâ ex Sympathiâ Idiopathia: hoc est cum pars diu alterius partis vitio laborauit, diuturnitate affectum proprium contrahit, qui (vt iam diximus) propriè δευτεροπάθεια & ὑστεροπάθεια nuncupatur, & Protopathiæ opponitur. quare Idiopathia communis est Protopathiæ & Deuteropathiæ. Fit autem per Sympathiam morbus duobus modis, nempe sine materiæ communicatione, aut cum materiæ communicatione. Sine materiæ communicatione per Sympathiam tribus modis apud Hippocratem fit morbus; videlicet generis similitudine, operis societate, & vasorum communione. Generis similitudine fit vomitus bilis vulnerato capite, quia dura meninx detecta & ab aëre immurata trahit in consensum suæ affectionis omnes membranas, vnde & ventriculum. Operis societate, vt osse brachij læso vnà læditur & actio musculi. Vasorum communione, vt in fractura calcis apud Hippocratem, quod illa sine magna contusione fieri nequeat, eo quod fiat tantum casu, hinc chorda maxima trium musculorum suræ conuellitur: inde nerui affecti cerebrum delirio afficiunt: & per venam & arteriam insignem transfunditur materia ad cor, vnde febris oritur. Cum materiæ communicatione per Sympathiam quando fit morbus, Hippocrati dicitur ἐπιγένεσις, id est causæ morbificę propagatio, vt si materia pleuritidis, superstite pleuritide ad pulmonem & cerebrum transferatur, vnde peripneumonia & phrenitis. Quare omnis epigenesis pessima quidem est reapse, sed multo peior habetur, quando fit propagatio in nobilissimas partes, quæ habent imperium in corporis vniuersitatem, & quæ mutuo datatim materiam morbificã cum fœnore communicant. Nam tunc hæc duo mutuã tradunt operam in ægri perniciem; ita in phthisi pulmo & caput conspirant in mortem; ille quidem caput replendo; hoc vero perennem catarrhum fundendo & pulmonem opprimendo. Per Metaptosin autem (id est Transitum seu Translationem totius materiæ morbificæ ab vna parte in aliam) duobus modis morbus generatur: vno modo lege criticâ, ac proprie Hippocrati διάδοσις & διαδοχὴ appellatur: altero symptomaticâ, & propriè μετάστασις Hippocrati nuncupatur; vt cum pleuritis transit in peripneumoniam. Nam διάδοσις apud Hippocratem semper in bonam partem sumitur; contra μετάστασις, in malam: vnicus locus excipitur *lib. 5. Aphor. 7.* vbi in bonam partem vsurpatur. Nam Metastasis est mutatio morbi in morbum, translatione materiæ morbificæ à parte ignobiliore ad nobiliorem: ab exteriore ad interiorem: à parte quæ continetur in eam quæ continet. In hac translatione pars ignobilis quos exceperat succos à parte nobili (at iam morâ grauiori putredine affectos) illi refundit per Palindromen refluxus, non recidiuæ. Nam duplex est Palindrome seu regressus in morbis: vna per Recidiuam, quæ fit cum morbi exacti superstites sunt reliquiæ; aut cum causæ morbificæ perennis adest generatio, vt fit in hydrope per alienationem facultatis sanguificæ: altera per Refluxum, & hæc proprie Palindrome nuncupatur: causa est retractio aut Orgasmus. Fit retractio, quia pars empyreuma habet superstes, cum amplitudine venarum & arteriarum, quæ vi attractrice carnes ipsas præcedunt. Orgasmi causa est materiæ exclusæ feritas, quæ temperamento & corruptione calida est, substantia tenuis, & qualitate acris, vt euenit in morbis in quibus τὸ ὀξὺ aut τὸ θεῖον dominatur. Quemadmodum autem in tenui salutis spe tanta sæpe naturæ contentio est per Diadosin, vt mortis periculum auferat; ita etiam per Metastasin frequenter tota curationis spes præciditur. Sic in angina cùm fortis strangulatio, sæuitque doloris cruciatus & orthopnœa, præcipitis mortis causas in procinctu stare arguant, desperatio vertitur in spem, si erysipelas in ceruice & sterno per Diadosin exortum, laryngis dolorem minuat, simulque largam respirandi faciat copiam. Eadem spes rursum in desperationem vertitur, si Erysipelas per Metastasin intrò reuersum peripneumoniam faciat, aut anginæ relapsum. Diadosis contrario modo quàm Metastasis contingit. nam fit translatione materiæ morbificæ à parte nobili ad partem ignobilem: à parte interna ad externam: à parte quæ continet ad eam quæ continetur. Continet autem vna pars

Nimirum Idiopathia, & Deuteropathia.

Deuteropathia duobus modis, nimirum per Sympathiam, aut Metaptosin.

Sympathia duobus modis morbum infert, nimirum sine materia communicatione, idque tribus modis.

Gal. in Comm. in Hist. 1. tib. 3. Epidem.

2. De Fracturis 16.

Aut cum materia communicatione, & Epigenesis dicitur.

Metaptosis duplex fit modo, nimirum per Metastasin aut Diadosin.

Metastasis.

Fit per Palindromen.

Palindrome duplex: vna Recidiua.

Altera Refluxus.

Hipp. 1. De morb.

Orgasmus

Varius in morbis euentus à diadosi, aut metastasi.

Diadosis.

pars

pars aliam, deriuatione, seu deductione vasorum, & situ. His in translatione accedunt concausæ, meatuum amplitudo, materiæ tenuitas & quantitas, suscipientis partis infirmitas, & excludentis robur. Ita à partibus nostri corporis variæ trahuntur morborum differentiæ.

CAPVT III.

De morborum differentiis quæ sumuntur ab ipsorum indole.

A Propria morborum indole variæ sumuntur differentiæ: nam inde dicuntur extremi, magni, acuti, mites: Continui, lethales, incurabiles, recrudescentes, periculosi, salubres; manifesti, occulti; Contagiosi, Venenati, Noui.

Morbi qui extremi. 1. Aph. 6.

Extremi dicuntur, vltra quos non sunt alij. his adhibet Hippocrates extrema remedia. in his summa symptomatum adest violentia, vt in metastasi: vel impedimentum partis principis dominantis aut ministrantis: aut τὸ ἐξὺ, aut τὸ ἴδιον.

Magni qui morbi.

Magni morbi quatuor de causis dicuntur: quia principem partem occupant, cuius officio vita carere nequit: vel vehementiâ symptomatum: aut quod sit mali moris morbus; vel quia magnam causam agnoscit: vt senes si implicentur febri ardentissimæ, qualis iuuenibus euenit, lethalis est; nam oritur ex immensitate causæ; senile namque corpus frigidum.

Acuti morbi varij. 1. aph. 14.

Acuti morbi dicuntur qui celeriter & cum vehementia historiam suam absoluunt. horum non vna ratio. Sunt enim peracuti quidam, qui quarto vel septimo, quod longissimum, die finiuntur; in quorum censu sunt cholera, tetanus, & angina vera, alij sunt acuti simpliciter, qui quatuordecim diebus finiuntur; in quorum albo sunt pleuritis & peripneumonia, lethargus & causos. Alij sunt acuti non simpliciter, quos pragmatici vocant acutos ex decidentia, hoc est, ἐκ μεταπτώσεως, quod significantius ad rem, verterent ex degeneratione. hi finiuntur die vigesimo, vel vigesimo septimo, vel quadragesimo: hunc si superant, chronici dicuntur.

Periculosi.

Periculosi morbi fiunt, ex magnitudine causæ, symptomatum vehementia, & curandi difficultate.

Contagiosi. Et quid contagio.

Contagiosi morbi sunt, qui contagij seminaria quæ habent, in alium transfundere possunt. Contagio est communicatio eiusdem morbi à corpore in corpus. Dicimus esse communicationem: est ergo motus, in motu hæc consideranda sunt quatuor: id quod communicatur: corpus quod communicat: cui communicatur: & medium per quod communicatur. Id quod communicatur hic est res præter naturam: igitur vel morbus, morbi causa, vel symptoma. Hic morbi causa communicatur. quæ est corporea vel incorporea: incorporea, vel meræ qualitates, vt stupor à torpedine per tridentem piscatoris transmissa, qualitate communicatur eius manui, sic morbi à veneno: at illi non communicantur per qualitates. Causa corporea, oportet vt illa sit mobilis loco, non solida. Igitur vel humor, vel spiritus, vel vapor contagium præbent; qui vapores & alterando interficiunt, vt alia plurima venena; quia sæpe moriuntur homines in peste sine vllo putrefactionis signo, vt refert Iacobus de Partibus sua ætate accidisse, vt qui cum vrinis illum accessissent, sine febre & aliquo symptomate, repente conciderent; quia alterando sine putredine interficiebat. Alioqui, cum putrefaciendo iugulat, hoc modo id euenire solet: vapor pestis labefactat calorem natiuum, hinc humores putrescunt spoliati naturæ calidique natiui custodia. Vt itaq; fuerit validus calor natiuus, ita vel statim extinguitur sine putredine, vel colliquat humores putrefaciendo. Quod

Pestis Anno 1445.

autem certam ætatem tangat hoc malum, quemadmodum Dionysius Halicarnassæus scribit, vel quod subita pernicie, sine vlla ægrotatione sit calamitosa, vt Plutarchus *in vita Romuli* prodidit: & quod alias bruta animantia, alias fœminas, iterumque his fere intactis, viros robore præcellentes inuaserit, & olim, vt scribunt Orosius & Eusebius, fœtus in vtero mulierum ac pecudum necârit: causa est, quod cordis intemperies certa, certo inquinamento veneni respondet,

1. Antiq. Roman.

Noui morbi.

Noui morbi dicuntur, quorum causa & natura minime nobis est cognita aut perspecta vt olim mentagra Romæ enata: & carbunculus primum Romæ visus Lucio Paulo & Q. Marcio Censoribus: & gemursa morbus, qui digitos pedum tantum inuadebat. Sensit & nostra ætas nouos, vt sudorem Anglicum, & morbum venereum, qui Apua Iudorum videtur esse.

Plin. 26. hi. 1.

CAPVT IV.

De morborum differentiis quæ sumuntur à tempore, & euentis quibusdam.

A Tempore quoque morborum differentiæ sumuntur: Inde dicuntur quidam longi, quidam breues, recentes & inueterati. Diuturni sunt vel causæ magnitudine: naturæve infirmitate, quæ excutere morbum nequit: vel mala curatione. Sunt & morbi continui, & intermittentes. Præterea morbi æstiui, autumnales hyberni, vernales. Quidam sunt communes omni ætati & sexui, vt epidemij, endemij, sporadici. alij proprij & peculiares; vt morbi puerorum, iuuenum, senum. hos describit Hippocrates tertio Aphorismorum. Sunt & connati morbi, & hæreditarij maligni, & benigni. Maligni dicuntur, qui inuehunt grauiora symptomata quàm pro ratione propriæ essentiæ conueniat, vel quorum symptomata ad manifestas causas redigi nequeunt. Sunt & morbi ordinati & inordinati; crescentes & decrescentes: quique ab auctoribus nomen habent: vt vlcera Chironia, Telephia. Præterea morbi legitimi sunt & nothi. legitimi dicuntur, qui ex sincero & puro humore oriuntur. vt ex sola bile, vel ex pituita sola. nothi dicuntur, qui ex mistis humoribus.

Diuturni.

Varij morbi.

Ab auctoribus M.

Hæ sunt morborum cunctæ differentiæ. sed & hi morbi variè miscentur: inde & compositi morbi dicuntur & impliciti. Compositi, qui eandem sedem occupant; vt in tumore præter naturam, inflammatio: est ibi morbus in intemperie, morbus calidus; in mala compositione; & solutione vnitatis; nam eo tumore partes à se inuicem discedunt. Impliciti morbi dicuntur, qui in partibus diuersis consistentes vni eidemque actioni officiunt, vt pleuritis & peripneumonia: ambo enim illi morbi quamuis sedibus distincti respirationi noxij sunt.

Compositi M.

Impliciti M.

Hic studiosos iterum admonitos volo: hæc ab illis disci, vt cum homines remedia petent, consulto ea aptent morbis. quod fieri nequit, ni scias qui sint illi morbi, & cuius sint naturæ & indolis. Nam prima ad curandum indicatio ducitur à cognito morbo: is enim contrarium remedium à medico exigit. Quomodo deprehendes contrarium remedium, si nescias id cui contrarium opponere? alia morbus in intemperie; alia is qui in mala conformatione hæret; alia qui in violata vnione, expetit remedia.

INSTITV

INSTITVTIONVM MEDICINÆ

LIBER SEPTIMVS.

De morborum causis.

CAPVT I.

Quid sit morbifica causa, & quotuplex. Earum diuisio. quid externa, quid interna, & quæ eæ sint.

MORBORVM differentiis enumeratis causarum eorum indago ineunda, hoc ordine primò quæ sit huius indagationis vtilitas ostendentes. deinde quid sit causa morbi. hinc quot causarum differentiæ, & quæ singulis morbis respondeant. Vtilitas eius est, vt ait Galenus, quò his cognitis ac retusis sanitatem reducamus; quod incognitâ causâ fieri nequit. Cum enim species morbi deprehensa fuerit, ea elidi nequit, ni causa eius primum exscindatur: vt docet & hæc vsui accommodat Methodus medendi. At causa, ni cognoscatur, exigi non poterit. nam, cum omnia pereant à suis contrariis, quemadmodum seruantur à suis similibus, contrarium causis remedium inuenire debebis. At hoc nunquam poteris, ni primum id agnoscas, cui opponere contrarium velis. Igitur causæ morborum disci debent.

Vtilitas.

Morbi causa est, quicquid ad generationem morbi aliquo modo confert. confert autem quod morbum constituit, gignit, auget, conseruat. Constituit morbum ipsa forma corpori impressa. gignit causa efficiens. augent eædem causæ, si perseuerent. Conseruant omnes causæ quæ eiusdem generis sunt cum gignentibus, sed imbecilliores quam vt augere possint.

Quid morbifica causa, & quotuplex.

Causarum in omnibus rebus quæ gignuntur, quatuor genera sunt: materia: efficiens: forma: & finis. nos efficientem propius persequemur, nam illa proprie corpus immutat. Hæ in externas & internas diuiduntur. Externæ dicuntur quæ foras incidentes corpus alterant. Prisci occasiones vocabant, quod euidenter morbos præbeant. vt qui à calore febrem incurrunt; aut à frigore congelationem: occasio eius morbi est à calore, vel frigore. Hæc à Græcis προκαταρκτικὰ quasi præincipiens dicitur, & internam irritans; ab ea enim fit ferè motus initium, id quod significat προκατάρχειν. Hæ causæ vbi morbum dederint, absistunt, nec manent.

Diuisio causarum morbificarum

Externa.

Internæ causæ duplices sunt. Antecedentes, & Continentes. Antecedentes in contentis existunt, ab externis ortæ. verbi gratiâ, ex pleno victu, sanguinis copia succrescit tanta, vt venæ deducantur, vnde sanguis in latus effunditur. cibi copia est euidens causa & externa, sanguinis copia inde orta, & venarum deductio, est causa antecedens. at effusus in latus & putrescens sanguis, est causa continens.

Interna.

Contenta igitur, hoc est, humores & excrementa, à quatuor rerum generibus labefactari possunt: sunt autem ea quæ assumuntur, geruntur, educuntur, & quæ retinentur. Quæ assumuntur sunt, alimenta, aër, cibus. potus, & medicamēta per quæcunque loca corporis immittantur, siue per os, nares, aures, sedē. Quæ verò geruntur, sunt ea quæ à nobis fiunt; vt motus corporis & animi, insolens gaudium, amor, quies & motus. motus, vt in aëre limpido, vel putrido: quique extrinsecus adhibentur; vt balnea, frictiones, cataplasmata, labor, vigiliæ, vulnerantia, periapta. Quæ educuntur, vt sudor, vrina, & excrementa cætera: humor pharmaco excretus, lumbrici, calculi, carunculæ, venus intempestiua, & immodica quæque euacuatio. Retinentur hæc eadem subinde præter naturam, pariuntque morbos, si peccent in substantia, quantitate, qualitate, agendi modo, & ordine.

Humores vnde labefactentur.

CAPVT II.

De Aëre.

INTER morborum causas externas, & censum eorum quæ assumuntur est aër, qui nobis cognatus semper adhæret, & sine quo viuere non liceat Nobis hic necessarius; vt & res omnes non naturales à medicis dictæ: nempe cibus, potus, motus, quies, somnus, vigiliæ, excernenda, retinenda, & animi motus. à Galeno autem in arte medica dicuntur causæ salubres & conseruatrices: quod corporis nostri commoderationem rectè accommodatæ seruare, tuerique possunt. Inter hos aër maxime morbos parere solet; quod eo dum viuimus necessario fruamur. Propterea non male dixit Auicenna, aërem nostrorum corporum & spirituum elementum esse, hoc est, veluti pabulum. etenim vita nostra nititur spiritibus, spiritus autem pastum ineunt ab attracto aëre, vt docet Galenus. quare sanis & ægris aëris maxima habenda est ratio. Aër ergo qui omnibus temperamentis ex æquo vsui futurus erit, eiusmodi sit oportet, vt non peccet in substantia, qualitate, agendi modo, & occasione. talis fuerit serenus, purus, nitidus, tenuis, patens, nullis inquinamentis oblitus, vel putredinis corruptelâ fœdatus, vel vligine perfusus; lenibus & suauiter spirantibus ventis difflatus, qui modice agitetur. Cui contrarius erit, qui cloacarum & paludum halitu infectus fuerit; vt olim Lerna inter Argos & Mycenas. sic qui demisso loco montibus septus nullum recipit perflatum: squallet enim situ. & nidorem contrahit, morbosque præbet ad pulmonem attractus. Hinc Columella de Catonis & Varronis sententia, in emendo agro, aëris salubritatem inprimis spectandam docet. Nemo enim sanus sumptus debet in eo agro emendo facere, qui dominum ad fructus peruenire non sinat, Aër ergò temperatus non parit morbos: omni enim temperamento conuenit. At qui calidior est aër, exhaustis spiritibus vires deiicit; (hinc Aristoteles Æthiopas & qui Lybias incolunt breuis æui esse ait;) vrinam minuit, quia sudores prolicit; coctionem debilitat; bilem torridam facit, hinc morbi acuti. Frigidus aër coctionem promouet, cogendo intrò calorem natiuum: humores incrassat; longos morbos parit & destillationes. Humidus aër torpidum corpus reddit, & cruditates humoresque multos. Siccus spiritus collustrat, humores absumit; Attamen obstructiones præbet. Aër quem Barbari turbatum vocant, Latini impurum, fœdat spiritus & humores, nubemque & quasi caliginem iis inducit, vt scribit Galenus: quemadmodum serenus mentem exhilarat, & spiritus alit. quod innuit Hippocrates quum odores implere, oblectare, placare, conceptis verbis dixerit. Quem locum Ioannes Alexandrinus enarrans, Democritum Abderitam vitam mellis odore quatriduo sustentasse dicit; aut, vt alij affirmant, panis calentis odore, & Oribasius quadraginta dies aliquem vixisse asserit, solius mellis odore. scribendum ibi quatuor, pro quadraginta, numerorum facili lapsu.

Lib. De valetud. tuen. Aër qui bonus.

Lib. 1. De re rust. ca.

Calidioris aëris noxa.

Frigidi aëris vis.

Humidus aer. Aër impurus.

1. Epid. 2. 6. Epid.

2. aph 11.

Aër mutatur modo ad calidum, frigidum, humidum, & siccum. Vere temperatus est: inæqualis autumno: calidus æstate: frigidus hyeme. at hæ vicissitudines à naturæ ductu aliquando abeunt, vt ver non sit temperatum, sed imbriferum & aquilonium. sic & æstas sæuit aliquando non ferendis ardoribus; modo humet. Id vbi euenit, Hippocrates graues morbos exspectandos asserit.

Aëris mutatio ex anni tempore.

asserit. at temporibus ex sua natura fluentibus, fiunt morbi non lethales sed secundi iudicij.

Contaminatior contagio aer. Lib. De natura hum.

Aër aliquando contrahit squalorem atque situm, nidoribus plexus, à re tetrum spirante, vt ex sepulchris, lacunis: vnde vim deleteriam contrahi nostræ naturæ aduersam; à nobis contagio dicitur: Hippocratis μιασμὸν ἀπόκρισις, hoc est, seminarium contagij, vel, ad verbum, morbida excretio vocatur. sic conclusus aër in speluncis, mineris, & metallariis fodinis putrescit: hinc afflatus qui certo homines interimunt. Albertus Magnus de Puteo Pataui aperto refert, qui multos auræ afflatu interemit. refert & Georgius Agricola de quibusdam fodinis tetrum spirantibus.

Ventus quid & qui. 2. Meteo. 4. 3. Lib. De Placit. phil. 5. Natur. quæst.

Ventus, soboles aëris, variè nostra corpora afficit. *Est* autem *ventus*, vt refert Aristoteles, *exhalatio sicca, quam terra profundit, circum terram acta*. Plutarchus ex Anaximandri sententia, ventum esse arbitratur aëreo fluidum, à Sole eius partibus liquatis atque fusis. Seneca esse existimat ventum, aërem in vnam mundi partem fluentem. *Est verò ventus, exhalatio ex mari terraque hausta, qua exprimitur aliquo, qua liberius exitus patet.* Sunt venti quidam locis quibusdam vernaculi. Atabulus infestat Apuliam: Calabriam Iapyx: Athenas Scyron: Galliam Circius: & nostram regionem λὶψ seu Africus.

Salubris regio vnde, & situs habitationis.

Hippocrates *libro De aëribus*, aquis, & locis: aëris, regionisve salubrem, morbosam, vel pestiferam naturam ex ventis, aqua, & terra, locorumque positu animaduerti posse rectè docuit; vt rectè quomodo ad morbos inducendos aër compositus sit, scire possimus: ex aëre

7. Pol. 11.

enim magna pars valetudinis pendet. Vnde Aristoteles, in situ vrbium describendo, aëris salubritatem inprimis spectandam docet, vt valetudinis incolarum prima ratio

1 De re rust. 1.

habeatur. Ea, vt scribit Porcius Cato, optima erit in ea regione, in qua nitent omnia, & in qua solùm naturâ suâ valet. Nitor enim cœli, clementiæ & bonitatis terræ

3. De re rust. 2. 9. Palustris aër quàm noxius.

indicium præbet. Quam sententiam Caronis Varro explicans, inter alia dicit: illas ciuitates quæ palustribus in locis sunt, obnoxias esse corruptelæ; quod in eis crescant animalia quædam parua oculis incomperta, quæ cum

Cap. 1. Praxis Med.

aëre per nares in cerebrum, & per os in corpus trahuntur, & difficiles morbos pariunt. inde Iacobus Holerius scribit, in cerebro Itali scorpionem enatum ex odore basilicæ herbæ: nam minuta animalcula ita quoque cum aëre sorbentur. Vnde Scropha, auctor, vt Varro dicit, grauissimus, oppida sublimi loco posita, affirmat salubriora esse, quam quæ in valle sita sunt, quod bestiolæ si quæ innatæ fuerint, aut efflantur, aut arcuudine citò pereunt: & si quid contagij conceperit, dissipatur aut vi Solis exeditur. Sed omnium saluberrimus situs est ad aurorarn, quod illæ ciuitates hyeme solem, æstate vmbram habeant. Intelligo ad auroram, ortum æquinoctialem. hoc est, cum contra vrbem Sol radios suos fundit cum sub Ariete oritur. etenim horum aquæ, vt ait Hippocrates, sunt splendidæ, suaueolentes, & molles; quod Sol oriens eas expurget. Et, vt dicit Hippocrates, in tali tractu cœli quæ nascuntur plantæ aut mineralia, primam bonitatis notam habent: raroque homines morbo tentantur in tali loco habitantes; vnde & longæui sunt. Sic in Taprobana insula, quam hodie Sammotram vocant, quæ sub æquinoctiali ad ortum sita est, ferunt homines trigesimum supra centesimum superare annum; qui, nisi naturæ lege non concidunt, hoc est, solum senio, calore naturæ exhausto, moriuntur. Ad occasum sitæ ciuitates, ægrescunt maxime. nam terram & aquam crassam, minimeque spendidam habent: quia mane à Sole non emendantur, sed rore vel pruinâ madent, & à meridie Sol eas præcoquit: propterea catarrhis & putridis morbis obnoxiæ redduntur. Qui Austrum spectant, aquis subsalsis & crassis vtuntur, longisque morbis, vt diarrhœis tentantur. Qui Aquilonem habitant, pleuritide, lippitudine, ardentibusque febribus sæpè implicantur.

Hæc de Aëre aliquantulum prolixius nos: quod, præ cæteris, Hippocrates huic præcipua quædam ascripserit. is duo obseruauit quæ in morbis coniectariam calamitatem trahunt, morbi acumen, & malignitatem. hoc

Diuinum in aëre.

est, τὸ ὀξὺ, καὶ τὸ θεῖον. Diuinum vocat, aëri aliquid impressum præter morem; continentem rem pro contenta insigniens. nam aërem diuinum iure appellare potuit, politico loquendi more: cum vulgus aereum hoc spatium, quod protenditur ad nubes, cœlum turbidum vel serenum dicat. & ipse scribit *primi Epidemiorum secunda*, καὶ ὁ οὐρανὸς καταιγιώδης καὶ ἐπίνεφος, hoc est, cœlum procellosum & nubilum. Quare ex diuino laborare, est ægrotare ex causâ morbificâ, quæ non à diætæ, sed aëris a vitio contaminata fuit. Hæc longè exitialior malignitas contagia sæpè spargit: & est indomita, coctionique inuicta, venenata & pestifera sæpe; epidemiorum, morborum auctor. Quomodo id innascitur aëri? hoc tradidit Hippocrates *libro tertio Aphorismorum*: nimirum, ab omni insolenti aëris mutatione in temporibus integris anni. Hæc mutatio aëris extra naturæ legem, propriæ substantiæ corruptione qui in vitio sunt succes profert. Quare prudenter initio Prognostici monet Hippocrates, vt prouidentiam consectemur, num quid insit morbis diuini. nam ibi τὸ θεῖον, prosequitur: & ei silentium est τὸ θεῖον, nam de eo *in Aphorismis* egit. Tantum itaque tribuit huic diuino Hippocrates, vt iure acumen in his negligere fere velle videatur. Hoc est, si quid diuini insit ab aëre, diuino etiam remedio, hoc est antidoto compescatur. Ita refert Gesnerus, pleuriticos quondam anno, à secta vena expirasse: à theriaca pota redintegratos fuisse. ita in peste.

CAPVT III.

De Alimentis.

Quid cibus.

Cibus quoque morborum sæpe causa est. *Vocamus autem Cibum vel Alimentum quod corporis nostri substantiam augere potest, quodque nutrit.* eo differens à medicamento, quod hoc substantiam nostri corporis alterat, vt scribit Galenus *primo Simplicium*. *At venenum corporis nostri substantiam depopulatur atque depascitur.* Alimentum vero apud Hippocratem est triplex: id quod iam actu nutrit: & quod veluti nutri-

Nutrimenti vox Lib. De alim.

mentum est: & quod nutrimentum futurum est. Nutrimentum verum vocat Hippocrates, quod assimilatum iam corpus nutrit atque auget: quod est veluti nutrimentum, Vocat id quod quidem appositum est parti, sed nondum assimilatum: futurum nutrimentum, quod in ventriculo & venis contentum, nutrire tandem potest. Atque talia alimenta vel sunt

Vt varia sint alimenta.

pura alimenta, vel alimenta medicamentosa; vt zinziber, piper, lactuca: nam & nutriunt corpus, &

vnde morbos præbeant.

alterant consimili qualitate. Morbos autem inuehunt cum peccant in substantia, qualitate, quantitate, vtendi modo & tẽpore: vt quę lenia sunt & aluum subducentia, & priusquę plenius nutriunt, posterius ingerantur: nec dura mollibus, nec adstringentia laxantibus, aut crassa liquidis, nec concoctu lenta facilibus præmittantur.

Tempus sumendi cibi est, cum latrat fame stomachus. nam famelico cibum subducere, vt inquit Auicenna, ventriculum prauis implet humoribus. Sic si cibus anteuertat famem; inde enim morbi graues putredineque oriuntur. Hippocrates inquit: Si plenior su-

2. Aph. 17.

pra naturâ cibus sumatur, morbum facit. nunquã enim ad satietatem, sæpe infra eam cibum sumpsisse profuit. Sic enim mitigatur, & minor excrementorum est prouentus. Hinc Hippocrates inquit: sanitatis studium

6. Ep. id. 4. 23

est non satiari cibis, & ad labores impigrum esse.

3. Satur. 4. Vnde doctissimus medicus Dissarius apud Macrobium admonet;quod & Socrates suadere solitus erat; illos cibos & potus vitandos esse, qui vltra famem & sitim peterentur; illi enim morbos dant.idque probat Dissarius pecudum pastu: quæ enim simplici gramine vescuntur, salubriores sunt quam quæ ad sanguinem farciuntur: illas enim ægrescere ait.

Qualitas quoque diuersa ciborum,si temperamentis non respondeat, morbos concitat: vt si calidis naturis calida alimonia suppetatur frigidis frigida. etenim, *Lib. De Arte medica.* vt inquit Galenus, intemperatæ naturæ medico contrariorum gaudent vsu. Hippocrates in cibis magnam *2. Aph. 38. Suauia nutriunt.* curam habendam censet; qui ita scripsit: Paulo deterior cibus & potus,suauior tamen, melioribus, sed suauitate imparibus est anteponendus; hoc est, quamuis non ita sit materiæ exhaustæ, nec historiæ morbi accommodatus. tacita enim naturæ vi suauem cibum arctè ventriculus amplectitur ac melius concoquit: id cum non fit; fiunt cibi morborum causæ. vnde Auicenna dicebat,quod sapit nutrit;Suauitas enim ea,exuit & superat id,quod in cibis inuictum erat. vnde quidam bubulam carnem vi ventriculi facile edomant. *Consuetudo.* Consuetudinis quanta sit habenda ratio, legite apud Hippocratem *secundo libro De victu in acutis morbis, & secundo Aphorismorum quadragesimum nonum, & quinquagesimum* Si consuetudo lædit, sensim in melius transferenda erit;alioqui & morborum causa fiet.

Præparatio ciborum. Præparandi cibi exactè, ne in morbi causas abeant. Inter omnes præparationes assatio & elixatio naturæ commodiores videntur.differunt, quod assa maius robur afferant, modò vi ventriculi superentur;elixa facilius concoquantur. *Quæstio.* Quæstio non parua est, num assa elixis sint humidiora. Respondeo breuiter: assa natiua ac interna humiditate præualere, quod crusta ab igne internum humorem arctè contineat: elixæ verò carnis humiditas aliena maior est, quod fit in aqua cocta.

Quanta vis sit ciborum ad sanitatem, demonstrat Diodorus,qui scribit ichthyophagos vitam totam sæpe sine morbis viuere. Iosephus etiam *secundo libro De bello Iudaico* ait,Essæos quietissimam vitam egisse, quod apud eos potandi & edendi modus saturitate definiretur. vno genere cibi vtebantur; senescebant valde. Et Apollonius Tyanæus apud Philostratum *octaui libri tertio*, cum apud Domitianum se purgaret de incantatione per dæmonem, ait, Leuibus & tenuibus cibariis vescor: hæ mihi lautæ dapes. Hoc, ô Rex, admirabilem quandam & arcanam perspicuitatem tribuit sensibus; nec turbidum quicquam aut obscurum apud nos manere patitur; & facit vt tanquam in speculo clare videam facta & futura.hæc victus frugalitas & sobrietas. Certe natura recte instituta paucis eget, indeque suauiter dormit, grataque illi Aurora affulget. mensæ vero epulis æstuantes, morbi. Vide Macrobium *septimi Saturnaliorum quarto capite, & quinto.*

CAPVT IV.

De Potu.

CVm id quod humidum de corpore effluxit,vt potu resarciatur necesse sit; qua efficacia is corpus afficere possit, dicit Hippocrates medicis exacte cognoscendum. nam nisi rite corpus humescat, idem nobis quod terræ satis & nascentibus eueniet; quæ nisi rigentur humore,tabescunt. Aqua & vinum in communi vsu, ad potum, posita sunt. *Aqua quæ optima. 2. aph. 16.* Aqua sit ab omni sapore aliena, calore pellucida, leuis & meabilis, quæ (vt dicit Hippocrates,) facilè calescit facileque frigus *Fontana.* concipit. Alia est aqua fontana, quæ optima censetur, modo fons ortum spectet, ac loco sublimi dimanet; *Pluuialis.* nam tales aquæ hyeme tepent, & æstate frigent. Aliæ furit aquæ cœlo deciduæ: illæ, à fontanis optimæ:nam quod leuissimum est a sole rapitur; sed terri quid a nubibus trahunt. quare dicit Hippocrates,illæ coquendæ sunt ac colandæ, alioqui vocem raucam efficiunt, ac facile putrescunt. bona censetur quæ tonitru deiicitur; mala procellosa,à venis enim cruda est. *Putealis.* Puteales aquæ bis deteriores habentur;quod per anfractus terreos,arte factos ferantur. At quæ per tubulos plumbeos inuehuntur, pessimæ habentur; nam plumbi vim perniciosam corpori inuehunt; vnde viscerum grauitates & dysenteria. quod & Vitruuius annotauit: *Lib. 7.* nam plumbarij artifices,coloribus pallidis fœdarum habent corpus; nam quum funditur plumbum, inquit, vapor ex eo insidens corporibus, artus exurit, eripitque ex membris eorum sanguinis virtutem. Columella prohibet gallinas potari ex plumbeis vasis. Propterea Galenus, in componendo medicamento ex capitibus papaueris, *7. κατὰ τόπ.* aquam pluuialem commendat, quæ non per plumbos tubulos fluxit: quod recrementa quædam plumbi illi immittantur; vnde, inquit, ea vtentibus dysenteriam adfert; cerussam enim habet. *Lib. 1. De antidot.* Hinc male medici eliquant remedia per plumbea vasa: etenim Galenus stannea vasa vitat ad conseruationem remediorum, quod plumbo adulteretur stannum. *Fluuiorum aqua.* Fluminum maiorum aqua suspecta fuit Hippocrati, quod inuectitiis aquis vndique aongestis ferantur: hincque calculum generari, coxendicum dolorem,& herniam. *Palustres aquæ.* Palustres aquæ pestilentes sunt ac perniciosæ,quod statariæ sint lentoque lapsu repant. *Niuosa.* Niuosæ & ex glacie eliquatæ pessimæ sunt: quamuis antiqui obnixe bis delectati sint. legite Athenæi *librum tertium*, & Plutarchi *symposiorum sextum*, & Galenum *ad sextum Epidemion, commentario quarto.* Nero Imperator aquam coctam niui imponebat. vnde Neronis decocta celebris fuit Romæ, vti patet ex Iuuenalis satyra quinta. & Galenus *libro septimo Methodi* decoctam vocat illam aquam.

Vinum. Vinum sæpe morbos facit. Vocant medici Vinum ὀλιγοφόρον quod tenue est & paruum, quodque facile aqua dometur. πολυφόρον quod Hippocrati οἰνώδης, vinosum dicitur: est vinum graue, quo multum aquæ fert, nec facilè domatur. quod vinum si immodicè hauriatur,valetudinem turbat; *1. Epid. 2. ægro.* vt de Sileno narrat Hippocrates; furorem adfert, rabiem, apoplexiam, & omnes morbos frigidos. Vnde Androcides philosophus vt coërceret Alexandri intemperantiam, vinum potaturus inquit, ô Rex, memor sis te sanguinem terræ bibere. *Crassa vina. Gal. 5. De Sanit.* Vina crassa,rubra, & acerba, atram bilem generant, & crassum vitiosumque sanguinem. *Noua.* Noua vina quæ musteam dulcedinem nondum exuerunt, excrementosa sunt, ægreque concoquuntur, & difficile *Annosa. Macro 7. Sat. 12.* permeant. hinc statuum prouentus. Annosa vina, neruos & caput tentant,nimiumque vrunt corpus,vt scribit Galenus *septimo Methodi, & libro De cibis mali & boni succi.* *Quibus noceant.* Quibus crasso sanguine corpus perfunditur, à nigro vino læduntur; sed tenue illis vsui est: sic quibus frigidus est sanguis, his generosa vina prosunt. breuiter,ea sunt salubria vina, quæ mentem minime de sede sua dimouent, quæque facile penetrant; *2. De legibus. 1. De Sanitate. Plutarch. prob. 48.* quale Rhenense est. Plato & Galenus pueris & adolescentibus denegant vinum, quod ad iram & libidinem præcipites eos reddat, & rationem hebetem & turbidam efficiat. Senibus vinum idoneum est, quod, calidum & humidum cum sit, mitiget eorum frigus *Quando vino quo vtendum.* & siccitatem.Hyeme,dicit Polybius, parcius est generosum vinum bibendum: æstate, imbelle & copiosius *Quantum.* patum bibendum, & ad necessitatem. alioqui morbos vinum concitat. Asclepiades medicus, primum cyathum ad sitim pertinere dicebat: secundum, ad voluptatem & amorem: tertium,ad ebrietatem: & quartum, non esse nostrum, sed insaniæ. Nos id aliquantulum laxius: primus cyathus ad sitim: secundus ad lætitiam: tertius ad voluptatem: quartus ad somnum:

somnum: quintus ad ebrietatem: sextus ad iram: septimus ad lites: octauus ad furorem: nonus ad morbum. Sed indubie à cibo nec ieiuno stomacho potandum; quod flaccescat coctio vino, & neruos lædat. Iarchas, apud Philostratum De vita Apollonij, *tertij libri decimo capite*, vocat Tantali ποτήριον propinationem post cœnam beneuolentiæ causa. *Philotesia pocula.* Rectè Plinius *vigesimi tertij primo*: Corpus augere volentibus conducit inter cibos bibere: Contra minuentibus, sitire in edendo; postea parum bibere. *5 aph. 27.* Qui noctu bibere appetunt, his admodum sitientibus si superindormierint, bonum, inquit Hippocrates. Nec bibendum statim ab exercitio, cum corpus æstu incandescit: id enim funestum est. Videte Dioscoridis *libri sexti trigesimum tertium.* *Num vinum humidum.* Quæstio medica est, num vinum sit humidum an siccum. sed ex Galeno patet id humidum esse & calidum. *1. & 5. De sanitate.* ea enim ratione pueris vinum, quod calidum & humidum sit, adimit; & senibus concedit, quod eos humectet & calfaciat. & Auicenna *capite de melancholia dicit*, nocere ea quæ frigida sunt & sicca, & iuuare ea quæ humida sunt & calida, vt vinum.

CAPVT V.

De somno & vigilia. & De exercitio: Excernendis, & Retinendis: & de Animi accidentibus.

INter agenda censetur & somnus, qui sæpe, si non rectè ineatur, morbos parit; alioqui, DEI gratissimum hoc donum his quibus placidè serpit, facultates omnes recreat; coctiones promouet, & viscera humectat, (vnde Hippocrates dicebat, dormiturientibus non esse dandum potum; seniique duritiem mollit. At immodicus si fuerit, hoc est, si vltra concoctionem ciborum extendatur, distributionem alimentorum impedit: vnde excrementorum prouentus, ac grauitas corporis. *Tempus* Aptissimum somno tempus nocturnum, quod spiritus, præ tenebris, intro viam affectent, nisi tamen inflammatio adsit viscerum; tum præstat de die dormire, vt inquit Hippocrates, & noctu vigilare; ne intro repant spiritus confertim, & ita inflammationem augeant. Et spiritibus exhaustis labore vel æstu, meridiari non est malum. Septem horarum spacium plerumque cibum coquit. *Decubitus.* Decubitus formam primus omnium Hippocrates *libris Prognosticωn* prodidit: decumbendum in latus vel sinistrum vel dextrum: manus & crura cum ceruice paululum inflexa sint. Auicenna primum in dextrum latus, hinc in sinistrum decumbendum censet, & in ventrem cubandum. Auicennæ modus valido ventriculo confert: at eo imbecilli, in sinistrum prius latus cubandum scribit, id enim concoctionem promouet; quod hepar tunc ventriculo incubet, eique calorem aspiret. Si itaque somnus non ex lege naturæ ineatur, morbi auctor euadit. nam, vt canit Bacchylides, μελίφρων ὕπνος δείλαιον κέαρ mellitus somnus mouet cor. & Homero dicitur νήδυμος ὕπνος, suauis somnus, qui suauiter subit. eidem μαλακὸς γλυκερὸς dicitur. Et Iuno promittit, apud Homerum, Somno Πασιθέην, quam se amare ait Somnus: cum enim naturæ ductu qui fit somnus, obrepat laxatis corporibus, indulgentia naturali nihil certè iucundius corporibus euenire potest: vt nec quicquam infelicius, si gratissimo hoc naturæ dono fraudentur. Vigiliæ corpus frangunt & emaciant. oriuntur à calore & siccitate cerebri, anathymiaseos inopia, & animi curis.

DE EXERCITIO.

EXercitatio corpus varie ad morbos vel robur traiicit: vt de seipso testatur Galenus. legatur Aristoteles, *primo Problematum, quadragesimo septimo.* *Cap. 3. De cibis bonis & malis.* Cur cibum minuere, laborem augere salubre est? an, inquit, quia excrementa subsultant cum cibus superest, aut labor deest? Certè Phraotes, Indorum rex apud Philostratum ait, His quæ in venationibus capto, socij amicique vescuntur: mihi enim exercitatio satis. Pulchrè etiam Plato *in Theæteto* demonstrat, cuncta à motu seruari, & à quiete interire. ita Pindarus meminit ἀέθλων γυίων ἀέξων, certaminum membra augentium. *Quid sit exercitii.* Est autem exercitatio, motus corporis vehemens, quo alteratur anhelitus: vel vnde fatigatio subit. *Varia genera exercitiorum.* Pilæ lusus, & concitatior ambulatio laudatur. etenim cursus crura maximè exercent; & armorum velitatio brachia; equitatio lumbos & ceruicem: clara lectio & cantus pulmones: at pila omnes corporis partes. legite Galenum *de lusu paruæ sphæræ.* Id omni studio cauendum, ne corpore excrementis pleno exercitia ineamus, ne quæ cruda sunt, in habitum corporis detrudantur. Quare non statim à pastu veniendum ad exercitium. Et Hippocrates iubet *6. Epid. 4.* vt cibi sequantur labores: si contra feceris, morbi succrescent ab exercitio. & sensim laxetur corpus exercitio & mollescat. *Finis exercitij.* Finis exercitij esto cum turgidus corporis habitus sidere incipit, & cum corporis efflorescentia diminuit. si vlterius progrediatur, succosum humidum exedit: inde fatiscit corpus. Itaque cum labi cœperit ab exercitio moles, hoc est, cum fatigatum verè fuerit corpus, protinus cessandum: alioqui morbos dabit.

DE EXCERNENDIS ET RETINENDIS.

EXcernenda & retinenda si vltra modum excrescant, plenitudinem vel cacochymiam pariunt. *Plethora duplex.* Plenitudo quæ πληθώρα dicitur, duplex est: quando humores omnes pro sua quique portione creuerunt, plenitudo dicitur ad vasa. Quantum autem periculi illa plenitudo adferat, declarauit Hippocrates, *primi aphorismorum tertio*, vbi scribit, Habitissimam athletarum constitutionem esse periculi plenam. Nam ipsa suis viribus oneratur, ab ea sagina, omni fame prauiore. vnde metus, ne oborta vniuersali inflammatione per causos, & syncope, vel apoplexia, subito extinguantur. Quare horum studium, apud Plutarchum, ridet Philopœmenes, quod quanto plus corpori accedit, tanto plus periculi accedat, & securitati decedat. & quod vasta illa corporis moles, ad res gerendas, & ad sanitatem tuendam sit incommoda. Est autem sanguinis duplex ferè portio in hominibus bene habitis, ad pituitam: pituitæ duplex ad bilem; bilis duplex ad melancholiam. loquor iam de nutritiis qui sunt in sanguine humoribus quorum copia, in effuso sanguine conglobato, sæpe oculis notatur. At reliquis tribus humoribus bene dispositis, si sanguis superat, dicitur plenitudo ad vires, hoc est, quamuis non tendat vasa, est tamen maior quam vires ferant. *Ad vires.* At quum vnus humor tantum redundat. & præ cæteris luxuriat, nempe bilis, pituita, vel melancholia, dicitur κακοχυμία. *Nota eius quæ ad vasa. Eius quæ ad vires.* Agnoscitur plenitudo ad vasa, ex venarum tumore; & lassitudine tensiua. At plenitudo ad vires dignoscitur ex grauitate; corpus pigrescit. cacochymia, ex vlceroso dolore deprehenditur. Quomodo hæ affectiones curandæ sint, videte apud Galenum *libro quarto de sanitate tuenda.*

Solemnis euacuatio. Nulla causa est efficacior ad morbos, quam cum retinentur excernenda, vt muccus, bilis vtraque, aluus, vrina, menses, hæmorrhoides, vel nimia horum effusio: ex sententia Hippocratis, *sexti Aphorismorum vigesimo septimo.* Flatus retenti quam sint fœcundi in morbos, ex Claudij Imperatoris edicto intelligas, qui, vt refert Suetonius, edicto veniam dedit, efflatum crepitumque ventris in conuiuio emittendi; cum periclitatum

tatum quendam præ pudore ex continentia reperisset.

Venus quoque inter excernenda & retinenda censetur. Mirum quod de Epicuro, summo philosopho, scribit Galenus *in libris Artis Medicæ*, Veneris nullum esse vsum salubrem. Sed non sine ratione: contemptu enim voluptatum corporearum, is ita existimauit. Fuit enim vir ille temperans, vt scribit Diogenes Laërtius, & vir bonus, pius, & Dei & amicorum cultor: sed ex Pythagoræ sententia hæc dixit, quia affirmabat tunc coitu vtendum esse, cum quis seipso infirmior fieri vellet. Immoderata Venus virium infirmitates adfert, & senilem iuuentam; quæ, ex Catonis sententia, vt refert Plinius, maturam mortem indicat. quia concubitu à cerebro exhauritur spiritus: cumque subito benignus humor eliquetur ex partibus solidis, fraudantur suo genio & natiua humiditate. Profecto nihil æque cerebrum infirmat, quam firma Venus; vnaque corpus eneruat, animæque substantiam turbat, inquit Cæ-
28. Lib. 6. lius Aurelianus. Hinc Democritus omnem venerem damnauit, vt refert Plinius, quod homo alius ex homine exiliret. Mala est venus in fluore mensium; & conceptus infœlix tetra lue inadens: vt qui ex polluto sanguine sit genitus. hinc elephantiasis & lepra. Fœcunda autem prole venus, quæ fit cum recens fluxere menses, illisque quasi taciturientibus. vnde veteres dicebant; imminente luna, quod est, ex cœlo illucescente, præsultrix Venus choros ducit. In ætate tenella nocua est: vnde Cæsar *libro sexto De bello Gallico scribit*, Germanos intra annum vigesimum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habuisse rebus.

Animi accidentia. Animi accidentia corpus manifesto à naturali statu euertunt. Hoc est motus rationi non obtemperantes: vt ira, tristitia, gaudium effusum, quod instar fulminis spiritus dissipat; furor, timor, inuidia, mœstitia. Timor subito intro trahit sanguinem: hinc enim algent, tremunt, ac pallent extrema. Ira contra, ad peripheriam validè excutit: hac nullus obiit. Gaudium præter spem, occidit fractiores homines. Ita Lacon Chilo, insignis philosophus expirauit, cum filium victorem olympici certaminis conspiceret. Ita Sophocles, & Dionysius tyrannus victoria tragica rapti sunt. id & Diagoræ Rhodio, Marco Iuuentio, & plurimis aliis euenit. Legite Platonem *libro quarto & nono de Republica*, vbi duas animi partes exprimit, rationalem & irrationalem. & accedite Phædrum Platonis, vbi allegoricè equo refractario similem facit animi partem irrationalem. Consulitè Galenum *libro quinto De placitis Hippocratis & Platonis, capite septimo, & nono, & vndecimo*, ex Posidonij sententia. *& capite etiam vndecimo.* Scribit Lerius, in Brasilia homines canescere, nam ab omnibus malis affectibus & molestiis absunt. Plato etiam in Charmide eleganter demonstrat ex Zamolxidis sententia, omnes morbos ex animo nasci.

CAPVT VI.

De reliquis morborum causis.

EVidentes morborum causas (earumque vires) quas vocant externas & procatarcticas, & manifestas, quod sensibus conspicuæ sint, vt aërem, cibum, exposuimus. Sunt & aliæ duæ causæ: Antecedens, quæ ab externis originem ducit: & continens, quæ ab antecedente oritur. Hæ sunt præcipuæ causæ morborum. Agnoscunt & medici alias quasdam causas non æque
Conseruatrix. præcipuas, vt est conseruatrix causa, quæ præsentem corporis statum inuiolatum seruat. vt temperatum corpus, rebus omnis excessus expertibus conseruatur, hoc
P[illegible]uatrix. est, similia similibus. Est & causa quædam præseruatiua, quæ ab impendenti malo corpus tuetur: vt si nimium caluerit, frigiditatem addit; quod, vt scribit Galenus *De arte medica*, intemperatæ naturæ modico gaudent contrariorum vsu. Ex hac causa enatus fuit tractatus De sanitate tuenda. Est & causa sine qua non: *Causa sine qua non.* quæ quamuis nihil agat, actio tamen sine illa non habet euentum. vt præmansio cibi, sine qua concoctio non fit in ventriculo. Adiutrix causa illa quidem opus con- *Adiutrix.* ficit, sed ægre; aliique iungitur, vt rem assequatur felicius: vt in partu, tensio octo musculorum abdominis adiuuat actionem vteri. Sunt & abditæ causæ morborum, quæ intus latent, & notis aliquando se produnt, vt pleuritis. Aliquando nullis notis deprehendi possunt, dicunturque morbi abditi: Hippocrates diurnos vocat. talem expertus fuit olim famulus Crateri medici, de quo scribit Porphyrius, *libro De differentiis animarum*: cui omnis caro ex ossibus decidebat, nec vllis auxiliis curari poterat, quam esu viperæ, quam anguillarum more coxerat. ita elephantiasis quoq; curatur, vt scribit Galenus. Insitæ morborũ causę sunt ex sanguine mater- *11. Symp. 2.* no, & parentũ. & semine. tales morbos parẽtes in fœtus *Abdita causa.* profundũt, quibus obnoxij vixere: vt est epilepsia (sed rarius:) sæpius hepatis imbecillitatẽ, calculum, podagram.

Intemperierum causa. In causarum inuestigatione, à procatarcticis ad causas antecedentes, hinc ad continentes deueniẽdum. Sed in consultationibus medicis præstat continentes præponere: hinc antecedentes: dein euidentes. Sunt autem causæ morborũ, quæcumque vim, temperiem, & structuram partium violant. Causæ morbificæ internæ, vt *Antecedens causa.* antecedẽtes, fere in contentis stabulantur, Contenta autem labefactari possint à quatuor rerũ generibus, nimirũ ab iis quæ Assumuntur, Geruntur, Educuntur, & quæ Retinentur. Assumũtur alimenta, vt cibus, potus: & etiã medicamenta. hæc si peccent in substantia, aut qualitate, quantitate, tempore & vtendi modo, morbos dant. Geruntur ea, quæ à nobis fiunt, vt motus animi & corporis; vt, vigiliæ, frictiones, vnctiones. Educuntur excrementa omnia, ex suis ductibus. Retinentur, vt solemnis euacuatio, transpiratio, corrupti succi. Hæc parient morbos cum vitium fecerint in substantia, qualitate, copia, agendi modo, ordine, & tempore: si corpus præparatum iam fuerit ad has iniurias. Quare dispiciendum diligenter, quid quæque causarum harum possit, & in quæ corpora quid valeant moliri.

Calidorum morborum causa. Iam exemplis ostendemus vt morborum causæ à summis quatuor rerum generibus elici debeant. Morbus intemperie calida, est proportio vitiata mistarum qualitatum, calore lædens actionem. Hæc calida intemperies oritur vel ab iis quæ assumuntur; quorum quædam vi propria calidam intemperiem inferunt, eo quod natura calida sint, vt aër, cibus, potus, medicamenta, piper: vel aliena vi calorem præbent, vt quæ frigore stipant cutem, caloremque includunt; ab his calidi fiunt morbi. vel quia viscida sunt & crassa quæ obstruunt, vnde feruor & putredo: & liberalior cibus & potus cruditates generant, vnde obstructio & putredo; quæ enim putrescunt, calida sunt, & fœcunda in causas est inedia quoque, & quæ peruerso ordine sumuntur: Et quæ à nobis geruntur, & quæ adhibentur, calidos morbos concitant; vt nimium exercitium; & animi motus, vt ira. Et quæ adhibentur calida & obstruentia: vt balneum in aqua aluminosa, calidos morbos parit. & à dolore attracta nimia materia cum in parte calescit & putrescit. Quæ educuntur, nonnunquam calidos morbos præbent, vt si educantur frigidi humores, calidorum liberum dominatum relinquunt. Quæ autem retinentur excrementa, quia putrescunt, calidos inferunt morbos.

Frigidorum morborum causa. Frigidorum morborum causæ eliciuntur etiam ab iis quæ assumuntur, geruntur, educuntur. Quæ assumuntur, morbos frigidos inducunt vel propria vi, vt aër, cibus, potus frigidus, & remedia frigida: vel aliena vi, vt calida edulia, aromata, vel vinum

si nimia quantitate sumatur, morbos frigidos pariunt. hinc multi in hydropem inciderunt vastato hepatis calore natiuo. Et quæ geruntur à nobis, vt somnus largior, otium animi & corporis: quia languet inde calor natiuus. cataplasmata quoque frigida, & olea frigida tenuium partium, quia facile se insinuant in corpora nostra, calorem premunt, ac frigidos morbos pariunt. Quæ educuntur calida, dominatum relinquere frigidis succis solent. hinc subducto freno frigidis succis, frigidos morbos pariunt, vt larga venæ sectio, & bilis immoderata purgatio aliquos in hydropem coniecit; alios in intemperiem frigidam ventriculi vix sanabilem. Hæ sunt causæ morborum simplicium, qui in intemperie simplici, quemadmodum & humidi & sicci vna generantur ex his quatuor rebus, nempe quæ assumuntur, geruntur, educuntur; ac retinentur. Hæ intemperies simplices

Gal. de causis Morb. 4. & 5. cap.

Composita intemperici causa

sunt: frequentes autem compositæ, præsertim quæ cum humore componuntur, vt bile, pituita, melancholia, aquosa substantia, vel flatu. hisque varie mixtis, & plerumque cum affluxu illorum humorum compositæ intemperies fiunt: vnde & tumores sæpe surgunt, gerentes ideam illius humoris, vnde orti fuerunt: vt anthraces, erysipelata, herpetes ex bile; phagedænæ; gangrænæ, cancri ex melancholia. Cur materia fluat, & cur potius in hanc quam in illam partem (nam inde plurimorum morborum pendent causæ) videte pulcherrimum locum apud Fernelium *de morborum causis vltimo*: & apud Galenum *libro de morborum causis caput sextum*.

Fluxus causa.

Organicorum morborum causa.

Causæ morborum instrumentalium seu organicorum pendent ex mala proportione partium similarium. Partes enim similares organicas componunt sua conformatione, numero, magnitudine, & vnione. Conformatio partium consistit in figura, asperitate, lævitate, & concauitate seu meatibus. Cauitates vitiantur, cum sunt vel pauciores, vel plures, aut angustiores vel latiores quam partis organicæ officium postulat. angustiores redduntur, quia obstruuntur, vel quia contrahuntur, aut comprimuntur, vel concidunt labra, aut coalescunt vel extenduntur. Obstruuntur meatus ab humore crasso, lento, viscido: vel lapide, pure, grumo sanguinis, caruncula: quod sæpe viis vrinalibus euenit. Contrahuntur meatus à rebus adstringentibus, frigidis & siccantibus. Comprimuntur meatus tumore partis adiacentis; vt veterus tumidus vesicam: vel vinculis iniectis, ponderibúsque pressi. Concidunt labra, vel quia nimio humore madent, vt se erigere nequeant, aut vacuata cauitate ab ea re qua implebatur. Coalescunt simul latera, prius vulnerata & male curata. Distentione nonnunquam angusti redduntur meatus. Ampliores meatus reddunt aperientia & laxantia remedia, vt calida & humida, & rarefacientia calida. Figuræ vitiatæ causæ

Figura vitiata causa.

sunt, rebellis qualitas materiæ ad figuram inducendam: & cum male locantur à medicis artus. etiam resolutio, vel contractio membrorum hoc facit. Aspera redduntur quæ læuia esse debebant ab assumptis inæqualiter sic cantibus & acribus: vt oculi fumo puluere læduntur. Morbi in numero diminuto causa est defectus materiæ, facultatis formatricis imbecillitas, vel sectio. Numeri aucti causæ, sunt contrariæ. Magnitudinis imminutæ causæ, sunt materiæ & facultatis inedia; & obstructio meatus per quem fertur alimentum; vel facultas coctrix imbecillis. Situs morbi causæ sunt: quod pars male retinetur, vt intestinum in hernia: vel male articulatur, vt quum excidit acetabulis: vel male connectitur, cum vincula longiora sunt, vel strictiora. Morbi communis, hoc est solutionis continui, causæ sunt quæ erodunt, vulnerant, tumpunt, contundunt, frangunt, auellunt, nimiumque tendunt; acris humor & rodens, & flatus distendens.

Numeri læsi causa.

Magnitudinis vitiosa causa.

Situs mali causa.

Solutionis continui causa.

CAPVT VII.

De causa morborum continente.

Nomen causæ continentis fuit philosophis & medicis antiquis minimè in vsu. A Stoicis initium habuit, à quibus Herophilæi medici; qui & tempore Augusti floruerunt, vt scribit Strabo: scholamque habuerunt inter Caruram & Laodiceam. de quibus Herophilæis loquitur Galenus *in libro artis medicæ*. Hi causæ continentis nomen in medicinam inuexerunt ex Stoicorum medicina. Hi enim spiritu, proximè rerum essentias contineri existimabant; nec videbant quomodo formæ rerum, sine vinculo, in materia habitarent; eamque spirituum causam continentem dixere. Cum itaque duo sint rerum genera summa, vnum earum quæ absolutè sunt; aliæ quæ esse dicuntur cum fiunt: necessarium est in vtroque genere dispares esse causas continentes. & Galenus concedit eas esse in rebus quæ fiunt; non autem quæ factæ sunt. vt aqua ab igne remota calefacta, calet, quamuis ignis absit, nec causam continentem habet: quemadmodum etiam hectica febris. At quæ calefit aqua, causam continentem habet dum incalescit ab igni. sic in febre putrida euacuato humore putrido, perit febris. Hæc fuit nominis huius ratio tempore Galeni.

Lib 12.

Vnde medicinæ inuecta hac causæ. Nomina ratio.

Nos intelligimus causam continentem esse, quæ præsens morbum creat, & qua abeunte, morbi vnà cessant. Igitur intelligemus de externa causa corporea, inter quam & morbum nulla alia causa intercedit, sed morbo proxima est.

Quæstio autem maximè nata est ex eo morbi genere, quod corporea causa exeitauit, nec tamen ita corpori impressa, vt in habitu iam sit morbus, sed vt leuiter inhæreat, & cum efficientibus causis suis sæpe abeat: de talibus controuersia iam est: cum aliquando fugaces morbi deleantur cum suis causis; aliquando paulo post: adeo vt aliquantulum sese sistant sine causa continente.

Galenus hoc nomen fugit, cum ambiguum esset suo tempore, quodque Stoicis infensus esset, qui illo vocabulo vtebantur. At tandem Arabes, quum hoc nomen in veterum monumentis inuenirent, quæ ad nos non peruenerunt, vsum huius nominis induxerant, ac rebus aliter quam veteres medici applicuerunt. Eas morborum causas quæ iam actu morbos faciunt, coniunctas vocabant Arabes, quod inter illas & morbos nulla alia causa intercederet; sed vna cum morbis essent, & vna euanescerent. Antecedentes vocabant, quæ morbum antecederent, necdum cum illo congressæ fuissent, sed congressuræ. vt in febribus putridis, qui humor putrescit ac commouetur & paroxysmum adfert; est causa contineos: at qui humor post aliquot dies paroxysmum mouebit, est causa antecedens.

Sed dicet quis, Galenus non ita vtitur causæ coniunctæ nomine. Respondeo, id verum esse. sed eandem rem docuit. Iubet enim humores qui putruerunt, & paroxysmum præbent, expugnare; ac corrumpendos corrigere, & ad benigniorem naturam traducere: id nihil aliud est quam quod affirmant Arabes, Antecedentem causam corrigendam esse, & akerando coquendam; coniunctam eiiciendam. Quare rem à Galeno vnico nomine proditam, illi duobus exprimunt. vt natura illarum melius innotescat.

Qui asserunt non dari causam continentem, hac ratione vtuntur: Galenus ait morbum esse affectum seu dispositionem ex omnis affectus, ex eiusdem sententia, permanere potest: igitur morbus est ex genere permanentium. Iam vero quæ ex genere permanentium sunt, remotis causis suis subsistunt: carent ergo causa coniuncta. Respondeo, non decenter necti syllogismum, quippe nihil sequitur ex antecedentibus,

quam morbum posse aliquando perseuerare in corpore absque causa: quod nos non negamus.

Quare breuiter hanc rem explicabimus. Partium similarium morbi, qui permanent remota causa, carent causa continente; vt hectica febris: vt aqua feruida ab igne remota, caret causa, nimirum igne. At donec fiunt illi morbi, id est, quando permanere non possunt sine causa, habent causam continentem, vt aqua quæ calescit ab igne. At morbi instrumentales plerumque causam continentem habent; nam à talibus qualitatibus generantur quæ sibi simile quid in partibus non generant, nec se multiplicant, vt obstructio, magnitudo, numerus. In solutione continui aliquando causa coniuncta datur, vt quæ fit ab extensione partium à flatu vel humore tendente.

CAPVT VIII.

De Causis morborum Acutorum, Continuorum, Criticorum, Periculosorum, Lethalium, & Recidiuorum.

Acutorum causa.

ACuti morbi causa est, vehemens calor vel frigus. quæ vel vniuersum corpus occupant: vt febris ardens. vel partem nobilem occupant: per se nobilem, vel vsu. per se, vt inflammatio cerebri; apoplexia; syncope, quæ est præceps omnium virium lapsus; inflammatio hepatis: vsu, vt Angina. Fiunt & acuti morbi, parte principe læsa translatione symptomatica materiæ morbum committentis. vt in hydrope, cum tumor pedum euanescens, sursum viam affectat, & in capsulam cordis transfertur, vel in pulmones.

Continuorum causa.

Continuorum morborum causa est, humoris nulla vel exigua vacuatio. id fit, vel quia destituitur causa impetum faciente, veluti putredine: vel quia materia noua æqualiter accrescit, & locum vacuatæ materiæ implet: vel quia materia crassior & nimis copiosa, à viis obstructis exitu prohibetur ad externa: intemperies quoque simplex; & continui solutio. Continui morbi subinde exacerbantur, eo quod noua materia accedit ad causam stabilem. Qui autem non continui recrudescunt paroxysmis, his tribus simul iunctis opus est, nimirum materiæ congestione, eiusque putredine, & motu. si vnum horum desit, non fiet paroxysmus.

Criticorum causa.

Criticus morbus est, qui confestim soluitur. Huius solutionis duplex est causa: humor irritans vim expultricem: quo erethismo natura in ἀκμῇ excitatur: altera, humoris liber promptúsque exitus. Acuti morbi sunt qui celeriter, continenter & summa symptomatum vi mouentur: siue sint febres essentiales, quæ considerantur in vitio humoris, vt causa: siue morbi cum febre in nobili parte. Hi sunt vel acuti, vel peracuti: & vtrique exacte, vel non exacte. Acuti exacte, 14. diebus suam absoluunt historiam; acuti non exacte, 20. diebus. Exacte peracuti, 4. diebus, aut citius finiuntur. non exacte peracuti, à quarto die, in septimum excurrunt. Morbi acuti ex decidentia, Græcis ἐκ μεταπτώσεως (melius degeneres dixeris) qui ad 40. 60. 80. 120. diem protogantur. Galenus, *duodecimo*, inquit, *die nunquam crises visa sunt*.

In acutis.

1. De diebus crit.

Periculosorũ causa.

Periculosi morbi causa est. quæcumque excedit nimium naturæ robur, & remediorum vim. quod fit vel ratione materiæ, vt bilis atræ, vel æruginosæ, hoc est quæ ferri æruginem refert: vel ratione partis affectæ.

Lethalium causa.

Lethalis morbus tribus ex causis fit: ex inflammatione, quæ inducit marasmum seu tabem: vel venenata qualitate, vt in febre pestifera: vel translatione symptomatica materiæ morbum committentis, quando fertur à parte ignobili ad partem nobilem. sæpe tunc pars affecta lethalem reddidit morbum; sæpe virium imbecillitas; sæpe morbi diuturnitas,

Recidiuorum causa.

Recidiuum facit morbum, cum vel humor ex priori morbo relictus est: vel morbosus character, id est, qualitas mala.

Maximum in medicina vsum habet morbificarum causarum cognitio; vt docebit vos Methodus medendi. Nam præcipua indicatio medendi sumitur ab his causis: quas ni noueris, nunquam contrarium his remedium decernere poteris.

INSTITVTIONVM MEDICINÆ LIBER OCTAVVS,

De Symptomatis.

CAPVT I.

De Symptomate & Signo: quid differant: & quot Signorum genera.

EX tribus illis quæ nobis adsunt præter naturam, nempe morbo, causa morbi, & symptomate, superest vt de symptomatis agamus. Non enim satis est morbos & causas morbi nouisse, quæ sæpe intus conduntur, nisi eos adesse ex signis cognoscamus. Signum & symptoma ambo ad morbum referuntur: nam idem est symptoma quod signum, ratione diuersorum. Nam est signum vt indicat: symptoma, quatenus morbum sequitur. *Signum dicitur, quicquid potest aliquid eorum quæ in corpore sunt significare*; vt intellectus, ex comparatione rei significantis ad eam quæ significatur, deprehendit id quod quæritur. In morbis quædam sunt signa inseparabilia à morbis, quæ παθογνωμονικὰ dicuntur, quæ proprie morbi speciem indicant. dicuntur & hæc symptomata, quia morborum sequuntur. Hæc autem παθογνωμονικὰ signa morbo semper adsunt, vni & soli. Nam quæ non semper adsunt signa; dicuntur συνεδρεύοντα, id est, assidentia. Sed aliquando vna cum morbo inuadunt, & aliquando postea superueniunt, & tunc ἐπιφαινόμενα dicuntur. quæ & aliquando non eueniunt. At παθογνωμονικὰ vna cum morbo inuadunt, & pariter desinunt. Exempli causa, in febre ardente, signa pathognomonica sunt, sitis perpetua, & torridi caloris æstus. at deliria, vigiliæ, alui biliosa excretio comitantia sunt signa; nam aliquando eueniunt in febribus ardentibus, aliquando non; sic in pleuritide, dolor lateris pungens, difficilis respiratio, tussis, & acuta febris sunt signa pathognomonica. at quod dolor sursum vergit, vel deorsom, est signum assidens & comitans. Difficile in morbis vnum signum pathognomonicum inuenire, sed plerunque multa simul morbum indicant. Epiphænomena signa quædam salutem vel mortem; euentumve meliorem aut deteriorem; quædam coctionem aut cruditatem denotant. Sunt inter hæc & signa κρίσιμα, hoc est, iudicatoria: vt in febribus, rigor superueniens, dolor capitis repente natus, & talia: quia mutationem subitam significant in morbis, propterea critica dicuntur. Illis familiare est hoc axioma: Iudicatoria non iudicantia apparent vel ad mortem, vel ad deterius. vt in febre ardente, quando ex naribus stillæ quædam sanguinis emanant tantum: quia nihil paucum est criticum. Secundo, non statim apparere debent si in melius decernent: nam in principio nihil est coctum. & coctionis signa semper fauste apparent.

Vide Gal. De symptomatũ causis, cum seriem hic videris: nam ibi omnia vberius.

Signum & Symptomata.

Pathognomonica signa.

Epiphænomena.

Crisima signa.

Symptoma apud medicos, est affectus præter naturam, citra, morbum, & causam morbi. Huius triplex

est

Quotuplex. est differentia: Actio læsa: Qualitas: & Excrementum: Et quodque horum tripliei modo in vitio esse potest: vel enim diminuitur, vel aboletur, vel deprauatur. exempli causa; si visus meus percellatur ita vt hebescat, dicetur diminuta visus actio: si omnino cæcus fiam, dicetur abolita visus actio: sin videam quidem, sed ita praue, vt quæ alba sunt videantur mihi nigra, dicetur deprauata actio visus. Actionis noxa est vel animalis facultatis, naturalis vel vitalis. Adest enim vel harum ablatio, vel diminutio, vel deprauatio.

Primum de actione vel functione facultatis animalis læsa agemus: dein de functione læsa naturalis facultatis: tandem de vitalis facultatis functione læsa; siue diminuantur, aboleantur & pereant, siue deprauentur. Nam functiones vel actiones facultatum his modis violari possunt. non tamen perit Facultas earum; quæ ab anima non abit dum in corpore est. Dein de qualitatis mutatæ, & excrementorum Symptomatis agemus.

CAPVT II.

De Symptomatis Functionis Animalis, & primum De his quæ in violato Motu.

Motus symptomata. ACtio facultaris animalis versatur in motu & sensu: motus igitur à morbo vel aboletur, vel diminuitur, vel deprauatur. Aboletur, vt in paralysi. diminuitur, in stupore. deprauatur, vt in conuulsione, tremore, *Motus deprauati.* palpitatione, horrore, sternutatione, oscitatione, pandiculatione, tussi, singultu, ructu & in rigore. Inter quos motus conuulsio, paralysis, & palpitatio fiunt à causa morbifera, nihil conferente facultate.

Conuulsionis causa. *Est autem conuulsio, neruorum musculorumque, suam originem versus præter voluntatem, perpetua retractio.* Id fit vel proprie, vel ex euentu. Proprie, quæ fit in ea parte quæ conuellitur; ex repletione, vel inanitione. ex repletione: si quidem humor ad cerebrum peruenerit & ad neruos. ex inanitione, vt si ardore febrili humidum radicale absumptum fuerit. Ex euentu fit, in partibus quæ musculos habent congeneres, pares magnitudine, numero, & robore: nam his solutis ab vna parte, adferunt contractionem alteri parti oppositæ. fit & conuulsio ex inflammatione, vt in phrenitide. vel ex venenata qualitate quę aliunde in cerebrum repit. Cum corporis partes anteriores tenduntur, dicitur id symptoma ἐμπροσθότονον: cum posteriores, ὀπισθότονον. cum vtrinque, hoc est toto corpore, τέτανος.

Tremoris causa. *Tremor est partium quæ vicissim sursum deorsumque feruntur motus inuoluntarius.* Qoare constat ex gemino motu, sursum & deorsum: oriturque ex facultatis motricis imbecillitate. Nam natura membra grauia deorsum viam affectant: at ea erigit facultas; hæc cum imbecillis fuerit, fit tremor. Sed illius facultatis fractæ quatuor sunt causæ: nimirum materiæ copiæ, vel alimenti inopia; aut dissipatio calidi, vel oppressio eius à valida vi frigoris. In tremore à materiæ copia, Hippocrates secuit venam malleoli puerperæ; cum nec secundinæ nec lochia profluerent: nam erat ille tremor ex materiæ copia. In tremore membrum locum mutat: in palpitatione non. Oritur palpitatio ex vna causa tan-*Gal. De tremore, cap. 5.* tum, spiritu crasso; quare vno remedio curatur, calidis tenuibus, vt castoreo. at tremor quamuis oriatur ex vna facultatis imbecillitate, hæc tamen imbecillitas, vt dixi, oritur vel à materiæ copia: vel alimenti inopia: vel quia calor exhauritur, vel nimio frigore opprimitur.

Rigor. *Rigor est inæqualis totius corporis concussio, per affectionem caloris natiui, ex concursu materiæ contrariæ.* Differt à tremore, quod sine consilio moueat: quodque totum corpus concutiat: & semper fiat sensibili cum refrigeratione. Si enim solam superficiem tetigerit, horror dicitur; qui medius affectus est inter rigorem *Horror.* & frigus; febri hemitritæo proprius, quæ item dicitur semitertiana per antonomasiam; vt mali homines dicuntur semidiaboli, non semihomines. constat enim hemitritæus ex quotidiana febre continua, & tertiana intermittente; quod plus est quam tertiana. Quia autem constat ex duplici natura, propterea neque rigore neque frigore inuadit, sed horrore. Hinc ab Hippocrate dicitur febris horrifera. Rigore quidem non inuadit, quia acrimonia bilis frigore pituitæ obtunditur: neque etiam frigore, quia frigiditas pituitæ, calore bilis perfunditur. Fit rigor, ex motu caloris nati- *Causa rigoris. 1. Aph. 15 & lib. De rigore.* ui, & occursu materiæ contrariæ. etenim calor natiuus nunquam quiescit; est etenim (vt scribit Galenus) ipsa natura, quæ est principium omnis motus. at quies naturæ mobili mors est. Vnde modo intus, modo foras viam affectat. intus, vt augeatur calor ex spiritibus & sanguine cordis: foras, vt temperetur aere frigido. Nam, vt dicebat Heraclitus, calidum moderate extinctum, rursusque moderate accensum, perpetuo mobile remanet, vnde cum nimium mouetur, dolorem facit: qui est mutatio corporis ad statum non naturalem. Sic in rigore, partibus sentientibus morsis à materia naturæ contraria, fugit calor ad viscera, vbi coërcitus suffocationis periculo exilit, quasi in spiram collectus ad maius robur: vnde membra exteriora roborata, humorem quatiunt, ac fremitu quodam nituntur expellere. id rigor est. demum toties recedit recurritque calor, donec victa inæquali intem- *Rigor triplex.* perie calida & frigida, calor vndique exæstuet. Est triplex rigor, criticus. periodicus, & symptomaticus. Criticus est, qui iam iam adfuturam crisim significat. etenim illa proprie est crisis quam perturbatio critica præcedit. sequitur excretio per sudorem, ventris deiectionem, vomitum, aut hæmorrhagiam. inde Hippo- *4. aph. 58.* crates, Febri ardenti superueniens rigor, fit solutio. Periodicus est, quo legitimæ tertianæ intermittentes exquisitæq; incipiunt. de quo Hippoc. *libri quarti aphorismorũ sexagesimo tertio.* Symptomaticus rigor est triplex: vnus à cõsumptione caloris natiui, qui consumitur à calore præter naturam: vt hepatis calor in hydrope: & cerebri calor in comate à delirio & æstu, vt notat Galeous ad historiam Hermocratis. Alter rigor symptomaticus fit per metastasin humoris vitium committentis. de hoc loquitur Hippocrates in Coacarum initio. Tertio rigor symptomaticus est, qui fit ex attractione caloris natiui ad partes interiores inflammatas; inde fiont iactationes & refrigerationes partium externarum: de quo eodem loco agit Hippoerates.

Sternutatio. *Sternutatio est motus deprauatus, quo sese contrahit cerebrum, vt vaporosum excrementum, quod anteriores cerebri ventriculos ac membranam stimulat, excutiat: vnaque narium atmoïdea purget.* quo motu & contrahitur pectus, quod nerui pectoris hanc titillationem sentiant; cum quasi longo brachio à cerebro dimittantur. Cur salutentur sternuentes, vide Aristotelis trigesimæ tertiæ sectionis problema nonum; & de eo, primi De historia animaliom vndecimum. Quare ante tempora Gregorij Pontificis is mos inoleuerat. Et Plinius *vigesimi octaui secundo*, Cur, inquit, salutamur sternutamentis? Qood etiam Tiberium, tristissimum hominem, in vehiculo exegisse tradunt.

Oscitatio & Pandiculatio. Oscitatio & Pandiculatio fiunt, vt via contingat vaporibus frigidis, qui laxant sese artuum hiatu.

Tussis. *Tussis est vehemens efflatio aeris in pulmone concepti, contracto thorace, vt id quod in arteria aspera est eiiciatur* Hippocrati θυμὸς est libido tussiendi. nam θυμὸς illi *θυμὸς quid. 2. Prog 2.* significat cupiditatem ad aliquid agendum.

Singultus. Singultus fit contrahente se ventriculo, quia membranam eius vellicat aliquid acre; vt piper, vel corrup-

tus humor: vel quia repletur nimium: vel quia siccatur ab æstu febris. Hæc sunt symptomata corrupta actionis animalis motricis.

CAPVT III.

De Symptomatis animalis Functionis, quæ consistunt in Sensibus violatis.

ITa & sensus vel abolentur; vel diminuuntur; vel corrumpuntur. Sunt autem sensus interni & externi. Interni, imaginatio, cogitatio, & memoria. Imaginatio abolетur in caro: diminuitur in lethargo: corrumpitur in delirio. Ita in quibusdam capitis morbis etiam, cogitatio vel memoria interdum diminuitur aut aboletur, vel corrumpitur. Vt autem fiat sensus, sensorij alteratio percipi debet ab imaginatione, cogitatione, & memoria. *Vt fiat sensus.* Etenim sensus ipse neutiquam est alteratio, sed alterationis dignotio. verbi gratia: quando tactu aliquid calidum sentimus manu, tunc manus alteratur ad calorem. sed illa alteratio non est sensus; sed iudicium interioris animi de illa alteratione facta. Hinc dicit Hippocrates. *Qui laborantes ex aliqua parte, dolorem fere non sentiunt, his mens ægrotat.* *2. aph. 6.* etenim dolore distracti spiritus non repræsentantur imaginationi.

Visus. Inter sensus externos visus primum occurrit: qui à morbis vel diminuitur, vel aboletur, vel corrumpitur: vt varie eius instrumenta afficiuntur. sunt autem eius instrumenta (quod in omnibus sensibus est notandum,) facultas, instrumenta quæ principatum habent, & quæ his seruiunt. In visu est oculus, facultas videndi, & neruus opticus: qui vel obstruitur; vel intemperie afficitur. hinc visus diminuitur, vel aufertur. Vel instrumentum principale afficitur; vt crystallinus humor sursum vel deorsum abit; inde deprauatur visio; nam quæ res vnæ sunt, geminæ illis apparent. Vel est morbus in seruientibus instrumentis, vt in vuea tunica, quæ foramen habet pupillæ, quod nimium patens, debilem visum facit; quia dissipantur spiritus visorij. Vel angustius fit à morbo, cum humescit ab irrigante succo vuea tunica nimium. Vel cum humor aqueus extabescit; tunc enim color rerum & splendor cum paruo interstitio ad crystalloïdem humorem fertur. Quod aqueus humor parcior redditus sit, cui innatat crystallinus humor, id illis tunc euenit, quod iis qui Solem micantem nictando intuentur. nam læditur visus. splendidã enim lucẽ non tolerat inoffense crystallinus humor. Instrumentales quoq; morbi, vt tumores, & solutio cõtinui visũ debilitant, vel auferunt: Aqueus etiã humor, in quo crystallinus medium locũ habet, vt varia symptomata infert: Crassior redditus, visũ debilitat. Si in ea aquei humoris parte quæ centro pupillæ respondet, suffusio constiterit, deprauat visum. nam omnia fenestras habere videntur: cum quod in medio non videtur nec apparet, quasi excisum cernatur. At si vagentur corpora quædam crassa in aqueo humore, culices his foris obuersari videntur. Sin humor crassus, vel vapor ante pupillam constiterit, imaginantur idolum sibi apparere. hac ratione monstrum à Bruto visum, Cassius Epicureus apud Plutarchum molliebat. Vel ad alienum calorem traducitur humor aqueus; talia, coloribus tincta alienis apparent tunc quæ videntur. Sin variis coloribus alluatur, talia & foris se videre existimabit homo: vt, quibus in crisibus iamiam fluxurus est sanguis è naribus; vel quibus in propinquo est vomitus, μαρμαρυγαί, id est, variis splendoribus variegatæ res ob oculos versantur, voce ducta à marmore, quod politum vndulatam varietatem colorum pingit. Cornea quin etiam oculi tunica crassior facta (vt in senibus contingit) visionem impedit, diciturque Caligo proprie; quasi per nebulam viderent. si suffundatur colore flauo, flauescere conspecta putant quæ vident. Et vlcus corneæ excæcat homines, effuso humore aqueo; tunc enim concidit & corrugatur foramen vueæ, quod pupilla est, & crystallinus humor splendoribus, non ex naturæ lege, propinquior redditur. Adnata oculi tunica inflammatur, vel vngue tentatur, visuique obest.

Auditus afficitur, vel quod eius facultas instrumentum princeps, vel huic seruiens, affligatur, quod euenit cum auditus diminuitur, aboletur, aut deprauatur. vt in graui auditione: vel surditate, vel obauditione, vt in susurro. *Auditus.* Causæ horum symptomatum sunt, quod vel ea pars cerebri vnde nerui auditorij oriuntur, (vbi facultas resedit) intemperie tentatur calida, frigida, humida, vel sicca: calida, vt apud Hippocratem quarti Aphorismorum vigesimo octauo. *Quibuscunque biliosis excrementis fertur aluus, his oborta surditate sistitur: & quibus obsurduerunt aures, superueniente bilioso alui profluuio liberantur*, translatione materiæ à cerebro ad aluum. quod si in febribus ardentibus obsurduerunt aures, & superueniens profluuium biliosum non soluat surditatem, hoc lethale est: oritur enim illa surditas à resoluto cerebro & effœto; vt in Hermocrate contigit apud Hippocratem tertio Epidemiωr in ægro secundo. Vel si quid meatum auditorium obstruat.

Odoratus variis morbis afficitur; inde symptomata imminuti, aboliti, vel corrupti odoratus. *Odoratus.* Pendent hæc vel à morbis principalis instrumenti odoratus; aut ei seruientibus: vel à facultate. A principe instrumento, vt à ventriculorum anteriorum, & membranarum cerebri intemperie calida, vel frigida: vnde diminuitur aboleturue odoratus: vt quibus à catarrhis & coryzis, æstu, frigore, vel humiditate oppleti sunt; vel affectis partibus quæ operam suam dicarunt parti principali; vt obstructo ossis ethmoïdis meatu, quo halitus duci solet ad cerebrum; idque à catarrho, vel inflammatione, aut polypo; qui est tumor nasi ab osse ethmoïde fere ortus; caro extra nares pendula, polypi marini pedem consistentia referens; qui tumor nares obstruit, spirandi vias præcludens, qui interdum per meatum palati ad fauces descendit & strangulat. Quantum ad deprauatum odoratum: Refert Fernelius, abscessus quoque fieri ad supremum nasi meatum, vbi proxime cerebri ventriculi patent, cum minimo dolore: è quibus ruptis magna vis fertur puris. & in quodam milite, qui simis erat naribus, vermes duo villosi instar digiti in illis geniti inuenti sunt; qui illum in furorem actum, die circiter vigesimo enecarunt. Ita deprauatur odor ex halitu qui alienam spirat qualitatem, ortus ex fœdo succo, qui naso contentus illum exhalat.

Gustandi etiam actio percellitur, cum diminuitur, vel aboletur, aut cum deprauatur. *Gustus.* quod fit vel principe eius instrumento labefactato, aut illi seruiente, vel tacta facultate. Gustus itaque perit, vel imminuitur cerebri parte refrigerata, vel obstructa, vnde nerui molles, qui ad linguam veniunt, oriuntur: aut ipsis neruis ita affectis. Deprauatur gustus, cum absurdum sentit saporem. fit à linguæ membrana, quæ alieno humore perfunditur, quo proluit alimenta.

Tactus etiam vel diminuitur, vel aboletur, vel corrumpitur. *Tactus.* Tactus debilis fit in torpore: qui oritur à frigore; vel compressione neruosorum corporum; aut à succi crassi obsessione; adeo vt spiritus animalis eos peruadere nequeat. vt lux Solis stupet in aëre fumo contaminato, & in aqua luto fœdata. Tactus deprauatus est, cum absurde qualitatem corporis obiecti percipit: vt cum quod calidum & frigidum videtur. causa est, instrumenti intemperies. vt manus rigore aut frigore algens; quod parum frigidum tangit, calidum iudicat. Abolетur sensus in paralysi, hoc est in neruorum resolutione: in toto corpore affectis cerebri neruis, vel in aliqua parte: cum neruus qui parti inseritur, resoluitur ab influxu frigidi succi: vel cum comprimitur inflammatione vicinarum partium, earumve tumore. Etenim à quibus neruis partes vim sentiendi habent, ab iisdem male affectis læduntur.

videre

videte ægrotos apud Galenum *quarti De locis affectis cap. quinto.* Integro sensu partis nonnunquam abolétur motus; & contra. Id fit ea ratione, quod aliquibus membris defertur sentiendi vis per peculiares neruos, & per alios neruos motionis facultas.

Cur integro sensu tactus, aboleatur motus.

Dolor & voluptas.

Dolor & voluptas tactus sunt manifesta symptomata: contingunt que omnibus sensibus, maximeque elucent in gustu & tactu. Habentque dolor & voluptas communem causam qua afficiunt omnes sensus: tum etiam propriam causam, qua peculiarem sensum tangunt: vt acerbus sapor gustui dolorificus est, tenebræ oculis. Plato in Timæo, doloris & voluptatis communem causam esse ait πάθος violentum, quod confertim, id est, multum & celeriter fit; quod Græci vna voce ἀθρόως dicunt. id enim dolorem parit, com abducit à pristina natura, vt quod confertim ad suam naturam redit, cum inde periclitabatur auelli, voluptatem parit: quod enim sensim fit, sensum latet. Hippocrates, Platone antiquior; *Quibus natura inquit, alteratur & corrumpitur, dolores his fiunt.* Hæ alterationes fiunt ab iis quæ confertim mutant, diuellunt, aut secant. Etenim Hippocrates corruptionis nomine intelligit id mutationis genus, quod cum magnitudine & celeritate fit. Græci vna voce id vt iam dixi, ἀθρόως dicunt. Dolor in fieri suam essentiam habet. non enim cum quid alteratum est aut ruptum dolet, (nisi per aliud, quod acris affluit humor, vel inflammatur pars) sed cum alteratur, vel corrumpitur. vnde Hippocrates, dum pus fit, dolores ac febres contingunt maiores quam iam confecto. Symptomata hæc, dolor & voluptas, oculos etiam inuadunt. Maxime vero oculi afficiuntur voluptate à cæruleo colore: dolent autem à splendido alboque (qualis est Sol) & à nigro: nam vt contrarium (hoc est obscurum, nigrum) violentius cogit visum & vltra naturam, tamen splendidum album magis nocet; quia dissipat minimo tempore visus spiritus. Nigrum, lente cogit: ratio est, quia visus instrumentum est splendidum; splendida cuncta, tenuia sunt & peruadentia: at nigra, sunt crassa. Iam vero quod tenue est, magis nocet quam quod est crassum. Igitur cum tenebræ committuntur cum splendido instrumento, remisse agit quod tenebricosum est, in id quod tenue: nam id quod crassum est, ita est comparatum, vt facile à tenui patiatur. Igitur nigrum lente cogit, quare cæruleus color visui gratissimus; nam nec dissipat visum sicuti splendidum, nec cogendo extinguit vt nigrum. etenim vt fuscum ex albo & nigro simul mistis fit, ita cæruleum ex albo splendido in nigrum saturum incidentibus efficitur, vt docuit Plato in Timæo. Quare non fit magna voluptas in visu cum ad naturam redit: quia non subito sed languide à nigro cogitur. nec dolor quoque immanis; quia non violenter abducitur à splendore, sed vltro eo rapitur, & seipsum visus dissipat præsente splendida luce. Gustus voluptate afficitur à pinguibus saporibus, cum homo sanus est: alioqui contrariis gaudet. vt si crassis succis obsessa viscera fuerint, tenuantibus eduliis gaudent. Prostat ventriculo lingua; quæ, quales succos requirant viscera, tales appetit.

In ψύξει. non in χρόνῳ.

2. aph. 47. voluptas & dolor in visu vnde.

Voluptas & dolor in gustu vnde.

Stomachi symptomata.

Symptomata quæ circa os ventriculi contingunt, etiam ad tactum pertinent: etenim nulla pars adeo sensiles neruos sortita est; nec aliud æque cor & cerebrum in societatis noxam trahit, ac œsophagus, qui stomachus dictus fuit post Aristotelis tempora. Symptomata eius sunt, abolita appetentia, diminuta, & corrupta. Abolétur appetentia, quod sensum suctionis amiserit ventriculus; quod fit ab intemperie calida, quæ fundit & laxat sanguinem venarum quæ rigant tunicas ventriculi. vel quia acidus succus non incidit in os ventriculi, obstructis à liene viis. Vel resoluto neruo qui attingit œsophagum. Ex hac causa tale symptoma incurrit Spirensis puella, cuius historia describitur à Ioanne Langio: quæ inediam triennalem passa est, quæque intra biennium ex aluo & vesica nihil excreuit; quæque è naribus pituitam emungebat; quæque affatim illachrymabat amicorum absentium desiderio; nec auribus deerant suæ sordes. Vidit eam Langius duodecim annos natam, iusto (pro ætatis tempore) corporis habitu. Huic, inquit, puellæ nerui crurum & brachiorum resoluti erant. Testatur quoque Aristoteles, vt refert Athenæus, Timonis amitam quotannis in spelunca, vrsarum more, bimestre tempus absque vllo edulio delituisse semianimem, vt sola spiratione viueret, atque ægre dignosceretur. Albertus Magnus scribit se vidisse Coloniæ mulierem, quæ triginta dies cibo potuque sæpe se defraudarat. Vel abolétur appetentia, quod suctio non fiat ex œsophago, cum corpus non tesoluitur otio diffluens. aut cum plus alimenti quam digeri possit ingeritur. Diminutæ appetentiæ nascuntur, suctione & suctionis sensu non perditis, sed eo perductis vt fere pereat. Corruptæ appetitiæ peccant qualitate, vel quantitate quæ naturæ mediocritatem excedunt, dicuntur caninæ: fiunt cum acidus succus ventriculum mordet & contrahit, adeo vt sanguis in venis per tunicas alui sparsis cogatur à succo frigido & acido, qui similem suctui sensum infert. Vel oritur quia corpus immodice exhauritur. ita Brutus, vt scribit Plutarchus, Dyrrachio Apolloniam versus mouens exercitum per altas niues, in famem caninam incidit. In qualitate etiam vitiosa fit fames, cum vitiosa absurdaque edulia appetunt. id fit, quod tunicæ ventriculi vitiosum excrementum conceperunt: quod fit in prægnantibus, quæ malis succis abundant: nam κίσσα, hoc est pica tentantur, & acria, acida, acerba expetunt, vt cretam, carbones, gypsum: idque per secundum & tertium mensem ingrauidationis: hinc enim grandiore fœtu, quod excrementitium primum in ventriculum fluebat, in fœtum abit. primum enim quod optimum in sanguine erat, tantum trahebat fœtus. Pica quoque aliquando in viris incidit, cum alienus succus ventriculi tunicas peruasit. dicitur Pica, quod ea auis consimili forte tentetur tædio: vel quod varie colores induat.

Appetentia abolita vnde.

2. Epist. 27.

Historia mirabilis.

Lib. 2.

De na. ura animal. 7.

Ægritudo appetentia causa.

Corrupta appetentia causa.

1. Sympos. 6.

In potionis appetitu quin etiam symptomata talia contingunt: nam vel potionis appetentia languet, vel omnino extabuit, vel deprauatur. extabescit & nos deserit potandi desiderium, cum in corpore adest, humoris frigidi copia; vel cum resolutus ventriculus desiderium potus non sentit. Languet, cum hæc remisse adsunt. Vitiosum potum peccare dicimus in quantitate vel qualitate. In quantitate, cum tunicæ ventriculi imbutæ sunt salso succo, vel bilioso, vel humido naturali in ventriculo efferuescente. Vitiosum potum in qualitate desiderat ventriculus, vt prauis succis eius tunicæ occupatæ fuerint, vt in iis qui longo tempore prauis cibis vsi fuere. Notauit Galenus quosdam interiisse nimia siti: vel quia serpentem quæ διψὰς dicitur, deglutiuerant: vel vinum in quo διψὰς sese merserat biberant: & quia vinum biberant meracius ad ebrietatem: & quia marinam aquam. Per sympathiam quoque alia symptomata mouet stomachus; vt cum cerebrum vel cor in sympathiam trahit, maxime si quatuor conueniant; nempe affectus vehemens aliquis, qui stomachum vrgeat. si sensus stomachi fuerit acer. si nerui & arteriæ eius fuerint debiles. si cor vel cerebrum infirmum fuerit. Tunc enim facile fiunt vel comitiales morbi, carus, catalepsis, melancholia, delirium, syncope cardiaca, apnœa, dispnœa: illa enim euenit vel oppresso diaphragmate; vel si stomachus valde refrigeratus fuerit, frigidove succo, aut spiritu flatuoso, vel potu, cibo, medicamentove frigido occupatus si sit. nam tunc per neruos, qui attingunt ventriculum, cerebrum afficitur; & vna per arteriam magnam cor refrigeratur, ob vicinitatem. Nam maxima arteria à corde orta super spinam sedet, ac descendendo stomacho iungitur, & membranis eius annectitur, & per ventrem porrigitur: vnde facile

Potionis etiam deprauatæ symptomata cum.

facile affecto stomacho, cor afficitur. Hactenus de symptomatis quæ consistunt in animali actione.

CAPVT IV.

De Symptomatibus Vitalium actionum vel functionum.

IN vitali actione symptomata efflorescunt, cum ea abolctur, diminuitur, vel deprauatur. communis caoſa horum symptomatum pendet à facultate vitali; ab instrumento, hoc est arteriis, & vsu, hoc est, necessitate. Cum itaque pulsus à natura abit, manabit id vitium à facultate, instrumento vel vsu. Si itaque deprehendatur pulsus minor naturali, & si vsus non sit diminutus, hoc est, si calor & spiritus vitalis non sit minor redditus, (vt ea tatione langueat, nec opus sit mediocri pulsu vt recreetur calor, sed languidus pulsus sufficiat,) vitium vel instrumentum referendum, vel ad facultatem. quod si instrumentum (nempe arteria) non fuerit durum, vel nimis laxum, erit facultatis vitium; quæ languet vel alimenti inopia; vel quia vigiliis, & laboribus exhaustus est spiritus; vel quia obstructis arteriis non traducitur; quove pars aliqua dolens corporis, rapit in se spiritus. alioqui vitium erit in instrumento, vel in vsu. in instrumento, cum arteria præter naturam affecta est. in vsu, quando calor fractus non desiderat. magnum pulsum, aut magnam vim aeris qua recreetur. Plenius De Pulsibus agemus *libro decimo*, vbi omnis eius varietatis causam & significationem scribemus.

CAPVT V.

De Symptomatibus actionis naturalis.

ACtio naturalis in ventriculo consistit: vt cibum attrahere, retinere, concoquere, expellere. ita & in venis partibusque quæ ab iis rigantur, & in habitu corporis. Ventriculi itaque attractrix actio vel abolctur, diminuitur, aut deprauatur. abolctur in stomachi paralysi, cum non trahit. causa est morbus in intemperie, & tumor stomachum occupans: vel obstructio à tuberculo, aut à crassis humoribus. Debilis, cum ægre trahit, dum relaxari incipit: causæ eædem, sed mitiores. Deprauata, quando praue & non rite agit, vt si ab inferioribus clysteres vel fæces trahat. Sed, vt ait Galenus, stomachus talia non trahit, sed ab intestinis peristaltico motu contra naturam, id est, ab inferioribus sursum motis, refunduntur ad stomachum. vt qui in foro versantur negotiis impheiri, his, qui descendetat acer succus, sæpe in caput & ventrem refluit. sic & clysteres & fæces per os in ilio morbo, qui fit ab obstructione tenuis intestini. quamuis Diocles Carystius (vt ait Celsus) crassi intestini morbum ileum vocaret: postea tamen ad tenuia intestina id nomen morbi abiit, qui ante χορδαψὸς dicebatur; quod venter adeo tensus esset in hoc morbo, quasi chordam quis tangeret. Sed εἰλεὸς dictus fuit ab εἰλεῖσθαι, id est, conuolui: vnde & Voluulus Latinis dicitur.

Ventriculi attractrix abolita causa.

Debilis.

Deprauata. De caus. sympt.

Retentrix quoque functio in ventriculo vel abolctur, diminuitur, vel deprauatur. Abolctur, cum ventriculus cibum non retinet, ob morbum in intemperie, vel in instrumento. Vel debilis redditur. tunc flatus fiunt ex ventriculo modice frigido, vel ex cibis flatulentis. vel fluctuationes sonoræ nascuntur, quas κλύδωνας Græci vocant. id fit cum nihil in ventriculo continetur, quod in flatum abire potest; vel cum admodum sit refrigeratus, adeo vt ex cibo ne vaporem quidem generet. Deprauata, cum ventriculus saltu quodam & palpitatione, tremoreque cibum amplectitur.

Ventric. retentricis symptomata.

In ventriculi coctione symptomata etiam consistunt. Est autem coctio ventriculi, ciborum in conuenientem qualitatem animali conuersio & alteratio. Illa aliquando abolctur, & dicitur ἀπεψία: aliquando diminuitur, & appellatur βραδυπεψία: aliquando deprauatur, & à Galeno vocatur δυσπεψία. Causa omium horum symptomatum est læsa alteratricis actio. quod fit à læsa facultate, vel ab externo errore. A læsa facultate, cum temperies ventriculi inuertitur ad calorem vel frigus, humiditatem vel siccitatem. vel impeditur à tumore, vt phlegmone, œdemate, erysipelate, vel scirrho. Ab externo errore, in cibis, excrementis, & tempore somni. cibi qui peccant in quantitate, qualitate, tempore, & vtendi modo. in qualitate, vt nimium calidi vel frigidi cibi. quantitate, cum mole alueum superant. tempore, cum ante exercitium quis pastum iniit. vtendi modo, vt si prius granata sumat, dein olus.

Ventriculi coctricis symptomata.

In vasis quoque & venis quæ celebratur coctio, vel abolctur, minuitur, vel deprauatur. vnde crudi succi, semicocti, & vitiosi. Sic in venis quæ ad habitum corporis ducunt, cum praua celebratur coctio, tunc inde succi vitiosi oriuntur, vnde erysipelata (quod rosam vocant nostrates,) cancri, gangrænæ, ἕρπητες, carbunculi ortum ducunt. At medicis non satis esse debet quod noscant aliquod symptoma, sed causas eius inuestigare debent. Vt non sufficit cognouisse ventriculum non coxisse, sed quare id acciderit; an ob fractam coctionis actionem, ob cibi copiam, aut ob eius duram qualitatem. Etenim si ex cibo, facile discutitur symptoma. at si ex facultate oppressa, in hydropem siccum plerunque abit, vt scribit Hippocrates. Sic in venis cruditas si fuerit, videndum num ea luxuriet ex αἱματώσει labefactata, vel à copia crudorũ succorũ qui à ventriculo alluunt. si à copia, facile sanatur. si facultatis vitio, in hydropẽ abeunt. Sic in coctione quæ circa carnem fit: qui se immodice satiant à morbis, flatuoso habitu & turgido redduntur. at si ex facultate carnium laborarint imbecilla, in anasarcam labuntur. Si igitur ventriculus circa moderatos & assuetos cibos nil egerit, nec eos mitigauerit, indicium est validæ intemperiei. si ob frigus id fiat, acidi ructus gignuntur. si ob calorem corrumpantur, fumosi ructus eduntur, alij virus, lutum, pisces, aut indicibilem olent putredinem.

4. aph 11.

Expultrix vis ventriculi interdum abolctur, diminuitur, vel deprauatur. abolctur, vt in voluulo, diminuitur in tarda excrementorum propulsione. deprauatur, cum insurgit priusquam absoluta est ciborum concoctio, & immoderato motu in cibos incumbit quasi impos sui, & (vt inquit Galenus) more eorum qui in decliui currunt ac gradum sistere nesciunt: ita & hæc frena laxat, calcariaque addit in excretionem cibis. id fit vel acrimonia materiæ stimulantis: vel cum copia obruitur.

Expultricis Ventric. symptom.

In Distributione quoque (cuius munus est alimentum ex ventriculo in iecur; ex iecore in habitum corporis deducere, sugentibus partibus quod illis familiare est) hæc symptomata incidunt. Vel enim diminuitur distributio, aut abolctur, vel deprauatur. Causæ horum symptomatum sunt, intemperies; & morbi instrumentales partium trahentium; vel alimenti vitia; vel quia excrementum non repurgatur in secunda concoctione quæ fit in venis & hepate. Intemperies partium trahentium affligit distributionem, quia silet diuina illa vis tractrix, cum nimirum pars refrigeratur. Instrumentalis morbus lædit distributionem, quia viis angustis aditu prohibetur alimentum: à tumore; vel obstructione. fiunt autem tumores, quando ad partem affluxus fit humorum. obstructio fit à viscidis, crassis, lentis succis; vel à tuberculo. Alimenta quoque crassa officiunt distributioni. Vel distributio læditur, quod ab excrementis non purgetur succus: id fit vel ob partis quæ purgat imbecillitatem, vel ob viarum angustiam, vel

Distributionis symp.

vel ob vitium excrementi. Exempli gratia : In coctione quæ celebratur in hepatis venis, triplex ibi prouenit excrementum : amara bilis, nigra bilis, & serum. Bilem, vesica fellis quæ iecori subest expurgat atrum succum lien. serosum renes. Hæc instrumenta si labefactata fuerint, parum commode purgabitur sanguis. ita etiam si obstructa fuerint qua trahunt, & q a emittunt. Vel his ex naturæ lege sic se habentibus, excrementa ipsa peccant qualitate & quantitate.

Assimilationis sympt. Assimilatio, hoc est, nutritio, sua quoque symptomata habet; vel enim aboletur, diminuitur, vel deprauatur. idque vitio nutritiæ facultatis, vel materiæ. Nutritiæ facultatis, cum attractrix imbecilla est : vel expultrix fortis, nimiumque se mouens. quod fit cum retentrix imbecilla est, vel obruta materiæ copia; vel extimulata acrimonia; vel quia coctrix facultas imbecillis est. Ratione autem materiæ, vel quia deficit, vnde ἀτροφία ex nutrimenti inopia oritur : aut quod vitiosa sit, vt in alpho & vitiligine, hoc est, in fœda macula corporis, quæ triplex est, vt varie assimilatio læditur. vel generis nomen retinens & dicitur ἀλφὸς, quod cutem mutet : veteres enim Græci ἀλφαίνειν mutare dicebant. vel est μέλας, id est, niger alphus; aut λεύκη. In alpho est macula alba, summam tantum cutem occupans. *Al, bus.* Melas, instar vmbræ, nigra est in cute macula. hæ sanantur. Tertia leuce est, quæ carnem imam quoque occupat. Si adeo mutata sit caro, vt acu puncta cruorem non emittat, insanabilis est. sic si pilis nudata sit pars. Dicitur leuce ad populi arboris ideam, quam λεύκην vocant : quod albedine corticem & folium eius referat. Fiunt hæc symptomata, quod pituitosior sit sanguis vnde pars nutritur : referunt enim cuncta ideam nutrimenti vnde aluntur. quod in cutionibus & locustis manifeste apparet; hæ enim gramineo colore virescunt, gramine nutritæ. sic & in plantis manifesto euenit, vt de persea arbore credidit *3. De sym. caus.* Galenus: quæ in Perside lethalis, in Ægyptum translata, noxia esse desinit. Aristoteles quoque colores animalium mutari in diuersis regionibus prodidit. Ita etiam nostra caro longo tempore nutrita sanguine pituitoso, fit alba caro, non simpliciter caro : vt ex melancholico nutrita sanguine fit nigra, & ad elephantiasin prona.

Hactenus de symptomatis quæ consistunt in actionibus læsis animalibus, vitalibus, naturalibus egimus : iam agendum de symptomatis quæ consistunt in qualitat. mutata.

CAPVT VI.

De Symptomatis quæ consistunt in qualitate mutata.

QValitas mutata apprehenditur quinque sensibus, visu, auditu, odoratu, gustu, & tactu.

Visu apprehenditur visibilis qualitas mutata, quæ consistit in figura, vt charactere; & mole corporis; & in coloribus præter naturam, qui efflorescunt ex humorum idea. etenim humor peccans in substantia, quantitate, qualitate, vel motu, colorem corporis mutat. Motus humorum oritur interdum ex aëre æstu flagrante : tunc enim foras protruduntur, vti frigore intus retruduntur, vnde corpus rubet vel pallet. vel affectu animi, vt ira. aut corporis, vt exercitatione. semper (nisi ex his causis re ssin humores fuerint) qualis est humor, talis est corporis color.

Color immutatus in toto corpore. Icterus. Mutatur color, in toto corporis habitu : vel in parte aliqua. in toto corpore, vt cum flauescit ictero; cuius causæ sunt abundans flaua bilis à calore hepatis. vel quia vritur febrili calore totum corpus. aut quia obstruitur hepar, & ei qui subest folliculus fellis. Est apud Hippocratem triplex Icterus; criticus, symptomaticus, & naturalis, quo aliqui tincti sunt à natura : vt qui natura calidi sunt, de quibus agit Hippocrates *quinti aphorismorum vltimo*. Criticus est, qui fit die critico naturæ vi : de quo Hippocrates *quarti Aphorismorum sexagesimo quarto*. Symptomaticus, qui eiusmodi est vel à motu morbi, siue hepatis & lienis vitio, aut à veneno. Vt morbi, qualis erat Hermocratis : de quo agit *3 Epid.* Hippocrates *quarti Aphorismorum sexagesimo secundo*. *Quinetiam*, inquit, *qui in febres incidunt morbi regij ante septimum diem, sunt calamitosi*. *1 Epid. Sect. 2. Temp. Const. 3* Sed dicet aliquis, nonne Heraclides in Thaso seruatus fuit, quamuis sexto die ille superuenerit icterus? Respondet Hippocrates, illi superuenit sanguinis profluuium ex naribus, aluus & vrina profluxere : ita calamitas tollitur : nam alioqui calamitosus fuisset illi, vt domestico Phanagrionis. Vitio autem partis, vt cum ab incendio hepatis & calore, rapitur bilis vna cum sanguine in totum corpus. illa fere lethalis est. Vel ex veneno, vt ex vsu aquæ stagnantis & viridis : & morsu viperæ, vt annotauit Galenus in seruo Imperatoris euenisse *libro quinto De locis affectis, capite septimo*.

Vel symptoma in qualitate mutata (vt calore) consistit in parte aliqua corporis : vt in Causo; lingua arida est & nigra, à nimio æstu, & aliquando in partibus quæ liuent, vt vi erysipelatis : quod oritur ex hepatis incendio cum sanguis biliosus æstu feruens, in partem excutitur. ita & carbunculus liuidam partem reddit; qui, vt auctor est Galenus, oritur cum adustus succus, in febre nimium ardente, ad partem proiicitur. *Color immutatus in parte corporis.* Quod si sine febre id fiat, oritur Cancer : quare Cancer frigidior est carbunculo. sic & ἕρπης ἐσθιόμενος (ab aulicis lupus dictus) qui depascitur carneam molem & quoque ossa, à bile adusta oritur. ita & in Scelotyrbe color crurum mutatur : liuet enim crus ac durum redditur. Hippocrates *libro De internis affectibus, circa finem*, hunc descripsisse videtur sub nomine voluuli hæmatitidis : nostri *Schuerbuyck ofte blauschuyt* vocant.

Character & moles. Elucent & visu symptomata in figura mutata corporis; cum illa mutatur in charactere & mole. primaque prædicendi signa inde desumit Hippocrates, vbi ait : *1. Progn.* *Præsentiendi ratio hæc est in morbis acutis tenenda : vt animaduertas ægri faciem, si benevalentium similis sit*, *Facies Hippocratica vnde.* (nempe in colore, charactere, & mole) *& potissimum*, inquit, *sui ipsius*, modo tamen nulla excusatio perturbationis criticæ adferri possit, aut lapsus, vnde mutata facies : aut caloris ignis. *sic etenim optima erit*, inquit Hippocrates: quod trium facultatum, corpus gubernantium, vis in facie eluceat. *quæ autem* (inquit Hippocrates) *similis contraria est*, (nempe in charactere, colore, atque mole) *periculi plena est, peneque funesta: huiusmodi sane hæc fuerit : oculi concaui*, (quod cum humidi sint, facile vi febris humores eorum exhauriantur, & musculis sex oculorum conuulsis, minores oculi apparent, quasi totam suam cauitatem non implentes) *collapsa tempora*, à quatuor musculis eliquatis incendio febrili, & alimēti inopia, (vnde & cutis ossa capitis tangere videtur :) & *nares acutæ*, (alimenti inopia, exhausto sanguine, carnosaque parte absumpta & liquata à calore:) *fibra aurium auersa, cutis frontis dura, aspera, intenta*: à perfecta extenuatione, quæ sanari non potest.

Auditus. Qualitas mutata dignoscitur etiam ex Auditu, in vocibus & sonis. in vocibus, vt à morbis qui in ore, faucibus, aspera arteria, pulmonibus, thorace sunt. Symptomata fiunt in sonis, vt in clangoribus & tremulis vocibus. sic apud Hippocratem est febris λυγγώδης, id est, *Apho. 141* singultuosa; & duplex intro vocis reuocatio; conuulsis musculis laryngis à calore febrili. Et ex hoc symptomate Hippocrates, primo Prognosticon, præsagium ducit, vbi scribit, *dentes stridere per febres, quibus à pueris id fuit semper insolens* : quasi dicat, vt nulla musculorum maxillas mouentium, tanquam vitio laborantium, excusatio adferri possit, quemadmodum in pueris accidit;

accidit,quibus tum nerui sunt imbecilliores,tum etiam musculi breuiores : *insaniæ præludium id est , atque funestum*:conuulsionem enim significat: At conuulsionē febri superuenire pessimum : etenim multum temporis ad siccitatis emendationem postulant nerui : sed inducias non præbet morbi vehementia , sed vires statim deiicit,ac citam mortem adfert. *Sed*, inquit Hippocrates , *prædicere oportet periculum esse ab vtroque* : hoc est à mania & conuulsione lethali. *quod si fanaticum factus id faciat,omnibus modis funestum*: id est,si insaniæ stridor dentium superueniat. Quasi dicat Hippocrates, permultum interesse,sitne dentium hic stridor iamiam adfuturæ insaniæ signum; an vero iam ipsius conceptæ symptoma; nam tum omnibus modis est funestum, imo in propinquo mors est , quia omnis conuulsio quæ in delirium cadit,mortem propinquam esse significat.

Odoratus. In Odoratu qualitas mutata animaduertitur : vt in ructu viroso, piscoso, luoso , & acido. & quæ expirant ex corpore , vt in puellis hiteientlbus cum ex ephebis euadunt, tetrum quid odoratū ferit Quin in ipso gustu sentiunt ipsi ægri qualitatum talium symptomata : vt sudor defluens in os ; siue sanguis ex naribus fluens : & quæ vomuntur : & expectoratum,& saliua modo acida, modo amara,vel salsa,aliove sapore tincta.

Tactus. Tactu, vt vbi tangibiles differentiæ naturæ legem excedunt.vt cutis dura, sicca, aspera, humida, laxa, rugosa,præhumida.

CAPVT VII.

De Symptomatis Excrementorum.

VLtimum symptomatum genus consistit in excrementis, excernendis & retinendis.Illa peccant vel toto genere,quantitate, qualitate , tempore excernendi, & excernendi modo.

Sanguis. Toto genere præter naturam excernitur sanguis,lumbrici,calculi , arenæ , & quicquid induit formam alienam cui similem non repetias in corpore humano.Sanguis profunditur per nares, vomitum, tussim, sedem, & per vrinam. Et excernitur vel ratione vasorum : vel ratione sanguinis.Ratione vasorum,vel quia rumpuntur, eroduntur,vel aperiuntur.Rumpitur vena à saltu, à plaga : ita à clamore acuto & magno in pulmonibus vas rumpitur : nam ab hoc omnia instrumenta vocis tenduntur. *5. aph. 29.* Propterea Hippocrates expectorata cruenta ac tabes iuuenibus euenire dixit ; quod victus ratione insque deque habita,valida exercitia subeant , vnde venæ in illis rumpuntur : vt eleganti hac paronomasia exprimit Hippocrates , vbi ait : τοῖσι νέοισι αἵματος πτύσιες , φθίσιες id est , *iuuenibus sanguinis sputiones , phthises*. Eroduntur & abraduntur vasa gracilia ab inedia : vel mollia abraduntur à succis acribus , non aliter quam vesica à cantharidibus. Vel aperitur vena recluso orificio,& ἀναστόμωσις dicitur.Fit vel à multitudine sanguinis ; seu retentrice imbecilla ; vel expultrice forti (quamuis contra naturam ;) aut ambabus simul læsis. Ratione sanguinis rumpitur vena,vel aperitur propter multitudinem ad vasa , vel ad vires. Sanguis enim bifariam excedit quantitate ; vel quia à vasis contineri nequit , & dicitur plenitudo ad vasa : vel alio modo ad vires dicitur,cum tanta quantitas sanguinis est , quæ à viribus contineri nequit , quamuis non adsit mala qualitas.Quare non est cacochymia. etenim in plenitudine ad vires , vitium ad vires potius est referendum quam in sanguinem.Vel recluduntur orificia venarum , quod retentrix vis imbecilla sit : cum enim non retinent venæ sanguinem, egreditur ; vt cum corpus totum humida intemperie laborat. Dico totum corpus; etenim si vena humidior fuerit , potius id vitium agnoscet vas, quam retentrix vis. Vel aperiuntur , quia expultrix immodice stimulatur ab acriore materia. Egreditur etiam sanguis per διαπήδησιν , id est,per saltationem, vel exsudationem ; cum tenuior est & serosior sanguis , per mollia vasa & rara emanat. Sanguis quin etiam egreditur ob proprium vitium, quo ipse sanguis in vitio est quantitate vel qualitate , vel cum vtrinque à naturæ modo abscedit. vt cum ob malam qualitatem non amplius in substantiam corporis vertitur . Ratione autem qualitatis peccat,cum est tenuior,aquosior, acrior, flatulentus. Cum enim acrior est , abradit vasa & aperit. si tenuior fuerit & serosior , tunc exsudat per vasa. si flatulentus fuerit , distendendo aperit venas. Effertur sanguis critice , aut symptomatice ; idque per nares , vel alias.per nares cum fertur , ab Hippocrate αἱμοῤῥαγία dicitur , non addito partis nomine : & proprie ita dicitur ille fluxus qui confertim fit, à ῥαγῆναι,quod apud Hippocratem significat confertim & impetu prodire. Qui fluxus criticus est , non est paucus : nisi arterialis & ruber sanguis fluxerit , vt annotat Galenus ad historiam Philisci.Num autem fuerit ex arteria sanguis,ani- *1.Epid.* maduertitur ex substantia,qualitate,& excernendi modo. nam saltu quodam rufus tenuisque sanguis ex arteria egreditur. Vna sanguinis euacuatio excipitur,quæ *Menstruus sanguis.* naturalis est , modo naturæ consentanea quantitate feratur, menstruus sanguis, qui sola quantitate peccat. Vel enim profuse nimis fertur : aut nimis parua copia. Nimis profuse,rupta, aperta, vel exesa vena. vel quia serosus tenuisque sanguis facile effluit. aut retentrix vis imbecilla quod sit, vt in moribundis mulieribus recluduntur vteri vasa. Vel nimis parua copia fertur:quod sanguifica vis lapsa sit : interdum quod expultrix sileat: vel quia vteri corpus durum est : vnde acetabula , hoc est , extremitates venarum , quæ ad vterum pertingunt , conniuent. nonnunquam venæ obstructæ sunt quæ ad vterum sanguinem vehunt , à crassis & lentis succis.vel à partibus vicinis pressæ conniuent. Totius corporis ratione etiam fit vt non fluant menses : vt si magna exercitia subeat mulier , tunc exhauritur sanguis per insensibilem vacuationem : aut ob tenuem victus rationem : vel quia sanguis aliò traducitur , vt in conualescentibus.

Symptoma quoque in mutato excremento est lum- *Lumbrici* bricus eiectus. Causa efficiens lumbricorum est calor externs putrefaciens, in materia conceptus. nam calor alia ratione non generat : nam, vt ait Aristoteles, ignis *2. De gener. animal. 3.* nullum gignit animal. Causa formalis est anima vegetalis & sensibilis.at sensus in his animalibus admodum imbecillis est. Albertus *quarto De anima*, ex sensibus , inquit,nullum habent nisi tactum & gustum imperfectum.vnicum enim instrumentum habent,meatum, vt plantæ , quæ cor habent , quod agricolæ animam vocant. Finis horum est , vt putredo absumatur in paruo mundo. Materia vnde gignuntur , est materia cruda, viscida; & frigida. Alexander Trallianus & Auenzoar *Auenz. 7. lib. 2.* ex crudis cibis gigni aiunt , maximeque ex farina in- *2. De hist.* cocta,& ex tritico crudo. Gignuntur lumbrici & in ceruorum capitibus,vt scribit Aristoteles.& Auicenna *capite de Zoda* scribit , in humano cerebro lumbricum repertum fuisse. & Plutarchus dicit , vna cum semine aliquem excreuisse lumbricum. Hieronymus Beniuenius,De abditis morbis, scribit , ex vtero eiectum lumbricum.Sed fere in intestinis oriuntur,ob ciborum cruditatem , & partis ignobilitatem. Tempus in quo maxime proueniunt, est autumnus : nam,vt scribit Aristoteles , & teretes lumbrici tunc maxime gignuntur. Ægyptij(inquit Theophrastus.)Arabes,Armeni, Syri, *9 Lib. De caus. plan. vlt.* Cilices lumbricis vexantur;non Phryges,nec Thraces, nec in Græcia Thebani. & quod mirum est (inquit;) Bœotij ex his laborant , Athenienses his vicini minime.Sunt lumbrici vel lati, longi , parui. Alexander vidit latos excretos longitudine sex cubitorum. Plinius *Lib. 11.* trecenum pedum magnitudinem superare ait. Aëtius ,

Paulus,

Paulus, & Actuarius existimauerunt, latum vermem; tunicam esse intestinorum auulsam. hos decepit, quod sæpe tunica cui annectuntur vnà exit; nam tunicæ ideam referunt. Insignis quidam auctor vetus putauit hos parere, quia cucumeris formam sectæ ab his partes referunt. contra quem disputat Hippocrates *libro quarto De morbis.* vnde & Arabes errarunt, qui cucurbitinos vermes induxerunt. Rotundi autem lumbrici cubiti magnitudinem vix superant. Ascarides autem in longanonis extremo, & musculi sphincteris initio gignuntur. in iuuentis plærunque apparent.

Vomitus. 3 Sympt. caus. 2. Excrementorum symptomata quoq; in vomitu animaduertuntur. peccant in substantia, quantitate, & qualitate. substantia, vt quæ à natura aliena sunt, quæ tametsi cocta sint, non tamen possunt nutrire: vt aliquando pituita quoque dulcis in ventriculo, & sanguis. Est autem vomitus, materiæ cuiusuis è ventriculo expulsio per os, cum ventriculus quantitate vel qualitate alicuius materiæ male affectæ collectis viribus talem per os excludit. Atque hic vomitus apud Hippocratem duplex est: vniuersalis, & particularis. Vniuersalis, est materiæ quæ in toto corpore, vel in venis primæ & secundæ regionis, quæ vitium facit, expulsio. id quæ vel *ἐμετικῶς*, vel vi medicamenti: hoc modo Hippocrates elleborum exhibet. Particularis vero est tantum eius materiæ quæ in ventriculo continetur, ibique conctando, aut vitio rerum assumptarum peccat. hinc elucet quam temere quidam Hippocratem carpant, qui prohibet vomitum in hyeme *in libris Aphorismorum*, quem permittit hyeme *in libro De diæta Idiotarum.* nam in Aphorismis de vniuersali loquitur vomitione: in libro De diæta, de particulari.

Vomitus duplex.

2. De fractur.

Flatus. Flatus fiunt vel vitio materiæ crudæ, crassæ; vel caloris imbecillitate, qui non potest materiam coquere, quamuis eam eliquet. *Soni.* Soni fiunt ratione instrumenti, nam in tenuibus intestinis tenuis & argutus sonus oritur, maxime si flatus sit tenuis: vt bombi & borborygmi in crassioribus intestinis, & à flatibus humidioribus.

Sudor. Sudor interdum peccat in substantia, qualitate, quantitate, tempore, & excernendi modo. Quantitate nimia, vel diminuta: nimius sudor fit, cum madet corpus copioso humore; vel si tenuis fit humor; vel si meatus cutis admodum patent. diminutus sudor fit cum pauca humiditas adest; vel si illa crassa fuerit: vel si meatus cutis obstructi; quod fit ex frigore, pinguedine corporis, & atrophia. Qualitate peccat, vt nimis salsi sudores; quod fit ab adustione. nam, vt scribit Aristoteles, veteres mare vocabant sudorem terræ, quod adusta terra profundat salsam aquam. Fit & amarus sudor vt in ictericis. & sanguineus sudor, quod annotauit Theophrastus *libro De sudore*, ex auctoritate Monæ medici. & Aristoteles *secundo De partibus animalium quinto*, sudoris sanguinei mentionem facit; & Galenus: Fit sudor sanguineus ob tenuitatem sanguinis. Hippocrates ex sudorum fluxu præsagium ducit: *At vero* inquit, *sudores optimi sunt illi in omnibus morbis acutis*, id est, qui cum febre fiunt, & qui intra quadraginta dies iudicantur: *quicunque*, dicit, *manant diebus criticis*, hoc est, quibus certamen morbi & naturæ in procinctu est, id est, die septimo ab initio morbi, nono, vndecimo, decimoquarto, decimoseptimo, vigesimo, vigesimoseptimo, trigesimoquarto, & quadragesimo die. Nam alioqui, etsi sudores aliis notis laudabiles essent; (vt qualitate, quantitate, & excernendi modo;) tamen inutiles haberentur, nisi his diebus sudores fiant: quod iterato febris recrudescat. Et dicit, sudores *qui integram febrē excludunt*, id est, perfecte, nullo relicto empyreumate, neque febris materia. Superstitis empyreumatis signum est, siccitas oris & sitis. Materiæ vero, oris amaritudo. *Sed tamen*, dicit Hippocrates, *in bonis ducendi sunt illi, qui toto corpore manantes, effecerunt vt deinde liberius facilius que morbum ferrent.* quod scilicet

2. Meteor.

Lib. De sudore.

Lib. De vtilit. resp. 2. Progn. Apho. 18.

æquabili naturæ vi, æqualiter diffusa materia, nullà insigni parte male affecta euacuetur. *qui vero nihil horum efficiunt*, id est, quibus ex sudoribus nec remissio febris affertur, nec alleuantur ægri, *sunt plane inutiles*; quia oriuntur ex nimia humiditate: vnde producitur morbus. *Pessimi & calamitosi sunt frigidi*, extincto calore natiuo. & dicit, *qui solum è capite manant* sudores *& facie*, & etiam *collo*: quia nihil paucum criticum. *hi enim in acuto morbo mortem significant*, quod ex facultatis retentricis imbecillitate fiant, accedente humoris malignitate. *Cum minore* morbo, *diuturnitatem* morbi significant; nam oriuntur ex copia materiæ. *Qui vero calidus stillat toto corpore, bonus est*; quia omnis excretio repente & copiose fit. Hæc de sudoribus.

Lachrymæ sunt ex materia pôtulenta, quæ in venis capitis & angulorum qui in oculis sunt continetur. quæ erumpit compressione vel dilatatione venarum; quod fit in solo homine, quia solus vehementer mœret & gaudet, vnde dilatantur vel comprimuntur. *Lachrymæ.*

Peccant in qualitate & quantitate. nam harum diuersa est qualitas, vt corporis, vnde manant, fuerit temperies. hinc Plutarchus dicit: aprorum lachrymas dulces esse. & Homerus calidas lachrymas vocat. Quantitate peccant, cum multa talis materia est in venis capitis: & etiam carunculis angulorum attenuatis. sic quibus carunculæ magnæ sunt atque duræ, lachrymari nulla ratione possint: nam illæ carunculæ obstruunt extremitates venarum in angulis oculorum. *De caus. natur.*

Deiectiones alui quodammodo primum locum obtinere videntur inter ea symptomata quæ in excrementis obseruantur. nam semper eueniunt: & maxima sunt indicia sanitatis & ægritudinis, vt asserit Hippocrates *primi aphorismorum duodecimo.* *Alui excrementa.*

Peccant deiectiones in substantia, quantitate, qualitate, tempore, & excernendi modo. Substantiâ, vt cum sanguis eiicitur, vel mera pituita; aut calculus. vel nimis liquida & crassa. Crassæ fiunt deiectiones à calore exhauriente. hinc Plutarchus *libro De valetudine* scribit, duras aluos continuo aquæ potu humectari, & à longa mora in intestinis, exhausto nimirum fœcum humore. Sanguis fluit per deiectionem, vel vtilis, inutilis, medius, vel purulentus. Vtilis, iis qui aliqua parte mutili sunt, quique à negotio ad otium se conuertunt: his, statis periodis elabitur. Inutilis sanguis *ἀκρίτως* excernitur, vt in causo iouenibus per nares: senibus per aluum; quod sanguis in his sit *ἀκαίρως*, in senibus *ἀκρίτως*: quod bilisin senibus quodammodo melancholescat. Vel excernitur sanguis medius inter vtilem & inutilem, vt in hepatica affectione; quæ est hepatis, citra inflammationem, imbecillitas, vnde sanguis dimanat, qui ideam refert aquæ in qua caro recens & cruenta, recensque inactata lota fit. Est & nigri splendidique sanguinis deiectio, dicitur que dysenteria cruenta. fit quia coctus sanguis in hepate, ob partium obstructionem non distribuitur, hinc per venas mesaraicas ad aluum reiicitur. Purulentus sanguis cum ramentis fit ex vlcere intestinorum; & proprie dicitur dysenteria. Peccant & deiectiones qualitate: vt colore variæ, vltro fluentes; tales pessimos esse dixit Hippocrates: quod sint qualitatis indomitæ, visceruminque infirmitatem arguant, & inexplicabilem qualitatem partis, in qua perennitas generationis consistit: vt *tertio libro Epidemiωn* in historia puerperæ, & Apollonio Abderita; & in adolescente qui in Melibœa iacebat. Albæ fiunt deiectiones alio rapto humore biliosio: hinc Aristoteles scribit, pisces, serpentes, & aues albas deiectiones habere; quia excrementum, quod tingeret, in illis abit in pennas, pinnas, & squammas. ita in hominibus cum sursum rapitur bilis ad caput; vnde delirium nascitur. Quantitate deiectiones in vitio sunt, vel quia copiose aluus fertur; vel quia nimis parce. pauca fit deiectio, quod humiditas edulij rapiatur per venas

Substantia.

3. De sympt. caus. 2.

Qualitate.

4. aph. 21.

4. De part. animal.

Copia.

E

venas in habitum corporis, alio ducta materia. Hoc scribit Hippocrates *quarti Aphorismorum vltimo*, nimirum, *Mictio noctu facta plurima, exiguam deiectionem donosat*; deriuatione nempe ab instrumentis aluinis ad vrinalia, & ab exhausto vehiculo. hinc Martialis betam vocat fabrorum prandium, quod non facile eius humiditas eorum laboré exhauritur. Copiosa fit deiectio, ex contrariis iis quæ diximus: & quia excrementum à toto corpote secedit ad aluum: proprerea Aristoteles dicebat, Eunuchis aluum fluere. & Hippocrates *libro De aere, aquis & locis*, dicit facilem aluum esse in excrementa his, qui paludes habitant; nam iis materia à capite ad aluum fertur. Cita fit alui deiectio à materiæ acrimonia, & copia: vnde Hippocrates, *quarti Aphorismorum vigesimo*: Quibus iuuenibus aluus profusior, his, affecta ætate, contrahitur, quod acrimonia bilis tunc pituitescat. Tarda fit alui deiectio, quia vis intestinorum expultrix imbecilla est: hunc affectum Paulus vocat δυσεντέριον. vel quia sensus obtusus est intestinorum; vel quia acerbi cibi & adstringentes prima mensa ingesti fuere. Nam si imbecilli ventriculo postremo loco sumantur, aluum deiciunt, vt in Prota thetore animaduertit Galenus *lib 2. De alimentorum facultatibus*. *Assidue* fiunt alui deiectiones à retentrice imbecilli, vt in moribundis: siue ab acri materia ventriculum vellicante, vel ventriculus, & omnia intestina sunt aphthis obsita; vt in febribus pestilentialibus. vel à sphinctere musculo resoluto.

4. Probl. *Modo.* *Δυσεντερία.*

Vrina. Vrinæ excretio aboletur, diminuitur, vel deprauatur. Aboletur in ischuria, quæ fit resoluta vi excretrice vesicæ; vt cum neruus eius afficitur paralysi. aut cum nimis repletur, vt his qui diutius versantur in negotiis euenit; tunc immemor sui officij redditur, quod tantum vim vrinæ expultrix excutere nequeat: & quo magis dilatatur vesica, eo angustior fit meatus vrinæ Vel fit angustia colli vesicæ à calculo, grumo, callo, & à nimia siccitate, vt in febribus ardentibus. Fit autem ischuria plena vesica: quod si fiat renum vitio, non attrahentium, vera ischuria non est, quia fit vesicâ vacuâ. Deprauatur in stranguria, & diabete. In stranguria stillatim vrina fluit; quod fit ab eius acrimonia, aut concepto pure à renibus vel hepate, Diabete fit colliquatione totius corporis, vt in regionibus calidis, Ægypto & Libya. rara affectio, quam Galenus bis tantum vidit. Profluuium vrinæ ex succorum attenuatione fit, & ex ardore renum.

Quæ symptomata sibi necessario succedant, & quæ non, sic notandum. Si symptoma vnum ab vnico fiat symptomate, necessario illi succedet. vt si nulla fiat alimenti distributio, aut resoluta sit vis alteratrix partis, necessario atrophiæ symptoma sequetur; malæ distributionis & cruditatis nota. ita si secretrix vis langueat in sanguine, sequetur symptoma mutatæ qualitatis, nempe Icterus: quia bilis non segregatur à sanguine. Si ad secundi symptomatis generationem aliæ quædam causæ necessario concurrant, minime necessario priori succedet: Vt in cruditate ventriculi, vel cum generatur biliosum excrementum, non necessario fit morsus ventriculi, nisi exacte sentiat is in illo homine. sic & alia symptomata modo præbent de se alia, vt vel fortis fuerit pars, vel imbecilla; vtque exacte sentiat, aut vt durioris fuerit sensus. Symptomati, qua symptoma, non debetur curatio. est etenim curatio, morbi ablatio: symptoma non est morbus, sed germen quoddam morbi. & qui symptomata tollere nituntur manente causa, morbis quodammodo blandiuntur. vera enim symptomatum ablatio, est affectuum vnde pendent curatio: illi autem morbi sunt.

Hactenus de Symptomatis quidem prolixius, quam ex nostro more, sed ex vtilitatate vestra. Maximus enim horum vsus, ad dignoscendum, prædicendum, atque curandum. Nam cuncta hæc manant ex actionibus læsis, mutata qualitate, & excremento. Itaque si morbus Indagandus vobis fuerit, quicumque ille fuerit, eum indagabitis ex actionibus, iam dictis, læsis, vel ex qualitate in corpote mutata; vel ex emanante aut suppresso excremento. Ita, si pars lateat ægra, his deprehendetur. Ita si euentus morbi in obscuro sit, ex his palam fiet. Hic horum vsus, vt in Methodo medendi facile notabitis: nam ne hæc quidem sine his intelligi potest. Sed quia præcipue duo sunt, quibus medici fidem dare solent ad naturalis & vitalis facultatis robur explorandum, nimirum Vrina & Pulsus, de his *sequentibus libris* agemus.

INSTITVTIONVM

MEDICINÆ

LIBER NONVS

ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ

De Vrinis

CAPVT I.

Vsus magnus Vrinarum. Quid vrina.

AD indagandas morborum naturas cum excrementa maximam auctoritatem gerant, atque inter excrementa cum nihil illustrius iudicet, ac de morbis fidem faciat, vrinâ; longeque certius quam pulsus; merito de hac fusius aliquantulum transigemus. vrina enim speciem febrium, earumque magnitudinem & morum significat. Galenus *quarto De sanit. tuenda*, ex vna vrina sanitatem polliceri audet etenim, vt scribit Cornelius Celsus, & ex illo Plinius, *Vrina sola, auguria valetudinis habet*. quanquam Herophilus & Archigenes admodum in pulsuum cognitione laborarint, adeo, vt scribat Plinius, hunc propter difficultatem à discipulis relictum fuisse. Hippocrates raro pulsus meminit: Aristoteles nunquam, fere eius tempore incognito pulsu. & Galenus multos annos se laborasse scribit, vt solam systolen rite cognosceret. Verum ex vrinis aperte in morbis certa præsagia eliciuntur sanitatis & mortis.

Heraclitus existimauit vrinam in vesica gigni, quemadmodum in aeris secunda regione pluuia: quod vt hæc è vaporibus à terra elatis ac in nubem condensatis pluuia efficitur; sic ab esculentis ac potulentis halitus in vesicam emanantes vrinam producere. id Heraclitum scripsisse, prodidit Aristoteles. hanc Heracliti sententiam Asclepiades medicus (qui Methodicæ sectæ auctor fuit) olim amplexus fuit. sed eam refutat Galenus *primi De naturalibus facultatibus decimotertio*. Ruffus Ephesius *libro primo*, vrinam dicit esse humiditatem nitrosam. *Generatio vrinæ.* *13. Prob. 6.*

Est autem Vrina, serum humorum in venis hepatis contentorum, mixtum cum materia potulenta, qua nacta fuit nonnihil biliosi excrementi ex alimenti coctione in hepate, per meatum vrinarium excretum, vt sanguis purior reddatur. *Quid vrina* *Arist. 4. Meteor. c. 9* *Epid 2. 6.*

Dixi esse serum; quod est aquosum excrementum etenim sanguis venarum heterogeneus cum fit, hoc est, multiformi substantia consistens, continet naturalem bilem, sanguinem, melancholiam, & pituitam, omnis *Definitionis explicatio.*

humorum

humorum suum serum est permistum, quo defertur sanguis ad angustos meatus nutritionis causa. Vocat istud serum Hippocrates vehiculum sanguinis. quod serum cum functum est; in deducendo sanguine, suo officio, à venis prolectatum, per vrinam excernitur: onus alioqui futurum ignauum venis. Quod autem hoc serum non sit pura potulenta materia, indicio est, quod elucent in vrina morborum tempore, & contentorum in venis temperies, vel quantitas. nam si emingitur à secunda coctione purus potus à renibus attractus, vnde igitur in morborum statu crassior euadit vrina, cum primum tenuis esset? sique ab humoribus qui in venis sunt, non dimanauit, qua ratione coctionem quæ in venis perficitur, significabit? Igitur fiunt vrinæ & ex sero humorum, qui suum serum quique habent. Propterea, *secundo Prognosticon vigesimo septimo* censet Galenus, vrinam reddi sanguineam, quod multum gerat seri sanguinis. *& primo De sanitate tuenda* dicit, Venarum & arteriarum tale est excrementum, quale in lacte serum: id sugunt à sanguine renes, & ad vesicam relegant.

Diximus; humorum in venis hepatis contentorum. per venas tales intelligo venas hepatis & illi proximas. *3. De symp. causis 2.* Propterea scribit Galenus, Venarum excrementum biliosum est, melancholicum, & serosum: & Auicenna dicit, Lotium indicat de hepate, quatenus renes ab hepate trahunt.

Diximus, mixtum cum materia potulenta. eius rei fidem facit vrinæ quantitas potui respondens; in venis enim miscetur potulenta materia cum ichoribus humorum; & renes ita prolectant permistos liquores. ea enim vis illis inest, vt serum eliciant à parte pingui: at non illud consilium illis inditum fuit vt serum à sero exsugant. Constat itaque vrina ex duplici materia, potulenta, & serosa.

Diximus; quæ nacta fuit nonnihil biliosi excrementi. etenim particula quædam tenuioris bilis cum sanguine fertur ad venas, vt, alioqui minime fluxus sanguis, in arctos recessus ad nutritionem vehatur: quæ portio bilis functa officio, excernitur cum vrina. hinc semper vrina citrino colore fulget in homine sano: vel *1. Cris. 12.* saltem pallet, vel aliquantulum flauescit. Nam hi tres colores tantum locum habent in homine sano. Fit autem subflaua vrina, ab intensiore calore, quam is est vnde citrina oritur. & citrina à maiore calore oritur quam pallida. Si quid aliud miscetur vrinæ quam bilis pallida, rufa, vel subflaua, erit non sani hominis vrina: vt à vitellina bile, vel porracea, si peruadatur. Vel si minimè citrinescat, potiusque albescat, significationem dabit fracti caloris natiui, vnde ne tantillum bilis luxuriet.

CAPVT II.

De Vrinis Sanorum: Qualis esse debeat in colore & hypostasi.

VRina optima hominis sani primo cognoscenda est: est enim veluti lex & regula aliarum examinanda. igitur venit vrina in consistentia & liquore, qualitate, quantitate & contentis. Consistentia sit nec omnino crassa, nec tenuis: sed mediocris. Qualitate, vt colore citrino, hoc est, colore bilis remisso; ob mixtionem serosę humiditatis, cuius color albior est. In quantitate, potui respondens sit. In contentis, vt hypostasi.

Vrina sanorum hypostasis expers. Vrina hominis sani expers est hypostasis: qui enim conuenienter cibo & potu vtuntur, integraque sanitate fruuntur, iis solidarum partium assimilationem nihil subterfugit. Sed dicet quis. Hippocrates, *in Prognosticis* dicit, optimam illam vrinam esse, cuius hypostasis est alba, læuis, æqualis, & in acumen fastigiata. Respondemus, Hippocratem loqui de vrinis laborantium morbis acutis, & non sanorum. In sanis etenim (modo decenter pastum ineant) nihil subterfugit assimilationem in nutritione. sic enim definit hypostasin Galenus in Prognosticis: *Hypostasis est portio alimenti, quæ solidarum partium assimilationem subterfugit.* *Lib. 2.* Quare quantum est ex hominis parte temperatissimi, vrina nullam deberet habere hypostasin: sed tamen ob ciborum varietatem & copiam fieri vix potest quin fiat hypostasis.

Color vrinæ varius fit, vt in qualitate & quantitate varie miscetur bilis. *Color vrinis vnde.* cum enim flaua bilis miscetur cum vrina, fit valde flaua vrina, vt est non sani hominis; nam calorem nimium exsplendescere, qui torret sanguinem, eumque in bilem vertit, significatur. Sed *4. simpli. vltimo.* dicet quis, Galenus non refert colores ad temperiem rerum. & in eo tamen loco dicit: in eodem genere succorum, radicum, & seminum alba minus calere. & *5. De gene. animal. 6.* tamen Aristoteles albiora calidiora esse dicit. & in Hetruria albæ cepæ longæ calidiores sunt rubris.

Auctor antiquus de coloribus affirmat colores oriri ex quatuor elementis. quid igitur insit elementis, videndum est. Insunt his formæ substantiales, quarum iunctione fiunt proprietates occultæ; vt in rhabarbaro & in magnete. Inest materia corporibus, vnde liquabilia quædam corpora sunt. inest & temperies calida, frigida, humida, & sicca. præterea insunt elementis diaphanum, opacum, & lumen: & ex his fiunt colores. diaphanum hoc est perspicuum, pellucidum: vt aër, aqua, cornu. illud diaphanum cum lumen concipit, *Color quid.* hoc lumen in superficie opaci in colorem abire creditur. hinc Aristoteles dixit, colorem esse extremitatem diaphani terminati; nempe ab opaco. Sed is magis explicat quomodo videatur color, quam quomodo fiat. Plato *in Timæo* dicit, colorem flammulam esse è corporibus emanantem: nam res cum diuiduntur, intus quoque colorem habent. Sed hæc perspexisse non sufficit, sed videndum in quo consistat, & vnde procedat diaphanum, lumen, & opacum. Aliqui diaphanum *Diaphanum* referunt ad elementorum puritatem; opacum ad impuritatem. Infirma hæc est ratio; quia argentum magis est diaphanum quam aurum: albus enim color maxime diaphanum sequitur; & tamen aurum est purius argento. Aliqui diaphanum ad tenuitatem, opacum ad densitatem ducunt, tanquam ad suos auctores. Verum reclamat fumus, qui quamuis tenuis sit, opacus est. Quare affirmamus, diaphanum consistere in puritate & raritate: opacum in impuritate & densitate. hinc visum dissipat fulgor ob tenuitatem, non ob puritatem; opacum enecat, ob densitatem. Sic aurum minus diaphanum argento, quia densius, non quia impurius. Aristoteles *libro secundo De anima*, dicit, Aër & Aqua sunt diaphana; elementa humida ambo. vnde Plato, vbi proponit diaphanum, humidi mentionem facit, hoc est, diaphani. Ad colores itaque concurrunt aër & aqua vt diaphanum, ignis vt lumen, terra vt opacum. Sed hæc varia sunt, vt scribit Plato. est enim ignis triplex apud Platonem; ex vno igne, veluti ex coruscatione exsiliente; & altero ex penetrante, & in humido, id est, diaphano extincto & inter hos medio igne, vnde varij colores fiunt. Fulgentissimus igitur color est ex igne exsiliente: medius ex medio igne: nigricans ex penetrante igne extincto in humido. Fiunt ergo colores albi ex clariore igne mixto cum diaphano; eoque vel aëreo; vel aqueo. *5. De gene. animal. 6.* vnde patet Aristotelem recte dixisse, qui ait, Pilos albos calorem significare in animalibus, quia fiunt ex *Excusatur Aristoteles.* diaphano aëreo; in aliis autem rebus vbi albus calor fit ex diaphano aqueo, frigidam temperiem significant albi colores. cum igitur diaphanum viget in aliqua re, erit color magis albus: cum opacum, nigricans, seruata tamen proportione luminis. Præcipit

Aristoteles, vt non confertim, vbi de coloribus iudicium ferimus, vrina mingatur, sed per vices. quia (vt dicit Aristoteles) sicuti in multo melius elucet figura, ita in pauco color. Sed non tantum colorem inspicere debemus, sed & innatantia, vt hypostasin; quare vna vice eiicienda,

Hypostasis sanorum. Quamuis autem homo sanus nullam hypostasin habere debeat, attamen ob polydædalam varietatem ciborum, fieri nequit quin vel saltem fiat eneorema, vel nubecula, si tenuius pastum ineat. Prodit autem per sanitatem hypostasis, ex crudis, crassis, & terrestribus ciborum partibus. Quare hæc non est pituita. nam in sanguinem verti potest pituita; hypostasis vero subterfugit assimilationem. Unde colligimus ex Galeno, hypostasin sanorum omnino aliam esse ab hypostasi morbis implicitorum. nam in ægris fit à materia morbifica: in sanis, est portio chyli quæ subterfugit assimilationem quia crudior est quam vt in sanguinem verti possit. Scribit Galenus, tempore quo coquitur alimentum hypostasin esse copiosam. loquitur de sanorum hypostasi: perfecta vero concoctione non multum subsidet. Verum dices, antequam fiat coctio, cruditatis omnia plena sunt: quare tunc quoque hypostaseos materia vbertate quadam circumfluet. Respondet Galenus, ante coctionem nullam adesse hypostasin. nam vt fiat hypostasis, non tantum opus est vt materia adsit cruda, sed & segregari debet ab ea parte quæ coctionem admittit. At tempore coctionis, bonum à malo segregatur per cruditatem, nihil. Est autem hypostasis in sanis alba; quia ab hepate non potuit confici. Galenus *primo Prognosticon Aphorismo vltimo*, dicit esse neque pus, neque sanguinem; sed medium quid inter pus & humores nutritios. Hæc de sanorum vrinis.

1. De alimentis fac. cap. de tritico.

1. De crif. 12.

4. De sanit. tuend. 4.

Alba sanorum hypostasis.

CAPVT III.

De Vrinis ægrotantium. de earum varietate in consistentia, copia, & qualitate, vt colore, odore, sono.

VRinæ ægrotantium sæpe indicant morbi speciem (potissimum in febribus) magnitudinem, motem, tempus. & crises faciunt ipsas. & maxime indicant affectiones partium nutritioni dicatarum. Consideratur vrina ægrotantium in consistentia, quantitate, qualitate, excernendi modo, & contentis, (vt hypostasi) & innatantibus.

In Consistentia. Consistentia, quod vrina præ se ferat similitudinem

Tenuis vnde. seri vincentis, tenuis est vrina, crassa, clara, vel turbida. Vrina tenuis ea est alba, vel tubra: alba à frigore; tubra fit à seri sanguinei torrefacti copia, modo non fit à renum infirmitate. fit & tenuis ab obstructione vasorum per quæ excolatur, vt renum, vreterum, & vesicæ: nam sibi immistas partes crassas ibi deponit & abstergit. Propterea Galenus inter nephritidis signa recenset vrinam tenuem initio apparentem. fit & tenuis vrina ob potus multitudinem. Vrina tenuis, vel semper tenuis permanet, aut crassescit. tenuis quæ permanet, cruditatis soboles est, vel obstructionis, qua transfusa tenuatur vrina. Quæ postea crassescit, id illi euenit, quod flatus ob cruditatem illi miscentur, qui ambientis frigore in humiditatem condensati, crassitie vrinam obducunt; vt roscida pruina abeunte Sole. ita Aristoteles narrat oleum crassescere, ab aëre in humorem verso. quare vrina tenuis, quæ crassescit, minorem vim frigoris indicat; quod calor ex materia flatus gignere potest. attamen hæ vrinæ lethales sunt in febribus magnis, ob calorem fractum.

6. loc. aff. 2.

Crassa vrina. Crassa vrina vel ita permanet, vel tenuatur. vtraque fit à mixtione crassorum succorum. quæ mixtio vel sit exacte, ita vt fracti humores in minimas partes, minimis liquoris misceantur: vel non exacte misceantur. Si exacte misceantur, tunc permanet diu vrina ita crassa; hinc denotat morbi longitudinem, recidiuas, dolores, abscessus. Videte *quarti Aphorismorum quadragesimum septimum*. Quæ vrina crassa eiecta, postea tenuatur, indicat crassos succos non exacte permistos fuisse; minus igitur periculosæ sunt. sunt etiam vrinæ crassæ ob colli vesicæ amplitudinem. hinc Aristoteles dicebat iumenta calculo non laborare admodum: quod perpetuo crassas vrinas reddant, vnde excutitur materia calculi. Hippocrates quoque *libro De aere, aquis, & locis* dicit mulieres minus obnoxias esse calculo vesicæ; quod collum vesicæ amplius habeant & breuius. Hippocrates *libro secundo Prorrheticon* hoc præsagium pronunciat de vrina tenui: *Quamdiu vrina fuerit tenuis & rubra* (nempe à seri torrefacti copia, non autem à renum infirmitate) *morbum adhuc expertem pepasmi significat: quod si diu talis vrina reddatur, periculum est ne vires ægri valere non possint donec mitificata vrina fuerit.* vnde talis vrina modo salutem, modo mortem pollicetur; nam si morbus breuis sit, & materia naturæ fuerit consentanea, viresque valeant, salutem pollicetur. Si morbus diuturnus fuerit cum virium infirmitate, etiamsi materia naturæ fuerit consentanea, mortem minatur. Hunc autem Aphorismum postea *Aphorismo trigesimoquarto libri secundi Prognosticon* latius explicans, dicit, *Quicunque tenues vrinas & crudas diu excernunt, siquidem alia vt conualituris signa appareant, his quidem, in partibus diaphragmate inferioribus, expectare oportet abscessum: ita in febribus.* sumptus Aphorismus ex *tertio Epidemiorum, ex historia Pythionis, in initio libri.* Id autem fit in febribus continuis, quia in intermittentibus, à tali vrina transitus fit ad quartanas. cum enim diuturnorum morborum tres sint causæ, ne. ope vitium internæ partis germen morbosum habentis, vt hepatis, pulmonum: vel vitium tei externæ, vt ægri, medici, & assidentium: aut pepasmi difficultas: eam hic solam assignat Hippocrates, estque posita in materiæ contumacia, meatuum angustia, & naturæ infirmitate in coquendo & excernendo.

Aph. 17.

Aph. 30.

Causa diuturnorum morb.

A substantia. Clara. A substantia quoque dicitur vrina clara vel turbida. Clara, hoc est, luminosa & splendida, quam penetrat oculorum acies, Hæc vel clara permanet; & in ægris indicat calorem fractum, vel παντὸς μὴν bilis ad caput: vnde Hippocrates: *Quibuscunque pellucidæ sunt vrinæ & albæ, calamitosum*: maxime autem phreniticis tales apparent, rapta bile ad caput quæ vrinam tingere solet, vnde cerebri membrana inflammatur. Vel paulo post turbantur vrinæ claræ, quod Pythagoras Alexandrinus bonum esse dicebat, & significare materiam in flatus à natura mutari. Sin diu claræ persistant, malum est: nam fractum calorem denunciant. Fit & vrina clara, ratione caloris ignei; vt in febribus ab adusta bile; qua densata, instar speculi, læuem reddit vrinam & politam, collectum enim lumen splendorem facit. Sed animaduertendum num in sanis splendida illa vrina ex naturæ lege fluat: nam sæpe qui calidiores sunt hepate, tales vrinas reddunt, vt & morbo venereo affecti; quod illud venenum comitem calorem plerunque habeat.

6. aph. 72.

Turbida. Turbida vrina differt à crassa; quod crassæ, lucidæ esse possint, vt myrrhyna vasa, quæ ex crassa materia constant: perturbatæ autem vrinæ numquam sunt claræ. Fiunt autem turbidæ vrinæ aliquando ob propriæ substantiæ corruptionem, quamuis non sint in vitio alieni humoris permixtione, vt in pestiferis febribus: vel quia lenti, viscidi, tenaces, & obscuri succi liquori miscentur. Hi succi vel perfecte miscentur, vel non si perfecte, fiunt vrinæ turbidæ quales iumentorum

torum, ac semper turbidæ manent : si non perfectè misceantur illa corpora, fient postea claræ, quia fundum petent. Scribit Hippocrates, huiuscemodi vrinas cephalagiam denuntiare, quia plethoricis causis caput augent, perturbato in venis sero à flatulento spiritu à calore contra naturam : vnde vapores sursum viam affectantes caput feriunt. Propterea Hippocrates *ad finem septimi Epidemion*, vbi meminit turbatarum vrinarum in ægris, dicit eos phrenitide obiisse. Quare turbatæ vrinæ cum virium robore, ad adiutum naturam; cum infirmitate, ad mortem apparent, & cum delirio & conuulsionis metu : vt euenit in Polyphanto, qui decimo die vrinas reddidit rubras, turbidas veluti iumentorum, dein phreniticus & conuulsus obiit. Ita & Eualcidæ famula : huic cum multo tempore vrinæ densæ prodiissent; & capitis dolores adessent, phrenitica obiit. Et in Dromeadæ vxore, quæ filiam pepererat, sexto die delirauit; vrinæ crassæ, albæ, turbatæ, conuulsiones à capite cœperunt; statim expirauit. Quæ vrina turbida mingitur, & postea clara redditur, optima est inter turbidas : nam breuem fore morbum denotat. quæ autem turbida permanet, longum morbum; quia non tantum adesse calorem denotat, quo viscidities incidi potest, & crassities attenuari, & lentitudo abstergeri. quæ clara mingitur, & turbatur, periculi plena est : nam parum caloris adesse denotat, qui tantum flatus mouere potest, nec materiam aggredi vel conficere; vt ignis exiguus, ex humidis lignis tantum vapores elicit, materiam non conficit. Quantitas etiam vrinæ est obseruanda. est enim illa vel nimis copiosa, vel nimis pauca. Pauca fit cum vrina aditu prohibetur à vesica, obstructis viis, vt renibus & vreteribus: vel aliò translata materia potulenta, & ichore sanguinis: idque criticè vel symptomaticè. Criticè fit in sudoribus criticis, & in diarrhœa. hinc Hippocrates dicit : *Mictio nel tu facta plurima, exiguam alui deiectionem denotat* quare vertendo illum aphorismum; copiosa deiectio alui, exiguam mictionem indicabit, translata vrinæ materia ad aluum. Vel symptomaticè, vt in metastasi, cum transfertur humiditas ad viscus: vt in hydrope exigua fit mictio, quia materia liquida ad abdomen fertur. vel cum ardore & ariditate consumitur materia potulenta : vt in febribus ardentibus, & in conualescentibus.

4. aph. 70.

7. Epidem.

3. Epidem. Sect. 3. Hist. 11.

Copia vrinæ. Pauca vnde.

4. aph. vlt.

Copiosa vnde. Copiosæ fiunt vrinæ vel criticè, vel symptomaticè. criticè, cum natura pondus aliquod humoris deponit ad vesicam. symptomaticè, vt in diabete, & colliquatione. quibus criticè fluit, alleuantur; quibus symptomaticè, damnis augentur, & vires sumit morbus. Fiunt & copiosæ, rerum diureticarum vsu. Hæc de quantitate.

Qualitas vrinæ. Consideratur quoque vrinæ Qualitas, quæ animaduertitur in sono, odore, tactu & colore.

A sono. In sono, si silente motu exeat, matulamque vix feriat, colliquationem significat: vt oleum silens nulloque strepitu fluit.

Ab odore. Odore, bono, vel malo, vel nullo, insigni. bonus oritur odor, à valida coctione, vel à remediis sumptis, vt asparagis & terebinthina Veneta. malus odor oritur à cruditate, vt in leonibus: & à putredine, vt in febribus pestiferis : vel quia per exulcerata loca fertur vrina & purulenta, vt per renes & vesicam : vel quia vrina imbibit fœtidi medicamenti vim : vel quia remedium prouehit ad vrinas, aperiendi sua vi diu coërcitum in corpore ac putridum humorem, infarctus liberando, ac attenuando. sic anisum & allium fœtorem innehunt vrinæ; maxime autem si vis illa odoris mixta fuerit exactè cum materia aquosa, ita se miscebit vrinæ maxime.

Colores vrinarum. Color vrinæ fere omnis fit ex mixtione succorum & ichorum; nempe bilis, sanguinis, melancholiæ, & pituitæ, vt colligitur ex Hippocratis *quarti Aphorismorum* *septuagesimo quarto*. Propterea scripsit in Epidemiis, 6. Epid. 3. 14.
lingua vrinam denotat, lingua pallida, biliosa, rubra à sanguine : nigra à melancholico succo : alba à pituita.

Alba. Fit vrina alba, quia non gignitur bilis languente calore, indeque bile tingi potest vrina. Quare Aristoteles dicit, vrinæ omnem caliditatem esse extraneam. 4. Meteor. 12.
vel quia materia liquida & potulenta tam diu non retinetur vt bilis portio illi immisceatur ob tenuitatem permeandi, vt in aquis quibusdam naturalibus euenit. Vel vrina fit alba, quia aliò bilis fertur : vt in febribus ardentibus: hinc in phreniticis albæ vrinæ adeo calamitosæ, vt dicat Galenus se nullum seruatum vidisse; translata nempe bile in cerebrum. Ita alibi 4. aph. 72.
Hippocrates aliò ducta bile, albas redditas vrinas scribit : *Vrina*, inquit, *quibusdam erant aquosa & albæ, vt Bioni, qui apud Silenum ægrotabat : & Critia & Mnesistrati vxori.hi*, inquit Hippocrates, *postea euasere dysenterici*, quod bilis acris deponeretur ad ventrem. 2. Epid. 72.
Hinc forte Deus omnipotens ita hæc condidit, vt perpetuo bilis aliqua portio cum vrinis euehatur : ne nimia bilis copia exesa intestina dysenteriam darent.
Sed notandum, num æger talem vrinam fundere assueuit, vt illi qui multis cruditatibus abundant. his Cautio.
vrina alba non est semper lethalis, quod febris his excitata à frigidis succis, nullum raptum bilis ad partes principes denotet. Propterea Galenus in historia vxoris Philini dicit, vrinas tenues & albas non esse absolute funestas, cum à crudis succis fiant; nam si vires non sint exhaustæ, die has vrinas coquere possunt. Si vrina crassa fuerit & cristallina, fiet ab vnita pituita. sin minus illa vniatur, erit vrina crassa, alba, niuea. sin adhuc minus vniatur, lactea erit. 1. Epid. 3. 21.

Subalbida. Liquor itaque sanorum hominum non tingitur nisi à bile, contra in ægris; quamuis raro aliunde quam à bile tingatur, Subalbida vrina prouenit (quæ vinosa dicitur) quia parum bilis miscetur liquori tenuiori. sin crassa fuerit, à bile & pituita erit. Spicea vrina oritur à bile pallida, rufa, vel flaua. Si à rufa, erit splendoris expers : à vitellina splendet crassius lotium, nec æque ac à flaua.

Nigra vrina. Hippocrates in epidemica historia, vbi de Herophonte, agnoscit vrinas tenues & nigras in muliere quæ ad frigidas aquas iacebat, agnoscit etiam nigras vrinas Hippocrates. Fit vrina nigra, ab assumptis : vnde Hippocrates ita scripsit, *Vrina concolor cibo & potui*. fit & vrina nigra à succis naturalibus in corpore genitis, vt quia niger succus melancholicus copiosè vrinæ miscetur, vti euenit in ictero nigro, & melancholia morbo, & in quartana febre. nam quod talis succus vrinæ misceatur, apparet ex historia Herophontis. nam cum lien tumeret illi quinto die, erant vrinæ nigræ; & die octauo, concidente liene, meliores erant vrinæ. denique fluunt vrinæ nigræ à mixtione humoris adusti, vt bilis, melancholiæ, sanguinis : non pituitæ; nam ea in atrum succum non vertitur : hoc est quod ait Hippocrates, pueros melancholicos non fieri, at à sanguine torrido fiunt vrinæ nigræ; id probatur ex Hippocrate, vbi ait, *Facies rubra cum tristitia in morbis malum*; nam vi caloris vertitur sanguis in melancholiam. & Hippocrates in Epidemiis inquit: *quod valde rubrum est, melancholicum est*. Si igitur nigrescat vrina à torrida bile, præcessit color flauus; si à sanguine, obscurior præcurrit color; si à melancholia, adhuc obscurior. Galenus *primi De crisibus duodecimo* dicere videtur, colorem nigrum à summo frigore & calore oriri posse, circa materiæ mixtionem : dicit enim se neminem vidisse seruatum qui nigram reddidit : quare intelligit, in eo loco, hoc de nigra vrina, quæ fit citra materiæ mistionem; nam sciebat Herophontem euasisse. Si primordia sua trahat nigra vrina ab vstione vel frigore, moriuntur; nam ater redditur sanguis,
2. Lib. Sect. 3. Hist. 3.
3. Epid. 3.
6. Epid. 5. 19.
Vt noscas vnde nigrescat.

sanguis, vt amplius nutrire non possit. Sed quomodo cognoscam num à frigore vel calore fiat nigra? Respondet Aëtius, si vrina fiat nigra per medium flauum, est à calore: si per liuidum, à frigore. Non dicendum cum Practicis per medium viride; nam viridis color fit à calore & à frigore. Auicenna dicit, si fœtet, est à calore. Nigræ vrinæ in fine morborum melancholicorum faustè apparent, & sæpe in puerperis suppressis lochiis, *3.Epid.3.73.* vt notat Galenus se videre. Ruffus Ephesius dicit, si nigra per sanitatem diu mingatur; calculum indicat. Hæc de coloribus extremis.

Medij coloris 1.Crisi.12.Viridis vrina. Inter illos qui prope ad nigrum accedunt, est color viridis, affirmat Galenus, viridem colorem esse transitum ad nigrum, & principium nigri. & *decimo Simplicium, capite de felle*, dicit; In calidis animalibus fel mutari ad viridem colorem. & *primo Prognosticon* à frigore oriri dicit. Fit igitur vrina viridis à frigore, & à calore. Vnde igitur ortum eius agnoscam? Si viridis vrina ad nigrum abit per medium liuidum, fit viridis à frigore: si non, à calore. vt autem viridis vrina magis vel minus torretur, ita variæ obscuræ fiunt vrinæ, vt cæruleæ, brassicæ colorem imitantes, vel *Liuido.* isatidis. Liuida vrina est semper ex frigore. Vrinæ liuidæ, virides, æruginææ, omnes malæ sunt. Intermedij colores sunt: pallidus, fuluus, flauus, & ruber. Ad rubrum vsque oriuntur à flaua bile, prout plus vel minus miscetur; & aliquando ex vitellina bile, sed tunc vrina est crassior, nec adeo splendet, vt ea quæ fit ex flaua.

Rubra. Inter colores medios vltimo loco est ruber. Fit vrina rubra, ob permistionem sanguinis, vel bilis. etenim rubram bilem esse colligitur ex verbis Galeni, & ratio *2. Lib. De cris.12.* quoque conuincit; nam calor agens in flauam bilem, partes puriores absumit, & opaca euadit magis: vnde magis ad nigrum abit, eritque color is ruber; nam is à flauo ad nigrum proxime ducit. ita & ignis in impuriore materia magis rubet. Sed quomodo cognoscam num à sanguine aut bile rubra fit? Respondeo, si à sanguine, erit sine splendore: à bile, non sine splendore. Vrina rubra à sanguine fit, vel ob exactam mistionem sanguinis, vel non exactam. imponite pannum album: si tingatur, non erit exacta mistio; & dicetur vrina cruenta, qualem describit Hippocrates *Sect.1.6.* *sexto Epidemion*. vt à calculo renum, vel vasis renum apertis, cum sponte excludunt venæ sanguinem, & tunc exactè non miscetur. Vel exactè miscetur, idque sanguine torrido & adusto nimio febris calore; vt apud *Sect 2 42. 1.Prorrh.2. 15.* Hippocratem *primo Epidemion*. vt in synochis & pestiferis febribus. Vel quia sanguis manet crudus: & hæc vrina cruda dicitur à Galeno 1. *Prorrheticon*. Est intensè rubra quædam vrina: alia subrubra Et Galeno subrubra est cruda; (vt & Hippocrati *secundo Prognosticon*;) & longum morbum denunciat, præsertim si *24. Aph.* in morbis acutis post septimum diem appareat. nam quæ subrubra quarto die apparet; septimo die crisin fore significat: estque illa subrubra vrina admodum salutaris; oritur enim ab ichore sanguinis non bene cocto; quod serum mite est & facile à natura pepassimum recipit. est enim sanguinis ichor mitis, vt bilis & melancholiæ ferus. Sed quæ sunt causæ vrinæ rubræ? de his enim nihil Galenus, neque Hippocrates Excusat *1. Cris 11. 2.Prog Sect.3* Hippocratem Galenus *lib. 3. Epidemion, in historia Hermocratis*: quanto rubrior, inquit, tanto longiorem morbum indicat. ex quibus verbis colligimus, rubram vrinam fieri ex maxima copia crudi ichoris, & non à coctione.

CAPVT IV.

De Hypostasi; & ægrorum contentis in Vrina, quæ non longe abscedunt à sanitate.

Hypostasis dicitur quod in imo liquidioris excrementi subsidet, vt & in alui deiectionibus At medici ad vrinam transtulere: vocantque crassiorem *3. Prorr. 63.* vrinæ partem secretam & subsidentem. quod hæc enim portio vrinæ sit, indicio est, quod fere in omni vrina reperiatur: & est crassior pars vrinæ. nam in sanis oritur à crassiore nutricatus materia quæ assimilationem subterfugit. At qui febricitant, in his plerumque nascitur hypostasis ex materia morbifica. dico plerumque; nam interdum eodem modo in his fiunt ac in sanis, cum nimirum liberalis pastum init æger. Nota ergo num ideam sanorum hypostasis gerat. Itaque cum interdum cruditat is soboles sint à cibo hypostases, his elucentibus etiam intereunt ægri. Secernitur autem in vrina vi caloris natiui, cuius portionem vrina per aliquod tempus retinet. huius enim vis est separare homogenea ab heterogeneis, hoc est, res diuersorum generum. vnde & in medium propellit in vrina quod crassum est à tenui. est enim æquabiliter calor fusus per vrinam; quare nec in dextram nec in sinistram partem eam inclinat. Subsidet autem propter grauitatem; quod spiritu flatulento caret bene cocta hypostasis: sensimque, vt grauiores sunt partes, fundum petunt vnde minus graues partes cum fundum non tangant. Pyramidis formam exprimunt.

Prima hypostasis laus est vt sit alba, læuis, & æqua- *Hypostasis qua bona.* lis: nam hæc sunt perfectæ coctionis indicia; quantumque inde abit, sanguinem vnde manauit minus coctum declarat; crassa sanguinem crassum; sublimis flatulentum; flaua biliosum; nigra melancholicum sanguinem loquitur, vel fractum calorem. inde Hippocrati *optima vrina est* (nempe in morbis acutis) cuius hypo- *2.Prog.23.* stasis proprij excrementi rationem obtinet, cum *alba fuerit hypostasis*, quod caloris vim in partibus solidis arguit: & *læuis*, id est, continua nullaque ex parte diuulsa, sed æquabili superficie sibi cohærens; quod fit causæ salubris beneficio, nempe caloris natiui sese in omnes partes materiæ insinuantis, easque mitigantis. &, dicit Hippocrates, *æqualis*, id est, sibi similis, nec dissimilibus partibus constans, hoc est, cuius partes omnes æque tenues sunt & albæ; quod fit materiæ (quæ vniusmodi est) bonitate. dicit Hippocrates, *Quæ vrina totum morbi historia talis fuerit, quoad indicatum fuerit morbus*, propria crisi scilicet cuiusque morbi & naturæ. nam quo natura viam affectat, eo crisesos inclinationes fiunt. *talis, inquit, vrina ad securitatem & breuitatem morbi præclare apparet*: nam coctiones propriorum cuiusque morbi excrementorum, celeritatem & securitatem crisis prænunciant.

Hypostasis in ægris sæpe pars est materiæ morbificæ, puri proportione respondens: vt scribit Galenus. *1.Dif.febr.6* Dico, sæpe; nam gignitur in febricitantibus aliquando eodem modo ac in sanis. Sed quomodo id distinguam? Respondeo, vt rectè id fiat, primo agendum de hypostasi quæ non longe recedit à materia sanorum: hinc de morbificis. Si igitur quis laborat ex morbo cuius materia consistit in hepate, videndum num tenuitur victitet vel plenius. Si tenuiter, & in tali ægro suspensum fuerit album & læue, erit à materia alimentali; si subsidat materia, erit à materia morbifica. quanquam & enæorema esse posset à materia morbi: sed tunc erit croceum, rubrum, vel nigrum. Si autem à pituita sit materia illa morbifera, an tunc illa ab alimentali materia, distinguitur hac ratione? A pituita erit inæqualis, aspera, crassa; & paulatim subsidet. alimentaria autem materia statim, & in initio quoque morbi, erit alba & læuis; quod morbiferæ non euenit. Sin largius viuat æger, & si eodem tempore simul excernatur materia morbifera, quo alimentaris erit contentum varium, quale in Cleonactide. Si non eodem tempore excer- *1.Epid 3.* natur, vt modo cruda, modo cocta appareat, longum morbum, ex sententia Hippocratis, denotat. Si, inquit, *2.Prog.23.* *bona vrinæ intermissio quædam fit, vt modo pura reddatur, modo hypostasi alba, læuis adsit, diuturnior quidem est*

est morbus, ac res ægri minus in tuto sunt. Nam cum vrina redditur modo pepasmi expers, modo particeps contumacis ac inæqualis materiæ, labefactatæ naturæ & cibi imparis signum est; quod natura morbi quidem coctionem aggreditur, sed materia inferior vincatur, & intercalaria illa coctio non vniuersi morbi, sed peculiaris cuiusdam affectionis est concoctio. Progrediente vero morbo videndum, num is sit à succis tenuibus & biliosis: si in his apparet hypostasis, 2.Cris.12. est à cibo; nam à succis morbi fieri nequit, vt docet Galenus. enæorema tamen adesse poterit à morbo, non album (nam à cibo erit album,) sed citrinum biliosum. adsit primo hypostasis alba, læuis: hinc suspensum fit biliosum; salubriter fit; nam coquitur morbi materia. Sic si liberalius pastum init quis in morbo melancholico, præstat hic vt hypostasis sit subnigra quam alba: nam hæc à cibo est; illa, à materia morbifera quæ iam coqoitur.

CAPVT V.

De cõtentis in Vrinis, quæ maximè abeunt à sanis.

IN contentis apparent quædam signa materiæ coctæ, quædam crudæ, quædam materiæ prauæ. Considerantur autem contenta in substantia, quantitate, qualitate, tempore, loco, & mistione: quatenus ad salutem & mortem, & quatenus ad speciem crisis apparent. & vt sunt notæ partium vnde manant, & venarum per quas iter faciunt; vesicæ & renum quibus excipiuntur; nam indicant integritatem vel calamitatem harum partium.

Tenuis hypostasis. Substantia contentorum est tenuis vel crassa: æqualis vel inæqualis. Tenuis fit hypostasis à materia tenui. si magis tenuis reddatur, fit enæorema, hoc est, suspensio. si tenuissima, euadit in nebulam; vt in febre 2.Cris.12. Cr.fi. ex inedia & labore, vt scribit Galenus, sufficit nebula vel enæorema. Crassa hypostasis fit ex materia crassa; vt in febribus ex otio & plenitudine. in his, inquit Galenus, opus est hypostasi crassa antequam solui possit morbus. *Æqualis.* Æqualis hypostasis fit, quia partes omnes aquæ sunt crassæ & æque tenues significant materiæ benignitatem, quæ vndique mitigatur à calore natiuo. *Inæqualis.* Inæqualis euadit, cum pars alia est tenuior, alia crassior, alia densior, alia rarior. Deterior hæc est; nam materia contumaciam significat, quæ mitigari non potuit beneficio caloris.

Copia. In quantitate hypostasis consideratur pauca vel copiosa, vt materia morbifica est copiosa vel pauca. vt in febre ab inedia pauca fit hypostasis: in febre pituitosa ab otio, copiosa.

Qualitas hypostasis. Alba. In Qualitate consideratur hypostasis, vt colore albo nigro, citrino, & rubro. Alba est, vel minus alba quam optima hypostasis; vel est candidior; & subsidet non ratione coctionis (quæ flatus excutit, sed grauitatis ratione. Propterea aspera est & disiecta, vt colligimus ex *Aphorismo sexagesimo nono libri quarti*, vbi dicit, *Quibus funduntur vrina crassa* (nempe à flatulento spiritu & cruditate) *mox grumosa*, nimirum vt multæ concretiones instar granorum appareant, *& pauca*, inquit, vrinæ, interceptis nempe vrinæ viis ob crudi humoris multitudinem: *non febre vacuis*, inquit Hippocrates, vt scilicet nulla nephritidis excusatio adferri posset. *si ab his tennes abunde ferantur*; excitata nimirum caloris natiui vi, quæ attenoat crassitiem & flatus discutit; & liberatis obstructionibus, *adiumentum adferunt*. Vel vrinæ hypostases magis albent quam opti- 2.prog.25. ma hypostasis. De qua ita Hippocrates, *Hypostasis alba, tenuis*, id est spumans, *est calamitosa*: etenim inæqualium corporum quo partes tenuiores fuerint, eo eorum inæqualitas est deterior; significat enim causam præter naturam omnibus partibus sese insinuasse.

Nigra. Nigra hypostasis mala est. oritur enim ex torrefactione succorum nostri corporis, quod incendio febrili æstuat. vel à frigore, quod necrosin inducit partibus solidis, & tabem. Expendenda hic est quæstio, Vtrum hypostasis nigra sit deterior nubecula nigra? nam id *1.Cris.12. 1. De iud. ex vrina. 13.* affirmat Galenus, & Actuarius. His contradicere videtur Hippocrates *in libris Epidemion*: neque id sine ratione. Nam cum nubecula & hypostasis nigra, materia non differant, sed loco tantum; & cum hypostasis non peccet loco; sed materia tantum: nubecula autem nigra & materia & loco; igitur hypostasis nigra minus praua; cum hæc vno tantum modo, at nubecula dupliciter peccet. Pro horum auctorum conciliatione vtendum hac distinctione, vt dicamus. si nubecula nigra sit à tabe & necrosi partium vi frigoris, quo longius à fundo abscedit, eo minus erit praua. quia significat calorem natiuum nondum succubuisse, sed aliquantulum vigoris adhuc obtinuisse, vt flatus aliquos excitare possit, quibus materia illa, quæ vrina est grauior, sursum attollatur. Si autem nigra hæc nubecula sit à bile atra, per adustionem flauæ bilis genita, superstite adhuc partium solidarum integritate, quo longius aberit à fundo, eo erit peior. nam cum atrabilis sit crassissima & grauissima, plurimum adulterini spiritus admisceri debet, à quo tam graue corpus sursum attollatur.

Rubra Rubra autem hypostasis fit ab ichore crudiotis sanguinis; de tali agit Hippocrates *secundo Prognosticon*. 47. Fit & rubra à cocto sanguine; de hac agit Hippocrates *quarto Aphorismorum*. fitque rubra ab adusto sanguine; de hac Hippocrates *primi Epidemion tertia*. 72.

Alia differentia. A tempore etiam ducuntur differentiæ: nam contenta vel statim apparent vel postea. A loco; vel sunt in imo vrinæ, medio, vel sublimi. Vltimo à mistione accipimus differentias: nam contentis varia miscentur, leuia, vel grauia. leuia apparent in summo vel medio, vt pinguedines, spuma, pili. velin imo, vt arenæ, sanguis, bestiæ.

Pinguedo 3.Epidem. Sect. 3.aph. 17. Oleosa. 2 Tter.-1.19. Sect 3.74. Pinguedo in vrina fit à colliquatione renum, vel totius corporis: semper in pestifetis febribus tales deiectiones fiunt. Oleosam vrinam, contra sententiam Aëtij, & Actuarij & Auicennæ, declarat Galenus *tertio Epidemion in Pario*, dicens eam vrinam esse oleosam quæ non est pinguis, sed quæ crassamentum & colorem olei reddit. nam Parius vixit ad vigesimum supra centesimum diem, quod fieri non potuisset, si tanta fuisset colliquatio totius corporis. Num sit pinguis à colliquatione totius, vel renum, docet Hippocrates, *septimi Aphorismorum trigesimo quinto*. Si confertim prodit pinguedo, ex renibus erit: sin exigua copia, & spaciis interpositis, à toto corpore fluit. Pinguedines in vrinis instar telarum aranearum quoque apparent; *sed & pinguedinis*, inquit Hippocrates, *qua in vrinis superstant*, *Telarum ping. 2. Prog.32.* quales nempe in pinguibus iusculis refrigeratis apparent, *aranearum telarum speciem referentes, damnare oportet: sunt enim tabis & colliquationis signa*.

Circulus & corona. Circulus vel corona aliquando apparent etiam, toto superficiei ambitu. Si superficies eiusdem cum liquore coloris fuerit, nihil elucet. sin alterius; id sit, quod ichor sanguinis aliquando ad meliorem, vel naturali peiorem colorem vergat. peiorem, vt si ex virore puniceus appareat circulus, tunc æstuans calor vrit sanguinem, & ad nigrum succum ducit, & mirum in modum cor angi significat malignæ febris ardore.

Spuma. 2. Acut. 12. Spuma quoque apparet in vrinis, fitque, ex Hippocratis sententia, vi caloris: nam dicit melicratum in calidis naturis verti vi caloris in succum biliosum & spumantem. Galenus autem demonstrat non solum ex calore oriri, sed & ex motu: vt mare quod ventis verberatum spumescit: vt etiam in epilepticis, calore, vt in *2. aph. 43.* apro ira percito, & in lebete feruente aqua spumescit vi caloris. Galenus flatum crassiorem, & pituitam len- *2. Prog. 47.* tam spumæ materiales causas agnoscit. Quare calor

agitans talem materiam, flatus parit, qui cum eluctari ad aëris regionem nituntur, id non patitur materiæ tenacitas; hinc in bullam surgit. Vt igitur aër crassior fuerit minusque sursum enitens, & materia contumacior, hoc diutius perseuerabunt bullæ. Quare non malè dicunt medici, capitis dolorem ab his significati; flatus enim sursum feruntur.

Pili *4. aph. 76.* *Pili quoque & filamenta*, dicit Hippocrates, *cum vrina crassa quæ simul feruntur* (integris nempe venarum rebus, vt nulla coctionis ratio desideretur) *à renibus excernuntur*, iam nimirum coctis viscidis humoribus in renibus. hinc, dicit Galenus, tenuantibus curantur. Sin cum vrina tenui prodeant, à venis esse demonstrat Galenus. *6 locaff : Pus.*

Pus vrina interdum effertur. manet autem à renibus vesica, vel ab aliqua remotiore corporis parte. Id igitur quomodo distinguam? Si à renibus, non tantus adest fœtor, vt cum à vesica dimanat. etenim vesicæ membrana facile putrescit. & pus, quod à vesica venit, nulla est præditum aliena mistione, vt id quod ex renibus venit; nam id mediocriter mixtum est. &, si à vesica manat, aderunt squamulæ cum vrina crassa, *4. aph. 81.* vt scribit Hippocrates; & dolor vna id discriminat iis locis factus in lumbis, ex renibus prodire; in pube, à vesica significat. Ex superiorum etiam partium abscessu rupto venit pus; id autem elucet inde esse, quod pars ea valde dolet, nec dolor in vesica aut renibus fluit.

Sanguis. Interdum sanguinis mictio fit, vel à toto corpore: Vel, vt dicit Hippocrates, à renibus, vel vesica. id *4. aph. 75.* igitur quomodo distinguam? Respondeo: Hippocrates dicit, Si sanguinem quis mingat, vt mingendi finem non faciat; vt scilicet nulla suspicio sit partium diaphragmate superiorum male affectarum, vnde vno tantum impetu aliquando deponitur: & quoque, vt peculiarem morbum pudendi eximat, mingat; dicit. quæ mictio fit vi sphincteris: præsertim autem si purulenta vrina cruentas sequantur, ex renibus vel vesica erit. Num sit à vesica vel à renibus, vt rectè di- *4. aph. 78.* stinguas, id docet Hippocrates, vbi ait, *Si quis repente & confertim, sanguinem meiendo fundat. huic rupta à renibus vena significatio fit.* id est, nullo prægresso symptomate, quale in vesica vlcerata apparet, vt pus, exigua detrimenta, dolor in interfœmineum & aqualiculum incidens; nam ea indicant, quæ ad *4. aph. 76. 6. locaff. &c.* vesicam attinent in vitio esse. Carunculæ ab exulceratis renibus fluunt, cum partes renum liquantur & soluuntur.

Varia hypostases. *1. Prog. 18. Farinacea.* Est apud Hippocratem hypostasis farinacea, laminea, & furfurea. Quæ in vrinis farinæ crassioris speciem præ se ferunt hypostases (vt nempe farina quæ à molis confracta non est) malæ sunt, hoc est, calamitosæ; præsertim si vrina tenuis fuerit cum tali hypostasi farinacea, & morbus acutus. tum enim talis hypostasis carnis teneræ, aut adipis colliquationem significat, & in propinquo esse mortem. Carnis colliquato iamiam & consumpto humore, hypostasis colore *Or bæa.* erit fusca vel rubra, & dicitur orobæa. nam si nigra fuerit, ex sanguine crassiore vsto proueniet. Adipis vero colliquefacti coacta parte crassiore, alba hypostasis colore erit, & dicitur hypostasis genitalis ab Hippocrate, quod humanæ geniture speciem referat. *Actuar. 2. diff. Vrin. 10.* Diuiditur enim apud Hippocratem κριμνώδεις hypostasis in orobæam, hoc est, similem orobo excorticato, vitelli colore, & genitalem. quæ consistentia sunt eadem: quæ ambæ sunt grandinosæ, solaque substantia differunt. Grandinosa *in Coacis Prænotionibus dicitur orobaa*. Dixi, si morbus fuerit acutus: nam sine febre à pituita est, & longum fore morbum pronuntiat; vt genitalis erat hypostasis eius qui in Dealcis horto ia- *3. Epid. 3. Laminea.* cebat. *Sed multo peioris* (dicit Hippocrates) *sunt laminea hypostases*, quæ bracteolæ ideam effingunt, vt fere in hecticis apparent: nam hæc in morbis acutis cum vrina tenui, partium solidarum colliquationem arguit: at cum vrina crassa, vesicæ scabiem. *At ma- 2. Progn. Aph. 25.* *gis*, inquit Hippocrates, *funesta sunt furfuracea*, si vrinæ nempe sint tenues; venarum enim scabiem, & earum vim labefactatam significant, & ob id vrinas in eis non mitigari arguit. Squamosæ itaque hæ deiectiones πεταλώδεις sunt peiores: nam iam non carnem sed solidas partes exuri significant. Lamineæ sunt latiores & tenuiores, foliis similes. furfureæ sunt crassiores, nec ita latæ.

Arenosa hypostasis, ni dolor adsit, non indicat calculum. Bestiæ quoque excernuntur per vrinas, vt refert Paræus *libro decimo sexto chirurgiæ*. *Arenosa. Bestiæ.*

Vrinæ in omnibus morbis non inspiciendæ, sed, vt *Admonitio.* auctor Galenus, in morbis venenosi generis & febri- *1. Cris. 7.* bus omnibus. sic dicit in Pleuritide expectoratum primo esse explorandum, secundo (quia febris adest) vrinam. Sic in ventris morbis primo deiectiones sunt inspiciendæ, postea (si febris adsit) vrinæ: si non adsit febris, nec vrina inspicienda. nam quibusque instrumentis propria sunt indicia coctionis; venarum vrinæ, pectoris expectorata, intestinorum deiectiones. in cæteris morbis, si renes & vesicam exceperis, infidæ sunt vrinæ. * καλὸν πῆμα rectè dici potest iu- **id est, pulchra pernicies.* dicium illud temerarium ab vrina, quod ad triobolare aucupium comparatum, hodie domi medicorum exercetur, vanum & perniciosum. hæcne medicinæ corruptela? pestis, & ægrorum pernicies. Coram ægro examinentur vrinæ, & ex cæteris notis quæ enitent in actionibus, qualitatibus, cæterisque excrementis, earum naturæ & causæ peruestigentur. Exemplum petis? adferatur domum medicorum vrina alba, pellucida, cuius liquorem visus acies facillimè penetrat. dic vromantes, quæ illa significat? frigus ais? hicne ita præscribes remedia calida? Quid agis? hæc alba esse potest à translata bile in caput, idque in febre ardentissima ac biliosissima; argumento est Phrenitis, in qua fere tales vrinæ funduntur: quod bilis in cerebrum cum fluat, vrinam suo colore fraudat. Quin interdum præambulones sunt albæ vrinæ dysenteriæ criticæ, ob acerrimam vim bilis quæ ab vrinalibus ductibus se ad intestina flectit, quod Bioni euenit. Si itaque in pristinum decus erigere Medicinam velint Medici, arceant à suis ædibus vrinas medicinæ corruptelas; & triobolarem illam inspectionem agyrtis concedant. Desinant & ægri ipsi, non sine naturæ iniuria, saluti suæ iniurij esse, dum satis illis est, quod nulli veterum satis fuit, vrinam ad medicum ferre, & salutare auxilium (vt putant) inde referre, ignoto, & nunquam viso aut tentato ægro.

INSTITVTIONVM MEDICINÆ LIBER DECIMVS

De Pulsibus & respiratione.

CAPVT I.

De vtilitate scientiæ pulsus. Quid sit: & Definitionis explicatio.

PVLSVS nomine, inquit Galenus, Praxagoras, *5. De Pla. Hip. 1.* Herophilus & omnes posteriores vsi sunt ad nostram vsque ætatem. Nam antiquior huiusce vocabuli vsus, vt in Hippocratis & Erasistrati scriptis, varius

Nomen. 2. De pul. diff. 2. *Sect. 6. 2.* *Sect. 3. 80.*

varius erat. Nomen tamen pulsus, primus Hippocrates literis prodidit. Is enim huius meminit *libro de flatibus, & De locis in homine*; quin & *sexto Epidemion*, in Pythodori & Theodori vxoris historia. Galenus *tertio Crisium vltimo*, & *De Praecognitione duodecimo*, & *tertio Epidemion* putat Hippocratem pulsum neglexisse. in fine tamen octaui *De animi moribus temperiem affectis*, cum pulsus nomen inuenisse asserit. & *quarti De praesagitione ex pulsibus octauo*, ait, mortem, inter loquendum, Hippocratem ex pulsu cognouisse. certè, *in Coacis*, lethargici σφυγμοῖς νωθροῖς ab illo describuntur: hoc est, cum pulsu sepulto & effœto. ita vocat pigrum, tardum, vndosum, cum ἀσφυξία intercalari, per exolutionem facultatis pulsificæ, in vsu pulsandi pernecessariæ. Hoc testatur huius scientiam illi compertam fuisse. Et libro primo περὶ γυναικείων. loquitur autem de puerperis quæ sunt fraudatæ lochiis, hoc est non puerperales, vt quibus puerperia non rite respondent. Σφυγμοὶ βληχροὶ· ὅτε δ' ὀξέες· ἄλλοτε ἀνιστάμενοι, ἄλλοτε ἐκλείποντες· hoc est, *pulsus molles, qui attolluntur nonnunquam, & nonnunquam deficiunt.* Loco tamen variorum pulsuum videtur Hippocrates respirationem obseruasse: argumento erit Philiscus, Silenus, vxor Dromeadæ. & Galenus propterea videtur tres libros De facultate respirandi ex Hippocratis sententia scripsisse. quin ipsemet Galenus quæ scribit de differentiis pulsuum, mutuatur ex variis respirandi modis quos deprehenderat apud Hippocratem. Septimo Epidemion in historia filij Balis, per spiritum intelligit pulsum. & paulo supra meminit spiritus & anhelitus. & in Theodori historia, ait, ad manus erat frigidius corpus arteriarum. & in Herotolao, filio Cydis, Polycrate, vnctore, Menone, Polemarcho, Pytoclis filiis & Polemarchi, motum arteriarum frontis, vocat pulsus; manuum vero, spiritus. Nam pulsus & spiritus idem est finis & vsus. quare nomine vnius, alterum potuit intellexisse. Tetigisse itaque videtur Hippocrates pulsum in fronte & carpo. Non autem ea in pulsu veteres notauere quæ posteri: nam Hippocrati potissimum significari videtur pulsus maximus, conspicuusque arteriæ motus, ægro molestus arteriæ micantis ictu, ob arteriæ plenitudinem, vel loci in quo libere micare solebat angustiam. Ita scribit de pulsu hæmorrhagiæ, abscessus, delirij; qui aspectabilis est medico, & dolorificus ægro. aliis quibusdam, palpitatio pulsus erat. Certè Aristotelis tempore hæc noua pulsuum ratio incomperta adhuc fuit. Pulsus & sanitatis & morbi signa gerit. etenim quæque temperies suum agnoscit pulsum. hoc innuebat Hippocrates libro De alimento: Venarum, *inquit, pulsus, & respiratio ætati annlega, & morbi, & sanitatis signa: est enim spiritus etiam alimentum.* hic vsum eius dicit. Propterea cum fallax vrina morbum celat, hic eum prodit: vnde versiculus. *Vrina fraudes aperit discretio pulsus.*

Hippocrates nouit pulsum

Vrilinae.

Quid sit. 4. Diff. puls. 2.

Est autem pulsus actio peculiaris præcipuè cordis, deinde arteriarum, quæ mouentur diastole & systole à facultate vitali, quo natiuum calidum sua temperie fruatur, & vt generetur animalis spiritus in cerebro.

Diximus esse actionem; quæ generis nomine hic venit, semper in generatione posita; quia est, dum fit, hoc est ἐν γίνεσθαι, non autem in γεγονέναι. In definitione posuimus pulsum præcipuè cordi deberi. Est enim cor viscus nobilissimum, ac vitale principium, quod natiua indole ipsum per se micat, fons natiui caloris, nectarisque viuifici: vnde partium omnium solidarum, spirituumque fluxa viuacitas recreatur atque reficitur.

Definitionis explicatio.

Addidimus in definitione, Deinde arteriarum: Nam principatus vitalis in ipso stabulatur corde, & ab ipso in arterias influit vitalis vis; omnibusque in locis simul dilatat cor & arteriarum tunicas. nam his per se non inest pulsus; sed hæc vis it per arteriarum substantiam. hoc probat Galenus fistula inclusa arteriæ, eaque arteria illaqueata. Succedit itaque aer dilatatis arteriis: & non quia recipiunt, distenduntur; sed ex aduerso, quia distenduntur, propterea recipiunt. Distenduntur autem à facultate cordis quæ mouet. nec tantum per spiritum hoc facit in arteriis; nam hic etiam per calamum commigrabit; sed illustratione quadam per arteriæ membranas. Quidam existimant arterias moueri contra cordis motum: vt nimirum dilatentur cum cor stringitur; & ex aduerso. Falluntur: nam simul hæc fiunt. argumento est manus admota cordi, & altera carpo: in ranis viuis sectis, oculis hoc cernitur. Nec propterea dilatantur cum corde, διὰ τὸ ἐρτῆσθαι τῆς καρδίας, vt Aristoteles affirmat. Nam si facultas cor moueret solum, arteriæ vero mouerentur cum corde, quia suspenduntur ab eo, certè & vena caua pulsaret, & arterialis: nam hæ à corde etiam pendent. Et in tam laxis longisque vasis, motus solum partium continuitati consectarius, antea euanesceret quam manum ad vsque pertingeret. Iodirum est nomen arteriæ παρὰ τὸ ἀέρα τηρεῖν, quod est aërem ducere, vel παρὰ τὸ αἴρεσθαι, quod est attollere.

De vsu pul. 2. & 4. Lib. An sang. in arter.

Instrumentum pulsus.

Arteria vnde dicta.

Definiuimus præterea, Quæ mouentur diastole, & systole: quarum officia sunt eo comparata, illius quidem, ad spiritum foris intro ducendum, & sanguinem hauriendum è vena: huius verò, ad eos vitæ commeatus, per totam compaginem effundendos, & vaporem fumidum expirandum. Coagmentatio cordis tribus intexta est villorum generibus, quibus diastoles atque systoles officia continentur: hinc nutritio, temperatio & expurgatio caloris natiui qui in corde habitat. sanguis enim per diastolen cordis hauritur ad nectar viuificum; vnaque nouum aërem haurit ad caloris temperationem, spirituumque vitalium ad pabulum: quin arteriæ in habitu corporis non solum aërem subtilissimum, sed & puluerem attrahunt. Systole vero fuligines, sanguinemque excutit. Per diastolen intellige sublationem & expansionem arteriæ quoquo versum; per systolen, arteriæ contractionem, cum in se sidit. Cum autem hi bini motus sibi sint contrarij, ita duplex intercedet his quies, quasi inter hos media: vna, supera: altera, infera. Quies supera euenit post finem dilatationis, ante principium contractionis. quies infera est quæ contingit post finem contractionis, ante principium dilatationis. Tactus exercitatus sentit bonam diastoles partem, & maiorem systoles. nam initium diastoles, & finis systoles sensum fugit necessario: id facit caro tegens arteriam. Omnis magna necessitas constrictionis, facit in supera quiete crebritatem: cunctaque valida necessitas expansionis, facit in infera quiete crebritatem. Dicet quis, Galenus pulsus quosdam quietis expertes dicere videtur: At Aristoteles demonstrat inter contrarios motus perpetuo quietem intercedere. & Galenus fatetur systolen & diastolen pulsus, esse contrarios motus. quare necessario in puncto reflexionis quies erit. Id ita demonstrat Aristoteles: Omne mobile in eo puncto necessario quiescit, quo vtitur pro principio & pro fine: & ad quod ita accedit, vt ab eodem discedat. Atqui cuncta quæ mouentur motu reflexo, vtuntur puncto reflexionis pro duobus, principio nimirum & pro fine: idemque necessario ad illud punctum reflexionis accedit, & ab eodem abscedit. Omne itaque quod reflectitur, in puncto reflexionis quiescit. Dico Galenum non plane negare quietem, sed interdum adeo exiguam esse, vt vix eam percipias. Systole minus tactum ferit quam diastole: nam illa fit quasi sua sponte

Systole & diastole. in instrumentis.

1. Simpl. 19.

Quies arteria.

2. Praesag. puls. 8. *8. Phys. 8.* *1. Dif. pul 3.*

ab

ab ipsa carne : sed hæc fit violenter vibrante arteria.

Facultas. Deinde adiecimus Definitioni, hoc fieri A facultate vitali. Profecto ambo hi motus, nimirum distractionis & contractionis nascuntur vi facultatis pulsificæ quæ est in corde : imo nec à membri pondere alter, quin & vtraque quies hanc sui causam agnoscit. Si enim vtraque quies à facultate non dimanaret, subito postquam fusa distractaque foret arteria, concideret; iam facultate ea fraudata. Sed arteriæ partes insurgentes quieti repugnant : & facultas continendo arterias in quiete, hoc in munere laborat. itaque cunctæ pulsus partes aguntur facultatis vi : duo motus dico, & gemina quies. Facultas hæc vitalis non mouet quantum potest, sed quantum vsus necessitasque exigit. nam si facultas mediocris conetur plurimum, edet pulsum vehementem. ita non consectarium est, Est fortior pulsus temperato ; ergo virtus est robusta. quamuis vere dicas : Pulsus languet, quare & facultas titubat : nam fortis contentionem agnoscit.

Vsus & necessitas pulsus. Diximus vltimo in definitione : Quo natiuum calidum sua temperie fruatur. hic est Vsus & necessitas cur fiat pulsus. Nam id præstat pulsus cordi reliquisque membris, quod respiratio cerebro & thoraci, hoc est innati calidi conseruationem. ita in lipothymia pulsus fit crebrior, quia natura remedium quærit exhaustioni spirituum ; & odoribus recreatur. Omnis certe flamma ventilatione gaudet quadam, quæ temperat & purgat à fuligine. qui enim aërem calidum inspirant, suffocantur.

CAPVT II.

Quid maxime in pulsibus perpendendum, & vnde nascantur varij pulsus.

IN hac definitione meminimus trium rerum : nimirum instrumenti, quod est arteria ; facultatis vitalis, & vsus vel necessitatis. ex his causæ differentiæque pulsuum ducuntur. Nam pulsuum tot sunt differentiæ, quot sunt eorum vnde nascuntur causæ. Galenus vero in pulsu duplices causas agnoscit, continentes, & non continentes. Continentes appellat facultatem, instrumentum, & vsum. nam quæcumque harum tollatur, tollitur vna & pulsus. Reliquas cunctas causas asserit alteratione harum causarum pulsus mutare. verbi gratia, exercitatio non mutaret pulsum, si facultati, instrumento, aut vsui nullam mutationem adferret. ita fortissimus est pulsus medio veris : at in medio autumni est maxime languidus : & tunc iterum redintegratur vsque ad summum ver : hyeme & æstate media mediocres sunt : sed hyeme robustiores; æstate media celerrimus & creberrimus. idem de regionibus & ætatibus pronunciandum, & de animi perturbationibus, rebusque cæteris. recte Celsus, *Mille res facile pulsum turbant.* quare & Galenus iubet, vt bis pulsus explorentur manu, Sunt itaque causæ non continentes vel secundariæ pulsum immotantes, vt temperamentum, ætas, sexus, regio, animi affectus, anni tempus, cibus, potus, labor, vigiliæ; & morbus eiusue causa, & symptoma. Sed continentes vel primariæ causæ, proprios edunt pulsus. sicuti facultas robusta, pulsum vehementem : imbecilla, languidum : arteria dura, durum. Vsus auctus vel accisus, pro facultate emicante vel languente, aut vt arteria fuerit dura mollisve, varium proferet pulsum. Vt si facultas sit valida, & vsus actus, & arteria non dura, magni, longi, lati, alti, vehementes, molles, celeres & crebri prodeunt pulsus.

Auicen. Lib. 1. fen. 2. doct. 3. cap. 9.

Lib. 6. 1. De præs. ex pul. 4.

Efficiens itaque pulsus causa est facultas: instrumenta sunt arteriæ : hæ impetum facultatis sequuntur ; causa quæ facultatem irritat, est vsus & necessitas illius motus. Vltima hæc causa est omnium potentissima : cuius internæ causæ sunt (quibus pulsus mutatur) spirituum inopia, intemperies, aut aliena cordi substantia, quam elidere id nititur. Hæc, nimirum necessitas, vnica causa est, quæ facultatem concitat & impellit. Omnis autem necessitas ex affectione quæ extra naturæ lineam rapit proficiscitur : quam abigere à se conatur cor. externas, modo diximus. Auctus ergo pulsus est vsus, cum caloris est plus, aut spirituum animalium minus. imminutus, ex his aduersis. Auctus vsus amat magnitudinem pulsus, deinde celeritatem, vltimo frequentiam. nam natura optima semper studet vt eueniant. id vero optimum, quod propius naturæ finem assequitur. Constat autem cor alterari optime multo & ἀθρόως attracto aëre : propterea natura primo succurit aucto vsui magnitudine, dein celeritate, vltimo crebritate. Imminutus vsus, contra, contrarioque transigit ordine. nam illico deponit crebritatem : hinc celeritatem : vltimo magnitudinem hæc, vsque ad mediocritatem. Vsui itaque aucto debetur pulsus magnitudo, celeritas, crebritas. imminuto autem vsui paruitas, tarditas, raritas. nam exiguus, rarus, celer, haud scio an inueniatur. Vsus ergo & necessitas extimulat pulsificam cordis facultatem ad pulsandum, quæ tunc insurgens arterias vibrat. quare perpetuo ex necessitatis conditione feruntur pulsus, integra adhuc facultate, sequacibusque arteriis: alioqui peruerterent necessitatis significationem, nam amplæ arteriæ amplum ; angustæ paruum edunt pulsum; vt & si acta facultas. Hinc senum quorundam pulsus est vegetus : at quibusdam iuuenibus torpidus & fere euanidus. ita notanda quæ ab vsu aucto.

Ab vsu aucto.

Ab Instrumento. Quantum ad instrumentum, inde has differentias aucupabimur, ductas ab arteriæ diastole, quiete, & ordine. In primis notabimus quanta sit dilatatio arteriæ, in longitudine, latitudine, & altitudine. secundo, quam celeriter ea fiat. tertio, quanto tempore in quiete maneat. quarto, qua vehementia moueatur. quinto, qua duritie. sexto, proportionem diastoles & systoles, hoc est rhythmum notabimus. in his æqualitatem, & inæqualitatem : & in inæqualibus ordinem, eiusue peruersionem perlustrabimus. Duro pulsui (cum fundere se nequeat) familiaris est paruitas, tarditas moderata, & crebritas. Molli magnitudo, celeritas, & raritas. Arteriæ calorem omitto; qui sane illi non euenit, qua motu agitatur.

CAPVT III.

De Differentiis variis Pulsuum, maximeque iis quæ praclarum vsum habent.

PVlsuum tot vniuersim sunt ideæ, quot sunt causæ ex quibus illi nascuntur. Causæ vti diximus, tres sunt: facultas, instrumentum, & vsus. Facultas mouet; instrumenta mouentur; vsus est id, cuius gratia motus exercetur. Ergo à robore facultatis valido vel prostrato, fit pulsus vehemens, languidus, & mediocris. Ab instrumento, nimirum arteria, nascitur pulsus, durus, mollis, & mediocris. Cæterum quicquid mouetur, aut celeriter mouetur, aut tarde, aut mediocriter: ex hoc tempore nascitur pulsus celer, tardus, mediocris. Et quod mouetur, id fundit se aut in longitudinem, latitudinem, vel profunditatem. inde surgit pulsus magnus, si omni sese pandat dimensione: paruus contra, accisis his dimensionibus. Cum autem inter mouens & mobile semper inueniatur analogia, vel nulla proportio; æqualitas

Differentia. Gal. 1. De Diff. pul. 4.

æqualitas aut inæqualitas;ordo vel non; fit vt hinc aliæ ideæ surgant. Quarum prima, quæ à rhythmo oritur, quæ habet quid cum musicorum cõtemplatione commune. Secunda æqualis, vel inæqualis. Tertia ordinata, vel ordinis expers, Pulsus magnus est, qui & vehemens, & fortis. & validus dicitur, manum tangentis contentione valide feriens. Languidus, qui inualido impetu ferit. Medius, medio modo:non intente, non remisse.

Magnus. 3 Diff. puls. 5. Languidus

Durus, cum durior, ac quasi siccior, cotiique modo rigidior occurrit arteria. Mollis, cum mollior & quasi carnosa sentitur arteria. Mediocris medio modo se habet.

Durus 3. Diff. puls. 7 Mollis.

Celer est qui breui tempore motum suum finit: vel cum modico tempore arteria dilatatur. Tardus, cum multo. Mediocris, qui medio modo inter celerem & tardum fertur: vide Galenum *tertij De pulsuum dignotione primo.* Crebrum, rarum, mediocrem in his, sciens prætereo. nam cum nascatur ex quietis tempore, perfectius ex motu percipitur, qui iam in superiore est comprehensus.

Celer. 1 Diff. puls. 14. Tardus.

Creber.

Pulsus vero qui in omnibus dimensionibus æqualiter in statum præter naturam traducti sunt, duplici idea sese efferunt: est paruus, & magnus. Paruus, qui trina dimensione imminutus est. Magnus contra, qui vndequaque auctus est.

Paruus.

In omnibus autem dictis pulsuum generibus deprehendetur quoddam discrimen, quod in æqualitate, & inequalitate consistit. His tantum tribuit Herophilus, vt scribit Censorinus, adeo vt scripserit, venarum pulsus rhythmis musicis moueri. Æqualis pulsus est, qui in magnitudine, vel vehementia, vel celeritate, vel in reliquorum generum aliquo vel in omnibus par est. Inæqualis contra, qui impar vel dissimilis est consequenter Notantur hæc in vno pulsu, plurimis, vel omnibus inter se collatis. Horum plures sunt differentiæ: deficiens, intercidens, mutilus, caprizans bis pulsans, vndosus, vermiculans, hecticus, conuulsorius, turbulentus, serratus: ordinatus, inordinatus. In circuituum quidem paritate ordinatus, in omnimoda imparitate inordinatus. Sic quidam ordinatus est, qui in singulis periodis est æqualis. nam naturalis pulsus omnis, nec ordinatus, nec ordinis expers est, cum ordo in æquali eueniat. Inordinatus vero est, in quo nullus prorsus seruatur circuitus. Quapropter pulsus æqualis est omnino ordinatus, inæqualis autem ordinis expers est, vel eius capax.

Aequalis & inæqualis.

Ordinatus.

Hæc de frequentioribus, & quæ principatum tenent; pulsuum differentiis. Has fuse Galenus persecutus est libris quatuor: quos sequuntur alij libri De dignoscendis pulsibus, in quibus miram adhibuit diligentiam, vt ipse ait; quod difficile noscantur pulsus, quod tempus exigat longius, & tactu opus sit exercitato, ac singulari prudentia, atque exercitatione in dignotione. In pulsibus autem dignoscendis his opus est, vt recte noscantur. In primis, distentionis copia, qualitas & tempus motus, tum mouentis eam contentio facultatis; postea ipsius tunicæ, arteriæque flatus noscatur. Ad quorum absolutissimam cognitionem tota vita opus esse scribit Galenus. Alij quatuor libri sunt de causis; à quibus quisque pulsus generatur. Alij denique sunt De præcognitione ex pulsibus: medicis præ cæteris honoratissimi. quo fit, vt reliquas partes, horum nomine tractent, qui & à philosophis, qui naturam inuestigant, non plane negligi debẽt. Quare libri De pulsuum differentiis iuxta ad medicos & philosophos pertinent. Sed libri De dignoscendis pulsibus, & De præcognitione ex pulsibus, medicis sunt dicati; vt libri De causis pulsuum, philosophis.

Quibus opus ad dignotionem pulsuum

1 De pul. dignos.

Omissa igitur hic pulsuum cognitione, (quia hæc magis ex vsu, quam lectione cognoscitur) causas differentiarum pulsuum, quas supra retulimus, & eorum prædictiones perstringamus.

CAPVT IV.

De causis præcipuis cuiusque pulsus. &, ex iis, præsagiis. & Exercitatio de pulsibus in quibusdam morbis.

VEhemens pulsus à robore facultatis efficitur; nulla aliarum causarum renitente, vt vsu dissoluto, aut instrumenti duritie. Qui itaque moderato sunt habitu, temperie æqua, florenti ætate, in regione ac tempore anni temperatis, robustique qui sunt, & omni mœrore, motu, saturitate, metu vacui; hi pulsum vehementem omnes habent. Qui si moderate labores inierint, & modeste balneis vsi, & vino; aut si iræ æstu incanduerint; vel exercuerint se, vehementissimos pulsus edent. Iidem si implicentur synceræ tertianæ, aut qua alia feruente febre teneantur, vel diaria ex bubone, adustionibus, exercitiis, vehementissimos etiam pulsus habebunt. Itaque vehemens seu fortis, semper à facultatis robore fit: & quo fortior, eo facultatis amplius robur denotat. Moneo obseruationem huius pulsus in exercitatione medica maximum vsum habere. vos eos agnosceris comprimendo: nam maxime vehemens non facile opprimitur. Cum enim facili pressu pulsus opprimitur, malum.

Vehemens.

Languidus, perpetuo; & solus facultatis imbecillæ soboles est. Si quidem vehemens pulsus. omnibus causis ad sui generationem indiget. Languidum verò, sola imbecillitas efficit, qui à languore in vehementiam transit, virtute vitali exsplendescente, & ab imbecillitate vindicata. Robur sumit vel ex contentis corpore, vt succorum coctione, vel excretione, aut ira; vel ab externis, vt vino, cibo, exercitiis, & cæteris rebus quæ intemperiem emendant. Vires vero soluunt inedia, vigiliæ, vacuationes immodicæ, tristitia, curæ, dolores, & quicquid intemperiem inuehit: hinc ille languor.

Languidus.

Durus pulsus fit, ex instrumentorum duritie, quam refrigeratio immodica aut siccitas, aut tensio à phlegmone, aut conuulsio inducit. Statim vero duritiem etiam paruitas, & celeritas, nonnunquam etiam frequentia (pro magnitudine, propter vsum) sequitur: cum enim incanduit ab æstu cor, euentationis necessitas petit magnum pulsum, amplamque cordis & arteriarum dilatationem; quibus si durities arteriarum renitatur, tunc necessitas eam amplitudinem angustamque diductionem resarcit frequentia. non aliter atque apud Virgilium, cum Æneas magnis gressibus Troiam, quæ iam ab alto culmine ruebat, egrederetur, Ascanius sequitur patrem non passibus æquis: currebat enim, & geminabat sæpe passus suos ad patris gressum. Si igitur ægrum inuisas, quum prius non videris, isque febre teneatur, neque tamen supernum principium sit affectum: & cum redeas, pulsus durus esse videatur, is, dum abfuisti, aut gelidam aquam bibit, aut fructus autumnales ingessit frigidos. Mollis pulsus humidæ arteriæ comes est. Id faciunt cibi humidi, balnea, somnus longior, deliciæ; & morbi, vt lethargus, coma, hydrops.

Durus, & mollis.

Magnus pulsus fit; vbi vsus, qui calor est in corde exuperans, vrget, frigoris appetens, ac robore vitali valido, instrumentumque si obediens, & molle, vt extendatur in omnem partem. Aucto itaque cordis calore, primo fit magnus pulsus. Vbi vero nec magnitudo vsui sufficit, celeritas accedit. Si nec ita satis est, frequentiam assumit. Quare peculiares pulsus calori sunt, magnus, celer, creber; non tamen vt ei calorem comitentur perpetuo necesse est · postulant enim quo tales euadant, facultatem validam, atque instrumentum molle. Si enim infirma fuerit facultas, aut durum instrumentum, neque magni, neque celeres

Magnus, celer.

esse

eſſe poterunt: quod inſtrumentum, propter duritiem, aduerſus mouentem facultatem contumax ſit: illa vero attollere quatenus oportet arterias, per imbecillitatem impos eſt. Quare vt celer, vel magnus pulſus fiat, tria cauſarum genera conſpirent neceſſe eſt, vt nimirum vſus illorum generationis vrgeat, facultas valida ſit, molleſque arteriarum tunicæ, aot certe non rigidæ ſint. Cæterum augetur calor, aut ex cauſis naturalibus, vt ætate, temperie calida. aut ex non naturalibus, vt aëre, balneis, exercitiis, cibo, vino, medicamentis. aut à cauſis præter naturam, intemperie calidà, putredine humorum, ira, voluptate, mœſtitia, timore, dolore, ac morbis. Celer itaque pulſus in ſanis quidem, calidius temperamentum; in ægris, tum virium robur, tum caloris præter oaturam copiam, & neceſſitatem in corde refrigerij ampliorem, & inſtrumentorum mollitiem notat. Vbi enim robuſta facultas eſt, calorque in corde copioſior, inſtrumentumque obediens, vſuſque multus, tum, magnitudine pulſuum, vſui facultas ſatisfacit. At vbi magnitudine id præſtare non poteſt, mox celeritate ſuccurrere ſatagit. Celeritas itaque pulſuum, & vſus neceſſitatem auctam, & virium adhuc conſiſtens robur oſtendit.

Paruus. Paruus pulſus à contrariis magni fit cauſis, nimirum ob facultatis imbecillitatem, aut inſtrumenti duritiem, aut vſus neceſſitatem deficientem. Paruus & debilis pulſus leuem preſſionem quærit, alioqui latet. non aliter quam animalculum linteo incluſum, ni preſſeris leniter, non ſenties id moueri; ſi nimium, oppreſſeris: nam ſuperficiem non ferit debilis. Eaſdem ob cauſas fit

Tardus, & rarus. rarus & tardus pulſus. Cumque tardus ſimul cum paruo & remiſſo iungatur, ægri prope ad mortem accedunt. Nam natura quæ iam pridem refrigerata eſt, nec multum, nec ita celere refrigerium, ſed ex longis interuallis requirit. neceſſe etiam, vt facultas plus vel minus labefactata eſt, ita & pulſum ad paruitatem & tarditatem tranſire. Præterea comes contumaciæ arteriæ, dilationis neceſſario eſt tarditas & raritas.

Rhythmo æquales, & inæqu. Rhythmus ſi par æqualiſue ſit motu & quiete, probam totius temperiem monſtrat, quantum in ipſo eſt. Rhythmus mutatur, mutata magnitudine aut celeritate diaſtoles vel ſyſtoles. quod fit, creſcente huius potius vſu quam illius. vt in paroxyſmis febrium, vi fuliginis ſyſtoles creſcit vſus: fitque maior, ac celerior: interceptis quaſi orificiis arteriarum à fumis. In malis pulſibus æqualitas, naturæ firmitatem declarat, & ſpem pepaſmi adfert. Inæquales vero, vaſorum obſtructionem, & inſtromentorum oppreſſionem, aut humorum copiam, ad facultatem quidem collata ea, aut demum inæqualem intemperiem cordis arguunt. Æqualis itaque naturalis eſt: inæqualis autem graue malum denotat. Verum in inuaſionibus minus erit paruus: in incrementis deterior: magis in paroxyſmorum ſtatibus, ſed in declinationibus peſſimus.

Marcus. Deficiens. Deficiens pulſus eſt à facultate oppreſſa. extremum facultatis caſum ſignificat. minuitur ſenſim, dum euaneſcat. Dico, deficiens pulſus, ſi referatur ad noſtrum, qui foris eſt, tactum: nam membranæ quædam obiectæ ſunt arteriæ, & cutis, multis etiam locis adeps & caro; vnde non occultatur modo, ſed impeditur. Cum motus nuſquam ſentitur, ita vt nulla arteria videatur

Aſphyxia. moueri, aſphyxia eſt: quæ vere in corpus viuum nunquam cadit: perpetuo enim cor agitatur cum arteriis omnibus.

Intermittens. 2. Præſag. pulſ. 4. Intermittens pulſus eſt ab iiſdem cauſis. & quo quieſcit diutius, hoc periculoſius. Itaque, dicit Galenus, cum duorum pulſuum tempore quieſcit, haud ſcio an ſuperſtes quiſquam eſſe poſſit. at vnius ab intermiſſo pulſu, aut paulo amplius, euaſiſſe vidimus, maxime ſenes. Sed dices, imbecillitas accedat: periculoſius id erit. Reſpondemus; his euenit talis pulſus ex leui cauſa: quare in imbecillioribus, vt & his qui longa quetela fracti fuere, non ita periculoſe euenit. Quare iuuenibus intentant periculum intermittentes pulſus, dein pueris, minime ſenibus.

Vibratus. Vibratus pulſus videtur per partes à ſua ſede dimoueri toto corpore, vt ſolent virgæ vibratæ moueri. eſt durus. robur virium, & caloris copiam indicat, & interdum criſin in propinquo eſſe nunciat; & maxime criſin notat valide vibrans. Num bona criſis futura, coctio præſignificat, & vires.

Vndoſus & alius. Vndoſus, ſimilis vndis, eſt inæqualis in eadē dilatione ſecundū diuerſas partes; nā aliæ partes poſt alias dilatari incipiunt: eſt etiam mollis & magnus. Sudorē fere nunciat, eoque magis quo mollior, & non remiſſus. &, ſi alius in ipſum intercidit, firmiſſimum erit ſignum ſudoris: nam is ſemper excretionem ſignificat: cum vndoſo autem, aut cum magno, non duro tamen, iunctus, criticos ſudores indicat: cum vibrato vero, aut abſolute duro, potius menſtruas purgationes, aut hæmorrgagiam è naribus, aut ex hæmorrhoïdibus, aut ex perturbato ventre criſin nunciat. Quæ vero potius futura ſit excretio, ex aliis notis diſtingues. Vndoſus humidiora etiam vitia maxime ſequitur, & ex iis potiſſimum anaſarcam, & lethargum, & peripneumoniam.

Vermiculans & formicans. Cum vndoſus pulſus languidus fit, vermiculans efficitur. Et facile in formicantem tranſit, qui ſummam virium imbecillitatem indicat: nam omnium eſt languidiſſimus & minimus: proinde peſſimus, vt pote qui propriam virium infirmitatē, non ex plethora grauante, aut ex preſſu, aut obſtructione, obortam indicet.

Caprizans. Caprizans pulſus vltimam partem babet prima celeriorem: cordis inæqualem intemperiem, & validos eius affectus denotat. Nec tamen perpetuo notat Intemperiem, ſed interdum humorum copiam, obſtructionem, aut compreſſionem inſtrumentorum. Verum cum in pepaſmi tempus & ſigna incidit, criſim bonam nunciat.

Dicrotus. Dicrotus, ſeu bis pulſans, cum nimirum in quiete deberet eſſe arteria, alium interponit. fit ex magna cordis intemperie, arteriæque ob duritiem. nonnunquam ob humorum tum copiam, tum craſſitiem. cordis enim & arteriarum inæqualem intemperiem is pulſus conſequitur.

Hecticus. Hecticus autem proprie tabidis & emaciatis accidit.

Conuulſorius. Conuulſorius eſt exiguus, tenſus: fit à phlegmonoſo affectu cerebri; vt phreniticis, & comitialibus acutis: nam hi calentes adhuc moriuntur.

Turbulentus. Turbulentus pulſus fit, cum vſus, ſeu neceſſitas magnam ſublationem requirit, & facultas vitalis vti poteſt adhuc ſua functione; ſolum autem arteriæ corpus repugnat, quod præ duritie, in magnam diaſtolen ſuſtolli nequit, veluti in magnis phlegmonibus, obſtructionibuſque diuturnis.

Serratus. Serratus, phlegmones, & maxime neruoſarum partium, comes eſt. Quapropter pleuritidi familiaris eſt. Reliquas pulſuum differentias prudens omitto.

Sed anne pulſus ordinatus certius prædicit quam inordinatus? Ordo fixam veluti quandam cauſam, & perpetuam quodammodo videtur indicare. Et propterea concludit ita Galenus; ordinis perturbatio nihil certi habet: neque tale, quale ordo, vel bonum vel malum. *2. Præſag. pulſ. 13. in fine.* Inordinatus eſt cum periodus nulla adeſt certa, ſed ordo ille continuus interturbatur. vt ſi inter duos paruos, magnus intertextat ſe; interve frequentes, rari; aut languidos inter, vehementes. Inordinati cum probis pulſibus, vt magni, celeres, ſalutem: Ordinati parui & languidi, perniciem denotant. nam ordinatus pulſus peſſimus eſt, inordinatoque malo deterior. Ordo ergo ex ſe neque bonum nec malum ægnificat. ſed bonos pulſus, meliores; malos, deteriores facit. Fiunt inordinati ex ſuccorum copia, infarctu, languida à vi vitali.

Exercitatio. Et hæc quamuis ſatis ſint de præcognitione ex pulſibus, breuem tamen exercitatiunculam ſubnecto. Carpi

arteria

arteria quia recto filo fluit, maximeque nudatur, cunctis aliis rectius examinatur. Auicenna & Rases ad duodecimum pulſum, quod minimum ſit, malum hærere volunt: alij ad vigeſimũ quartum, primumque dextri, mox ſiniſtri carpi tentandum. Id aget manũ ſupenia, media interdum, aut comprimeote. Ægri manus ocium agat, molliter inflexa, nec vinculo intercepta. Et proponat ſibi perpetuo mediocrem pulſum inſtar regulæ; huic conferat præſentem; & ad ſingula temperamenta, ætates, morbos, anni tempora, cumque cunctis non naturalibus rebus hunc committat. & num in procinctu ſit criſis, cogitandum. Et quia præceps ad ægrum ingreſſus turbat, non ilico iniiciat manum carpo; ſed potius vrinam rimetur: inde pulſum. Si cor tentetur calore, conceperitve quid cuius impatiens eſt vel denique à ſpirituum exhauſtu ſi laborarit, crebrum edet pulſum; ſi ille non ſatisfacit, accedet celer; ſi nec ille ſuffecerit, iunget ſe magnus vehemenſque: integra modò fuerit facultas, idque admiſerit arteria & habitus corporis. Ita febris, qua febris, edit pulſum magnum, celerem, & crebrum. à calore enim auctus eſt viu; quare, eam in magnitudinem inſurgere decet: qui ſi non ſit par neceſſitati, celeritatem conſociabit. nonnunquam ſola crebritas aderit, ob facultatis languorem, & arteriæ duritiem. Putridis febribus communis eſt pulſus inæqualis, in eadem diaſtole ſub eodem digito: nam videtur arteria non dilatari, ſed ſubſilire: nam diaſtole in initio & fine velocior eſt; medium vero diaſtoles tardius: vt colligimus exprimi *ad Glauconem ſexto, & quarti De cauſis pulſuũ decimoquarto.* Tertianæ habent pulſus maximos, celerrimos, creberrimos quotidianę, minimos. quartanę, rariſſimos; celeritate vtrique harum pares. Intermittentes eoſdem fere pulſus edunt; cum ſunt in paroxyſmorum vigore. at in eorum initiis, contrarios. nam tertianæ, pulſus minores edunt ineunte paroxyſmo, quam quartanæ: quia à rigore, qui oboritur ineunte tertianæ paroxyſmo, maior fit compreſſio, quam à frigore aut horrore. Poſt tertianam, quartana; poſt hanc, quotidiana. Vſque ad vigorem pedetentim mutantur pulſus: à minoribus, rarioribus, tardioribus abeunt in contrarios; & tertianæ cito hoc faciunt. Inflammationibus cunctis eueniunt pulſus magni: ſed pro ratione obſeſſi membri, & cauſæ morbificæ. Facultas debilis, & durities detrahuot magnitudini pulſus. Omnis affectus ſoporoſus habet pulſum rarum. Conuulſis tremit pulſus, vt lyræ fides plurimum tentæ. Dolore ineunte primo, eduntur pulſus vehementes; maiores, celeres, crebri: augetur enim vſus, exhauſta vi animali: itaque integra adhuc vitalis hanc conatur redintegrare. tandem facultate vitali debilitata, fit minor, celer tamen & creber: creſcitque crebritas, decreſcente celeritate à languore. Amor non eſt affectus iraſcibilis, ſed appetitus: paſſio vero in corde: propterea non habet proprium pulſum. ſed vt affert cordi perturbationes, metum, mœſtitiam, gaudium, iram, ſpem, deſperationem, furorem: quibus varie amantem inuadentibus, in polydædalam ideam vt commigret pulſus, cogere ſolent. Quare ſi coniectura quædam alia firmet amorem, ex hac varietate (quam nullus cæterorum affectuum redolet) amor deprehendi poterit. Amori tamen peculiaris pulſus, quem amatorium vocant, nullus eſt.

Febrium pulſus. — *Putridarum.* — *Phlegmones.* — *Soporoſi.* — *Doloris.* — *Amoris.*

Hæc maxime in medicina facienda vſum habere poterunt: qui prolixe de his peruestigare velit, in ampliſſimum, apud Galenum, campum de pulſibus ſe effundat: vel doctiſſimum Fernelij de his librum examinet. properantibus ad medicam exercitationem me his ſatis feciſſe exiſtimo, quæ maxime obſeruabilia ſunt proditis.

CAPVT V.

De Reſpiratione.

IN corde, quod rapido quodam ab æſtu flagat, prouidentia diuina rerum gubernatrix facultatem pulſificam poſuit, quo à rapto aëre recrearetur calidum ibi ſtabulans. quod fit arteriarum beneficio, & pectoris flabello. arteriis dicatus fuit pulſus; pectori reſpiratio. Reſpiratio adeo vitæ eſt neceſſaria, vt eius fructu carere ad tempus aliquod nequeat. Cum eiuſdem vſus cauſa reſpiratio & pulſus dati ſint animantibus, iure pulſibus reſpirationem ſubnectimus. hoc ſolum differunt, quod hic extra arbitrij noſtri poteſtatem, illa fere libera ſit. Differunt in inſtrumento, numero motuum, & facultate; in vſu & fine conueniunt. Differunt dico inſtrumento, vt thorace, & arteria. in numero motuum, nam quinquies fere pulſat cor, interuallo vnius reſpirationis. facultate, nam reſpiratio, eſt facultatis animalis. Operatio vtraque conuenit in vſu & fine: quæ enim vſum mutant, vtraſque operationes mutant, vt exercitatio, febris, vigiliæ: niſi tamen quid impediat; vt liberalior paſtus magnum facit pulſum, ob auctum vſum: ſed, preſſo diaphragmate, thorax frequentia vſum compenſat. Igitur non ſubeunt ſimilem mutationem, cum inſtrumentum aut facultas mutatur. A ſummo enim rerum opifice Deo tributum eſt cunctis animantibus viuifica quædam vis, ne ipſa viuacitas ante diem deficeret Hæc manſionem habet in vitali principio, in quo habitat ν' αἰμῶν's hoc eſt, *nectar viuificum*, quod in ſanguine & ſpiritu continetur, vitæ conſeruator. quod nutricatu & reſpiratione perennem ſui generationem obtinet. Iam de reſpiratione.

Gal. 1. De motu muſcu. 6.

Reſpiratio, ἀναπνοὴ Græcis, eſt motus quo aërem frigidum ducimus, aut fuliginem excludimus: ad temperandum, nutriendum, & expurgandum calorem natiuum cordis. Eſt hæc actio partim iuſſa κατὰ προαίρεσιν, partim iniuſſa καθ' ὁρμὴν, hoc eſt, quando nulla ſponte noſtra, ſed tantũ ſua, reſpiratio ſuſcipitur & abſoluitur: nam neceſſitas ſpirandi, neruos muſculoſq; excitat ad functionẽ nam actio reſpirãdi eſt animalis; vſus verò eſt naturalis. Ita actio muſculorũ thoracis, in vigilantibus eſt voluntaria, ab electione: in dormiẽtibus vero eſt ab diſtinctu. nam dormientes voluntate exuuntur, quæ ab electione; inſtinctu tamen reſpiramus, ob neceſſitatem quę neruos impellit. Hæc volucrum, pecudum, atque hominum communis eſt, omnium denique vocalium animantium. * Nam ἔντομα * ſolam διαπνοὴν ducunt; quod hæc modico eorum calori ſatis ſit. vt & præfocatis ab vtero mulieribus euenit quæ à circumfuſo aëre, ſine reſpiratione, ad tempus viuunt: ablato reſpirandi vſu à venenata ſeminis aura, donec hanc excluſerit & ad ſe redierint. Ita & omnia genera gentis ſquamigeræ, quæ in mari veliferas circumnant puppes, viuunt. Recte Theophraſtus, & ante eum Plato, * ὅμοιον ὁμοίῳ ἀσπάσιον ἐστι. quare quibus ſpiritus aëtij, iis aër materia eſt ad reſpirationem: quibus aquei, aqua. Sed in aërea ſpiratione polydædalæ ſunt ideæ. vt enim aues tenuiſſimo fruuntur aëre: ita terreſtria paulo craſſiore: craſſiſſimo vero hypogæa. Temperatiſſimus autem aër, optime æthereos cordis ſpiritus inſtaurat; impurus vero eos inquinat. Quare reſpirationis cauſæ finales à Deo inſtitutæ hæ ſunt, temperatio, refectio & purgatio, caloris, qui in ſiniſtro ſinu habitat cordis: & vtriuſque ſpiritus inſtauratio, vitalis & animalis.

Reſpiratio quid.

** inſecta.*
** tranſpirationem. Plu. 9. Lib 7.*
Gal. De fœtus for. 9. & 6. vſu Part. 9.
Ar. 4. De Part. 13. duliſtant.
** Omnia ſimilibus gaudent.*

Conſtat reſpiratio duobus ex contrariis motibus, exſpiratione & inſpiratione. quos intercurrat quies quædam neceſſe eſt.

Cauſa reſpirationis & differentia.

Huius functionis, nimirum reſpirationis, in vni-

uersum sunt vsus tres, totidemque instrumenta, & causa efficiens simplex vna. Vsus tres, nimirum, caloris temperatio, spirituum nutritio, & fuliginis exclusio. Instrumenta triplicia, mouentia, deducentia, & excipientia. vt larynx & aspera arteria, quæ deducunt aërem: pulmones, qui excipiunt: & thorax mouendo. Causa efficiens vna est, voluntas: hæc est simplex, attamen distincta: nam est tum ab electione, tum ab instinctu. quæ in vigilantibus, mouet musculos ab electione; in dormientibus, ab instinctu: ita dormientibus, voluntas perit, quæ ab electione; instinctu tamen respiramus: & tanta tunc adest necessitas respirandi, quæ vim neruorum excitet.

Iam hinc differentias ducamus. In hac animæ functione primo habenda est ratio materiæ, quæ introducitur & expellitur. dein motus, & quietis. tertio partis quæ mouetur. ex his differentiæ respirationum ducuntur. A materia, vt calida, frigidaque respiratio. A motu; nam vel est respiratio celeris, media, vel alterius motus. A quiete; frequens, rara, mediocris. A parte: vt thoracis à dilatatione, & contractione, dicitur magna vel parua respiratio.

Symmetria respirationis, ad quam omnis alia respiratio examinanda.

Ergo illa demum respitatio moderata habebitur, quæ in peculiari cuiusque temperie, prout intensior vel remissior eius erit vsus, mediocritatem ostendit motus, quietis, expansionis, & materiæ ipsius spirabilis: & in qua sani homines nullo modo à se mutari videntur: in qua nihil nimis; quæque omni defectu caret. Hæc Canon est cæterarum omnium quæ à symmetria deficiunt. vt autem vnica est symmetria, ita secessionum genus multiplex, tum in excessu, tum in inopia. At sane tot esse necesse est, quot sunt ex quibus respirationis contexitur œconomia: in quibus gemina erit à symmetria defectio; vna, plus æquo; altera, minus. Velocitas enim & tardiras motus, à symmetro defectionem ostendit: raritas & frequentia, quietis: magnitudo & paruitas, inspirationis & expirationis: copia & paucitas, materiæ inspirabilis & expirabilis, cum frigore aut calore.

Omitto lubenter à prædictis rebus accuratas diuisiones, quas alij satis prolixè: ego quæ vsum maximum habent prosequor lubenter: ac ad elephantos colli-neo; pulicum pedes relinquo in tam vasta arte, in qua etiam cuncta magna nouisse vsuique commoda multum est. rectè Æschylus, * ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, οὐχ ὁ πολλ' εἰδὼς, σοφός. Quæ omnia summus medicinæ præceptor paucis expressit; cuius sententiam paraphrasticè aperuisse hic suffecerit. Ait, Πνεύματα σμικρά, μεγάλα· πυκνά, ἀραιά· εἴσω σμικρὰ ἔξω μεγάλα· εἴσω μεγάλα, ἔξω σμικρά· τὸ μὲν ἐκτεῖνον, τὸ δὲ κατεπεῖγον. διπλῆ εἴσω ἐπανάκλησις, οἷον ἐπιπνέουσι· θερμόν, ψυχρόν. Quod est: *Spirationes parua, magna: frequentes, rara: intro parua, foras magna: intro magna, foras parua: porducta: offensans: bis intro renocata: calida, frigida.* Præclarè vero harum vim interpretatur 1. Progn. aph. 17. vbi in hanc sententiam scribit, *Respiratio crebra si fuerit, dolorem significat.* hoc explicans in Coacis ait, *Respiratio frequens & parua, inflammationem, & dolorem oppressionémque denunciat partium spirabilium.* Ab inflammato nimirum thorace pulmonum, vel diaphragmatis. in his vsus adest: ideoque cum magnitudo adesse non possit, ea compensatur frequentia. ita asthma significatur à parua frequentique respiratione: talis etiam in grauidatis, hydropicis, saturis nimium, ventricosis, orthopnœicis à crassa materia, obstructis pulmonibus, pleuriticis, empyis. Si huic frequentiori ac citatiori superuenerit * μανόπνοον πνεῦμα, cum primo ab æstu feruido incandesceret cor, huius vacationem ostendet, nunc rarior facta cum libertate instrumentorum, laryngis, pulmonum, atque thoracis. Frequentior itaque spiratio denunciat

** qui vtilia nouit, non qui multa nouit, sapiens.*
6. Epid. 2. 10. Hippocratica.
Frequens & parua.
** rarior spiratio.*

imparem necessitati commoditatem: cum calori amplitudo spirationis respondere nequit, eius necessitas frequentia compensatur. Parua autem spiratio fit ab inchoata explicatione & collectione thoracis, indigna respirandi vsui. est enim paruitas, defectio respirationis à symmetria quantitatis: quemadmodum frequentia, in breuitate quietis, aut etiam ferè nulla. *Frequens* ergo *respiratio*, ait Hippocrates, *dolorem significat, aut æstum siue incendium in partibus diaphragmate superioribus*, hoc est cordis vel pulmonum, si magna & frequens fuerit spiratio: nam sola magna spiratio hic non satisfacit.

Parua & frequens.
1. Prog. 15.

Qua vero magna est respiratio (expanso nimirum thorace in longum, altum & latum:) *quaque ex longis internallis*, hoc est rara; quæ scilicet opponitur frequenti & paruæ; *delirium significat.* Ex cuius magnitudine significatio fit integrorum organorum respirationi dicatorum, mouentium, deducentium, & excipientium. mouentium quidem, quia thorax non est contumax: deducentium, quia aspera arteria & larynx sunt ab infarctu libera: excipientium, quia pulmones non sunt obsessi. Sed quia raro spirant in pernecessario respirationis vsu (si febris adsit ardens) ex ea negligentia deprauatam esse actionem mentis, qua ab instinctu & electione voluntas dirigitur, significatio affertur. Voluntas tunc ergo in vitio est, & sui immemor. vt in Philisco, Sileno, Dromeadæ vxore. Longis ex interuallis magna respiratio (per febres acutas) propria est delirij. Non tamen si quis delirat, necessario magnum & rarum spirat: nam proprium, attamen separabile, delitis hoc esse dicimus: vt in Pythone, & in vxore Dealcis, quæ breuispira, & tardispita interdum erat. quam βραχύπνουν vocat: & in Anaxione. Delirantes raritatem spirandi addunt magnitudini; quod eorum deprauata voluntas, vsus necessarij rationem non habeat, cum integra sint respirationi dicata organa. altum enim spirat, partium spirabilium obedientia: rarum, dementia. Delirantis voluntas non ante memor fit functionis, quam acrior sensio excitata fuerit in phantasia, vrgente necessitate. Simpliciter autem magnam respirationem edit partium spirabilium obedientia. Magna & frequens, est cordis incendio conflagrantis.

Magna & rara.
3. Epid. 3.
Magna.

Frigidus autem spiritus, inquit Hippocrates, *qui è naribus & ore efflatur, valde est funestus.* nam extincto natiuo calido in corde, mortem in propinquo esse significat in febribus acutis: nam in longarum paroxysmis nihil monstri gerit. Hæc spiratio est parua & rara: nam magna & frequens est calida, cum fiat à calore, in instrumentis respirationis concepto & aucto. Quare rara parua illa, iamiam moriturum ægrum significat. ita scribit Pindarus Pollucem deprehendisse Castora, à Lynceo & Ida vulneratum ac iam moribundum: ἄσθματι δὲ φλέγοντ' ἀμπνοὰς ἔχε. quod est, *sed anhelatione rigentes respirationes habentem inuenit.* Ita magna & rara spiratio per febres acutas, in paruam & raram degenerat, naturæ defraudatione. quod vxori Dealcis euenit, quæ βραχύπνοος interiit. & Pythion secundo die fuit βραχύπνοος: paulo post edidit πνεῦμα μινυθῶδες, respirationem minutulam, quæ breui interitu finem habuit. Frigidum spiritum sentimus ab ore prodeuntem: & est paruus, nam vsus abest; & rarus est, ob fuliginis inopiam, & effœtam vim animalem.

Frigida quæ, & parua rara que.
Nem. ode 10.

Calamitosum est etiam Hippocratis πνεῦμα πυρῶδες, καὶ λιγνυῶδες, hoc est, *spiritus æstuosus & fumidus per febres acutas.* fundit enim retorridum excrementum talis efflatio, vnde metus suffocationis à prægrandi æstu pulmonum, & fuliginum copia quam peperit cordis impuritas. minus tamen funestus hic est spiritus, quam frigidus.

Calida.

Magna

De inæquali in vna respiratione.

Magna vero foras spiratio, ait Hippocrates, *intro parua, pessima est*, & morti propinqua, in acutis febribus. hæc fit ex copia fuliginis quæ excludi debet, vnde imminet suffocationis metus. *Et contra*, inquit, *foras parua, intro magna, pessima etiam morique vicina*. Flagrante corde ab incredibili incendio, vnde necessitas spirandi. non tamen hic tam præcipiti lapsu ab alto culmine ruit vita, ac vbi quis paruum, rarum, ac frigidum spirat.

Lethale scribit Hippocrates habendum πνεῦμα ἐκτεῖνον, καὶ κατεπεῖγον, hoc est, *spirationem productam tardamque, & properatam offensantemque*; quæ scilicet cernitur in lenta inspiratione, & cita expiratione: resolutis musculis inspirabilibus ab effœta vi animali, vnde non satisfit necessitati. Sed vnde cita expiratio? ex contentione musculorum expirabilium, auxiliantibus intercostalibus, metu suffocationis à te molesta, quam excludere nituntur.

Duplex reuocatio spirationis.

[1] Inter lethalia πνεύματα recenset Hippocrates ἀμαυρὸν, hoc est, *obscuram spirationem*: quæ ab exolutis spiritibus vitalibus, extinctionéque caloris natiui. Ad hanc funestam calamitatem etiã viam inuenit καὶ διπλῆ εἴσω ἐπανάκλησις, οἷον ἐπισπῶσι: quod est, *duplex intro reuocatio, qualis cernitur in iis qui superinspirant*, hoc fit vbi inter spirandum spiritus interrumpitur, iterataque spiratio apparet, vt cernere est in pueris, qui plorando respirationem interrumpunt & duplicant. conuulsionis argumenta gerit talis respiratio. nominatur hæc difficilis respiratio πνεῦμα μετέωρον.

4 Aph. 68. 6 Prog. 17.

Et tandem pulcherrimam Hippocrates decisionem addit, vbi εὔπνοιαν (quam primum δύσπνοιαν explicauerat) interpretatur. vt redintegratio à medico fiat eorum, quæ à natura excidere. Εὔπνοιαν δὲ χρὴ νομίζειν κάρτα μεγάλην δύναμιν ἔχειν ἐς σωτηρίην ἐν ἅπασι τοῖσιν ὀξέσι νοσήμασιν, ὁκόσα ξὺν πυρετοῖσίν ἐστι καὶ ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι κρίνεται, hoc est: *At vero spirandi facilitatem*, (quæ voto cordis respondet in vsu respirandi per febres acutas. Si nimirum respiratio magna sit & libera in dilatatinoe: mediocris in motu, quiete, & materia quæ expiratur. etenim spirandi facilitas est, cum ducitur spiritus ex facili, in qua omnia mediocria sunt, in thoracis dilatatione & contractione: motus celeritate & tarditate: quietis frequentia & raritate: in materiæ calore & frigiditate. hæc significationem adferunt spirabilia instrumenta esse integra, & voluntatem.) hanc, inquit, spirandi facilitatem, *scire licet præclare facere ad salutem*: (vt causa, & vt signum: nam spirandi libertate calor cordis ventilatur, temperatur, & nutritur. vt signum; significat enim, instrumenta singula, œconomiæ respiratoriæ dicata. integra esse: nec dolorem adesse in thorace: tum calorem frigusque abesse, nec in pertibus, à quibus in contagionem trahitur thorax, vt in iecore, liene, ventriculo, diaphragmate, vitiùm hærere.) & hoc, inquit Hippocrates, *in omnibus acutis morbis, tum iis qui cum febribus sunt*: (vt in peripneumooia, phrenitide, iisque qui intra dies quatuordecim iudicantur, siue febres fuerint essentiales, siue symptomaticæ) *tum*, ait, *in iis qui intra dies quadraginta iudicantur*. vt quæ febres ἐκμεταπτώσεως, hoc est, ex degeneratione, retinent acutarum nomen: quod nomen amiserunt, cum integram non subierint crisin. Itaque respiratio. spiritus œconomiam bene aut male moratam esse testatur in vsu, voluntate, & actionibus partium spirabilium. Memores sitis respirationem ex lege naturæ mutari, ætate, temperie, & tempore.

INSTITVTIONVM MEDICINÆ
LIBER VNDECIMVS
De Prognosi.

CAPVT I.

De vtilitate Prognoseos. ordo in his tenendus. Signum quid: & eorum differentiæ triplices, maximeque de Phænomenis triplicibus: & de vi primæ speciei eorum, quæ De signis coctionis & cruditatis.

Sensim ad medicam exercitationem ducit nos filum hoc quod trahimus artis. Hactenus rerum naturalium, non naturalium, & quæ præter naturam historiam enarrauimus: superest, vt ad vsum quo modo hæc flecti debeant doceamus, tum ad præsagiendum, tum ad sanandum. Primo de præsensione, dein de modo, quo, ad ægrorum solatium, hæc in theatrum proferat medicum. Frustra profecto ad sanandum cura suscipitur, si nescias qui morbi sint redintegrabiles, quiue calamitosi. &, si curabiles, quibus temporibus tentari remediis oporteat, quibusque rursus induciæ concedendæ: nam in his tota tecmarsis habitat medica. hoc dicent Crises & signa. Ab omni sæculorum æuo maximam laudem hæc medicinæ pars habuit, vt quæ τὸν καιρὸν medendi obseruare docuit, in quo sane tota medicinæ vis fulget. Hunc si nescias, ex curabilibus, fere incurabiles facies morbos: si noueris, insanabiles iamiam futuros facillimè sæpeque sanabis. ita est, *Data tempore prosunt, Et data non apto tempore vina nocent*. Docuit Hippocrates, inter cuncta cerealia cibaria optimam esse ptisanam in morbis acutis: demonstrat tamen ille medicinæ dictator, * non κατὰ καιρὸν datam, venenum esse, & mortis consequutionem adferre. Ea huius medicinæ partis est diuinitas, isque splendor, vt summo honore medicum, qui eam callet, afficiat. Profecto si quid est scripti, quod nobilem illam famam summo præceptori peperit, hæc illa fuit. hanc cum obnixe veteres sapientia celebres viri, tum diuino quodam euentu Hippocrates excoluit: vt recte de eo dicas, quod de Chalcante Homerus, * ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα vel id, quod de Proteo Virgilius, *Nouit namque omnia vates, Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahentur*. Cur veteres tanto studio hæc dixi. cætera exigis? hæc cum morborum causarumque morbificarum vim, tum corporum robor & languorem nobis aperiunt: & quantum hæc triumphentur vel triumphent ostendunt: vnde intelligimus num adsit spes salutis, & num confertim aut lente soluendus sit morbus, qua via, die, hora: & quando iure locoque nutricatui vel pharmaciæ studendum. Propterea Celsus scripsit, se velle Hippocratem imitari, cuius curationem licet recentiores mutauerint, *Tamen*, inquit, *hunc ipsum optime præsagisse fatentur*. Ita profecto est. nunquam mutandorum & inueniendorum remediorum finis erit: polydędala natura, hominumque ingenia in his ludunt. At instrumentorum varietas artificem non facit: nec si mihi selectissima aurifabrorum organa forent, aurifaber essem: sed dexter eorum vsus artificem probaret. Recte olim Herophilus, remedia nihil esse, & manum dei esse nam nullus morbus est idem omnibus, nec vllum remedij genus eandem vim habet in singulis. Totam encheiresin præsentiendi in scriptis suis reliquit Hippocrates. sed quis legit hæc? *cessere magistri. Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus*. Nos hoc vndecimo libro, nitemur viam aperire ad vberrimum illum præsagiendi magistrum.

Vtilitas. *1. Acu. 18.* * *importune* *Iliad. 2.* * *quod est: qui sciebat & præsentia, & futura, & præterita.* *4. Georg.* *2. lib. in principio.* *4. Georg.*

Vt rem exordiamur; præsentiendi prædicendique scientiam, (maxime in morbis acutis, periculique plenis,) ex signis pepasmi & cruditatis, & ex specie ac tempore futuræ crisis, eorumque euentuum vi quæ in corporis mutato colore, charactere & mole enitescunt explorata, vberrime discemus. hæc monstrabant signa.

Ordo tenendus. Præterea ad crisium tempus præsentiendum, maxime necessaria est summi vigoris in quoque morbo futuri præsagitio. primo de signis pepasmi & cruditatis: dein de morbi temporibus, maximeque de vigore agam, vt ille futurus noscatur: ni enim ille compertus fuerit, crisis tempus præcognoscere non poterimus. dein de crisis tempore & specie & quæ eo spectant: & de signis salutis & mortis. Ita, Summo Deo Optimo Maximo annuente, in his transigam, vt planissimam viam ad vberrima illa Hippocratis *Prognostica aperiam.*

Signa & quid sit signum. Signorum differentia. In acutis periculique subiti plenis morbis quidnam euenturum sit, ex signis Tecmeriis, hoc est syllogisticis (quibus positis, ac sensibus expositis, necessario quædam his consectaria intelliguntur) præsentimus. Signis triplicibus omnis præsensio aperitur. quædam sunt Pathognomonica, alia Epigenomena, tertio sunt Epiphænomena.

Pathognomonica. Pathognomonica speciem differentiamque & magnitudinem morbi denotant. nam hæc necessario sunt morborum consectaria, & omni soli que eiusmodi morbo, & semper. vt lateris punctorius dolor, difficilis respiratio tussis, & acuta febris pleuritidi perpetuo adsunt.

Epigenomena, morem etiam morbi, vt & epiphænomena, denunciant. hæc non perpetuo consociant se morbis: vt delirium in pleuritide. *ἐπιγένεσις quid.* ἐπιγένεσις, hoc est propagatio, hanc indolem, habet vt vtroque malo & vtriusque foco superstite, propagatio fiat vnius mali ad alterum, quod est ἐπιγίνεσθαι. *Lib. περὶ χυμῶν.* vt si melancholia in epilepsiā abeat: melancholia superstes remanet, humoremque melancholicum gignet epilepsiæ. Epigenesi sanget malis ægrū. de his ita Hippocrates, Τῶν νοσημάτων ὅ, τι ἂν ἕτερον ἐφ' ἑτέρῳ γίνηται, ὡς τὰ πολλὰ ἀποκτείνει. quod est, *Quorum morborum alter superuenit alteri, maximam ille partem interimit.* Nam cum infirmo iam corpore, maleficentia morbi præsentis, alter morbus incidit, prius ab imbecillitate moritur, quam morbus noue adueniens, cursum suum confecerit. nam nulla epigenesis deducit causam morbifici, sed maiorem subesse denotat: vnde nec leuationem primigenij morbi à quo enascitur, adfert, nec incidit nisi in magnas affectiones, & metu exterret sinistri iudicij, & per sympathiam semper euenit. Quare notent studiosi epigenesin differre à metaptosi. *Metaptosis.* metaptosis enim fit, cum humor relicto priore foco in aliam partem deuehitur; suscitaturque geminis modis, aut per diadochen. aut per metastasin. diadoche fit bonis ægri rebus; cum morbifica materia, à nobili parte in ignobilem, superne deorsum, intus foras, & procul à morbi foco excluditur. metastasis ex aduerso euenit, non sine periculo.

Epiphænomena. Tertio loco erant signa Epiphænomena, cum quibus nobis hic maxime negocium est. hæc maxime morem morbi loquuntur. illa prognosis quæ ducitur ἐκ τῶν ἐπιφαινομένων nunquam fere fallit. Apparent hæc triplici idea ac facultate, ad coctionem vel cruditatem, salutem aut mortem, & ad tempus aut speciem futuræ crisis. *Coctionis & cruditatis.* Ad coctionem cruditatémue quæ elucent, denunciant breuitatem, ac prolixitatem morbi: vnde etiam salutem vel mortem, & tempus crisis. Hippocrates horum efficaciam explicat in vrinis, deiectionibus & expectorato: in venosis, aluinis, ac thoracicis morbis conspicua. Hæc signa quocumque morbi tempore se in conspectum dederint, certam significationem præbent: coctio, ad salutem ac morbi euictionem: cruditas, mala semper, acrisian, diuturnitatem morbi, eiusue recidiuam, aut mortem præsagit. nam de bonis nunquam auguria mala sunt: neque de malis, bona. Fugax tamen coctio mala, ex collapsa virtute coquendi, vel de succi morbifici succrescentis perennitate. & particularis coctio frustra suscipitur in cruditate vniuersalium excrementorum. ita scripsit Hippocrates in parotidibus vrinas, modo pepasmi participes, modo expertes, pestiferas esse. cruditatis vero quando firma mutatio est in pepasmum, bene res eunt. Exemplo sit apud Hippocratem secundo Prognosticon vrina, deiectio, expectoratum. *Exemplum coctionis & cruditatis. Aph. 11.* de vrina ex eius sententia egi libro nono: quare iam paucis eius sententiam aperiamus de deiectionibus, & expectoratis. *Deiectio*, inquit, *saluberrima est* (nam est indicium bene moratæ beneque constitutæ naturalis œconomiæ in coquendo, distribuendo & excernendo; & vacuitatis phlegmones vicinarum ventri partium.) *mollis* (nam indurata fit ex hepatis venarumque maiorum ardore. nisi tamen ex ciborum qualitate hæc eueniant.) *& figurata.* (vt non sit adeo mollis vt fluctuet: sed vt suo termino definiatur.) *quæ eodem tempore, quo sano olim fertur.* (nam æquale ab eadem alteratum facultate, æqualia copia, similia qualitate excrementa gignit, pari tempore colligit, eodemque temporis tractu excernit. vnde intelligimus trium facultatum aluinarum robur restibile in coquendo, retinendo, & expellendo.) *Copia vero, si iis quæ ingesta sunt analogia respondet:* si enim accisa fuerit copia, iecoris nimiam prolectationem, aut distributionis vehementiam significabit: si vberior fuerit deiectio, distributionis interceptæ significatio adferetur. *Aph. 12.* *Quod si, ait, liquida fuerit deiectio, consentaneum est ipsam neque stridere* (nam id flatus arguit calorisque languorem, vel acerrimum indomitumque succum) *neque etiam crebro & paucum secedere*: id enim extimulatæ facultatis retentricis vel ferocioris succi symbolum: & nihil paucum est criticum, nec quod frequentem erethismum procreat. Quare, ex contraria ratione, Si liquida sit deiectio sine stridore, sitque multa & rara, sine graueolentia; talis apparebit ad salutem in morbis ventris. proprium enim eius est signum. *Signorum dignitas.* Quare signa recte suis causis accommodentur: vt si capitis in affectibus eadem deprehendas quæ in aluinis, non ita salutaria erunt: nisi enim signa propria se vna consociauerint salutaria, nihil de salute inde sperare poteris. pluris enim faciendum est vnum signum proprium malum, quam decem communia bona. *Aph. 13.* *Sin vero*, inquit Hippocrates, *sæpe & multum aluus feratur, in deliquij animi periculo erit.* nam plurimum & repente vacuare, periculi plenum. Rara igitur & accumulata deiectio, laudabilis erit: nam est critica. *Aph. 14.* *Ceterum*, ait, *alui excrementum debet crassius fieri*, (si scilicet ab initio eliquata fuerit aluus. alioqui, vbi illa aura fuerit, per crises recte illa interdum effunditur, indurante exurenteque causa iam euicta, exclusaque in aluum materia morbifica. crassescat ergo fæx pepsi: at materia morbifica pepasmo. hæc tamen ita crassescant, vt fit mollis ac constans deiectio, qualis est optima) *morbo*, ait, *ad crisin eunte.* æquali nimirum progressu dum pergit ad salutarem crisin. hoc celeritatem & securitatem crisis præsagit. nam quicquid coquendo maturescit, ex aëreo fit aqueum, & ex aqueo terreum. *Sed illud excrementum subruffum quidem fit.* (hoc enim ad crisin præclare apparet quod copia & qualitate bilis moderate tinctum est: non autem à prærubra bile, quod euenit in resoluto hepate, officiique immemore in sanguine generando: aut à bile multa, hepate incendio conflagrante. vel si non tingatur suo colore fæx, hepar ab infarctu laborare argumentum erit.) *neque graueolens multum*: nam hoc à putredine esset. sed, cum non valde fœtet, significat, in ea coctione qua fæx fabricata fuit, calorem natiuum euincere. *Aph. 16.* *At vero*, inquit, *deiectionibus præliquidis*, (quæ scilicet nec progresso morbo crassescunt: quod signum est summæ atque indomitæ cruditatis,) *albidis aut pallidis*, (intercepta chyli

chyli distributione, ab obstructione alvinarum venarum, vel phlegmonoso ab hepate. alba vocat, referentia ideam sumpti cibi, catachresticus: quam pro colore assumpti cibi nigram esse licet; vt si quis leporinam pulpam assumpserit. vel cum bilis tincturæ est expers deiectio, obstricta vesicula bilis, vnde icterus. vel alio translata bile, vt in caput, fit phrenitis: significat enim traiici sanguinem à bile. *) aut prærubris*, (resoluto hepate, vt in dysenteria hepatica: aut bilis sincerioris copia.) *vel spumantibus alvum ferri*, (à calore liquante corpus, aut à flatu contumaci qui materiam agitat,)

Hoc ad dysenteriam spectans. Aph. 17. *hac omnia*, inquit, *sunt calamitosa. Sed illud affirmat calamitosius esse multo*, *paucum* (significat enim colliquationem. nam copiosum à ciborum copia esse poterit: vel si à valida sit colliquatione, fœtore discernentur.) *& lentum*, ab æstu, si à cibo lenteicat, erit copiosa deiectio) *& album*, (quod fit cum nuper nata liquescit pinguedo: minoris colliquationis index.) *& subflavum*, (ex firmiore vetustioreque adipe: ex maiori concepta febre: maioris colliquationis index.) *& æquale excerni*: vt enim in rebus naturalibus optimum signum est æqualitas, quia bonitatem materiæ, & naturæ vim significat, quod nulla materiæ pars fugerit naturæ alterationem: sic contra, eadem in rebus non naturalibus, est signum pessimum: quia significat causæ contra naturam agentis, in omnem partem materiæ morbosæ æqualem actionem, & quod toti materiæ se

Aph. 18. æqualiter insinuarit. *Sed his etiam magis funesta fuerint nigra*, (nam atra bilis nulla parte excerni potest, bonis ægri rebus. omnis enim humor sincerus est malus, vredine absumpto eius miti sero.) *aut pinguia*, (à febre liquante corpus. si non sit à cibo, vt in Thaso euenit Pario. sed hæc fœtorem habent iunctum.) *aut livida*, (extincto calido natiuo,) *aut æruginosa, aut graveolentia. At*, inquit, *deiectiones varia*, (hoc est diversarum partium symptomaticæ; & variæ mutationis; quæ

Aph. 19. fit à febrili calore) *maiorem quam illæ diuturnitatis spem adferunt*, quam excrementum illud simplex nigrum, quod iamiam futuram mortem denotat. nam vbi polydædala varietas adest, verisimile est non prius extinctum iri calorem, quam ad prauissimum excrementum erit deuentum: prauissimum autem est nigrum.) *Sed tamen non minus sunt funesta. Sunt autem huiusmodi strigmentosa*: (hoc est abradentes,) *biliosa*, nimirum meracæ, *porracea & nigra*: à calore vrente. Plura vellem ex Hippocrate, sed lex Institutionum me sistit: quare ad alterum exemplum propositum pergo.

Exemplum secundum in coctione & cruditate. 2. Prog. Aph. 32. *Expectoratum*, inquit, Hippocrates, *in omnibus morbis qui in thoracem & pulmones inciderunt*, (vt in pleuritide & peripneumonia:) *cito*, (hoc est intra primum morbi quaternarium, hoc est primis tribus diebus: nam tunc non vltra septimum protogabitur.) *& expedite expectorari debet*: hoc est sine vlla tussis vi, & vllo dolore aut vlla difficultate spirandi. ex quo notatur vis musculorum intercostalium, ideoque integræ facultatis animalis: ac dein libertas venosæ arteriæ ac bronchiorum pulmonis: tum etiam naturæ in eoquendo vis, & bonitatis materiæ. itaque inde fit significatio, quod facultas, instrumentumque dolore vacans, & humor sint optimè ad exclusionem parata. Ne longum faciam, & ne institutam breuitatem violem(quod tamen si liceret, vellem hic in Hippocratico campo;) hæc est summi præceptoris de expectoratis sententia. Optimum est expectoratum album cum flauedine, læue, æquale, nec tenuius nec crassius: tale autem est quod πεχὲν ἐπὶ ὀπεπτίως expectoratur. At subflaua, subpallida, spumosa, & tenuia solam cruditatem denunciant, & non grauius malum designant. at absolutè erudum est, quod nullo modo exputtur. hæc summo Deo annuente aliàs, ad Hippocratem, latius enarrabimus.

Coctionis & cruditatis signa, semper stabilem firmamque significandi potentiam habent, quocumque tempore morbi efloruerint; & notant num in melius vel deterius se flectet morbus: & inde etiam scimus tempus futuræ crisis: nam late per totam præsentiendi artem pepasmi signa se fundunt.

CAPVT II.

De secunda Epiphanomenon specie, qua De signis salutis & mortis. & qua ad melius, vel deterius. Qua illa signa sint ex quibus hæc futura præsentiamus: & qua illa signa sint quæ hæc iam adesse denotent.

Secundam speciem Epiphænomenon signorum pertinere diximus ad illa signa quæ maximè salutem vel mortem denunciant: nam ex illis triumphatæ naturæ vel morbi testimonium adfertur. Hæc etiam spectatur in vrina, alui deiectionibus, expectoratis, euphoria & dysphoria, in somno & vigiliis: nam (vt diximus, vbi de coctionis signis) eruditas & prauitas horum, interdum calamitatem denorant. Sane ad hoc caput pertinent omnia quæ de crisibus scribuntur; & multa quæ sequentibus capitibus de tempore & specie crisis huc referri debent. nam omnia signa quæ ex actionibus læsis ducuntur, qualitate mutata, & excrementorum substantia, qualitate, quantitate, tempore, excernendique modo, & de coctione & cruditate, huc spectant. etiam peculiariter ad hæc pertinent ea quæ ab essentia corporis ducuntur, in eius temperamento, habitu, & quæ hæc sequuntur, vt calor sequitur temperamentum corporis; character & moles sequuntur corporis habitum, vtrisque consectaria sunt exerementum, & actio facultatis triplicis animalis, vitalis, naturalis. Satis nobis erit in exemplum accersere, quod ad habitum corporis pertinet, faciem illam cadauerosam ab Hippocrate celebratam: & aliud quod actionem animalem spectat, decubitum ægri. In his modum videbitis non infœlicem, spero, quomodo Hippocrates enarrari & intelligi debeat: fugatis diuerticulis & sophismatis. *Hac notione*, inquit *1. Prog. 3. Exemplum signorū cadaverosorum, in cadaverosa facie.* Hippocrates, *præsentiendi ratio in acutis morbis duci debet*, (hoc est, in illis morbis qui celeriter, continenter, & summa symptomatum vi mouentur: siue suerint febres essentiales, quæ considerantur in vitio humoris, vt causis siue morbi cum febre, in parte euius officio vita carere nequit.) *vt notes primum ægri faciem* *Acuti qui morbi.* (nam iure ab ea incipiendum, hoc est, à maximis & facillimis, quæque medicis primo accessu occurrunt. nam proponit faciem, hoc est ægri frontem, nares oculos, tempora, & os,) *an similis sit bene valentium*: (in colore, charactere, mole, & exerementis. Nam diagnostica medicinæ pars hæc, à similibus & dissimilibus initium ducit: nam cuncta præsentiendi ars posita est in distinctione similium & dissimilium corporum, causarum, & signorum. ita hic dicit, quo æger valentibus similior fuerit, eo rectius illi erit: quo longius hinc abierit, eo peius.) *ac potissimum*, ait, *sui ipsius*: (ita tamen vt reflui humoris nulla excusatio adferri possit, à causa quæ est à foris; vt ignis, caloris, ictus vel lapsus in faciem, vel perturbationis criticæ, cum iamiam in procinctu est crisis.) *ita enim optima erit*. (nam principum facultatum corpus gubernantium quarum potissimum robur in facie & oculis explendescit, vim vegetam ostendit.) *qua vero similis est contraria, periculi plena est*, (cum mutata sit charactere, colore, mole: modo dictarum iam rerum, nulla sit excusatio iusta) *Huiusmodi sanè hæc fuerit. Nares acuta*, (hoc est, gracilis nasus in extremis, & quasi compressus: quod *Cadaverosa faciei enarratio; qua in proverbium traducta, Hippocratica appellatur.* fit, eum proximè cutis tangat cartilagines, exhaustis iis

F 5 quæ

quæ interponi solebant humido nimirum, parteque carnosa absumpta. nam hæ carneæ nasi partes facile exhauriontur vi æstuantis febris. vnde etiam significatio fit, sanguine nutritio fraudari partes, oppresso calore natiuo à calido præter naturam.) *oculi concaui.* (exhausto vitæ præsidio à vi febrili, dissipatoque humido natiuo, & alimenti inopia, vnde musculi oculorum tabescunt, ac membranæ oculorum collabuntur: vnde oculi minores redditi, totam sibi dicatam sedem non implent. & cum oculi circumfluant spiritibus animalibus, ob videndi munus; illis etiam vi febrili exhaustis, oculi tenuantur. quoque oculi fuerint humidiores, eo facilius gracilescunt & caui apparent. loquitur hic de cauitate quæ intra tres dies euenit.) *tempora collapsa.* (gracilescentibus ab æstu febrili quatuor temporum musculis, ita, vt cutis, os temporum feriat. Sed cur potius hæc pars extenuatur? quia sola hæc inter partes capitis, vere musculos habet.) *auricula frigida,* (non fugaci frigore, sed fixo consectario ardori febrili, ita vt non vnquam recalescant: quod periodici frigoris insigne esset. hæ sunt frigoris capacissimæ, vtpote corpus cartilagineum, pauco sanguine rigatum, nulla carne vestitum: facileque ab exhausto laborant vitalis principij. vnde frigent, nec incalescunt nectaris viuifici affluxu, quo præter cetera fraudantur: & emortuæ pallescũt.) *& contracta auricula, auriumque lobi inuersi.* (quasi conuulsæ versus neruum illum, vnde sentiendi vim accipiunt; nam subsidium cartilagineum non habent, propterea vertuntur.) *quin cutis circa frontem dura, tum circumtenta & arida.* (quæ cutis musculosa, vel verius musculus cutaceus; & caro tenuis, in acuta febre, facile tabescit. hæc durities est signum perfectæ extenuationis; exhausto humido primigenio partium solidarum: & non tantum difiectis spiritibus: cum ad vltima ventum est maciei. Ante ariditatem illam primo laxatur cutis in rugas: nam causa madefaciens primo tendit, dein in mollitiem laxat eam, cum spiritus & quid humidi exhauritur: sin diutius id fiat, solidæ liquantur partes, vnde tensio. Est itaque duplex exhaustum: vnum inchoatum, vt cum corium igni admouetur, primùm laxatur; alterum est perfectum, vt cum tandem corium siccitate contrahitur. pallor cutis, vtriusque est signum; sed addita tensio, perfectam indicat extenuationem: hæc incurabilis, fractis solidis partibus, pepasmi auctoribus.) *colorque totius faciei pallidus.* (succi nutricatui dicati inopia, & corruptione.) *aut est niger, liuidus, aut plumbeus.* (extincto calido innato; cuius extinctio in corde, & mors est. sed extinctio in parte vna, ad extinctionem futuram totius apparet: maximè si illa pars pallori opportuna non sit; vt hæ sunt partes natura cutaneæ, palpebræ, aures, nates, labia. & inter illas palpebræ certissimum signum præbent; nam difficillimè liuorem ducunt, largo spiritu circumfluæ.) Itaque præclare inuestigatur vnde eueniat hæc faciei mutatio, & quorsum appareat in colore, charactere, & mole: hæc enim primum venit sub aspectum medici. Hæc quo propius absunt à peculiari cuiusque natura, eo melius res ægri eunt: quo longius, eo peius: nam acuti morbi, citam adferunt morticinam naturæ: cum liquantur vi febris solidæ partes. quę significatio maximè elucet in facie, quæ ita emacruit, vt ad vltima ventum esse testetur. Emacruit autem exhaustu humidi primigenij, vnaque fraudata nectare viuifico cordis, hoc est spiritu, sanguine, & calore vitali, labefactatoque corde. Vnde cum illud non æquè sanguinem hauriat, nec aërem excipiat quem ducimus, nec cæteris ea affundat partibus liberali vt solet manu; hæc tunc morticina elucet in facie, quæ loquitur quid intus agatur. Ita quæ Hippocrates ibi proponit, salutis & mortis signa ruminari debent. Et prudens medicinæ ille præceptor, mox distinctionem subnectit: nam vt causæ signorum variæ fuerint, ita eorum variæ sunt vires. *Si itaque,* inquit, *iacente morbo talis facies fuerit,* hoc est, spatio dierum trium primorum: 1. Prog. 4.
quod definitur primo quaternario, *nec adhuc potis sis ex aliis signis artificiosè & scienter coniecturam facere,* (quæ peti solent ex partium aliarum mutata essentia, actionibus, & excrementis. hæc etiam erunt perlustranda, an faciei mutatæ subscribant exhausto: vt malus decubitus, capitis dolor, sitis, & talia. si non adsint, roga quæ hic iubet. nam si alia praua signa eluceant, non opus erit interrogatione: sed ex illis facile intelligemus, malignitatem morbi causam fuisse mutatæ fortnæ.) *interrogare oportet num vigilarit homo,* (agendi nimirum aliquid causa, aut mœrore; non autem à cerebri intemperie, & anathymiaseos prauitate, inducta somni vacuitate: sed si non firmiter fixa sit causa, nec ea perennis à febre maligna, vnde solidæ partes liquuntur, sed si sint fugaces.) *an aluus profuse fluxerit,* (non quidem per συντήξεως ab exclusione, cum tædet aluum sui officij, vt in pleuritide inueterata, quæ perseuerat effusio: sed effusa aliquantisper aluo per fugacem diarrhœam: non à liquefaciente febre illato fluxu: sed si ipse per se extiterit.) *an inedia & fame laborarit,* (vnde genius defraudatur, συρροὴ cordis non restauratur: vnde pallet labiturque facies: nam qualis terra arboribus, talis aluus hominibus, ait Hippocrates.) *Quod si eorum quippiam fateatur, minus periculi subesse putandum erit.* (id est, si in confesso fuerit euacuatio Lib. De humoribus.
aliqua non firmiter fixa: vt vigiliæ, inedia, alui profluuium, hæmorrhagia, sudor: inde solidæ partes non liquuntur. hic non æque periculose ægrotant: quod hac causa extenuationis ablata, restitui nutricatu possit: vel inde non tam cita & certa mors venit. cum alioqui periculo non vacet; nam adest inchoata extenuatio, dissipatis spiritibus & humoribus. non tamen solidis.) *Iudicantur autem & cognoscuntur huiusmodi in die & nocte,* (hoc est, 24. horarum spacio. κρίνεται, inquit, hoc est probatur ac cognoscitur, nam tunc consistit, nec vltra procedit: sed è diuerso, initium habet redintegrationis, siquidem ex fugacibus illis dimanauit: nam tunc vino & pane 24. horis recreabitur; sin hoc non fiat, etiamsi illæ causæ præcesserint, à morbi malitia erit, & deterior euadet facies.) *si ob has causas facies talis fuerit.* (nam si ita cadauerosa euaserit, dissipatis spiritibus & humoribus; non tamen à partium solidarum exhaustu: nec si fluxio à liquefaciente febre oborta fuerit, sed ipsa per se exciterit: erit tunc facies laxa, non intenta: ab inchoata extenuatione,) *Sin nihil horum præcessisse dicat, neque definito hoc tempore facies restituta fuerit.* (hoc est spatio vigintiquatuor horarum, si non redintegretur in pristinum colorem, characterem, & molem) *sciendum mortem in propinquo esse,* (quod fractis viribus, morbus vires acquirat eundo; eo quod hæc ineunte morbo apparent:) *Quod si etiam vetere plusquam triduo aut quatriduo morbo* (periodo iam prima exacta: tunc non solum peruestigandum de vigiliis & cæteris iam dictis: sed & alia signa erunt perpendenda, quæ, iam antiquiore morbo, se in conspectũ dabunt. de quibus postea egit.) *huiusmodi facies fuerit,* (qualem depinxi: cadauerosa, pallida, collapsa; à se mutata in colore, charactere & mole, vt noti vix eam noscant.) *de iis quærendum de quibus ante est præceptum.* Licet enim lethalis hæc sit facies, non tamen necessario est funesta. nam à variis causis nasci potest: à morbi malignitate eiusve diuturnitate, vel à causa extenuante occulta aut manifesta, vt inedia, alui fluxu. Si ergo illa facies aliunde induit hanc ideam quam ex malignitate, & vehementia morbi, non necessario erit funesta. *Quin & alia signa,* inquit, Aph 5.
necessario considerare oportet, tum in vniuersa facie, tum in vniuerso corpore, tum in ipsis oculis. Enumerat ille alias notas ab his, quæ solent intra triduum elucescere. sed contraho vela: & ad secundum exemplum eo.

Decum

Exempl. signorum calamitosorum in decubitu.
1. Prog. Aph. 8.

Decumbentem, inquit Hippocrates *quin etiam ægrotum oportet deprehendi à medico* (eum nimirum minime hoc expectat æger, ne de industria se componat, & vires colligat.) *iacentem in dextrum aut sinistrum latus*, (id enim denotat infractam naturæ vim, quæ musculorum robur tutatur. nam firmat animalis vis corpus in tali figura; cadauer nunquam eo modo locaueris; quin supinum aut pronum pondere suo trahetur; nam minus firma est lateralis figura, quam plana, qualis pectoris atque dorsi;) *manibus, collo, & cruribus parum redactis*; (hæc enim artuum figura est naturalis omnisque infirmitatis expers: nam lassis & infirmis laxantur brachia & crura. sed hæc figura naturalis, est omnis doloris expers, facillima, atque amabilis.) *ac corpore vniuerso molliter decumbente*: (nec soluto, nec contracto corpore.) *sic enim maxima pars bene valentium corpus componit: Atque in bonis ducendi sunt illi decubitus, qui bene valentium similes sunt. At vero supinum iacere, manibus, collo, & cruribus valde proiectis, minus bonum.*

Aph. 9.

(flectit se iam ad peiorum descriptionem. supinus quasi medius est. nam si assueuit ita cubare, nec medicum revereatur, bonus erit decubitus: non enim ex resoluta vi animalis proficiscitur, nec ex delirio.) *Quod si etiam decliuis fiat æger*, (tantum interest inter naturalem habitum decumbendi, & hunc iacendi, quantum inter auem glande traiectam, quæ ruit, & eam quæ præpetibus pennis, è sublimi præceps in terram deuolat.) *& delabatur è lecto ad pedes*, (naturalis decubitus est in alterutrum molliter latus, modiceque sunt illi artus reflexi. Sed miserrima est ista iacendi conditio eius, qui supinus iacet membris collapsis, sine potentia se conuertendi, quique subinde ad pedes labitur. fit hoc, exutis musculis sustinendi corporis officio, ob resolutam facultatem animalem, & spiritibus exhaustis. ita cadauera labuntur. si accliuia ponantur, cum à facultate non erigantur: nam qui supini cubant erecto corpore, quodam id facultatis robore præstant.) *perniciosius illud est.* exhaustis spiritibus animalibus: vnde musculi redduntur officij sui immemores; inde ægri ad pedes labuntur. musculi non stabiliti. id in procinctu mortem esse significat.

Aph. 10.

Aph. 11.

Quod si etiam denudatis pedibus deprehendatur, (quo frigidam ceptet autam. dicit, si deprehendatur: tegunt enim interdum pedes præsente medico, quos alioqui reuolutis stragulis foras exponunt. cuncta quæ fiunt contra naturam ægri, calamitosa sunt: si non fuerint à perturbatione critica. nam hæc etiam vrinam albam, deliriumque ipsum, dum itur ad crisin morbi acuti, excusant. itaque si in acuta febre, in ptudenti ægro, nudi deprehendantur pedes, extra humoris ad crisin commotionem, graue intus conceptum malum testatur.) *nec ad modum calidis*: (quo valide frigidam captare non opus sit. quod denotat visceribus conceptam inflammationem, aut intus conceptam putredinem; cuius à synatrismo perpetuo & motu, continua exciratur febris mali moris & periculi plena: vt in quibus extimis non admodum calentibus, interiora ipsis vruntur. Alioqui vbi graui ardore occupantur membra, nihil monstri erit, pro æstu febrili frigora captari, vt fit in febre acuta bene morata, vbi toto corpore funditur calor. secus in lipyria, & causo, in quibus ardent viscera cum artubus algidis.) *manibusque collo ac cruribus negligenter proiectis & nudis: malum id est*: (est indecora artuum huc illuc proiectio. ita nulla adest iacendi actio: nam animalis vis languet, non grauitate τῶ φορμένυ. hoc est portati corporis: sed infirmitate ac fere ἀδυναμία τῶ φέροντος, hoc est impotentia facultatis portantis. sed tædet eum omnis figuræ & loci, cum falsi caloris in artubus tædio.) *inquietudinem enim significat*, nimirum nauseabundam, à ventriculi motu subilioso: vel nauseæ experte, quæ est deterior: vt pote quæ fit à virium oppressione, quæ pondus membrorum sustinere nequeunt: vel à præcordiorum incendio. est enim duplex alysmus, ναυτιώδης, ἀνέμετος. vterque iactat & nudat artus, quamuis virtus oppressa, iactandi maxime sit causa: nudandi autem causus & lipyria *Funestum etiam est hiante ore dormire perpetuo*: (inde enim intelligimus viscera incendio conflagrare: & exhausta facultate animali, musculos contrahere solida masticatorios: vnde resolutio musculorum qui à capite descendunt) *& crura, ægro in dorsum iacente, plurimum contracta esse*; (est delirij plenus hic iacendi modus: nam conatum & vim habet: quod in languentibus, & in dorsum ob infirmitatem iacentibus absurde fit;) *multumque complicata.* (indecora est hæc artuum implexio vel contractio: delirij vel conuulsionis signum. si à delirio illud eueniat, in propinquo mors est; sin ante delirium, diutius æger viuet.) *Quod si in ventrem iaceat, cui dum bene valeret insolens sit ita dormire, delirium quoddam id præ se fert*, (est enim actionis deprauatæ aut deperditæ in iacendo;) *aut dolorem partium aluinarum.* exclusa nimirum biliosa materia in ventrem, vnde tormina, quæ mitescunt aliquantulum, dum cohibetur aliquo modo irruentis humoris inuasio: quod fit ab eo decubitu. sin à flatu fuerit, is eo modo discutitur: si à crudo frigidoque humore, is ab eo situ coquitur & calescit. *Iam vero crebro residere velle ægrum*, (tædio decubitus, cum iacere non possit: sed in spinam se erigat, vt in lecto sedere videatur,) *cum iam ad vigorem suum venit morbus*, (non cum iam peculiari paroxysmo fatigatur: vel cum iam primum morbus inuadit.) *calamitosum sane id est in cunctis acutis morbis.* (ob summam spirandi difficultatem: & in acutis morbis tamen pernecessarius est respirationis vsus. in his denotat delirium, iactationem, vel vt dixi, spirandi difficultatem. delirium si adsit, cerebri afflictionem denunciat. iactatio vero indicat febris immanem vim, aut nauseabundam anxietatem stomachi. respirandi difficultas, tantum visceribus incendium conceptum esse, vt cogat ægrum crebro residere velle, eo tempore quo maxime otio indulgere deberet.) *sed id longe pessimum est pulmonibus morbo obsessis.* vt in peripneumonia cum orthopnœa consociata, id funestum, oppresso thorace & pulmone. Hoc modo examinentur reliqua apud Hippocratem *in Prognosticis.*

Aph. 12.

Aph. 13.

Vires cum morbo.

Sed vt recte noscas futuram calamitatem aut victoriam lætam, committere debebis signorum causarumque potentias cum ægris viribus. quare morbi natura, & corpus quod morbo obsessum est perspecta sint. Qui morbi naturæ vi, aut artis auxilio euinci possunt, hos feliciter historiam suam absoluere posse spes est: sin minus, in angusto spes erit. nam tunc salus vitæ in promptu est, simulatque naturæ vegeta potentia triumphare potest de morbo: sicut mors in propinquo, triumphata natura. Sed eam de morbo triumphaturam indicio sunt, cum iis explendescit commodis quæ pugnant cum morbo, vitamque ipsam tuentur ac sustinent: nam hinc veniunt pepasmi & crises. Sed vndenam hæc certa spes, aut mox futura calamitas nobis elucebit? ex indiciis certis. vnde illa petam? ex morbi essentia, causis, effectis, analogia. de quibus mox sequenti capite. Si hæc immunia fuerint, maligna, assidua, his ad morbi decursum vires non pares, & concors horum conspiratio ad mortem, & motuum ductus, ordinis, vel seriei expers, ad interitum apparebunt. Elucent vires ex facultatibus, excrementis, & qualitatibus mutatis, excrementa sunt vrina, alui deiectio, sputum, quod è naribus labitur, vomitu exeretum, sudor. in his cruditas & coctio. Vasorum morbos indicabit vrina: thoracis, expectoratum: ventriculi, intestinorum, hepatis, lienis, alui deiectio & vomitus. Quare res ægrorum serie quadam recte examinentur ita calamitosa & salutaria signa deprehendemus. primo exploretur vis morbi: dein pars affecta ob oculos sit: de his mox dicemus. vltimo vires metiemur. Si itaque omnia

Vsus.

conspirant in salutem vel perniciem ægris, certa erunt præsagia. Si vitali facultati bene sit, at animales cottidie fatiscant, naturales vero continuo in melius commigrent; tunc accurate perpendendum, ad quas functiones maxime hæc læsio spectet. nam in qua facultatum parte morbus hæsit, ab hac potissimum iudicium pendet. Vitalis tamen facultas præcipuum locum obtinet: nec desperandum dum illa suo robore fruitur: nec temere sperandum vbi illa pessundatur. Perpende igitur num actio sit abolita, diminuta, vel deprauata. Num prius ægrotarint quam nunc, exploranda: & quantum à genio suo degenerarit corpus, perscrutandum, vna cum humore. an die critico ephodus naturæ adsit. in iuuene semper restibilis spes: in sene nusquam. Hippocrates multa signa prodidit ducta ab ægro, viribus, morbis, & partibus: maximè in nobilissimis tribus Prognosticon libris. Hoc ratum, Nulla crisis ad salutem fit, vbi ad calamitosam vim morbi accedit summa virium infirmitas: propterea calamitosa ἐπιφαινόμενα hic tunc efflorescunt. Multi sunt quidem terrifici morbi specie & magnitudine: sed nulli adimunt spem salutis, nulli certo mortiferi atque funesti, in quibus non appareant signa superatæ naturæ, quæ veteres τὰ ἐπιτάσιμα θανατώδεα appellarunt. cernuntur hæc in qualitate & habitu corporis, actionibus, & excrementis. Vt in prægrandi pleuritide spes in angusto est, non tamen certa desperatio: ita nihil spei reliquum. quando in sterrore aut nulla est, aut certe exigua perque difficilis & praua expectoratio, cum vrina præturbra, & pulsu effoeto. Virium vis semper explorata sit: hæc innotescet ex vniuersi habitus partiumque singulari natura, in colore, charactere, mole; actionibus vitalibus, animalibus, naturalibus; & ex iis quæ excernuntur in substantia, qualitate, quantitate, tempore, & excernendi modo: & num in vitio sit natura eius communis, propria insitaque & aduentitia, quæ in temperamento, habitu, humorum dominatu, consuetudine, & diæta. Ex iisdem notis percipiemus quo euasurus sit morbus, & ex morbi specie, magnitudine, more, motu, parte obsessa humorum dominatu, cæterisque de quibus sequenti capite. Præcipua quædam ex dictis notis, exempli causa attingam. adducamus excrementa. In his notæ elucent salutares vel mortiferæ: & vtræque laxo ambitu. nam vt mala signa sunt vel mitia. mediocria, vel pessima: ita alia bona, mediocria, vel optima. Maxime à pepasmi capacitate, vel ab ea alienatione horum iudicium captandum. Secundo vt hæc cito effulgeant optandum; id enim citæ coctionis, & salutis signum. Tertio, vt constantia quadam perseuerent, nec crebro euarient. Quarto, vt tempore & loco excernantur; hoc est pepasmo, & vt ὥρας consectaneam habeant: & si die critico apparere cœperint. omniaque signa à coctione, & in vigore apparere debent. nam iudicatoria non iudicantia, ad mortem, vel ad deterius apparent. Quinto, vt excretio fiat κατ' ἀντι... morbi: nam alij morbi aliis placantur excretis. Ita cætera epiphænomena consulemus, cum morem & motum morbi monstrent. Itaque vt exitum morbi deprehendas, intuearis morbi speciem. vt, marasmus factus, incurabilis est. ita scirrhus & apoplexia magna. periculi pleni morbi acuti: at quartana periculi expers. Dein morem morbi nota ex epiphænomenis signis, quæ elucent in actionibus, qualitate corporis, & excrementis, nam horum magnitudo, periculi magnitudinem nunciabit. His committe ægri vires: quæ, si validæ fuerint, etiam periculosas notas eludere possunt. Quid ad cruditatem & pepasmum collinea, num propriæ causæ eluceat coctio morbifica: reliqua tamen non contemne: conspiratio omnium, certum iudicium enunciat. Quare ad hoc signorum genus, quod de morte vel salute, de meliori vel peiori statu futuro pronunciat, accersit in sui subsidium (tanquam inter hæc medium) alia duorum illi confinium epiphænomenon signorum auxilia, quæ nimirum testantur de cruditate & coctione, quæque de specie & tempore crisis; de quibus mox agemus. si enim valde praua hæc emicantia signa esse comprobent, ad interitum apparere ea intelliges: sin ex aduerso, in salutem. Crisis lethalis fuit in Philisco, Sileno, Erasino, Critone, vxore Dromeadæ, Philista in Thaso, in illi angiosa quæ apud Bitonem. At deterius fuit in Hermocrate, & in filia Euryanactis, in adolescente qui in Mendacij foro, in Philini vxore.

Axiomata.

Num ad melius vel deterius.

CAPVT III.

De tertia Epiphanomenon specie, quæ de signis quæ Speciem vel Tempus crisis futuræ denunciant. & quæ illa signa sint quæ hæc iam adesse denotent: & quo sit euasura. & adhuc multa de signis salutis & mortis.

Tertia Epiphænomenon signorum species dicitur critica vel iudicatoria. hæc apparent ad speciem vel tempus crisis futuræ. Est autem crisis certamen naturæ & morbi, vnde repentina fit mutatio ad salutem vel ad mortem, ad melius vel deterius. Horum quædam sunt signa tantum; quædam causæ & signa. Signa tantum, colli & capitis dolor, temporum grauitas, hallucinationes, lachrymæ innoluntariæ, vertigo tenebrosa, facies & oculi rubentes, splendores ob oculos oborti, vigiliæ, æstus ingens aut rigor, iactatio, aurium sonitus, nox molesta, labri inferioris tremor, delirium, exclamatio, anhelitus difficilis, somnus grauis, hypochondriorum tensio, nausea, sitis, dolor stomachi. Causæ & signa, vomitus, sudores, vrinæ copia, alui profluuium, menstruus fluxus, hæmorrhagia, parotides. Hæc vbi ad subitam mutationem apparent, signa κρίσιμα, hoc est iudicatoria dicuntur: alioqui, quatenus morborum consectanea sunt, symptomata appellantur. Hæc nullam stabilem vim significandi præse ferunt: quod aliis temporibus aliisque in morbis illa significent. nam faustè elucescunt à pepasmo & in morbi vigore; alioqui calamitose.

Crisis quid.

Signa tantum.

Causæ & signa.

Talia ergo epiphænomena signa, quæ apparent ad speciem vel ad tempus futuræ crisis, quonam vergant, ex quibusdam præambulonibus notis intelligemus. Hæ ducuntur ex morbo, & ægri viribus. Ex morbo: eius nimirum essentia, causis, effectis & analogia. Ex morbi essentia: quæ spectatur in morbi specie, magnitudine, more bono vel malo: motu celeri, vehementi, constanti, æquali: parte obsessa, vt eius dignitate, robore; & qualitate, vt colore, mollitie, duritie: humorumque dominatu. hæc veluti ad essentiam morbi spectant. Ex morbi causis, vt forma, materia, subiecto. nam totum vel pars inuoluitur, & eis vel penitus causa morbifica impressa est, vel non. & vel robusto corpori ea infedit causa. & vel bene vel bene vel male habitum fuit subiectum: vt si neglecta fuerit curatio, vel praua præcesserint: & si iam hoc non recreant parua remedia. efficiente etiam ex causa, hoc est quod gignit, auget, conseruat: & ex instrumento. & ex fine: causaque sine qua non, & cum qua. Præterea, vti dixi, ex effectis morbi, causæque morbificæ, & symptomatum. Symptomatum, nimirum in qualitatibus, vt colore: in actionibus, & excrementis. In actionibus naturalibus, vitalibus, & animalibus. In animalibus actionibus, vt in imaginatione, sermone, taciturnitate, somniis, vigiliis, respiratione, singultu, tussi, sternutatione, rigore, frigoribus, paroxysmis. In excrementis, vt quæ peccant substantia, copia, qualitate, tempore, excernendi modo. Intet hæc sunt vrinæ, deiectiones, vomitus, sudores, expectorata, lachrymæ, sanguis, ructus flatus. Præterea ex analogia cum aliis. Ita ex morbo. Dein ex viribus ægris intel

Ad speciem crisis.

Ex morbi essentia.

Ex causis.

Ex effectis.

Ex viribus.

intelligimus quo se flectat euentus. has noscemus ex natura ægri, adscititia, & peculiari: quæ in temperamento, habitu, diæta, consuetudine, & humorum dominatu. Hæc series est eorum vnde fere omnis historia crisis (vt mox ostendemus) quoque illa se sit effusora elucescit. quare horum vim perpendamus aliquantulùm exactius: moxque vsum horum ad crisis cu usque ideam, & tempus omnemque flexum deprehẽdendum subdamus.

I.
Ab essentia morbi, & primo ex specie.

Diximus Epiphænomena signa hæc quæ tempus & speciem crisis monstrant, duci ab essentia morbi, quæ spectatur in morbi specie: de hac iam ago. Speciem morbi pathognomonica ei peculiaria signa aperient: vt motus sensusque abolitio apoplexiam indicant. at talis plerumque est insanabilis. causus est talis species febris quæ plerumque intra dies quatuordecim iudicatur, & per sudorem, vel hæmorrhagiã. ita ex specie agnita percipimus futurum euentum. ea agnoscitur ex actionibus læsis, qualitate mutata, excrementis fusis aut suppressis, idea paroxysmorum, natura ægri, & ex causis.

II.
Magnitudo.

Specie morbi peruestigata, eius proprietates, vt magnitudinem, perpendemus. hanc deprehendemus ex pathognomonicorum quantitate & vehementia. Morbus est magnus sua natura, vel relatus ad vires titubantes. sua natura, vt inflammatio: aut causæ atrocitate, vt veneno & orgasmo, si effera fuerit: aut symptomatum vehementia, vt iuuenes à parotidibus facilius intereunt quam senes, ob doloris immanitatem. Itaque quod sua vi magnus sit, ostendet symptomatum huius morbi speciei peculiarium magnitudo: vt, magna erit apoplexia, in qua nulla amplius elucet sensus & motus viuacitas. Sed euenit, vt non grande onus leoes premat vires: ita etiam tenuis morbus titubantes vires fatigat. vndenam vitium res eluceant, mox, vbi de corpore morbo implicito, dicemus. cum magnum esse constat, sciemus eum crisi habiturum breui finem.

Ad vires relata magnus.

III.
Mos morbi.

His compertis, ad morbi Morem nos vertemus, vt deprehendamus num sit morbus boni vel mali moris. is sane benigna facie furtimque nonnonquam insidiatur vitæ, ategens aliquantisper suam ferociam: vt rabidi canis morsus, bubo pestifer & luifer venereus intus euanescens. sed mox epiphænomena signa huncastum aperiunt: nam illa, vt crises futuras, ita & morbi morem notant, boni moris morbi bonas crises edunt.

IV.
Motus morbi.

Dein Motum morbi obseruabimus: qui symptomatis se prodit, & tempore partium paroxysmi: crision tempus maxime motus denunciant morbi. quo motus velocior, eo promptior crisis. sunt enim morbi quidam motu veloce, vt acuti & peracuti morbi, qui celeriter, continuo, & vehementer mouentur. alij sont tardi motu, vt qoi diuturni. ita sunt quidam constantes, alij inconstantes, æquales aut inæquales motu. Metam motus definit summus morbi vigor. eum significat morbi species; vt illæ morborum species: quæ à bile enatæ fuere, facile in vigorem se erigunt: cunctantius quæ à melancholia. & acutus morbus raro se extendit ad tres paroxysmos in vigore constitutis æquales. at in longis morbis status in plurimos se pandit paroxysmos. & quo fuerit motus vehementior, eo promptius ad crisin se eriget. paroxysmorum vicissitudines etiam hoc monstrabunt. vt si efferant se validius, prolixius, tædiosiusque fatigant, velocis motus argumenta erunt. Sin diu paroxysmi eodem ferantur filo, tardi motus symbolum erunt: cunctantiorque crisis apparebit. idem de cuiusque paroxysini parte dictum puta. Si morbus periodorũ expers sit, eius auctio motum illustrem reddet: auctio ex signis pathognomonicis & epiphænomenis conspicua euadet. Aequali aut inæquali motu feruntur morbi, cum nonnunquam suum impetum remittant. Constanter, qui non temere, sed iure se in aliam ideam transferunt, seriatim facto suorum temporum decursu, & non subsultim, ita vt modo insurgant, modo temere remittant se: quod symptomatum mutatio denunciabit. Constantes motus, etiam constanter nunciant tempus futuræ crisis, & specie eam fore bonam. Ergo in motu noabimus num celeriter, æqualiter ac ordine quodam, & non constanter ferantur morbi, vt si ex generi dicatis signis animaduersum fuerit febrem hominem fatigare; & si dein ex peculiaribus notis significetur esse speciem tertianæ exquisitæ. hæc cum animose insiliat, celeriter mouetur, collatione habita ad alias suæ speciei febres. quare cito soluetur, nec septimum superabit paroxysmum. at quia non continuo mouetur, nam integrum diem interponit, à periculo aberit. & si bene morata fuerit, æquali quodam tractu & sensim in statum surgit: & non inconstantia quadam sua confundit ac peruertit tempora cursus.

V.
Pars obsessa.

His perspectis, qualis sit pars morbo obsessa indagabimus, num sit princeps ea quæ valido occupatur malo: nam si eius peruertatur, inde munus, in peius expectanda erit mutatio. contra, in exquisita tertiana, vbi nunquam princeps pars vlla vitium agnoscit, cum eius causa in minoribus stabuletur venis, valida naturæ vi eam domabilem esse significabitur. grauius periculum causus adferet, nam cordis sedem suo foco inquinat. ita etiam hæc indicant salutem & mortem. præterea crisis tempus; nam quo nobilior obsessa fuerit pars, eo erethismum promptiorem sentiet natura ad crisin. quin viæ à parte ad exclusionem comparatæ, speciem futuræ crisis ostendunt.

VI
Humoris dominatus, causaque morbifica.

Postea humoris dominatum peruestigabimus, & num adsit succi inopia, aut corrupti copia: num duriore antea victu, multis de causis infirmior euaserit. & hic cautio adsit vt infirmitatis causas spectemus, num eueniat morbi magnitudine, vel succi nutritij inopia. Ita à caussis morbificis intelligemus num ægri natura illis par esse possit. vt si à validissimis caussis febris enata fuerit; si ab effera bile, quæ malo victu increuit, ac putruit in bilioso corpore, aluo officij immemore, hepare æstuoso, corpore obstructo: inde pericula intelligemus: & vt fuerit succi morbifici calor & tenuitas, ita citius vel serius excernetur; & etiam, num sursum vel deorsum efferetur, denunciabit. Ita magna ex parte à morbi essentia.

Forma.

Causarum vero ambitu complectimur formam, materiam, subiectum; efficiens quod gignit, auget, conseruat, iuuat, vel lædit; instrumentum; finem, & causam cum qua, & sine qua, Vt si forma humoris morbifici, vnde enascitur tertiana febris, malignior fuerit; non adeo facili nec felici pede in crisin abit. hoc summus medicinæ præceptor volebat 1. Prognostic. ; vbi inquit, [illegible], hoc est, *tum & si quid diuinum insit in morbis* (ob materiam scilicet indomitam & pepasmi expertem, propriæque substantiæ corruptione vitiosam: cuiusmodi materia esse solet morborum pestilentium, venenatorum & contagiosorum) *illius*, inquit; diuini *quoque prouidentiam consectari oportet.* Duo enim sunt quæ facile mortis consecutionem in morbis adferunt: [illegible] hoc est, magnitudo & malignitas: de hac egit tertio *Aphorismorum; de illa, in Prognosi.* Nam hoc diuinum non ita accipiendum, vt sit aliquid veteribus abditum. nam Hippocrates negat quicquam esse diuinius in epilepsia quam in aliis morbis: at omnia diuina esse. Sed politico loquendi more vtens, eos morbos qui ex aëris extraordinaria constitutione sobolescunt, malignos appellat. Ita, ex eius sententia, febris tertiana longe est difficilior, quæ ab huiusmodi temporum mutatione concitatur, quam ea quæ vitio diætæ ab obstructione enata fuit.

Materia.

Materiæ etiam idea perlustranda. Ita pituita lenta ægre amouetur: at materia tertianæ quia bilis tenuis, facile erethismo naturam lacessit, quæ surgens eam abigit ex facili, si maligna non sit.

Subiectum.

Subiectum etiam corpus inter causas posuimus; vt si

rarioris

rarioris id texturæ fuerit, per id morbifica materia facilius exhauritur, & ad sudores promptius erit.

Efficiens. Efficiens tertianam causa si cibus, & non aëris constitutio, fuerit, lenius ea defungetur: nec subiecta pars in qua stabulatur est princeps: nec parti penitus incubuit, vt inde phlegmonem conceperit: & in corpore si sit valido raræque texturæ.

Aliæ causæ. Si consociant se aliæ etiam causæ, vt aër si faueat, euincetur facilius, & celerius iudicabitur: & si eo euocet quo natura & humor repunt, ea specie crisis adueniet: ita si lætus sit animus. Et causæ notentur cum quibus hic fit morbus: vt si huic tertianæ adsit cutis raritas, ductus ad exclusionem parati faciles, eo crisios inclinatio fiet. His iunge causas iuuantes, medicum, clinicas, & quæ à foris sunt: & vires ægri: & si iuuant admota remedia ad illas vias, aut si studere videantur illi tempori quo crisis expectatur. Memor sis rerum naturalium & non naturalium.

Ex effectis. Præterea ex effectis percipiemus crisin, speciem & tempus, & num ab ægro morbus eiusque causa domari possit. Effecta morborum sunt symptomata.

Ex analogia. Vltimo ex analogia aut similitudine cum aliis, quæ sit vis morbi eiusque causa, & quo euasurus sit & quando abiturus, intelligemus. vt si eodem tempore publice grassentur contumaces tertianæ: vel si in ægri familia plurimi eodem morbo tali cum crisi extincti fuerint.

Vt has igitur opes contraham, imo vt quam latissimè pandam, omnis prognosis inibitur rectè ex morbi explorata essentia, in eius specie, magnitudine, more, motu; in celeritate, vehementia, continuitate, constantia, æqualitate & ordine; parte affecta, humoris dominatu; dein ex causis morbificis in forma, materia, subiecto, efficiente, hoc est, quod gignit, auget, conseruat, iuuat, lædit, instrumento, fine, causa sine qua, & cum qua; præterea effectis, quæ sensibus notantur

Ex viribus. externis: & analogia cum aliis. Hæc iam committantur viribus ægri. quarum ratio inibitur ex vniuersi habitus partiumque singulari natura in colore, charactere, mole: actionibus animalibus, vitalibus, naturalibus: excrementorum substantia, qualitate, copia, tempore, excernendi modo: & num in vitio sit natura ægri communis, propria, aduentitia; quæ in temperamento, habitu, humorum dominatu, consuetudine, diæta. Vim cuiusque signi epiphænomeni omnium

Hippocrates optimus tradendæ magister. sapientissimè aperit Hippocrates tribus Prognosticon libris: quocumque illa modo appareant, ad salutem vel ad mortem, ad melius vel deterius. eoque id facit, quo rectè à nobis cum morborum causarumque morbificarum viribus (quæ ex his notis se in apertum dant) conferantur vires afflicti corporis: vt ita intelligamus num de salute ægri conclamatum sit, aut num redintegrari possit: & qua specie quóque tempore illam expectemus. Præterea morborum causarumque translationes quid denotent aperit: quæ ex quibus, & in quas successiones: & quæ in abscessum vel crisin subitam se sint effusura.

Aduertenda. In hoc rerum prædictarum examine perpetuo collineabis ad vim efficiendi, & opportunitatem excipiendi: hinc enim speciem tempusque crisis, eiusque euentum internosces. nam inde rerum cunctatum, quæ terra marique gignuntur causæ principiáque ducuntur. Illico has leges æternaque fœdera Deus rebus cunctis imposuit procreandis. Ita ille medicinæ præceptor nihil vnquam de morborum natura & exitu statuit, nisi κατὰ τὸ ποιητικὸν, καὶ τὸ ἐπιδεκτικὸν, id est ex cognitione & perspicientia efficientis causæ & excipientis. hæc vbique est eius διάνοια, vbicumque agit de cognoscen-

2. aphor. 34. do, prædicendo, & medendo. Ita prodidit minus periculosè ægrotare eos quorum naturæ congener est morbus. Sed cautio vbique adsit de similibus. Hæ namque

Cautiones in similibus. sæpe bonis imponunt medicis. Vt cum signa quædam morborum contumacium consectanea sunt; ea tunc discriminari debent quæ huius morbi speciei consectanea sunt, ab his quæ prauitatem morbi denotant: nam nonnunquam affectus tantum signa sunt. Vide itaque quid speciem, & quid morem morbi indicet. hæc postea apparent: illa, vna cum morbo. Et num illa prauitas, ægro huic non sit praua, sed ex more. sunt qui supini cubant, & cætera. Sed quæ longè à peculiari cuiusqúe natura degenerant, calamitosa sunt; vt à miti homine ferox responsio. Semper fidite quam maximè coctionibus morbi propriis. sed quæ critica sunt signa, vide ne in his iudicium tuum fallant. His iunge naturam ægri, & ea quæ à foris sunt: vt sunt ætas, temperies totius, & partium principum, & habitus corporis, vt diximus, num densus, rarus. nam hæc ostendent quibus morbis qui facile occupentur, & à quibus causis facilè incurrantur & patiantur; & quis humorum dominatus in his sit, & quando & qualem exitum inuenturi sint. hæc enim & morbi magnitudinem, motum, & crisis ideam etiam enunciant. Distinguite etiam accuratè praui moris signa à criticis signis, quæ cum causis criticis elucere solent: vt lachrymæ num manent ex resolutis oculorum canthis, fatiscente iam natura; vel num à sanguine qui cursum in caput flectit, vt per nares erumpat, obnatæ fuerint: hoc enim salutiferum; illud, lethale. Ita infirmitate corporis terreri non debemus, nisi terrifica fuerit infirmitatis causa. Terrifica illa, quam facit vitalis principij consumptio, nectarisque viuifici perennis exhaustio. terrifica etiam quæ fit sine vlla vacuatione tum aspectabili, tum sensibus incomperta. Nam facultatum effœtæ vires surgunt ex hepatis, cordis, & cerebri exsolutione: & his recreatis, facultates vegetæ in officio suo manent. Tremor in forti baiulo ab onere graui, nihil terrifici habet: quia causa non est terrifica. secus de fanaticorum tremore iudicandum: qui ab exhaustu & cerebri alienatione incidit, mortémque præsentem denotat. Hæc discriminantur ex pepasmo: quæ enim ante eum apparent, morbi germina sunt, & naturæ triumphatæ indicia. Sed vt rectè tempus futuræ crisis cognoscamus, primum futurus morbi vigor deprehensus esse debet.

CAPVT IV.

Quo modo morborum vniuersalia tempora futura deprehendantur; eo fine vt tempus futuræ crisis inde innotescat: & exercitatio, qua rectè id discamus: & quid quóque tempore apparentia signa indicent; præsentiaque, quæ iam tempora morborum indicent.

MOrbi tempora rectè perspecta esse debent; & maximè eorum summus quando vigor futurus sit, cognoscendum. Horum percepta notitia, ad diætam commodè instituendam, remediorum subsidia tempestiuè decernenda, & fidam ad prænotionem summè necessaria est. Morbus dum in toto cursu suo ad metam vergit, quatuor spacia vel tempora decurrit, principium, incrementum, vigorem, & declinationem. Principium est prima morbi inuasio, vbi cruditatis adhuc sunt plena omnia. Incrementum, (* ἀνάβασις Græcis,) est vbi manifesta coctionis signa conspiciuntur, paroxysmi maturius, vehementius, & diutius inuadunt. In vigore perfecti pepasmi notæ elucent; & tunc symptomatum vis plenis fertur velis. hoc est illud tempus ad quod inter cætera longè & præcipuè collineandum est: nam id docet filum quo trahi tota victus ratio debeat; & tunc in procinctu crisis est. Ineunte enim acuto morbo victu tenui vtendum: in augmento, tenuiore: in vigore, tenuissimo, ne natura tunc cum

** Ascensus.*

ἀκμὴ.

crisi

crisi operam dat, retrahatur à pepasmo & exclusione materiæ morbificæ ad pepsin, hoc est ad ciborum mitigationen, Ergo exploratus esse debet vigor morbi futurus: nam quo breuior fuerit morbus, eo tenuiore victu transigendum. Declinatio morbi est vltimum tempus, cum iam status vehementia deferbuit. Salutares cuncti morbi, quorum difficultas in materiæ mitigatione hæret, vniuersalia hæc morbi tempora decurrunt: funesti vix statum attingunt; vel in eo opprimunt naturam. Ita integra ætas cuiusque morbi circumscribitur & designatur.

παρακμή.

Sed, ne erretis, sunt etiam particularia tempora cuiusque paroxysmi: exempli causa, tertiana intermittens suam periodum facit tertio quoque die; tunc enim paroxysmum præbet: adeo vt paroxysmus nihil aliud sit, quam deterius periodi tempus. Omnis autem crisis fit in paroxysmo; siue paribus, siue imparibus diebus moueantur morbi. Ille paroxysmus quatuor habet peculiaria tempora: principium incrementum, vigorem, & declinationem. Principium tunc adest, cum frigore extrema occupantur. incrementum, vbi incalescit, sed nondum valide. vigor, vbi toto corpore funditur calor. declinatio; vbi calor torpescit.

Paroxysmus quid.

Sed vnice confert ad crisis tempus noscendum, vt explorate compertum babeamus tempus futuri vigoris vniuersalis. Morbus per actionem læsam describitur, quæ est symptoma: quare morbi tempora ex symptomatis deprehendemus. Pusilla symptomata, quantum suadet morbi species, initium morbi definiunt. ea auctiora & anticipantia, & consectanea epiphænomena, augmentum morbi denunciant. at summa symptomatum vehementia si permanserit sibi perquam simillima, statum arguit. Inde in mitiorem euanescunt finem: & tardius, mitius, breuiusque in declinatione affligunt. Eueniunt hæc tempora ex causarum morbificarum motu, quas pepasmo euincere nititur natura; vel vires acquirunt illæ eundo. Si pepasmo studeat natura, in lucta illa sensim ingrauescunt symptomata. hoc ita Hippocrates: Dum materia suppurabilis abit in suppuratum, dolores & febres contingunt maiores, quam iam confecto: tunc enim naturæ & morbificæ materiæ impetus sistitur. Quare ineuntibus morbis vt nulla suscipitur crisis vi naturæ ac lege critica, ita tunc nulla significatio perturbatione esse potest critica: nam opprimitur adhuc tunc natura morbificis causis. Nec vlla crisis fit bona in cruditate: neque salutariter quicquam fieri potest quod ante significatum non fuit, signis apparentibus ad tempus & ad speciem ipsam crisis. At vbi materia morbifica pepasmi est expers, vt in cancro, elephantiasi, causarum motus vltro euenit, non naturæ agitatione: vnde sua tempora tantum agnoscunt ex materiæ prauitate, quæ symptomatis se aperiunt. Hæc quæ præsentia sunt monstrant. Sed vnde futurum agnoscam morbi vigorem? ex specie morbi: vt quartanæ lente eo se erigunt; at causus, ilico. & ex parte affecta humorisque dominatu: ita si pars calida rara, princeps, breuis erit morbus. Secundo, ex magnitudine in eadem specie: vt magna quartana citius percurrit sua tempora; nam irritat contumacius naturam. Tertio, ex motu: nam qui vehementer, continuo, celeriterque mouentur, in ἀκμὴν suam euocant naturam. quare nota paroxysmorum incrementa, anticipationes, diuturnitatem; & num tolerabilior fuerit sequens paroxysmus. inde sciemus num augeatur morbus, consistat, aut decrescat. cum duo paroxysmi æquales in iam dictis fuerint, vigor erit ille morbi. In longis autem morbis in plurimos paroxysmos status expanditur. Paroxysmus valde anticipans, & longius & vehementius affligens, effatu dignum indicabit augmentum, & velocem esse morbi motum, atque mox in vigore futurum. si ex aduerso, contra eueniet. Quarto, ex pepasmi signis citius aut serius apparentibus: nam motum morbi designant. & omnia cocta secura sunt, & breuem præsagiunt morbum. Quinto, ex ægri natura communi, peculiari, & ascititia. sic in ætate florida, calidoque corpore citius suam absoluunt historiam. His iunge externas causas, quæ nunc & olim corpus affecere: vt æstiuæ quartanæ breues, si accedat victus sobrius & exercitatio. nam æstus semper breues reddit morbos. Cum iam in procinctu est vigor, epiphænomena quædam diebus criticis efflorescunt: quænam illa sint vide; & eorum vires, numerum, & magnitudinem examina. Inter hæc præcipuam auctoritatem adscribere videtur Hippocrates signis coctionis & cruditatis: propterea meminit sputorum, vrinarum, & fæcum. hæc enim præsentia morbi tempora narrant, & futura: præsentia nam dum manifesta nulla signa coctionis elucent, hæret in initio suo morbus: vt si vrina subpallida: nullum expectoratum vel liquidum. nam in argumento, manifeste coctio elucet: vt si vrina nebulam ferat albam, sitque bono colore prædita vrina, & modice crassa, vel rubra hypostasis. in statu perfecta coctio explendescit: vt hypostasis si adsit multa, alba, continua, æqualis: nisi morbus fuerit admodum biliosus. tunc vel enæorema satis fuerit. ilico interdum morbus sua percurrit tempora.

Vigor vt noscatur.
2. aph. 12.
1. aph. 12.

Vigor, quod iterum moneo, futurus accuratè obseruetur ex epiphænomenis: nam ni hoc noris, nunquam salutis aut futuræ mortis euentum vere pronunciabis: ita nec conscius eris an expectanda sit crisis vel non; & si ea futura sit, quando & qualis; nec pharmaciam artificiose instituere poteris horum nescius. Itaque, dicit Hippocrates, τὰ ἐπιφαινόμενα ὅταν τινα (id est, ταχέως) ἐπιφαίνεται ἀρχομένων, quod est, *Epiphenomena si ineunte morbo statim appareant*, quæ præ se ferant coctionis signa, *breuis ille erit morbus*, & salutaris etiam. nam excrementum arguit robur & infirmitatem partis vnde manat: excrementum optimum id quod sanorum simile; quantum inde abit, tantum mali præ se feret. Hippocrates libro primo Epidemion scripsit, coctiones vbique oportunas esse, & celeritatem criseos, & securitatem demonstrare. Ergo si primo die coctionis enitescat nota, primis quatuor diebus crisin inibit morbus. ita singulos quaternarios notabimus in acutis morbis. Saltem secunda die comperiemus, num primum septenarium superaturus sit morbus. Sit primo die febris acuta, attamen non supreme vrgeat, cum tutis signis, attamen non tutissimis, hæc ad secundum quaternarium progredietur. Rursus febricitet quis valide, primóque die nulla calamitosa signa se in conspectum dent, vrina sit bona colore & consistentia: hic in quatuor primis diebus euadit; maxime si nebula vel enæorema adsit; eoque magis si laudabilis hypostasis adfuerit. Ita è contra, maligna cum prauis signis, quanto abest à pessima, cum calamitosissimis signis inuadente febre, eò tardiorem adferet mortem. distingue ergo vires signorum. Hoc modo vobis compertum erit primo vel saltem secundo die, num morbus primo vel secundo quaternario finiri debeat. nam primo die necesse est vt signa coctionis appareant, si primo quaternario finientur morbi, vt euenit in peracutis: nam tunc principium elusum est in his morbis. Si cruditatis plena sint omnia primis diebus, tunc prima septimana non finietur salutariter: nam tenuis coctionis opus est signo die primo, vt intra septimum diem crisin subeat. Si quatuor dierum spatio fraudentur pepasmi notis, notabitur principium morbi prolixum: adde si specie longus sit morbus, motu lentus, cæteráque quæ antea diximus. nam ita neque intra quatuordecim dies pepasmi signa se in conspectum dabunt. Quod si mediocria fuerint signa ineunte morbo; non erit tam prolixum morbi principium. Ita scripsit medicinæ præceptor, sudores cum miti morbo, prolixitatem significare. Dein superuenientibus quaternariis mentem abhibere iubet Hippocrates: nam primus quaternio, qui tenuis pepasmi rudimenta delineabit, quod

Exercitatio ad deprehendendum tempus crisis.

de

de morbi principio adhuc restibile est denunciabit: nam tot opus erit adhuc diebus ad manifestum pepasmum, quot à principio dies abierunt. Si itaque longum principium, etiam protractius erit augmentum morbi, & status à longo tempore adrepet. Sin breuius principium, reliqua etiam tempora hoc imitabuntur.

Paroxysmorum vigor vt noscatur.

In intermittentibus etiam morbis totius decursus vigor est obseruabilis: hoc bene elucet ex eius specie, & more, & motu. Et præter illa in vsu medendi obseruatui, notandum esse quid in vnaquaque paroxysmi fiat parte: vt si vomat ineunte paroxysmo is æger qui tertiana intermittenti tenetur, indicatio adferetur inde, tertianam versari in initio sui curriculi: sin paroxysmi vigor vomitum bilis exceperit, deferri tertianam per statum vniuersalis sui cursus denotabit.

Vniuersalis vigor & extenuatio ad tempus crisis deprehendendum in cumstu.

Quando itaque crisis futura sit, vniuersalia morbi tempora, sed maxime status docebit. nam ante coctionem crisis non fit bona: nec perfecta adest coctio ante statum morbi. Itaque, vt prius diximus, (repeto hæc lubenter; nam nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur,) si primo die pepasmi signa se proferant, primo quaternario inibitur crisis. diem indicabit motus morbi, num scilicet tertio, quarto, vel quinto die ea eueniet. vt si coctio elucear primo die in febre synocho, quarto die fiet crisis. Continua vero si fuerit, tertio vel quinto die, interdum & quarto, crisin inibit. motus eius hoc enunciabit: quæ enim paribus diebus mouentur, paribus etiam iudicantur; quæ imparibus, imparibus. Adiuuat motus celeritatem, morbi magnitudo, tempus anni, &c. Contra, si æger nullum proferat pepasmi argumentum manifestum, nec tamen perniciose ægrotet; ille primo quaternario non experietur crisin: sed si quarto die quid se proferat, is septimo die crisin inibit, si absit error magnus. Sin non adeo velociter moueatur, & error accesserit, nono die crisis veniet. Quinto die cum coctionis indicia apparent, accedente motus celeritate & vehementia, vndecimo crisin subibit: si hæc mitiora, decimoquarto. his iunge ætatem & cætera quæ tanquam indicia publica iam ante enumeraui. Si quædam adsint, alia vero absint, & error si se consociauerit, vlterius procurrere poterit. Verum cum erroris expers fuerit res, mista vtraque vi si tunc concurrant signa, magna industria hic opus erit, quo distinguantur horum potentiæ: si intra septimum nihil præuidere licet, saltem intra vndecimum & septimum id præcognosces. si enim magnitudo & velocitas tunc incrementa ducant, signaque coctionis accesserint, hic die vicesimo crisin experietur, si salutaris fuerit morbus. Morbus salutaris qui quaternario primo tarde mouetur in cruditate, sine maximo æstu, crisin haud videbit intra decimumquartum diem: & principij signa diu perseuerarint, diuturnus is morbus erit. Incrementi vero signa si quarto vel septimo die se aperuerint, spem facient de die decimo quarto, vel vndecimo. Nam si hæc tria se consociauerint, motus celer, febris atrocitas, coctionis manifestum indicium, fiet crisis decimo quarto die; maxime si aër &c. conspirarit. Quod si vndecimo die pepasmi notæ appareant manifesti, sine morbi magnitudine & motu vehementi, superabit crisis decimumquartum; & forte, torpentibus cæteris, vigesimum attinget. Sed si sint mixtæ notæ; & pepasmi manifesti signa die decimoquarto auctiora emicent; die decimoseptimo expectabis crisin: at si nihil magni accesserit decimoquarto, ad decimum septimum te iam tunc conuertes: nam si ibi quid appareat, crisis in vigesimum diem incurret. Hoc filo etiam noscemus crises futuras à vigesimo die: ex singulis septenariis, (nam quaternariorum vis perit à vicesimo die: septenarij durant vsque ad quadragesimum diem: post quadragesimum vicenarij, vsque ad centesimum vicesimum,) tum morbi magnitudine, tum motus celeritate, & signis coctionis. Quæ cuncta si eodem quaternario increuerint, in subsequenti crisis fiet,

4. aph. 71.

2. Aph. 13.

si cætera, vt ætas, &c. talia subscripserint. Recte admonuit nos Hippocrates, *Quibuscumque crisis est in propinquo, nox eo paroxysmo superior permolesta.* (ob symptomata perturbationis criticæ: qualia sunt deliria, marmarygæ, nausea &c.) *proxima vero facilior*: quod vi naturæ concocta, secreta, & excreta sit materia morbifica. *2. Aph. 1*

Obseruabile hoc axioma, quod signa apparentia ad speciem crisis, incerta & calamitosa sunt, nisi præcesserint signa ad tempus. Nihil enim recte fit, quod ante significatum non fuit, signis apparentibus ad tempus criseos. hoc est, signa pepasmi debent præcedere crisin. & illa signa ad tempus debent prius apparere quam signa perturbationis criticæ: quæ nisi præcesserint, dicetur excretio symptomatica, & non critica. Sit firma ergo hæc scholæ Hippocraticæ prognosis: τὰ ὀλέθρια ἀσήμως κουφίζοντα, θάνατον σημαίνει: quod est, *Perniciosa mala, quorum sine signis leuatio est, mortem subesse ostendunt.* Inter antiqua præclarum hoc: *Morbi cuiusque propria epiphænomena, quæ apparent circa initia* * λόγῳ τῷ αὐτοῖς, *suum quæque morbum abbreuiant: quæ autem serius, ipsum ad diuturnitatem producunt.* Vetus illud admodum in schola Æsculapidum vulgatum est, τὰ κρίσιμα μὴ αὐτίκα ἐκφαινέσθω, hoc est, *critica ne cito se dent in conspectum*: siue sit crisis eorum, siue signa eo spectantia: nam cuncta ταχέα ibi sunt σύντομα. Nam vbi natura morbificis causis opprimitur, estque succorum cruditas, nulla bona sperabilis crisis. itaque ilico, iam ineunte morbo, illa non expectanda. Quare Galenus dicit: Rigere initio febris ardentis, est malignæ qualitatis proprium: quamuis ardens febris rigore superueniente soluatur; critica tamen non initio apparent. Vt enim cruditas succi quæ caret ἀπεψίᾳ, acrisian quidem facit, non tamen funestam: ita si accessionem habeat ἐπὶ ῥίγει consecutionem adfert sinistri iudicij, & mortis.

Axiomata.

* *merito natura.*

Rerum & motu morbi.

Inter cuncta maxime notabimus motum quo fertur morbus, quo tēpus crisis eluceat. quia quorum morborū cita mutatio est, cita etiam his euenit crisis. at cita mutatio cernitur in celeritate epiphænomenon, quæ iure & loco apparent, cum nimirum continuo eorum fit anagoge. Ita vt acutorum morborum celerrimi sunt motus; sic eorum celerrimæ etiam mutationes ad interitum vel salutem. Nam crisis mutatione perficitur, mutatio autem motu: propterea ii morbi qui celeriter, continenter, & vehementer mouentur, citas etiam crises adferre solent. Si itaque vehementer moueatur morbus, in paroxysmo (cum iam ad statum venit) veniet crisis. & signa crisima præcedentia id notant, pro sui magnitudine, viribus, numero, & die quo apparent. iam adde naturam anni, & ægri &c. & antecedet perturbatio per diem vel noctem. Præsentem autem crisin pulsus nunciat altus, vehemens, magnus, eorum comparatione qui præcesserint.

Præsentis crisis signa.

Optimæ crises fiunt in statu morbi: in augmento & principiis plerumque homines moriuntur in lethalibus morbis. In lethalibus autem morbis mortis tempus in obscuro est: nam motus vincentis morbi incerti sunt. quare à vehementia motus morbi id elucebit. Quidam non primam periodum absoluunt: (si eam superauerint, in acerbiore paroxysmi tempore necantur; vt si in augmento, vel in initio, aut vigore peius affligi soleant. Morbi lethales si non cito exeant crisi propria & secunda, mox edunt signa iamiam futuræ mortis. Acuti enim intra quatuordecim dies iudicantur; & æstate celerius quam hyeme; (nam vel æstiuæ quartanæ breues sunt;) & in his mutatio cita esse solet ad interitum vel salutem, vt eo conspirat celeritas motus, ac vis aëris: at qui ex degeneratione acuti, quadraginta diebus iudicantur. Verum in longioribus exacto quadragesimo, ante sexagesimum alia fere crisis non expectanda. hoc euenit ex conditione contraria celeritati in motu morbi, natura ægri frigidiore, senectute, hyeme, aëre frigido, materia crassa, parte obsessa algida. Vires

Mortis tempus.

A decrisin quibus spat.

vegetæ

vegetæ promptam etiam crisin adferunt. Notum est illud in schola Hippocratica, πεπασμὰ ταχύτητα κρίσιος καὶ ἀσφάλειαν ὑγιεινὴν σημαίνει: quia pepasmo constanti, vis est naturæ, libertas meatuum, & causæ morbificæ mitigatio, quæ tria sunt ad citam crisin necessaria. testis est Hippocrates, vbi ait: quibus septimo die crisis venit, illis sub quartum in vrina nubecula fuit rubra.

Dies critici. Pauca supersunt de diebus criticis. Euenit vt crisis se expandat per dies, adeo vt cui eorum asscribi ea debeat, nescias vt si efflorescant critica signa die septimo mox octauo incidat excretio, quam in nonum producat: qualis hæc censenda ex die crisis? Hic tria notabitis: tempus perturbationis criticæ, & quando excretioni incubuerit natura, atque quo tempore solutus sit morbus. qui dies ex his plurima viderit, illi referatur accepta crisis. Sin æquè tres dies sibi vendicent hunc motum, illi asscribenda erit crisis in quo excretio cœpit: nam hic maximam suam ἐνέργειαν natura habet. Et ex euentu crisis, diei naturam disces: ὑγιεία enim septimo consectaria est. Longus vsus dies feliciores in crises notauit. vt qui plurimos vindicarunt à morbis perfectè & tuto, præambulonibus signis prædicari, subito incursu & excretione. Inter hos primus est septimus dies: ab hoc decimus quartus: dehinc nonus, mox vndecimus: deinde vigesimus; quem mox sequitur decimus septimus; dein quartus, tertius, decimus octauus: hi boni critici. Sextus opponitur septimo, in quo cuncta perfida & periculi plena. nam excernit naturæ inimica, cruda, acria, praua, fœtore immania. hunc sequuntur octauus, & decimus. frequentissimè inter hos sextus crisin admittit. mali etiam duodecimus, decimus sextus, decimus nonus: raro tamen iudicant. tertius decimus nec bonus nec malus est. A vigesimo ad quadragesimum cuncta sunt languidiora, & rarius crisin experiuntur, vel repetunt eam. Inter hos hæc series est: vigesimus primus, vigesimus septimus, trigesimus quartus, quadragesimus; vigesimus quartus, trigesimus primus; trigesimus, trigesimus septimus. huiusque crises eueniunt. Quæ vltra hos dies, potius abscessus agnoscunt. Si non subito exclusio fiat, spes erit vt causa longa die vincatur. & tunc vicenis motibus natura agitat materiam. quinquagesimus & octogesimus pares viribus habentur: centesimus & centesimus vigesimus; qui, cum quatuor impleat menses, initium erit quaternionum menstruorum. Indices

Indices. dies sunt 4. 11. 17. Quartus indicat, quid boni vel mali septimo, sexto, vel octauo eueniet. decimus octauus etiã vigesimi primi index existimatur. Numerationem auspicabimur ab eo die quo lucidè violata actio in ægris

Vnde numerandum in puerperis. conspicua est. Ita in puerperis dies computamus à doloribus partus, non ab eo die quo cœpit febricitare; in illis nimirũ febribus, quæ secundo aut tertio die partum sequũtur. nã illi humores sequũtur motũ factũ in die partus. sed si post aliquot dies oboriatur febris, ex alia causa hæc orta fuit. Sed in intermittentibus febribus, periodorũ, non dierũ, ratio habẽda. Hi dies sũt quasi iudices & arbitri belli naturę & morbi, & de victoria pronunciãt.

CAPVT V.

Vniuersalis exercitatio qua rectè speciẽ futuræ crisis discamus: & præsentem cognoscamus, quo sit euasura.

Crisis qua arte notetur tempus, hactenus: iam vberius aliquantulum exercitationem ineamus ad speciem cuiusque crisis exactè deprehendendam. Pri-

Series. mum perlustrabimus, num naturã crisim factura sit, vel num potius in apostema exclusura sit materiam natura; aut an potius longa die ea defungetur. Sed si crisis eueniet, num bona malave futura sit; ad salutem vel ad mortem. Si ad salutem, quando (de hoc iam egimus, & quid euenturum sit: euiusque substantia & qualitas: & quo modo eam inituta sit; (hoc est, qua excretione, qua facilitate aut difficultate, per quas vias, quo ordine, vel an potius arte opus sit:) deinde qua copia exclusio fiet: tandem quo euentu; num in bonitate optimo; fide bona, vel an perfida erit; perfecta aut accisa. Quæ ex his præcipuam vtilitatem adferunt, in his exercitationem hanc instituemus. Hæc omnia pernoscuntur ex his quæ primum proposuimus, vt ex morbi specie, magnitudine, more, motu, &c.

Num fiet crisis, an potius sensus solutio, significabit morbi species, magnitudo, & motus. Nam acuti morbi crisi, diuturni solutione placantur. Sed cum haud cuncti acuti crisi terminentur, eorum magnitudo erit perpendenda: quibus addes, quæ ab ætate, anni tempore, &c. quæ si subscribant, certius indicium euadet. Sed si nulla adsit agitatio, nec euacuatio, nec abscessus eueniet, sed simplex longa die solutio. Hanc noscemus etiam ex morbi specie, more, & vehementiæ absentia. non aderit febris, vel ignaua saltem; & salutaris est morbus. Viribus etiam validis opus est ad crisin: nam validæ etiã febres cum viribus imbecillis, per solutionem finiuntur. ergo effœto ægro, vel morbo decrescente, solutio terminabit malum. Si ea quæ primum ferocia erant, mitescunt; non fiet crisis, sed simplex solutio. *Num fiet.*

Sciendum, duplici modo agi posse de crisi; de signis nimirum præsentis crisis, vel futuræ. primum breuiter quædam de præsenti, mox de futura. Sed quædam vtrique sunt communia, & bonam etiam crisin præcurrit perturbatio, anxietas, dementia, vigiliæ, somni, anhelitus, vertigo, dolores, aurium sonitus, marmarygæ, lacrymæ, vrinæ suppressio, labrum tremulum, rigirus, anticipatio paroxysmi, æstus, sitis, clamor, iactatio. *Notandum.*

Instantis bonæ crisis notæ sunt pepasmi. sed dignitas excrementorum debet ponderari. nam expectorata maximè obseruari debent in pleuritide, in febribus, vrina. Secundum signum bonæ crisis est, quod venit die critico, quodque primo indicata fuit. Tertium bonæ crisis symbolum est, quod excrementum respondet speciei morbi & eius motibus: vt hæmorrhagia in causo, vel à rigore sudor calidus toto manans corpore, vel biliosa excretio sursum aut deorsum: in quotidiana pituitæ effusio & sudor: in phrenitide sanguinis profluuium; vel sudor toto manans corpore, & abunde à capite. In fimis partibus hepatis phlegmone, absoluitur hæmorrhagiã, sudoribus bonis & vrinis in eius cauis, biliosis excretis, vomitibus interdum, sudore. Ardentes cunctæ sudoribus proprie iudicantur: præambulone semper pepasmo. Quartana iudicatur atris variisque elisionibus, semitertiana, biliosis cum pituitosis. His iunge ætatem, diætam &c. Si enim hæc in morbo bilioso, bili studeant, necesse erit morbum bile elisa sanari. *Instantia crisis.*

Futura vero crisis ex eisdem fere quæ diximus accipitur. Verum illa futura sit bona vel mala, ex ægri robore, & more morbi intelligemus: vt si incidat causus cum notis benignis, integris ægri viribus; ad statum aduentarum collinea, quo deprehendas an eo vsque pares sint futuræ morbo vires. Ita comperies num pueto portando sufficiat, si exploraueris baiuli firmitudinem, viæ longitudinem, & onus, ita febris magna indicat crisi terminandam: si fuerit febris ea benigna, tutam crisim fore denunciat: & si vires statum integræ exceptæ sint, optima futura erit crisis; nam alioqui moriuntur. Maxime à pepasmi capacitate vel ab ea alienatione bonæ vel malæ crisis indicium captabimus. Secundo, vt pepasmi notæ cito effulgeant, optandum. Tertio, vt constantia quadam perennent, nec crebro euarient. Quarto, vt tempore & loco excernantur, hoc est à pepasmo; & si ὑγιείαν consectaneam habeant; & si die critico apparere cœperint. Quinto, vt excretio fiat κατὰ λόγον morbi: nam alij morbi aliis placantur excretis. Talia autem excrementa maxime sunt, vrinæ, deiectiones, expectorata, sudores naribus & ore profluentia. In his notari debet substantia & contenta, qualitas, copia, tempus, & modus excernendi. his iunge ætatẽ, diætã, aẽrem. Hic etiã cuncta epiphenomena examinabis; nam morẽ & motũ morbi denunciãt. Hippoc. optimus horũ præceptor cõsulatur libris Prognostic... *Futura crisis; An bona vel mala.*

Axiomata. Sed vide vt materiæ morbificæ translationes rectè obserues. Axioma est Hippocraticæ scholæ: *Tolerabilior vt est morbus qui validis venit viribus, quam qui effœtis; ita primigenij morbi materia est mitior, quam secundarij, per metastasin nati.* Præterea, omnes morbi symptomatici excursus & recursus consectarij, sunt primigeniis longe peiores: nam efferus indomabilisque humor offendit partem: qualis est qui ex priori morbo vitium fecit. Hæc sententia summi præceptoris: Τῶν νοσημάτων ὁπόσα ἐπιγίγνεται, ὡς τὰ πολλὰ θανάσιμα. quod est, *E morbis qui alter superueniunt alteri, non raro mortifere habet ægrum.* Nam cum infirmo iā corpore mare maleficentia morbi præsentis, alter morbus incidit, prius proiectis viribus moritur, quam morbus noue adueniens, cursum suum confecerit.

Lib. περὶ παθῶν.

Quid. Deinde quid euenturum sit, indagabimus. Id vt colligamus, signorum omnium, (quæ ex iam dictis rebus examinantur) quæ cernuntur in qualitatibus corporis, actionibus & excrementis, ea conspiratio esse debet ad crisin, vt certo promitti possit quando ventura, & quid ea ea sit euenturum. vt in causo præsagimus interdum hæmorrhagiam; ita species hæc febris suadet: & eius magnitudo in crisin se effusuram dicit: & mos eius ita habet, si iuuenis sit; nam in eo sanguis anarrhopos est; si senex (quia in hoc sanguis est catarrhopos) cruenta dysenteria finiri poterit: & sæpe maligno quodam more enecat funesta crisi. dein motu celeri quia fertur, excretione finem inuentutam denotat: & ex epiphænomenis signis si constet caput incenri à sanguine, hæmorrhagia eueniet: vt si ob oculos splendores exiliant, & deliriū superueniat à subito enata cephalalgia; si nares pruriant, facies rubeat, & adsit tensio mollis hypochondriorum, &c. adde iam causas vndeenata febris, & corporis ægroti naturam. Eadem signa epiphænomena quæ tempus crisis denunciant, etiam speciem crisis notare possunt. ita visum Hippocrati, vbi ait, *Quibuscumque circa initia febrium, oborta sternutatione, sanguinis stillicidia fiunt è naribus; siquidem quarto die vrina hypostasin habet albam, dimissionem morbi per hæmorrhagiam septimo fore ostendit.*

Modus. Cum itaque compertum fuerit quando & quid euenturum sit, deinde etiam Quomodo hæc suam historiam finient, ea eisdem ante positis notis indagandum erit. Num ἀθρόως vel sensim, hoc est, num critica perturbatione exclusura sit natura materiam morbificam: vel num potius longa die eam exhauriet per * ἄδηλον διαπνοήν: aut num in abscessum morbi causam effundet. Scripsit Hippocrates initio De humoribus: οἱ πεπασμοὶ ἔξω ἢ εἴσω ῥέποντες, ἢ ἄλλῃ ὅποι δεῖ quod est, *Natura à pepasmo* triplicem viam inuenit qua se tuetur, *ac morbum excutit: aut* enim *foras* excludit; sudore laudabili, ictero critico, exāthematis: *aut introrsum* excernit; alui deiectionibus, vrinis, hæmorrhagia: *vel per* * *diadochen* eam exigit è directo & procul, si lætis rebus fiat, in partem capacem, vbi abscessus nascetur. Verum si bilis tenuis bellum moueat, cum libertate meatuum, explendescente suis opibus natura; in ita meabili corpore, sperabilis erit excretio à pepasmo, introrsum aut foras: quatenus natura & humor huc, illucve cursum inflectunt. At vero si nec humor, nec natura, nec meatuum libertas æque exclusioni comparata sint, vnius tantum vitio vt naturæ fractioris, aut materiæ contumacioris, aut meatuum arctiorum, morbi diuturnitas (à cocta materia) in abscessum fatiscet. excitetur vero hæc materia intus foras, aut superne deorsum; quo natura viam affectat, & vbi iam excipiendi promptitudo est. Nam in titubante ætate, cespitante corporis robore, indomita materia, & meatuum angustia, vt neque excretio, ita nec abscessus fit, sed in corruptelam degenerat, vnde Ilias morborum subnascentium. Crises itaque morborum absoluuntur excretione humoris morbifici, vel abscessu. hoc autem fit cum natura insurgit in paroxysmo, recreata humoris pepasmo & partium neoterismo: runc in bellum surgit. Sed diuturni morbi nisi hanc naturæ ῥοπὴν sentiant, vt in Cleonactide octogesimo die, in abscessum abeunt ad inferas partes: hoc, vbi materiæ contumacia, & meatuum angustia difficultatem & eretbismi vacuitatem afferunt, viribus adhuc validis: alioqui pro abscessu malaimum ex cacochymia expectabimus. nam naturæ diu multumque oppressæ sopita vis, & meatuum angustia, desperatam efficiunt excretionem. soloque tunc abscessu sperabilis crisis; nisi abscessus materiam & occasionem vrina crassa, multa, & alba præripiat: qualis Archigenis sero profluxit. Sed acuti morbi excretione maxime abiguntur, vt diai, ἔξω καὶ εἴσω: idque iuuenibus, quorum meabile corpus, & humor, & naturæ motus vegetus. his enim tribus opus est ad liberam & liberalem exclusionem Breuiter: cuique morbo sua debetur crisis, per euictionem peculiarem suæ causæ, & redintegrationem partis obsessæ. Euictio fit pepasmo, excretione. abscessu: pro humoris qualitate, naturæ impulsu, & meatuum conditione. Præterea certæ sunt crisium quædam perturbationes, quæ iure & loco apparent; ex quibus naturæ motum præsentimus quo tendat: vt, si male rura futura sit crisis, de ea habeatur prouisio: & ne sinistre remediis victuue eam tollas, tardes, aut præcipites.

** instinctibilem exhaustionem, perspirationem, seu exhalationem.*

** id est, traditionem.*

Ex specie morbi, crisis vt intelligatur idea.

Antea diximus, ex morbi specie decisionis formam intelligi. sed cum iam in procinctu est, crisis, epiphænomena quædam explendescunt; quæ varia, varias excretiones denotant. Vt si causos ad crisin surgat; cumque hæc hæmorrhagia, sudore, vomitu, vel deiectione crisu inire possit; tu ad vomitus futuri signa oculos vertas. huic enim caligo, capitis dolor, vertigo, cardialgia, tremor infimi labri, & tenuis saliua ab ore anteambulones esse solent. At si hæmorrhagia in præcinctu sit, facies rubet, lachrymæ manant, caput grauescit, temporum venæ tenduntur & pulsant, calor multus, si fit iuuenis. Sed si vrinæ substiterint, rigorque superuenerit, in vacuitate antedictorum signorum, aluo suppressa, sudore decisionem faciet. quem iamiam adfuturum, molles vndosique pulsus nunciant; & facies rubet, & omnia vapido quodam ab æstu calent. Num vero per aluum excurret crisis, nullæ peculiares id notæ indicant: sed aliorum inopia, hanc restibilem denotat, dum modo in ῥοπὴν suam se crigat morbus. Si tunc indoluerint lumbi, pondere quasi obruti, quod in pubem se effundit, ea vtero fiet excretio; sio ad sedem, eo fiet deiectio. Abscessu frigidi morbi maxime decisionem habent: at parui morbi die soluuntur: ita species suadet morbi: at longi abscessis iudicantur, vt acuti & magni crisi: ita motus morbi. Si fractus æger; die euincentur morbi, vel eum opprimment: ita vires. Hyems in abscessum est fœcundior. Hi abscessus mali sunt, si dolorem acerbum, acrisiam, vel diuturnitatem secum adferant. Pars ea excipiet abscessum quæ imbecillior: & è directo si fiat, melius fit. Pars afflicta solutionis modum etiam declarat: ita vrinis hepatis gibbæ se laxant. Peracuti itaque & acuti excretione maxime finem inueniunt. à quadragesimo die raro id euenit, nam coctione longa euincuntur: vel languidam & repetitam excretionem mouent. Abscessu qui finiuntur, comitem illam perturbationem criticam non agnoscunt: vt nulli longi morbi, nisi postea in acutum degenerarit malum. Ex dictis primum symbolis elucescet etiam per quænam loca propulsura sit natura morbificam causam; an sudore, vomitu, hæmorrhagia, &c. quod iam diximus; & breuiter repeto.

Abscessus.

Pars ad quam decumbes abscessus.

VIÆ.

Crises fiunt excretione, vel abscessu. Si excretione, id fiet quatuordecim dierum spacio: ἔξω ἢ εἴσω, idque iuuenibus, quorum meabiles sunt succi & corpora, ac motus naturæ iuueniles: Sed prætepta crisis occasione &

Anacephalæosis prædictorum.

& causa per excretionem, (hoc est in cruda & contumaci materia & meatuum angustia) inclinatio fit ad abscessum, modo natura viribus integris propugnet: si illa fatiscat, cachexiam expecta & corruptionem: nisi tamen post exacerbentur, vt in Cleonactide ad octogesimo. Diuturnorum autem morborum nec simplices nec vniusmodi ferè sunt crises, ob succorum vnde nascuntur cruditatem, & viscerum imbecillitatem. & tamen sententia Hippocratis est, neminem quartana defungi sine crisi. Variæ itaque eueniunt crises, pro vario humoris motu, naturæ impulsu, & partium obsessarum conditione, vnde diuersis viis feruntur.

Diuturnorū.

Num vltro, vel arte.

Ea ante positis indiciis etiam noscemus, num vuius naturæ vi, vel ab artis iuncto præsidio, hæc expectanda sint; vt nimirum id quod prælegimus euentum habeat. Et si plures effectus in vitio fuerint, quanam serie illi euincēdi sint; quid primo, quid secūdo cedat. vt si tertiana & quartana afflixerint, prius superabitur tertiana.

Ordo.

Copia, & tēpus excernendi.

Ex eisdem propositis notis copia erupturi excrementi inuestigabitur. Quod si copia accessior fuerit quam hæ (hoc est morbi species, magnitudo, mos, motus pars obsessa, humoris dominatus &c.) indicant, hoc ad detectius vel ad mortem apparebit. nam nihil paucum est criticum: sed plena ac liberali manu effundi debent quæ criseos ideam præ se ferunt; ratoque cieri debent. Malè enim natura tentat quod non perficit: nam calcari materiæ tunc stimulantur; sed vbi materia cocta, tunc vltro natura surgit. Ita in Hippocratica schola damnantur τὰ σμικρὰ ἐμέσματα, καὶ τὰ ἴλγυς ἀλλήλων ἰόντα, quod est vomitiones exiguę, & frequentes: cum enim repetito id fit, naturæ oppressæ imbecillitas in summa excernendi necessitate declaratur. Ita substillum sanguinis è naribus die non critico, mortem iam futuram denotat. nam nihil κρίσιμον bene fit; tale est paucum: oppressæ naturæ & effœtorum viscerum argumentum. & ea irrita contentione naturæ, frustraque tentata excretione, maior fit infirmitas, & morbus vires acquirit, inde grauioribus symptomatis natura iam effœta opprimitur. Nascitur enim materiæ accisa copia ob materiæ contumaciam, meatuum angustiam, & imbellem naturæ concussionem. propterea nihil paucum excernitur καλῶς καὶ κρισίμως: id elucet in dysenteria & tenesmo, & in ephidrosi, hoc est sudatiuncula, qua tantum roscidum est caput, ceruix & thorax. Vel totum corpus exiguo sudore vdum: quod fit vitio & resolutione partium solidarum, ita effœtarum, vt alibilem succum sibi assimilare nequeant, sed elabi & diffluere permittant. Sed cum liberè copiosèque effunduntur, bonum. imò talis hæmorrhagia τὰ κρίσιμα μὴ κρίνοντα à calamitate vindicat. Quæ fuit causa, vt Galenus super Merone per hæmorrhagiam à morbo lethali liberato exclamet, αἱμοῤῥαγίαι λαῦραι ἐκ ῥινῶν ῥύονται πολλαί: id est, *hæmorrhagia multa, multa difficilia dissoluunt.*

Fida & perfida. ἀνυσίμως καὶ δυσμενῶς.

2. aph. 12.

Tandem, criseos comperta ratione in euentus modo, videndum etiam num facilè vel difficilè, cum fide aut perfidia, perfecta vel accisa, & num optima futura sit; hoc est, quæ morbum soluit integrè sine ægri periculo, & fideliter per liberalem & liberam excretionem. vel num rediuiui morbi metus sit ab imperfecta crisi, à materiæ contumacia, meatuum obstructione, aut naturæ ab infirmitate. vt in febribus, vbi empyeuma & oris amaror superest à materia restibili, vnde vigiliæ, vel pressiores somni, inappetentia, malus color, oris amaror, excrementa non bona, nec pulsus, adest oris siccitas, & sitis. Ii morbi reuertuntur: nam non sunt κεκριμένοι καὶ κεκριμένοι ἀτρεκέως, id est, *non indicantur perfectè, & non indicati sunt exquisitè*, sua quæque propria crisi in specie, materia, & subiecto: in qua nulla ratio desideratur nec signorum antecedentium ad tempus & ad speciem crisis, nec causarum criticarum in qualitate, copia, tempore, excernendi vel abscedendi modo: hi sunt ὑποστροφαί: nam horum reliquiæ cum non sint naturæ consociales, vt assimilari possint, reliquum est vt putrescant: & ab his cibus corrumpitur. Tales sunt qui ante tempus erumpunt; vel si decernantur ante tempus. nam illi qui sunt relapsus expertes, die critico excludi debent, signis criticis præambulonibus, quæ indicant pepasmum. Maxima enim vis pepasmi ad certam crisin: quod ita testatur medendi præceptor: Πᾶν τὸ ἐκπυΐσκον ἀπὸ ... id est: *Omne quod suppurat, metuit reuerti. ipse namque pepasmus est crisis & abscessus simul.* Nam triumphalis natura tunc insurgit viis liberis, atque ephodon suam molitur: eamque ostendit indicibus prodromis; post autem liberali & libera exclusione die critico. Hoc est, editis pepasmi signis ad tempus, & iis quæ ad speciem crisis apparent, in paroxysmo aduersus causam morbi insurgit critico die, qui ab indice denunciatus erat. Tunc fida est crisis, & πεπασμὸν comitem habet. Sed motus omnis ad crisin die ἀκρίτῳ, inducit κίνησιν ab inani erethismo. sed τὰ κρίσιμα μὴ κρίνοντα, τὰ δὲ δύσκριτα, ἢ θανατώδεα, quod est, *indicatoria non indicāntia; aut sunt sinistri iudicij, aut mortifera.* Quare bona crisis ferè fit in ordinario paroxysmo. Nihil autem salutariter exoluitur aut apparet ἀκρίτως καὶ ἀσήμως, nec quiescit bonis ægrotum rebus: sed talia mortifera sunt, aut sinistri iudicij. Hoc dicit Hippocrates in Prorrheticis, τὰ ὑπόδυσκα ἄκριτα καὶ ... : hoc est, *quæ dolorifica sine crisi residunt,* (loquitur de parotidibus) *praua sunt.* Omnia firmiora sunt quæ die critico eueniunt & apparent, bona vel mala, ad interitum & salutem. Mala sunt, copia accisa, dies non criticus, & pigra excretio. Nam vt cita coctio citam adfert crisin; sic tarda difficilem relapsus capacem, nec securam nam tardicate et segnescit viarum & succi meabilitas, & naturę vigor. Semper illud notetur: Epiphænomenon vnum *κύριον, prauum, pluris esse debet ad interitus præsensionem, quam pluta commmunia. Propterea nota propria indicia singulorum: & quæ materiæ, loci, vel alius rei ratione indicia præbeant. Inde enim cuiusque dignitatem internoscimus. Semper diei critici & pepasmi maxima ratio habeatur: nā nulla bona crisis sperabilis, dum cruditas manet: nec vllà significatio tunc esse potest secundi iudicij: nec quiaquam bene fit, quod lege critica non fit ἐν τῷ πεπασμῷ ἐν τῷ χρόνῳ, id est, *die fit pepasmus*: qui suos gradus habet; primum inchoati, inoa manifesti, tum demum perfecti.

1 3.76

Dignitas epiphen.

* *idest, morbi, aut partis affectæ propriam.*

Notandum

Priusquam abeam, moneo: Antequam iudicium profetas de morbi euentu, sit comperta tibi naturæ triumphantis, vel triumphatæ tota historia. si ante ad prædictionem vrgearis, responde cum causidicis, Nondum liquet: & semper, Si nihil delinquat æger, astantes, & ea quæ à foris sunt. Nam (vt scripsit ille medicinæ præceptor) *Acutorum morborum non sine dubio interitus aut salutis sunt prædictiones.* Quasi dicat, quamuis eorum sit propria crisis fere à pepasmo & naturæ erethismo (nam celeriter, vehementer, & continenter mouentur,) non tamen omnes sunt bene morati: quia translatione turget eorum materia. Et in consociatis morbis interdum, dum vnus triumphatus conspicitur à natura, ab alio triumphata occidit. hic medicorum rubor, ni signa cuique morbo peculiaria collata, periculi metum, aut salutis spem exprimant. Caue à pollicitatione, dum res sit cum morbo mali moris; qui blanda facie annuentes, eludunt. Examina hic pulsus, respirationem, & somnos, &c. Dum fidum non prodit signum; à pollicitis abstine, maxime in his qui temere mouentur, quique anomem crisin edunt. vt si hæmorrhagia eueniat ex naribus quartana occupatis. Nam propria crisis est, quæ secundum morbi ideam & focum, naturamque eius qui iudicatur, inclinat, Imperfectam crisim habuit Epicratis vxor, Cleonactides, Herophon, mulier quæ in litrote, Pithion, Cherion. Optima crisis fit in vigore: in augmento non fit secure, vt in Philisco.

Cautio ut perdiscendum.

CAPVT V.

Particularior exercitatio, qua rectè speciem cuiusque crisis futuræ discamus. & num imperfecta ea sit futura.

MOrbi à causa calida nati, cum libertate meatuum, & vitium robore, eacretione, si eius essentia præcipitem mutationem suadet, finiuntur. alioqui si contrario modo enascantur, marasmum inferunt, aut tandem longa die via pepasmi capaces redduntur: si medio inter hæc filo trahantur, abscessus facient. Nam si frigidi succi in vitio fuerint, triumphali quadam virium vi opus erit in tardo illo motu ad abscessum: nam fractis viribus, & biliosis morbis abscessus eueniet: sed plerumque primis diebus vires integræ florent; & his maioribus ad eacretionem opus est quam ad abscessum. Si itaque per crisin finem faciet, quanam idea illa prodibit? & si per abscessum, quo fiet? Certè quo natura & humor viam affectant, eo criseon inclinationes fiunt. Itaque notanda erunt propria cuiusque excretionis indicia. Si aluus & vrina præter rationem subsistant, cum crisis in procinctu est, rigorem expectabimus, si non præcedens grauis ægro fuerit. Sed cum rigor iam euenit, distinguendum erit num consectaneum adducturus sit sudorem, vomitum, alui subductionem: vel num hæc cuncta simul, an potius ex his quædam adnehet. Hoc distingue, num vrina sola repressa, an vna aluo intercepta rigor superuenerit. Ambobus restagnantibus, plurimus rigor & sudor sequentur: nam eo succi cursum suum flectunt. Si vrina sola substiterit ante rigorem, oculos vertes ad aluum; num illa parcius vel liberalius ante hoc crisis tempus se effuderit: si largius, eo se vertet natura: & tunc non fiet per sudorem eacretio, etiamsi vrina substiterit; nam ante omnis vrinæ materia ab aluo exhausta fuit. Si parcius primum aluus feratur, dein ad vigorem supprimatur vrina, ægrum rigore ac sudore perfundi necesse erit: nam his tribus locis vacuatur ichor.

Sudor. Sudore ita indicatus est Herophon, Cleonactides, mulier in littore, Melidia, Pericles, virgo Abderæ, Anaxion, Nicodemus.

Vomitus & sudores. At si vomitus etiam notæ accesserint, per ambas has tunc crisis fiet: æqualiter, si æqualia fuerint indicia: alioqui potiorem sequentur magis. vt per sudores, si inualescente paroxysmo, vaporibus sursum elatis delirauerint, & exteriores partes calore & rubore suffundantur; & si vapor, qui ante aberat, expirat, vndoso mollique pulsu: nam durus potius vomitum monstrat. Vomitui præcurrunt cardialgia, cephalalgia, tenebræ & vertigo, labij inferni tremor, saliua multa: Ita Epicratis vxori. Si vomitus signa adfuerint, & aluus valide excreuerit, vtrinque crisis inclinatio fiet. si riget cum frigore hypochondriorum, iam iam bilem vomet: si cætera subscribant, vt ætas &c.

Pulsus. Altus autem pulsus omnis excretionis nota est, sicut & vehemens. magnus foras potius ferri inclinationem crisis denunciat, quam intus: & hæmorrhagiæ significationem adfert. Si intus viam affectare videtur natura, absentibus signis vomitus, aluus crisin dabit. Inæqualis pulsus in crisi, periculi plenus est, aut raptum bilis ad ventriculum indicat: tunc ventriculus affligitur.

Hæmorrhagia Hæmorrhagiæ notæ sunt, caligines, marmarygæ, & scintillantes ob oculos splendores, lachrymæ sine causa obortæ, & rubor malarum, oculorum & narium, hypochondriorum tensio sine dolore: & spiratio difficilis quia sanguis per thoracem sursum repit; calidæ capitis pulsationes & tensiones, cum pulsu magno: his adde ætatem &c. ita Meton, & virgo Larissæ.

Deiectio alui. Deiectionis symbolum nullum est peculiare, sed cum adsint notæ futuræ per crisin excretionis, nullæ tamen conspiciuntur quæ significent vomitum, hæmorrhagiam, vel sudorem; & si plura per aluum ante cœperint ferri, maximè retenta vrina; vt Clazomenio euenit. Sed tunc etiam per hæmorrhoïdes vel menses effundi poterit. verum tunc maxima aderit lumborum grauitas, tensio & dolor, si fluxuri sint menses: vt in muliere quæ in Thaso, tertij Epidemion tertia: & in virgine Larissæa. nam hæmorrhoïdes ægre deprehendas. Per vrinas euasit Pythion, qui ad Telluris ædem.

Sin abscessu æger defungetur morbo, communia signa erunt, pepasmi difficultas, tenuis & cruda vrina: *3. Epid. 1.* vt qui ex frigidis succis morbus prodit. Hi abscessus *Abscessus.* sunt vel calamitosi, vel mitiores. Occasionem tamen abscessui eripit vrina copiosa, crassa: nam ita longa coctione potius soluitur morbus. tenui vero ac cruda perseuerante, si nec miris, nec omnino calamitosus morbus adsit, si cætera quę conualituris adesse solent præsto sint, abscessum expecta: citius in minoribus triginta annis: etenim senibus, ob effœtas vires, non eueniunt. & in sola continua febre horum expectatio est: nam intermittens potius in quartanam abit: maximè si erronum more feratur, & autumnus in procinctu sit, hyeme etiam potius; & tunc diuturniores esse solent. Quodnam in membrum sese effusurus ille sit, natura morbi *Quo euasurus abscessus.* dicet. Nam si non ita diuturnus fuerit morbus, cum ibi non tam crassi nec æquè frigidi succi adsint, ac vires vegetiores, potius sursum se inclinabit abscessus. si tunc in tali morbo, subito anhelosus reddatur homo, moxque sedetur ille anhelitus, certo humores iam tunc sursum, per pectus in caput abripiuntur; maximè si cephalalgiā consectaneam trahat, grauemque somnum & surditatem; tunc parotis, id est abscessus pone aures incumbet. *Parotis.* Sin valdè longus reddatur, ac ignauescat morbus, frigida à materia crassaque enatus, titubantibus iam viribus, ad inferna erumpet. maximè si absint iam dicta, ac æger ab infernis causarius sit.

Sed pauca dicamus de imperfecta crisi. Interdum *Imperfecta crisis præsens ut noscatur.* imperfecta à crisi vis morbi ignauescit, nec tamen conualescens æger eualescit: Hoc vsu venit cum ante vigorem suum morbus in crisin extimulatur: id fit ex magnitudine morbi, eiusve celerrimo motu, vel ab irritamento à foris. Vt si ex lege naturæ quæ decimo quarto eruptura erat crisis, ob irritamentum decimo die exiliat; non erit illa eucrisia: nam trahet secum vel grauia symptomata, vel recrudescet: tanta vis est pepasmi & vigoris morbi. ita accisa crisis deprehenditur. Sed vnde *Crisis imperfecta futura signa* futuram eam venabimur? Id dignoscemus ex morbi vehementia, celeritate præcipiti, & ex irritamento à foris. nam si quamplurima ex his, in morbo crisi terminando innctim effloruerint, aut euertet morbi vigorem crisis: hoc est paulo ante eueniet. nam vigor, eique præcurrens tempus solum crises agnoscunt: etiamsi in principio morbi, eiusque augmento aut statu in calamitatem abripiantur ægri. De solutione morbi quæ die fit longa, diximus ante.

Vltimo de vltima rerum linea pauca dicamus. Hæc *Mortis præsensio.* quatuor rationibus rumpitur, cum homines in vita hac esse desinunt. Duo mortis genera cum crisi adueniunt: *Duæ crises non bonæ.* & duo crisis expertia. Quæ cum crisi, gemina facie edūtur; nam aut subito, cum perturbatione critica, eacretione, vel abscessu mors venit: aut subito in deterius res ægri abeunt, cum perturbatione critica, excretione, vel abscessu. Quæ sine crisi mortis ideæ geminæ arrepunt, etiam duplici imagine conspiciuntur: vna qua sine perturbatione critica & insigni excretione aut abscessu, ad deterios subito abit, & sensim ad mortem viam facit: appellatur arefactio. altera. qua sine perturbatione critica, excretione, aut abscessu, subito vt alto sanitatis culmine ruit vita. Quatuor habetis mortis rationes. Nemo subito euadit sine crisi, vbi morbi hypatris materiæ vitium agnoscit: sed multi sine crisi subito *Mortis causa triplex.* intereunt. Mortis enim (vel extra crisin) causa est

triplex

triplex, inflammatio inducens marasmum: venenata qualitas, qualis micat in pestiferis febribus: & translatio symptomatica, quæ fit dum ignobilis pars succos, quos continet putredine labefactatos, in partem nobilissimam effundit. Præsensio autem lethalium crisium, num scilicet sint futuræ, & an hoc vel illo die, & num ad mortem vel deterius solum euenturæ, difficilis præsagitu. nam, vt triumphalis naturæ exsplendescentisque suis opibus certi sunt motus; ita euictæ incerti, ac propterea fere incogniti.

Postquam itaque exploraueris ex certis notis, morbum calamitosum esse; num ea calamitas crisi consectaria sit futura, deprehendes ex virium cōstantia. nam si vires hebescant, ac morbi motus ignauescat, & cruditatis si omnia plena adhuc fuerint, crisis nulla erit expectabilis. Sin vires emicent, cum motu celeri morbi, & quid cocti appareat, natura crisin tentabit. In calamitosis morbis, licet perpetuo morbus præualeat viribus humanis, non tamen necessitate quadam vires languere æquum est. Tempus calamitosæ crisis, ex perspicientia vniuersalium morbi temporum præsenties. Verum perniciosa crisis raro vigoris in tempus surgit, sed in augmento potius vitam abrumpit, nisi aliquis dies eam expectandam esse denunciarit; ægrè diem eius quo historiam suam absoluet, deprehenderimus. Vt si, quarto die nebula nigra in vrina conspiciatur, cæteraque calamitatem designent, sine spe sanationis hic erit: Si itaque imparibus diebus moueatur morbus, septimo die crisin inibit: si vero paribus, sexto. Certiorem morbi motus euentum reddet: nam si celeriter feratur, sexto; si tardè, septimo die crisin faciet. Verum si indices dies de mala crisi nullum symbolum eduxerint, ægrè tempus crisis dignosci poterit. Attamen si accuratè deprehenderis quantum natura triumphata sit à morbo, morbificaque materia, atrocesque paroxysmorum afflictiones ponderaueris ad naturæ restibilem vim, mortis diem præsenties. Si enim multis parasangis superet morbus, mors cita veniet: alioqui tardius. Vt, si sit atrox morbus in titubantibus iam viribus: eo die quo paroxysmus venit, morietur; & ea hora in quam paroxysmi augmentum vel vigor incidit. Sed ne nescias num in augmentum, an potius in statum mors incurret, animaduertes quanam paroxysmi parte ac hora atrocius incurri ac quassari male soleat æger; de hac metus mortis esto.

Mortis hora ut noscatur.

Idea quanam opprimetur in exitiali crisi, docebunt ea, quæ de bona crisi diximus. Num tamen subitanea mors veniet; an solum in deterius facta commigratione paulatim illa obreptura sit, ex morbi vehementia, more, motu, ac ægri viribus internosces. Si enim vehemens fuerit morbus & eius motus, specieque calamitosus, & vires fractæ, morbusque crisis capax sit, ipsa subito internecionem adferet. Sin contraria adfuerint, illaque moderatoria fuerint, primum subitu in deterius abibit mox sensim mors veniet. Mortis quæ citra crisin inuadit, sineque perturbatione, excretione, & abscessu, nota est, virium prostratio, coctionis nullum vel tenue indicium, vehementia si his accidat, & motus celer. Paulatina mors in augmento vel statu vniuersali solum veniet. quæ subitanea est, ineunte morbo incumbit. Diem videbis, si quātum naturam morbus vicerit, deprehenderis, & vim paroxysmorum examinaueris, vt ante admonui. Mors quæ sine crisi accedit, quouis paroxysmi tempore incumbere potest. Si itaque de subitanea morte metus sit ob succi crassi vitium, aut ob conceptam grauem phlegmonem in parte principe, is in eius paroxysmi initio, in quo moriturus est, concidet. cum nimirum subito rapiuntur intro illi succi, vnde præcluditur meatus spiritui, & natura raptim suffocatur. At si nullum à suffocatione periculum sit, sed à paroxysmi atrocitate morbique vehementia si pessundatur natura, eius paroxysmi in statu, in quo vidisti moriturum ægrum, vita exuetur: vel si ægrius in augmento paroxysmorum affligi solet, ibi cadet. ita cum sensim moriuntur euenire solet. Quod si prostrata imbecillique natura statum morbi superari posse putaueris, in paroxysmi declinatione mori poterit, exhausto vitali nectare, sed id raro. Clam omnibus illi abeunt, ac de obitu adstantes fallunt alij sensim exanimantur. cuncti tamen à statu paroxysmi mori incipiunt. sed pulsus eos deprehendit. In his ita moribundis tempore declinationis paroxysmi, subito soluitur calor à statu. Sed in bona declinatione sensim vehementior fit pulsus, & æqualior, & ordine concinnior: ex aduerso in funesta declinatione; & vna tunc cum aliis febrilis calor expirat, atque melior spes nascitur: mox vero cum ad leuandum ventrem surrexerint, lipothymiam incurrunt, & quidam pauco tenacique sudore effuso expirant. Et hæc tertia moriendi idea quæ euenit declinante paroxysmo, tum in his qui sensim, tum in his qui subito eripiuntur, conspicitur.

Quali morte.

Tempus mortis.

Mors itaque citra crisin euenit sensim, cum natura aliquantulum reluctatur; & arefactio appellatur: altera, cita mors crisis expers dicitur. Et hæ crisis expertes mortes obueniunt ineunte paroxysmo, suffocata natura ob subitum ad centrū motum; non aliter ac si aceruum viridis ligni flammis iniicias. vel in paroxysmi vigore, vel incremento, superata natura à vi morbi. aut in declinatione paroxysmi aduenit, soluta vi vitali.

Hic manum de tabula. Erat enim propositum viam patefacere studiosis ad medendi præceptoris summi Prognostica, veros præsentiendi fontes, sed non vbique perlucidos satis. Plura ab illis petant, quos hæc non explent. Diligenter sane Galenus, fœlicissimè & copiosè *libris de crisibus* hanc historiam absoluit. quibus ille placet, accedatur.

INSTITVTIONVM MEDICINÆ LIBER DVODECIMVS

De Methodo medendi θεραπευτικῇ.

CAPVT I.

De primarum & secundarum facultatum vi. & de gradibus qualitatum in medicamentis simplicibus: & qua arte hæc dignoscantur.

SCRIPSIT Galenus de medendi ratione methodum vberrimam: sed multis, non admodum exercitatis, ad vsum difficilem: cum nullam methodum communem attulerit, cui cunctos morbos ad sanandum admoueas: sed contra, adhibuit morbis methodum curandi. Nos, ex aduerso, methodum medendi dedimus ante annos tres; cuius ad aram, tamquam Limentini cuiusdam dei, omnes morbi eorumque medelæ, ad redintegrationem sanitatis, necessario examinari debent. non quidem illam à nobis natam; sed à Galeno & Hippocrate, Æsculapidumque familia cultam & propagatam. Huius iam tenue programma ac exile delineamentum, memoriæ causa exhibeo: quo vno quasi filo illam memoriæ nectas, qui eam legisti; cæteris vero lecturis eam, quo fœlicius in ea versentur, hæc instar synopseos erunt eorum, quæ ibi fusè & plenè demonstrantur. Quare per margines numeris eius capita notaui: vt quibus hæc, ob breuitatem, obscuriora sunt, inde lucem petant.

Sed quia medicinam sine medicamentis eorumque perceptis viribus facere non possimus, quodque, vt scribit Galenus, methodus medendi & contemplatio de medicamentorum facultatibus mutuo connexu sunt ita consociata, vt neutra sine altera intelligi possit; pauca de internoscendis viribus subdam, moxque ad methodum medendi veniam. Nam de compositione medicamentorum eorum quæ nunc publici vsus sunt, libro primo nostræ Methodi ad Praxin, abundè egimus: ac cunctam varietatem remediorum selectissimorū illi inclusimus. Et sanè his, qui in medendi methodo versati sunt, secundus illius Methodi liber ad omnium particularium morborū medelas sufficere poterit. Iam ad simplicium remediorum dignotionem veniamus.

6 Simpl. De agno casto.

Simplex medicamentum appellamus, quod vltro solinsque naturæ opera enatum est: vt cichorium. Hæc peculiaribus dotata sunt facultatibus, quibus corpus humanum incurrunt: quas actu seu ἐνέργεια vel δυνάμει, hoc est, potestate continent. Actu, quod coram verè munus suum edere potest; vt ignis iam vrit. Potestate vero, quod tale esse potest aliquo tempore: vt venatorem canem appellamus etiam nuper editum, quod, vbi adoleuerit, venari poterit. Ad ἐνέργειαν vt surgant plerumque opus est remediis aliqua mutatione: quam subit à calido, innato nostro corpori, propterea in tenues partes comminuuntur remedia, & quæ foris admouentur, à frictione imponuntur.

Facultates medicum.

Facultates triplici serie interstinguimus: vel enim sunt primæ facultates, aut secundæ, quæ primarum sunt consectariæ; aliæ sunt tertiæ, quæ secundis succedunt: quartæ addi possunt, quæ ab his non natæ videntur, sed vsu solum compertæ.

Facultatum differentia.

Primæ ab exsplendescente elementorum ac qualitatum eorum excessu dimanant. Vt vis se super cæteras qualitates efferens calfaciendi, refrigerandi, madefaciendi, siccandi; & quæ ex harum consociatione surgunt. Inter hæc ambigit id quod temperatum est. quæ hinc abeunt, non vno id agunt filo: nam quædam leuius refrigerant, alia intensius, nonnulla stricto frigore rigent.

Prima facult.

In tali ambitu ars, τάξεις καὶ ἀποστάσεις inuenit: ordines rectè dixeris, quos Gradus iam vocant: Galenus etiam ἀριθμοὺς seu numeros appellat. Ad primam seriem pertinent quæ ab æquato ita tenuiter abeunt, vt euidenter illud notare nequeas; verum ita, vt rationis subsidio opus sit, quo alterare ostendantur: vt oleum rosatum obscurè refrigerat. Secundi ordinis sunt quæ manifestè absque demonstrationis ope alterare possunt. Tertio asscribuntur quæ efficaciori vi, tamen non summa, suam qualitatem inferunt. Quarti ordinis esse affirmabimus acria & vrentia: qualia quæ vesicas & eschāras euocant; & inter frigida, narcotica. nec potest deprehendi siccum quarti ordinis, quod non vrat. quamuis tertio in numero quædam sine vredine siccare possunt: qualia sunt astringētia vehemēter, vt galla alumen.

R medicorum gradus. 5. Simp. in fine.

Quilibet horum graduum suum habet ambitum ac latitudinem, in quibus eoërcetur. quam in tres ordines pragmatici distinxere: vt nimirum sensim, triplicique serie auctior vis increscat ad vlteriorem gradum. nec enim perinde vrit sinapi, ac cauterium, licet ambo sint quarti ordinis.

Gustu & tactu dignoscitur qualitatis incrementum. vt si moderatius excesserit calidum, calorem blandum adfert, rarefacit, coquit, recreatque innatum calidum; & dolores mitigat: sin validius fuerit, æstum infert, estque sitiferum; siccat, tenuat, exhaurit, incidit, trahit, mordet si crassæ insideat materiæ: cum vero nimia vi flammat, in feruorem abripit, erodit, vesicasque inurit. Frigidum si non valdè à medio abierit, tenuiter refrigerat, condensat: si altius insurgat, quo potentius, eo vehementius refrigerat, calidumque natiuum premit, densat, & necrosin infert. Humidum varia serie madefacit, mollit, & meabile reddit, copia infarcit, promptumque est in flatus: tertium gradum vix in natura superat ob imbecillem actionem. Siccum, vt eius fuerit vehementia, calidiq; consociatio, siccat, tenuat, vrit.

Vt noscantur gradus, & quid agant.

Secunda facultas.

Secundæ simplicium facultates, ex eorum materia cum primis qualitatibus vna consociata ortum ducunt. hæc enim eorū materia est tenuis vel crassa, vt variè à dictis qualitatibus peruaditur. vnde quædam παχυμερῆ, quod est, crassarum partium; alia λεπτομερῆ, hoc est, tenuium partium appellantur. Secundæ dicuntur, quod eum primæ suas operationes ediderunt, postea proferuntur. Calidum calfacit, postea aperit: frigidum infrigidat, postea densat. Tenuia sunt, quæ facile in minimas partes franguntur: contra, ea quæ crassa, dura, solida, lenta: hæc minimè friabilia. Galenus *primo Simplicium duodecimo*, demonstrat leptomeria excellere aërem & aquam: peruadunt enim facilè reliqua corpora minutissimis suis partibus. propterea quæ horum naturam redolent, tenuitatem gerunt materiæ; qualia sunt odorata: quæ vero crassarum sunt partium, hæc terrestria sunt. Quæ aërea sunt, vel aquea. facilè liquori se immiscent, qua talia sunt: vt odora vis cinnamomi; non æque vis piperis. Ad has secundas facultates referuntur variæ vires, vt ratefaciendi, aperiendi, attenuandi, attrahendi: hæc agunt calore, tenuique materia consociata; sicut repellendi, densandi, claudendi, crassandi, iuncta si fuerit crassities frigori; & molliendi, cum accedit his mador; quin indurandi, comite ariditate.

μαλακτικά. Emolliendi autem vim habent, quæ cum modesto aereoque calore madent. Purifica augent calidi natiui copiam, ita vt qualitatem eiusminime inflamment, & *σαρκωτικά.* ita vt nec atterant nec augeant madorem: talia sunt emplastica, quæ poros obstruunt. quare hæc minus calent & madent, quam τὰ μαλακτικά. vtraque tamen euciaton calorem petunt: sed purifica simillimum corpori; emollientia, paulo maiorem.

σκληρυντικά. Indurantia sunt, quæ siccant, absorbendo madorem qui non est ex naturæ lege, citra caloris aut frigoris vehementiam. Sed cum validus calor aut frigus indurant, ab aliena id fit vi, nimirum ab exhausto madore. Fit & durum repletione, vt inflata vesica. nam durum dixitur, cui caro nostra moderata cedit: molle, quod eidem carni cedit.

ἀραιωτικά, διαφορητικά. Rarefacientia seu resoluentia dicuntur, quæ poros aperiunt. & corpus rarius reddunt spatiis manibus. modestè calent hæc, & leptomera sunt, sine magna siccitate; vt chamæmelum, althæa; quod vero vehementer æstuat, vredine stringit.

πυκνωτικά, ἐμπλαστικά. Densantia, rara contrahont, & poros adducunt. talia sunt frigida aquea; hoc est, sine strictione, vt portulaca.

Aperientia, orificia vasorum aperiunt: talia sunt crassa acria; vt cæpe.

Constring. Constringentia, vel constipantia, & occludentia, στυπτικά. appellantur quæ orificia claudunt: talia sunt frigida crassa, sine acredine; vt bolus.

Trahentia. Trahentia, ex imo succos prolectant: hæc sunt calida leptomera, quæ calent & arent secundo ordine, modestè trahunt: reliqua potentius.

Repercut. ἀποκρουστικά. Repercutientia reuerberant accedentes humores. hæc frigida sunt in crassa materia, vt acerba, & austera, quale omphacium. repellunt & adstringentia cum leptomeria consociata: vt succus corticum nucum.

Abstergent. ῥυπτικά. Abstergentia dicta ῥυπτικά, siccandi vim habent, cum leptomeria, siue moderatè caleant vel frigeant; vt hordeum, mel: cuti, poris, & vlceribus dicata.

Expurgant. ἐκφρακτικά, ἀναστομωτικά. 5 sim. 11. Expurgantia, ab infarctuque liberantia, viscerum obstructiones apetiunt, vt hepatis, venarum: sicut nitrosa & amara; quale lupinus, absinthium. hæc quamuis leniter astringant, minimè ab officio abibunt: quod tamen negatum est abstergentibus, quæ, cum foris admouentur, strictione exiguos poros clauderent, antequam abstersissent: intus verò patuli sunt meatus.

Attenuan

Attenuantia. Attenuantia, sunt calida leptomera; & expurgantia cuncta talia sunt.

Emplastica. 1. Simp. 22. Emplastica, seu illinentia, abstergentibus contraria sunt, poros claudunt: vt pinguia glutinosa, & terrestria crassa sine acredine; vt adeps, oleum, butyrum, lithargyrum, bolus; siue calida hæc fuerint siue sicca.

ἐμφρακτικά. Obstruentia & Incrassantia, poros claudunt lentore, & crassos humores profenunt.

Dolores placantia. Dolores placantia, vereque ἀνώδυνα & παρηγορικὰ, sunt leptomera, modestissime calentia, & rarefacientia: vt chamæmelum, lac tepidum, oleum anethi.

Dolorifica. Dolorifica sunt quæ calore vnitatem soluunt: vt rubefacientia, phœnigmi, sinapismi, caustica.

Septica. Septica valde calida sunt & sicca, leptometa: & citra magnum dolorem partem putrefaciunt & corrumpunt. non tamen quicquid corrumpitur, σήπεσθαι, quod est putrescere, diximus; sed quibus id cum fœtore euenit. nam ab omni qualitatum immoderatione quid corrumpi potest. Septicum est sandaracha, aconitum, pityocampe.

Sapores monstrant primas & secundas facul. Quinetiam saporibus diiudicantur facultates medicamentorum prima & secunda: vltimæ nascuntur ex temperaturæ ac materiæ consistentia. Vt in primis facultatibus, sic in secundis tres graduum ordines, ex tenui vel vehementi potentia statuimus: vt acerbus sapor, terreus & frigidus, pro vario gradu valide aut modeste refrigerat, stringit, densat, & incrassat. Nouem sapores testes sunt facultatum: tres calidi; acris, amarus, & salsus: tres frigidi; acerbus, austerus, & acidus: tres temperati; dulcis, pinguis, & insipidus.

Acris. Acris, δριμὺς, acutus, ferit mordacitate & ardore punctili palatum: quin fauces nunnunquam vrit: vt piper, euphorbium, allium. Vesca sunt, quæ vna madent, vt nasturtium: cætera vt varie calent & leptomeria valent, ita vrinam, sudores, menstrua, & expectorata prouocant, si infra tertium ordinem hæreant. hunc si superant, consociata materiæ crassæ caustica sunt, vt cantharides & si calido natiuo bellum indixerint, σηπτικά, putrefacientia & θανατώδη erunt.

Amarus. Amarus sapor lenius quam acris feruet; crassæ materiæ & terrestri insedit Sunt amara cuncta calida, sicca, terrestria: vimque habent detergendi, renuandi, meatusque expurgandi. Auicenna libro secundo Canonis, affirmat amara aperire & incidere: & aridtate sua cum absorbeant madores insolentes, putredines castigandi vim habent.

Salsus. Salsus sapor, calorem gerit, sed minorem: siccitate tamen vegetat, instar cinerum. siccando absterger & purgat. in mediocri stabulatur materia. Propterea salsa modeste peruadunt corpora, digerunt, incidunt, abstergent, expurgant, siccando serum absorbent. Sal leuiter astringit: alius tamen alio potentius: propterea quidam fœlicius condita perpetuare solet.

Acerbus. Acerbus sapor, στρυφνὸς ponticus Arabum, valide linguam adducit, exasperatque siccando inæquali quadam vi; Est terrestris & frigidus: vt corna immatura. Pro vario ordine varie refrigerat, astringit, densat, & incrassat.

αὐστηρὰ. Austerus, Arabibus stypticus, mitior est acerbo, minusque friget & siccat, nec linguam exasperat; vt galla; & malicorium. vterque hic sapor astringit & peripheriam corporis densat nam ratione intensionis tantum discriminantur. Hæc die mitescunt: veterascentes enim acredinem vel dulcedinem contrahunt, deposita vna astrictione. Acerbum, ex sententia Galeni, exuitur incalescens, seu humescens, aut vtrumque incurrens. Cum solum calescit, perennante duritie, dulcescit, vt castanea: si crasso quodam madore humescat ab aqueo, austerum fit: sin leptomeria aërea madescat, acescet: sin pariter calescat & madescat mador aqueus dulcescit, aërea vero pinguescit.

Acidus. Acidus gustum peruadit ac ferit, calorisque expers mordet: leptomeria excellit, indeque prompte se traiicit per corpus. Refrigerant acida cuncta, & penetrant facile; incidunt: nam peruasione & incisione non cedunt acribus quæ infra tertium ordinem: nec tamen exhauriunt; sed vi frigoris peruadentis influentes succos reprimunt, potentique sicci ate hæmorrhagias compescunt.

Dulcis. Dulcis sapor, nulla immoderatione molestus, oblectat suauiter ac iucunde. Dulcia expandunt laxando corpora; non tamen æque ac pinguia: aspera mulcent, maturant; materiæ quandam symmetriam habent; & qualitate madida nobisque affini blandiuntur. mediocritatem caloris obtinent. Nullum enim quod micat dulcedine, frigidum est: quamuis alioqui leniter dulcia perfusa aquosa materia nonnunquam algeant.

Vnctuosus, seu pinguis. Pinguis sapor, lentore palatum imbuit, euidentius calorem nullum spirat; ab obscura tamen dulcedine interdum haud alienus: materiæ symmetriam habet, nec crassam, nec tenuem: madet, attamen non aquea vi, sed aërea: eucrasia illi adest ex calore & frigore: vt malua, althæa, tragacanthum. Pinguia cuncta laxant, molliunt, humectant, mulcent aspera, oblinunt

ἄποιοι. Insipidus est saporis expers, nulla qualitate gustum feriens: vt albumen oui. Materiam talia gerunt crassam terræ expertem, nec siccitate astringentem, sed madore quodam rigatam. Emplastica inde cum fiant, poros obturant, aspera mulcent, & distracta conglutinant. Dulcibus hæc etiam (vt & pinguia) sunt congenera: verum materia horum paulo est crassior crudiorque.

Emplastica.

Ita deprehenduntur facile remediorum vires, vbi vnicam qualitatem gustabilem spirant. Cum vero varij sapores sentiuntur, mixta sane facultas, mistam actionem edet; vt aloë: quæ præter validam amaritudinem, strictam vim gerit: vnde floret diuersa substantia & facultate; amarore enim absterget, & strictione roborat & constringit. Quin subinde adeo varij sapores consociantur, vt nequeas certo cuiusuis ideam internoscere. Hic experientia opus est: nam hæc, omnes fidelissime remediorum facultates denunciat, ac vere testatur de eorum viribus.

De odore. Galenus *quarto De simplicibus*, exemplo rosæ, demonstrat odores certo facultates non decernere: quod simplicia remedia varia materia constent: quæ non æque euaporat, nec odoratui se offert. Sed cum rerum odorabilium vapida sit materia, eadem & calida erit. Auicenna etiam à frigore odores nasci ait: sed bene olentes, & mordicantes à calore esse; at qui acetum redolent, frigidos. Quæ odorata, ea & leptomera. Inodora, sunt crassa, vt austera, salsa, nec se erigunt ad cerebrum inspiratu. Colores vero nihil certi indicant. *Galen. simp. l. 2. & 2 lib. 5 & 4. lib. vls.*

CAPVT II.

De Tertiarum & Quartarum facultatum, in simplicibus remediis vi. & de cautionibus quibusdam huc pertinentibus.

TErtiæ facultates ex primarum secundarumque consociatione nascuntur. Talia sunt maturantia, pus promouentia, sarcotica, glutinantia, epulotica, callum inducentia, vrinalia, menses euocantia, fœtum & secundinas præcipitantia, tussim mitigantia, lac producentia, semen generantia vel obtundentia.

Suppurantia. vel Maturantia. seu Coquentia. Suppurantia symmetriam caloris habent cum emplastica vi, qua poros claudūt; vnde calidi natiui copiam augent, nec tamen qualitatem eius altius erigunt. ita succos tumore conceptos, illisámque carnem in pus mitigat calor. Hæc non longe ab emollientibus abeunt; nisi quod poros infarciant, & substantiam potius calidi natiui, quam eius qualitatem, efferant.

Sarcotica. Quæ carnem ingenerant vlceri cauo, sicca sunt gradu

 primo,

primo, & modeſtę abſque morſu detergent, & adſtrictionis expertia ſunt;vt olibanum,hordei farina.

Glutinantia. Glutinantia ſecundo fere ambitu ſiccant:aſtringunt: media inter ſarcotica & epulotica Dicuntur κολλητικὰ, συνουλωτικὰ,& ἐναιμα,& ἔναιμα, quod cruentis etiam vulneribus admouentur.

Cicatricem induc. Cicatricem inſerentia valide ſiccant & conſtringunt,citra morſum:vnde madorem à carne exhauriunt, eamque adducunt,ac calloſam quaſi reddunt.ἐπουλωτικὰ dicuntur, quorum alia etiam eſt idea,quæ luxuriantem carnem accidit ſua acrimonia. hoc peculiariter καθαιρετικὸν appellatur Galeno. Quidam adiiciunt ſiccans citra aſtrictionem.

Callum induc. Callum inducentia combinant lacera oſſa:nam medius inter os & carnem eſt callus; optimeque illa conſociat : eſt enim durus,albus,ſiccus. Quæ hunc faciunt, ſunt emplaſtica,moderate calida.

Vrinalia. Diuretica,hoc eſt,quæ vrinas euocant , triplici idea dicuntur; vel quæ ad copiam vrinæ faciunt , vt vinum tenue, taliaque liquida leptomera : hæc copiam vrinæ quidem adferunt,ſed non æque recludunt meatus , nec ita tenuant,vt vere vrinalia : attamen quæ reſtibilia in vrinalibus viis hærent ab inopia madoris,nonnunquam excludunt. Alia ſunt. Alia ſunt diuretica, quæ tenuitate ſubſtantiæ abſtergunt;vt ſemina quatuor cucumeraria, & halicacabi fructus , radices graminis. fœlix horum vſus,dum calore torretur corpus. Tertio ſunt diuretica, quæ liquando & incidendo ſeroſitatem à ſanguine ſegregant.hæc ſunt proprie diuretica : ſuntque calida & ſicca. Num hæc in calculo tenum conueniant,quæritur. Hæc ſane aperiunt,tenuant,ſecernunt, & fundunt , vt exinde facile renes prolectent. Calent & ſiccant ordine tertio;acria,& leptomera ſunt , vt ſemina calida dicta,ſaxifragiæ,eiuſque radices. His,æque ac lac coagulo, tenue in ſanguine ſecernitur à craſſo. Vim ergo hæc habent calfaciendi,ſiccandi , ſecernendi , & coagendi. Putantur hæc vltima , calculum frangendi vi prædita.

Lithontriptica. Calculi-fraga. non tamen vlla ſunt quæ peculiari dote id faciunt alia , quam ea facultate qua viſcidum id,quod ſabulera conſociat,laxat , incidit, & exigit : nam calculus induratus omnem incurſum ſoluentium remediorum eludit. Nec diuretica hæc calculo remediantur.nam,vt dixi,cogunt ſecernendi vi , idque in calculum æſtu ſuo excoquunt. Secunda,quæ deſcripſi diuretica , calculum etiam non atterunt : nam quæ ex terreſtri materia lentoque ſucco à valido calore induruere , ea vi caloris aut frigoris inuicta manent,ſola tritura minuenda. nec quæ aſpredine valent, incurrere renes poſſunt , vt lapis ſpongiæ: ſed ſola meabilia & liquida. Quare ſaxifraga vere ſolum ſunt , quæ ſabulata ſoluunt ac exigunt. & eiuſmodi ſunt hæc quæ vere vrinalia appellauimus : & inter hæc remiſſiora & amara ſunt præſtantiora.talis eſt virga aurea,& nuclei perſicorum.

ἐμμηνῶν ἀγωγά. Menſes euacuantia calent cum leptomeria,coquunt, aperiunt,tenuant,incidunt,purgant meatus : maxime ſi acceſſerit amaror,& grauis odor : nam hæc vterum deorſum fugant:illa,expurgant; vt caſtorium,chalbanum, matricaria,ruta,ſabina,ariſtolochia, myrrha, & cuncta fere diuretica Eadem hæc χόριον ἐκβάλλοντα, hoc eſt ſecundas excludunt, fœtuſque mortuos præcipitant.Hæc autem valida eſſe debent, calore , leptomeria , grauedine odoris,acrimonia, & amarore; copioſiuſue exhibenda.

Ex luc. Bechica Galeno ad cenſum veniunt vrinaliorum, & ἐμμηνῶν ἀγωγῶν. ſuntque illi duplicia,tuſſim lenientia, & exaſperantia in tuſſim. Quæ enim ad craſſorum expectorationem faciunt , eadem tuſſim prouocant : quæ vero tenues ſuccos incraſſant , tuſſim mitigant. Etenim quæ expectorantur per ἐκφύσησιν,hoc eſt, exſufflationem aëris,cum tuſſi eliduntur Sunt hæc calida; leptomera;vt ſcabioſa,nicotiana,hyſſopus,praſſium, inula, iris. Alia expectorantia quædam ſunt nec calore nec ſiccitate prævalida , ſed modeſto madore alas pulmonum expandentia,& lenientia , vt glycyrrhiza , paſſæ vuæ,ficus,ſyrupus violatus, pinei nuclei,& ſemina cucumerarias his iunge papaueris codia.

Gal.7. ὑγιει. τῶν. Lac generantia. Lac promouet cibus copia & ſucco gratus:aliquantulum calidior & ſiccior, ſi ſanguis pituiteſcat;ſin bileſcat,madidior ſit diæta.Diuretica mitiora hoc etiam faciunt, vt fœniculum, aniſum, anethum : nam quæ hac vi ſplendent, menſes euocant ; quod lactis generationi omnino refragatur.

Notandum medicis. Obſeruandum eſt in cenſu ſimplici remedij , (quod non agit tota ſubſtantia , ſed qualitate) vt ad primas & ſecundas qualitates cunctæ effectuum cauſæ referantur : nec dicendum , Hoc aperit hæmorrhoides , vel menſes , aut calculum educit peculiari vi. Nam vnicum ſimplex remedium varia potentia etiam micat:vt aloë ſtringendo roborat , & amarore purgat , & ſanguinem ſundit. Galenus inquit , Aloë valde amara eſt:& propterea, eodem ex auctore , iecur & lienem obſtructione liberat, thoracis expectorata promouet,& menſes euocat.& quia modeſte ſtringit,vaſa poterit claudere,ſanguiniſque fluxum frenare.

Gal 6.ſimpl. & 5.ſimp.24. & 8 ſimp. de praſſio.

Gal 6. ſimp. & Rubea. Scribit Galenus , cum ſeſe conſociant amaritudo & ſtrictio in vno medicamento ſimplici , poterunt hæ facultates iunctæ hepar & lienem mundare ; menſeſque euocare : hæc, ob amarorem , & ſtringendi vi , eadem vaſa combinare. Et Galenus vndecimo Methodi ſcribit,amaritudinem ſtrictioni iunctam,ei viam præbere, &,quaſi manu , in profunda abducere. nam amara expurgant vias,& aperiunt;ſequenſque aſtrictio tunc peruadit , & viſcera robore afflat. Amara itaque modo aluum deiiciendo, modo vrinas prouocando , vel menſtrua mouendo,per ſe,vel per aliud viſcera purgant: hæc faciunt,farctu liberando,meatuſque expurgando. Et tamen propter ſtrictionem iunctam quædam amara ſanguinem ſiſtunt, vt aloe vulneribus indita : tamen hiera ſuppoſitoriis addita,hæmorrhoïdes recludit. Quare nec conſectarium eſt,Aloe venarum ora claudit , ergo non aperit:nam multa ſimul facit , ob diuerſas vires quibus prædita eſt.Ita rhabarbarum amarore meatus expedit ab infarctu, & vrinam prouocat;acrimonia incidit , ac ad excretionem ſtimulat; ſtrictione ſiſtit. Ita primæ & geminæ facultates examinari debent. Hoc ſane modo Galeno ſat erit quinque libris De Simplicibus , methodum ea examinandi præſcripſiſſe : in quibus ex primis, ſecundis, ac tertiis pernoſcere docet quodque remedium ſimplex,nam ſequentibus ſex libris exercitationem ſolum init præſcriptæ methodi ; vt nimirum ad illam ſingula examinari debeant. Quare empiricum eſſe affirmamus , ſi quis dixerit , Hoc medicamentum vim peculiarem habet ſanguinem ſiſtendi,vel calculum frāgendi,lac gignendi.

Experientia vt noſcatur ſimplex remed. Experientia etiam notatur facultas ſimplicis remedij. His cautionibus ad hanc opus:Sit remedium examinandum non miſtum,& adhibeatur homini ſano , vel ſimplici morbo occupato. Sit id remedium ſincerum, non alia qualitate , quam ſua , imbutum : & diſcerne quid ſua vi,quidque per aliud moliatur.Huic ſi iudicium acceſſerit, firmior experientia erit : attamen multa iudicium fugiunt,qualia ea quæ ſubſtantiæ eſſentiæ conſectanea ſunt, vſui ſoli exploranda.

Quarta facultates. Quartæ remediorum facultati hæc quæ ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ ſingularem proprietatem ſequuntur, aſcribi ſolent. Sed hæc nec primis , ſecundis, aut tertiis ſuas vires acceptas ferunt. quare in Methodo medendi vix locum habent : vſu ſolo compertæ. Dicuntur hæ occultæ,ſpecificæ,latentes:vt quod magnes prolectat ferrum: ita venena θανατήρια. Aſpis ſoporifico veneno in perniciem trahit hominem.ab haimorrheo demorſis , ſanguis vndique profluit. à rabido cane hydrophobia. Ita ſuis quæque modis in vltima trahunt. Cantharides, veſicæ; lepus marinus,pulmoni;cerebrum felis , hominis cerebro bellum indixere,adeoque plurima variis modis ſunt perniciosa.

perniciosa. His medentur peculiari etiam vt, theriaca, & alexipharmaca. Theriaca resistunt. ἰοβόλων ζώων venenis: nam θηρία dicuntur hæc animalia Græcis. Huc pertinent περιάμματα ac ἀποτρόπαια, appensa aut alligata, Latinis amuleta ab amoliendo, quod venena & maleficia fugent. Alexipharmaca dantur intus ad deleteriorum vim frangendam. Hac vi agunt & pharmaca purgantia: & ea quæ sympathia & antipathia se amant aut oderunt.

Amuleta. Appensa. Alexiph.

De medicamentis hæc satis. Iam ad Methodum; cuius ductu, tanquam certæ Cynosuræ, hæc in vsum duci debent, & cetera cuncta instrumenta quæ arti medicæ suam operam dicarunt.

CAPVT III.

De medici officio. Quid sit Methodus medendi, De indicationibus, quid ea, & quot. Vt morbus eiusque causa, & pars ægra deprehendantur. De prima Indicatione, quæ ducitur ab affectu simplici vel implicito.

IS sane medicus salutiferam manum porriget ægris, qui loco, iure, & accommodate remediis vti norit. Noscet hæc is, quem non fugit, quodnam remedium cuique optimum sit, & qua copia, qualitate, tempore, & modo cuique in vsum flecti debeat. nesciunt hæc, quibus incognita est methodus medendi. Hæc docet curandum esse tuto, celeriter, & iucunde. Tuto: ne lædas. recte Hippocrates, μηδὲν, εἰκῇ τύχῃ μὴ πίστευε. libro De arte ait, μὴ τόλμῃ μᾶλλον ἢ γνώμῃ: quod est, ne temeritate potius quam consilio. & Biantes, * Νόει, καὶ τότε πρᾶττε: sane ἀπεριφανὲς προπέτεια. Cito: sed ne quid temere: nec tamen temere cunctandum. Pulchre olim Cleobulus Lyndius, * εἶναι μηδὲν πράττειν, ἀλλὰ καιρὸν γνῶθι: κρᾶσιν ὅταν ὀρᾶλμεν. Iucunde: nec onera remediorum pondere ægros; & sint, vt res fert, iucundissima; alioqui * μὴ τὰ ἥδιστα, ἀλλὰ τὰ βέλτιστα, vt consulebat Solon: etenim à molli medicina quæ consenuisse videbantur, resobolescunt. & Hippocrates libro De arte ait, ῥηϊστώνῃ μᾶλλον, ἢ βίῃ facilitate potius, quàm vi. His suis officiis satisfecerit is medicus qui methodo medetur.

Officium medici.
** id est, considera, & postea rem aggredere.*
** nihil per vim agere: sed occasionem studo agnoscas: & periclitare prudenter.*
** quod est optima, & non iucundissima præscribo.*

Quid sit Methodus med.

Est itaque *Methodus Medendi, via generalis, cunctis particularibus communis, artificiosa, certa & exacta, inueniendi per indicationes & intentiones, quo remedij genere in qualitate, copia, tempore, & vtendi modo, morbo cuique sit medendum.*

Indicationes. Contra indic. & coindic.

Methodus hæc omnem curandi rationem ducibus quibusdam absoluit. hi sunt Indicationes: quæ numerantur sedecim. *Est* autem *Indicatio, rei agendæ insinuatio*; vel *comprehensio rei iuuantis & nocentis*. Sed *Intensio vel Coindicatio est illud quod non primo, sed per aliud ostendit & admittit id, quod monstrat ipsum indicans.* ita vires indicant victum, & missionem sanguinis admittunt: sic ætas, sexus, consuetudo. Contraindicatio est quod impedit primo, quod ab indicatione suggeritur: vt fracta virtus venæ sectionem prohibet aut moderatur, quam indicatio ab affectu interdum suadet. Hæc est series Indicationum. Sumitur indicatio.

1. *Ab affectu contra naturam: hoc est à morbo, causa morbifica, & symptomate.*
2. *A tempore totius corporis ægri.*
3. *A parte morbo obsessa.*
4. *Ex viribus ægri.*
5. *Ab aere ambiente.*
6. *Ab ætate.*
7. *A consuetudine.*
8. *A peculiari cuiusque natura.*
9. *A sexu: mas, an fœmina.*
10. *Ab exercitio, vitaque instituto.*
11. *A morbi longitudine vel breuitate.*
12. *A quatuor morbi temporibus.*
13. *A paroxysmis morborum.*
14. *A solemnibus naturæ functionibus.*
15. *Ex remediorum viribus.*
16. *A syderibus.*

His certis ducibus absoluitur in cunctis morbis curatio: tantumque medicos fallet curatio, quantum ab his recte in vsum trahendis abierint. Prima indicatio contrarium docet remedium: reliquæ illud admittunt, vel renuunt, aut poliunt accidendo, vt præstantia harum fuerit.

Signa morbi & eius causa, partisque obsessa.

Vt ad primam Indicationem veniamus, eius materies, id est, affectus præter naturam primum cognitus esse debet. Noscitur is ex symptomatis: hæc hærent in corporis mutatis accidentibus: in qualitate, charactere, & mole: excrementis; & actionibus. Ex his noscimus affectum; vt morbum, eiusque causam, morem, & magnitudinem, partemque affectam. Roga ex ægro num prima qualitas molesta sit, calore, madore: & num totum corpus vel pars hac infestetur. Dein de secunda, vt mollitie, asperitate. Tertio num dolor toto vel parte se fundat: & qualis sit ille dolor: nam is variat ex idea materiæ dolorificæ, & partis dolentis, & harum ambarum: de quo in Methodo latius scripsimus. Quarto, (si ex his affectus & pars affecta se non prodant) visu num se conspiciendam proferat qualitas, perpendemus. Color totius, vel partis peruestigetur, maxime faciei & oculorum, vbi etiam character & moles perlustrabitur. Ita transiges de aliis qualitatibus, quæ gustu, auditu, sapore, odore notantur. Si nullam symptomaticam deprehenderis qualitatem, de excrementis interrogabimus; & earum examinabimus substantiam, qualitatem, quantitatem, tempus, & modum excernendi; & maxime, num solemnis aliqua euacuatio sit suppressa, vt menses, aluus, vrina excrementum semper ideam gerit partis vnde dimanauit. Si nec ita aperiat se affectus & pars ægra, deueniemus ad examen actionum læsarum. Rogabimus de actionibus animalibus, vt num perierint, aut labefactatæ sint, vel deprauatæ: an sensus & motus stupescat: & de principibus, vt imaginatione, cogitatione, & memoria. eodem modo examinabimus vitales, & naturales actiones. Morborum etiam sedem ostendunt actiones læsæ: & quæ excernuntur; nam aut sunt particulæ afflictarum partium, aut quid in ipsis contentum, aut excrementa partibus adnata: propria symptomata: causæ præcedentes: color: tumor: doloris species, & magnitudo: quæ lædunt, & iuuant: partium societas. Cum ex his deprehensa fuerit pars ægra, distinguendum erit num ex se, vel ex alterius partis consensu ægrotet. Consensus ex triplici causa trahitur: generis similitudine, operis societate, & vasorum communione. Cum pars primario affectu laborat, eius affectio nihil intermittit: nec increscente alterius partis affectu augetur, sed quouis etiam alio mitescente perseuerat: ac illi accommodata præsidia iuuant. & examina partem quæ in suspicionem venit ex lege symptomatum Ad suspicionem consensus facit vicina pars ægra, & eidem vsui dicata, & quod prædicta societate cognatæ sint. Obseruandum vt primum examen ineatur ab illo symptomate quod ægro maxime in querela est: vel quod ex natura præsentis temporis, regionis, ætatis, & temperiei suspicabimur maxime fatigare ægrū. Vel, ab illo incipe cuius suspicio adest, ex rebus prægressis enata. Vltimo si iā ex morbo laborauit, de eo eius ve affini metus erit. His adde res naturales, & alia quædam; quæ alibi fuse enarraui.

Ex 3. Methodi 3.
Tactus qualit.
Visu notata qual.
Excrementa
Pars affecta vt nos.
Obseru.
3 Lib. Meth. 5. Ex 3. Meth.

Morbo deprehenso, ei decernatur contrarium remedium: nam cuncta pereunt à suis contrariis: quemadmodum à similibus seruantur. Vnicuique autem rei, vnum tantum est contrarium. Quare tot erunt remedia, quot morborum ideæ. affectus autem alij simplices, alij sunt compositi. ergo & talia remedia erunt. Implicantur effectus varie, vt alibi diximus.

De prima Indicatione prima parte, quæ ab affectu morboso.

In

Methodus in affectibus implicitis.

In implicitis affectibus vide quot morbi, causæ, & symptomata sunt consociata: dein, num is morbus per se, vel alterius consensu enatus sit: nam qui per se, si auferatur; alter, eius soboles, vltro cedet. Tandem speciem morbi notabimus. Vltimo, si impliciti fuerint contrarij, vrgentiori validiora auxilia adferemus: & aliæ indicationes consulendæ, num hæc admittant. Sed deprehensis affectuum naturis implicitorum, tria vt bene curentur obseruabimus, ordinem, & tempus medendi, & remedij quantitatem. *Ordo.* Ordo debetur implicitis, vt noscamus à cuius affectus debellatione sit exordiendum. *Tempus.* Tempus vero medendi, & remedij copia simplicibus etiam affectibus debentur. Ordinis tecmarsin huic regulæ fere inclusimus: *Concurrentibus multis indicationibus, exordiendum ab ea est, qua ceteras vincit: vel sine qua nihil effici potest*: (ita causa morbi primum excidenda quam morbus; & inter causas ilico externa, dein antecedens, mox continens:) *vel à qua omnia symptomata dependent.* si hæc vsum non habent, cunctis affectibus implicitis temperatione quadam remediorum studebimus. hoc olim exemplis demonstraui. Hæc de ordine: iam de tempore exhibendi.

Vt genus remedij venamur ex affectus genere, ita tempus administrandi remedij intelligitur ex temporibus affectus: nam affectus per sua tempora mutatio, remedij faciem mutat. ita ineunte phlegmone reprimimus frigore stricto: ea vero consistente, digerimus calidis. Iam de quantitate.

Copia. Quantitas qua remedium in vsum duci debet, affectus quantitate indicatur; (nam illi respondere debet) vt intelligamus quo gradu recessus, mole, quoties, & quandiu adhiberi debeat. Sed vnde magnitudinem affectus noscemus? ex symptomatum vi, natura ægri, quantum ex his mutata, & ex rebus non naturalibus. Sed estne tutum integro affectui remediari valido remedio: an potius sensim agendum? I. *In leuioribus malis par remedium, vniuersim morbum submouens, ex vsu erit*: nam leue erit. II. *In extremis & periculosis morbis ineuntibus, valentissimum adferatur remedium.* III. *Morbi mediocres, sensim blandeque pellantur mediocribus remediis.*

CAPVT IV.

De prima primæ Indicationis parte. De causa morbi antecedente, & de eius Auersione, & quo modo, quoque tempore sit admouenda. Et de causæ huius antecedentis Alteratione, cum vitium fecit in prima & secunda qualitate. Et vt sit Purganda causa antecedens. Quaque tecmarsi ea sit Phlebotomia eximenda.

Ex Methodi 3. lib. 3.

MOrbus debellari nequit, nisi eius causa accidatur: quare vt ea sit eximenda, iam docebimus. Ex tribus corpus nostrum constat, partibus, humoribus, & spiritibus. Partibus morbi, humoribus causæ morbificæ, functionibus quædam symptomata consedere. Humor vel proxime morbo adhæret, vt in causa continente: vel morbum fouet, & continentem causam efficit; diciturque causa antecedens morbi. de hac iam primo agam, vt tractari debeat per morbos cunctos Causæ morbificæ, vt dixi, in humoribus stabulantur. hi triplici idea perennant in sua natura; quod perseuerent in loco sibi à natura dicato, genuinaque qualitate, & copia. vnde & triplici ratione in vitio erunt; quoties extra lineam à natura præscripti loci, qualitatis, vel quantitatis abierint. Inde enata fuere tria summa remediorum genera causæ antecedenti dicata; Auersio, Alteratio, & Euacuatio.

Reuulsio. Est autem Auersio, Quæ etiam Reuulsio, & Græcis ἀντίσπασις appellatur, (humorum exagitationi, & eorum præcipiti motui dicata) *tractio ruentis humoris ad locum oppositum, procul ab affecta sede, recte, & conuenienter facta: vt pars afflicta ab eius incursu tuta esse possit.* hanc definitionem in Methodo nostra explicauimus. Ita reuellimus humorem illum, qui fertur per loca lege naturæ incommoda: vt recedat, ea, qua incedit, via; ita vt in originem, ruentem succum retrahamus. Dum fluit humor, Reuulsioni locus est.

Instrumenta eius. Peragitur venæ sectione, cucurbitis, hirudine, vinculis, frictionibus, enemate, glande, lotione calida, gallinis calide admotis, fimo columbarum, smegmate, cæterisque calorificis & dolorificis.

Et recte, hoc est κατ' ἴξιν, per rectitudinem longe abducit ruentes succos Reuulsio. intellige rectitudinem naturalem, non mathematicam, quæ secundum venarum peragitur cursum rectum: ita hepatis gibba per vrinas; caua, per intestina reuellimus. vel sequimur rectitudinem diametri siue situs: hoc est, dum trahimus recta linea in longitudine, latitudine, vel altitudine. Seruandus semper situs in reuulsione: si accedat vasorum commercium, erit fœlicior auersio: nam venarum & fibrarum cursus rectus, facit vt facilius & copiosius humores effluant: exemplo est pleuritis. Sed cum nulla vena recte à dextro latere in sinistrum concedat, (& è diuerso,) situm diametri oppositum captare non licet, vt ad dictum finem veniamus.

Tempus eius. Et hæc conuenienter fieri debent; hoc est, vt obseruetur reuellendi tempus, & modus. Tempus reuulsioni est, cum iam fluit, vel cum iamiam fluxura est materia in partem aliquam. *Modus & cautio.* Modus reuellendi, hac cautione inibitur; ne prauam materiam retrahamus per partem nobilem. In suspicione futuri fluxus, qui metum magni morbi adfert, integra diametro vtemur: vt si à vertigine de apoplexia vereamur, cauteria cruribus inuremus. Sin fluxus materiæ morbificæ iam incepit, per mediam diametrum reuellemus hoc fit partim deriuando; vt in pleuritide, eiusdem lateris percussa vena in brachio. Nonnunquam enim eodem remedio reuulsioni, deriuationi, & euacuationi satisfacimus: nam fluenti debetur reuulsio; at influxæ, euacuatio ex propinquo loco. Quare notandum num simplici reuulsione tantum opus sit, vel vna deriuatione, & euacuatione. Ita cum motu in vitio sunt humores, castigari debent, alioque flecti causa antecedens.

De Alteratione Causæ antecedentis. Ex Methodi 3. lib. 3.

Quod si qualitate à sua symmetria deflexerint humores, qui causæ antecedentis rationem habent, pristinæ qualitati reddi debent; vel primæ, siue secundæ. Inde varia remedia alterantia necessitas inuenit, calfaciendi, humectandi &c. raros condensandi, tenues incrassandi, acres illinendi, viscidos abstergendi, lentos incidendi: & si motus vna adsit praeceps, simul astringendi. *Alteratio quid.* Horum omnium genus est *Alteratio*: quæ *est status vnius in alium statum commutatio, ab alteratione facta; vt amissa succorum qualitas, pristina sua qualitati restituatur.* Ita, vt si humor duobus numeris ad frigus abierit, hunc reuocabimus ad pristinam legem, remedio quod binis numeris feruet. Quæ vero remedia singulis à qualitatibus micent, & quo earum ordine, alias tradidimus. In secunda qualitate si humor à sua symmetria deflexerit, secundis qualitatibus in pristinam temperiem reuocandus erit: quod fit densando, illinendo, rarefaciendo, abstergendo, incidendo, emolliendo, indurando, laxando, obstruendo. Quæ sit horum cuiusque definitio, diximus in methodo medendi; vbi etiam vt quisque humor alteretur, enarrauimus.

Causa antecedens vt sit purganda. Ex Methodi 3. lib. 8.

Diximus humores (in quibus causa antecedens morbi) à sua natura abire cum qualitate, loci mutatione, vel copia in vitio sunt, quæ remedia eorum motui, quæ qualitati mutatæ debeantur, hactenus proposui. iam ad copiæ vitia. Si materia nec victu, nec alterantibus remediis in genuinum statum reuocari poterit, excludenda erit è corpore: hoc fit, vtili cum inutili reiecta, Phlebotomia; vel inutili tantum, Purgatione.

Purgatio,

Purgatio quid. *Purgatio, est humorum qui qualitate in vitio sunt, euacuatio, (artificio comparato ad imitationem naturæ) per loca lege naturæ consentanea, nec ex euentu dissentanea.*

An purgandum. Primum perpende, num sit purgandum. Purgabis, si quid desideres in quinque conditionibus his, quæ ad absolutam morbi crisin exiguntur. Si restibilis materia (cuius nota est amaror oris) ab imperfecta adsit crisi. Secundo, si materia apta parataque sit purgationi; ne fiat via vi, sed sine offensione partium placidè, inoffensoque cursu humor ad exclusionem feratur; vtque naturæ expellenti & remedio trahenti cedat: ita hanc exclusionem æger feret alacriter, vt mox dicam. Tertio, si loca purgationi seruientia fuerint afflicta, per ea non purgabimus totum: & si per loca lege naturæ non consentanea feratur humor, per alia loca eum euocabimus. Quarto, si humor qui in vitio non erat, excludatur. Quinto, si non fiat, vt debet à natura, recto tramite. Vel, si nulla sperabilis crisis, cacochymia exigatur. vt si eui febris experti, cibi fastidium, cordis morsus, vertigo tenebricosa, & oris amaror oborta fuerint, hunc sursum purga.

Quæ notanda ad rectè purg. Cum constiterit purgandum esse, laborandum vt ea [purgatio] rectè instituatur: id vt fiat, quatuor res ritè perpendere debemus; Affectum præter naturam; Partem ægram, & vias per quas duci debet humor; Medicamentum quo vtendum; & Circumstantias.

I. Affectus. Affectus itaque gratia videhimus, Quidnam purgandum sit, Quantum, & Quando.

Quid. 1. Quid, hoc est, quis succus purgandus sit, & quæ eius natura; an sit coctus & separatus; num efferus & freni nescius; (siue is simplex, siue mixtus fuerit;) vt suum illi pharmacum detur. & vna videndum quis iungat se affectus: vt si febris, frigidis pharmaca temperabimus.

Quantum. 2. Qua copia humor purgandus, (hoc est, quanto pharmaco opus sit) dicet affectus quantitas, & locus in quo morbificus humor situs est: nam aluo debentur lenia; venoso generi mediocria; habitui corporis maxima pharmaca. Verum hæc quantitatis & situs cognitio humoris morbifici, non exactè pharmaci adhibendi quantitatem, qua in vsum flecti debeat, demonstrant: verum circumstantiæ, de quibus mox, hoc vna definient.

Quando 3. Copia deprehensa, decernendum quo tempore sit purgandum. Hoc intelligemus ex materiæ morbificæ mitigatione, & ex eius impetu, anni tempore, & morbi die. Cocta materia purgetur, non cruda. Sed quædam materia est pepasmi expers; eaque duplex: Vna segregata à concretione sanguinis, vt in catarrhis, ictero, dysenteriâ quadam, colico dolore, & in hydrope, aqua hæc illico excludenda: Altera, quæ vitium fecit corruptione propriæ substantiæ, vt succi turgentes, pestiferi, & cancrifici. hæc etiam est pepasmi nescia. Pepasmi difficultas consistit in materiæ contumacia meatuum angustia, & naturæ infirmitate.

Quæstio, an ineunte purgandum. Sed estne purgandum ineunte morbo? Sane, si purgationis eget corpus purgationi iam paratum, hoc est, inglauiei expers, non μεγαλόσπλαγχνον, nec incendio flagrans, aut phlegmone interna occupatum, vrina ab æstuanti rubore libera. Nam opus est vt corpora purganda, fiant meabilia. Sanè triplici cautione opus est ad omnem purgationem: meatuum libertate, materiæ præparatione, & naturæ vi: nam hæc reddunt corpora εὔροα, faciuntque ne fiat vi, sed vt sine offensione partium, placidè inoffensoque cursu humor ad exclusionem feratur; vtque naturæ expellenti, & remedio trahenti cedat. nam vt sunt coctionis, ita tantum purgationis gradus esse debent. Si hæc absint, æger damnis augebitur: cum nec naturæ expellenti, nec pharmaco trahenti cedet: vt si sit materia lenta, & non separata. si acris, temperetur, ne rodat vias. Tenuis materia si cocta, excludatur; si cruda, in crassitiem coquatur; si crassa sit materia cruda, coctione attenuetur. Præparatio (quæ dicta est qualitati materiæ) peragitur calidis, frigidis, incrassantibus, attenuantibus. Nam etiamsi cocta sit materia, & non ritè præparata, ante purgationem paranda erit: vt crassa, quamuis cocta, attenuanda. Sin sit coctionis expers, & segregata à sanguine, ilico purga. Coctio autem (quæ formam respicit materiæ) secernit bonum ab inutili: id fit à calido natiuo. hoc ergo erit erigendum, & calor præter naturam fugandus. Videndum itaque quo modo coqui materia debeat, & quæ sit totius corporis temperies. Deio, ad ritè purgandum ineunte morbo, humorum motus & quies erit perpendendus. Ruunt illi bifariam: vel circumfluunt per corpus totum, efferi hospites, nulli parti grati; aut in vnam partem feruntur. Priores ilico excludendi; nam initio morborum turgent. Si in vnam partem feruntur, necdum consederint istic, purgandi. eodem modo si iamiam succus fluxurus sit, & ob aliquam causam venam pertundere non licet, &, si vires, ætas, tempus renuant phlebotomiam, purgabimus. ita fiet reuulsio; & motus coercebitur morbifici humoris. Quod si parte confidens materia, loco sit mobilis, purgari poterit: at membro altius concepta, renuit pharmaciam; &, si præscribatur, prædium humidi primigenij elidet. Quare materia cruda, restagnans, semper coctionem expectet: nam citra periculum cunctatur, dum partim coquatur, partimque expellatur. Tandem nota num pauci vel plurimi adsint humores: & num validi morbi pericula mineantur. Si pauci & crudi, ocium agant: natura enim eodem. Sin copia luxurient, vtrumque malum erit purgare crudos, & discrimen ab aucto morbo expectare. Vita ergo maius malum. Quid ages? Si purgatio plus incommodi, quam inde vtilitas commodi videatur allatura, supersedendum. Sin vehemens influxus periculum minetur, purgetur, si purgatione eget. Vltimo, perpende num valida flagret febris: nam illa reformidat hanc vim: sin ignauescat, licet. ita videtur ambigua quæstio hæc dirigi posse. Præterea Tempus veris & autumni, hisque similes dies purgationi sunt apti. Austrina aura fuudit corpora & succos. Aër serenus securior purgationi.

II. Partes per quas. Secundo, in Purgatione notanda est purganda Pars, & Viæ per quas duci debet humor. Quo is vergit, duci debet per loca lege naturæ consentanea, nec ex euentu dissentanea: afflictis enim non danda est afflictio. Consensus etiam vasorum vias purgationi indicat; & peculiaris cuiusque natura, vt illa purgare assueuerit.

III. Circumstãtiæ. Virtus. Tertia cautio purgatoria ducitur à circumstantiis, Inter quas prima est virtus. Hæc vel floret, aut languet. Si illa vegetat, verum corpus cacochymia omnino sordescat, (ne turbentur succi, & spiritus exhauriantur) sensim erit purgandum, ita hydropicorum prolectar aquas Hippocrates. Sed cum in florida virtute, pauca cacochymia fatigat, raptim purgare licet: maxime si cocta sit materia, & viæ in aluum pateant. Cum Virtus languet, id eueniet ex naturæ oppressione, vel resolutione. si ex oppressione, paucis purgandum; restibile, per epicrasin exhauriendum. si ex resolutione, sola epicrasi vtendum. Periculosa est purgatio, cum corpus à morbo languet: aut cacochymia cum luxuriat, vel imi ventris partes si extenuentur, aut si latitet abscessus in imis visceribus. *Ætas.* Ætas inter circumstantias etiam est. Senes & pueros non purgabis vehementibus remediis. *In grauiditate* In grauiditatis etiam mulieribus religiose transigendum initio & fine gestationis. *Habitus corporis.* Qui corporis raro sunt habitu, parce purgandi, vt macie aridi, calidi & humidi facile pharmaca ferunt; non ita frigidi & humidi, ob venarum angustiam, & spirituum inopiam. Bilis ex bilioso corpore ægrius, ex pituitoso facilius exigitur. *Aër.* Aëris temperies etiam notanda. æstate propinentur pharmaca cum frigidis. infausta hæc sunt dum flagrat æstu cælum, effœta vi caloris natura, ac ad peripheriam corporis præcipitë

Ce ſuetudo. Aer. præcipiti calido natiuo. Et ſtrictum frigus hybernum ægre ſuccos demittit, denſatis meatibus. Aſſucti etiam pharmacis, eorum vim ferunt lenius. Vitæ genus durum, lenem medicationem non ſentit.

IV. *R:mo..sum.* Quarto, Pharmacum rite comparatum eſſe debet, vt rite peragatur purgatio. Miſceantur ὁμοιότροπα, hoc eſt: affinia vi, eodemque tempore purgantia, ne purgando ſe intereuertant. & * εὐώδη miſceantur, ne ſtomacho noxia ſint: attamen purgationem non impediant. non etiam ſint vrinalia. Sint peculiaria ſuccis morbificis: lenia, aluinæ regioni; mediocria, venoſæ; valida, habitui corporis decernantur. *Vſum remed. recipe.* In pharmacis nota qualitatem, quantitatem, tempus admouendi, & vtendi modum. Qualitas, vt calfaciendi, ſtringendi, occulta, ſtomachica. Quantitas decernitur eius, à morbi vi, & natura corporis, viriumque robore; partis conditione in ſenſu, ſubſtantia, officio, formatione, ſitu, & ſocietate Tempus & occaſio ducuntur ex præſentia affectus, viriumque robore admittente, & naturæ humoriſque motu: nam, alia ineunte morbo, alia progreſſo conueniunt. Vtendi accipitur modus, ab humoris natura & motu ad nobiles vel ignobiles partes: & à motu morbi: & à via per quam educi debet, & ex remedij vehementia. Quæ autem notanda ſint ante vſum pharmaci, quæ in ipſa exhibitione, quæ poſt propinatum pharmacum, & quibus cautionibus dari debeant: & ſuperpurgatio vt domanda; & ſymptomata atrocia vt lenienda, quæ purgationi ſuperueniunt: & cur quædam non purgent, alibi latius enarrauimus.

Meth. di 3. lib. 6. Duo autē ſunt ſigna iuſtæ purgationis: ægri alacritas, & humoris morbifici excluſio; adde ſitim ab exhauſtione aliqua roſcidi humidi. *Capite de melancholica cura.* Aretæus, quia ſtomacho & viribus laborioſa purgatio eſt, Hac peracta, inquit, vini paululum bibat, & alia in cibis iucunditas concedatur.

Cauſa antecedens cum peccat copia, vt vacuanda ſit Venæ ſectione. Ex Methodi. 3. lib. 9. Hoc itaque modo cauſam antecedentem, cum copia, eaque contaminata, in vitio eſt, excludimus. Sed ſi illa ſola copia noxia fuerit, venæ ſectione emittitur. id cum fit, vtilis ſuccus iunctus inutili ſimul exhauritur. Vena aperitur ad reuulſionem, & ad vacuationem cauſæ antecedentis, amotionem coniunctę, temperamenti redintegrationem, & materiæ morbificæ præparationem.

Quid phlebotomia. *Phlebotomia eſt totius corporis euacuatio à ſanguine, vena ſolutione apte facta, quo humorum ſymmetria conuenienter corpus fruatur.* Nam vt cacochymiæ purgatio, ita plethoræ (id eſt, plenitudini ſuccorum ſanguineorum) phlebotomia dicata fuit. duo maxima remedia. Hęc iunctim nonunquam locum ac vſum habent, vbi vna cacochymia & plethora premunt. tunc à phlebotomia auſpicanda curatio: modo ventriculi vel venarum primarum vitio, malum obortum non ſit.

1 ε apte fiat, quatuor notanda. Phlebotomiæ vt recte vſus ineatur, quatuor notari debent: Affectus; Locus per quem ſit euacuandus ſanguis; Circumſtantiæ; & Inſtrumentum.

I. *Affectus.* Primo in Affectu obſeruabimus: Quis Quantum, & Quando. *Quis.* Quis itaque is affectus, in quo omittetur ſanguis? Is erit magnus iam, vel mox futurus: nam imminentes arcentur, quibus præſentes curantur. Magnus eſt, ſua natura, vt phlegmone; vel ſymptomatum vehementia vt parotide iuuenis; aut cauſæ immanitate, vt ſenes ex febre: ſiue pars quia princeps eſt morbo obſeſſa. Ita magnus morbus, qui vehementer & non diu affligit, Phlebotomaim euocat. Inde Hippocrati quatuor ſūt cauſæ mittendi ſanguinis, Inflammatio, metaſtaſis, dolor, & obſtructio: omnes maximorum morborum auctores. & nihil eſt quod æque hæc pericula acerſere ſolet ac plethora: quæ ſaoe peculiariter vena ſecta acciditur. Pax ergo ſit à ſectione venæ, vbi corpus cruditate obſidetur. In anniuerſariis morbis plethoricis imminentibus, & in ſolemni euacuatione ſanguinea ſuppreſſa, & in pleno victu, tuto & prudenter phlebotomia in vſum ducitur.

Quantum. 2. Quantum emittendum ſit, docebit quantitas affectus, & plethora, tū vires ægri, & aër. Magnus affectus poſtulat vt magna copia euacuetur: hic enim non tam intereſt qualem detrahas, quam qua copia. Tractaui hic ægrum, qui ex pleuritide vtriuſque lateris acerbe laborabat: extraxi vna vice illi plus quam quatuor libras ſanguinis, euaſit ſaluus Dei beneficio. *Hiſtoria.* hic Libitinæ ab omnibus ſacer habebatur. Auicenna aſſerit corpori eſſe libras vigintiquinque ſanguinis, & ſeptendecim effundi poſſe vno die, citra perniciem. Galenus ſex libras eduxiſſe videtur. Hæc, ſi plethora adſit, fœliciter. Propterea vires diximus obſeruandas, ad copiæ ambitum deprehendendum. Hoc ſcripſit Hippocrates, vbi ait, Cuiuſmodi natura fuerit eius qui perferet, pro eo ac decet faciendum. Quaſi dicat, quantitas non ex magnitudine ſola affectus, ſed & ex ægri accipi debet natura communi, propria, & aſcititia, in temperamento, habitu, & venarum amplitudine, humorum dominatu, conſuetudine, & diæta: adde aëris temperiem, quæ iam, & quæ mox futura. Copia trahendi ſanguinis ob varias ſyndromas Indicationum non facile dignoſcitur: ſed his præceptis proxime captatur. Primo, viribus languentibus cum plethora graui ac impura, aut cum valido morbo, (vt copioſa vacuatione opus ſit,) pauco ſanguine educto melicratum hyſſopites dabat Galenus; ac poſtridie ſanguinem repetebat. Secundo, vbi plethora feruens acutiſſimam accendit febrem, ad lipothymiam (ſi ferat) ſanguis educatur. Tertio, manus medici hærens pulſui, dum fluit ſanguis, & intuitus in faciem ægri, impetuſque effluentis ſanguinis, cum præludia ſyncopes obſeruarit, ſuperſedēdum. Quarto, in phlegmone fluat ſanguis, dum ſuam ideam mutat vel in melius, vel in deterius: id argumento erit ab inflammata parte eum elidi. hoc ages dum æger vacuationi tantæ par ſit, nullaque malignitas adſit.

Tempus ſectionis etiam ad affectum ſpectat. *Quando.* 3 Vbi ſanguinis feruentis copia apparet, ea confeſtim emittatur; ne putreſcat, aut metaſtaſi ſe effundat quo minime decet. Quocumque die ſcopi enitent emittendi, facito ſi vires annuant; imo quauis hora nocturna, modo ſe remittant paroxyſmi. Ineunte phlegmone, ilico pertunde venam: florent enim vires. Si magnitudo morbi non cogit, mane id fiat, horam à ſomno: fluxus enim tunc ſanguis. Abſit cruditas à prima aluo. Si iteranda vacuatio, eodem id fiat die: nam reuulſio fœlicior iteratur à duobus diebus. Hæc obſeruanda ratione affectus, quo commode in vſum ducatur plebotomia.

Secundo notandum eſſe dicebamus Locum & Vias II. eductioni ſanguinis dicatas. *Locus.* Vena aperiatur axillaris, vbi totum euacuandum: ſine peculiaris partis vitio: nam à fonte ſanguinem euocat. At podagricis ſecetur brachij vena; epilepticis, pedis. ita vna reuelles ab imbecilli parte.

Tertio, Circumſtantias obſeruabiles diximus, vt rite III. peragatur venæ ſectio: nam cum morbi vim, tum virium robur ex his intelligemus. *Circumſt.*

Vires inter has primum habent locum. Hæ conſtant *Vires.* ex ſpiritibus, partibus ſolidis, & humoribus. Robur harum elucet ex facultatum actionibus, excrementis, & corporis qualitate, charactere, & mole; rebus naturalibus, & non naturalibus. Si langueant vires à cauſis quæ ſpiritus, ſuccos, aut partes ſolidas exhauriunt, induciæ ſint à vacuatione. Sed (cum langueant ab exhauſtu, vel oppreſſione (ſi ab oppreſſione) ſi ab oppreſſione, licet manu euacuare; ita in apoplexia, & ſyncope athletica, feritur vena. Sed ſi ab exhauſto, ſuperſede: vt in peſte, tabe, & in crudis aut feruidis ſuccis à ſanguine alienis: & ſi cruditas adſit cū febre æſtiua, languido ſtomacho, corpore molli: quales plumbei colore, pulſuque inęquali. ita ſi crudus ſtomacho conceptus ſuccus cor premat; vel ſi retorridus ſuccus toto fundat ſe corpore, vel ſtomacho ſi inſederit: nam hic vellicat ac mordet, vnde lipothymia, ibi ſpiritus deficit. Venenum etiam vires

proſter

prosternit, intus genitum, vel foras immissum. Si hæ causæ exhaurientes absint, à copia opprimentur vires.

Temperamentum. Secundo loco inter circumstantias est temperies corporis cuiusque. Qui florent roseo colore aut fusco, bene habiti, venis amplis, habitu firmo, liberalem eductionem sanguinis ferunt: contra, obesi, tenues.

Ætas. Ætas suum locum hic habet. Senibus confertim non detrahes sanguinem. examina pulsum, & sanguinis copiam. Nec facile ante decimum quartum annum id agemus; nisi morbus vrgeat, & sanguineus puer fuerit.

Aër. Aër inter circumstantias etiam est: qui notatur in regione, anni tempore, & cœli statu. quo ille longius à sua indole abierit, eo parcius euacua.

Euacuatio. Euacuatio etiam huc pertinet: nam si parcius effluxerint excrementa, non impedient phlebotomiam. si natura tentet euacuationem, nec perficiat, nos quod deest coeffundemus.

Consuetudo. Consuetudo etiam emittendi sanguinis, securitatem ei adfert.

Ingrauidatio. Ingrauidatio excludit ne phlebotomiam; primis mensibus tuto fit, quia paruus fœtus pauco nutricatu eget, & extremis mensibus sine fœtæ & fœtus iniuria emittitur sanguis: quia iam plurimis mensibus, fuit retentus sanguis, vnde lascaturit.

IV. Instrumentum. Quartum quod notandum erat ad tecmarsin phlebotomiæ, est instrumentum quo vena feritur. Hoc vt commode vtamur, quædam peragenda à nobis sunt ante venæ sectionem, quædam in sectione, & quædam post: nam actio chirurgi, & cautiones quædam inter secandum dirigi recte debent, & ne vas aliud feriatur, prouisio habenda: & sanguis trutinandus. de quibus alibi latius.

Metho. li 3. lib. 9. Anaceph: Vt hæc repetam breuiter: primum vide, An sanguis emittendus, Qua ex parte, Quo tempore, Qua copia, Quo modo. Primum, innotescet ex natura affectus: secundum, ex parte ægra: tertium, à more & motu morbi: quartum, ex magnitudine morbi, & corporis habitu: quintum, vt si crassior sanguis, attenuetur; si ad stomachum bilis feratur, is firmetur succo granatorum. & phlebotomo id fiat, cucurbitis vel hirudine, vbi opus, & arteriotomia: de qua alias. Si

Neruus ictus. neruus læsus sit imperitia, balsamo hyperici infuso, & astringente Imposito recreetur.

CAPVT V.

De causa morbifica continente quæ adhuc loco moueri potest, eiusque remedia. & de causa continentis immobilis curatione. Praterea de secunda prima Indicationis parte, qua de curatione morborum. Et de tertia prima Indicationis parte, qua de Symptomatum curatione. Ita vt hic prima absoluatur Indicatio.

Ordo, Ex Methodo 3. lib. 10. MEmores estote ordinis instituti. Docuimus primam Indicationem duci ab affectu morboso, qui vel est causa morbifica, morbus, vel symptoma. Morbi causam stabulari diximus in humoribus: qui peccant motu, qualitate, vel copia. Motui auersio, qualitati alteratio, copiæ euacuatio vena secta, vel aluo soluta, vt diximus, succurrit. His antecedens causa acciditur omnium morborum.

Antecedenti huic proxime iungitur eius soboles, causa continens. quæ est vel remeabilis loco, vel non. primo de remeabili. Hæc eisdem fere cedit remediis quibus Antecedens: nam ab eodem humore nata, vt propius aut longius à morbo & ægra parte absistent: quare eisdem viris tentabitur, & eisdem remediis redintegrabitur; vt loci mutatione, alteratione, & euacuatione: qum infusis parti succis fiat exitus. Sed vt causa antecedens, toto fusa corpore, remedia toti studentia petit; ita causa continens, peculiarem partem tentans; remedia huic dicata exigit. Hæc continens causa si loco sit meabilis, fluxa & liquida, iudicium attulit illi remedium, repulsionem, & deriuationem, sin loco cedere nequeat, ei auxiliatur mollitio, exhaustio & coctio, cucurbita, dropax, sinapismus, causticum, incisio. si vero sit consistentia eius media, quæ vt parte quadam sui migrabilis, ita alia segnis hæret, mixtis remediis vincetur. Quare noscendum quidnam sit repulsio, deriuatio; maturatio, &c.

Repulsio quid *Repulsio est succi ex sua sede motio à frigore astringente, austero vel acerbo facta: quo pars à materia morbifica pressa, eius ab iniuria liberetur.* Vt enim calidum leptomeria præditum maxime calfacit; ita frigidum crassum vehementer refrigerat. His vtimur dum nouus hospes parte accipitur, ne ingrediatur arcebimus, ac fores illi claudemus. Sed his non vtemur, ni primum antecedens causa sit fracta. Quæ hoc faciant, & qua

Cautio. cautione in vsum trahenda, olim scripsimus. de quibus hæc pauca accipe. Vbi vehemens est dolor à copia vel acrimonia succi, eiusve ex lentore, & cum pars sensu vegetans incurritur, mitigantia accedere repulsoriis debeot: alioqui stricta à vi tenta pars magis dolet, vnde noua fluxio accersitur. Vbi titubat viscus nobile, metus est, ne retrusus succus in illud se effundat: alioqui, impune quid accipiet. Si à partis excipientis imbecillitate, nascatur influxus, tenue quid calidum iunge. At criticos & venenatos abscessus ne retundito, sed prolecta. Et semper μετ᾽ἐν ἄγει, ne spiracula cutis adductis, humor restagnet & lapidescat: vnde dolor, iofluxio, incendium. Collinea itaque ad partis situm, figuram, sensum, robur, naturam; corporis temperiem, humoris copiam, qualitatem, substantiam, ductus viarum qua fertur.

Deriuatio. Hæc continens causa nonnunquam eximitur Deriuatione: quæ hic idem molitur, quod in causa antecedente reuulsio: cum adhuc succus cedere loco potest. *Deriuatio (παροχέτευσις Græcis) est tractio humoris ad locum vicinum, vt liberetur ab eo pars ægra*, debetur succo re-

Vt diff rat à reuulf. meabili. A reuulsione differt: nam reuellimus ad contraria, & procul ab oppressa parte; deriuamus ad latera & proxima loca: nam παροχετεύειν idem est ac riuos deducere foris: & reuellimus succum qui fertur per loca lege naturæ incommoda; deriuamus eum qui fertur per loca ex euentu incommoda. ita bilem in dysenteria, in vrinas deriuamus. vsum alibi habes. Huius solum vsus erit, à causæ antecedentis amotione, non ante. Nam initio retrude succos; labente morbo, deriua, cum constitit influxio, attamen succo nondum restagnante.

Hæc continens causa mobilis loco, amouetur etiam purgatione particulari, sed præparatio præcedat; hæc

Alteratio. fit alterando. *Alteratio peculiaris, est succi parte aliqua concepti, qui qualitate vitium fecit, emendatio.* Frigidos calfacimus, crassos tenuamus, friabiles illinimus. Hic vtimur parti peculiariter dicatis, vnaque cum causa pugnantibus: vt alias fusius prodidimus, vbi etiam

Purgatio particul. cautiones. Præparata hæc causa purgetur. *Purgatio particularis, est euacuatio eius materia que parte peculiari concepta est præter naturæ legem; vt parti suum robur reddatur.* Perlustra hic etiam humoris partem occupantis consistentiam, qualitatem, copiam: & quo tempore, quibusque viis excludi debeat; hoc est, quid, quale, quantum, quando, qua, & quorum vi exigi debeat. Semper his addimus quædam parti amica, quo ea peruadant pharmaca. Copiam pharmaci docebit succi abundantia, & eius situs. Tempus erit quo his vtemur, ab accisa causa antecedente. Viæ in affectam sedem recta ducentes, eductioni commodæ erunt. Hæ pluri-

H r.orum

morum remediorum auctores fuere: nam illæ docuere errhina, sternutatoria, masticatoria, gargarismata, eclegmata, pessos, vomitoria, clysteres. Si liquidior adhuc causa hæc constiterit parte in quam non facile remedia peruadant, ob ductuum inopiam hirudinibus, cucurbitulis, aut scarificatu prolectari debebit. Ita causa morbifica continens, dum loco remeabilis est, eximi debet.

Continentis causæ non mobilis, curatio Ex Methodi 3. lib. 11. Emollitio.

Quod si continens causa immobilis restagnarit, adeo vt his auxiliis inuicta consistat, id ei euenit, quod in duritiem abierit. Indurescit quid triplici de causa; siccitate, plenitudine, & congelatione. Quod siccitate non valida induruit, placatur emollitione. *Est autem Emollitio; duri, ex ariditate alteratio, ab vuido calore facta.* ita in auras non expirabit mador succorum. hoc faciunt calida infra secundum ordinem. Sin ex vehementi siccitate nata fuerit durities; hæc tenui humido mollitur, cum partibus igneis vel terreis adustis; vt calculus succo raphani. Si ex plenitudine surgat durities, vt in phlegmone, laxatis spiraculis aëreo ab humido, exhaurietur implens materia: vt fotu chamæmeli decocti. Quo vero congelatione in duritiem abiit, id mollescet à calido sicco moderato: qualia ea quæ secundo ordini ascribuntur. nam quæ primo ordini, non exhauriunt: quę tertio crassum excoquunt. *Maturatio* (*Maturatio.*) *πέπανσις Græcis est alteratio, qua materia in ornatissimum decus sua forma excolitur, vt maxime potest, quo commoda corpori materia ab inutili secernatur; facta à calido natiuo.* Obstruunt hæc spiracula cutis, vt ea interceptione calidum natiuum increscat copia. *Digestio.* Digestione vtimur, cum exigua restibilisque materiæ copia euaporare potest. Cum his non cedit, ad dropacem venimus, quo potenter foras rapitur materia. Sinapismus dropace est potentior. *Vstio.* Vltimo ad cauteria cogimur. *Cauterium est combustio ab igne imperfecta, vt membrum firmetur, morbificaque causa excludatur.* Sed in potenti hoc remedio aduerte num ad id veniendum sit. tunc, nimirum, cum nec emollitione, maturatione, digestione, nec phœnigmis aut incisione euinci potuit. Et tunc solum his vtemur, cum pars, vt putrescat, à mole materiæ periclitatur, & maxime os. Dein modus vrendi compertus sit ex morbi idea: cauendo à neruis, & arteriis, vt in scrophulis colli. Cæteraque quæ alibi scripsimus de his remediis, obseruentur His vsus à reuulsione & deriuatione, inclinato morbo, viribus adhuc vegetis.

Morborum curatio. Ex Methodi 3 lib. 11.

Hactenus de cunctis causis morbificis: iam de morbis qui à causis enati erant. Causis itaque euictis, si morbus perennarit, cum eo bellum erit. Morbi, vt diximus, in partibus stabulantur. quot ergo modis illæ vitium faciunt, tot morbi. Partes, sunt similares; vel organicæ, certis muniis dicatæ: vnde varie vitiabuntur. Similarium sanitas est symmetria qualitatum; organicarum, recta formatio. vnde morbi similares, & organici. Sed quia similaribus & organicis partibus communis est iunctio ex naturæ lege: huius solutio, erit communis vtrisque morbus. Et cum hi interdum concurrant, quartum morbi genus, compositum, surget. Vnde ex his quatuor morborum ideis, quatuor genera remediorum in vsum venere; Alteratio, Apertio, Vnio, & Quod hæc simul euincit. *Alteratio.* Alteratio partium eisdem peragitur, quibus succorum. Natura partis perspecta sit in substantia, temperie, habitu, sensu, officio, structura, societate, & situ. Tutius calfacimus, quamuis simplex intemperies calida, recens ac leuis, pari tempore ac frigida debelletur, ac antiquatum frigus, ægrius. Sicca etiam contumacior est humida. Si sit instrumentalis morbus, illi erit vel ex partium mala conformatione, numero, magnitudine, vel in situ, Si mala conformatio: ea erit in partium figura vel asperitate & læuitate, soliditate, vel in cauitate & meatibus. *Apertio.* Obstructa aperiantur. *Apertio est expansio infarctorum meatuum, à valido calore, qui in substantia crassa resedit.* talia sunt amara. In soluta vnione, coniungendum. Vnio est iunctio diuulsorum. quæ vnientur, ea simillima esse debent: quare causæ diuulsionis abigendæ, & quies concedenda. Vt morborum ideæ variæ, ita & remedia.

Symptomatum curatio. Ex 3 Methodi 13.

Hactenus vt eximi debeat causa & eius morbi: restat tertia primæ Indicationis pars, Symptomata. Huic nulla debetur curatio vt symptomati; sed cum morbum auget aut facit, ne natura fatiscat. Tunc quo locus detur & tempus ad morbificæ causæ morbique excidium, huic vacandum: vt olim ostendimus in dolore, vigiliis, syncope.

CAPVT VI.

De reliquis Indicationibus.

PRima indicatio docuit nos contrarium remedium: hæ cæteræ, num rite ea vi & copia admitti debeant, definient, vel num quid accidendum.

II. Ind. à temperie totius. Ex 3. Methodi 14.

Secunda sumitur à totius temperie, quæ sui conseruationem postulat similibus: nam est ex natura; & similia se non alterant. Propterea humidis corporibus humidiora sunt admouenda. nec, si illa humiditas vitiosa fuerit, ea castigabitur per morbos. Hæc Indicatio copiam monstrat remedij. Alioqui ambiguum fuerit quousque foret alterandum: temperies genuina terminus esto limentinus. hac neglecta, vel vltra progrediemur, vel infra subsistemus. Et cognitum sit quousque abierit à pristino statu. Itaque æstuans morbus in frigido corpore, maiori vi contraria eget: idem de cæteris: nam longius extra lineam abiit temperies. ita flagrans æstu morbus in corpore calido, leuiter blandeque refrigerantia postulat. idem dico de reliquis. Studium ergo adsit vt explorata sit temperies ex rebus naturalibus & non naturalibus: vt præsentem corporis temperiem calleamus.

III. Indic. à loco affecto. Ex 3. Methodi 15.

Tertia Indicatio à Loco ægro ducitur. hæc remedium deprehensum à prima indicatione, politumque à secunda, incudi reddit. Hæc monstrat vtendi viam, remedij ideam, eiusque copiam. viam dixi: nam viæ quæ feruntur in partem ægram, ad hanc etiam pertinent. Parti ægræ varia student remedia, ex eius figura, temperie, vsu, sensu, situ, & connexione. *Figura.* Figura, vt fuerit pars caua, plana, sinuosa, alta, arcta. vnde varia instrumenta, vt clysteres, remedia liquida, &c. *Temperies.* Temperies partis sua amat remedia. duris dura. Madore calido perfusæ à natura partes, (metu putredinis) sicciora petunt; vt vesica, sedes, palatum, vterus. Pars ægra, & totum eiusdem temperiei si fuerint, cum morbo aduersæ temperiei, strenuo auxiliandum: vt vlcus parte corporeque sicco, validius siccandum. Si tanto madidius corpus, quanto pars ægra siccior fuerit, pro temperata pars habebitur. vt exemplis alibi id demonstrauimus. Quæ temperata validos remediorum incursus ferunt. Temperiem natiuam tuentur similia. Siccæ sunt partes, quæ osse & neruo abundant: humidæ, quæ carne & adipes: calidæ, quæ sanguine. *Vsus.* Vsui partium varia ascribuntur remedia. Principibus roborantia debentur; ne fibris roboreque exutæ concidant: nec eam confertim vacuabimus, aut alterabimus: quare hæ, remedia attenuare solent. *Sensus.* Sensus partis etiam limat remedium. Quæ enim sensu valent, acribus non fatigentur, vt oculus, œsophagus, neruus nudus, sed his sensim melius remediũ quærimus: ita clementer refrigerantia ophthalmiam reprimũt fœlicius. *Situs.* Situs partis vim & formam remedij venit. vt sublimi altove in loco si consederit pars, ita vigeat remedium, quo integris viribus eo veniat. & ventriculus vomitu,

Connexio vomitu.cerebrum palato & naribus purgatur. Connexio partinm ctiamcbatacterem format remedij. ita à delæteriis cauem is in oris vlceribus: & parotides non reprimimus. *Via.* Viæ etiam obseruandæ quæ ad partem ducunt,num angustæ,fusæ,longæ:aliter tectus, aliter nudus neruus habendus.Ostendimus alibi, tantam à parte ductæ indicationis esse præstantiam,vt nonnunquam vincat principem indicationem quæ a morbo accipitur. Maxime intuebimur ventriculum, iecur, splenem, renes, vesicam, cerebrum, pulmones, cor.

IV. Indic. à viribus. Ex 3. Methodi 16.

Quarta Indicatione politius adhuc efformabitur remedium hactenus fabricatum. A Viribus hæc capitur. Hæ indicant semper sui tutelam. franguntur vero intemperie vel exhausto. Consistunt vires in spiritibus, carnoso humidoque genere, & in partibus solidis. hæc si substantia, qualitate, vel copia vitium fecerint,frangentur vires. Quare tunc recreabuntur restauratione exhaustæ substantiæ. vel aliorum correctione. Substantia restituitur, connaturalis ac consociabilis materiæ accessione. vt exhausti si sint spiritus, ὁμοίως diæta hos redintegrabit: ita solida solidis, media mediis reuiuiscent. Si non ab exhaustu, sed ab intemperie spiritus, humida, vel solida langueant, *Diæta vt recte vires recreet. 1.* illa castigetur. Hæc diæta præclare obtinebimus. Diæta vt rite cuique præscribatur, quatuor obseruabimus: affectum morbosum, naturam ægri corporis, alimenta, & circumstantias. Affectus aperit victus qualitatem, copiam, frequentiam, & dandi tempus. *Qualitas victus.* Qualitas cibi pugnet cum morbo, eiusque causa. ita febricitanti humida damus. infarctis apertientia: laceris glutinantia. *Copia.* Quantitas cibi ad virium stabilimentum, ex affectus vigore animaduertitur: tantum enim dandum, quantum opus est vt integris viribus ad statum veniat.quem, si licet, inedia superet: alioqui potius paulo in pleniore peccabimus. Sunt morbi acuti, aut longi: acuti vel simpliciter, peracuti, vel acurissimi.Inde diæta tenuis. vel plena. Tenuis, exquisite: vel simpliciter. exquisite tenuis; extreme, vel non extreme. extreme,vt inedia: debetur morbis acutissimis, qui quarto die suam absoluunt historiam. non extreme.vt hydromel: studet peracutis, septimo die finiendis.Simpliciter tenuis,vt ius pulli,cremor ptisanæ, pisces saxatiles:dicatur acutis simpliciter;qui decimoquarto finiuntur die.Medius victus,vt ius carnium, pira, gelatina, vigesima luce finiendis ascribitur. Longis, plenus victus in deliciis est,vt vitellina caro, oua, lac, aues, cuniculi. Cur ita transigendum, causa est vigor morbi: nam vbi is in procinctu est, tenuissime cibandum erit. qui vt noscendus, eo loco vbi omnia hoc fusius, demonstrauimus. *Numerus pastuum.* Frequentia pastus ex succorum copia captabitur. Vbi nutriciorum succorum inopia adest,parca manu,at sæpe, pastum ineat;ne calidum natiuum opprimatur. Si bonis rigatur corpus succis, semel cibo indulgeat die, & parca manu: nam venis prædium integrum est nutricium. Crudi si adsint succi,raro & parum offeremus cibum medicatum, vt hydromel hyssopites Si adsit succi copia, attamen indomabilis à natura,sæpe & parum nutriendum; vt vires, citra metum oppressionis,recreentur.si retorridi tenuesque succi fuerint,ma lorem benignum spirent alimenta: *Tempus.* alioqui maior absit. Occasio nutriendi est, cum à paroxysmo abest longissime morbus. si remittat tantum febris, quieto hoc tempore maxime nutricatui stude. *Corpus 2.* Dein in victu rite præscribendo, secundum dicebamus esse corpus malo implicitum. Huius temperies (etiam mala) dum morbus eliditur, est tuenda. Frigida & madida corpora inediæ sunt patientissima:ab his humida: dein quæ frigent: mox sicca & frigida: tandem sicca, cæteris moderata. Omnium grauissime inediam ferunt calidi & sicci homines: nam de hectica ab hac periclitantur, vel syncope. Qui habitu sunt denso, facile inediam sustinent: contra, vbi succi tenues. *Cibus 3.* Tertium ad victum rite formandum est cibus. in hoc tria notamus: substantiæ modum, qualitatem, & copiam. Substantiæ modus deprehenditur in alteratione, motu locali,& nutritione. In Alteratione; num sit facile domabilis,aut corruptibilis.In Motu locali; num fluctuet leuitate,num facile traiiciatur.In Nutritione,num succum benignum aut inquinatū pariat. In copia obseruatur moles,& vis:nam quædam parua mole multum nutriunt:& ex aduerso. In Qualitate, vt calore, sapore, crassitie, lentore, varie corpus afficiunt cibi. Vltimum quod notandum erat, quo recte diæta cuique institueretur, erat Circumstantiarum historia: vt ætas, virtus,consuetudo,& aër. *Circumstantia 4. Ætas.* Ætas variat cibos. Cruda senectus inediam perfert: mox viri constantes: minime pueri. Virtus quid suadeat, vide. Causa cur illa titubet, ruminetur;num à morbi vi,aut à copia morbificæ materiæ,an ab exhaustu. *Virtus. Consuet.* Consuetudo ita mutetur, vt eius vmbram retineat diæta,maxime in quantitate, & numero. Aër obseruabilis etiam:nam quacumque ratione augetur calidum natiuum,copiam maiorem cibi petet. Iam hæc misce;& vide quid parum, quid multum vrgeat, & quantum sibi adimant: ita attinges cibi ideam salutarem. Vrgeat virtus; hæc solidam & solitam diætam flagitabit. accedat vrgens morbus; hic pocula petet, vel inediam; prostaphæresi excurret in sorbitionem crassam. *Potus.* Potus qualitatem tria indicant; virtus, morbus. consuetudo. Languida virtus Hippocraticum vinum petit:si non adeo langueat, oligophorum. Morbus, si calet, aquosum potum exigit. Virtus labefactata obscurat id quod postulat validus etiam morbus: attamen cura vrgentis morbi vincit id quod petit consuetudo. Virtus ergo superat morbum; & morbus consuetudinem. Virtus valida admittit ab aliis decreta remedia.

V. Indicatio ab aëre. Ex 3. Methodi. 17.

Quinta Indicatio ducitur ab Aere, vquæ incudi reddit remedium iam à cæteris indicationibus expolitum: nam aut id admitit, vel ei aliquid detrahit. Aër modo morbo studet, modo ei refragatur; vt diuersis qualitatibus emicat. Varius is est, ex regione, anni parte, soli & cæli natura. Ex regione aër montanus thoracem recreat, eiusque morbis debetur. demissus & montibus interceptus, catharros & febres putridas accersit, strangulat. marinus siccat. argillosa terra ventriculo molesta:gilua, siccat: nigra. optima est: fœtida, pessima *Locus.* Locus decubitus pareatur, vt redoleat contrariam qualitatem morbo: vt, splendor absit phreniticis. Anni tempus iudicium hic etiam interponit. nam Sirius cum flagrat, moleste purgatur. hyeme facile pituita; æstate bilis effunditur. vere seca venam, & purga, si morbi inducias dant. Cæli status præsens etiam examinatur: & Venti: nam hi inquinamenta etiam auferunt, aut inferunt: & aëra mutant.

VI. Indic. ab ætate. Ex 3. Methodi 18.

Sexta Indicario ab Ætate ducitur. hæc etiam iudicium suum dabit de remedio hactenus expolito. Pueri inediæ impatientissimi sunt: quare nec valide euacuandi.nec etiam senes: nam languet his calidum, Calidus iuuenum morbus, minus frigida postulat. senum, humida & calida petit. Ætas & consuetudo temperamenti interuentu indicant: hoc enim nobis ostendunt.

VII. Indic. à consuetu. Ex 3. Methodi. 19.

Septima Inidcatio à consuetudine ducitur. hæc etiam auctoritatem habet vt remedio mensuram imponat. nam acquisitum temperamentum denunciat, qood naturalis loco, curationis tempore, habetur: nec tunc id castigandum, sed ad id eundum. Indicat hæc, per similia tutelam,& quæ consueta, sunt similia. quod naturam non ita afficiant. Vnde medici cogunt nonnunquam in aliam ideam remedia, ne segniter ea excipiat natura. Qui per sanitatem bis pastum inibant,his cibus per morbos bis detur. Quantum possit consuetudo;alio loco scripsimus.

III. *Indic ab Idiosyncrasia. Ex 3. Methodi 20.*

Octaua Indicatio à naturæ Proprietate accipitur. huius examen subterfugere medicamen non debet. Nam cuique inest sui temperamenti proprietas, qua, cum hoc concordia illi est, cum hoc discordia. Iumenta ad viridia prata, leones ad carnes festinant. Quibusdam hominibus vinum nauseam mouet, aliis caseus, mala quibusdam; his Gedana ceruisia aluum stringit; quidam cassia fere exanimantur, qui tamen elleborum ferunt. alij ad rhabarbarum trepidant, & scammonium admittunt. Quare quod cuique conuenit, audacter propina, etiamsi deterius sit. Quidam bubulam coquunt, quibus gallinacea in corruptelam abit.

IX. *Indic à Sexu Ex 3. Methodi 21.*

Nona Indicatio est, est à Sexu. Vide ergo num viro vel mulieri propositum medicamen vsui futurum sit. Fœminæ sane frigidiores ac molliores sunt viris: blandius itaque feriendæ remediis. Sed vide num inter mulieres hæc sit calidior occupata à frigido morbo. hæc validioribus, quam minus calida, redintegrari in temperiem debet. Cautio semper sit in mulieribus de ingrauidatione, & solemni per menses quæ fit euacuatione; & num vtero remedium debeatur.

X. *Indic. à Ministerio. Ex 3. Methodi 22.*

Decima Indicatio, à vitæ Instituto, etiam quid potest. Nam pro arte & exercitio, in quo cuiusque vita versatur, alterationis & vacuationis modus erit temperandus, vt cuiusque inde ascititia temperies fuerit. Qui calori assueuere, vt coci, fabri, à calore ægri, minus frigidis egent, quam piscator. Qui desides in vmbra vitam agunt, largius euacuandi: venatores, parcius.

XI. *Indic. à morbi longitud. vel breu. Ex 3. Methodi 23.*

Vndecima Indicatio accipitur à Morbi breuitate, vel diuturnitate. Peracuti morbi ilico remedia petunt, quibus opus est, & inediam admittunt. His coctionis etiam signa captamus, ne temere purgemus ineunte morbo, nisi turgeat materia.

XII. *Indic. à 4. temporibus. Ex 3. Methodi 24.*

Duodecima Indicatio ducitur à Quatuor Generalibus morbi temporibus; & quod iam decurrit tempus suæ historiæ, num decretum ab aliis Indicationibus remedium admittat. Semper ad vigorem collineabimus: nam tunc (& paulo ante, & post) inedia proderit. Is ilico efflorescit in peracutis, qui celeriter, continenter, & vehementer mouentur: In longis, de inedia remitte, quo perduret ad vigorem. In principio ergo & augmento liberalius habendi. Ineunte phlegmone frigidis vtimur: prouectis, exhaurientibus. In principiis, reuulsioni, coctioni, purgationi operam damus.

XIII. *Indic à paroxysmis. Ex 3. Methodi 25.*

Decimatertia Indicatio à Particularibus captatur paroxysmis. quæ docebit quando in vsum duci debeat medicamentum ab aliis indicationibus prolatum, & quasi à cultu manumissum. In paroxysmis induciæ sint cum remediis: sed quo natura & humor viam affectant, eo ducantur. His incipientibus vomat; desinentibus sudet, aut mingat; & tunc à cibo caueat & potu. Et in cunctis efflorescentibus doloribus, à cibo vacuus sit. Attamen squalidis calore & ariditate, in febribus à mordaci acrimonia, vel à succis attenuatis Solis æstu, vel ab inedia, aut labore, cibus debetur. nam illis alioqui, squalidis affectibus, non mitescit accessio: humescant ergo vino cum pane, in primo etiam horrore. Hoc minime agendum in plethora, obstructione, phlegmone & putredine. Hinc est vt si talia squalore arida ac arida corpora his à passionibus incurrantur, enecentur: nam cibus si recreare studeat, morbus necabit; sin inedia morbo operam dederit, squalidum corpus fatiscet.

XIV. *Indic. à naturæ funct. Ex 3. Methodi 26.*

Decimaquarta Indicatio elicitur ab Ordinariis naturæ functionibus. Ita noctu dormiat iubemus, die vigilet, phlegmonem habeat pars interna; tunc contra. Ita stata non temeramus tempora ciborum, exercitij, excretionum. solemnes euacuationes notamus, hæmorrhoïdum, mensium, lochiorum. si tardant, euocanda indicatio suadet hæc. nota quid κατὰ λόγον naturæ, quid παρὰ λόγον eueniat.

XV.

Decimaquinta Indicatio proficiscitur à Remedio. nam sæpe quid hæret illi, quod renuit aliqua Indicatio prædictorum: vt cum propterea quid occulta, vel manifesta eius vi abstergeri debeat. vt cantharides vesicæ nocent alioqui vrinales valde. Manifestæ qualitatis ratione sæpe quid desideramus in remedio; vt cum ex primis, secundis, aut tertiis qualitatibus ei quid hæsit, quod non admittunt Indicationes. Vt si adsit, remedium calidum tribus ordinibus, cum duobus tantum opus sit, miscemus frigidum primo ordine. Ita in secundis qualitatibus: vt si nimis tenue, addemus illinens aliquod: & ita de reliquis. Hoc modo transigimus etiam in tertia qualitate, vt saporibus odoribus. Consistentiæ etiam ratio habenda, vt num pilulis vel potibus vtendum. Ad ægri affectusque naturam eligatur remedium: ne vomibundis dederis agaricum; nec diarrhoeæ obnoxiis valida acriaque pharmaca, vt dacrydium. Ægri quantum licet, remediorum commodis sine fastidiis eorum fruantur: sed ea lege, ne consistentiæ versio, euersionem virium adferat: vt rhabarbarum minutim tritum, vrinas mouet, ac aluum eludit. Et remedia non solum ratione substantiæ suæ officium suum non faciunt; sed etiam vim suam retinent, amittunt, vel mutant, pro varia ratione naturæ cui exhibentur. Poliatur remedium arte, ablutione, infusione, frictione, torrefactione, incineratione, extinctione. Quid hæc agant, & quomodo peragantur, & quando vsum habeant, alibi prodidimus: vbi etiam de remediorum viribus; quid possit calor, quidque alia efficiant; & quibus ordinibus quæque frigeant, madeant &c. Quædam solum ob commoditatem adiiciuntur, vt cera vnguentis, lithargyrum emplastris. remedium his indicationibus certo affectui efformatum, longe fœlicius est sanitati polychrestis. Magna cura vim discemus eorum quorum solemnis vsus est. Quare exploratis qualitatibus primis, secundis, tertiis, de substantia eius indagabimus: vt num graue, rarum, crassum, lentum, vacuum, impurum; & his contraria. Emollientia, tenuantia, tergentia, dissoluentia fiunt validiora, liquida si dentur consistentia. At reprimentia, trahentia, incrassantia, roborantia, solidiora, sunt efficaciora. Detergentia & emollientia, mediam consistentiam petunt. Cautio sit à resoluentibus partes principes: & à valde frigidis, & à nostræ naturæ aduersis. Ignotus morbus etiam naturæ committatur: nam eum aperiet, vel euincet. Inter remedia, quæ naturæ student, & vna cum morbo pugnant, optima sunt. & in omnibus μηδὲν ἄγαν. nec temere vageris per integra remediorum theatra.

Ind. à remedio. Ex 3. Method. 27.

Cautio.

XVI. *Indic. ex syderibus. Ex 3. Methodi 28.*

Vltima Indicatio capitur à Syderibus. Hanc indicationem prosequitur Galenus libris De diebus decretoriis. Lunæ motus hic maxime notandus; nam in corpora efficax est luna, vt scribit Ptolemæus, περὶ τὴν περημένην καὶ τὴν τῶν ὑγρῶν ἀναθυμίασιν, quod est, ob vicinitatem terræ & vaporum. Sed pro eo cæli positu planetarumque syzygia, qua quis natus est, eius vis cuique accommodatur. Quin certo sidere remedia varie animari putauit antiquitas. Sed suum regnum hic posuit vana credulitas & superstitio: quæ extra lineam præclaras syderum vires flectens, illas sigillis & signaculis insculpi vane docuit. Hæ meræ noctuæ diaboli, ad aucupia animarum. Vera medicina à Summo Deo hominibus ad solatium data: qua homo ad creatoris sui spectandam bonitatem & prouidentiam, eiusque de se sollicitudinem notandam ducitur; qui doloribus eius polidædala medelarum varietate cautum esse voluit. Diuinam lædit maiestatem is, qui ascribit potentias rebus, quæ his inditæ non sunt à Deo natura, nec arte. Absit ergo Suada, periapta, characteres, carmina & verba, magia fœda, goëtia, necromantia, theurgia, cabala. De quibus vnde nata, & quidnam possint, in Methodo nostra ad praxin medicam disseruimus. Ibi etiam astum admittimus, instar stratagematis.

Superstitio.

Hoc

Praxis facilitatio.

Hoc addo: qui iam medicinam faciunt, hoc filo eam ducunt. Primo, diætam maturæ ſtudentem & cum morbo pugnantem inſtituunt. Secundo, aluum leni remedio, vel ſuppoſitorio, raro clyſmate eluunt. Tertio, ſanguis ſi emittendus, venam aperiunt; reuellunt. Quarto miti apozemate accidunt materiæ morbificæ copiam. Quinto contumaciorem materiam parant ad excluſionem. Sexto, valide purgant. Septimo, adhuc reuulſioni ſtudent: mictoria, ſudorifica, frictiones, cucurbitulas in vſum trahunt. Octauo, deriuant ad vicina. Nono, exhauriunt fotu, dropacibus, cauteriis: quo continens cauſa amoueatur. Decimo, reſtibilem materiam diſſipant; & roborant partem. Vndecimo, læto victu vires recreant Exépla quibus exercitatio eluceſcat in his omnibus, quondam poſuimus: quibus tunc adiecimus examen ægrorum, quo modo interrogari debeant hic iam ſatis erit filum, quo conſilia ſint trahenda, adieciſſe.

3. Meth. 29. & 30.

CAPVT VII.

Quo modo conſilia ſint ineunda medica.

Ex 3. Methodi 31.

VNum illud diſcriminat cautum doctumque abindocto medico, docte de parte ægra, morbo, cauſis morbificis, ſignis, & corporibus ægris diſſerere, idque ſerie certa: & validiſſimis rationibus de his ſuam munire ſententiam; hiſque aduerſa labefactare: melioribuſque ſemper cedere.

Exordiendi modus.

Qui primus dicet, tali fere exordiatur modo: Medici, vt puto, officium, qui conſilium medendi init, duabus in rebus maxime verſatur: nimirum in his quæ ad propoſitum ſibi finem aſſequendum faciunt: & in fine ipſo. Ea quæ ad finem ſuum obtinendum animo collineare debet, eſt pars obſeſſa à morbo, morbus, & eius cauſa: quo cuncta auxilia rite effingi poſſint. Finis autem medici, eſt ægrorum redintegratio. Quare vt huc veniamus, certa ſerie tota hæc ægri hiſtoria ducatur in dignoſcendo, prædicendo, & curando.

Hip. lib. De arte.

Vel hoc filo primum dicendi trahatur initium: Quoties exercitationem medicam ineo, toties officium illud medicum mihi ob oculos verſatur Æſculapidum ſcholæ ſacrum,* μὴ τόλμῃ μᾶλλον ἢ γνώμῃ, οὐδ᾽ ὑπερβατῶς, ſed certis præceptis curationem eſſe tentandam. Præcepta illa dicuntur ex cognita ægra parte, & affectu qui arcet à ſuis muniis hominem, eiuſque cauſa: hæc ſymptomatis ſe aperiunt. quare ſymptomata rite tractabimus.

** ne potius temeritate, quam conſilio neutiquã perfunctorie.*

Poterit & hoc modo exordiri: Cum hic homo nequeat vitæ ſuæ munia exercere, ſine dubio aliquid præter naturam eum fatigat. Quod præter naturam corpus cepit, aut eſt ſymptoma, morbus, vel cauſa morbifera.

Qui vero vltimo loco conſilia verſabit breuiter colligat quæ ratione accurate firmata à primo fuere: &, ſi quid magni momenti omiſſum à primo ſit, id addat; & quæ minus firma, & noxia futura, refutet; reiiciendo cauſas non veras minimeque certas morborum, ſed aliis communes; & meliora non ſine certa ratione adferat; cauſiſque æſtimatis, veris confirmet ſuis notis, ſi quid dubij præſe tulerint.

Qui primus dicit, ab exordio, ſi ita viſum, narret hiſtoriam affectus curandi: mox de rebus non naturalibus, quibus vſus hactenus fuit æger, dicat; vt de aëre, cibo potu, motu, otio, ſomno, vigiliis, excernendis & retinendis, venere, & admouendis nam inde cauſa morbifica, & temperies corporis aſcititia eluceſcet. Hæc tamen non incommode hoc loco omitti poterunt, & cum ad cauſarum morbificarum, morborum & virium ac temperiei indagationem ventum fuit, adducuntur. Tertio hiſtoriam inibit rerum naturalium, agetque de natura communi & peculiari, in habitu, temperamento, actionibus, humorum dominatu, conſuetudine & diæta. Et qua moderatione pars ægra dotata fuerit, quiſque ſit eius in corpore vſus: quæ ſit ægri ætas, conſuetudo, ars, ſexus: & qua facilitate & labore medicationem ferat. Harum enim rerum mox vſus erit, vbi de remedij copia admouenda diſſeremus, nam ad hanc deprehendendam, opus eſt vt internoſcamus, quantum abierit æger à temperie ſua genuina: & quantæ ſint vires ægrorum (quod ad victum præſcribendum facit) inde indagamus. Quin hæc nonnunquam hoc loco omitti poterunt, & vſibus ſuis admoueri tunc, vbi de morbis eorumque cauſis agimus: nam ſæpius in hoc theatrum prodire debent. Cum tamen pars ſolum in querela eſt, totius temperies præteriri poterit; nam ſatis erit partis naturam aperuiſſe: at ſi febris occupauerit corpus, de totius temperie tranſigendum: hoc eſt, principum partium naturæ in hoc homine examinandæ. Et dum hæc agimus, plurima quæ ad noſtrum finem non faciunt tranſilienda erunt. Si enim temperies partis fracta fuerit, non bene de eius figura ſitu, connexione, magnitudine, conformatione verba facies. Quin non perpetuo opus eſt vt de corporis temperie ſollicitus ſis: vt ſi illa adhuc hæreat in antiqua linea, quemadmodum euenit morbis qui in mala conformatione, magnitudine, numero. Nam hic potius de partium ſtructura diſſerendum. vt ſi luxata ſit pars & quæratur qua idea luxationis violata ſit, opus erit indagine de partis ſtructura. Et de cunctis tantum ſolum dicatur, quantum ſatis eſt, vt inde affectus præter naturam poſtea eluceat, vbi inquiremus quid & quantum agendum. vt, ſi luxata pars, intelligamus quanta tractione opus ſit. Sed & hæc fœliciter in proſcenium hoc educuntur, vbi de diæta inſtituenda, & de remediis cum deliberamus ex affectu perluſtrato.

His, ſi ita placet, perluſtrat, tota medendi ratio his certis notis hacque ſerie ducatur: & inquire, An ſit agendum, Quid agendum, Quo remedio vtendum, & qua in Qualitate, Copia, quo Modo, Tempore, & Ordine. Sed hæc intelligere non poſſumus, ni primum res præter naturam exploratæ ſint. quarum cauſa hæc prædicta indagamus. Perueſtiganda itaque nobis erit pars obſeſſa morbo, morbus, & cauſa morbifera. hæc ex ſymptomatis (quæ eas res vnde dimanant nobis oſtendunt) intelligemus: nam ſymptomata, partis obſeſſæ, morbi, & cauſæ morbificæ naturam ſequuntur. Quare hæc ita ob oculos ponantur, vt cuncti fateri cogantur, hanc talem partem in vitio eſſe, illam morbi ſpeciem iſtamque cauſam in culpa eſſe. vt id agendum antea diximus, & etiam in Methodo ad praxin. Singula ſingulis conferantur ſymptomata: illa coaceruatio quid certi aperiet, de parte, morbo, & cauſam morbi. Quin ex vno ſymptomate interdum morbi ſedes, morbus eiuſque cauſa agnoſcitur. Quare ſi tes hæ paucis oſtẽdi notis poterunt, immediatas ſolum & proprias accerſemus & huic tantum hiſtoriæ aptas. & ſemper ab eo genere ſymptomatum auſpicandum, quod præbet euidentiores notas, Si quis forte ſeriem ſymptomatum amplam & certam requirat, conſulat ea quæ in Methodo; vbi fuſe huic indagini admouimus ſymptomata; & monſtrauimus. quo modo ex ſymptomatis in morbum eiuſque cauſam; iterumque vt dicendo palindrome fiat ex cauſa & morbo in ſymptomata. Et primum definias ſymptoma hoc, & cuius generis ſit: vel eius immediatam expone cauſam, & eam ſine qua non: quod alias exemplis aperuimus. Quod ſi, dum ex ſymptomatibus venamur affectam partem, affectuſque præter naturam, inciderit obſcuritas, vela detrahenda, probando, ne, cum ad remedia ventum fuerit, titubet medicorum concordia: imo potius concordibus animis, ex his apte diſtinctis, contraria remedia affectibus morbiferis decernantur. Inprimis itaque id ſtudium adſit, vt ex ſymptomatis partem morbo obſeſſam, morbum ipſum, eiuſque ſpeciem, & cauſam morbificam deprehendamus. Propterea etiam ipſa ſymptomata in primis examinentur. Id fiat hoc ductu: Quia hic homo vitæ ſolitæ officiis

Series.

3. lib. 31 cap.

Gal. 1. De locis aff.

Dignotio. 3. lib. 31.

Meth. cap. 31

Filum.

eiis satisfacere nequit, certum est quid præter naturam illum cepisse. Quod præter naturam corpora fatigat, est symptoma causa morbi, vel morbus. Si fuerit symptoma; hoc erit in actione, excremento, vel qualitate à natura degeneribus. Actio erit abolita, accisa, aut deprauata: eaque animalis, vitalis, vel naturalis. Excrementum inspicitur in substantia, qualitate, quantitate, tempore & modo excernendi, loco vnde, & ex quibus in quæ fiat mutatio. qualitas, in corporis colore, charactere, & mole. Et hic in vnum censum colligantur præsentia symptomata, quæ conspirant in talem aut talem partem ægram, morbum. & causam morbificam: & quot hæc sint. Adde iam his res naturales & non naturales, quæ propositæ rei aliquam lucem adferre poterũt. Et dum symptomata ad partis indaginem voluis, vna perlustra num illa pars symptomate pressa ac morbo, idiopathia vel sympathia, protopathia vel deuteropathia affligatur. & omnia ratione stabiliantur. Vide num partes plures vel vna in vitio sit. Nota eius positum, ordinem, figuram processum, recessum, temperiem; & cui causæ & morbo pars maxime exposita sit; & num propriæ quædam notæ illius partis appareant.

Morbus deprehendendus.

Parte ægra deprehensa, ex eisdem symptomatis quæ corpore ægro apparent, morbum ipsum captabimus. Si occurrerint quamplurima symptomata, abducatur symptoma quod longius à morbo recessit, in aliud illi iunctius symptoma, sed tandem in morbum abeant. Cum ex symptomatis morbus deprehensus, demonstra quis & qualis ille sit. Hoc ages ex eius essentia perspecta: quæ spectatur in eius specie, magnitudine, more bono, vel malo; motu, (vt celeritate, vehementia continuitate & longitudine, æqualitate, & ordine) parte obsessa, & humorum dominatu. de his fuse alias. Sed dimitte semper sermonem in rem hanc, speciemque morbi præsentem: nec vageris per ampla rerum genera. In eo morbo nota etiam; ex quibus in quæ facta sit mutatio; & qui per se sunt, num iam facti, & num etiam iam fiant: & qui facti; num iam in habitu, vel non. Interdum hæc omitti poterunt, & dum de curatione agimus, adferenda. Tempus etiam morbi bene distinguatur: num scilicet decurrat per vniuersale suum principium morbus, augmentum, vigorem, aut declinationem; & quamdiu iam illud tempus durauerit. Et num morbus periodis recrudescat: & quales sint recursus; longine an breues, acerbi an leues, & num ordinis expertes: quomodo, & quo tempore paroxysmi inuadant, augeantur, vrgeant, & cedant: & num simul vel seiunctim adoriantur, increscant, vigeant, decedant. & quid fiat in omni paroxysmi parte: num frigeat, horreat, rigeat, sudet, & quam diu hæc perseuerent. & num graue symptoma vigeat tempore paroxysmi, vt hæmorrhagia, diarrhœa, & quo tempore paroxysmi hæc inuadant, & num toto paroxysmo. præterea in quod excretum finiatur paroxysmus: numque ad metum interuallum se demittat. quid longius excurrat in paroxysmo; eiusne initium, augmentum, vigor, vel declinatio. Hæc morbi indolem aperiunt. hæc tamen omnia in cunctis non habent locum: tu vide vbi. Quin hæc etiã interdum curationibus inseruntur. dum de his agimus. Si interim ex his incidant dubia adhuc quędam de parte, prius non cogitata, hic repetantur: num scilicet totum corpus vel pars solum ægrotet. si pars, an ea princeps, vel ignobilis & num ex idiopathia, protopathia, sympathia, & num deuteropathia ægra sit. Quæ ab idiopathia, focum sum in peculiari parte perpetuo habent: deuteropathia laborat pars, cum ab alia priore occupata, in hanc transit. Examina propria partis symptomata, in actione læsa, excretis, & qualitate: vt doloris specie, colore, tumore. Intuearis situm partis, & illa quæ alteri superueniunt ab adnatis partibus; Lædentia & iuuantia obserua. Morbo parteque deprehensis, morbi causam inuestigabimus formalem, efficientem, instrumentalem, & maxime materialem, eiusque focum; causas cum quibus, & sine quibus. & quemque morbum in suam causam referemus. hæc fuse olim exemplis aperuimus. Primum cogita de internis, & ante omnia de proximis, deinde de externis. Et de internis, num sint ex naturæ primordiis ingenitæ, vel ascititiæ. quæ princeps causa, & quæ sese consocians & iuuans; & quæ sint illæ causæ sine quibus morbus hic non nasceretur: vt alias exemplo id illustrauimus. Nec hic diuidendæ causæ, sed solum propriæ vsibus adhibendæ. Vna iam perpendenda victus ratio, cui assuevit æger, eiusque temperies & habitus, ætas, regio, cæli status, sexus, animi mores, &c. vt inde, & ex symptomatibus omnibus eluceat humorum dominatus. & vide num causa stabuletur in parte, vel num iam illa euanuerit: & si adsit, num facile excludi poterit. Hæc omnia etiam hic omitti poterunt, & tunc in vsum duci, vbi ex morbi causa Indicationes curatiuas captamus. Vt nimirum hic solum deprehendamus partem ægram, morbum, & causam morbificam: reliquas iam dictas res in iis obseruandas, mox vbi de curationis ductu agimus. (qui ex his dirigitur,) tunc in vsum accersamus. Sed dum hæc voluis, aduerte perpetuo mentem, cum quibus horum res tibi sit, cum causa morbi, morbo, vel symptomate vrgente. & in quid hic, de quo agis, affectus referri debeat; num in symptoma, morbum, vel eius causam, vt constet omnibus, quæ sit rei propositæ essentia.

3. Meth. 31. *3. Meth. 32.*

Curationis ductus.

His compertis curationis leges accedemus, hac serie, vt perpendamus, An agendum, Quid agendum, Quo remedio, Quali, Qua copia, Quo modo, Quo tempore, Quo ordine vtendum.

An agendum. 1.

An sit agendum, docebit affectus morbifer, & materia neoterismi capax, vel expers: & instrumentum si in promptu sit quo agendum: & natura ipsa num agat quid, quo ei porrigantur manus auxiliares. Affectus, vt si illi, de quibus instituitur consultatio. non omnino sint deplorati, nec ita exiles, vt vltro naturæ cedant, propugnandi erunt opera medica. Hoc notabimus ex robore affectuum morbificorum, ac rerum naturalium opibus. hæc inter se collata, in quam partem victoria inclinatura sit indicabunt. hæc signis elucescunt prognosticis, de quibus prius. Nusquam extra lineam tuam abeas: quæ hic est præsensio. Si conclamatum & ad vltima ventum, non crudeliter orco dicandi ægri: sed solatium miseris à blanda hac arte (quæ vere ad solatium miseriæ à Deo Opt. Max. hominibus data) adferendum his, quæ vires recreant, intemperies flectunt, ac symptomata mulcent. Ita Galenus ab hectica exhaustis medicinam facit. & cum Auicenna semper memores simus occultæ naturæ potentiæ. A magnis tamen abstinendum remediis, ne restibiles vires pessundentur: pax sit à pharmacia & phlebotomia, cæterisque valide exhaurientibus: vnde optimis remediis nota, & medicis certa infamia, Si itaque redintegrabile sit malum, mox.

10. Meth.

Quid agendum. 11.

Quid agendum sit, vide. Id nescies, ni primum pars affecta, morbus, & eius causa deprehensa fuerint. Hoc docuit olim Biantes, vnicum esse principium bene consultandi, nosse de quo instituatur oratio: sin secus, omnia aberrare. Quare ita tunc dicendo pergat: Quia pars affecta, & affectuum nobis propositorum natura, differentiæ, causæ. in hac consultatione nobis sunt inuenta; iam agendi rationem perquiramus, & primum Quidnam agendum sit perpendamus. Hoc est, quo auxilio affectus debellandus: vel quo nutricam vires recreandæ. Quo affectus sint frangendi, aperient causæ morbificæ, morbus, & symptoma vrgens: nam contrarium sibi remedium indicant. Quod enim contra naturam, sui ablationem flagitat. Hoc iam loco tota prima indicatio vsum suum habebit: quare huc illa adferatur, vt sciamus quot & quæ moliri debeamus ad

affectus

affectus exclusionem : & à quo auspicandum sit, vt ab vrgentiore. dein ab aliorum causa effectrice, quodque est causæ loco, sine qua non fieret affectus & in vnoquoque ex prædictis quærendum, quæ & quot auxilia adferenda. & quoties aliquid moliendum, toties res non naturales erunt percurrendæ : vt dum fluxio cohibenda : num illud fiet reuellendo, deriuando, dolorem sedando &c. quæ in prima Indicatione. & vide quæ inter res naturalea his vna studeant. Ita tamen hæc ducenda, vt primum generosissima remedia vsui inferantur : qualia sunt euacuantia sensibiliter, & occulto; alterantia &c. Et id solum adferatur, quod proposito malo auxiliari poterit. Ita Vires, & morbi constitutio, hoc est, natura rei quæ præter naturam adest, indicabunt num sit nutriendum, vt quarta docet Indicatio. Tertio perlustrabimus.

Quo reme-dio. III. Quo auxilio id præstandum sit, quod agere oportet: aliud enim est, contrarium affectui, illique aptum remedium esse;& aliud, eo vtendum esse : nam multa interdum impediunt aptum remedium, à fœlici vsu. Consule ergo admittentia, & prohibentia hoc est, partem & reliquas omnes indicationes, non negent aptè in vsum flecti posse hoc remedium : vel num annuant.interdum etiam vsum consule. si sola obseruatioone remedia illi malo comperta fuerint. nonnunquam & analogismum in iudicium adducas, si nec iudicio (hoc est indicationibus) nec vsu, quicquam quod conferat deprehensum fuerit : tunc enim transitu ad simile intelligemus quid conferat. Si itaque Indicationibus (vt fere fit) vti licet, inspicienda erunt indicantia, quæ & quot sint: dein contraindicantia, hoc est repugnantia: & ea quæ admittunt quæ ab iodicationibus iam decreta sunt. Hoc est, vnum est indicans quid agendum : reliqua indicationes Limentinæ sunt : nam vel coindicant & admittuot, vel contraindicant & prohibent. Hinc est quod antequam consilia inimus, noscendum sit quot sint indicantia, & quid indicent ; & quid singulis repugnet vel annuat. Primum itaque indicantia ponantur : dein coiodicantia, & contraindicantia:Vt intelligamus cum aliquid auferendum vel tuendum, quali victu, pharmaco, vacuatione abdita apte vti poterimus.

Quali. IV. Quarto videbimus quali remedio transigendum sit: num crasso aut liquido, odorato vel fœtido, calido actu vel frigido, curuo, recto, repellente, digerente, coqnente. Hoc elucebit ex morbi decursu, peculiari ægri natura, consuetudine ; partis substantia, formatione, vsu, situ. Has Indicationes primo docuimus; hic vsum habeant suum. Vt si euacuandum ; cum vare id fiat, decernendum, num sensibus abdita, vel his deprehensa id exhaustione agendum sit. si phlebotomia, latum vulnusculum infligendum, si crassior sit sanguis : si tenues venæ, cucurbitis vtendum. Iucunde vbique transigendum, etiamsi ad paulo deterius deflectendum foret Et semper potius vsitatis, quam nouis : nam plurima remedia & alimenta, noua adblandiuntur forma ac gratia; quæ tandem corrguit vsus malignitatis. Sane, ait Galenus, qui explorata contemnens, noua semper remedia tentat, flagitiose facit. Quæ iam ab vsu sunt sacra,ob iucunditatem maiorem, in paruam molem redigi poterunt extractione præcipuarum virium cuius quædam noua ratio nuper mihi comperta est, nescio an hactenus deprehensa, qua in pauci ssima grana (sine ignis vi) omnium remediorum vires conscicientur : de qua alias.

7. ... 4.

Qua copia. V Quinto qua copia in vi;& mole, remedij vsus Iniri debeat, cogitabimus. Vis remedij indicatur à ferocia & remissione affectus morbifici, & ab ægri tempetie, viribus, ætate, situ partis, eiusque formatione, vt amplitudine meatuum. Moles remedij sortitur sua indicantia, morbum, eiusque causam coindicant vel cootraindicant, temperies, habitus corporis, vitæ institutum, ætas, aër & regio, annique tempus, consuetudo, symptomata, quæ dehortantur, quare hæ Indicationes hoc loco his lusibus intrudantur. Ex his enim vires deprehendimus præsentes & mox futuras : quæ si periclitantur, maiora remedia abnuunt. Quare io cunctis Indicationibus perpende, quid per se his repugnet, & quid has admittat, & quid per aliud hoc agat. Et vbi de quantitate, semper hæreat tibi illud summi præceptoris,* ... Sexto examina

Quomodo. VI. Quomodo agendum, id patefiet ex morbo, eiusque causa, sexu, parte ægra : &, vbi locus viæque variati possunt, ex multis commodiorem eligemus. Septimo notandum.

Quo tempore VII. Quo tempore sit agendum ; hoc est, captati debet occasio. Illam aucupabimur ex præsentia & absentia eorum, quæ tunc agendum vel supersedendum esse indicant, si adsunt morbi & causæ morbificæ rectè ad agendum comparatæ, & si absunt symptomata quibus vires debellantur, vt dolor sæuus, vigiliæ, stomachi rosio, indeque anxietas, nec adsit prostrata virtus, absit criticus naturæ motus, vt erumpens sudor. Obseruanda quæ præcessere, & consectaria. Somnus proxime excipere venæ sectionem non debet, nec valida incedia .aut crudua in ventriculo cibus, vel paroxysmus mox inuadens. Mos & motus tempusque morbi, eiusque breuitas & diuturnitas hoc idem aperient, & naturæ ordo ;cæliqué constitutio, & remedia apta, si adsint. Hæ indicationes hic inducantur. Ita vena aperietur eo tempore quo promptius effluere potest sanguis. Vltimo.

Quo ordine. Quo ordine remediis vtendum sit, inquiremus. Non in omnibus ordine opus est, sed vbi multa sunt peragenda. Quæ simul agi non possunt vel non debent, triplicitér complicantur : vel vnum ratione alterius, causæ analogiam gerit; aut causæ sine qua non rationem habet erga aliud : vel vnum vrgentioris ideam præ se fert : aut ita conuenere, vt vnius curatio, alterius medelam impediat. Quare notabimus quid inter morbos, causas morbificas, & symptomata vrgentius sit. quid causæ locum occupet sine cuius ope non fatigaret morbus: & quid sit effectricis conseruantisque causæ loco. Hæc facile fient, cum primum examinaueris quid conseruantis, & quid causæ sine qua non ideam gerat, & sine cuius euictione morbus pessundari nequeat.

Cautio. Sed cautio in inducendis ad has res Indicationibus adsit, vt hæ solum euocentur, quas præsens historia postulat: & vt illæ præponantur à quibus reliquæ nascuntur, & quæ potenter vrgent. Si quæ infirma videantur, ratione firmentur, aut experientia rationali stabiliantur, cum tamen ab experientia argumenta ducis, omnia discernes & distingues; ne causæ primariæ ascribamus id, quod ex euentu agit aliquid. Sin nec à ratione, nec ab experientia hoc obtinere potes, tunc solum auctoritatem maiorum in subsidium vocabis. Sed vbi lucida sunt omnia, absit auctoritas scriptorum, ratio,& vsus.

Alia ratio. Qui hac iam dicta ratione nolit vti, is, eodem euentu, in primis ex symptomatis quæret partem ægram, morbum, eiusque causam : mox opponat his contrarium remedium, ex lege & ductu primæ Indicationis, deinde id remedium ordine ducat per omnes Indicationes, quæ vt Limentini quidam dij eius qualitatem, quantitatem, vtendi tempus & modum, ordinemque definient. Vbique absit fastus à consultore, & omnia ad salutem ægri conferantur. Nunquam aliena adferantur, nisi parce & magno cum iudicio, demonstrando illa ab hac consultatione non aliena esse. Difficilea quæstiones tenui digito, vel trãsitione delibabimus, vel In auditores, si quid prolixius, culpam referemus, quorũ studiis & votis hoc nos negare oon potuisse affirmabimus.

Breuis ratio Si quis breuiter velit consiliis operam dare, ita agat:

conſultandi. Tria ſunt quæ maxime medicum perpendere decet: corpus ægramque partem, morbum, & cauſam morbi. Et ilico de natura ægri corporis agat. & ſi latet pars obſeſſa, perpende num eluceant notæ propriæ illius partis quæ in ſuſpicionem venit. Deinde morbum inueſtiga, eiuſque cauſas: & perpende ſymptomata. Poſtea ages de dięta, & num euacuandũ, reuellendum, deriuandum: de chirurgia, vt num ſi ſecanda vena, quæ, quando, qua copia; de cucurbitulis cum vel ſine ſcarificatu: de arteriotomia, hirudinibus, vinculis, cauteriis. Tandem de pharmacia, an leniendum, præparandum, purgandum ſurſum vel deorſum, vrina, ſudore. Vltimo de corroborantibus intus, foris: de maſticatoriis, gargariſmis, phœnigmis, ſinapiſmis, dropacibus. Sed in tali ductu, loco non ſatis apto diſſerere licet, cur, quando; & qua copia his auxiliis indulgendum ſit.

Curatio ſolitaria. Cum quis ſolus ægri curam ſuſcipit, hac ſerie tranſigat. In primis ſexus habeatur ratio: & innoteſcat natura inſita & aduentitia, in temperamento, habitu, humorum dominatu, conſuetudine, & diæta: & inde vires. Partis ægræ, & morbi deinde ſigna & cauſas eorum inueſtiget: ac notet, num morbus ſqualidus ſit, vel madidus: & recte differentias cauſarum ſuis propriis ſignis interſtinguat, & num ſit morbus magnus, perpendat: & Indicationes in conſilium adhibeat: & prognoſes. Quibus deprehenſis, roget quanam hora paſtum inierit: ac cogitet num enemate vel glande opus ſit. Perluſtret interim num ſit corpus εὔπορον ac meabile, an potius infarctui obnoxium. His deprehenſis, diæta commoda imperetur: & cogitandum num vomitu egeat. Tandem cum compertum iam ſi num magnus an paruus ſit morbus, prima cura ſit de ſanguinis eductione à vena ſecta, vel cucurbitis, aut hirudinibus. in his notabis locum, modum, & tempus. idem de cæteris admouendis dico. Dein num pharmaciæ locus, vel num parari ſuccos oporteat iuſculis. in bis perpendes copiam, modum, conſiſtentiam, tempus. Euacuabis lenibus, mediocribus, & validis: vt copioſior ac contumacior fuerit educendus humor; & vt is conſederit in regione aluina, venoſa, vel habitu corporis: hoc eſt, pro ſitu humoris purgandi. In remediis perluſtra materiam, copiam, modum, & tempus. Vltimo, ad ea quæ à foris admouentur, vt olea, vnguenta, cataplaſmata, fotus, ſacculos epithemata, &c. Intus, antidota, tabulatæ confectiones, &c. his adde cauteria, & fontinellas.

Hæc propetantibus ad maiora ſatis eſſe poterunt. Faxit Deus Opt. Max. vt his in naturæ luſibus medicæ artis ſtudioſi, micantes illos ſuæ diuinitatis altæque ſapientiæ luſitantes per mundi theatrum igniculos noſcant: & in his, perpetuam illam maieſtatem venerentur atque exoſculentur. Quin in his amplectantur perennem illam erga nos ac beneuolam ſummi Dei prouidentiam, qua cautum voluit hac arte, tanquam vindice, humano generi, de perpetuis languoribus ac hoſtilibus morborum incurſibus. Solatio itaque humanæ miſeriæ data ars, qua gratias accini ſibi vult rerum creator, beneuolentiæ ac amori perpetui archiatri noſtri Ieſu Chriſti gratias agat; per quem tota hæc mundi fabrica flammat ac vegetat ab omni ſæculorum ætate diuinis viribus: ab eoque petamus fœlicem in eius opera manum medicam. Etenim.

Ni Deus affuerit, vireſque infuderit herbis.
Quid, rogo, dictamnum, quid panacea iuuent.

MODVS RATIOQVE
STVDENDI EORVM
QVI MEDICINÆ
OPERAM SVAM DICARVNT.

CAPVT I.

Medicinæ difficultas, & decus: & Quorum opus ſit abſentia, quo eius difficultatem ſuperemus.

SCite ac prudenter dixit olim Pythagoras, Homines hanc vitam veluti emporium quoddam accedere, ex quo alij alias ſibi merces conquirunt, aliiſque in ſtudiis verſantur. Optimi vero ac præſtantiſſimi exiſtimandi ſunt, qui præclariſſimis artibus incumbunt, non ſine certo ductu ac ratione. Triplex enim vitæ genus homines ſectari videmus, actiuum, contemplaticum, aut voluptarium. Hoc vltimum, aucupium belluarum eſt. actiuum, ſi philoſophia caruerit, magnis plerumque ſe difficultatibus inuoluit. ſpeculatiuum, ἀπέραντον eſt & inutile, niſi ad actionem aliquam certo ductu ac ratione demiſerit. Quo ergo illi filo, qui medicinæ ſe conſecrarunt, ſuos ducent in Reipublicæ commoda labores? conſtat enim cunctis difficilem hanc artem eſſe; quamuis pulcherrima, ac perpetua laude digna. Difficilis habita ſemper, ob iudicij & experientiæ difficultatem. difficile iudicium, diſtinctione corporum, cauſarum, ſignorum, & remediorum: ad cognoſcendum, prædicendum, & curandum: & quia hæc, ſimilitudine ſæpe bonis imponunt medicis: multaque ſæpe ſolitaria ratio ſuadet, quæ coarguit vſus. Experiētia etiam ob ſui prolixitatem artem grandeſcere facit: nam ad hanc die opus eſt. quare Euryphon medicus olim interrogatus, quo eſſet vſus præceptore, Tempore, inquit. Pulcherrimam etiam hanc fidamque philoſophiæ comitem dixi: quæ nimirum domi grata, foris neceſſaria, accepta cunctis, nulli iniuria, benefica, liberalis, dulciſſima naturæ parentis indagatrix, calamitatum fugatrix, ſanitatis fidiſſima tutrix; munificentiſſimum Dei donum, ac in hac corporum fragilitate ſolatium. Hæc pro ſummis & infimis omniumque ſalute excubat: pauperum cauſas non dedignata, ſimulque regum cubiculo recepta. Imperatorum imperatrix, vitæ amica, cunctis ſtudet. in aduerſis præſidium; in ſecundis iucundum vitæ condimentum: iucundiſſima ſcitu, opulentoque prouentu fœcunda. Hanc bene inſtitutæ ciuitates coluere ſemper, generoſiſſimis natalibus, philoſophia naturæque adytis ortam. Hæc à fortunæ procellis ſemota, ſecum ipſa in ſublimi arce rationis habitans, foras tantum ad humanas miſerias prodiens;

Tria vitæ genera.

Medicina cur difficilis.

Medicina pulchra.

prodiens; quibus debellatis, se sua in arce cum sophia oblectat:adeo, vt vetustissima quadam iuuenta perpetuo repubescat. Quare Deo dignam Artem, hanc putauit antiquitas. Xenophon medicum Cyro addit, cum quo de abditis rerum causis confabuletur, & de intimis penitissimarum causarum secretis sermones misceat, penetralia naturæ timeretur, & iucundos eius recessus inuestiget. Laudata à laudatis viris, & ingentibus præmiis affecta. Iulius Cæsar medicos omnes Romæ profitentes ciuitate donauit. Democides medicus à Dario in honore habitus fuit, mensaque regia dignatus; tantæ auctoritatis, vt Aegypti medicos damnatos, & vna Eliensem vatem seruarit. Artaxerxes Hippocrate frustratus minabundus indoluit: cui Herculis honores Græcia dedit. Asclepiades Mithridatis legatus & promissa spreuit. Erasistratus centum talenta à Ptolemæo (vel ab Antiocho, vt alij narrant) accepit: hoc'est sexaginta millia aureorum. Q. Stertinius principibus imputauit quod sestertiis quingentis annuis contentus esset, cum pluris sibi ex vrbis quæstu prouenirent, & huius fratri à Claudio Cæsare par merces data. Crinas Massiliensis centies sestertium reliquit muris patriis ædificandis. Quam chari illi regibus? Taceo Philippum Alexandri, & Musam Augusti. Omitto Aruncios, Albutios, Rubrios, Cassios, & Carpentanos, quibus Romæ stipendia annua ducenta & quinquaginta aurei erant. Thaddæus Florentinus cum peregre proficisceretur, aureos cottidie quinquaginta accipiebat:& cum Pontificem Honorium curasset, reportauit decem millia aureorum. Cominæus mira stipendia narrat medici Ludouici regis Galliæ. Hæc nonne plurimis optanda? sed, vt dixi, difficilia, & ad quæ rara ingenia peruadant, ni recte ducantur: multa enim naufragium faciunt, & in ipso etiam huius artis portu, & se suæque fidei commissa præcipitant. Quare vt in re militari insignes duces atque Imperatores, priusquam militem in aciem educant, rationem aliquam sibi comparant, qua prudenter exercitum instruere ac fœliciter in hostem ducere possint, (ne in re tam periculosa secum milites, totamque rempublicam perdant;) Ita qui huic pulcherrimæ ac difficili arti noui mystæ vela pandunt, cynosuræ cuiusdam certæ ad leges collineare debent; ne fluctuantes cœco ductu, huc atque illuc per medicinæ vastum pelagus errabundi ferantur, dum haud bene iuncta ac formata præcepta susque deque hauriunt, falsumque pro vero animis admittunt, tandemque vano labore delusi, se his in pomœriis sine fructu tota ætate delusos querantur. Hoc passim euenit his, qui non certo filo se duci patiuntur ad artem hanc, sed qui temere omnes auctores voluunt, quibus vsu venit quod his qui in dubia cœna miscent assa elixis, atque conchylia turdis: vnde tandem lenta pituita illis stomacho cum fit, cuncta alimenta simul euomunt, non sine totius nutricatus iniuria. Quo itaque hanc maleam vitent, rationem certam, quantum in me est, præscribam;cuius ductu (nisi auguria mea me fallant) ad certa trophæa hanc militiam prouehant. Dicam quæ abesse, quæ adesse, debent. In primis sanum adferat studiosus ingenium ad hanc artem velim, nec insanum à φιλαυτίᾳ. Credite mihi, nihil æque in diuersum abripere solet optima ingenia ab eruditionis pulpito, ac φιλαυτία & κενοδοξία illa, quod nescit, discere præ pudore renuit, ne inscitiam cum rubore prodat: hæc, iam eo peruenisse se persuadet sibi, quo pergendum erat, hinc fœda illa ingeniorum in ignauum robur adolescentium ignorantia. Quare Heraclitus Physicus dicere solebat.* τὴν οἴησιν, ἐγκοπὴν προκοπῆς. Nullum profecto ferarum genus assentatione est perniciosius, nullum quod facilius in præcipitia iuuentutem trahat, ac omnis eruditionis sementem radicitus obteriuerit. Quid ergo his eueniet quæso qui hunc gurgulionem, in præcordiis perpetuo apud se gerunt, ac sibi nescientes palpum obtrudunt? Recte de palponibus illis Timon apud Athenæum, * αἰξὶν ὄπισθεν ἐοικὼς, ἔριφος δ' ἐπὶ δώματι παίζει. Alij iuuenili quadam audacia ad suum nutum doctrinam duci petunt, aliorum contemptores ac risores: bis iam magister vti Saturnus quidam delirat ætate, iamque capularis est dæmon, subselliis effeRatur. Has fastidiosas propellite iuuenes pecudes, si instrui rite velitis; fugite has, quæ mansuetissimas etiam naturas in sua cōtagia trahere possunt. ἔρρετε λωβητῆρες, ἐλεγχέες. Hæc absint: aliæ adferantur situlæ ad has merces. Quæ? natura proba, studium indefessum, & perennis exercitatio.

Præmia Stertinius in Iulio.

Plin. 26. Lib. 1.

Morbi studiosorum.

** persuasionem esse impedimentum profectus.*

Nondum vixit capra, at iam ludit in ædibus hædus

CAPVT II.

De his quibus opus est vt adsint studiosis, quo artis difficultatem superent.

Opus est ad cunctas ingenuas artes natura, studio, & exercitatione. Cæca est sine studio & doctrina natura; & absque natura plane titubat disciplina: imo vtraque hæc ni adsint, frustra inibitur exercitatio. In primis vero potens est natura. Pythagoras dicebat, cibos in scaphio non esse ponendos; hoc est, in improbum animum doctos sermones non esse immittendos: nam sermo, cogitationis cibus est, quem animus, ni probus sit, sordidum reddit. Vt enim agricultura in primis soli probitatem quærit, ac deinde hoc parandi peritum agricolam, mox selecta semina: quæ cuncta ni recte comparata sint ad fruges, nunquam in fœcundam maturitatem illæ adolescent: Ita studiosis, qui se in gloriam literatam erigent, amice aspirare debent tria omnium artium & scientiarum comparandarum præsidia, φύσις, παιδεία, & τὸ χρόνος, vt loquitur Hippocrates. hoc est natura, doctrinæ studium, & exercitatio vsusque. Sed hæc nulli exima sine Deo: cuius numen, vt hæc afflet, perenni nisu sollicitandum. Princeps inter hæc natura est, quæ habitat in corpore & animo. Corpore sit robusto, vt mox dicam: animo autem & ingenio acuto ad inuestigandum, iudicandum, discendum: de quo postea. Natura si fractior fuerit erigatur arte, & castigetur diligentia & labore. Viden vt guttæ cauant lapides? vtque fertile solum incuriæ datum squaleat? & asper ager cultu fœcundetur? Quæ adeo prostrata animi corporisue natura, quæ non se erigat cura & diæta? Studium ergo accedat indefessum: magna enim hic præmia eruditionis, perennis fama, iucundissimaque vita: nam vitæ regula est ipsa eruditio & pietas. Cætera bona pusilla, & indigna tantis studiis. Pulchra quidem est nobilitas; at illa non nostra, sed maiorum, amabiles sane diuitiæ; verum non tuæ, sed fortunæ: quæ habentibus has aufert, & minime sperantibus adfert. Sed sint tibi hæ firmæ; an non cum sceleratis communes? an multis non aliquando funestæ? Gloria venusta adblanditur? at illa vaga & inconstans, ni constantem eruditionem agnoscat. Forma? caduca. Sola immota ac diuina eruditio pia. Hæc nullum metuet fortunæ incursum, nec calumniæ ludibria, aut annorum senium; vetustate ipsa repubescens. Demetrius cum Megarensium vrbem vastasset, eiusque ciuem Stilbonem rogasset, num quid rerū suarū amisisset? haud equidē inquit: bellum enim nulla ex eruditione & virtute spolia ducit. Socrates rogatus cum Persarum regem fœlicem putaret: nescio, respondit, quantum habeat eruditionis & virtutis. vbi ille sapientissimi illud regis expressisse videtur, cum ait* οὐκ ἔστιν ἀντάλλαγμα οὐδὲν τιμιώτερον ψυχῆς. Democritus dicebat. * τὰς μὲν πόλεις ἀναθήμασι. τὰς δὲ ψυχὰς μαθήμασι δεῖ κοσμεῖν. Socrates interrogatus quodnam esset animal pulcherrimum, homo, dicebat ornatus doctrina, Exercitatio & consuetudo naturæ & doctrinæ

Lib. περὶ νόμου.

Natura.

Studium.

*Prouer. 6. *id est nihil tam pretiosum, quo permutari possit animus eruditus.*

doctrinæ accedat: assuescat bonis, fugiat voluptariorum hominum consuetudinem. (Pythagoras dicebat, quæ nigricantes habent caudas, gustari non oportet, quod est, fugiendi, quos morum inuenustas denigrat: his dextram non iniicito.) sed cum eruditis & bonis se exerceat. Opus itaque est natura corporis & animi, studio, & exercitatione. Quo itaque modo natura corporis & animi flecti debeat ad artem medicam, doctrina studiumque vt habendum sit, & quo modo exercitatione hæc excolenda & formanda sint, iam dicam.

Hoc est, ciuitatis ornamentum bonum maxima, animas vero mathemata.

CAPVT III.

De Genio, & natura corporis, qua studiosi valere debent.

NAtura tantum an studio perfecti efficiantur medici, sæpe quæsitum fuit. Vbi non hoc inuestigatur, num natura humana apta sit discendis scientiis, cum nullum aliud animal artes capessat & iis vtatur, natura enim cæteris animantibus dotes quasdam inseuit natiuas, vt araneæ texendi, auibus nidificandi: hæc, naturæ ratione sine ratione agunt, ac callent; quasi Epimethei dono (quod ratione posterius sit, hoc est naturæ, ducuntur ac opus ineunt: cogitatione autem & mentis discursu nihil possunt. Inde est quod perpetuo eodem filo sua munera peragant, & singulæ singula tantum exerceant. Sed homines Promethei munere artes sibi concessas & è ratione natas habent, domini illarum facti. Sed alius aliis artibus est magis aptus, alius iuri, alius medicinæ: quamuis cuncti homines fere medici. id fit, quod ad beneficentiam nati sunt cuncti. Hæc itaque ad medicinam promptitudo in animo habitat: qui cum sine corpore apud homines non sit, corporis etiam petitur dexteritas quædam. A corpore petitur, vt id sit firmum, ætate integrum, quo labori studiorum par sit, hic enim labore opus: crede Epicharmo, τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ θεοί: Laboribus vendunt nobis cuncta bona diui. & vt Euripides πόνος γὰρ ὡς λέγουσιν, εὐκλείας πατὴρ, οὐδεὶς ἐκ τῶν ἡδονῶν εὐδοξίαν ἐκτήσατο. quod est, labor, vt aiunt, gloriæ pater est, nemo sibi laudem comparauit ex voluptatibus. Nihil gloria dignum absque assiduis laboribus effici potest, vt merito De legibus scripserit Plato: * ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον, τὸ δὲ δεύτερον καλὸν γενέσθαι, τρίτον δὲ πλουτεῖν ἀδόλως. Corpus enim animi instrumentum est: quod aliis fœlicius obtigit, aliis minus ad obsequia honesta tractabile. Quibus obtigit fœlix, his enitendum est vt alios labore præcurrant: quibus incommodius, cura addendum est quod naturæ deest. Artifices norunt instrumenta sua non solum ad suum quæque officium accommodare, verum etiam corrigere, & ad vsum adaptare: quo turpius est non idem facere animum nostrum corpori suo. Quam quisque habet sanitatem, tueatur, fractam labefactatamque reuocet. Plato dicit, * τὰ ὑγιεινὰ ὑγίειαν ἐμποιεῖ, τὰ δὲ νοσώδη νόσον. Virgilius continentem equum vult, quem generosum petit, vbi ait: *Nulla magis animi vires industria firmat, Quam venerem, & cæci stimulos auertere amoris.* Cicero scribit. Sustentari cuiusque valetudinem notitia sui corporis, & obseruatione earum rerum quæ prodesse soleant aut obesse, & abstinentia in omni cultu atque victu, corporis tuendi causa: & prætermittendis voluptatibus. Plutarchus scribit, corpus foueri, cibis cum non satiatur; verum seminis substantiam cum tuetur; ac labori cum indulget, nam, vt ait Hippocrates, ἄσκησις ὑγιείας, ἀκορίη τροφῆς, καὶ ἀοκνίη πόνων. Illud, dicit, sanitatis est studium, non repleri cibo & potu. & impigrum ad labores esse. Nam libro primo De diæta scripserat, οὐ δύναται ἐσθίων ἄνθρωπος ὑγιαίνειν, ἢν μὴ καὶ πονῇ. Nunc multi corrumpunt corpus suum; & quod Deus dedit aptum, faciunt ineptum, idque labefactant ocio, somnolentia, vino, vigiliis venereis, ac immodica libidine. Alteram naturæ partem ad animi genium spectare dixi: qui ita sit factus, vt facile discenda percipiat, acriter de illis iudicet, & memoriæ illa fideli committat. Sed quia nos non finximus nosipsos, vt ex arbitrio nostro his decoremur, Summi tamen Dei benignitate ita comparatum est in natura, vt hæc cura cultuque firmari expolirique possint. Cum enim animi mores ex contagio corporis fingantur: certe cuiusmodi id fuerit, tales etiam vires redolebit animus. Cumque corpoream hanc molē facile in quamcumque temperiem traducamus, nostro etiam marte has animi dotes, annuente S. Deo, ex arbitrio effingemus. Præsertim quisque à seipso quærat, ex quo luto Prometheus eum finxerit, hoc est, quibus artibus aptior, his enim cum cultus à disciplina accedit, ad gloriam fit via sine vi. Quemadmodum enim non ex quouis ligno Mercurius fingi potest, sed aliud, vt buxeum, aptissimum fuerit, ficulneum ineptissimum: sic neque quiuis medicinæ idoneus. Quare, sicut implantatio & εὐφυΐα non promiscue, sed magno iudicio ab hortulanis facienda est, qui intelligunt quos surculos aut malleolos sibi insitos, veluti materno gremio complectantur, foueant ac nutriant; quæ rursus germina nouercali odio auersentur: ita quique suum genium exploret, num eo feruescente ad medicas res feratur. Alius enim aliis artibus natus; vt canit eleganter Pindarus, * τέχναις δ' ἑτέρων ἕτεροι· χρὴ δ' ἐν εὐθείαις ὁδοῖς στείχοντα μάρνασθαι φυᾷ. Eligit libenter quisq; hāc, quæ sibi pulcherrima videtur, & in qua præcellentiæ laudem expectat. Cuncti enim homines, dicit Aristoteles gloriæ ducimur laude; & vbi se quisque excellere posse existimat, eo se lubenter conuertit. Hinc est quod quidam minus nobiles artes lubentius tractent: ὁ γὰρ τοίνυν πᾶσι καλὸν, ὁ δ' ἄξιον δοκεῖ σπουδάσαι πάντως τοῦτο, vt ait Ælianus. Ab omni autem sectæ genere alienus esse debet, qui excellere in hac arte velit, nec iurare in alicuius auctoris sententiam, sed nudam tantum veritatem sectari, eique subscribere. Ita se quisque metiatur, priusquam in hunc campum exiliat; * φρόνησις γὰρ κέρδος ἀνθρώποις μέγα, dicit Sophocles.

Corpus quale sit studiosi

Citatur à Xenophonte, in dictis & factis Socratis.

**optimum, sanitate frui, hinc prima natura excellere, tertio innoxie ditescere.*

**quod est, Salubria sanitatem inducunt, insalubria morbum. 3. Georg. Lib. 1. De officiis.*

6. Epid.

** Hoc est, haud pote est*

hominem genio indulgentem sanitate frui, si labor absit, corporisque exercitatio. Animus Qualis.

*Nem. 1. * hoc est, artes aliorum alia: oportet in viis rectis ambulantem, certare natura viribus. In proœm. Secta.*

Prudentia mortalibus magnum lucrum.

CAPVT IV.

De studio quo ordine duci debeat. Quæ Sociæ artes medicinæ, & quantum illis studij dandum.

HActenus de natura; iam ad secundum, quo opus esse studiosis diximus, venio: nimirum ad studium ipsum. Quia variæ ætates ad varia stodia aptæ sunt, & quique anni suos habent genios, quibus fœlicius alias artes discunt, quas tanquam socias & confœderatas medicinæ iungimus: quis ordo in his sit, dicemus. Ordinis enim in his accurata ratio tenenda: ordinem consecuta domus vtilis est; ataxiam habens, inutilis. Ordinis tanta est pulchritudo & diuinitas, vt nihil sine eo rectum & à reprehensione liberum inueniat. In primis studendum, vt prima ætas, principia stodiorum recte ponat: vetus id prouerbium iubet, ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός. addit Plato, ἀρχὴ παντὸς ἔργου μέγιστον. alii, vt testatur Galenus dicebant, principium esse τὸ παιδεύεσθαι. In prima ætate flexanima, vt Ennius ait, atque omnium regina (cuius non mortalem vis sapit naturam) colatur oratio: oratoribus dico & poëtis operam suam conferat. Præcipue vero familiares habeat Terentium, Plautum, Virgilium, Horatium: & Ciceronianum id fusum dicendi genus in primis amplectatur

Ordo.

Platonis dictum: 9. 9 Δ...

Ætatis primæ studium.

Bonarum literarum studium.

ctatur. Mox æta e firmiore, luxuriem illam in accisum & sententiosum robur contrahat: facile circumfluentẽ copiam attenuare. Alioqui si ab ineunte ætate se acciderit, eueniet illi quod his, qui longo tempore in vincula stricti, si postea soluantur, ob perpetuam vinculorum consuetudinem, crura pandere nec ambulare possunt, sed claudis titubãt pedibus. Ita qui omni ætate sermonis benignam strinxere venam, cum opus fuerit, fluxum etiam tũc negabit. Amœna vbiq; varietas, tum in vocibus atque spectaculis: hanc sectemini. Varij præterea sunt autores literati, qui splendorem quendam medico studio afflare possunt. & quamuis medicos non faciunt, attamen, inquit Celsus, maiores, ac magis suspiciendos illos reddunt. Imu cum in grauibus postea occupabimur studiis, ad hos receptus interdum erit iucundissimus. Vt in cœnis grandioribus fit, cum optimis satiati sumus, varietas tamen ex nouis grata est. Inter hos erit Homerus, Musarum pater, & poëtarum rex, Theocritus, qui blanda fiscula inimirabilem spirat suauitatem: Pindarus, si quem socia maiestas delectat: Hesiodus: & maxime Georgica Virgilij. Lucretius: Necander, quem Gorræus paruo libello commentariorũ docte ornauit: Oppianus: Iuuenalis: Martialis: Vitruuius: Herodotus: Strabo: Pausanias: Athenæus, Plutarchi Symposia, quæ Macrobius eleganter in Latinum transfudit sermonem. Quin Hippocrates & Galenus interdum poëtarum meminere. Sed hæc cautio adsit, dum hos euoluitis, vt referatis ea quæ commoda in illis videntur, ad medicinam vestram ornandam ac locupletandum: cætera prætereatis. Ita ergo adolescentes in poëtis & oratoribus se exerceant, vt etiam viri ad hæc refugia suarum molestiarum habeant. Deinde encyclopædiam percurrant, hoc est, totum disciplinarum orbem: sed in transcursu, & gustus gratia: fieri enim nequit vt in cunctis excellas. Ante omnia philosophiam colant. Nam vt pulchrum est plures peregrinando vrbes perlustrasse, ita in inclyta habitasse pulcherrimum. Recte Biantes, vt illi Homerici proci, cum Penelopes consuetudinem habere nequibant, eius ancillis se miscebant: ita hi qui philosophiam consequi nequeunt, cæteris disciplinis aridi ac tenues inrabescunt.

Philosophiæ studium.

Vtramque linguam postquam didicerit, Logicen ac Physicen degustet. Dialecticis non leuiter tingatur: nam vbique rationis ductus locum habet. Sic tamen his inhiandum, vt sciamus hæc pro viatico esse, non metam: nihil infœlicius sene dialectico. Decerpantur dialecticæ fructus sine magno sudore; vdore satis erit demonstrandi artem rebus inquirendis & examinandis emisse, certãque inde discendi ac docendi methodũ bibisse, & vt recte possimus τὰς λαβυρίνθους διεξελθεῖν, ἢ τὰς τῶν λόγων ἄρκυς διαφυγεῖν, vt Naziãzenus loquitur: vt nimirũ captiosas argutias, & paralogismorum insidiosos laqueos fugiamus. Hanc itaque potius discat, quam perdiscat, ne nimium adlubescat. Quæ bona ingenia torquet difficultatibus & gryphis, generosa illa à se deterret: & vt vere dicam, sagacissimam & optimam ætatem terit, qua meliora licuisset didicisse. Et aliter in his se exerceant qui se scholæ parant, aliter qui medicinæ faciendæ: his, vel leuis velitatio in hac militia suffecerit; illis, vberior scientia perfectionem quandam aspirat: Sed semper hæreat illud Alphæi Mitylenæi, * τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει. Scripsit Ariston in Similibus, * εἰς ἐν διαλεκτικοῖς βαθυνόντας, ἐοίκασι καρκίνους μασωμένοις οἳ δι᾽ ὀλίγον τρέφιμον, περὶ πολλὰ ὀστᾶ ἀσχολοῦνται. Sit itaque dialectica sobria.

Dialectica.

*[...]n hoc est nihil [...]t nos, nimis [...]ndo placet. * quod est, qui dialectica studium profunde versantur cancros edentibus similes sunt, qui propter exiguum alimentum, circa crustas plurimas occupantur.*

Ita De vita Apollonij Tyanæi scribit Philostratus, Vespasianum Imperatorem iucunde disputationes audiuisse: contentiones pertinaces odisse. Huic iungat oratoriam artem, qua in sententiam suã abducat ægros: χαρίεντες enim medici vt sint, iubet Hippocrates, & Plato vult vt primum doceat medicus & persuadeat quid sit ægro agendum, & non prius imperandum: hoc modo facilius parebit. Vnde Aristoteles æger dicebat, Medice parebo, si vera hæc quæ dicis demonstraueris. Facile hac arte persuadebit medicus, ob comitem auctoritatem quam secum ducit ad ægros. Phocion & Cato sæpius persuasere quam Cicero & Demosthenes, ob auctoritatem. Et vere artem ornant comitas, affabilitas, vrbanitas, mundities. Quibusdam ipsa natura peculiarem quandam & morum & orationis iucunditatem addidit. Sed ex temoris his reuocandi adolescentes ad veram philosophiam Argutorem nimium non amo adolescentem, hoc est nimium dialecticum: sed philosophum volo in ea re, in qua nũquam nimium est.

Rhetorica.

Sed & hic fuganda λεπτολογία: pure & caste philosophandum. Ad omnem vitæ partem tum plurimum delectamenti tum fructus adfert rerum naturalium cognitio. Sed hic etiam peccant qui ad magiam & vanam algemisticam μαγεύοντας. nec minus hi, qui per vniuersam ætatem de materia prima, de principiis, de infinito, de mundi generatione disputant: cum interim ignorent quod animal sit cicada, aut quæ sit arbor sorbus. Sin sane hæc subtilissima; sed quid hæc ad medicos?

Physica.

Aristoteles iam omium teritur manibus: sed natatore Delio opus est, vt ille capiatur. Velim professores hunc interpretarentur sine diuerticulis & quæstiunculis, vt res tota quam ille docet, sua natiua facie ac colore visenda præbeatur. Dum enim quæstiunculis inhærent, abripiunt alio ingenia, quam quo ea duci Aristoteles volebat. Reiiciat auditor commentarios, perditissimæ plerumque operæ; sola Aristotelis lectione, & præceptore contentus. nec se inducat in nodos commentariographorum, ad quos semper titubet. Detrimenta itaque hæc fuge, adolescens; & summos digitos in fontem recta pande, ne in transuersum abeas: donec firmior, diuagari extra lineam, ac solus redire in viam possis. Habes nostrum hoc tempore in recepta consuetudine consilium. Alioqui familiam Peripateticam adeundam quidem putarem; salutandos etiam Stoicos, & castra Academicorum exploranda & frequentanda.

Aristotelis lectio.

Stoicorum scripta fere mundo excidere; & quod illa ab hominum sententia & humanitate alieniora essent, quasi communibus hominum votis explosa, forte rediuiua post millia annorum, cum Pythagorei vna reuiuiscent. Extant quædam huius sectæ, sane perquam docta: Arriani De vita Epicteti; & Seneca. Hi de mixtione rerum, & de animi principatu, eiusque affectibus; aliter opinabantur.

Stoici.

Academici, hoc est Platonici, olim, ante Auerrhois tempora, in censu erant eo, quo nunc Peripatetici, quos Aristotelicos iam appellamus. existimabantque illi, in Platone non minus certitudinis aut roboris esse. Certe persuasionis plus Plato habet: illiusque philosophandi mos amœnus & placidus: nec tot intricatis quæstionibus, quæ ad minima quæque abeunt, artis nostræ vltra septa exilit. Abit ab Hippocrate Aristoteles, & à cũctis medicis in diuersa flectit: imo aduersarij sunt Galenus & Aristoteles. Qui libri Aristotelis vsui medicis? hi solum vnde gradus est à philosophia ad medicinam. vt vbi De animi facultatibus, De sentiendi vi, ac sensoriis instrumentis, De animalium partibus, harumque vsu & generatione. Hos tamen committe cum Galeni De vsibus partium, & De Hippocratis Platonisque dogmatibus; dicas coniuratas phalangas concurrere: nam vbique salebræ controuersiarum.

Academici.

At Plato conuenit de elementis, temperamentis, humoribus, locis, regionibus, de rerum differentiis internoscendis, de animi principatu, & de semine. Quin totus Platonis Timæus eadem cum Hippocrate sentit, ac ducit nos in nostræ artis penetralia; plusque opum medicarum ibi fundit, quam reliquæ cunctæ philosophorum scholæ, si in vnum adigantur. Vtinam Galeni ille liber esse non desiisset, in quo fatetur se huius Timæi medica examinasse: pulchre combinatam medicinã philosophiæ spectaremus. Et ingenue Hippoc. nominat Plato, vt Gal. Platonẽ: at plurima in Aristot. ex quibus

Platonis lectio.

subtegmen

ſubtegmen teaendæ medicæ telæ Hippocraticæ tendi non poſſit. Nihil non remedij cordi admoueas, cum caput laborat ex Ariſtotelis philoſophia; qui tamen multa mutuatus eſt tacitè ab Hippocrate. Fateor, exacta eſt Ariſtotelis, & ſerie certa conſtans diſciplina; preſſumque id ac neruoſum ſuccique plenum dicendi & docendi genus iam prælatum eſt Platoni: Latinobarbari argutiis aſſueti hoc effecere. Sed à Cicerone magniſque olim viris, Platonis philoſophandi genus excellentius & genuinius, magiſque legitimum habitum fuit: certè extricatum eſt, nec polydædalis ambagibus tortuoſum. Platonis ſcripta barbariem effugere ſeoper: nefas fuiſſet, ſuadelam illam linguęque delicias melleas, illamq; ambroſiam ori eius inhabitantem, inquinatam illis ſordibus fuiſſe. Nec iam eius ſcripta alienis pedicis impedita: liberè pedem ibi figas, facilique promotione veharis. Quod non ſpetandum in Peripatetica familia; vt in qua, non aliter ac in famulitio numeroſo, eoque diuerſarum gentium, aduenarum, conuenarum, inquilinarum, barbarum, plus ſemper diſſidij ſit. hic, liberi omnes, patrimi, matrimi; os, lingua omnibus vna. Plato nobis ergo affinis ſit & familiaris. Ariſtoteli etiam vacabimus ſæpè cum vacabit, vt Galenus fecit. hic enim omnes ante ſe ordine, acumine ac certitudine ſuperat. ſed diu ventilari ac cribrari eius aurum à puluere debet. nec longè ab eo recedemus, ingeniumque io eo exercebimus, ob eius acumen cum ſumma doctrina. Vbi pugnat Hippocrati, excute: alioqui frequenti eius lectione multa vſui nobis futura inueſtigemus. Accedat his Theophraſtos, qui relicta à ſuo præceptore excoluit. Hoc triumuiratu comitati, medicinam accedemus. Si cui neoterici placent, perluſtret. Subtiles exercitationes Iulij Scaligeri: cui merito inter huius æui philoſophos palmam damus. Eclogas phyſicas Stobæi, vbi antiquiſſimorum Philoſophorum ſententiæ, interdum inſpiciat. Inter veteres Plato & Theophraſtus nudi tenentur, nec elabuntur: fuſi ſunt, & ſe aperiunt in arduis etiam rebus: ſi qua remora; materiæ eſt, non dictionis. Ariſtoteles ſtudioſè obſcurat, vt perpetuo illi hæreamus: idque prolixitate nonnunquam, vbi admonitione opos erat, quæ ſententia ſit potior. Tunc conſule veteres interpretes Græcos; illi enim vim orationis eius optimè percepere. vel ſæpius (quod ipſe voluit) repetatur eius lectio; ita alte latitantes ſententiæ erumpent: nam ſibi auctores facem præferunt, ſuique ita interpretes fiunt fideliſſimi. Reliquos relinquemus eis verſandos, qui tota vita de his dicturi ſunt. Nos à quæſtiunculis auerſi, ad vſum medendi hæc ſymbola adferemus: & dum in media medicina verſamur, ſæpe recurremus ad amœnos illos philoſophicos hortos, vbi purè & caſtè philoſophabimur. Qui ita fecerit, huic nunquam inopia erit tanta, quin probabiliter de qoaque re diſſerat. nec opus eſt, vt qui ſibi tantum cithara pulſat, tam doctè id agat vt qui alios docet. Non pudet te, acclamabat Alexandro pater Philippus, tam eleganter pulſare? Aliud architecti munus, quo domum ſabricatur, & quo alios facit architectos: in altero enim eſt artis exercitatio. documentum in altero. ita grammaticam qui profitetur, optimè regulas callet; non æquè is qui polirè alioqui dicit. Amplectimini, ſatis erit, caſtam puràmque philoſophiam; io qua vna cum pietate verboque diuino, decurſa tandem ætate conſeneſcaris. Pulcherrimum ſanè eſt, rerum intelligere cauſas. ob id diuinus vates Homerus homines ἀλφηστὰς nuncupat, quod eſt, indagatores inuentriceſque rerum, idque animi quadam diuinitate. vt non immerito Pythagoras putauerit, hominem eſſe diuinam quandam mentem, terrenis vinculis alligatam. Dum philoſophia adoleſcens occupatur, vna anatomica & botanica diſcat: nam ſenſu ſolo & imaginatione perdiſcuntur hæc: hiſtoriam dico, non vſum. Ita per ſtrages & cadauera ad amœnos medicinæ hortos imus: & * ἑκόντες, ἀέκοντί γε θυμῷ ſpectamus ſectiones. Campos adeat, mamœniſſimos inuiſat hortos, prata & viridaria, ac tot pictas natiuis ſuis variiſque coloribus planicies, colles ſubeat, conſcendat montes, ac ſyluarum latebras quærat: vbique huius ſtudij materia, & non abſque voluptate lucrum. Ita metalla & animalia noſcat tantum. Philoſophicis ſtudiis conſociet aſtrologiam: hæc enim medicis decori & ornamento eſt, &, vt ille dicebat, eiuſmodi vt ſi deſit, non ſanè requiramus in medico; ſi ſit, non aſpernemur. vt picta ædium ſuperficies ſtructuræ elegantiam afflat. Et quia Hippocrates tempora anni deſcribit, & aſtrorũ ortui & occaſui, ac illorum effectibus plurima tribuit, ſphæræ ſaltem rationem diſcat: dein libellum Gemmæ Phriſij De globo. poſtea, quod facilè fit, Ephemerides vt intelligat operam conferat: hoc facilè perdiſcet ex Cypriani Leouicij ephemeridibus: quo motibus planetarum perceptis, eorum effectus rimetur ea Tetrabiblio Ptolemæi, quod Cardanus commentariis illuſtrauit: aut ſi quid breuius velit, legat Nabodi commentarios ad Alkabitium. Sed, quod male hodie fit, his cauſis remotis non ita ſtandum, quin primam efficaciam proximis, nobiſque ſenſu compertis aſſcribamus: quod etiam ipſe * Ptolemæus admonet & iubet. Stet ſua cuique dies quam vitare nequeat, dent vitam & necem aſtra, adſit fatum, qood μοῖρα illa κραταιὴ Homerica ἐνόησε λέγει ὅτι μαντικὴ μοῖρα: ſed hoc nunquam niſi interuentu ſignorum cauſarumque medicis compertarum. Quin ita proxima amplexabimur ſuperiorum forte effecta, vt in lethali morbo virium proſtratio, morbi vehementia, cauſæque morbificæ prauitas. Ita ea plurimis delibatis, nihil tamen medicinam redolentibus, medicus ſuum decus induet. vt apes ea variis floribus, quos cum delectu attingunt, quibus tamen nihil ineſſe nectaris illius mellei videatur, ipſæ mellificant.

Theophraſtus.

Modus hos legendi.

Anatomica.

** inuita voluntate Herbaria.*

Aſtrologia.

Lib. De Aëre, & aquis, & lib. De diæta.

** initio Tetrabibli.*

CAPVT V.

Quibus præceptoribus vtendum ad Medicinam, & quibus auctoribus incumbendum.

VT rectè formentur ſtudia, doctum contubernium plurimum valet: optimique viri illud Reipublicæ debent, vt ſua conſuetudine iuuenum animos rectè ad artes effingant. Propterea Hercules præclaris ſplendens virtutibus, (χαλκεοκάρδιος ob animi fortitudinem dictus) diligentiam io educatione Hylæ ſummam adhibuit: qui tamen patre Theodamante paupere, δρυόπων natus fertur. Plato, Ariſtoteles, & Plutarchus ſæpe accinunt, Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι· ἢν δὲ κακοῖσι συμμίσγῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον. Preceptores nõ aſcriptitia quadam beneuolentia, ſed ex vnguibus ament diſcipulos & vt coloni ſepes arbuſculis circõponunt, ita præceptores curam habeant, vt rectiſſima eruditionis germina pullulent. Hos iuuenes ſæpe accedant; nam ſodalitium ad beneuolentiam & amorem excitat. Peleus Achilli Phœnicem iunxerat, vt ei dicendi & agendi ductor foret atque magiſter, vt canit Homerus. Horum imitatione præceptores eligatis medicinæ peritos, & beneuolos, ac tales qui ad amicitiam proni ſunt, & ante omnia doctos: nam difficilis hæc ars. Ita Apollo, vt cecinit Pindarus, voluit à Chirone ſingulari doctrina ſplendente filium ſuum Æſculapium doceri, vbi ait.

* Καί ῥά μιν Μάγνητι φέρων
Πόρε Κενταύρῳ, διδάξαι
Πολυπήμονας ἀνθρώποισιν ἰᾶσθαι νόσους.

Cum electi fuerint, eos ſequere; ac citra pertinaciam concertationes cum illis moueto, vt tuis rationibus in re dubia, cum illorum iudiciis collatis, quantum à vero abſis intelligas, & memoriæ altius hoc modo rem immittas. Hinc veteres Palladam non ſine opera operoſi dei Vulcani (cuius etiam organa αὐτόματα in opus) ea

cerebro

** à bonis quidem bona diſces: ſi vero malis conuerſare, perdes quam que mentem perdes.*

Præceptores.

** illum Magneſio adducens commiſit Centauro ad docendum multinocuos hominibus ſanare morbos.*

Palladis nata mythologia.

cerebro Iouis armatam prodiiſſe fingont; oculis torue vnum in ſcopum collimantem: quod concertatione artes optime inſculpantut ac retineantur. Non moueant graues quæſtiones, antequam totam medicinæ formā animo complexi fuerint: alioqui hippocentauros proferent, ac inaniter vt implumes ciconiæ ſubſoltantes, alas vibrabunt legant & relegant primom medicinæ auctores. Cedant bibenter rationibus: non ſolùm enim vincere, ſed etiam vinci ſcire, pulchrum eis, in quibus victoria detrimentum adfert. Vinci non vis? pulchertimum eſt inter diſſerendum à nulla vinci pertinacia aut iracūdia.

Libri. Domi libris opus eſt, non vt illos poſſideas, ſed vt exercitatio & vſus in illis ſit. Sed quibus? Quemadmodum ζωγράφοι, cum imaginem ab imagine pingunt, idētidem exemplaria ſpectantes, illorum characteres ad ſuū φιλοτέχνημα transferre ſtudent; ſic, qui ſe ſtudet omnibus doctrinæ partibus excolere, conari debet, vt quaſi ad ſimulachra eruditionis (hominum doctiſſimorum ſcripta dico) ſtudium conuertat, & quod in illis præclarum eſt, proprium ſibi reddat per imitationem. Quaproptet in medicina non ſuſque deque cuncti auctores ſunt eligendi, ſed probatiſſimi, & qui longis ſæculorum ætatibus intetire non potuete. Nullus pictor non malit Apellis, aut Parrhaſij Zeuxiſue vel Leucippi exemplar, quam quid huius æui εἰς ὃ ἀπιδὼν εἰς ὅτι τι ἂν γλαφυρώτατον ἴδῃ. Eſt enim tempus probatæ doctrinæ index; cunctorum quæ vana nec magni ſunt momenti, vaſtator. Plurimi hoc æuo magna auctoritate ſcribunt; verum tempus iudicium feret, num quid perpetuitate dignum gerant: profecto inter mille ſcriptores, vix vnus ſæculum agnoſcit. Sint itaque veſtri auctores doctorum manibus triti, & eorum applauſu probati: ni enim probi fuiſſent, iam diu manibus excuſſi cōtabuiſſent. Veteres ſane dexterius de rebus iudicarunt; quam nos κατὰ τῶν ἀπογόνων, extrema fæx & amurca mundi, vt à Platone in Philœbo dicitur. Vere dixit Baſilius, * πᾶν ἀρχαιότατον σεβαστότερον, αἰδέσιμον. Si enim neotericis quis ſtare vellet, cum infiniti fere ſint, & cuncti ex Hippocrate & Galeno hauriant, illud incommodo illi eueniet, quod gregarij illi infinitum tempus poſtulant, cum interim duos hos breui tempore perlegere poſſit. cumque vetuſtatem illam cæteri non trahant cinctam auctoritate, eo loco ſemper ſtabit hinc hauſta doctrina, vnde facile dimoueri poſſit.

** quod vetuſtas excellit, honore maiori dignum eſt.*

Longa temporum ſeries plurimos celebrat Græcos, quoſdam Latinos, nonnulloſque Arabas.

Græci. Græci medicinam pepererunt, diuiteque ſupellectile locupletarunt, ac ſplendido ornatu noſtræ artis famam toto terrarum orbe fuderunt. Quare minus violatam hanc reperiemus, quam apud ſuos parentes: hic patrima, & matrima. Hanc itaque ex materno gremio pudicam virginem vobis proferet diuinus ſenex Hippocrates, & eius enarrator Galenus.

Hippocrates. Hippocrates verus medendi dictator habitus ſemper. huius ſcripta tanquam oracula, & non humanæ linguæ verba tota amplectitur antiquitas, tanquam ducem & auctorem omnium diſciplinarum. qui, vt ait Celſus, vir fuit arte & facundia clarus: quique, vt ſcribit Macrobius, tam fallere quam falli neſcit. In hoc, verborum preſſa proprietas, ſententiarum conciſa ſubtilitas, ſermonis veneranda antiquitas, artificij commendabilis dignitas: in cuius ſcriptis nihil ſuperfluum, otioſum nihil; arguta breuitáte rotunda omnia, & ſignificantia. ita vt vbertas & amplitudo rerum, verborum numerum longe vincat. Hæc genuina & propria ſunt Hippocrati. cuius tanta fuit benignitas, vt nihil ſciuerit quod nos neſcire voluerit: tanta autem ſolertia & ſapientia, vt nemo poſt eum ſciuerit, quod ipſe ignorauerit. In eo enim cuncta medicinæ ſemina animaduertas: quæ tamen in faciendâ medicina melius, quam ex commentariis ad eum ſcriptis animaduertes.

Galenus. Vide Cæl. Rhodig. 16. lib. 10. Huius enarrator fidiſſimus eſt Galenus; qui ſcribitur à quibuſdam vixiſſe annos centum & quadraginta. Hic cunctis philoſophis & philologis vtilis. loquitur vbique puro, eleganti, ſimplici, & nunquam affectato ſermone, non ſine magna vocum & ſententiarum ſupellectile: adeo, vt nulla ſatietate lectorem offendat; ſed vbique progrediēdi cupidū, rhethorico artificio demulceat; homo ad eloquentiam factus. In hoc præcepta quædam philoſophica rara & eximia, magiſque illuſtria quam apud vllum alium ſcriptorē inuenias. Nihil obtrudit lectori, quod nō firmis rationibus demonſtret, ac eius contrarium refutet. quin moralia habet perpulchra, affectibus moderandis. Ambitionem & auaritiam præcipue inſectatur. & de qualibet re docte & eleganter diſſerit. Nullis non ad ingenij cultum eius lectio vtilis.

Alij Græci. Sunt alij minoris gentis; Aretæus, Aëtius, Paulus, Trallianus, Oribaſius, Caſſius; Dioſcorides De materia medica, & eius Euporiſta, & ex recentioribus Actuarius, Damaſcenus, Theophilus De vrinis, Philaretus De pulſibus, Simeon Sethi, Nonus. Animi cauſa inſpicias etiam interdum Geoponicos, Hippiatros. Geoponica ſcripſit Dionyſius Caſſius Græce; Latine vero Cato, Columella, Palladius, Cōſtantinus. Sextus ſcripſit medicinas ex animalibus.

Latini. Latinos inter medicos primus eſt Cornelius Celſus: ſed prudenter legendus; nam in multis Aſclepiadem methodicum ſectatur, vt fatetur ipſe. huius cote ſtylum ſubigemus, & pluris Latinitatem eius, quam medicinam faciemus. Plinius etiam perluſtrandus, qui Græciam & Latium vno volumine concluſit. Accedat his Scribonius Largus, Q. Serenus, & Cælius Aurelianus, ſed hic cum magno iudicio legendus: nam is ſcripta Sorani Epheſij Latina fecit, qui Methodicæ ſectæ addictus fuit. Marcellus Empiricus politæ dictionis ſcriptor, etiā inſpiciatur. & inter hos Theodorus Priſcianus, cuius ſcripta Quinti Horatiani titulo circumferuntur. Scripſit ad Timotheum fratrem Phænomenωn euporiſtωn librum vnum, cum Logico eius, & Gynæciis. apparet eum methodicæ ſectæ ſtudioſum fuiſſe. Extant etiam eius ſcripta De acutis & Chronicis, & De occultis phyſicis remediis. His addo Conſtantinum Aphrum.

Arabes. Inter Arabas præcipui ſunt Auicenna, Rhazes, Auerrhoës, Auenzoar, Meſue, Serapio, & Alſaharauius. Qui delectantur fuſa & polydædala varietate remediorum, Auicennam amplectantur: cuncta enim huius æui remedia ex eo manant. At Razes vtilis illis, qui efficacem & contractam medicinam amant: hic centum annos medicinam fecit. hunc Veſalius paraphraſi eleganter decorauit. Hi vtiles ſunt ex quibus excerpas remedia quædam Græcis olim ignota: nam ſcribendi illorum ratio, cum ſine demonſtratione fluctuet, à doctis improbatur. quare his non inhærendum.

Fernelius. Vnum ex huius temporis ſcriptoribus his addo, doctiſſimum Fernelium: qui Arabum ductum non ſine Græcorum demonſtrationibus ſecutus fuit. Eius lectionem laudo, modo cum iam dictis auctoribus conferatur, locaque annotentur ex quibus ſuos riuulos traxerit: optima enim ex cunctis ſelegit. ſed ſtare eius auctoritati non potis es, niſi vbi firma demonſtratione ſua ſtabilibit. Quare in antiquos ſuos fontes ſi refundi poſſit, ſane limpidiſſimam firmamque ſcientiam pareret. Sed totus eo abduci nequit. vt qui ſponte interdum declinat & abit. Quid tunc agas? litem dirimet antiquorum demonſtratio, collata cum huius rationibus; & vſus. hæc ſi vicerint, excutiantur noua tanquam amentatæ haſtæ: ſin Fernelius quid melius, retineatur, & gratiæ illi aſcribantur, vt qui pomœria medica auxerit. Sed grauis hic eſt auctor, nec in primo Medicinæ limine ponendus: ſed à Galeno hoc potius vtendum. Qui tamen compendioſam medicinam nimium amat, hunc legat cum iudicio: is enim, vt verum fatear, Græcam & Barbaram medicinam fere vno in volumine concluſit, & propriis locis philoſophiam medicinæ intulit: vt non ſit neceſſe aliam phyſicam vſibus medicis quærere, cum ex latiſſimo naturæ ambitu fœcūde medicum campū rigarit. Hos ſequuntur

Practici.

myriades pragmaticorum intermediorum,& nuper natorum: qui volumina per singula hominis membra digesta fabricatunt, mira remediorum varietate. Inter hos medios maximè excellit Arculanus, qui Raxis nonum ad Almansorem, & Auicennæ ad librum De febribus commentatus est. in hoc remedia certa & efficacia. Aliis placet Gradius, qui pro Nicolai breuiario est. quidam consilia malunt (& non fine ratione) qualia Montagnana tunc edidit. Gattinaria nonnullis arridet, nam placida & vsitata remedia suggerit. Nonnulli Varignanam consulunt, quod euporista & vsu competta pharmaca adferat. Sunt qui Guainerium cæteris his præferant. Quidam se addicunt Sauonarolæ, quo astantibus mulierculis satisfaciant. Sed nulli se mancipare præstat; verum quosdam in his inspicere, dum inter medica versamur opera. Et qui vnum pragmaticum perlustrauit, mille, imo omnes legerit. nam vnam tantum aut alteram indicationem medendi prosequuntur cuncti, ductam ac euocatam à causa morbifica, & parte afflicta: cæteras susque deque habere videntur. Sine cæteris tamen indicationibus curatio ritè non absoluitur: nam nullus morbus omnium est idem; nec vllum remedij genus eandem vim habet in omnibus: diuersæ enim sunt morborum ideæ: & iidem modo deatri, modo sinistri iudicij; concoctu ac excretu difficiles, aut faciles. Et quantum in hominibus temperierum discrimen! quam variæ partium temperies! modo prostratæ iacent in eodem morbo vires, & aër aut flagrante Sole torretur, vel algore riget: quin ætatis vis quid non remedij euertit aut perfert? omitto iam consuetudinem, peculiarem cuiusque naturam, sexus discrimen, vitæ genus in quo æger enutritus, morbi motum. Quare vt in tanto fluctuum ac scriptorum remediorum Oceano portum facili cursu collimarent medici, quæ medicamenta prolixè profuderant pragmatici in tam numerosa morborum turba, in vnam Methodum ad praxin redegi: vt inde, accedente methodo medendi vera, vno veluti intuitu, maxima remediorum varietas per cunctos morbos complecti possit, & cuique propria ex his pomœriis Methodo decerpere vt liceat.

CAPVT VI.

Qua ratione cum certa vtilitate dicti iam auctores sint legendi.

NOn satis fuerit compertum habere, quinam legendi sint, sed etiam quomodo non citra vtilitatem in iis versandum sit, explorandum. In omnium auctorum lectione semper hæreat animo quod apud Platonem dicitur, 'αρὰ δ' ἄπαντα: vt nos hoc ad ἀληθείας. Moneo itaque vt ab eorum scriptis abstineatis, qui ab antiquorum sententia temere abeunt. Plato in Epinomide plebeins quosdam deos eum referret, ἀτοχμέντας hos appellabat. nescio an eo nomine quid aptius adaptari his innouatoribus possit. Vtinam ea mente omnes scriberemus iam, qua olim Hippocrates, & post eum Galenus! studio nimirum iuuandi. Nunc neque hoc facimus plerique; & bene à veteribus etiam excogitata & scripta demoliri, ac rebus claris tenebras affundere conamur; receptissimorumque auctorum auctoritatem eleuamus, vt reponamus nostram, dubiam ac ritubantem pro exsistimatissima. Si quis reclamet, ilico nos inter nos (qui conspirare contra externos debebamus) domesticum bellum depugnamus: ac* χαλεπαὶ πόλεμοι ἀδελφῶν. Nouus medicinæ mysta in primis perlegat Institutiones medicinæ. Illæ enim ideam quandam totius medicinæ animo immittent: & ex illis ordinem totius studij medici, & subtegmen firmum cui inteai omnium auctorum scripta possint, perspiciet. Sunt enim Institutiones medicæ nihil aliud, quam ex omnium scriptorum

10. De Rep. lib. Innouatores

* Funesta è ella fraterna.

* Institutiones Medicina.

medicorum deliciis ac medullis condita placenta: aut, vt melius dicam, ex electissimis quibusq; flosculis compositum mellificium. In lectione auctorum cura adsit, vt eorum percipiatur sententia: dein, vt retineatur. Percipietur sententia auctoris, si perspectus fuerit eius dicendi modus, & peculiares significatúsque eius dictiones si intellexeris. Maxime in Hippocratis lectione ad hæc collineandum. Vt enim ἀναδυομένην illam nemo perficere potuit, & obliteratos in ea colores aliquot deteriore purpurisso reconcinnarunt; ita nullus eo acumine scribendi medicinam ab Hippocrate productam absoluere potuit. Est sane is, inter homines, maximus medicinæ auctor: in quo sparsa medicinæ totius semina animaduertas. Sed ex succo solo excepta hæc non germinant, vel tenuissimè enascuntur, aut non in frugem surgunt. animi sensa sua diuina ob concisam breuitatem latitant, ni verba eius significantia & dicendi modus fuerit cognitus. Quare (quia huic immoriendum) lexica comparanda. erunt Erotiani & Galeni, Iulij Pollucis, Rufi Ephesij, Suidæ, Hesychij, Gorræi, sed ante omnia Oeconomia Hippocratis Anutij Foesij. Auctorem quem euoluis, intenta mentis acie, non raptim (no quid fugiat) perleges. Si salebris difficilibus implicteris; ne hæreas, enarratores aut præceptores consule. Si nec expliecnt hi, notandus locus, & pergendum, dum tēpus & lectio emolliant hanc difficultatem. Nec turpe quædam ignorare. Aut si moræ impatiens fueris, ad aliorum auctorum iudicia hæc examina. si idem cuncti; ratum sit: sin abeant in diuersum, vide num in gratiam redire possint: vel illi qui potissima ratione vtitur subscribe. Indices loca auctorum dicent. Commentariographos proliaos fugite, discendi enim libidinem extingunt: sed vbi inuoluuntur difficultatum salebris, id solum agendū, ne nimis ingenium fatigetur, & tandem expugnetur. Galeno maxime vtemur pro Hippoc. enarratore, quo ille recte intelligatur, vtque memoriam exerceamus cū fœcunda quadam vtilitate: nam rerum quæ discuntur per causas, demonstratio apud eum luxuriat, quibus ad eruditionem nullus fœlicior campus apperiri potest. nam scire, est per causas cognoscere. His opibus illi fraudantur, qui apotelesmata solum amplectuntur: tenues semper eruditione, præ inopia rerum ac argumentorum. Sed hæc omnia frustra, ni Musarum matri memoriæ tanquam penuariæ cellæ doctrinarum inferantur. Sæpius itaque lecta repetantur: ac vt cibos mansos ac prope liquefactos dimittimus, quo facilius digerantur; ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita, ac velut confecta, sæpiusque perpensa memoriæ tradatur. Sed an non naturæ, hoc est, summi Dei beneficium memoriæ vis est? Fateor. & cuncti à summo numine ea afflati sumus. non æque? cultu effingatur: consuescat exercitiis; hoc obliuiosos memores reddet. Sit animus cæteris solutus curis, ac earum ideis vacuus: affectus sileant, qui in suam factionem totam mentem rapiunt. ita nullam characterum impressionem tenuet mens. Et sæpe, menti immissa ad phantasiam reuocentur, ae cum voluptate hæc tunc memoriæ redde: ita iucunde eius vsu fruetur, ac lætitia quadam se laxans, simulachra rerum fidelius imbibet. Ad memoriam stabiliendam, nonnihil opis pollicetur ipsa medicina & medici, ae secundum hos Marsilius Ficinus. Aristoteles libro De memoria, ostendit ob varias causas illam labefactari: vel quia species rerum non suscipiuntur; vel quia non detinentur: vtroque enim opus est. Proptcrea mollem & stabilem à Summo Deo substantiam obtinuit cerebrum vt mollitie rerum characteres admitteret, vtque eos stabilitate retineret. Inde est quod aiunt memoriam firmari calido & sicco temperamento: calor enim modestus mollit cerebri substantiam; & siccitas eam stabilē reddit: nam ex madido fluxoque cerebro, simulachra rerum effluunt. his querelis remediantur medicinæ. Sed inter cuncta confert perpetua vitæ sobrietas: nam crapula

Modus legendi.

Memoria.

crapula & ebrietas, vt ingenium hebetant, ita memoriam prorsus eluunt. Officit etiam tumultuaria diuersorum voluminum lectio: ita in senibus multitudine rerum memoria extinguitur. Praeterea ordo in discendis rebus plurimum ad memoriam facit: imo Plato ordinem, memoriae animam appellat. Quare in auctorum lectione, semper de ordinis filo quod trahunt, solliciti sitis: cuncta enim quae ordinem habent, εὐμνημόνευτα sunt. Cum ad Galenum ventum est, eius scripta pedetentim, non saltuatim legantur: constanter, non fastidiose: ordine, non transsultorio modo. In primis sese offert Galeni liber, inscriptus Exhortatio ad artes; dein Quod medicus philosophus, & De sectis ad nouitios, de optima secta, de constitutione medicinae. Tunc Anatome; dein De venarum, arteriarum, neruorum, matricis sectione. Postea libri de vsibus partium, de naturalibus facultatibus, de placitis Hippocratis & Platonis, quod animi mores corporis temperiem sequuntur, de affectibus animi castigandis, an sanguis in arteriis, de odoratus instrumentis, de motu musculorum, de causis respirationis, de semine, de fotuum formatione. De elementis, de temperamentis, de medicamentorum facultatibus, de optima corporis constitutione, de optima habitudine, de inaequali intemperie: hi tres libelli legantur inter secundum & tertium librum De temperamentis: κατὰ γένη & κατὰ τόπους: vel legat hos postremo. De antidotis, Euporista; de purgantium vi, quae, & quando: de ptisana. De Theriaca ad Pisonem & ad Pamphilianum: sed hos doctissimus Iulius Alexandrinus (quem hic sequimur) adulterinos falsoque Galeno ascriptos demonstrauit. Dein sunt libri De sanitatis natura, De morborum differentiis, de morborum causis, de symptomatum differentiis, deque horum causis, De plenitudine, de tumoribus praeter naturã, de atra bile, de tremore & palpitatione, de tabe, de locis affectis, de febrium differentiis, de pulsibus, de spirandi difficultate, de pulsuum vsu, de spirandi vsu causisque, de morbi totius temporibus, de tẽporibus morborum, de crisibus, de dicbus iudicatiis, de typis, de praenotione, de dignotione ex insomniis, quo modo deprehendantur simulantes se aegrotare. Ars medica, de sanitate tuenda, methodus medendi, de facultatibus alimentorum, de cibis boni & mali succi, de attenuante diaeta, de parua pila, de curatione per venae sectionem, & contra Erasistratum, de comitiali pueri affectu. Glauconi scripta, ad Thrasibulum. Quantũ ad commentaria Galeni ad Hippocratẽ, Signis adnumerati poterunt Prognostica & Prorrhetica: Curationi vero, De victus ratione acutorum, de articulis, de fracturis. Reliqui eius Commentarij ad Hippocratem, veluti suorũ scriptorum epitome sunt. Pragmatici caeteri, quos ante recensui, nonnunquam tangendi, vbi iam Hippocratis scriptis assucuisti, exacuendi palati gratia, cibi nimia bonitate languentis: sed id saltuatim & frustulatim. Ita nec totũ perlegemus Paulum, Aëtium, nec Trallianum, aut Oribasium, vel Rasem, neque Mesuem; nec Haliabbatem, Auenzoarem, vel Alsaharauium. Et ita cum caeteris agemus: nam eadem cuncta apud Graecos foelicius inuenias. Actuarius fere totus legi poterit; & Auicenna, si restitutus esset; & Auerrhois scripta medica, modo id fiat cum iudicio. Sed dices, Arabes foelici plenaque manu remedia iucunda ac facilia fundunt. Ita est: sed ea pauca, quae non apud Graecos. At esto; sint ab illis instrumenta aucta; sed non in cithara bene pulsandi ars est, quamuis fine ea non ludat citharoedus. Arabes ex Graecia colonias duxere: sed frustra quaeras apud hos, quod non apud Hippocratem & eius enarratorem Galenum inuenias. Laudo supellectilem remediorum promptam paratamque; & vtinam vt Daedalo sua, & Vulcano tripodes ceteraque animata omnia, iussa abessent: vel potius per se ipsa, quamprimum sui opus esse scirent, ad opus accurrerent, ac id (quod φιλαυτία quorundam sibi persuadet) conficerent vltro, quod

Ordo.

Galeni libri quo ordine legendi.

Pragmatici.

Medicamentis studendum.

nos cum delectu. Delectu magis militum, quam innumeris copiis, & iis veteranis potius quam tironibus ingentia bella conficiuntur: Ita nos seligemus ex cunctis optima, & vsu firmata; his stabimus. Veteres illi pictores nobilissimi, quatuor tantum coloribus tam eleganter pinxere. nec excludimus seram aetatem, quae coloribus quid adiecit. Ita veterana remedia extollimus, non relegamus noua, quae foelicia in opus: quin pomoeria agri medici lubẽter proferemus. Commoditas hinc fiet maior: sed artem non variat instrumentum. Ars perpetuo possedit tãtum roboris & venustatis, quantum satis cultui est. Hoc semper artis fuit, artis modũ loco adhibuisse. Mutandorum remediorum nunquam meta erit: sed ni ars finem suum accipiat, desinet esse ars: nam perfecte facere promittit, sed illa habitũ habet in intellectu, faciendarum cum ratione rerum. Haec facili attamen efficaci remediorum copia instructa, tanquam Macedonica phalange, audacter cum morbis concurrit. tum quae remedia nomina nondum dederunt vsui, nec sacramento adhuc huic militiae sacra, excludir de cohorte; nisi praeclaris editis facinoribus gloria splendeant, suumque genus certis notis aperuerint. Non alenda copia iners: paucitati operosae praestat confidere. Sit tamen iustus exercitus, & bene notus tibi beneque instructus. Excute ergo lasciuientem varietatem, tanquam inutilem & imbellem. copia, quantam vsus capit, suffecerit. Contende tu potius ad artis penetralia; vbi arcana rerum cognitio, vt his paucis & fortibus pataris que, κατὰ καιρὸν loco & tempore vtaris. Verum cum tam multiplici rerum varietati memoria par esse nequeat, arte eam iuuabimus; locosque communes fabricabimur; quibus, vt certis thecis, memoriae egregie digna infercamus; vt, cum opus fuerit, tamquam ex diuite penu, ilico promere has opes possitis. Age cum Lucretio, Floriferis vt apes in saltibus omnia libant, Omnia nos itidem decerpimus aurea dicta. Poterunt loci hac idea effingi: Accipiat paginae frons quaeque triũ locorum titulos, iuxta positos. tergus vero folij nudum sit ab inscriptione, quo noua charta semper addi possit. Volumen hoc chartaceum contineat septem vel octo libros chartae. Cunctae itaque varietates bis locis inferantur, & difficiles decisiones: nam perenni inscriptione memoria firmabitur; & si quid excideret, facili via reuocabitur, cum sit ad manus & in mente is locus vnde petas. Sed non cuncta quae legitis locis importabitis, sed ea quae maxime memoratu digna, & raro obuia, de quibus videberis periclitari, ne tibi excidant. Et totarum historiarum capita, tribus, vt aiunt verbis tantum, cum numeris annotentur in locis, vt scias à quo auctore, cum vsus erit, repetas. & in ipso auctore, puncto nota te id in locos retulisse: vt si postea locum petas, ilico adsit oculis; & ne iterum, si euoluatur denuo à te auctor, is locus inscribatur. Sed nonnunquam quaedam incipiri significatione sese offerunt, vt nescias, in locos si referas, vnde recte repetas: propterea consulo, vt etiam Alphabetarij loci statuantur, quo, inde facilius quae peti posse videntur, eo reponantur. Sed priores etiam iam dicti loci indice egent. Sed cautio adsit ne nimium his locis fidatis, indeque memoria inculta perdatur, non enim satis est in scriptis rem habere, sed memoria vna inscribi debet. Hac serie inscriptiones vel tituli locorum poni poterunt. DEVS remediorum, curationis, & sanationis auctor. Per quos homines vsibus humanis medicina illata fuerit, & auctoribus medicis, & de medicinae origine. Clinice & iatraliptice; quando primum. Vitia medicinae & medicorum. Sectae medicae: dogmatica, methodica, empirica & Paracelsica; Sophistica & sophista. Dignitas medicinae, laus eius, & praemia medicorum. Quales medici esse debeant corpore & animo, ministri, finis medicinae, obiectum medicinae, eius partes, officium medici De natura, qua ad medicinam attinet. discrimen

Loci communes.

Locorum communium series.

physici & medici. De elementis. Quid elementum, & quo módo differat à principio: eius materia & forma. Quot elementa, ignis, aër, aqua, terra. formalis differentia elementorum. Mistione elementorum vt fiant corpora. formarum in mistione origo. Proprietates, & effectus elementorum. Qualitates ex elementis ortæ. elementorum situs. Quid mixtio, & eius causæ. in misto elementorum substautiæ. An elementa io mixtis secundum suas formas, an secundum potentiam suam. Elementorum contemplatio quam vtilitatem adferat medico. De temperamentis & iis quæ à temperamentis fiunt. Quid sit Temperamentum. quid differat à calido innato. Temperamentorum origo. Homo omnium animalium temperatissimus. partium similarium & dissimilarium vis. Tempetamentorum differentiæ quot & quales. Ad pondus, & de Pulebritudine; ad iustiriam. Signa temperamentorum. Partium singularum temperies. Calidum, frigidum, humidum, siccum quot modis aliquid dicatur. An calidum elementare in omni viuente eacedat. Ætatum temperamenta & differentiæ: infantia, pubertas, adolescentia, iuuentus, virilis ætas, senium duplea. An iuueoum & puerorum idem sit calot. Anni temporum temperies. ver an temperatum. æstas. hyems. autumnus. Regionum temperies. An sub æquatore temperatissima regio. Qualitates secundæ. Color quid, & eius differentiæ, & causæ. Odor, & eius differentiæ, causæque. Sapor, insipidus, acidus, acerbus, austerus, astringens, dulcis, amarus, salsus, acris. Tactiles qualitates; molle, densum, graue. Vtilitas quæ ex notitia temperamentorum. Cutis temperata. Partes calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ. De Humoribus: Quid humor, quot, quales, primi, secundarij, excrementitij, alimentarij: quo modo & vnde fiant: duo eacrementa humorum: Sanguis: Pituita. dulcis, salsa, acida, vitrea, gypsea, tenuis, crassa, signa eius. De bile, vitellina, porracea, æruginosa, glastea, flaua. De melancholia, & eius differentiis; signa atræ bilis. Vsus humorum: fibræ sanguinis, copia bumorum, mutatio humorum. Iehor humorum; & sigoa cuiusuis. Motus humorum. Vtilitas doctrinæ humorum. De semine; & quid semen: Ao semeu vt opifex, an vt materia fœtui seruiat. Semen mulieris. Causæ & otigo semiois. Testium vis. Sanguis menstruus quid, & eius origo Conceptio, instrumenta proeteationis, gestatio & motus fœtus, membranæ fœtus: hepar nũ ante cor procreetur: signa maris & fœminæ: Partus, superfœtatio, fœtus rempora, septimestris &c. abortos, fœtus mortuus Similitudo filiorum cum parentibus, & physiognomonica: Monstra, mola, androgyni: fœminarum in mares mutatio. Vrilitas cognitionis seminis & materni sanguinis: sterilitatis causæ. Anatome: an voum tantum princeps membrum: cur seminales partes sectæ non regignantur. Caput, cerebrum, frons, partes caput vestientes, partes in capite contentæ. partes à cerebro ortæ, partes cerebro assistentes, oculi: quo modo fiat visio: lachrymæ: aures, nares, os, musculi, ligamenta. Thoracis costæ; sternon, musculi, mammæ, lactis procreatio, diaphragma, tunica costas cingens. Partes quæ in thorace continentur, cor &c. aspera arteria, lingua: sermo vt fiat. Ventris inferioris, vmbilicus, & contioentes partes: contentæ, ventriculus &c, mesenterium, hepar, fel, lien. Partes ab hepate ortæ: partes serum attrahentes & suscipientes, renes, vesica &c. Partes procreationi dicatæ, testes, parastatæ &c. vterus. Consensus vteri & mammarum. De manus partibus & structura, de crure, ossium structura. Calidum innatum, & spiritus, quid sit, & causæ eius, & affectus; præstantia: quotuplex: mutatio eius. Spiritus quid, & quot: naturalis, vitalis, animalis: humidum primigenium. De animæ facultatibus, & earum actionibus. quid anima, & quot: quid facultas aniroæ, procreatria, nutria, attractrix, retentrix, excretrix, nutritio, auctio, coctio: fames, eacrementa. Sentientis animæ facultates, visus, auditus, olfatus, gustus, tactus, sensus communis, phantasia, cogitatio, memoria. motus, appetitus. vitalis vis. De sanitate tuenda. Quid sanitas. signa temperierum totius; signa cerebri temperati, & intemperati: pilorum causæ variorum: oculorum temperatorum varia signa: pulmonis temperaturæ notæ; hepatis, ventriculi, testium. Aëris qualitas varia, reginnum varietas, ventorum vis: anni tempora. Cibi boni vel mali, medicamentosi: victus puerperarum, victus melancholicorum &c. Quantitas cibi, modus vtendi. Consuetudo: cæoandum an prandendum liberalius: occasio cibandi. Potus, aqua, vinum, cereuisia, mulsa, quantitas potus, ebrietas Balnea, dulcia, thermarum, modus eorum, aëreum. Alui deiectio, vrina, sudor, vomitus, mẽsium & hæmorrhoïdum profluuium, venus. motus & quies: frictiones. animi motus. Semina cerealia, triticum, siligo &c. Panis & placentæ, pultes & polentæ, legumina, fructus, alimenta ea herbis. Quadrupedes, lacticinia. Aues, pisces, succi, condimenta. Differentiæ & causæ morborum. quid morbus, genera morborum, intemperies: manifesti, occulti, venenati, contagiosi: organici; solutio continui: primarij, per sympathiã; simplices, compositi, acuti, lõgi &c. Causæ morborum, annata, antecedẽs, continens, externa. Fascinum philtra, incantationes. Signa morborũ; & quid signũ. pathognomonicum, epigenomenon & epiphenomenũ. In excrementis, actione læsa, qualitate mutata. doloris idea, situs. Differẽtiæ & causæ symptomatũ: quid symptoma. In motu: tremor, rigor, horror, tussis, sternutamentum, oscitatio, pandiculatio, palpitatio, tuctus, singultus. vomitus, nausea: stridor dentium. Læsio actionis principis cerebri; vt phantasiæ, cogitatioois, memoriæ. Vigiliæ, somnus. Naturalis facultatis, vt attractio &c. Qualitatis mutatæ, visilis &c. dolor. Excrementorum symptomata, in substantia, qualitate, copia, tempore, & excernendi modo. Prognostica. Quid signum prognosticum. Signa cruditatis & coctionis. signa mortis vel salutis, & quæ ad melius & deterius: signa quæ ad speciem & ad tempus crisis apparent. Tempus morbi: quid principium, augmentum, vigor, declinatio. Paroxysmus, periodus. Prognoses in vrina, deiectione, sudore, eapectorato, menstruis, vomitu, hæmorrhagia, pure. Crisis quid: crisis bona, mala, fida: & quando futura. Dierum decretoriorum naturæ & causæ. vnde certus naturæ in his ordo. Luna causa adiuuans. Quis dies decretorij: dies featus: & singulorum dierum vires. Crises singulorum morborum. Septimanarum ratio. Abscessus. Dies & hora mortis. Qũo affectu quisque peribit. De pulsuum significatione. quid pulsus. Diastole, systole. duplea in pulsu quies. differentiæ pulsuum. De respiratione, quid sit, vnde fiat: inspiratio, exspiratio, vsus eius: differentiæ variæ. Vrina quid significet. quid sit: vt fiat vrina. eius colores, sobstantia, quantitas. contenta vrinarum, enæorema, hypostasis, spuma, pinguedo, innatantia corpora, &c. Qualitas vrinæ, odor. vnde varia vrina; vt ex ætate, somno, cibo, &c. De febribus hecticis, ephemeris, synochis, putridis, continuis, intermittentibus, quartana, &c. Morbi partium, capitis, thoracis, ventris, artuum. Victus ratio in morbis seruanda. De natura medicamentorum. Quid pharmacum: vnde eorum vires: vt in actum ducantur à nostro calore. primæ eorum qualitates, & secundæ: sapores. &c. Purgantia, vomitoria, sudorifica, vrinalia: partibus peculiaria, antipharmaca, venena. Delectus remediorum, quando quæque colligenda. radices, flores, semina, succi, lachrymæ. Præparantia, corrigentia, menses ducentia, aperientia &c. Eaterna, repellentia, emplastica, anodyna. narcotica, emollientia, attenuantia, trahentia, discutientia, maturantia, pustulas & vesicas concitantia. De compositione medicamentomm: de eius vtilitate & necessitate: basis. Coctio remediorum, lauatio, actio, tritura, iofusio. nutritio, mollitio: metallica remedia, & Alchimica. Adiuuantia

iuuantia

iuuantia remedia. Pondera & mensuræ: Sirupi &c. Methodus medendi. De chirurgo; eiusque officio. Venenorum natura: ab iis præcautio. Vita num prorogari queat medicina. cur alij aliis longioris vitæ. Mors, eius causæ & necessitas: senes cur facile moriãtur. Mortis hora an prædici possit. Ægri deplorati sæpe seruãtur. Semina amplissimum ad medicum campum habetis; vos in messem excolite. Qui velit, hæc latius ex Institutionibus medicis & methodo medendi (nam inde profecta sunt) pandere poterit: aut (vt varia ingenia sunt) arctius contrahere. Sunt qui breuissimos velint locos, ad Praxin. Hi serie hac transigant: In primis ponant morborum definitiones, dein causas cuiusque morbi: signa vnde noscatur quod sit talis morbus. Signa differentium causarum eius mali, hoc est, differentiæ propriæ causarum vt noscantur: differentiæ etiam communes. Indicationes curatiuæ: prognosis: num liceat satisfacere Indicationibus. Præseruatio, curatio, chirurgia. Pharmacia, lenientia, præparantia, purgantia vniuersalia, & peculiaria: topica: diæta: empirica.

CAPVT VII.

Quantum studiis tribuendum; & Quando maxime iis indulgendum.

DE spacio præscribendo cuique quo perseueret in studiis, idem dico quod Galenus de cuiusque idiosyncrasia: me nulla ratione id assequi posse: quisque suas vires consulat. Hoc moneo, firmet vt quisque, quantum licet, suum corpus ad laborem: studeatque vt habitudo corporis sit bona, quantum natalis genius admittit. Temperantia vitæ, & iuuenilis adsit modestia: inde enim sanitas, robur, fœlixque senectus adolescet. Cum animum studiis fatigari senris, ad corpori gratum exercitium te vertes: nam (vt ait Isocrates,) * πλησμονὴ ἁπάντων. Ita instar organi musici dum intensione & remissione sibi concinna redduntur studia, suauiora euadunt. Et Plato dicebat, hostes disciplinarum esse labores & somnos. Nimiis studiorum laboribus defessa ingenia corruunt, pondere molestiarum oppressa. Plantæ sane modicis rigatæ aquis surgunt, quam multis tabescunt. ita animus mediocri vegetatur labore; nimio opprimitur. Respirent ergo studiosi à valido labore: nam vita est labor & remissio. Somnum & vigiliam dedit Deus, hyemem & æstatem, festos & nefastos dies: tu etiam arcum remitte, vt habeas quem tendere possis. Pythagoras dicebat, cor non manducabis, hoc est, nimiis studiorum curis id non exedes. Quidam omnia scire volunt, at * ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, οὐχ ὁ πόλλ' εἰδὼς σοφὸς, dicit Æschylus. Nec ergo animus anxio studio corpus, nec corpus animum nimio labote fatiget: sed grata vicissitudine alterum alterius laborem excipiat. Scripsit Hippocrates, ab exercitio fatigationem, alterius generis exercitio recreari: nam, vt ait Plutarchus, * ἡ ποικιλία τερπνόν. Vt enim cultrum vno latere si perpetuo acuat, hebescit: ita ingenium vni semper rei inhians, torpescit. Attamen hæc ingeniorum laxamenta, non tales illecebras aspergant, vt his, quasi Sirenibus, ex naue euocati, Vlyssem, hoc est animum, eiusque studium, negligamus. sint itaque cuncta moderata: * πᾶν γὰρ τὸ πολὺ, πολέμιον τῇ φύσει. Satis sit his iocis & lusibus animi defatigationem excussisse. Nec in toto vitæ cursu studia vnquam sistenda puto: perpetuo quin philosophandum; & cum suauissimis nutriculis musis, imo etiam in senio, confabulandum. Diogenes iam senex admonitus vt laboribus supersederet, retulit, In stadio currentem, non oportet iam metæ vicinum remittere cursum: nam pulchrum est senem sapientiæ studere. Sed quando studiis maxime indulgendum? Philostratus, De vita Apollonij Tyanæi, prodidit, Apollonium dicere solere discipulis, oportere eum qui recte philosophatur, veniente aurora cum diis versari: procedente autem die, de diis loqui: reliquum vero tempus humanis rebus & sermonibus impendere. Dea quædam apud Virgilium ita dormientem compellat Æneam:

Surge, age, nate dea, primisque cadentibus astris
Iunoni fer rite sacra. Etenim
Tunc viget intus agit maior, tunc pectora cælo
Ingenus prima luce fauente calent.
Inde fluunt sacri latices, studioque perennes
Fons matutino fundit apertus aquas.

Hinc Pegasum fabulantur reclusisse Musarum fontem; quod id cum oritur sydus, socio Sole (hoc fit in Aprili & Maio) matutinis horis, aptissime tractentur studia; & pleno fonte quod tunc se effundant ingenij vires. Et nos in auroræ horis, sacra faciemus Musis: nam hæ Musis sunt sacræ. etenim diuina illa mentis nostræ aura, spiritusque Palladij (hoc est cerebri) cuncti, ab omni fœdo vaporum incursu, his horis sunt liberrimi, nec vllo madore polluuntur. Commodæ sunt & horæ ante cœnam, Italis admodum ad studia expetitæ, iam soluto ab officio stomacho. Ea summa cautio adsit, ne studium ineatis, dum in ciborum mitigatione stomachus fatigatur: expirat enim in mentem vapor, qui illam caligine obnubilat, quem sæpe bibens mens, hebetata, splendorem pristinum exuit, indeque ingenia tandem in stuporem flaccescunt.

Hoc filo, Medicinæ sanctissimi mystæ, vestra trahite studia in gloriam; quam (vt voueo & spero) nulla vnquam obliuio obscurare poterit. Quid quæso homine dignius, ac, iusto officio, nomina sua immortalitati dare? Is faueat vestris conatibus, qui vitam nobis, & literarum amorem, & remedia medica de largo suo sinu effudit, propitiusque hæc nobis feliciter: nam

Ni Deus affuerit, viresque infuderit herbis,
Quid rogo dictamnus, quid panacea iuuent?

** omnium rerum est satietas.*

** qui vtilia, non qui plurima nouit, est sapiens.*

** varietas omnis grata est.*

** omne nimium, bellicosum (aut repugnans) est naturæ.*

Quando studendum.

L·tichius.

De Pegaso mythologia.

Cautio.

IOANNIS
HEVRNII
PRAXIS MEDICINÆ
NOVA RATIO:

Qua, Libris tribus METHODI AD PRAXIN MEDICAM, aditus facillimus aperitur ad omnes morbos curandos.

Opera auctoris filij OTTHONIS HEVRNII.

NOBILISSIMIS ACADEMIÆ LVGODINENSIS CVRATORIBVS,

Amplissimisque Consulibus huius vrbis,

I. HEVRNIVS DEDICAT.

SCRIBVNT Ipallum Pythagoricum philosophum interrogatum quid ageret, respondisse, * *Nondum nihil: nondum quidem mihi inuidetur.* Non solùm inuidetur hodie, sed is qui scribit, multos sumit Rhadamanthos: ita alter in alterius liuet & grassatur ingenium. Ille, si vna sententiæ clausula abfuerit, fractam claudamque orationem increpabit: alius, si incalescente ac exardescente genio paululum eloquentiæ cothurnum extuleris, non medica, sed rhetorum ἠγορίας esse clamabit. omitto lucripetas medicos, qui ægertimè ferent sua abdita palam proponi, ac venditationes vanas abscindi, sacráque mysteria Plutophiliæ ex adytis in clarã lucem euocari. Si igitur proficientium & Reipublicæ studentium comes est inuidia, ac hos premat; ne opprimat, Theseo aliquo opus omnino erit. Hunc cùm quærerem opellæ huius vindicem contra dentatos illos vitilitigatorum morsus; hic in prima cogitationis nostræ linea. vos, Viri Nobilissimi ac Amplissimi, occurristis, vt quibus & hæc grati animi officia dicare vellem. Idque multis nominibus: tum quia gratæ mentis indicio, in Academia vestra Medicinæ interpres, Academiæ dominis ritè dicanda putauerim, & vt in demetendis vobis (qui me omni humanitatis officio, ac singulari amore amplexi estis) obseruantiam meam erga vos probarem, ac quasi hoc teste firmarem: tum optimo iure vobis hæc ascribo. quia eo euentu optima studia promouetis, quem passim amplissimum totius Europæ theatrum prædicat, Vestrâ prudentiâ, ornatissimâ ab Academiâ vestrâ, rediuiuâ vi restibili quadam fæcunditate antiquam literaturam in suum decus repullulascere. Hæc non curâ quâdam susque deque adhibitâ, sed accuratâ scientiâ, iudicio, ac prudentiâ, à vobis peraguntur. Quid enim hodie doctius illo χαρίτων ποιμήν Iano Dousa? qui poëtica laude nulli hodie secundus, multis parasangis omnes nobili ab ingenio post se relinquit. certè * μελιγήρυας ὕμνους non ephemeri, sed quos * χάλκεα ἑρκὸς ἐξέλος βαθείας. Batauam Sirenen produnt: ingenio aut arte? certè non sine arte genio: * τὸ φυᾷ, κράτιστον ἅπαν. Quid iudicio clarissimi viri Pauli Busij acrius ac solertius? adeò vt si ἀκρίσιον Respublica consulere hodie velit, nullum hoc mallet. Hoc sanè non fit sine Deo: quod præclarè Thebana illa aquila mente oculatissima cecinit, * ἐκ θεοῦ δ' ἀνὴρ σοφαῖς ἀνθεῖ ἐς ἀεὶ πραπίδεσσιν. Quis quæso humanitate blandior, ac eleganti doctrinâ cultior nobilissimo Almondæ domino? id enim aptè de nobili eius familia dici poterit, quod olim de Alcimedonte Pindarus,

* κατακρύπτει δ' οὐ κόνις συγγόνων κεδνὰν χάριν.

Nec profectò prudentiâ Consulum huius vrbis quicquam consultius aut perspicacius, qui, cùm non ita illustri loco esset Lugdunum, calamitosis his temporibus ita id euexere (non sine Deo) vt nullum hodie emporium sit, nulla nec Academia, longissimo quoque hinc tractu, cum quo iure merito, & ingeniosâ artium vi, ciuiumque cultu & frequentiâ, certare non possit. vt quod olim Pindarus de Corintho scripsit, rectè de hac vrbe cani possit,

* ἐν

* Vel balle- num nihil.

* Blandiloqui h mni.

* id est, quos lingua ex mente extra- xit profunda

* Quod à na tura, primũ.

* Hoc est, ex Deo homines, prudentibus florent in per- petuum men- tibus.

* Hoc est, non occultat pul- uis cognato- rum illustrẽ nobilitatem.

* Ἐν τᾷ γὰρ εὐνομία ναίει, κασίγνηταί τε, βάθρον πολίων,
Ἀσφαλὴς δίκα, καὶ ὁμότροπος εἰρήνα, ταμίαι
Ἀνδράσι πλούτου, χρύσεαι παῖδες εὐβούλου Θέμιτος.

* *Hoc est, In hac eunomia habitat, eiusque fratres fundamentum urbium, firma iustitia, & similis huic moribus pax, diuitiarum largitrices, aurea filia Themidis consultricis pia.*

Sed frustra ego hæc laudum præconia : quin illud potiùs Ægyptiorum sacrificeorum imitabor, qui deos suos inarticulata voce colere solent, quò plurima cupientes, sese facultate destitui significarent. Quantum laboris hoc scriptum nobis confecerit, iudicabit is qui à Ligurinis Momis abiens, nostra hæc ad Critolai libram, eum pragmaticorum medicorum monumentis expendere velit : deprehendet enim quàm difficile sit canonem ponere qui cunctis morbis salutariter admoueri possit. & non solùm eum, quantum in me fuit, apertè proposui, verùm si quid sanitati congruum comperi, id sparsum, in vnum corpus (quasi disiecta & lacera Æsculapius Virbij membra) composui. Vos itaque Viri Nobilissimi & Amplissimi benigno animo hunc nostrum fœtum excipite, à candido pectore profectum illum, ac publicæ vtilitatis studio enatum, & hoc commercio dignum vestro genio, vix tamen ingenio vestro, vtpote quibus maiora debeantur. Attamen plena melica amœnitate nemora non solùm flexanimas philomelas, sed cuiuscumque generis cantillantes auiculas excipiunt. Olim apud Athenienses lege cautum erat, vt nulla fabula exploderetur, quæ primùm exhibebatur : quòd primo conatui fauendum esse iudicarent. & scribunt frugalem Hecales cœnulam non aspernatum fuisse Thesea. Herois huius exemplo vos Viri Nobilissimi ac Amplissimi opellam hanc amplectimini. Valete, & fauete.

METHODI AD PRAXIN
PRÆFATIO.

*D*Eus *Optimus Maximus, dum hoc polydædalum mundi theatrum Naturæ, rerum faciei mutanti, concederet, simul illi varia dissidiorum semina inseruit; vt infracta fatalíque lege, frigida pugneat calidis, humentia siccis. Et, vt benè iunctarum discordia semina rerum obstant alia aliis; ita cuncta, qua ex discordibus his primordiis originem principiúmque sui ortus agnoscunt, aduersa quædam pugnantiáque in natura hoc theatro sortita sunt, cũ quibus perpetua dissidij lege, illis perpetuum bellum ex natura lege indictum fuit. Quæque etenim res, ideam ac characterem suorum parentum vnde dimanârant referunt : semináque aspersa genio natiue indolis, nati, cùm gerant, eisdem mutationum casibus inaoluuntur. Cùm itaque varia morborum calamitates, fracta humani corporis œconomia, perniciem humano generi intentent, vt illud præclarè olim Ascræus poëta:*

——morbi noctésque diésque
Sponte sua sine voce ruunt : namque ab Ioue summo
Ablata est illis quæcumque potentia fandi :

Cui dubium erit, quin benigna illa parens Natura (qua certè nil aliud quàm viuida est Dei *vis) certo ductu impulsa, & abundè protulerit, ex fœcundo illo gremio, remediorum efficacem potentiam, qua abigi ferocissimi humanæ vitæ hostes (morbus & aduersam valetudinem dico) possent. Illud enim perpetuum naturæ studium est, quo hoc conseruet, quod illam habet : ac quàm diutissimè sua opera prouecta, ab interitu vindicet. Hinc nusquam remediorum inopia : vbique nostra inscitia : placabiles morbi cuncti, ni aut venenata vi efferati, aut symptomatica translatione iactati, & quasi furore perciti, in partem principem abrepti (cuius officio vita carere nequit) aut magnitudine indomiti, viuidam remediorum vim contemnunt. Quare summa cura annitendum, vt remedia peculiari ratione morbis dicata, nobis explorata sint, ac serie quadam certa in vsum sese nobis offerant. Quot itaque morborum sunt ideæ, tot erant & remediorum genera; vt impermixti morbi, ita & nulla arte, sed simplici natura enata remedia à summo* Deo *concessa : qua tamen natura solertiâ, variis potentiis decorata fuere : Rosa laxat & stringit, Rhabarbarum aluum restagnantem effundit, effusam cohibet. Quare & naturæ imitatrix ars, implicitis remixtisque morbis, variè confusa remedia attulit, cùm (quod alioqui clarissimum ac nobilissimum foret) languida vis simplicis medicamenti, acerbissimis morborum insultibus, remediari nequit. Quamuis omnibus, & medicis, & ægris, illud optandum foret, vt, vltrò surgentibus herbis, & quasi è Naturæ gremio effusis, earum vsu & appulsu integram corporis valetudinem conseruare, & aduersam depellere possimus : id enim longè certius & exploratius, longa ac ambitiosa remediorum mole foret : maximis enim ægrorum commodis, minimóque tædio admouerentur. Simplicis medicamenti* [1] *τὸ κατάλληλον πρὸς τὰ πάθη, sincerè, & citra virium diuersarum mixtionem ob oculos ponitur : quod in variè remixtis difficile elucet, cùm inde surgat* [2] *ἀσυνάλλακτος ἀλληλουχία, cùm plurima scitè permixta, tantis viribus sese perimant, peruertant ac demoliantur : verùm simplicia sunt* [3] *εὐπαρακολούθητα, καὶ εὐμίμητα. Si itaque illud à Natura obtinere non possumus in sæuientibus ac variè combinatis, aut dissimilitudine pugnantibus morbis, saltem illud agemus, vt grata quadam mixtione conueniant, & ritè cum morbis pugnent, nec à scopo mixtio abducat, imò hunc maximè collimet. Quod fiet si & ratione, & vsu explorata medicamina, in vsum ex artis lege iungamus : stupescentia acuamus : segnia restagnantiáque in aluo, adiecto calcare stimulemus, quò se in corpus traiiciant. hac necessitas spicam rhabarbaro iunxit, Zingiber agarico : hinc tritura, coctiones, vredines : ita quod noxium est, arte interdum eluitur; aut adiectione, indomita vis obtunditur ac placatur : scammonium rosis adiectis mitescit, elleborum aniso; opium castorio ac croco refrenatur. Nónne & varia partium natura, sensus, nobilitas, ac situs, variam ideam remediorum postulat? cerebrum gaudet singulari quadam familiaritate, betonicâ; artemisiâ vterus; hepar, nobile viscus, strictionem (ne immemor reddatur officij) expetit, etiam stricto morbo: fluxu laborans vterus, fluxum, peruadénsque remedium postulat, quo stringentia in eum tanquam vehiculo ferantur; quod alioqui medicamentum, integris viribus, parti dissita occurrere nequeat. Quare hac necessitate interdum abrepti artifices, & simplici nonnũquam affectui remixta pharmaca concedant : cùm alioqui componendi necessitatem nobis adferant, vel simplicis remedij inopia, aut præsentis malignitas, nonnunquam & affectæ partis peculiaris natura, aut varia affectuum commixtio. Sed hoc, dexterè si peragatur, non sine commodo ægrorum fiet : etenim varietas vtilem sæpe ac gratam in formam effingit remedium : catapotia è cerebro*

1 *Id est,* quam habet ad affectus curandos rationem.
2 *hoc est,* compages, cuius vis effata est difficilis.
3 *id est,* ex quibus imitatio in aliis tum corporibus, tum affectibus facilis est, & experientia certa, quam sequi tuto liceat, paratu sunt facilia.

eliciunt promptiùs, potio hypochondria vehementiùs eluit, ac se in venosum genus, imò habitum corporis faciliùs insinuat: vnguenta promptè emolliunt; euocant potentiùs emplastra; solida efficaciùs trahunt, at liquida liquido penetrant. Hinc tenuantia diaphoretica, & purgantia, liberata à materia restagnante & crassâ, latiùs suum officium faciunt: corroborantia & siccantia sibi innatam strictionem amant, ac inditum corpus male exuunt. Hi reformidant vsum pilularum, potiones facilè admittunt; alios alia forma capiunt ac delectant. Quare remixta quadam gratiis colorum adblandiuntur, nonnulla odorum aspersa venustate se commendant, ac saporum illecebris condita grato ore hauriuntur: ita vino excepta, aut ex stillatitio liquore rosarum macerata, sine fastidio admittuntur: Ea tamen cautione gratiis student, ne vi contrariâ, basi, cum morbo pugnanti obsint. Innoxiè fucatur vnguentum cerusâ, pilulæ auro: dulcedine quæ nauseam inuehunt, conciliantur acore; quæ amarore ac acore displicent, suaui dulcedine fucum naturæ vtilissimum faciunt. Consultissimum itaque fuerit vnum simplex eligere affectui accommodatum, cui tanquam stabilimento cætera innitantur; quæ ob varias conditiones inferuntur; vt huius vires prosperent ac felicitent, & non (quod alioqui solent susque déque mixta) peruertant.

METHO

METHODI
AD PRAXIN
LIBER PRIMVS,
De Remediorum Formulis : Qua Arte, Tecmarsi, & Cautionibus sint Componendæ.

Scribit Galenus libro sexto Simplicium, vbi agit de Agno casto, Contemplationem de Medicamentorum facultatibus, & Methodum therapeuticam mutuo nexu esse consociata. Neutra enim sine altera intelligi potest.

QVANTITATEM REMEDIORVM METIMVR:

M. MANIPVLIS: vt herbarum quantum manu amplecti vel capere possumus.

P. Pugillis: Græcis δακτυλίδιον χειροπληθές: vt florum, id est, quantum adductis digitorum acinis tollimus, δραχμίδα vocat Hippocrates.

g. granum hordei: κεράτιον, alij piperis albi: diuisionis expers, ex quo cætera prodeunt pondera: sit non rubigine aut situ exesum, sed modicè crassum. Ea Arabibus id pondus minimum, medicinæ illatum fuit. Apud Græcos χαλκοῦς, id est, æreolum, proximè ad granum accedit: nam pendit grana duo, siliquæ dimidium. verùm ὁ χαλκοῦς diuiditur εἰς λεπτά, hoc est, septem minuta nummaria, quod aurifabri vbique gentium vocant granum: hinc immota certaque medicorum perpetuò sunt pondera. Est autem χαλκοῦς sexta pars oboli. Nam obolus semiscrupulum æquat. Hæc de obolo Attico. Nam est & ὀβολὸς αἰγιναῖος apud Hippocratem lib. περὶ ἐπικυήσιος in medio. Certè drachmam habuêre Æginetæ quæ bonitate superabat Atticam: nam hi religiosiùs cæteris Græcis Iustitiam coluere. Propterea fingit Pindarus, Olympiorum octauâ, Iustitiam Ioui hospitali apud eos assidere. ἔνθα σώτειρα Διὸς ξενίου πάρεδρος ἀσκεῖται Θέμις. Nisi tamen & grani mensuram, sub nomine χόνδρου, Græcis notam fuisse quis defendat: nam legimus ἁλὸς χόνδρον apud Galenum, libro de Antidotis, vbi prophylacticon Apollonij describit: & alibi λιβάνου χόνδρος legitur apud Galenum. Igitur mundatum illud hordei granum, verè granum erit, quod pendit aurifabrorum nummulariorum grana tria cum semisse. Quamuis cum aurifabrorum *aes* fere conueniat. Si quis ex Arabum sententia certa pondera constituere velit, accipiat grana hordei mediocria, enata cælo & solo moderato, quæque bene habita sunt curâ, ætate, & cæteris: simul hæc grana ponderentur ad plumbum: quod diuidatur in partes viginti quatuor: surget artificiale granum; & horum septuaginta duo, drachmam efficiunt: quæ proximè venit ad coronatum nummum aureum Francicum. alioqui nummus hic, grana hordei familiaria attollet plurima, & vltra septuaginta duo. Hæc autem certior ratio, quam iam dico, quòd antiquorum denarij, appensi ab Agricola, ostendunt septuaginta duo momenta aurifabrorum (quæ illi *aeskens* vocant) implere Medicæ drachmæ pondus. Itaque viginti quatuor momenta. i. *aeskens* aurifabrorum, scriptulum pendunt medicum (nam ter 24. facit 72.) Talia septuaginta duo momenta aurifabrorum, pendunt coronatum Francicum solatum: nam simplex coronatus Francicus (cui respondet regius nummus argenteus) vno momento leuior est solato.

Granum verum.

Certior ratio.

℈. Scriptulis: Apud antiquos ponderat grana hordei vigintiquatuor: quia tot minutis constat, quot sũt litterarum notæ. Iam apud pharmacopolas grana viginti, male Nicolaum & Salernitas sequentes. Scripulum quidam vocant, Græci γράμμα & δ σύβολον, quod propriè scriptulum.

ʒ. Drachmis: Continet drachma, ὁλκὴ Græcè, ℈ iij. id est, scriptulos tres. Oboli sex, drachmam æquant. ʒ. ſ. semidrachma siue τριώβολον. Ilarium, vt ait Fernelius, Oribasij: Victoriatus Celso & Scribonio.

℥. Vnciis: Accipit vncia Attica drachmas octo, vel denarios Romanos septem; hinc Celsi vncia est septem drachmatum ℥. ß. semuncia. ℥ j. ß. sescuncia.

℔. Libris: As, vel pondo, vel libra medica vel Romana, habent vncias duodecim.

lib. ß. selibra. His ponderibus hodie omnia referuntur ad lancem.

Metiuntur:
- Herbæ M.
- Flores P.
- Radices ℈. ʒ. & ℥.
- Fructus Numeris vt ij. iij. iiij. vij. &c. præstat Latinis numeris vti, non barbaris.

quart. id est quartariis: Continet quartarium vel quadrans vncias tres: nam libra quatuor quartaria accipit.

Ergò cùm vnum tantum volumus illorum ponderum, vel dimidiam partem, primùm pingimus notam ponderis, vt M. P. ℥. &c. Deinde numerum quem volumus adiungimus, vt M. ij. id est manipuli duo, vt p. j ß. id est pugillus vnus & semis: vt ʒ ij ß. id est, drachmæ duæ, cum semisse. vt ℔. j. ſ. id est sesquilibra.

Fasciculis vtimur in balneis, quantum nempe plicatis brachiis herbarum sumimus.

His quoque notis practici, breuitatis ergò, vtuntur. q. ſ. hoc est, quantum sufficit: vt ceræ q. ſ.

Misc. hoc est misce, vt aquæ cicorei ʒ ij. ß. syr. cicorei ℥ j. misc.

ſ. a hoc est, secundum artem: vt, fiat empl. ſ. a. fi. fiat.

deċt. decoctum.

fl. flores.

añ (id est) ana: istud significat (cùm duæ, tres, vel plures

materiæ

materiæ medicæ descriptæ fuere) cuiusque. Exempli causa. ℞. maluæ, violariæ añ M. j. Hoc est, accipe cuiusque illarum herbarum manipulum vnum.

ʒʒ. significat xinxiber.

(Dosis) Hæc vox notat summam medicamenti quantitatem, vltra quam non pergimus. Vt cùm dicimus, Ellebori nigri dosis est ℥. ſ. id est: vltra eam quantitatem non exhibemus elleborum nigrum. Hippocrates notis nullis vtitur, sed ponderum nomine: id enim tutius. Quibus characteribus & nominibus Græci alij vsi fuerint, vide apud Paulum Æginetam lib. 7. cap. 26. Et Oribasium Sinopseôs lib. 2. cap. 58. Celsum 5. cap. 17. Marcellum Empiricum in initio, iuxta Hippoc. Fernelius omnium lucidissimè noua & vetera nomina prodidit Methodi libro 4. capite 6. Et versus Q. Rhemnij Fannij de Mensuris. tandem scrupulosissimè cuncta Barbarorum Arabumque nomina, quæ pondera & quas mensuras denotent, ordine facili prosequitur Dominicus Massarius. Interdū mole metimur vt nucis, cùm res est cū rusticis: ita olim fabæ Ægyptiæ quantitas celebris erat. Galenus libro primo κτ᾽ τόπ. pilulas præbet vndecim numero, quæ sint singulæ mole ciceris: cùm ciceris pondus non longè abeat à lupini, qui æquat tertiam partem scriptuli, præbuit Galenus ferè scriptulos quatuor illarum pilularum, hoc est, vndecim tertias partes scriptuli. Iam fabæ, auellanæ & castaneæ magnitudinem præscribimus, & cochlear. *Alia mensura.*

GENERALIVA *quædam medici Practici complectuntur: vt cùm dicunt Herbas, Radices, Semina, Flores. vt*

Herbæ emollientes quatuor:
- Malua,
- Althæa, quam Bismaluam vocant
- Viola, vel eius loco
- Parietaria quam Perdicium vocant, vel Mercurialis,
- Brancha vrsina: aut eius loco Beta.

Radices quinque aperitiuæ, vel Diureticæ:
- Apij,
- Petroselini,
- Brusci vel Rusci,
- Asparagi,
- Fœniculi.

Semina calida maiora:
- Anisi,
- Fœniculi,
- Cari,
- Cymini.

Semina calida minora:
- Dauci,
- Apij,
- Ameos,
- Amoni.

Semina frigida maiora:
- Cucumerum,
- Cucurbitæ
- Citrullorum,
- Melonum.

Semina frigida minora:
- Lactucæ,
- Endiuiæ,
- Scariolæ,
- Portulacæ.

Flores Cordiales:
- Rosarum,
- Violarum,
- Boraginis,
- Buglossi.

DE SVPPOSITORIIS.

Reuerendus senex prudenter pronunciauit, animal id sanum esse non posse, cui aluus analogiâ cibis non respondet. Dum enim illa segnescit, fœdi cruciatus caput ac ventrem incurrere solent, totaque vitæ œconomia hac à segnitie pigrescit. Quare remediis aperitur his, quæ iam dicemus.

ὑπόθετον. SVPPOSITORIVM.

PENICILLA.

Balanus, Glans, Noduli — à similitudine glandis. Nam olim glandis figuram gerebant.

Dantur vt aluum pruritu sollicitēt, in prima ani regione, vbi sphincter est musculus, vt is recludatur: quare non fiant longa, sed trium digitorum, vtrimque acuta. pueris minora.

Fiunt ex melle quod coquitur dum indurescat: nam acre redditur. hinc irritat intestinum.

Et cùm validiorem vim volumus, remiscemus quid salis communis. vt ʒ j vel salis gemmæ ℈ ſ. muscerdæ, id est, fæcum muris, aut agarici, aut quid specierum hieræ, aut benedictæ laxatiuæ, vel colocynthidis ℈ j. vt certò irritet.

℞ salis communis ʒ ß. ad ʒ j. vel salis gemmæ ℈ ſ. vel stercoris muris ℈ j. vel ℈ ij. aut specierum hieræ ʒ ſ. mellis q. s. (id est quantum sufficit) vt ℥ j. vt fiat suppositorium.

Cùm fortius velitis, accipietis species ad suppositoria, quas describit Cordus in Dispensario, libro De lenitiuis & solutiuis, pagina vltima.

Addunt quidam pilos in tenuissimas partes incisos, ex melle tosto cum sale.

Ex melle suppositoria, in oleo seruantur. nam eliquari prohibet. at commodiùs butyro, vel axungia porci infigi possent: sed nec oleum, salem, soluit facilè.

Formantur quoq. suppositoria ex sapone Hispano, commodissimè & vtilissimè.

Seuo, Lardo, Candela — io pueris.

• Farina, aqua, & sale.

Radice betæ rubræ, vel Althææ.

Hæc tinguntur oleo, saleque asperguntur, vel melle aut butyro salso tinguntur Accipe massæ farinæ drachmas duas; salis, aloës, cuiusque scriptulum: cum hiera mellita fiat suppositorium. Peregrè abeuntes circūferant exsiccatū. vsus tēpore illinant butyro, vel oleo. Hæmorrhoidibus aperiūdis fel vel cyclaminis succus additur.

Noduli fiunt ex vitello oui, cum sale & croco, lineo panno exceptis, ac in fabæ formam filo ducitur. *Noduli.*

Infantulis amygdalum, saccharo obductum, subditur.

Si itaque durior restagnat aluus, aut si clysma iniectum tardet, sumptive medicamenti vis langueat; ad vsum suppositorij nos vertemus: id enim præstat, quàm enematis intestina replere, ab hausto pharmaco. Laudantur quoque in soporosis affectibus, & in enterocele, vbi metus est à clysmate, & cùm fæces duriores renituntur clysteri, vel ad hæmorrhoidas euocandas, vel claudendas. Vt tutò sanguis educi possit. Vel reuulsionis causa, vt in febribus ardentibus, quò catarrhopi fiant vapores, qui caput inuadunt. *Vsus.*

Aluus interdum validè stringitur, cùm spoliantur intestina sua lubricitate, qua alioqui obducuntur à pituitæ affluxu; aut frigore anus stringitur, vt his qui diu in lapide frigido sedere.

Hic fiant ex relaxantibus, vt ex pinguedine salsa porci, maximè in pueris, & ex radice althææ, & maluæ, sale insperso; aut candela oleo intincta.

Obstetrices quædam pennam oleo oblinunt, ac puerperis indunt, & intestina officij immemora siccataque oblinunt.

Ex ficubus inuersis fiunt & suppositoria, saleque asperguntur, filo ligatæ induntur.

Noduli fiunt ex vitello oui, sale, & butyro; linteo in formam auellanæ reuincto inclusis, ex cuius extremo funiculus pendet. fit & ex melle & felle, ex hiera, & aloë. Suppositorium acre: accipe mellis ad spissitudinem cocti vnciam, vel semunciam; veratri, scammonij, salis, puluerisatorum scriptulum singulorum. adde rutam, & cuminum. *Acre.*

CAVTIO.

ROGET semper Medicus, num æger ex hæmorrhoidibus vel fissuris ani laboret. In his nunquam suppositoriis acribus aluum prouocantibus vtitor.

Si

METIVNTVR
ublicæ maximæ
lem.

ſuris Romanis in aridis, monſtrans
or menſura ſe minorem capiat.

Ↄ CS $\overset{\bullet}{x}$

xtarius	Heminas	Acetabula	Cyathos	Ligulas	Libras pendet	Vncias pendet
16	32	128	192	768	26. & ℥.8	
8	16	64	96	384	13 & ℥.4	
extarius	2	8	12	48	1. & ℥.8	20
	Hemina	4	6	24		10
		Acetabulum	$1\frac{1}{2}$	6		$2\frac{1}{2}$
			Cyathus	4		$1\frac{1}{2}$ & ʒ1. & ℈ 1.
				Ligula pendet ʒ. 1. & ℈.1.		

a eſt Romana libra duodecim vnciarum, ſcriptoribus & medicis omni- ponderalis: huius omnes partes intelliguntur quoque ponderales. erat Numularia dicta; & octonaria, vulgo marcam, quæ Romanis

s, etenim menſura capiens 12. vncias, interdum (attamen κα'ε χρηστικῶν) ius vnciæ, & reliquæ partes intelligendæ ſunt menſurales. Hæ libræ taque ſemper libram intelligimus duodecim vnciarum, ſiue de menſura e grauitatis, id eſt, βάρει) intelligamus.
onderales vncias.

quæ aliquam capitatem habet. eſt quarta pars cyathi.

ies te largiſſime inuitauit, ſenos ſextantes non exceſſit; id eſt, duode- buiſſe pocula quæ ſextantem, id eſt duos cyathos, caperent. Qua Irans

S : QVÆ METIVNTVR

ıultitudınem variæ fuere; Atticæ, as vocamus. Ferè enim, inquit ıen Medici Græci his solis :nutata capacitate.

ı mensurarum Atticarum in Aridis.

	Chœnicas	Sextarios	Cotyla	Oxybapha	Cyathos	Cochliaria	Libra & eius partes
edim-s διμνος	48	72	144	576	864	8640	108
	Chœnix χοῖνιξ modulus	$1\frac{1}{2}$	3	12	18	180	$2\frac{1}{4}$
		Sextarius ξέστης	2	8	12	120	$1\frac{1}{2}$
			Cotyla κοτύλη Hemina	4	6	60	Vncias 9
				Oxybaphum, ὀξύβαφον Acetabulum	$1\frac{1}{2}$	15	Vncias 2 : & Drach.
					Cyathus κύαθος	10	Vnciam $1\frac{1}{2}$
						κοχλιάριον	Drach. 1. Scrup. $\frac{1}{2}$ & g. $2\frac{1}{2}$

Liquorum tantùm mensuræ Medicæ fuere Metretes, Congius, Quartarius: Aridorum solùm Medimnus & Chœnix. Vtrorumque Sextarius, Cotyle, Oxybaphum, Cyathus.

TAB. III.

TABVLA QVÆ OMNIVM VARIETATEM PONDERATIONIS RERVM MENSVRABILIVM, ET PRÆSERTIM LIQVORVM APERIT.

ETENIM SCRIPTORES INTERDVM PONDERATIONE LIQVORVM VTVNTVR : VNDE ET HINC VARIETAS quædam nascitur. etenim alij liquores, aliis sunt ponderosiores; vt vinum superat oleum nona parte ; etenim tantundem pendet, & eius insuper nonam partem: mel vino est grauius. Quare ferè mensura quæ capit mellis ℥xv, capit vini ℥ x, & olei ix.

	Olei bene defæcati pendit					*Vini* ..., *& aquæ pluuiæ pendit*						*Mellis puri, ex fauis distillati, pendit.*					
Italici	⩚	Γ.	L<	ϡ	K	⩚	Γ.	L<	ϡ	K	Gr.	⩚	Γ.	L<	ϡ	K	Gr.
Culeus	1333	4				1431	5	6		4		2222	2	5	1		
Amphora	66	8				74		7		2		111	1	2	2		
VRNA	33	4				37	0	3	1	4		55½		5	1		
Congius	8	4				9	3		2	4		13 [illegible]	4	5	1		

SECVNDA DE PONDE MENSV

Vsus : vt hemina olei pendit vncias 8. drach. 2. & ℈ 2. At hemina vini pendet vncias 9. drach. 2. ℈. 1. verùm hemina mellis pendit lib. 1 ℥ 1: ʒ. 7. ℈ 2.

TAB. IV.

TABVLA PONDERVM COMMVNIVM, VNO INTVITV,

ΩΣ ΕΝ ΣΥΝΟΠΤΡΩ, OCVLIS OBIICIENS QVOTIES MINVS PONDVS IN maiore comprehendatur: N[illegible]

Græci Charact.	Al.		
	Vncia		
	Sextans.	℥ ij.	SS
	Quadrans	℥ iij.	SS
	Triens	℥ iiij.	
	Quincunx	℥ v.	
S.Su	*Selibra, Semis,*	℥ vj.	S
V	*Septunx*	℥ vij.	SS
S	*Bes q.bis triens*	℥ viij.	
S	*Dodrans*	℥ ix.	SS
S	*Dextans.*	℥ x.	SSS
S	*Deunx*	℥ xj.	SSS
E	*Sescuncia*	℥ jß	
E, Є,	*Semuncia.*		S:
ⲁ.	*Sextans denarij Celsi,*		S
Ψ	*Semisextula.*		
8	*Sextarius Marcello Empirico.*		
	Obolus.duo oboli		
IƆ	*Bina sextula.*		
	Marca,	℥ viij.	
	Drachma sex.		

[illegible] parte: Et [illegible] continet semel, cum duabus eiusdem tertiis: Et semilibram continet, & simul tertiam totius partem: ita mina Attica libram continet vnam, & eius partem tertiam. Ita in cæteris. Contrario quoque ordine, vt chalcus, est vnciæ pars ducentesima, octogesima octaua: ita drachma est libræ pars sexta & nonagesima.

Nux { parua, auellana, pontica. δραχμὴ ἢ ὁλκὴ, δηνάριον (?) Drachmi Arab. vel Alki quasi holce & Aureus.

[illegible] drina. τριώβολον. Itaium, vt ait Fernelius, Oribasio, vel potius Illyricum, quòd ille victoriatus nummus primoùm ex Illyrico aduectus, & deinceps lege percussus Romæ. Victoriatus Scribonio & Celso, qui & olim Quinarius dictus, quia sicut Denarius primo decem asses valebat, ita Quinarius, quinque asses valebat. dicitur ille nummus Victoriatus à charactere Victoriæ: & est media pars Denarij, vt elucet in Tabella Celsi & Latinorum. ἡμίδραχμον, Balanus Diosc.

aurei.

[illegible]tulus vel Fabagrega. διώβολον. γράμμα ὀβολόν. Garme Arab.

2	3		6	12	24
Obolus ∋S. vncia	$2\frac{1}{3}$	2	3	6	12
Denarij ferè Celsi. Onolossat Arab	Bissiliqua id est duplicata siliqua Danich Arab.	$1\frac{1}{3}$	2	4	8
		Semiobolus Cerates.	$1\frac{1}{2}$	3	6
			Siliqua, keratiū, Dichalcō Orob. Kirat Arab.	2	4
				Chalc. æreolus, kestuf Arab.	2
					Grana Minutia [illegible]

CAVTIO.

Scriptores quilibet, peculiaria quædam pondera sibi constituere videntur: quare quisque de sua sententia consulatur, num conueniat illi cum hac communi ratione: vel enim scaperiunt ipsi: vel ex eius scriptoris patria pondera notantur; aut ex tempore quo scripserit, & loco quo hæc tradidere. Romanis enim non ita varia, sed sim[illegible] sima pondera fuere: Græcis, quia Respublicæ multæ florentes, Attica, Corinthiaca, Laconica, Æginæa, Euboica, diuersa pondera fuere. Attamen quæ tradidi pondera, M[illegible] ci ex variis, vno quasi consensu conflauere. Attamen id notandum, Celsum & Scribonium, Denarium suum siue Drachmam efficere ex granis $82\frac{1}{3}$: At eorum vncia constat Denariis septem, eadem cum communi vncia. nam eadem libra quæ Græcis accipit drachmas 96; accipit Romanorum Denarios 84. Celsus enim Græcis mensuris vti noluit. Vt Græci habent drachmam, nummum argenteum, ita Romani Denarium. Cùm itaque Celsus suo Denario pro drachma vti vellet, & cùm Denarius grauior aliquantulum esset, sextantes excogitauit. Vt igitur As in duodecim vncias; ita denarium in duodecim partes diuisit. Ex his duæ partes, sextans dicitur. perinde vt duæ partes assis: sextans autem paulo plus est, dimidio scriptulo. Vncia denarij (qua voce vtitur Celsus) est sexta hæc denarij pars, grana $13\frac{1}{3}$. Notandum quoque, scripulum Nicolai & Salernitanum, ex 20 constare granis; vnciam eius ex drachmis 9, 540 granis: hunc malè sequuntur pharmacopolæ, cùm Græci & Mauri rectè scripulo 24 grana tribuant. Reliqui Medici communem rationem sequuntur: Ita & Plinius, & Plutarchus, & Galenus dum Latina transferunt, confundunt drachmam denario, quasi nihil intersit, pro vnciæ parte octaua. præterea varij scriptores, vt Hippoiatrici, Geoponici, varia sibique dicata pondera, ac mensuras habent. Marcellus Empiricus etiam consulatur, initio sui operis.

TABVLA V.

TABELLA CELSI, ET LATINORVM RATIONEM PONDERVM EXPLICANS.

X *** V

	Vncias	Semuncias	Duellas	Sicilicos	Sextulas	Den.arg.	Victoriatos	Scriptula.	
LIBRA	12	24	36	48	72	84	168	288	
Selibra	6	12	18	24	36	42	84	144	
	Vncia	2	3	4	6	7	14	24	
		Semuncia	$1\frac{1}{2}$	2	3	$3\frac{1}{2}$	7	12	
			Duella	$1\frac{1}{3}$	2	$2\frac{1}{3}$	$4\frac{2}{3}$ $\frac{1}{3}$ dimidij	8	
				Sicilicus		$1\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$	$3\frac{1}{2}$	6	
					Sextula	$1\frac{1}{6}$	$2\frac{1}{3}$	4	Celsi Sextantes. ƨ.
						Denarius	2	$3\frac{3}{7}$	6
							Victoriatus, olim dictus Quinarius: & semissis denarij Celso, erat nummus argenteus Victoriæ nota signatus.	$1\frac{5}{7}$ & $\frac{1}{14}$	3

Nam Celsus diuidit Denarium in 12. partes: ex his duæ partes dicuntur sextans, súntque sex sextantes in denario, vt pondo * ƨ, id est, pondo denarij sextans.

6 hoc est binæ sextulæ. P. 3. id est, pondo triens. Intelligimus per trientem, quatuor partes duodecimas: per quadrantem, tres partes duodecimas: vt per sextantem, duas. Diuidit itaque Celsus vnius denarij pondus in sex partes, id est sextantes: vt idem in sextante denarij habeat, quod Græci in obolo, hoc est paulo plus dimidio scriptulo.

Elucet hîc Drachmam differre à Denario: nam Græcorum Drachma tres habet scriptulos tantùm. Et vncia habet drachmas 8, denarios 7. Ita Vnciæ Græcæ & Romanæ nulla fuit dissimilitudo. Libram autem Romani 12. vnciarum habuerunt, denariorum 84. Græci habebant drachmam nummum argenteum, at Romani denarium. Græcorum γράμμα respondet Romano scriptulo. Tres denarij ferè pendunt quatuor drachmas.

Ad vlcus. Si vſcus anl adſit, fiunt ſuppoſitoria ex melle, vt purgent vlcus: hinc ex Emplaſtis conſolidantibus, vt ex emplaſtro ceruſæ:emplaſtro diuino.

Ad dolorem vlcerum. Fiunt & ſuppoſirotia ad ſedandum vlcerum (vt in Teneſmo)hæmorrboidumque dolorem,ex ſeuo,oui vitello cocto cum butyto, oleo amygdalino cum opio leniter aduſto, myrrhaque caſtigato,vel ex requie Nicolai cum goſſypio.Accipe opij,croci, caſtorei, cuiuſque remiſcriptulum,tuſa & cribrata excipiantur melle, vel cum cera & oleo.

Cautio. Glandes ad hæmorrboidas non duræ eſſe debent, ob metum dolorum.

Immoderatior vſus glandium, hæmorthoidas accerſit,& interdum vlcera aoo inurit.

Grauidæ à glādium vſu ſibi caueant;nam,vt ſcripſit antiquus medicus Ruffus Epheſius, quæ trimeſtres fœtus in vtero geſtant, glandibus mordentibus corrumpunt.

PESSVS SIVE TALVS.

EST ſimilis ſuppoſitorio, ſed longior, & craſſior: quia peſſi feminis ſubiiciuntur.

Materia. Fit ex lana carpinata, & in rotunditatem ad digiti figuram redacta.

Fabricatur interdum ex cereo qui inuoluitur bombycino,aut œſypo,ac gratis mergitur odoribus, vt zybettæ. quæ moſchi vim imbibit.ita & tenui bombycino excipiuntur aromata cum goſſypio, & filo ſæpius reuoluto, peſſus fingitur, qui deinde oleo nucis myiſticæ, & caryophyllorum alióve fragranti aſpergitur liquore.

CAVTIO.

EA Cautio ſit,vt filum longum annexum gerat, quo cum lubet euellatur:nam vterus auidè gratum ſpirantia prolectat.

Ficus finditur,vertiturque:diambra,cinnamomo, & muſco impletur, his nempe remixtis: hinc filo ſerico in orbem conſuitur,tandem ſæpe pertunditur licâ, quò incluſum aroma odorem ſpargat:filoque alligata, poſtquàm oleo macis rigata fuerit; ac in acumem faſtigiata vtero immittitur.

Vſus. Imponuntur peſti ad vteri ſuffocationem,&ad vteri vlcera; nonnunquam vt cieantur menſes muliebres,& ad ſecundinas euocandas à partu, & ſordes eluendas in *Exemplum.* vteri malis.Vt,accipe beniouini,ſtyracis calamitæ, caryophyllorum,cuiuſque drachmam:ambræ, moſci, ana grana vj bombace ac lineamento excipe.

Perluſtra igitur hæc illis dicata capita, vbi formulæ deſcribuntur peſſorum variæ. Et Nicolaus Myrepſus ſectionis 38.cap.1.miram varietatem enarrat peſſorum ad conceptionem, & vrinæ difficultatem in fœminis, & ad cuncta vterina mala:tum Æginera lib.7.cap. 24. & Actuarius lib.6.cap. 9. Apud hos polydædalam varietatem reperies. vnde in omnibus vteri morbis licebit peſſos præſentaneos effingere. Vſui accommodatos iam, Weckerus deſcribit breuiter. Et Anderoacus,tomo ſecundo: Dial.7.fol.400.

In vteri morbis peſſi ſubiiciuntur ad molliendum, aſtringendum, aut ad oſcula venarum aperiendum.

MOLLIENTIBVS vtimur

In vteri
- Inflammationibus.
- Vlcerationibus.
- Perfrigerationibus.
- Recurſibus ſurſum verſus.
- Auerſionibus.
- Inflationibus.
- Duritie.

Mollientes. Parantur MOLLIENTES peſſi ex cera, vnguento Cyprino & Suſino (illorum componendi ratio eſt apud Æginetam 7.lib. 20) adipe anſerino, gallinaceo, butyro inſulſo,reſina vſta,medulla ceruina, fœnogræco,&c.

Aperientes. APERIENTIBVS peſſis vtimur cùm lubet reuocare vteri ſuppreſſam vacuationem, & oſcula vteri reſerare.

Parantur ex melle,artemiſia,dictamno,braſſicæ ſucco, radice dulci, porri ſucco, ruta, ſcammonia; &c. Hippocrates vtitur colocynrhide, elleboro albo, elaterio, ſucco tithymali. cantharidibus, flore æris. Sunt & compoſita, vt vnguentum Agrippæ, Ægyptiacum.

ASTRINGENTIBVS peſſis vtimur,ad fluxum muliebrem cohibendum, expanſum vterum contrahendum,prolapſum repellendum. *Aſtringentes.*

Parantur ex omnibus medicamentis (ſine morſu & fœtore aut fragrantia) adſtringentibus; qualia plurima referuntur apud Æginetam libro 7.cap.12. de paſtulis, & lib.7.cap.16. de collyriis. verùm nullus vberiùs nec doctiùs τὰ στύφοντα vnquam enarrauit Hippocrate, lib. De Natura muliebri:& illis duobus quos περὶ γυναικείων inſcripſit.

Qua noua, ſalutarique arte, peſſi, ex argento & auro exſculpantur, foraminibus hac illac peruij:quibus biare cogitur ceruix vteri, ac ſurſum ruens vterus renocetur, ſcribemus capite De vteri ſtrangulatu; & De vlcerato vtero:tum de procidentia vteri.

κλυστήριον, CLYSTER vel CLYSMA, *id eſt, ablutio à κλύζω. Enema, iniectio.*

IBis, Ciconiæ haud diſſimilis in Ægypto auis, Clyſterum vſum hominibus intulit: dum enim illi non ex officio reſpondet aluus, roſtro aqua marina repleto, longanonem proluit. Vetuſtiſſimum remedij hoc genus eſt: nam Herodotus in Euterpe, ſcribit Ægyptios ſingulis menſibus per tres dies continuos potionibus vti, clyſmis, ac vomitibus: ac ſaniſſimi hominum hi ſunt poſt Libyas.vocare hoc videtur Herodotus συρμαΐζειν. *Ægypti.* *Modus.*

Accipit liquoris fere libram,mellis & olei ana ℥. iij. ſalis drachmam. Veterum clyſter conſtat ex mulſæ libra j.olei vnciis tribus,& ſalis drachmis ij.

Clyſter ſeu ablutio, eſt iniectio ſedi propriè dicata, cum reſtagnat aluus.verùm quibus ex cauſis id fiat, explorandum.

Subſiſtit etenim aluus, aut reſolutis circularibus fibris inteſtinorum;aut cùm motu periſtaltico ad ſuperiorem aluum refunditur excrementum, (vnde Dyſpnœæ initia in acutis morbis) hinc ſubiectæ glandes interdum ore redduntur:aut febrili calore, tum partium nutritioni dicatarum ardore, ὄχημα ſtercoris exhauritur: aut ob contumaciam rei coquendæ; anlve muſculo à frigore conſtricto, vt iis euenit qui diu in ſaxo frigido ſedent: argumento eſt, fotus ex aquæ balitu tepidiore (contraria nempe vi) ſphincterem laxans,aluumque ſoluens. Antiqui vtebantur ex aqua ſola dulci tepida, vel oleo oliuæ, vel his remixtis. Iam ditioribus oleum amygdalinum conuenit. *Alui ignaua cauſa.*

Fiunt ex quatuor vel quinque herbis, decoctis ex aqua ad libram vnam:Cui remiſcent ſaccharum, mel, & pharmaca lenientia (vt eſt caſſia, elect. lenitiuum) olea,qualia ſunt chamæmelorum,violarum, anethi, liliorum alborum, ouorum vitellos duos, aut vnum (vocat Hipp. χλωρὸν τοῦ ᾠοῦ) miſcent & albumen, vt nempe fuerint variæ rerum agendarum indicationes.Salis quid addunt, vt ʒ j. Veteres in Clyſmatis loco ſalis, nitro vtebantur,vt docet Alexand. 1. problem. imò P. Bellonius refert Ægyptios alioſque populos nitro vti pro ſale.Sed inopia eius apud nos eſt:attamen inter cappares ex Alexandria aduectos,Patauij ſæpe vidi. *Vnde.*

CLYSTER conſtat ferè ex lib.1. liquoris; ol.℥iij.& ex ℥ij pharmacorum, vt electarij lenitiui &c.

Ad octo hæc plerumque præſcribitur.

Ad Molliendam aluum duritia fæcum ſtrictam:qualis hic eſt verè emolliens,cohibitas fæces deducit. *Vſus.*

℞.herbarum emollientium, parietariæ ana M. j. radicum althææ,& liliorum alborum ana ℥ j. ß (nam in *Emolliens.*

Clyſteribus

Clysteribus non superent radices ℥. ij)seminis lini, & fœnigræci ana ℥ ß. anisorum ʒ. ij. ficuum pinguium N. iiij.fi.decoctio ad lib. j. In colatura dissolue cassiæ pro Clysteribus, mellis violati, butyri recentis ana ℥j. olei violati ℥iij. misce,fi. clyster. In inopia iam præscriptorum ℞. olei oliuarum tepidi,lib.j fi.Clyster.

℞.olei oliuarum,butyri ana lib.ß.fi.Clyster.

vel ad:
- IRRITANDAM alui excretricem vim. tunc absint olea, & viscida,nisi vetusta fuerint.
- Humores euacuandos, cum pharmaca non ferant;vt senes, pueri, & fractis qui viribus languent.
- Ventos,flatusque.
- Aluum stringendam.
- Vlcera intestinorum detergenda,aut ad ea consolidanda,vt sarcoticis & epuloticis.

Ad alterandum intemperiem in intestinis locisque proximis conceptam. & ad doloris vehementiam.

Horum exempla serie quadam in capitibus, De purgantibus,De colico dolore,De dysenteria,& De febribus videte. Id notandum vt, dum agaricum, vel colocynthis vnà coquitur,lineamento excipiatur.

Vbi secretrix facultas cum fæcum duritie sopita languet(quod plerumque euenit)hoc Clystere vtemur.

Emolliens & stimulans. ℞.4. herbarum emollientium ana M. j. seminis carthami ℥ j.sem.fœniculi,anisorum,cari ana ʒ iij.fi.decoctio ex aqua. ℞.præscripti decocti lib.j. hieræ simp. vel diaphœnici, vel benedictæ laxatiuæ aut elect. Indi maioris,aut de citro ℥ ß.mellis despumati ℥ j.salis communis ʒ j. (vsq;ad duas) vel salis gemmæ ℈ j. vel ʒ ß. olei chamæmelini & violarum ana ℥ j ß. mis. fi. Clyster. Acrior erit sine oleo obtundente vim stimulantis remedij:vel sit oleum vetus Et beta,brassica, parietaria & mercurialis, à nitrosa vi,aluum cient: cum melle & sale,& cum compositis purgantibus,vt hiera:& in quibus est colocynthis vel scammonium, vt pil. cochiarum ʒ ij.

Dolorem mitigans. Clyster anodynus,id est,dolorem ventris sedans.

℞.florum chamæ. meliloti, summitatum anethi añ p.ij.radicis althææ ℥.j.fi.decoctio ex lacte, in colatura dissolue sacchari albi(nam rubrum mordacius est) ℥ j. ß.vitellos ouorum N.ij.ol.anethi, chamæ añ ℥ j. vel ℥ j.ß.mis.fi.Clyster.Dio retineatur : nam temperans est.

Ad flatus. Clysteres qui flatus dissipant, fiant ex decocto origani, calaminthæ, rutæ, chamæmeli, anethi, cum semine anisi, fœniculi, cari, cumini, apij, liuistici, seselios,baccis lauri:In decocto soluatur mel rorismarini: elect.de baccis lauri,cum oleo rutæ,lauri, anethi, vel chamæmeli.vel ex oleo nucum sincero, cum vino malnatico,hiera,benedicta.

Refrigerans. Refrigerans Clyster. vbi refrigerandum, succulentas herbas miscemus frigidas:vt portulacam, lactucam, fol.violarum(nam perennant sæpe toto anno)folia cucurbitæ, melonum, cucumerum, horumque semina, hordeum.

Cautio.sint frigida hæc,humore madentia, sine vlla astrictione. Attamen ineunte inflammatione aliqua,minimè à plantagine,portulaca, rosis, similibusque abstinebimus.

CAVTIO.

Quidam existimant Clysteribus remiscendas res esse peculiariter partibus dicatas,vt in potibus fieri assolet : Nam cum vitium cerebrum fecit,clysteres ex betonica, stœchade,maiorana cæterisq. cephalicis herbis confectos iniiciunt:vt & in aliis partibus malè affectis, aliis remediis vtuntur his amicitia iunctis Verùm id alienum à mente Galeni esse videtur, qui 6. libro De locis affectis 2. scripsit superioribus intestinis laborantibus, potionibus succurrendum esse : at inferioribus affectis, clysteribus opitulandum. etenim potiones vim suam toto corpore fundunt, ductuque venæ cauæ (cui se inserit) vndique traiiciunt. Summa etiam cautione hoc nota. In vsu pharmacorum purgantium, cùm illa votis non respondent,sed in corpore dum titubant, Pragmatici hæc enemate euocant,non dextrè nec tutò, inquit Oribasius.Dum enim turbet mole allabentium succorum ac vi pharmaci intestinum, aditu excluditur remedium. Glandem itaque,hoc auctore, subiecisse profuerit,ex melle,cum semidrachma salis,fellis buboli, & succi cyclaminis:vel,flatibus prementibus,cymini addemus semen. vel saltem acrius clysma exiguâ copiâ infundatur,vt ad octo vncias.vel sorbeat iusculum carnis cum sale vel saccharo. *Obseruatio.*

Copia. Quantitas Clysteris varia esse debet, vt hominum & morborum conditio postulat : vt in vtero quæ gestat mulier, & pueri, non æquè copiosè vti debent : ita nec magna copia in dysenteria, colico, hydrope aut fæcibus duris cùm renititur aluus,vtilis. Ne,vt inquit Ruffus Ephesius lib. de Vesicæ & renum affectibus, renes comprimat. *Repletio minima copia.*

Pueris vnciæ tres; adolescentibus selibra : adultis ad sesquilibram infunditur.

Qualitas. Qualitas. tepidus iniiciatur : nam neruosis partibus frigus bellum indixit.

Modus. Vtendi modus. ita iniici debet, vt qui imponit,semper ægri collimet caput, vt nempe per corpus Clystere caput petere sibi videatur,ita recto tramite, ad intestinorum cauum infusionem proiiciet. Initio sensim infundat : nam impetu si iniiciatur, flatus sursum pellit: hinc tormina. Æger ore sit hianti, id laxat abdominis musculos. In figuram se curuet semilunarem, ac in dextrum latus decumbat : nam ita alluet ac rigabit omnia intestina. Accepto clystere supinus aliquamdiu iaceat, mox in latus si quod dolet, se vertat. Antiqui supinis imponebant,adductis cruribus,vt notat Æginera lib.6 cap. 78.


Quando. Tempus : longè à pastu, ne chylum ventriculo vnà eripiat. Et vt monuit Æginera lib.1. cap. 44. His assiduè non vtendum, ne his assueta natura officij sui immemor reddatur.

VTILITAS.


Nulla corporis pars est quæ vtilitatem à Clystere ritè dato non sentiat:quoque aluo vicinior fuerit, manifestiùs ab his recreatur.vt vterus, vesica, mesenterium, renes,lien,& ob rectitudinem caput conseeutione quadam rangitur. Clysterum varietatem maximam apud veteres (vnde & iam doctioribus petere licet)scribit Oribasius,Collectaneorum lib. 8. cap. 24. ex sententia doctissimi medici ac antiquissimi Rufi, & Lyci, & Mnesithei. Hinc petant,qui antiquam medicinã amant, in omnem morborum varietatem. Ita ad diuersos affectus serie quadam hos describunt Andernacus, Rondeletius & Weckerus:& iniectiones in vterum, & vesicam. Sed nos Methodi legem violare hic nolumus : sed quæ partibus dicanda, his, illa dabimus, vbi, Sanctus Deo annuente, de morbis in singulis partibus scribemus.

CLYSTERIS CHARACTER, VT QVIS IPSI SIBI LIQVOREM infundat.

Si quis sæpius vti Clysmate velit,instar syringis paruum instrumentum emat, capax quatuor vel quinque vnciarum:id sibi quisque facilè imperet.



Alius per æstuarium.



Alius per vesicam.

A Ex Corio tenui attamen solidissimo, characterem mentiatur intestini crassioris : fabricetur ad ideam eius longanonis, quo vinum migrarè cogitur integris cadis follibus impulsum. Ea fit amplitudine qua liquoris sesquilibram excipiat.

B Verticulum ligneum, quo volutamus annexum corium.

C Annulus ligneus, latus tres digitos, cui verticulum incumbit, vt tutò voluatur.

D Fistula ex vno ligno facta, cui corium annectitur, cùm vsus postulat, loris.

E Fibulæ. his corrigiæ traiiciendæ, vt loco stabili reuincta fistula firmari, contineríque possit, ne vnà vertatur, cùm volutamus corium A.

F Sedi hæc fistula immittenda.

Alius.

α Æstuarium, quod mulieres pedibus subiiciunt.

β Foramen quod peruadit Clysteris fistula, vt leniter diductis natibus inseratur.

γ Clyster qui terræ impositus, natibus premitur, & ab æstuario compressus exprimitur.

Fieri itidem poterit ex corio, ad ideam chartaceæ lanternæ, quam plicis pueri per hyemem fabricari solent. Sidit enim in se facilè, & commodè exprimitur, varia illa plicatura, dum ano premitur. Alias multas formas enarrat Arculanus, in praxi sua, vbi de curâ colici ventosi.

DECOCTA APOZEMATA, *id est, feruefacta, quòd in illo liquore inferbuere herbæ.* & SERAPIA. *Potiones. Macerationes, seu infusiones, quas Diluta Latini, Græci ἀπόβρεγματα: & emulsiones.*

VEteres mulsæ, remedia incoquebant, ac ius dabant vice apozematum. Quanquam apud Græcos Nicol. Myrepsus sect. 19. plurima decocta descripserit. At syruporum compositioni oxymel occasionem dedisse videtur; mox enim Arabes oxysacchar effinxere: Etenim oxymelitis vsus & ante Hippocratis ætatem notus fuisse videtur. quo etiam ad febres acutas vtitur Galenus.

Præscribũtur, vt partes in pristinã temperiem, à qua abierant, reuocentur: aut vt præparent ante purgationem humores, qui ità faciliùs cedunt pharmaco trahenti, & naturæ expellenti. Nec ab hac lege abeunt Hipp. 2. Aphor. 9. & Galenus eo libro quem ad philosophum Glauconem scripsit primo, in tertiana notha absinthio abstinere iubet ante septimum diem elapsum. Sed eodem modo & nos decoctis ac syrupis (vt ad edomandam ferocium vim iulapiis) crassos humores attenuabimus, lentos incidemus, ac viscidos abstergebimus: vt his subsidiis naturæ excitetur vis, obstructa liberentur; materiaque præparetur, ac corpus reddatur εὔπορον, id est, meabile, ne fiat via vi, sed vt sine offensione partium, placidè inoffensoque cursu, humor ad exclusionem feratur, ægrique ferant alacriter. Hæc vt in vsum trahantur, optimè elucet in historia curationis febris cottidianæ: ac capite De præparantibus remediis, huius operis libro secundo, quibus bilis, pituita, &c. ad exclusionem parentur, latè prosequemur. Vsus.

QVALITAS.

Decoctiones propriè sunt, cùm radices, folia, semina, flores, aromata, ligna, fructus, vel quodcunque coquitur in aqua simplici, aut liquoribus distillatis, vel vino, mulsa &c.

Interdum his decoctis vini aliquid, vel aceti additur vt promptiùs res coctæ sese in habitum corporis traiiciant, efficaciusque contumaciorem materiam tenuent, ac edoment, vimque medicatam ebibitam partibus corporis insinuent.

QVANTITAS.

Fit hæc decoctio sæpè ad libram vnam, vel sesquilibram, vt ter vel quater æger ex his bibat. Augetur aquæ copia cum duriores res (vt radices) ampliorem coctionem efflagitant; aut cùm infusis, maceratisque diutius remediis, plurimũ decocti euanescit in auras. Quare sæpè hæc iudicio pharmacopolæ relinquunt medici: & nulla ascripta aquæ copia, dicunt q.s. hoc est, quantum sufficit. fructus induntur ad alterandum par. iiij. vel v. ad laxandum, copiosiùs xx. Flores imponuntur à p. j. ad p. iij. herbæ ad M. iiij. semina ad drachmas sex: radices, ad sescunciam.

Recentes, succique plenæ herbæ, ac radices, ex quadruplo liquore coquuntur, dum ad tertias redeat. vt aquæ libræ tres, ad duarum exhaustionem: vel mediæ partis consumptionem.

Sicca verò ex sextuplo madore, dum in quadrantem vanescat: vt vna libra siccarum, ex sex humoris libris, dum restibilis fit sesquilibra, coquatur: ita integrè vires prolectabit liquor.

Verùm hæc coctionis immota constansque sit lex.

Quodque remedium coquendum hactenus, dum vim omnẽ exuat ac in liquorẽ ponat, nec perdat eam liquor.

Radices imponantur ab ℥ j. ad ℥ ij. vel iij. (maximè si vrina, aut sudor mouendus) vt nempe pro multis vicibus paratur remedium. Etenim pro vna exhibitione à ʒ iij. ad ℥ j. iniiciantur, vt vis earum fuerit. In purgantibus sufficit ℥. s. aperientium: ne ad vrinas abeant, nec aceto aut vino macerentur siccæ radices, vt Iridis & Helénij ad ʒ iij. A buglossi radice abstine, ob lentorem.

MODVS.

Denum talis decoctio colatur interdum leniter, interdum forti expressione: & modò multùm coquitur, flagrantique igne; modò mitiùs, vt res coquendę postulant: nam herbæ tenuioris substantiæ ad quartæ partis (nempe liquoris cui incoquuntur) consumptionem elixandæ, ne viuida tenuísque herbarum viseuanescat.

Talis tum liquor à practicis decoctio vocatur: Hæc clara redditur remixto (dum spumescit) albo oui vno, ad libras duas liquoris: ac scopulis vnà miscetur, id visci in motem secum educit spumam. Hoc fiat dum plurimum feruet coctio.

Primò coquuntur radices, dein imponuntur folia & semina, hinc fructus, tandem flores & aromata; nam eorum vis facilè tenues abit in auras nimia coctione: ita piper inspergi solet remediis, & cibis; non coqui. Et hoc est secundùm artem coquere. Viscosa, vt lini, & fœnigræci semen linteo immitte.

MODVS VTENDI.

Tandem dulcorantur saccharo, vel syrupi adduntur: libræ decocti, vncias tres ferè syruporum adiicimus: aut succum aliquem addimus: citreorum malorum, aurantiorum, granatorum, vel herbæ alicuius. Demum sępe aroma afflatur ex cinnamomi drachma, vel scriptulis duobus santalorum alborum, nucísve myristicæ.

CAVTIO.

Non est perpetuandus apozematum purgantium vsus per febres: nam vires eneruant. Diureticum in feminibus frigidis maximè concedit in corticibus: nam medulla humectat & nutrit.

Obseruatio de diureticis.

Exemplum in febribus.

℞. cichorei cum rad. acetosæ, endiuiæ ana M.j. sem. 4. frig. maj. ℥ s. rad. graminis, asparagi, maceratarum in aceto ana ℥iij fi. decoctio ex aqua, ad lib.j. Colaturæ claræ adde sacchari albi, succi aurantiorum, vel granatorum, aut syrupi de acredine citreorum ana ℥iij. vel in fine decoctionis, adde aceti acerrimi, & mellis optimè despumati ana ℥iij (nam ita vim oxymelitis bibet) fi. apozema clarum. quod atoma trahat ex santal. alborum ℈ij. Vbi bilis in vitio est, (vt in tertianis febribus) ville istud remedium. Varias formas caput De præparantibus remediis narrabit.

Mel decoctis addimus, ad pituitæ abstersionem, aut cùm thoracis regio pituita madet, cerebrúmve frigore torpet. Mel enim attenuat, calfacit, & expectoratum promouet vberiùs quàm saccharum. Hinc syrupos de arthemisia & stœchade ex melle composuere veteres. Ego vbi pituita domanda, cùm decoctio ad finem venit, misceo mellis & aceti ℥iij. cuiusque.

Sapa additur cùm à catarrhis metus est; minus enim acredinis gerit quàm mel, ac stringendi quadam vi valet: hinc Galenus ad defluxus parat diacodium ex sapa.

SYRVPI *quasi Syriaopoi, vt Hermolao videtur. Græcis recentioribus σιράπιον dicitur, aliis ζυλάπιον.*

Miscentur hi decoctis, vel vt gratiam sapori concilient, aut à corruptione vt vindicent cocta remedia: Hinc succeis plus sacchari damus quàm decoctis; quòd cùm efficaciores sint, faciliùs putrescant.

Fabrica.

Ita syrupus de boragine, æquam ferè partem sacchari postulat: at dum excoquitur syrupus de acredine citreorum, quia sapor eius acrior, ac vehementi vi præditus, ad sesquilibram succi, remiscent libras tres sacchari. Accipe optimam partem optimi sacchari cribro excretam, hanc cum succis acidis (vt citreorum, acetosæ & taliom) misce sine vlla coctione. Nam quod fidit, in crystallinum saccharum abit, eisdem vsibus reddendum. Quod verò superatat, est syrupus suauissimus. Verùm qui syrupi ex infusis fiunt herbis, æquali parte sacchari contenti sunt, vt syr. fl. nymphææ: syr. ex multis infusionibus rosarum vel violarum.

℞. infusi lb.j. ß. sacchari lib.ij. hæc iungantur: coque ad consistentiam syrupi. Coque hordeum mundatum, ac primum decoctum abiice. Secundum albet, huic iniice molas contusas, ac macera sine igne, & exprime. Colaturæ adde sacchari optimè púluerisati ad pondus violarum. Cùm liquescit saccharum sine vlla coctione, effunde sensim liquorem. In reliquis syrupis ne in Crystallum abeat saccharum, dum coquantur adiice cochlearium mellis. Vt verò toto anno tibi sit syrupus violarum recens, ita ages. Verno tempore ex floribus violarum facies conseruam cum pauco saccharo. Vsus tempore accipe aliud saccharum, quod coques ex aqua ad consistentiam syrupi: dum calet adde conseruam dictam, atque ita calentem exprime.

Vnde.


Fiunt hæc apozemata, decocta, & syrupi, vel ex vna æqualique vi præditis rebus, (qui non malè simplices dici possunt) vt ex scariola, endiuia, cichoreo, taraxico, acetosa & similibus: vel varia potentia valentibus, (qui compositi vocari possent) his vtimur in affectibus implicitis, maximè toto euacuato, febribus morbisque declinantibus, vt cum syrupo Byzantino, syrupo de 5. radicibus. Interdum cùm partim aluum, vrinásque mouere volumus, partim præparare, vt in febribus longis cottidianis, vbi non expectatur subita excretio, naturæ vi etiam moliente, tunc ficus decoctis addimus ac passulas copiosius, carthami semen, agaricum recenter trochiscatum. nam in his vt sunt gradus coctionis, ita & purgationis esse debent. Sin bilis vitium fecit, miscemus pruna, tamarindos, syr. rosarum solutiuum, syr. de cichoreo cum rhabarbaro: si melancholia, polypodium, senam, epithymum, cassiam incoquimus s. a.

Obseruatio.

Vbi diu contumax materia præparanda erit, ne perpetuis purgationibus fatiscant ægri, præstat vel paruam copiam parari laxantis decocti, vel tertiam partem decocti purgantibus imbuere, vt tertio vel quarto diè (cum præparanti indulgeat interiectis diebus) excludatur morbifica materia. Aut io puppa ligentur euacuantia medicamina, vt opportunè mergi possent decocto. ℞. fol. senæ mund. ℥iij. rhab. opt. pul. ℨj. s. vel agarici, rec. trochis. ℨj. zinzib. ℈j. vel cinnamom. ℨ.j. s. misce illigata tenui linteo. tertio die cyatho decocti impendeant tota nocte, manè fi. expressio.

Vt integra herbarum vis in liquorem transeat, commodè in duplici vase coctio celebratur. Herbæ minutim concisæ poculo angusti oris induntur, liquoris quantum velis additur (vt vim valentem eliquare velis) nam adustionis hîc nullus est metus: fermento vesica vel membrana excepto, obthuratur: vasi aquæ pleno imponitur, diúque coquitur. Ita Galenus in Methodo medendi ceratum suum coxit refrigerans.

VAS vt firmandum ne media in aqua bullicote fluctuet.



A Notat poculum.

B Lamina plumbea cui poculum insidet.

C Funiculos traductos, qui laminæ affigunt poculum.

D Annuli alligati poculo funiculo: ad quos traiecta reuinciuntur lora, ne coctione fluctuet vas.

Cùm itaque crassum syrupum coquere velis, maior

Syrupum vis sanas.

vis sacchari, vt iam diximus, ac coctiunis hunc efficiet: eo enim fine coquuntur, vt diu seruari à situ & squalore possint, vt delitiis his æstiuis, in hybernis morbis fruamor. Fiunt ex succis, & decoctis claris, & vtinam ex aquis rectè exstillatis. Coquitur dum extracta gutta, aërique frigido exposita non effluat: nam vix sextantem liquoris à coctione retinet.

Sin vis succorum coctione exuatur nimium, in librâ vna puri sacchari, selibra succi sensim eliquescat, ac coquatur; vt integra facultas transferatur in saccharum: ac soli exponatur; id situm arcet. Ne autem syruporom substantia, in canditum saccharum longa coctione abeat, id cauebimus mixto quadrante mellis. Mel non tanta coctione ad perennitatem eget.

[Obserua.] Obseruetur illud, quòd illa facultas quæ in crassiore materia inhæret, tutius euocatur coctione, atque in ius ipsum transfertur: at quæ consistit in tenui materia, tota plerumque dispergitur, & exolescit ebullitionis calore. Et qui medicinam faciunt, cùm decocta cottidie hyeme ac æstate ægris describant, illud semper cogitent, facultatem refrigerandi, humectandi, emolliendi ac laxandi in solis virentibus, & liquore madentibus inueniri: non àrida plãtago refrigerat, nec siccata maluà liquidò humectat. Verùm calida vi prædita, siccantia, attenuantia, astringentia, detergentia, sæpe ariditate acquntur, exhausta vi aquosa ac crudiore. Hæc ex mulsa sunt coquenda: nam aqua obtundit potentiam calidorum, & attenuantium, nec auidè eliquat vim rerum calidarum; longiùs enim recessit à rerum calidarum temperie. quare necessum fuit, vt liquorum cui incoquentur, medism quandam facultatem obtineat, inter aquam & ea quæ incoquuntur: talis est mulsa ad aquam collata, ac herbas calidas. idem de infusis censendum.

CAVTIONES.

Cocto apozemate, non ilico vtemur; sed perseuerent tepido in liquore res coctæ, horis quinque, vel sex: & priusquam in algorem veniant, traducendus liquor.

[De aqua.] Plurimis in morbis coctiones ex Aqua fiunt, sine qua d. Columella 1. lib. 3. nemo nostrum vel prosperæ, vel aduersæ valetudinis vitam proroget. dicitur quasi à qoa fiunt omnia. Quare plurimum refert ex qua aqua remedia coquantur. Gal. κατὰ τόπ pluuiam aliis prætulit, vbi Diacodij comp. docet.

Aqua eligatur leuissima, vbi aperiendũ attenuãdúmve est. Leuissima aqua agnoscitur, si in ea faciliùs carnes, pisces vel herbæ elixẽtur quã in alia. vel vt d. Hipp. quæ citò calescit, & refrigeratur. Primæ bonitatis est aqua Sole cocta, quæ imbribus æstiuis decidit, leuissima, dulcissima, tenuissima, splendidissima. Hæc enim est meabilis, saporis expers, nec hypochondria grauat, aut cunctando bilescit, estque lympidissima; Hæc præ cæteris eligenda. Hinc Hippoc. lib. 3. De Morbis in fine d. ὕδωρ ὑγιαίνειν ἀυτὸ καθ' αὑτό. Aliæ plouiæ aquæ sæpe astringendi vim sortiuntur, quam ex aqua marina earum parente, aut terrena substantia vnà nubibus elatæ contraxerunt. Hinc Medici eam coquunt, vt inquinamenta expirent. Attamen moderatè coquendæ, maximè si affectus calidus coi dicantur, fuerit. Nam dicit Oribas. lib. 4. Collect. 1. Aqua per se cocta diutiùs, magis seipsa salsa redditur. Absit aqua hordei non rectè cocta, nam cruditatibus & flatibus ventriculo bellum indixit. nec antiquioribus ea nota. Aqua niuis tenuis est: nam à modestissimo calore, brumâ, in sublime rapta, non putrescit facilè. Et respondere videtur aquæ à balneo distillatæ. Sed pessimæ sunt quæ per tubulos plumbeos decidunt, vt dicemus capite de Iulepo.

Secunda serie est fontana; quam fluuiatili anteponit Actuarios lib. De spiritibus animal. & Cornel. Celsus, quanquam Aëtius 1. 3. 165. Nili aquam aliis omnibus prætulisse videatur.

Tertio loco sunt Aquæ fluuiatiles; hæ crudæ ferè sunt, limosæ, ac cloacis fœdæ.

Quarto ordine, puteorum, crudæ, ac duræ, auerso sole oatæ, eiusque vi spoliatæ: Nisi, dicit Actuarius, putei assiduè haustione agitentur.

Agnoscatur vt optima aqua, qui veterum auctoritatem velit, legat Palladium in eius Augusto, c. 20. & De re rustica 1. lib. 4. Oribasium collectorum 5. lib. 1. qui pulcherrima quædam ex Rufo philologis omnibus notanda exscribit, ac ex Diocle & Athenæo, quorum scriptis caremus, enarrat. Aëtium Tettabiblij primo; Sermone tertio, c. 165. & Hipp. De aëre & aquis librum.

[Cautio in potibus.] Cauendum ne hiera picra in potibus detur, ob nimium amarorem, quo plus fastidij adfert quàm vacuationis: & ægri putant se vehementia pharmaca potare, quibus vix equos pares existimant, nec quicquam materiæ fœdioris abducere.

[Cautio in longis M.] In longis morbis à diuturno apozematum vsu, eliquata pituita crassa, sæpe fit hydrops: id vt caueamus, labente trahenteque se morbo, tandem sumat quid trochiscorum absinthij, vel trochiscorum de eupatorio, vel capparorum, aut de rosis sine scammonio: vt ℞. Trochiscorum absinthij ℈ij. cum melle rosato; fiant pilulæ duæ, sumat; ac ilico superbibat decoctum.

[Vsus.] Oxymel & syrupi dantur à ʒvj. & ad ℥iij. cum dupla copia liquoris: syrupus papaueris ad ℥j. vel ij. in magna necessitate, cum æquali copia aquæ lactucæ, nenupharis, violarum.

Succi præstant syrupis. Arabum inuentum est syrupus, quò perennent vires succorum. Hæc apozemata viscerum quidem impedimenta eximunt, & vrinam euocant, non tamen ad cutim properant, quod maximè in febribus requiritur.

Hoc autem facit hydromel, oxymel, & vinum, pro vehiculo, in aqua cocta cum sacchato: nam oblectatione, naturæ altiùs vires inferunt. Oxymiliti addi potest saccharum, hydrosaccharum, aut mulsa, quæ fieri poterit ex aqua cichorei, &c. Vel aqua endiuiæ coquatur cum sacchâro, vbi vsus hydromelitis, vel oxymelitis est suspectus; adde tantillum aceti.

POTIONES.

Potio hodie à medicis dicitur Medicamen crassum; quod potando sorbetur. Quanquam veteres quoque liquidissima remedia ità vocârint, vt Oribasius 5. Collect. 31. & Ægin. 7. lib. 15. Iam crassitiem ducunt ex pulueribus, vt Diacatholicum.

VSVS.

Materia morbifica præparata ad exclusionem, corporeque meabili ac libero, purgantes potiones dantur. Hæ latiùs se per corporis œconomiam fundunt, quod pilulis negatum fuit. Hinc valida pharmaca pilulis potiùs includuntur, ne valida eorum vis neruos feriat, conuulsionesque accersat.

Fiunt interdum ex àquis distillatis, quæ in potum fundit crassum pharmacum. Hæc autem maceratio, seu infusio, quam etiã nouit Gal. 8. κατὰ τόπ. 10. & 1. ad Glauc. 11. & eo antiquior Damocrates, vbi deiectio molienda, distillatis etiam præfertur: nam distillatio absumit calidiores & tenuiores partes, quibus inhabitat vis purgatrix. Omnia enim coctione exuunt tractionẽ purgatoriam. Quare in tenellulis remediis purgatoriis, diluto nil melius. Ita rosarum aqua non purgat; syrupus purgat.

[Purgans bilem & phlegma.] Vt ℞. rhabarb. ʒj. ſ. agarici recenter trochiscati ℈ij. cinnamomi ℈j. zingiberis ℈. ſ. (ad correctionem pharmacorum) aquæ endiuiæ ℥ij. vini (nam id tenuat & extrahit, eliquatque vim pharmacorum) ℥j. ſ. infundantur huic liquori pharmaca dicta; totaque nocte macerentur: manè expressioni colatæ, adde cassiæ, vel electarij lenitiui, vel diacatholici, vel diaphœnici ℥ ſ. syrupi rosati solutiui, vel violati, vel capill. Veneris ʒvj. (nam leniunt & grati sunt) misce; fi. haustus. Vbi bilis & pituita vitium fecere, [illegible] ea excludit. Nonnunquam ex apozemate (interdum & oxymelite) pharmaca hæc dantur.

[Roborantes.] Interdum præscribũtur potiones ad robur afflandum

visceribus, quorum officio vita carere nequit, & vt spiritus tenuati recreentur: vel ad somnum prouocandum, dolorem leniendum, calculumque extrudendum, & ad venena, & ad menses &c.

Vt ad Cor.

℞. Diarrhodonis abbatis ʒj. confectionis alchermes ℈j. aquæ melissæ, boraginis añ ℥j. syrupi de corticibus citreorum ʒ vj. misce.

Ad Dolorem.

℞. Philonij Romani ʒ ß. aquæ lactucæ ℥j. syrupi papaueris ʒvj. misce.

QVANTITAS.

Vix vncias tres superabit copia, ægris ingratæ cùm sint potiones: ℞. catholici ℥j. decocti laxatiui q. s. vt fi. haustus. Formulas plurimas ponemus lib. de purgantib.

CAVTIO.

A nausea metus est inter potandum: quare vt grauem odorem quem spirant, eludas: ex cyatho bibantur adducti oris, ac linteo aceto madenti os cyathi inuoluatur, quò nares recreet acetum. Epoto pharmaco mox eluat os oxycrato: Et ne euomat, parum ptisanæ vel cereuisiæ ingerat, vel tragematum vis os perfundat, vt medicatam vim stomacho abstergeat: ita Hippocrates suasit libro De vict. rat. acut. Calidam, non tepidâ bibat.

INFVSIO.

¶ Fit cùm infunduntur pharmaca (contusa, in puluerem versa, vel solida) in aliquo liquore, vt aqua vel vino, sine vlla decoctione: quæ macerantur per aliquod tempus. Tum liquor colatus dicitur Infusio.

Vt ℞. Agaricum, vel rhabarbarum, aut folia senæ (vt materia morbifica fuerit) infunde in aquam vitæ per aliquot dies: sumant aquæ eius cochlear vnum, aut alterum.

VTILITAS.

Nam aqua vitæ sese tralicitns, omnes vires rerum elicit; etenim imis & in fœdibus sese rerum insinuans tenuat, & eliquat cõbinata concretáq; & in se effundit.

Elegans. Ita noua eleganríque ratione, ex aromatibus, viuida illa fragrantia in aquam vitæ educitur: quæ miram vim (frigidis in morbis) obtinet ad spirituum instaurationem. Ego id remedium labore mihi emptum, ad hominum vtilitatem lubenter profero.

℞. Cinnamomi ℥j. s. zinziberis albi, ʒiij. caryophyllorum, nucis moscatæ añ ʒ. ß. granorum paradisi ℈ ij. piperis ℈j. puluerisentur crassiusculè, ac macerentur in semilibra aquæ vitæ, probéque obthurato vase, luto ex farina & aqua, fiat infusio dies sex: ac in cella vinaria interim ponatur, & cottidie bis concutiatur, vt se motu variè res mixtæ feriant.

Guttulæ aliquot huius liquoris remixtæ cyatho vini, Hippocraticum vinum ilico præbent. Ita paruo labore, infusione hac efficacius elicitur remedium, quàm id, quod mille distillationibus, anxiis animis ac manibus prolectarut. Etenim talem vim habet aquæ vitæ, eumque vsum in Infusione, vt quidquid infuderis medicaminis, eius vim ebibat ac reddat: vt ita commodè vti liceat rerum libratis viribus. hinc Chemici quidam Cœlum philosophorum hanc nominatunt, quòd rerum cunctarum potentias in se rapiat.

Vini hic vis. Vinum quoque album tenue, fedicula optima virium trahendarum: ita & Hippocrates olim dedit vinum tedæ, lib. ... Est enim vinum gratus iucundus eiusque delator ad partes corporis homani minimas: nam obuiis quasi vlnis mira voluptate excipitur, absque vllo horrore aut metu, vberrimè ex plurimis vtilissimisque rebus, vt vina componantur, prosequitur Mizaldus in Medicis artificiis.

Nouum de infusis. Noua attamen salutari ratione, infunduntur & herbæ in febribus, vbi obstructio premit: nã faciliùs quàm decocta, aut distillata, peruadunt in venas. Hæc autem infusio est duplex. Vna, cùm infunduntur in aquam feruentem, ilicoque vas occluditur, ac cineribus tepentibus aut furfuribus imponimus, vt calorem non exoat aqua. postquam aqua vim cepit herbarum, fit expressio: vt in febribus ardentibus. ℞. foliorum endiuiæ, acetosæ, buglossi, añ p. j. aquæ hordei q. s. fiat infusio, & facta diligenti expressione, huius ℞. ℥. iiij. & syrupi alicuius, vt de acredine citreorum ℥j.

Altera, cùm infundimus in aquam non feruentem, & noctu detinentur in aqua, hæc infusio non ita validè sorbet herbarum vires, vt prima. nam eo modo Gal. non veretur (lib. 1. ad Glauc.) vti petroselino in tertiana febre: quamuis immeritò ab Alex. Trallíano (qui non animaduertit eum infuso leniter tincto vti) reprehensus fuerit.

Itaque Aqua simplex vel distillata infundendis rebus erit pro vehiculo; & quoque hydromel in frigidis morbis, & mel & oleum vim herbarum ebibere potetunt: nam siccarum in pulueres redactarum terum vim intra tertium diem eliciunt. Et in sero lactis fit quoque infusio, vt fumi terræ, foliorum senæ, epithymi &c.

CAVTIO.

Blando tepore transfundantur, ita vires bibent commodiùs.

Infusio vim longè efficaciorem euocat ro quemuis humorem, quàm decoctio: nec abiicit in auram tenuem remediorum vim, quod miti tepore fiat.

IVLEP, ..., *quasi violarum infusio.*

Græci Zulapia: Iulepa hodie, inquit Actuarius, barbata voce vocamus. Eadem ferè quæ Græcis ...

Ad calorem. Fiunt iam ex aquis distillatis, remixtis syrupis; vt libra aquæ excipiat ferè tres vncias syruporum: vt in calore flagrante: ℞ aquæ cichorei, aquæ endiuiæ, añ lib. ß. syrupi de acredine citreorum ℥iij. & vt gratius fiat, addo guttulas aliquot olei vitrioli: nam gratissimo acore, id commendat ægris medicamen: adeò vt volentes voluptate quadam eo fruantur. Quidam aroma afflant cum ʒ. s. santalorum. Eodem modo in aliis morbis, ex aliis liquoribus ac syrupis scribuntur, vt ex aqua cardui benedicti &c. Cichoreum vel endiuia plurimæque tales herbæ contusæ macerantur in balneo dies quatuordecim. Dein distillantur. Huic aquæ iniiciuntur flores cichorei, ac Soli expone. Cùm lubet adiecto saccharo in iolabium coquitur.

Elegans. At iam in Italia nitidissimum Iulepum componitur, quod tamen nec omnibus his notum habetur, qui autem norunt, magnam inde pecuniam faciunt: cùm ob æstus flagrantiam, qua corpora ibi torreatur, sanis & ægris exoptata sit huius amœnitas. Fit hoc modo:

℞. aquæ limpidissimæ, sacchari optimi ana: quæque libra aquæ, accipiat albumen oui recentissimi, vehementerque quatiantur; hinc affunde, saccharum. lentoque igne coquantur, vt tota spuma euomatur; & abiiciatur. Deinde bis térve per filtrum traiiciatur: hinc iterum coquatur, dum cereuisiæ Gedanæ crassitudinem referat. aqua autem hæc primò accipit vim rosarum ex frequenti infusione, vel quarumcunque herbarum vim bibit: Existimo, si rosæ ante secundam tandem coctionem infunderentur zulapio, quòd minùs auræ cederet earum vis. Ad ℥ij. huius Iulepi remiscent aquæ limpidissimæ ℥iiij. grata venere non sine gratiis hauritur. potetit etiam ex aquis componi, vt aquæ buglossi, & sacchari libra, coque dum spumant, & santali lutei drachma imbuatur. Aliud, aquæ rosarum, sesquilibra: sacchari, libra; oui albo perpurgentur, & ad fonnam Iolebi coquatur. Accipe huius vnciam: aquæ optimæ, vncias quatuor. misce. Gratissimum remedium æstuosis febribus: sitim restinguit. Franciscus Galliæ rex eo vtebatur.

Si ad affectus scribatur frigidos ex melle licebit loco sacchari componere, ac cinnamomi ℈ij. tingere.

VSVS.

Ad indomitorum humorum ferociam placandam, & cùm partes humani corporis, rapidi potentia æstus flagrant, non sine gratiis (quæ in hoc medicamine

mine ob suauem eius vsum, omnes manus lauisse videntur) imperantur.

CAVTIO.

De aqua disil. Cauendum ex sententia Vitruuij 8. lib. 7. ab aquis eliquatis instrumentis plumbeis, etenim ex plumbo cerussa nascitur; hæc nocet corporibus humanis, reliqua pulchra ille. Et Galenus 7. lib. κατ. τόπ. in Diacodij compositione d. quia recrementa plumbi trahentes secum aquæ, dysenteriam inducunt. Hinc Gal. lib. 1. De Antidotis, vasa stannea fugiebat, pro pharmacorum conseruatione; quòd sciret stannum plumbo adulterari, ab eoque vim quandam perniciosam immitti reformidaret. Quare nec Medici iam eas in vsum vocare debent.

Iulapium, quod verè Iulapium dicitur, magis coquitur, quàm syrupus. nam in libra Iulepi remanet tantùm vncia liquoris incocti: in syrupi libra, vnciæ duæ. quadrupla aquæ copia datur Iulepo; Syrupis, dupla.

SVCCI, SAPA; ROB.

Valentiores sunt decoctis. fiunt ex herbis, floribus, seminibus, fructibusque. Extunduntur, ac à maceratione bidui aut tridui exprimuntur efficaci satis vi: est enim velut sanguis plantæ sincerus.

Quæ lentum restagnantemque liquorem gerunt (vt portulaca, borago) ignis tepore eliquata, in balneu maris faciliùs sese effundunt, pressioneque diffluunt.

Succus recentissimus, est efficacissimus, vtpote crassissimus: argumento est pharmacum defæcatius, quod quo purius, hoc lenius.

Tutela. Ad diuturnitatem Succorum facit, cùm expressi tepida aura, vini more, æstu deferbent: ita namque ad potus & syrupos securiùs reconduntur.

Vt succus citreorum, limonum, aurantiorum, cydoniorum, malorum, pyrorum, ribes, cerasiorum, berberis.

Vinum ex ribes. Ribes baccas inde ollæ, quam linteo tege, Soli expone, cochleari sensim supernatantem succum excipe, ac phiala reconde. Vsus eius: accipe endiuiam & acetosam, eas coque ex aqua quā cū tribus vnciis huius succi, Cinnamomi scriptulo, & specierū diamargariti frigidi semidrachma, traiice per manicam.

Herbarum succus, in vsum præsentem despumatur lento igne; ouique albo clarus redditur, sæpiusque colatus, cum sacchalo bibitur.

Succus acetosæ & limonum optimè clarificantur vt seruari possint, vt cum velis ex bis syrupus fiat: Si his expressis, libræ eorum addas cochlearium lactis acidi, & per manicam traiicias, ac sacharum depuratum adieceris. Nam albumen oui non rectè clarificat hos succos, quia se illis miscet: at lac acidum coagulat. Accipies duas partes sacchari, & tres succi.

CAVTIO.

Vt diu perdurent, phiala angusta excipiuntur; oleum superfundatur, vt spacium æquet duorum digitorum: ita perennant.

Quædam parua coctione, & residentia purgantur ante repositionem; vt serum exhalet.

Est & alia ratio qua indurantur succi: qui concreti reponuntur in varios vsus. Ilicò ab expressione leni foco coquuntur, dū obdurescant; vt Rob ex ribes, citoniorum miua, sapa, Græcis σιραῖον & ἕψημα. Rob Arabibus: Rob de ribes. Accipe succi quantum capit poculum vini: adde sacchari sesquilibram. coque lento igne ad miuæ muccaginem.

Sapa ex quàm recentissimo fit musto ad tertias cocto, quod & mellis crassitudinem superat. Si dulcore deposito mustum coquatur, nunquam vertetur in sapam, sed in defrutum. Ita & alij succi coquuntur, vt prunorum cum, vel absque saccharo, & pomorum &c. Defrutum, Robus Arabicus dicitur, Succago Latinis, Græcis ἀπόχυμα. *Rob.* Sapa Rob accipit duas partes mellis vel sacchari, ad vnam succorum: coquitur ad spissitudinem.

Aut insolatu concrescunt, vt mororum succus, acacia, elaterium, scammonium: ita & antiqui omphacium parabant: vt scribit Dioscorid. v lib. IIII.

Hac arte hoc æuo pharmacum efficax componi poterit ex succo tithymali, vel lathyridis, puluer senatum remixto, ad consistentiam edulij sinapios. Soli diurno ac flagranti expone; siccata in pulerem verte, speciebusque committe hieræ picræ simplicis, iterumque succo asperge, ac denuò sicca: posset addi & succus sambuci: Tandem cum syrupo rosato fiat massa. *Nouum.*

Noua arte viuacior vis succorum iam eliquatur. ἐκχυλώματα, extracta vocant. *Ecrisset.*

Macerantur remedia ex aqua vitæ, vel alio liquore, dum duos digitos incisis rebus supereminea; occlusa macerantur. in balneo vel sole, vel igne, aut fimo equino, exprimuntur; & recentes herbæ eidem liquori eadem historia infunduntur, idque vt lubet sæpius. Hinc separatur vinum distillatione, dum in fundo mellea crassities resideat. Aliquando cineribus relictis terris, exhaustus liquor sæpius affunditur, iterumque maceratur ac distillatur: inde & salem, & oleum eliciunt.

CAVTIO.

In his sint herbæ modicè siccatæ.

Si res sit pretij magni, sæpius infunde, dum nil amplius effundat coloris, vt Rhabarbarum, cinnamomum: simulque mixtis liquoribus, tandem exstillatur vinum: si relictum crassamentum vinum redoleat, affuso liquore alio, ac exstillato, eluitur ac abstergetur.

Chalybs lima tritus soluitur in vino dulci. Argentum soluitur in aqua rosata cum melle. Cætera vide capite De Ecchylomatibus libri secundi cap. 25. vbi Ecchylosis Hologogum.

EMVLSIONES, & MVCCAGINES.

Attritu seminum, ac fructuum, affuso inter terendum liquore (ne pinguescant) substantia eorum funditur: mox colatur ac exprimitur. Ad renes & vesicam, accipe seminum frigidorum maiorum, vncias duas: seminis papaueris, semunciam: seminis lactucæ, drachmam: amygdalorum dul. vnciam: contundantur in mortario lapideo ex decocto glycyrrhizæ: colentur ad sesquilibram: addi potest syrupus violatus, adianthi. *Dolor renum & vesica.*

Ita in febribus ad somnum conciliandum, ac refrigerandum: vtque ardor renum, vrinæve acrimonia temperetur; lac amygdalinum præscribitur, hoc modo:

Lac amygdalinum quo omnes hodie vtuntur.

℞. amygdalarum dulcium à cuticula purgatarum (quod facilè fit iniectis his tepido liquori) ℥ ij. quatuor sem. frigidorum maiorum recentium, mundatorum añ ʒ ij. seminis lactucæ & papaueris albi, añ ʒ ij. simul contundātur in mortario marmoreo, sensim affusa aquæ coctę, ac frigidæ lib. j. vel aquæ hordei, vel glycyrrhizæ.

Vel cum hordeato ita.

℞. hordei mundati ℥ j. coque ex sesquilibra aquæ, dum in pulticulam vertatur; mox traiice per setaceum; hinc adde emulsionis 4 seminum frigidorum maiorum, sem. papaueris albi ana ʒ j. cum ℥ iij. aquæ hordei fiat emulsio; adde syrupi de papauere, sacchari albi ana ℥ j. fi. hordeatum. *Hordeatum.*

Accipe hordei mundati cocti dum crepet vncias tres, amygdalorum infusorum in aqua rosatum vncias duas, seminum melonum & papaueris albi cuiusque drachmam: fiat emulsio in aqua hordei ad semilibram: Cui adde iulepij rosati vnciam: misce. bibat in introitu lecti.

Æstibus canicularibus Galenus ex Scyllę radice, emulget succū. Vide in fine consilij eius de puero epileptico.

In Italia rosæ Punicæ prunis affunduntur; ac sacharo insperguntur tenuiter puluerisato; madorem rosis eliquatum pruna bibunt; ac tenellulis naturis mira facilitate aluum ducunt. *Pruna rosata.*

MVCCAGO elicitur iniectis liquori conuenienti rebus: vt cùm semen cidoniorum, aquę lactucæ cōmittitur; vel semen psyllij, vel maluatum althææ, lini, fœnugræci, parum fracta aut concisa; tepore emulsa linteo colantur & exprimuntur; vt in erysipelate & inflammatione,

Vsus. tione, ex aqua plantaginis, ſolani imponũtur. Vt ad molliendum, althææ, & lini muccilago, ex iure ficuũ; & fœnugræci muccilago ex mulſa, vel aqua chamæmeli vel ſaluiæ, ad reſoluendum. Vncia aquæ, accipiat ſeminum

Emporiſtos. ʒj. In gulæ ſqualore ſemina cidoniorum parum quaſſata aquæ optimæ immittito. Ea muccagine lubentiſſimè ſe rigant ægri.

ELECTARIA, *quòd habeant aliquot electa medicamina;*

CONDITA, & PANOALZA.

Integri fructus minores, ceraſa, ribes, vt perſeuerent, ex ſaccharo, vel melle, aut his remixtis condiuntur: maiores, vt perſica, poma omnia, & pyra, iuglandes, cõciſi, intus foriſq; purgati, riteq; cocti reponuntur. hoc modo:

Modus condiendi. Saccharum aqua ſoluitur, ac coctione clarum ponitur; tumq; fructus, vt corna, pruna, ceraſa, perſica, & ribes, vel myrtilli vuæ ſpinæ, incoquũtur moderatiſſimè, dum in primam ideam ſuæ conſiſtentiæ redeat ſaccharum.

Duri verò fructus, vt cotonea mala, nuces virentes, pyra & mala, ſecta purgataq; coquuntur, dum tenereſcãt: hinc ſiccantur, & in horum decocto ſaccharum coctione clarum redditur. hinc fructus redduntur huic, ac ad ſyrupi conſiſtentiam coquuntur.

Condunrur radices, teneri caules, ſurculi, germina, flores, fructus, ſemina, cortices.

Amariores fructus, vt inglandes, arancia, limones, ſæpius refuſa aqua macerantur, tandemque coquuntur ex ſaccharo aqua ſoluto. Ita & radices, vt ſatyrij, eryngij zinziberis, acori, helenij: & herbæ, vt mentha, lactuca, portulaca, ac cauliculi condiuntur.

Si ſicca gratiora ſint, hæc ſaccharo optimè ſaturata, leni igne, aut feruente ſole ſiccentur.

Saccharum ex aqua diſtillata ſoluatur, & vt decet coquatur, mox aut folia roſarũ vel violarum, aut nymphææ excepta intingantur ſingulatim: ita arida fiet confectio.

Pandalca. Pandalca neoterici ferè vocant, idem quod electarium ſolidum, niſi quòd pandaleon integrum remanet: etenim ſaccharum ritè coctum pyxidi infunditur, ac ſolideſcere ſinitur. æger cultro fractam partem accipit inſtar eclegmatis.

Electa. Electaria autem componuntur ex ſimplici condito, aut conſerua: his miſcetur puluis corroborans. & moderata ſacchari copia adiicitur. Lex eſt temperamenti, vt ferè vncia conſeruarum drachmam pulueris excipiat.

Hæc autem Electaria duplicia ſunt: Vel liquidiora; hæc efficaciora, nam maximam partem accipiunt puluerum, quaſique in characterem opiati effuſa: ex melle, ſaccharo, ſapa. Vel ſolida nam in tabulas, vel rotulas, aut formulas quadratas oblongas (quas vocant manus Chriſti, & Lozengas à longitudine digitorũ) efficta. Et hic ad vnam drachmam puluerum parti ſtudentium vnam imponunt ferè vnciam ſacchari ſoluti & penidij, in liquore (affectui vel parti dicato) qui in duritiem iterum excoquitur, cauendo ab acidis, vt limonum ſucco, aranciorum, aceto, granatorũ. nam ſaccharum non concreſcet iterum. Dicuntur orbiculi, placentulæ, & rotulę; effunduntur in puluerẽ farinæ ſantalorum vel cinnamomi: in cribro, loco calido ſicceſcant. Candidi fiunt, cùm ſaccharũ diutiùs coctũ, diu piſtillo agitatur. Tenues fiunt, cùm aſpergitur ſpongiâ aqua, dum fit fuſio. In tabulas abit, dum fluidũ ſaccharũ acie cultri perſtringitur.

Vt ℞. ſpecierum diarrhodonis ab. ʒj. ſacchari albi diſſoluti in aqua roſarum ℥j. fiat confectio in rotulis. Puluercs miſceri debent, cùm extracta ab hac, & refrigerata guttula ſoliditatem habet: nam tum paulatim puluis, cùm ferè refrixit, inſpergatur, ac miſceatur.

Vel ℞. ſpec. diarrhod. ab. ʒ ß. ſacchari albiſſimi diſſoluti in aqua roſarum. ℥ ß. fiat confectio tabulata, & ita agunt in cunctis aliis; vt varij affectus.

Iuniores antidoti loco in gratiam ægrorum hæc effinxere: at minori efficacia, ob integras vires à fermentatione. pilo effuſa maſſa complanatur ac ſcinditur ʒ ij. vel ʒ iij. pondere.

Exhibentur ad robur facultatis animalis, naturalis & vitalis. *Vſus.* Cùm exhibentur ad partium nutritioni dicatarum robur, præbentur ſtomacho vacuo. At cùm coctrix facultas à frigore lãguet, potiùs à cibo. Sin humor frigidus in vitio fuerit, potius ante cibũ offeruntur. Cùm autem vitalis facultas robur deſiderat, quocumque tempore dantur.

Animalis ſi languida fuerit vis, hora ſomni, aut media nocte bene offeruntur, vt aura celebrata coctione, hac vi cerebrum afflet.

Cùm itaque ad vires corporis condita ſcribantur; vi- *Ad vires.* res autem conſiſtant in partibus ſolidis, humoribus, ac ſpiritibus; maximè ſpiritus recreant condita.

Conditi formula ad omnium virium robur.

℞. Conſeruæ anthos (id eſt roriſmarini) cõſeruæ boraginis, bugloſſi, roſarum, cichorei, capillorum Veneris ana ʒ ij. corticum citri conditi ʒ j. ſ. pulueris electarij pleres archôn, diamoſchi dulcis, diarrhodonis abbatis & trium ſantalorum ana ʒ ß. fol auri N. vj. cum ſaccharo albo, fiat conditum auro coopertum.

Ex eiſdem fieri poterit confectio ſolida, vt ℞. ſpecierũ diamoſchi dulcis, ſpec. pleres archôn, diarrhod. ab. ſpecierum trium ſantal. ana ℈ ij. conſeruæ roſarum, & cichorei ana ʒ j. ſ. ſacchari albi, diſſoluti in aqua roſata q. ſ. fi. electarium, per morſellos ad modum manus Chriſti, pondere ʒij.

Cardiacum conditum quo vtebatur D. Fernelius. *Cardiacum.*

℞. conſeruæ nymphææ, bugloſſi, roſarum, corticum citri conditi ana vnciam dimidiam; pulueris diambræ, de gemmis, diamargariti frigidi ana ℈ß. oſſis è corde cerui, ſeminis citrei, & cardui benedicti, radicum tunicæ, & tormentillæ ana ℈j. ſcobis vnicornis gr. 8. folia auri minutim conciſi N. vj ſacch. albi q. ſ. fi. conditum. Semina etiam iunguntur vt citri; radix, vt tormentillæ; trochiſci, vt de ſuccino.

Ita cuique virtuti labefactatæ, effinguntur, vt ſi ceſpitet ſola virtus naturalis, tunc ſpecies, & conſeruas ponam dicatas illi, calidas frigidáſve; vt intemperies ſuaſerit. Vide caput De corroborantibus.

Reſtaurans. *Nutriens.*

Ita efficaci vi ſolebam ex carne pullorum candidiſſima, ſolidam excoquere ſubſtantiam. teritur minutiſſimè illa cum paucis amygdalis, vel ſeminibus frigidis, coquitur ex aqua roſata, mox adiicitur ſaccharum cum cinnamomo tenuiſſimum in puluerem redacto: lento coquitur igne, dum morſuli ſolidi ad pollicis magnitudinem effingi inde poſſent.

PASTA REGIA, ET MORSELLI.

Vt antiqui præclara quædam, Regia vocabant, vt Aëtius Operis ſui penultimo capite, Suffumigium Regium deſcribit: & Actuarius regia poma, De ſpiritibus animal. cap. 6.

Ita practici Paſtum regium celebrant, quam vocauit Meſue Regium electarium.

Hominibus in tabem abeuntibus conferunt.

Vt ℞. amigdalarum dulcium excorticatarum ℥ ij. pinearum, piſtaciorum non rancidorum ana ℥ j. pulpæ da- *Ad tabem.* ctylorum, paſſularum, iniubarum ana ℥ j. ſ. gummi tragacanthi, & arabici ana ʒ j. amyli ℥ ij. pulpæ capi elixi ℥ iiij. fructus macerati aqua roſata, cum reliquis tundantur, & ſaccharo paulatim aſperſo fi. maſſa, indeq; cuiuſq; figuræ panes, ſenſim ſiccandi, ac auro obducantur.

Addere licet ſem. frigida, & papaueris ana ʒ ij. ne in bilem vertantur. & cinnamomi ℥ ſ. & ambræ vel muſci gr. 6. vel 8. ad flatus.

Ita fiunt & ex amygdalis cum ſaccharo & aqua roſata Maſſæ panis, quæ dicuntur *marſepain.*

In Italia hodie fit paſta laudatiſſima, *Moſtacioni* ipſi *Moſtacioni.* vocant.

℞. ſacchari albiſſ. pulueriſati, farinæ albiſſ. ana lib. ß. cinnamomi optimi ʒ ij. zinziberis, caryophyllorum ana ʒ j. ſ. piperis ʒ ſ. vitellos ouorum 1½ moſci cum aqua

roſata

rosata temperati gr. ij. misce f. pasta. In morsellis feriùs quàm in rotulis inferri debent res, tepescente sacchato. & incidi debent crassiùs.

OPIATA, BOLI, & ANTIDOTA.

DIFFERVNT à conditis & electariis, quòd condita copiosiùs conseruas accipiant, & minus puluerum (cùm ad robur & suauitatẽ sępius effingantur) qui graui odore bellum ægris indicere videntur. Quare cõdita cùm grata esse debeant, plus sacchari, quàm opiata accipiunt.

Opiata, vt confectio philonij, catholicum, hiera picra, diaphœnicum, aromaticum rosatum, &c.

Quare præscribuntur ad aluum officij immemorem reuocandam, purgandum, alterandum, & ad robur partium, doloremque mitigandum. In catharticis notandum, vt melli tenuis portio puluerum immittatur sensim: quò exactè misceantur: conglobare se solet scammonium in vna regione; vt & cætera.

Boli præscribuntur vel ex his opiatis, aut cassia extracta in bolum fingitur, vt ℞. diacatholici ℥ j. sacchari q. s. f. bolus.

Vel ℞ cassiæ recenter extractæ ℥ j. seminis anisi crasso modo contusi ʒ ß. misce, cum saccharo f. bolus.

CAVTIO.

Quia flatulenta est cassia, aliquid illi addi debet anisi, vt ℈ j. vel ʒ ß.

Quibus ex infirmitate labefactata sunt intestina, his cassia non est præbenda; etenim doloris tantam vim infert, vt & syncopen præbeat. Quare ante exhibitionem peculiaris ægri natura discenda: rogandumque, quo modo eam ferat. Hinc quidam remiscent quid granorum oxyacauthi, aut sacchari rosati simplicis, vt robur intestinis afferatur; vt adde granorum oxyacanthi ℈ i. vel ʒ ß. cum saccharo rosato simplici, f. bolus.

Alij stimulum addunt quo promptiùs elabatur, vt diapruni laxatiui addunt ℈ij. vel ʒj. vel electarij de succo rosarum.

Antidoti. Antidoti quoque fiunt ex pulueribus, melle vel passo excepti. Mel in fictili vase liquoris quadrante diluitur, lentè coquitur ac spumatur, cumq; ad teporem, quem immissus digitus fert, rediit; ternæ puluerum vnciæ, libræ insperguntur; ac ligneo pilo miscentur. Hinc cùm refrixit, excipitur pyxide ad fermentationem, quæ perennitatem afflat, & diuinam quandã vim. His si pulpa fructuum addatur, manna aut saccharum, minimè propterea mellis copia crescere debet. *Vsus.* Prescribuntur ad virium robur, & venena cuncta, ac internarũ partiũ fractã vim longè efficaciùs neotericorũ electariis ac conditis.

CONSERVÆ.

A seruando dictæ; plerumq; ex floribus fiunt: quamuis non inefficacem vim herbarum hoc modo exceptarum experiamur.

Flores, ob tenuem quam spirant auram, ne expireot foco, in sole saturari saccharo debent, vel melle.

Tempus hoc faciendi. Carpendi flores (vt rosarum, buglossi, violarum, nymphææ, cichorei, aranciorum, limonum, saluiæ, betonicę, hyssopi, genistæ, persicorum, calendulę, leucoij, pæonię, rorismarini) ea maximè ætate, eoq; diei momento, quo fragrantissimum de se odorem spargunt: nam tunc (vt astrologicè illud dicam) eorum vis ac Venus exaltatur.

Modus. Flores sternẽdi integri: duplum pondus sacchari iniiciendum: ac insolentur menses (vt tenuitas horum *Melliti flores.* flagitat) duos, tres, vel vnum. Rectè dici possint flores saccharati, vt & melliti.

Conteri poterunt & flores (vt fit in herbis) cum sacchari triplo, vel duplo: ac torrido soli exponuntur.

Si acres res sint, accipiant sacch. ℥ ß. pro ʒj. florum vel radicum.

Alij remiscent flores integros saccharo liquato ac feruenti, mox soli committunt. Sed ne vtantur vide.

Error Pharmacopœorum in electarijs edurandis. Magna hodie contentione de venustate conseruæ rosarum, ac violarum inter se certant pharmacopolæ: qui enim floridum splendorem his intulit, laudis quid mereri videtur. Roseus ille rosarum in Conseruis fulgor, elicitur à quibusdam, guttulis limonum ac olei vitrioli affusis. verùm id florum substantiam die excedit ac vastat, tandemque in nigredinem deturpat.

Roseo nitore, proprioque decore efflorescent, si rosę *Palibris.* aut violæ terantur cum saccharo; nam ita exterius roseus suauisque violæ nitor: mox succus expressus rosis, violisve, propriis conseruis affunditur, lentoque igne, imò maris balneo, aut insolatu in conseruæ spissitudinem excoquitur, miro decore, non absque gratiis. A purgationibus postridie dantur, vt conseruæ rosarum *Vsus & vires.* drachmę tres; mithridatij semidrachma, vel cum syrupo violaceo. Temperatæ sunt ex rosis, violis, boragine, buglosso. Frigidæ, ex cichoreo, endiuia, acetosa, adianto, violis, nymphæa. Calidæ, ex rorem arino, eryngio, enula, acoro. Semunciæ, ad vnciæ pondus, præscribuntur.

Licebit ex his & solidas formas effingere, peregri- *Solidis.* nantibus aptas: si enim diutiùs coquantur, durescunt, ac in pastillos finguntur. Aut ad crassitudinem remixtis, pastillos facere licebit cuiusuis formæ, linteoque obductos insolare, dum planè exaruerint.

Poterunt & saccharo tenuissimè trito, rosarum, violarum, aliúque succi affundi, eodemque modo siccari: quibus si margaritæ addantur, fiet manus Christi perlata: si fluxus adsit, cum corallis, vel eboris rasura cornûve cerui.

Hoc ferè modo in Italia iam fabricatur conserua vtilissima pestiferis febribus, ex saccharo affuso citreorum succo, quo rapidi potentiâ solis, sese ad perennitatem traiiciant vires.

Accipe succum violarum. misce cum saccharo in patina profunda, vel in cyatho vitreo. Exhauriatur vaporando mador in patulo balneo maris, tenui abstersâ spuma. fiet saccharum tabulatum violatum clarum.

LINCTVS, DELINCTVS, ILLINCTVS, *Loch, Arab. vel Looch,* ECLEGMA.

Ab ἐκλείχω, id est, *lambo*: antiquis enim Græcis familiare illud remedium fuit. Nam delinguntur ex radicula glycirrhizæ ad morbos thoracis, & pulmonum: vt sunt anhelationes, tusses, empyemata, catarrhi & trachææ arteriæ vitia, linguæ orisque mala. Lentore lubrica fiunt, vt in ore sensim ad thoracem eliquescant.

Fiunt ex passis vuis, iuiubis, dactylis, caricis, glycyr- *Materia.* rhizæ succo, scyllæ, brassicæ, marrubij albi, hyssopi, ex tragacantho, gummi arabico, saccharo, sapa, melle, ficuum decocto & hordei.

Ex seminibus cidoniorum, bombacis, maluæ, althææ, psyllij, quatuor frigidis seminibus, amygdalis, pineis: Et ex astringentibus remediis & glutinantibus, ad sputum sanguinis: & ex ptisana. Pleraque sunt dulcia, quædam mediocriter amara, alia acria.

Veteres myrrham lingebant, hoc æuo ab amarore exosam: quamuis enulam campanam admittat, ac porrum ad pituitæ crassæ tenuationem: & terebinthinam quidam adiiciunt: nam ex butyro, saccharo & modica terebinthina eclegma, tussim curat ex frigida materia.

Hæc contunduntur, ac per cribrum traiiciuntur, *Modus.* melli, cocto syrupo, aut muccagini (vt seminis maluæ, seminis psyllij, cydoniorum, albumine oui, consolidæ) extractæ cõmittuntur ad pultis crassitiem; vel saccharo, sapa, vino dulci, aut decocto præscriptorum fructuum excipi poterunt. Sapa minus fluxiones excitat quàm mel.

Pulueres his remisceri solent quandoque cinnamomi, zinziberis, iridis, ari, & semen vrticæ: aut species diaireos, diatragacanthi, &c.

Pulpa passularum ad ℥ j. miscetur interdum.

Farina seminis lini torrefacti, cum melle, tussim puerorum sedat.

Linctus fiunt & ex electariis cum saccharo candito, aut ex penidiis cum syrupo pectori dicato, q. s.

Et ex butyro, & duplo sacchari.

FORMVLA.

℞. Medullæ vuarum passarum ℥ ß. cremoris ficuum extracti. ʒ ij. enulæ campanæ puluerif. ʒ ß. pulueris diaireos simplicis. ʒ j. ex syrupo glycyrrhizę fiat linctus.

Sunt & officinarum linctus, qui ibi prostant: vt Diacodium Galeni, & ex sapa: Diacodium compositum; linctus Mesues ex papauere: eclegma ex psyllio, & ex tussilagine, è pino, ex amygdalis, & althæa: lalobre & expertum; ex pulmone vulpis, ex scylla, ex caulibus Gordonij, ex alliis, ex semine cnici.

CAVTIO *Linctus in Pleuritide.*

In pleuritide ineunte, nunquam præscribi debent eclegmata, quamuis grauissimi auctores aliter fecerint, ac practici ferè omnes; & Actius 2. 4. in fine. Repugnat enim Hippocratis sententiæ: qui libro primo De victu in morbis acutis, aphorismo 27. ptisanæ ὀλισθηρὸν, id est, vim fluidam, & meabilem laudat, quæ spiritus vim non intercludit; præclarè enim ad salutem facit facilis spiratio: quare, quia pectori adhærent linctus, nunquam hic præscribantur; sed potiùs syrupus capillorum Veneris, & violatus: hi alas pulmonum explicant, nec expectoratum siccant.

PVLVERES, ET TRITVRÆ, quas Græci ξηρία vocant.

Semina, radices, folia, surculi, flores, aromata, in puluerem vertuntur: nam pinguia, vt ammoniacum, & bdellium, potiùs vino vel aceto soluuntur.

Fiunt pulueres accuratè triri, vel crassiusculè, vt aromata & flores, ne exuant vim nimia tritione, ac ritè tegendi, ne euanescat in contusione eorum robur.

Tenuiter in puluerem comminuuntur, cùm cribro excreta, ad mortarium renocantur: vel marmore teruntur, vt metallica ad collyria; ita & corallum & margaritæ, primùm leniter mortario commouta, pictorio in lapide in pollinem confricantur.

Humecta nimis, vt radices quædam, & fructus, siccioribus remixtis in puluerem fatiscunt contusione.

Obseruat. Pulueribus recondendis nec pinei nuclei, nec amygdalæ, aut semina 4. frigida, remisceri debent; nam die. longa rancescunt; vsus itaque tempore adiiciantur. Internis affectibus dantur à ʒ ß. ad ℥ ß. flores in puluerem redacti à ℈ j. ad ʒ ij. corallum vstum ad ʒ ij. datur:

Dosis. ita cineres hirundinum, cuculi, vermium, stomachi gallinæ, lupi, cornu cerui, efficaces, vt Diagemma, Diacamaron ad ℈ ij. Diatragacanthum ad ʒ iij. in eclegmatis.

Sacchari additur ℥ j. ad pulueris ʒ j. Sin purgantes sint, tantùm additur sacchari ʒ j. & pulueris ʒ j. ſ.

Varius puluerum vsus esse potest, ad robur, vacuationem, ac siccationem: vt Diaturbith, diasena: quibus saccharum adiicitur triplum, vel quadruplum,

Dātur purgātes ex iusculo pulli, vel liquiritię decocto.

Apud practicos rarus est vsus puluerum per se qui exhibentur.

Pulueres ac triturę longo tempore durare nequeunt; quòd, vt dicit Actuarius lib. 5. Methodi cap. 3. facilè eorum potentia euanescat: quare, dicit, densis vasculis obserandi, ne nobis insciis languescant.

Rarò ad humectandum præscribuntur; quod si fiat, recentes esse debent, vt diatragacanthi, resumptiui.

Ad calculum. Ad calculosas arenulas, purgato corpore ex sex drachmis benedictæ laxatiuæ cum vino, dabis ℈ ij ex vino albo vel iure pulli.

Accipe seminis petroselini, radicum petroselini ab interna animula purgatarum; cuiusque semunciam; florum cardui stellati vnciā: furno tenerè siccata in puluerē redigātur. A spinis stellatis dicitur Carduus stellatus.

PILVLÆ *vel Catapotia à deglutiendo dicta.*

MITIORES ad ʒ ij. vorantur: mediæ ad ℈ iiij.

Auctor sum vt parua copia dentur, ob molestiam, & adiectis dactidij granis iij. vsque ad x. vel trochiscorum alhandel, hac acuentur vi.

Crassiusculè ex comminutis fiunt pulueribus, ut in habitum emorpant corporis, cùm purgandum est.

Liquore lento in massam conglobantur, ne exhausto tenuis liquoris madore massa dehiscat situ & squalore; Modus conficien. vtque medicamentorum vis inexhausta contineatur, vt ex muccagine, syrupo, vel melle. Nam si gummata recipiant, aquæ viniue mador ab hac vindicabit.

In orbiculos rediguntur, in pituitæ vitio ex syrupo In pituita. de mentha, hyssopo, absinthio, stœchade: corticibus citri. In bile, syr. ex citreis, acetosa, cichoreo, rosis. Melancholia, oxymelite, stœchadis, eupatorij, calaminthæ Bile, Melancholia. syrupis, vel de duabus rad. vel aqua cinnamoni, & saccharo & cinnamomo immergantur.

Miscenda si veniant gummata, pilo calido contundantur dum mollescant, & seorsim affusis aridis puluisculis, tandem quantum sufficit madoris inditur.

Primis diebus si fermentatio quædam fieret, acueretur viuida remediorum vis, ac sese mutuò temperaret: vnde præstantior erit massa initio mollior, quò sese peruadāt faciliùs. Hinc oleo amygdalino in teretem figurā voluatur, tenuique mēbranę inuoluta, pyxidi includatur.

Rectè exhibentur vbi corpus aut ventriculos madore Vsus. fluctuat; & vbi tardam vim remedij optamus: & cùm ingrata hauriri remedia debent, vt aloe, colocynthis, agaricum, ac ex lachrymis confectæ pilulæ.

Quæque partes corporis, ac humores omnes, sibi dicatas pilulas habent; ex quibus vel fortiter, vel moderatè educunt. Est & varia harum potentia; nam quædam laxant, quædam stringunt, aliæ aperiunt.

Cum pharmaca efficacia his committuntur, quædam Castigatio. adiiciuntur quæ indomitam vim eoru refrenant, vt propter colocynthidē, muccago tragacanthi; & ad domandā vim scammonij, rosæ, ne tenui vi exulcerent intestina.

Interdum & stimulus ignauioribus rebus additur, vt zinziber.

Lachrymæ pilulis induntur, ad detergendum & molliendum, vt bdelliū & myrrha: vel ad fundendū concreta, vt opopanax, sarcocolla, euphorbium, sagapenum.

Addūtur sępe quę calefaciēdo tenuāt, & incidū, vt semē apij, fœniculi, seseli; cinnamomū, spica, asarū: sed in pauca copia, ne hebetetur vis purgatrix: sunt enim vrinalia.

Contusa pilularum massa maceretur aqua cinnamomi exprime: exhauri aquam poculo patinæ paruæ subiecto. Mellago cum puluere liquiritiæ redigatur in paruas pilulas. Dosis harum gerat vim sesquidrachmæ pilularum non extractarum. ita sine tædio molis, vsum pilularum inimus.

TROCHISCI, *κυκλίσκοι, vel ἀρτίσκοι, vel orbiculi plani, pastilli Celso, & Hypoglottides rotulæ.*

Fiunt ex pulueribus iunctis aquâ, vt rosarâ: visceribus Modus conficiendi. dicari, vt ex speciebus diarrhodonis; vino, aceto, herbarum Vsus. succis, vt de eupatorio, absinthio, cichoreo, & muccagine. vmbrâ, igniíve tepore arescunt. facti, quò combinati pulueres diutiùs persistant, infractis viribus Etenim his non nisi solutis vtimur, exceptis quos in ore retinemus. Eo enim fine confici testatur Dioscorides cap. De nardo Celtica, & de cinnamomo, quod tritū ac vino in pastillos collectum, vmbraq; siccatum reponitur. Ita transigi deberet & cum aliis pulueribus cardiacis: nam duraci ita continerent aeris iniurias; qui alioqui his ob tenuitatem expositi contabescunt.

Seminis lupini formam habent; sunt cephalici, otici, ophthalmici & hypoglottici.

Sunt Trochisci purgantes, vt *alhandel* (ex colocynthide fiunt optimè parata, ob id non alio modo colocynthide vtor) & de agarico. Varietas.

Alij astringentes: vt de terra lemnia, spodio, de carabe. Sunt & aperientes, vt de rhabarbaro, qui hepati student, & de eupatorio; vt & lieni, de capparibus; renibus, vt alkekengi.

Ocularia medicamenta olim in trochiscorum formā redigebantur: Dioscorid. De spica nardi: & Gal. in methodo. Ita & Razes Collyrium album describit, cuius vsum hæc quoque ætas nouit.

Olim

Olim maximè ex metallicis fiebant, vt auctor est Celsus lib. 5. cap. 17.

Obser. Pingue nihil trochiscis addi debet; nam in puluerem iterum se reddere debent.

Hypoglottides trochisci. Hypoglottides trochisci dicuntur, quòd sub lingua diutiùs teneantur. Fiũt ex crassantibus, muccilaginibus, vt tragacãthi vel gummi arabico, albumine oui. Ita Venetiis coquitur muccago althææ cum saccharo, lento igne; & perpetua agitatione, ne vratur.

Fiant ex rebus eustomachis, vt quibusdam est dulce, aliis acacia.

Vt ℞. muccaginis tragacanthi, extractæ in aqua rosata, misce saccharum candum, succum glycyrrhizæ, bolum, semen papaueris, vel amylum, &c.

Dosis. Dantur pondere semidrachmæ, & drachmæ, vt trochisci de bolo: At qui opium habent, ad ℈ j. exhibentur; vt de alkekengi. ita purgatorij, vt de rhabarbaro, de eupatorio.

EPITHEMA.

Vsus. Id ad cordis & hepatis ferè intemperiem præscribitur: vt in ardentissimis febribus, ne fiat hectica, cordis imponuntur regioni. aut cùm venenosa aliqua eluuies visceribus his insilit, vt cùm à gangræna, quo roborata, actiùs resistant incurrenti perniciei, ac arceant. Pectori quoque iniiciuntur, vt in squallidis febribus, & hecticis, ex rebus frigidis & humidis ac cardiacis, vt vnà cũ morbo pugnemus, ac naturæ studeamus, æstus temperetur, ac vis vitalis recreetur.

Materia. Fiunt ex stillatitiis ferè liquoribus, vt aqua buglossi, rosata, melissæ, vino albo, vel maluatico, aceto: vbi cordi studendum, cardui benedicti, violarũ, nemphææ, ocymi, aqua ex floribus limonum, vel flauedine citreorum, aranciorum, myrti.

Ita in iecoris intemperie, ex aqua cichorei, endiuiæ, & portulacæ, rosſ. plantaginis: & quoque ex harũ succis.

His liquoribus pulueres roborantes partibusque dicatos iniicimus, vt semilibra liquorum ferè drachmam pulueris accipiat: quidam tamen liberè ℥ j.ß. addunt. *Hepati. Cordi.* hepar recreatur rosis siccis, absinthio, santalis, cypero, schœnantho, trochiscis è camphora. Cordi aromata conferunt, xyloaloë, dictamnus, tormentilla, crocus, garyophylli, margaritæ, theriaca, corallus.

Modus vtendi. Admouentur tepida, scarlato panno excepta, expressúque ne diffluat liquor: aut sacculo (qui inclusa remedia habet) his madente inducuntur parti: id enim efficacius quàm siccos sacculos partibus imponere; restagnat enim aridior illa vis in habitu carnoso corporis.

Ab vsu epithematis (quæ in febribus quater die adhiberi quòd minimum solent, maximeque ante pastum) fiat ex simili vi inunctio partis.

CAVTIO.

Stringentia semper, visceribus quæ imponuntur, consociata, habeant. Libræ molem non multum excedant.

In peste. Vbi exanthemata pestifera efflorescunt, cordi imponi non debent, ne fiat palindrome ad partem nobilissimam, cuius officio vita nostra carere nequit.

Maximè in febribus adhibentur, ab euacuatione vniuersali, & in statu: cum nempe symptomatum plena sunt omnia; subinde ne calore ardescant corporis, nouanda. *Xxxandum.* Sed, in putridis febribus, ante declinationem non temerè admoneri debent: nam cor illâ systole, & diastole, quâ perpetuò micat, excludit fuligines; has tu retines? certè, cutem densando, quam alioqui traiiciunt fumosa excrementa. Inde putredo maior, & febris acrior; quin crisis impeditur. Causos tamen & Pestilentes excipe: nã cogimur interdum in causis, neglectis noxis putredinis & obstructionis, ad ardoris exstinctionem, in vigore, nos totos conuertere. At in peste non solùm in statu, verùm & per initia cor roborare stringentibus, & repellentibus à venenatis halitibus tueri consilium est. In cæteris ad empyreumatis exstinctionem, in declinatione admouebuntur.

Calfac. Cùm calfaciendum est, additur ad penetrationem vinum: vt in syncope à sanguinis grumis, ab hausto veneno frigido à semine corrupto.

Refrig. Cùm refrigerandum est, additur acetum, pro aquæ libra, aceti vncia: vt in syncope à dissipatione spirituum per febriles ardores.

Testibus quoque in ardoribus admouentur cùm arteriis venisque illi abunde rigati, totum corpus sua temperie perfundãt; indicio sunt eunuchi. Vt ℞. aquæ nymphææ, aquæ plantaginis, ana vncias quatuor, vini vnciam vnam; linteo admoueantur. ad robur seruandum vinum adiicitur.

Ad cor.

Vt ℞. aquæ rosarum ℥ j buglossi lib. ß. succi melissæ vel scabiosæ, vel cardui benedicti ℥ ij. pulueris diamargariti frigidi ʒ j.ß. corticis sicci citreorum ʒ ß. (sem. citri, & cardui benedicti, addunt quidam & spodium, & corallos) moschi, croci ana gr. vini albi ℥ j. fi. epithema pro corde.

Veterib. Epithemata veteribus dicebantur malagmata, quæ partibus visceribusque inducuntur. vt ἐπιθέματα ... plurima describuntur ab Aetio lib. tertio. Dicit Ægineta propriè vocata fuisse epithemata, talia malagmata quæ mediis corporis partibus adhibentur, 7 lib. 18. & Hæc fuisse ita sicca, vt nec proprio lentore adhærere partibus potuerint, sed externis fasciis constricta, adhæsisse corpori auctor est Actuar. lib. 5. Meth. c. 1.

Πυρία FOTVS *vel* FOMENTVM.

Vsus. Fit ex leni tepore, ac vapido; leniendis doloribus præstans; ad molliendum, ac fundendum maximè comparatum. Quare grato blandoq; calore partes laxat: vt scripsit Galenus in Methodo medendi, quæ ad suauem illum madorem quasi libidine quadam tactæ se aperiunt: vt ad ardorem infectum se comprimunt. Ad robur quoque languidæ partis vtile fomentum. Vt ex variis rebus paratur, ita & variis partibus studet, vique diuersa præcellit. nam & astringentia præscribuntur in fluxibus.

Materia. Coquuntur herbæ, radices, semina, flores, ex vino, vel aqua, cui in fine coctionis interdum quid vini vel aceti affunditur.

Fit interdum ex oleo, cùm molliendum. coquuntur & ex lacte, cùm leniendum vel cùm validè est digerendum, vel siccandum lixiuio, aut chalybeata aqua fabrorum; & ex cereuisia, vt Gedanẽ, madescunt cruda fila ad herniam Coquuntur ad tertias, vel mediæ partis consumptionem. Omnem remediorum partium studentium varietatem admittunt.

Radices ferè sunt, maluæ, althææ, liliorum, & raphanus, & petroselini radix, &c.

Semina maluæ, althææ, petroselini, apij, lini, fœnigræci, seselios, agni casti, fœniculi, anisi &c.

Flores, chamæmelini, meliloti, summitates anethi, sambuci flores.

Fructus, ficus, passulæ, cucumis agrestis: Herbæ præscriptarũ rerum, & bellis, thapsus barbatus, calamentũ, origanum violaria. Libra liquoris accipiat M. j. vel ij. herbarum: absumatur dimidium cocturâ, vel tertia pars.

Modus Fotu vtimur ante linimentorum ac emplastrorum admotionem; vt poris patentibus, integris viribus, remedia penetralia corporis feriant. *Occasio.* occasio à purgato euacuatoque corpore, alioqui plus ad partem calfactam trahunt, quam ab ea euaporetur. Hinc Galenus dicit: Extrema pernicies est, non puris præcordiis adhibere.

Molli spongiâ, panno, vel vesicâ semiplenâ admouentur, vel philtro.

Vt ℞. rad. althææ, liliorum alborum ana ℥ ij seminis lini, fœnigræci ana ʒ iij. ficuũ pinguium N. vj florũ chamæmelorum, anethi summitatum. florum meliloti ana p. j. summitatum maioranæ m. ß. bulliant ex vino, & aqua ana: vel in duabus partibus aquæ & vna vini: vel in lixiuio sarmentitio vitis, ad tertiæ partis consumptionem. Id emollit, ac discutit.

Humida

Obseruatio. Humida fomenta conueniunt inflammationibus biliosis; vt sicca his quæ ab aquoso tenuique sanguine: nam illa dolorem sedant, coquunt, molliunt, discutiunt. Sed cautè hæc admouenda, euacuato corpore, & cùm non amplius fluxio fertur (etenim tunc reprimere expedit) & ab vsu astringentium: nisi tamen venenosa materia feratur; vt in bubone pestifero, ne fiat palindrome in cor. Hæc enim cutim perspirabilem reddunt, & sanguinem in inflammationibus attenuant, ac digerunt. Cùm adhuc influit materia, primò quidem sedant dolorem qui mox recrudescit.

Ad hepar & ventriculum labefactatum nunquàm sine astringentibus præscribantur: vt absinthium, mastix. His colum, intestina, musculi abdominis non egent.

Sicca fomenta vt fieri soleant, refert Celsus a. lib. c6. in fine.

Quibus. Admouentur fomenta, colicis, nephriticis, stranguriæ, inflammationibus, pleuriticis, visceribus, vtero, oculis, bubonibus, œdematis, neruis induratis.

CAVTIO.

Cauendum ne nimis diu his calidis fomentis vtamur; nam, dicebat Hippocrates, *carnis effœminationem inuehunt*; laxantur enim fibræ, ac dissipatur proprium carnium alimentum, ac humor inducitur excrementitius: *& neruorum inducunt infirmitatem*, quorum robur in siccitatis mediocritate consistit; καὶ γνώμης νάρκωσιν, id est, *cerebri stuporem, sensus motusque* omniumque actionum cerebri *labefactationem &*. dicit Hippoc. *hæmorrhagias inferũt* laxatis venis, fusoq; sanguine: *& lipothymias*, resolutis mẽbris, dissipatisq; spiritibus. hinc mors.

SEMICVPIVM *practicorum*, INSESSIO, ἐγκάθισμα.

Copiosius affusum fomentum Insessum efficit: vt enim minori spatio partique corporis præbetur fotus, ita toti parti immittenda Insessio. Sed propriè Insessio *quæ Græcis ἐγκάθισμα, est, cùm ab imis pedibus vel feminibus, vsque ad vmbilicum, ita vt supernæ partes non humescant, insidemus.*

Vsus. Vrinæ difficultatibus afflictis mirè opitulatur, ac renum vitiis, artuum, vterique malis succurrit, maximeque facit ad mensium euocationem, & intemperiẽ. Est enim veluti peculiare membro balneum; quare & colicis, ac iliacis auxiliatur doloribus; modò non sint ab inflammatione; nam tunc initio minimè conferunt. Et quamuis hoc medicamen cum plerisque morbis conueniat, iis tamen solis plerumque adhibetur, qui partes premunt peritonæo cinctas: vt sit quasi balneum inferioris ventris; vel cùm vires balneum non ferunt.

Ita renibus inflammatis, sedeant in decocto maluæ, althææ, fœnigræci, seminis lini. Et cùm calculus vrget, his additur artemisia, rosmarinum, petroselinum, ruta, spica anethum, caricæ, & oleum.

In vteri morbis ex aqua & vino, arthemisia, saluia, lauri folia; aut infũdibulo vaporẽ accipiat, septa pannis.

Sedis vitiis opitulatur decoctum meliloti, papaueris, rosarum.

Hæmorrhoïdibus ac vteri fluxibus. Ex aqua chalybeata decoctum, polygonij, plantaginis, corticum granatorum, rosarum, tuborum, rhoës, bursæ pastoris, pilarum cupressi, &c. rad. bistortæ, consolidæ, myrtilli, aluminis.

Ad metum conuulsionis in vulneribus, ex aqua & oleo fit solium. His affectibus maximè studet insessus: cùm enim aliis ascribitur, id inopia fit balnei, aut labefactata vi ægrorum, quæ vsum totius balnei non possit admittere, aut cum superior aliqua pars vsum balnei non fert.

Modus. A coctione herbæ includantur sacco, cui insideat æger; maximè in vesicæ sedisque vitiis. Vapor mollientium, tumentes quoque hæmorrhoides laxat, ac longanonis dolorem placat. Herbæ à manipulis quinque ad octo, vel decem: radices ab vncia, ad quatuor vncias: semina à drachmis sex, ad vncias sex aquæ sufficienti inferuntur. Coquuntur ad tertias.

CAVTIO.

Olim vngebant priùs partes quæ non madescebant hoc insessu, ac caput; quod tegebant, ne vaporibus acceptis repleretur.

SEDES INSESSVI APTA.



A Sella breuis, ac contracta.
B Foramen, quo sedet ægrotus.
C Vas, quod aquam habet.
D Epistomium ad aquam exhauriendam, cum frigere cœpit.
E Hoc aqua tepida infunditur vasi, &c.

BALNEVM.

A balanis dictum; nam veteres, inquit Suidas, his vescebantur; ac cortices igni dabant alimentum. Nam & sicco balneo ex furno æstu candente vtebantur, vt testatur ad Constantinum qui Geoponica scripsit, Lib. secundo, cap. 1. in fine.

Hoc, vniuersum corpus mergitur, medicis omnibus auxilium commendatum, tum Græcis, Latinis, ac Arabibus, ad sanitatem firmandam, deperditamq; reuocandam. certè auxiliũ iucundissimæ voluptatis plenum. cum intimis, tum in peripheria positis confert affectibus; totius corporis intemperiem abigit; placat ventris dolores: colli, vteri, cutis affectus hoc mitescũt. Adeoq; nullam partem vitæ patitur sui esse indigam balneum. Attamen vtilitas sine assuetudine, tenuis; si ab vsu alieni, sensim discant. Primis diebus, dicit Herodotus antiquus Medicus, horã mediam in balneo exigant, crescatq; die longiore in duas vel tres horas. populi enim quidã alieni sũt à balneis. Scribit Ælianus 4. l. c. Variatũ, Dardanẽses ter lauari per vitã, nati, in nuptiis, mortui. Herbæ à semimanipulo ad x. manipulos, vel xv. imponuntur. Florum pugilli x c c. radices; ab vnciis tribus, ad libras tres, vel v. semina ad vnciam vnam: legumina ab vnciis sex. ad libras duas: mineralia ab vnciis tribus, ad lib. 3. Coquuntur ad tertias. *Vsus.* *Antiquum.*

VTILITAS.

Dolores, lassitudinesq; mulcet, exhauritq; inquinamenta acriora sub cute latentia; intemperiem omnem corrigit, perfugiũ vltimum in morbifica materia contumaciore; mẽses euocat, nephriticis & lethargicis studet, vigiliasque placat: maximè peripneumonicis conuenire scripsit Hip. 3. ac. 57. & pulcherrimas rationes subnectit

Sunt naturalia Balnea, ex Archigenis sententia, humidis frigidisque morbis & corporibus vtilia, podagræ, paralysi, anhelosis, fractis ossibus, vlceribus fluidis, scirrhis, &c; vt Antyllus vetustissimus medicus scripsit, morbis diuturnis student; nam acutis sunt noxia, ob feruorem. *Naturalia.*

DIFFERENTIÆ.

Quædam Balnea naturæ vi varia facultate excellunt, vt

vt aquæ tinctæ metallorum potentiâ. Alia sunt arte fabricata, nouisque qualitatibus perfusa; vt aqua tepida, calida: &c.

Therma. Quæ vltrò ex metallis erumpunt, siccant ferè omnia, varia tamen vt metalla sunt, vel refrigerant vel calefaciunt, laxant digeruntque, vel stringunt.

Calentes balneorum ac bullientes aquæ, quales vidimus iuxta Euganios montes, in villa Patauio vicina, ex sulphureo ardore efficacem illam vim ducunt; adeò vt ranæ cum fonti insilirent, ilico conuulsæ expirarent. Attamen quædam aquæ labuntur per salem, alumen, bitumen, vitriolúmve.

Vt noscenda vis Baln. Vnde nata fuerit aqua, ostendet sapor, color, odor, lutum; & distillatione longâve coctione ac euaporatione loquentur reliquiæ quid remixtum fuerit: & quoque naturæ inde curatorum morborum: nam interdum, à distillatione nil restibile manet: quòd vapore tantùm sulphureo vel metallari traiiciantur: vt flores à vaporosa odorum substantiâ flagrant.

Sulphurea. SVLPHVREA Balnea, eadem possunt quæ Dioscorides de sulphure prodidit 5. lib. 73. Etenim ab imis penetralibus corporis, ad peripheriam eliciunt inquinamenta cuncta: neruos emolliunt, inquit Archigenes, ac tenesmi dolores leniunt, splenes duratos molliunt, coxendicis morbo prosunt, & pruritum abstergent.

Cautio in his fit, ne per os exhibeantur; iecori enim bellum indicere: & scripsit Archigenes stomachum his subuerti.

Aluminosa. Aluminosa minùs calida sunt: oris vlceribus medentur: Archigenes ad sanguinis reiectiones præscripsit, & vomibundis, & hæmorrhoïdum fluxu nimio tentatis vtilia perhibet, & profluuiis mensium, & temerè abortientibus, vaticibus, sudoribus nimiis, & suratum tumori.

Salsa. Salsa, ea quæ de sale scripsit Dioscorides, efficaciter præstant; arcent putredinem, extenuant, digerunt, scabiei & œdematis conferunt. Ita marina ex aqua articulorum defluxibus vtilia: Vesicæ noxia sunt, ac, dicit Herodotus, exanthematis & vlceribus.

Bituminosa. Bituminosa idem efficiunt, neruosque laxos reddunt; sed caput lædunt, inquit Archigenes: cum tepore molliont vteri partes, vesicæ & coli.

Ænea. Ænea balnea digerunt, & stringunt, purgantque vlcera phagedæna; fistulis medentur, ac carunculam naxium, & sedis depascuntur, ori, tonsillis, vuæ, oculis, commendata à Archigenes.

Ferrea. FERREA refrigerant, innoxiaque poto sunt, vt D. PETRI aquæ circa Apanum in Euganeis, ex qua, æstu flagrans, magnam aliquando copiam bibi, sine vlla noxa. Scirrhosis lienibus conferunt, renibus æstuantibus ac iecinori auxiliantur. & cùm quid stringendû sit, vtilia perhibentur stomacho, inquit, & spleni conueniût.

Plumbea. Plumbea balnea, cretacea, ex gypso, quà valent coxum auctores, vi prædictum.

Calida. Calida: frigidis affectibus & humidis, maximeque artuû opitulantur; & ab his obstructionibus ac doloribus.

CAVTIO. picrocholis, æstuantique hepati hæc calore suo sunt inimica.

Frigida. FRIGIDA BALNEA potiùs sunt ferè, ad robur viscerum nutritioni dicatarum, & si quid copiosiùs fluxerit, sistunt: ac feruorem hepatis extinguunt. vt apud

Spadenf. Eburones SPADENSES aquæ, quæ insignem vim diureticam gerunt, nec in corpore hærent, aut putredine contaminantur: sed serum puteidum sanguinis secum rapiunt, vnde fætore imbutæ redduntur, eadem vel vberiore copia per vrinam exclusæ. *Hac de* BALNEIS VLTRO *natis. Iam* DE ARTE PARATIS.

Artificialia. Cùm in ITALIA viuerem, mirandasque Balneorum vires animaduerterem, quibus ad omnem Morborum varietatem ibi vtuntur Medici doctissimi: diligenter ex illis indagabam, num imitatione effingere licetet easdem vires, ac aliis regionibus importare balneis stauydatis. Quare didici ab illis, ac apud ægros obseruaui ibi cùm essem, illos & sua ἀντιλλάγματα succedanea, que habere, quibus & ipsi loco BALNEORVM eodem ferè successu vterentur. *Hoc modo:*

SVCCEDANEVM BALNEI *D. Virginis Patauij.*

℞. aquæ fontis q. s. Capitum arietum numero tria; pedum eorundem quatuor: contundantur, quatiantúrque capita & pedes; rosarum rubrarum, foliorum lauri, ana manipulos tres: portulacæ recentis, manipulos quinque; solatri, sempervini, cuiusque manip. duos: misce, bulliant; hinc fiat colatura, eaque tepente bia dic vtatur, duabus horis ante cibum.

SVCCEDANEVM AQVÆ D. PETRI *in Euganeis.*

℞. radicum aristolochiæ rotundæ p j. alkekengi ℥ s. florum chamæmelorum, p. ij. Bulliant in libris quatuor aquæ fontis, ad consumptionem dimidij, ac colentur: ℞ præscripti decocti ℥ vj. seri caprini libram vnâ: misce, fiat potio; bibat: & semiboram ambulet, donec aut aluus, aut vrina soluatur. Mox altero die, capiat vncias septem, & sesquilibram seri. Tertio die auctariò quasi accedat sesquiuncia, dum surgat copia in libras tres, per octo aut decem dies. Hoc loco ferri vi tinctarum aquarum vtebantur. Refrigerant, siccant, adstringunt, & expurgant.

SVCCEDANEVM SVLPHVREORVM *Balneorum in Clysmis.*

℞ radicum centaurei minoris, aristolochiæ rotundæ ana p. j. chamæmelorum manipulum vnum: bulliant ex arte. dein ℞. sulphuris ignem non experti, vncias duas; decocti præscripti, libras quinque: bulliant, & ex libra fiat clysma: flatus excutit, doloremque placat, ac vitream pituitam extrahit.

SVCCEDANEVM BALNEI IN COLICIS.

Huius præscripti balnei libræ triginta accipi poterunt. Vel ℞ sulphuris ignem non experti, libras duas; aquæ puræ, libras tringinta, aluminis rupei, semilibram; Bulliant dum despumata sint.

NITROSI BALNEI *Succedaneum.*

℞. vncias quinque, saluiæ, betonicæ, labruscæ, cinerum ossium mespilorum, ana p. j fiat decoctio ad dimidium.

Salsi balnei succedaneum pro tumore pedum: ℞. lixiuij veteris libras decem, salis libram vnam: nitri semilibram, bulliant ad octauæ partis consumptionem; dum sal & nitrum liquescant. *Tumor pedum.*

Nitrosa salsaque balnea, dicit Archigenes, capiti, & thoraci fluxionibus occupatis, stomacho humido, hydropicis, & tumoribus omnibus student.

BALNEI D. HELENÆ *in Euganeis succedaneum.*

Roborans ac partes nutriens.

℞. cinerum dulciorum lixiuij libras viginti; salis, libram vnam; nitri, semilibram; sulphuris ignem non experti libras duas; bituminis libras duas & semis: bulliant ad octauæ partis consumptionem.

Postea oleo vngatur pars, ac in vinaceis foueatur.

℞. aquæ loturæ œsypi q. s. id est, pro singulis libris sulphuris ignem non experti, accipe aquæ libras decem; & salis fossilis libras duas; nitri libram semis; cinerum quernorum, vel abietis libram: misce: bulliant dum spuma tenuis reddatur, ac minùs ampullis obsita.

Hæc quoque cum arenis sacculo includuntur, ac coquuntur: Addo argillam, cum sulphure, alumine, vel vitriolo, pice: hæc sacculo includo, & vnà cum chamæmelis, malua, oxylapatho, vel scabiosa aquæ incoquo: scabiem contumacem ilico curaui hoc balneo. A balneo extremas partes vngant vnguento rosato quod sublimati duo vel tria grana habet. mirû in modû iuuat. *Ad scabiem.*

LVTVM *quoque thermarum imitabimur: vt in podagra.*

℞. fimi bubuli recentis libras decê, œsypi humidi semilibrâ, misce, & cû aqua œsypi fiat emplastrû, vel strigmentû, vt lutû thermarû: in eo resideant aliquo spacio. Hinc ablui debét, præscripto balneo. doloribus nemotû sobueniet.

subuenit. mox à balneo adhibeti debet, vt hac crustâ quasi obducta balnei vis, felicius agat, ac partes subeat.

Vsus. Γλοιὸς, id est, sordes balneorum, inquit Ægineta 7. libro, calfacit moderatè, mollit, discutit; fissuris, & tuberculis conuenit.

Mirum. Scribit Theophrastus Paracelsus Smaragdi balnea veneris vsum non ferre; vt sapphirus nec pestem nec lepram. Balnea, inquit, ea argenti fonte leprosis vtilia. Et dicit, balnea ex sale gemmæ commigrare faciunt in saxa, quæ lignea erant: vt ex vitriolo balnea, in æs mutant ferrum. Certè illud affirmare possum, me Patauij vidisse muliebrem mammam in saxum euasisse, quòd, cùm mortua iaceret, hæc fonte mersa fuisset. Magna sine dubio vis, & fontium & balneorum.

Vtilitas dulcium. Balnea sint tepida, cùm eorum vsus initur. Balnea aquæ dulcis omnia aperiunt, ac excludunt inquinamenta & coquunt, lassitudinisque ariditatem molliunt, omni intemperiei (excepta humida) prosunt flatus discutiunt; calidum enim natiuum promouent. Hinc omnibus febribus conferunt coctâ morbificâ materiâ, maximeque hecticis omni tempore auxiliantur: pleuriticis, peripneumonicis; nam ea pectorato student: at non nisi vacuato toto corpore admoueantur.

Sit aqua pluuia, fluuij, vel fontis; nam tenuis optima, ne astringat.

Modus. Balneis his additur oleum, butyrum, vel lac, cum vel lenientibus vel placantibus dolorē opus est: vt in calculo in nephritide, & conuulsione, ac ad ariditate squalida corpora: nam laxatis poris rigantur solidæ partes optimo hoc liquore.

Ad dolorem. Dolorem placant quæ fiunt ea temperatis, mollibus, ac laxantibus; ex aqua & vino, vt in flatibus conclusis aluo, vtero, vel renibus.

Exemplar.

℞. rad. althææ, liliorum alborum ana sesquilibram; foliorum maluæ, althææ, perdicij, violariæ ana manipulum; seminum lini, fœnigræci ana semilibram; seminis bismaluæ vncias tres; florum chamæmelorum, meliloti, summitatum anethi cuiusque manipulum. fiat decoctio ex aqua q.s. cui misce olei liliorum, & lini ana libras ij. fiat balneum. Diutius in eo versetur, vt placetur dolor: nec tamen sudor promoueatur, ne fatiscant vires.

Vbi scabies molesta, tergentia misce; postea siccantia ad cutis robur.

Aqua dulcis frigida. Vt aqua dulcis variè calore frigoreque perfunditur, ita & varios effectus profert.

Hecticis. Vt Balneum ex aqua dulci frigida, attamen egelida, nondum tamen tepida, hecticis confert: firmat enim viscera squalentia æstu, ac poros. Quanquam Philippus antiquus Medicus in his balneum reiiciebat. At grauiter Galenus contra illum egit libro de Marasmo, capite decimo, & duodecimo; & libro decimo Methodi, capite duodecimo. Hecticis hoc modo admoueri debent: primò ponantur in balneum tepidius, (ita laxabuntur partes) hinc affunde frigidam, vt leniter tepescat (illud humectat) tertiò tantum affundatur, vt frigescat: vel expiret calor, & per se frigescet, id enim densat partes: & iucundè ea frigoris voluptate perfruuntur in sicco illo corporis squalore. In primo balneo non hæreant diu; in medio aliquantum prolixiùs; in tertio minùs quàm in secundo. Rosæ quoq. incoquuntur & folia salicis, nymphææ, & hordeum, violæ, ad robur cutis. flores vtiliores foliis: quia tenuior est eorū vis. Succi quoque miscentur, vt solatri, cucurbitæ &c.

Tepida. Tepidæ aquæ balneum naturæ cuncta negotia promouet, in his quæ moderato calido ac humore egent, ac apertis laxatisque poris refrigerat, exhaustis fuliginibus, ab æstu liberat.

Calida. Calidæ aquæ balneum, algore contractis malis medetur; sudores mouet, exhaurit corporis madores. Cauendum ne impuro corpore eo vtamur; nam cuncta fundit ac liquat. Vbi calor occupat corpus, noxium erit.

Olei Balneum.

Olei. Olim, vt prodidit antiquissimus Medicus Herodotus, libro de Remediis foris adhibendis, ex oleo solium institui solet, his qui diuturnis febribus conflictantur, & his qui lassitudine oppressi iacent, ac cùm doloribus quatiuntur neruosæ ossium partes. & vrinæ suppressæ admouet Galenus. Omni enim ætati, maximeque senili dicit Herodotus, ac omni tempore conuenit. Et cùm febris symptomate aliquo molesta est, commendatur hoc balneum, ea declinante: at in statu febris quartanæ laudatum remedium. At, dicit Herodotus, in vrinæ suppressione, ac in acerrimis doloribus, & conuulsionibus festinandum est. In vsum ductum remedium noui, cùm quendam extenuatum ac exhaustum ferè acerbissima conuulsio occupasset, tepidi olei pleno vase mersus, ac fotus (à Cl. Botanico Guillandino) euasit.

Ἐγχύσεως bruns balnei.

Quinta pars olei calefcat, ac in solium fundatur; non enim vis traiicere caloris totum oleum foco potest: si hoc modo ab affusione oleum calescat, nidorem nullum trahet, ac sequentibus diebus vtile erit vsibus. Sedeat æger in sede perforata, ne fluctuet; spongias sibi substernat. Si & caput perfunditur, spongia mollis oculis apprimatur. virium cura adsit; nam sudores facilè profluunt ab hoc tepore.

Ita in hydrelæum sese dimittere poterunt, sed primò quantum fieri possit misceantur, sitque sexta pars olei.

CAVTIONES.

Tempus. Hippocrates libro tertio De victus ratione in morbis acutis scripsit aphorismo, 54. καὶ μὴ τε πιπόωντα μή τε σιτίων λούεσθαι. id est, *neq; potu neq; cibo saturatū, lauare est aquum*: ne cruda materia ex aluo in venas, & habi-

Error. tum corporis rapiatur. Cur igitur hoc æuo Medici, modò lac asininum exhaustus æger biberit, statim in balneum ægrum immittunt? Respondebunt, vt rapiatur in habitum corporis. At nos; non assimilabitur eùm non coctum fuerit. Rectiùs igitur post quatuor horas id fiet. Edixit Hippocrates, *neque confestim à balneo sorbendum, neque bibendum*: nam excitato calore, vis caloris attrahens eripit occasionem mitificandi. Hinc Celsus 3. lib. 22. parca manu cahibet.

Quare opportunè dabis à balneo. quid? quod vires stabiliat, vt lac vel ptisanam, cùm corpus rediit ad æqualitatem à balneo. Sin vires languant in balneo, da panem vino tinctum, vel succo arancionum, vel vuas adsitim fallendam: nam Cassius Medicus in problematibus dicit, exhausto humido eos aliquando sitire.

Crudâ in febribus adhuc materiâ infirmave aluo, à balneis abstinendum: ita & in catarrho, hæmorrhagia,

Quo modo. & viscerum effœta vi; quia cùm balneo liquescant humores, huc ruent patentibus viis. Quare omnis cautio rectè colligatur ea balnei qualitate, quātitate, loco, tempore, & vtendi modo: nam æqualitas quædam esse debet in affuso liquore, ne vissicitudine caloris & frigoris offendantur ægri: hinc & assuescant priùs aëri calido, ne repentina aëris mutatione lædantur. quare Hippocrates dicebat, via breuis ad vas balnearium esse debet, ἡ ἐς ἐμβασιν, ἢ ἐκβασιν: id est, *facilisque vasis balnearij ascensus, & egressus esse debet*: nam lipothymiâ multi laborant. *Quinetiam*, dicit Hippocrates, *qui balneo vtitur, modestum esse oportet, & taciturnum: quia mutatio quæ modò fit foras, aut intrò, calamitosa est: quia hoc modo refrigerantur, qui serosum humorem profundere debebant. Quare ipse*, dicit Hippocrates, *omninò feriari debet: nam alioqui distenti musculi plus maderis contrahunt, quàm dissipari possit.*

Præterea qui ritè his vtetur, in promptu habere debet temperationis varietatem, vt à calido ad egelidum, hinc ad frigidiusculum fiat progressus in exeundo. Sunt

Balnei partes. enim quatuor Balnei partes aër, aqua frigida, calida frigida. & sudoris detersio: & hoc est quod vocabat Hippocrates.

acut. 48. μεταχείρισμα. Nihil enim est perniciosius quam cum horrore in balneum descendere.

Cui. Et quoque diligenter perpendendum cui admoueatur: etenim rupta vomica in pulmonibus, & in renibus, multi in balneis interiere. periculosum & qui sanguinem profundunt, & qui lienteriæ sunt obnoxij, & nauscabundis, & biliosa ructantibus.

Summo studio, dicit Hippocrates, caput est resiccandum spongia, detergendo & fricando occiput versus: est enim mador capiti inutilis; vt & frigus.

Sit libera aluus, & vesica, ne cloacæ huius fœditas in venas & habitum rapiatur, caputque vapores feriant.

Quando. Tempus matutinum optimum est, moram, vites dicent: paulatim assuescat. A balneo siccato ægro, cubili tradatur, vt quod attractum est sudore excutiat ex habitu; & tegatur: Deterso mox sudore, ambulandum lentè, hinc pastus ineundus, sed à Venere sit pax, ob exhaustum.

Modus. Antyllus vetustissimus medicus libro primo De remediis scripsit, sensim mergendum esse corpus balneis naturalibus; ne si aliter, pori corporis sidant, ac vim aquarum excludant. Asclepiades venientem à balneo, ac sudantem, à potu frigidæ arcebat, inquit Celsus, lib. 1. cap. 11.

Agathini doctissimi ac antiqui medici sententia fuit calida balnea tarò ineunda esse. At, dicit, qui vitæ huius curriculum sani perficere velint, frigidâ lauari sæpe

Laus frigidæ. debent; hinc qui senectâ crudâ his vtuntur, roseo colore (inquit) efflorescunt, ac robur induunt, firmantque partes nutritioni dicatas. At dicit, qui calidis vtuntur, flaccidas carnes gerunt ac fluidas, omniaque, quæ cæteris expedita, languent: hinc barbarorum corpora, qui frigidâ, & infantulos mergunt, firmiora: nec eorum pueruli æquè vt nostri, epilepsiæ obnoxij: nam nutrices olim omnes puerulos cottidie calidâ ad somnum lauabant; quod si neglexissent, soporari (inquit Herodotus) illos non posse putabant. Attamen graciles à frigidioribus caueant.

LACONICA SVDATORIA.

Veteres ab vsu balneorum in Laconica descendebãt. Hæc sunt vel sicca, vel humida: sicca, ex arida exhalatione poros corporis laxante fiunt, vnde sudor promouetur.

Candentes igne silices cupæ imponantur, supposita lamina ferri sedes ægri in medio sit: orbis ligneus aut vimineus sectus (vt vtrinq. labro cupæ affigi posset) linteis inducatur, quib⁹ arceatur caloris expiratio: & vt caput cōmodè exerat, ritè admoueantur. conuenit crassis.

CAVETO. qui astant, ægrum inspiciant, ne lipothymiâ labens in silices, totum corpus vrat.


Modus. Paulatim assuescat his: nam Herodotus medicus antiquiss. lib. De remediis externis, dicit balneis (hic maior vis) si quis tres hebdomadas vtetur, à dimidiæ horæ mora exordiatur, increscatque sensim, dum tempus duarum horarum hebdomadâ perficiatur. Ac paulatim ad semihoram redeat.

Humida. Humida Laconica vapore eliciunt sudorem. fiunt ex sudoriferis coctis ex aqua, vino, vel his remixtis, ac coctis in ingenti lebete obserato, ne quid expiret: ex cuius ore fistula ferrea producitur in cupam, in medio amborum fundorum, quò vapore, tota cupa impleatur.

Etenim duplici fundo strui debet, imo, ac solido: altero sublimiore, multis peruio foraminibus, in quo æger vaporem toto corpore excipit.

Vapor ille cùm æstuat nimis, aperto fistulæ supremo foramine mitescat.

In harum inedia, decoctis herbarum, pedibusque appositis ægri, silices candentes iniiciantur; vt vapor inde surgat: coquuntur vt pulegium, hyssopum, origanum, thymbra, saluia, folia lauri, pyrethrum, chamæpitys, rosmarinum, grana iuniperi, &c. Germanis hoc adhuc æuo frequentia sunt balnea. Quare qui pluta de iis velit, legat D. Andernaci Thomi 11. Dialogum VIII. in fine.



A Cupa in qua sedes est ægri.

B Fistula quæ & liberi & cupæ inseritur, cui insert [vaporem.

C Fundus sublimior foraminibus peruius.

D Orbis vimineus cupæ affigendus.

IRRIGATIO, PERFVSIO, καταιόνησις, κατάντλησις.

Fit instillato copiose liquore in partem: nã ita penitiùs penetrãt. Calidis maximè affectibus studẽt irrigationes.

Vtilitas. Capiti maximè dicatũ remediũ, ad somnũ prouocandũ, delitiũ placandũ, conuulsionẽ sedandã: vtile in febribus, & vigiliis: vt est decoctũ chamæmeli, & capitũ papaueris: quibus vel ex oleo coctis, caput rigamus, blandèque somnũ conciliamus. Fertur Archigenes præceptorẽ suũ

Historia. Agathinũ ex vigiliis delirantẽ, cōfestim delirio vigiliisque soluisse, largiore oleo & calente, capite irrigato.

His temporibus, ac regionibus, non facilè admittunt affusiones, etiam cùm vrgent vigiliæ. Quare iubemus vt brachiis, manibusque in decocto tali narent diu, hora somni, & si velint, pedibus. Fiat decoctio ad libras sex.

Ad somnum loco. ℞. maluarũ, foliorũ lactucę, cuiusque duos manipulos, capitum papauerũ alborum quindecim; corticum radicũ mandragoræ semunciam; foliorum melillæ manipulum (illa addo ad robur, & penetrationem) aquæ q. s. fiat decoctio ad quintæ vel sextæ partis consumptionẽ, & non ad mediæ ablationem: quia vis remediorum euanida exspiraret. Addi poterunt flores nymphææ, meliloti, folia salicis, vitis, cucurbitæ, semen anethi.

Vsus. His similẽ vsũ ac medicamen, embrochã, id est, irrigationẽ iã vocitãt medici practici: at non ita veteres, quod embrochę descriptio mox aperiet. Veteres in canina cōuulsione, & neruis vehementer affectis oleo calida vi perfuso caput rigabant: vt Sicyonio calido; & cùm tremor accedebat, castorium remiscebant. Ita podagricos ex marrubio in aqua, aut vino cocto irrigabant.

Ita & hepatici & splenici proprias irrigationes habẽt. Veteres excogitarũt olim irrigationẽ ad vomitũ, quæ iã noua haberi possit: Etenim Diocles glande ex elleboro vtero imposita vomitũ inferebat. Dieuches autẽ anũ em-

Ad vomitum ciendum. plastro circũdedit ex elleboro. Horũ exẽplo, priscorum posteri pedes irrigabãt, cocto ex aqua marina elleboro, oleoq; Cypr. ac nitro infusis: ex qua perfusione pituitosa vomebãt, quæ prodesse videbãtur podagrę, ac arthritidi. *Podag.*

Vsus. Ad meningis vitia calida præcipuè comparatum remedium, sincipiti ob tenuitatem cranij peruium: partibus in inflammatis vtimur, vt arteriæ vnà cum aere, frigus partibus calentibus inferant.

His quoq; vtimur, cùm in fractis, ac luxatis vincula soluere nõ tutũ est, ne dissiliãt mẽbra: vbi à solutione fluoris sanguinis metus est, tũc ex sublimi, quò peruadat vis remedij ad membrum vinculis iniicitur. verùm si dolor adsit, parũ iuuat hæc rigatio. Antyll. l. 1. de Præsidiis dicit, ad resoluẽdas inflãmmationes conferre, vtq; promeneatur pus in abscessibus. Viriis calidis maxime succurrit: cùm enim perpetuò affluat nouus parti liquor, maius frigus ducit hinc, quàm ex fotu.

Materia. Coquuntur herbæ ex aqua, & quoq; vino: in frigidis & humidis affectibus ex lixiuio, & balneorum aquis, & ex

oleo vel aceto, aut his remixtis. vt in cerebri inflãmatione, vtimur καὶ ὧς oleo rosato, cũ aceti quadrãte. *Dolori.* Cùm dolor sedãdus venit, oleũ violaceũ hunc molliet. Ad inflãmationes laudatissimũ est oxyrrhodinõ, quod cõstat ex olei rosacei partibus quatuor, & aceti vna, vt dicit Gal. 1. περὶ εὐπορίστων: ita enim mediocriter refrigerat; quod plus aceti habet, id frigidius. Frigidis morbis adhibetur cum sale, vel thymo, saluia, &c. *Exemplum.* vt ℞. fl. violarum, rosarum, nymphææ, cuiusque pugillum; foliorum nymphææ, solatri, plantaginis, cuiusque semimanipulum; seminum frigidorum maiorum, & minorum, cuiusque scripulos duos: fiat decoctio ex aqua plantaginis, vel endiuiæ &c. ad libram; in fine coctionis adde aceti acerrimi vncias tres: Initio inflammationum instilletur. *Ad humid.* Ad humidos & frigidos morbos, ex lixiuiis, vel metallicis potiùs quàm ex herbis fit irrigatio, vt alumine vel chalcitide: quòd æquè siccent ac calfaciant: & quos mouent succos dimouent.

Splenium, Frontale, Humectatio, Embrocha.

Ab ἐμβρέχω, id est, *immergo.* etenim ἡ καταιόνησις differt ἀπὸ τῆς ἐμβροχῆς, quòd post τὴν καταιόνησιν in parte aliqua factam, eidem lanam aut linteum, aut aliud superponimus, eodem liquore imbutum, quod perpetuò insideat. Hæc malè distinguunt hodie practici.

Spleniũ à splenis formâ dictũ, olim quoduis emplastrũ significabat, & linteũ oblongũ: vnde Martial. *Splenia tolle legens:* Et quodq; Emplastrũ, vt antiquissimus scriptor Philemon in Phileta. Ἄρ' ἔστι λόγος τις τοιοῦτος χρήσιμος ὡς σπλήνιον πρὸς ἕλκος ἐπιτείνας τοῦτο, τὴν φλεγμονὴν ἔπαυσεν.

Cataplasmatis vices explet (quamuis fractiore vi) vbi commodè id adhiberi nequit: quod fit, vel à partis figura, vt in capite; aut adeò labefactato ægro, vt pondus cataplasmatis non ferat: ac inflammatione obsessis præcordiis, ineunte morbo, cùm intempestiuus est Cataplasmatum vsus: vel fractis & contusis, cùm emplasticis locus non est. Aceti ℥ß. sufficit ad ℥iij. Olei.

Hoc æuo medici in phrenitide, vigiliis ac acerbis cap. doloribus, remediũ frõti & sincipiti adhibẽt ex aqua rosata, lacte muliebri, aceto rosato: his quid olei addũt rosati, linteo madente, tepidè admouẽt. fumos à cap. arcet.

His regionibus. Qui his regionibus reformidãt vsum humidorũ, accipiunt semimanipulũ farinæ hordei, cũ lacte muliebri, & aceto rosato, paucoq; oleo rosato, pultis in forma, duabus sindonibus excepta admouẽt frõti. *Chamæmelinum.* Declinãte morbo chamæmelino oleo illinunt caput: nam, vt dicit Antyllus antiquissimus medicus, digerit, nec nouã materiã prolectat: quod æquè nulli, dicit, remedio cõcessum fuit. Alij herbas calidas ex liquore coquũt, linteis admouẽt.

Formula.

Exemp. ℞. olei rosati completi, olei violacei, olei nymphææ, singulorum vncias duas; aquæ lactucæ, nymphææ tres vncias; aceti (vel si vigiliæ vrgẽnt, succi citrij) vnciam vnam: vel addite aquam melissæ, vt robur seruetur capitis. nam Auicen. vtitur chamæmelis in dolore calido.

Caut. Cavtiones. Phreniticis adhibeantur sincipiti & temporibus: dicit Antyllus, intacto vertice, ac posticis: nam origini neruorum frigus bellum indixit; quæ calidis perfunditur liberaliùs bonis ægrorum rebus.

A frigidorũ adhibitione abstine si deliriũ fiat ratione futuræ hæmorrhagiæ, nã id foret lethale. Sin nil tale expectetur, à phlebotomia, ilico admoue, ne fiat phrenitis. *Criticum vnde innot. delirium.* Sed dices, vnde noscã criticũ deliriũ? Dico, si coctionis signa appareant in vrina, & pulsu, adsitq; quædã ὠφέλεια, fiet hæmorrhagia: ab his igitur caue. Si verò langueat natura, nec pepasmi adsint signa: cùm nẽpe victâ naturâ, ruunt in caput, nec eò feruntur naturæ vi, opportunè tunc admouentur; nam causam delirij arcent, vigilias, ac humorum acrium influxum longè ablegant.

Olea.

Oleũ, vitæ sacratus liquor, corpora perẽnare facit. Democritus rogatus quid maximũ vitę tutelare esset, foris oleũ respõdit, intus mel. Hannibal à milite in montibus frigus illito oleo arcebat: athletis olim dulce subsidium.

Vsus oleorum initur, quo peruadat remediorum vis partium substantiam faciliùs. *Vsus.*

Et vt acrius remedium hebescat: ita in pessis, ne vlceretur vterus, oleum amygdalinum adiicimus, vt cùm cantharides, aut flos æris admouetur.

Oleum oliuarum mediam temperiem sortitum est, ita vt eius vis nutet, quò ab iniectis remediis trahitur. *Oliuarum.* Sed crudius quod est oleum, maturo frigidius. quare cùm ex frigidis iniectis rebus, oleum componendum est, (vt rosis) sit id omphacinum: tantum frigoris, quantum astrictionis habet. At si calida vi perfundere oleum velimus, maturum ac suaue accipiemus, & antiquum, vel quod vim calidæ herbæ biberit & aromaticæ, vt rorismatini, maioranæ. Nonnulli & amygdalinum loco oliuarum accipiũt. Sępe lauatur oleum, ne die rancidum fiat, aquâ rosata, aliâve affusa, modestè concutitur, ac sæpius mutata aqua cãdore nitescit, & omnem acrimoniam exuit. *Lotio.*

Oleum quò antiquius, eo calidius: tenuitate & perluciditate id elucet, & si facilè illitis partibus imbibatur.

Oleũ omphacinũ ita parabis: iniice veteri oleo virescẽtes oleę talos, fiet omphacinũ. sed oleũ Hispan. est omphacinũ: hinc mulieres id in alui fluxibus hodie exhibẽt. *Omphacinum.*

Olea quę aquosã secũ rapiũt humidit. corriges iniecto pane tosto, qui bibit aquã, vt oleũ ex semine papaueris, hyoscyami: ita cũ colicis oleũ oliuæ bibendũ exhibetur.

Olea Qvæ Expressione Fivnt.

Ex simplicibus rebus hæc olea fiũt; ex fructibus, ac seminibus tritis. & cõtusis. Id fit absq; igne interdũ, vt semẽ hyperici in pistrino molâ frangitur, ac vi ol. exprimitur; cui flores immittũt hyperici, Soliq; expõnũt: vulnerariũ insigne, secretumque remedium. ita torculari amygdalinum, nucum, ricini, à contusione exprimitur.

Quędã ignis admotione, vt ex tritico, ex vitellis ouorũ, qui cocti in sartagine, &, ab attritu digitorũ, frixi exprimũtur cùm oleũ fluit: ex amygdalis, auellanis, nuce moscata, persicis, baccis iuniperi, lauri, myrti, hyoscyami semine, & cucurbitę, & ex vuarũ acinis, calfactis, & torculari subditis: linteo vino vel aqua madido inducta, tepesiũt ac torãtur aquæ vapore. Hæc nullus vberiùs docuit Mesue libri tertij sectione nona. eum consulite, & doctissimum eius interpretem, Iacob. Siluium.

Vt amygdala in massã trita, sacculo setaceo vino aut aqua madido excepta, torculari subiiciũtur: ita nucis moscatę massa, vapore rigata. *Nucis myristica.* Eo modo & baccę recẽtes lauri terũtur, & in vase duplici coquuntur & exprimũtur. Quidam nucem moschatam, macem, vel crocum, vel caryophyllos crassum in puluerem redigunt, & aqua vitæ aspergunt, diu balneo in longo vase coquunt; setaceo excepta laminis calidis exprimunt.

Vmbelliferæ herbę ferè cunctę, oleosa semina fundũt. *Herba oleosa.* Id oleũ leptomereia quadã excellit, aut restagnat crassiore substãtiã. Crassũ viscidũq; illud oleũ pressione excludi potest; non enim fit illi via vi distillãdo; surrigi namque crassamentum nequit: hinc oleum nucis myristicæ nisi aqua vitæ paretur, concrescit instar butyri.

Ex Benjouino fragrantissimum exprimitur oleum; *Benjouini.* Balneo maceratur id gummi, cum oleo ex nucleis cerasorum: hinc miscent ambram, muscum, & zibettam, ferreis laminis candentibus binis exprimunt: hoc est illud oleum quo chirothecæ imbuuntur.

Ex baccis, elegans ratio.

Vt, Accipe baccas Iuniperi nõ senescẽtes, nec recẽtes (nã & ita fructuũ nuclei colligi debẽt) sed mediæ ætatis; *Iunip.* misce parẽ aquæ vitæ, cõtunde in massã, adde & aliquid olei terebinthinæ limpidissimi: immitte vasi stanneo, ac claudatur; balneoq; imponatur, vt æstuet. Ab horis trib. pręlo subde, ac laminis ferreis repẽtib⁹ exprimatur oleũ. Id cochlearis copia sumptũ excludit fœtum, stomachũ firmat, neruorum conuulsionibus ac resolutionibus medetur, colicos vteriq; dolores soluit, fœdam vim aëris arcet in peste, calculosis vtile: scabiem & fissuras curat. *Vis.*

Similiter baccæ lauri, hederæ, sabinæ exprimũtur. Si quid situs dic cõtrahant, affuso vino retortis distillentur.

SECRETVS

SECRETVS *modus extrahendi olea ex omnibus floribus.*

Florum. Accipies nucleos cerasorum : siccentur in calido furno, quò mador euanescat; dein cultro crassiusculè incidantur; mox stratis vicissim & his, & floribus, vitro, in calido loco (vt in balneo) dies quinque foueantur; hinc contundantur minutim, ilicoq́ue rato linteo leniter adducto torculari exprimantur.

OLEA QVÆ INFVSIONE FIVNT.

Hoc fit vel decoctione, macetatione, vel insolatu, vt docuit Ægineta libro octauo, capite vigesimo.

Decoctione : cùm plantarum partes aliquæ, gummi, vel animalia, ex oleo oliuæ, vel amygdalorum coquuntur. *Modus.* Id cùm fit, oleo affundimus vinum, aquam, vel succi herbarum tertiam vel quartam partem : coquimus dum exhaustum fuerit affusum : quod intelligimus dum gutta igni iniecta non strepit, sed flammescit: nam alioqui situm contrahet.

Sæpè macetantur prius, vt solutior sit vis. At BALNEO hæc coqui præstat metu vredinis, nec alio liquore opus erit : exprimitur & reconditur. Hac arte fit rosarum oleum, violatum croci, cydoniorum, vulpinum, lumbricorum, masticinum, &c.

Sexta, aut quarta, sit remedij iniecti, ad oleum pars; vt libra olei accipiat tres vel quatuor vncias herbarum: ter renouentur : vltimò maneant. Si sint aromata, primò ea incoque aquæ, mox adde oleum.

Nonnunquam decoctione ex liquore, eliquescet oleum : ita ex granis sambuci, ebuli, & lauri baccis paratur oleum. *Exemplum per ignem:*

℞. olei rosati ℥ vj. masticbis ℥ j.ſ. vini opt. ℥ iiij. coq ad vini consumptionem: hoc est masticinum oleum.

Maceratio. Maceratio fit in arenis, cineribus calidis, vel fimo equorum; vt vires prolectet ac soluat iniectas oleum.

Antiquis. Antiquis hæc olea, μύρα, Latinis vnguenta fuere; cùm aromatibus inspissata essent, aut propria vi: veteribus ob fragrantiam expetita. Sed sine fragrantia non dicebantur μύρα, vt ex hoc D. Basilij dicto elucet: ὥσπερ γὰρ τῷ πυρὶ αὐτομάτως ἕπεται τὸ φωτίζειν, καὶ τῷ μύρῳ τὸ εὐωδεῖν, οὕτω καὶ ταῖς ἀγαθαῖς πράξεσι τὸ ὠφέλιμον. id est, Vt ignem vltro lucis splendor, & vnguentum suauis odor sequitur; ita bona opera vtilitas.

Insolatus. Insulatu vtimur in floribus (nam nullus flos coctionem fert) cùm tenues florentesq́ue vires haurire oleum volumus; nam tepido vitaliq́ue hoc calore non se in auram soluunt. Ita oleum rosatum fit, anethinum, violatum, ex nymphæa, & liliorum floribus, chamæmelis: &c. apud Meluem.

VVLNERARIVM INSIGNE.

Nos ita vulnerarium amicis paramus: ℞ olei oliuarum libras duas; vermium terrestrium manipulum: viui hi vermes musco quercino immittantur per diem, nam eo euomunt, quicquid fœdi à terra sorpsere; adde florum hyperici, vel potius hos nondum emicantes (tunc enim rubedine tingunt) lib. ſ. florum centaurei minoris & capitum trifolij odorati ana ℥ ij. gummi elemnij tantundem; tota ęstate soli æstuāti exponatur. Ac singulis annis flores recentes, abiectis antiquis, remisceantur. quidam & aliquid terebinthinæ addunt. mira vis huius est olei. Nonnulli addunt quid aquæ vitæ in qua quid beniouini solutum est.

Olea Hyperici.

Ad olei hyperici compositionem quidam æquales sumunt partes olei & terebinthinæ; iniiciunt flores hyperici, & chamæmelorum, rosarum rubrarum, prunellæ & rutæ, centaurei, & parum florum chelidonij. Quotannis noui flores abiectis veteribus inferuntur : alij vino cum robro sæpius mutatis floribus in balneo coquunt. Nonnulli ad libram olei, remiscent terebinthinæ tantùm vncias duas.

Alij quatuotdecim diebus vino rubro infusos flores leniter coquunt, ac exprimunt: hisq́ue expressis, nouos flores iniiciunt, ac octo dies macerant. & ex balneo coquunt cum paucâ terebinthinâ, dum vanescat vis vini: tandem croci quid iniicitur. Sunt qui dum coquitur, addunt thus, myrrham, opopanacem, sarcocollam, & rubiam tinctorum.

Aliud.

Accipe cacumina (cùm se ex flore in semen colligere cœpit) hyperici, contundantur; vino albo maturo infunde, quò mergatur hypericum, soli per decem dies expone; hinc adde olei quo pondere æquet & vinū & hypericum, insolentur dies decem, adiice terebinthinam, nempe vt quæque libra olei, binas vncias terebinthinæ accipiat, & croci drachmam; nucis myristicæ, caryophyllorum, myrrhæ, cuiusque semunciam; resinæ pini semunciam addat libræ; rubræ tinctorum vnciam; bulliant in balneo, obturato vase: vinum exstilletur: mox cola. Vulnera glutinat, mundat, nec cicatrice fœdat, putredinem arcet, contusa recreat, venenis resistit.

Sunt qui antimoniū addant, millefolium, caudā equi, benioninū & consolidam, axungiā porci, cuminū, rosas.

Et quidam terræ infodiunt dicta; semestri spacio.

Hyperici insigne Balsamum, quod per os sumitur, in capitis & internis vulneribus.

Accipe olei baccarum iuniperi, libram : olei extusi ex semine hyperici quatuor vncias; adde flores hyperici; vitroq́ue clauso insolentur dies duodecim, agitato cottidie vase. his exactis, noui flores iniiciantur, abiectis effœtis; idq́ue sæpiùs repetendum. rubia hîc addi poterit, vel halosanthos.

ECCRISES CHEMICÆ, ET OLEA QVÆ DISTILLATIONE FIVNT.

Vt veritati soli, cuius castra, & Galeni nos sequimur, patrocinemur, fatendum certè est, Medicinam vix & ne vix dum Gratiis sacrificaturam, sine elegantissimâ *Vtilitas.* hac Distillandi arte. Quam non modò vtilissimam existimo, quin potius necessariam; vt sine qua ne vita quidem satis cōmodè duci posset: cespitatiam profectò sine hac arte Medicina. Hęc potentiâ ignis liquores elicit ex herbarum ac animalium omnibus partibus; quæ saporē, colorem, odorem, ac vim gerunt earum partiū vnde dimanârunt. Hoc artificium comparatum esse videtur ad *Vnde nata.* imitationem vaporum, qui in corpore humano, calore rigato sese iactant ac voluunt: qui cùm abunde se erigūt ad caput in sublime positum, vbi domicilium est frigidi succi, in κατάῤῥους coguntur, ac se effundunt, quos Distillationes vocant. Non aliter ac in magno mundo, ex anathymiasi abrepta in aëris regionem, ros ac imbres gignuntur. Horum imitatione, cucurbitæ vitreæ imponitur capitellum, quò longiùs à feruore recedat, vtq́ue attrahat vehementiùs rectâ in lineâ. *Nam & homines,* inquit Abincenna, *declini qui dormiunt capite, minùs his, qui erecto & sublimi dormiunt, catarrhis fatigantur*: addit rationem Aristoteles Sect. 10. Probl. 53.

Est DISTILLATIO *partium tenuiorum à rebus in* *Quid sit.* *halitus extenuatio, & elatio à caloris vi facta: & ob frigiditatem aëris in liquorem commutatio.* Hanc κατασταγμὸν Græci appellant.

At Sublimatio quid aliud est; nam hæc *non in liquo-* *Sublimatio.* *rem fundit, sed exhalationes surripit in altum à rebus aridis, quo puriores & splendidiores euadant* : & adhærent ad vasis operculum, & ad latera. liberat res à terreis & aqueis partibus.

NON nuper nata hæc præcellens ars: nam Albucasis, *Antiquitas.* Rases, & eius auditor Abincennas, qui circa annum octogesimum supra millesimum à partu virginis floruere, de hac, tanquam iam recepta & euulgata arte loquūtur. Et si Raimundo Lullio credimus, Hippocrates hanc omnino calluit, *ac modos sciuit quo stellas ex metallis, etiam cœlo figere liceat*, vt illi loquuntur. Sileant igitur qui existimant hanc artem Hippocrati & veteribus incompertam fuisse. Existimo hanc artem antiquiorem, mille & trecentis annis, Plinij sententiâ; qui affirmat *3. lib. 4.* *Caium principem, ex auripigmento aurum fecisse* : & etiam scripto Suidæ, qui scribit, *Diocletianum libros de*

Chemia auri argentique Ægyptiorum, ab antiquis scriptos, vulcano dicasse; ne Ægyptij hac arte, ditius comparatis, arma mouerent. Iulius etiam Firmicus Maternus, qui annis iam ampliùs mille ducentis vixit, Ltertio Mathefios, eapire decimoquinto, Alchimię meminit: asserens, Lunam in nono ab horoscopo loco, in nocturna genitura, in domo Saturni, hominem Alchimiæ studiosum reddere. Maximè eo tempore explenduit, cùm Saraceni Damascum vrbem sedem regni constituerunt: cum litteræ emicare sub Mauia eorum rege vel Almirato cœpissent, anno salutis circiter sexcentesimum septuagesimum. Cui tamen arti summam maiestatem, si voluisset, Paracelsus adferre potuisset; à cuius ætate maximum in vigorem, qualem aliàs ounquam, surrexit hæc ingeniosa inuentio.

Alchimia quando maximè experit explendescere.

Quamuis ab ipsis Ægyptiis, si scruta antiqua eruantur, profectò hanc artem deprehendemus, sed ab illis occultatam, cùm id Suidas illis tribuat, & Firmicus Maternus suam mathesin, in qua de Alchimia meminit, Ægyptiam appellet. Postea apud principes habitauit. Ita Abarach rosato à stillatitio liquore cerebratur, ab hinc annos quingentos: quam etiam fouit Rex Neapolitanus Robertus, & Odoardos Angliæ Rex, & omoes ferè principes hoc æuo.

Vsus. Hæc certè maximi vsus in Medicinâ ars; nam segregat heterogeoea, & nobilitatem rebus addit, dum à fœditate, corruptioni obnoxiâ, illas ferè vindicet: quin & quæ tenuia sunt, facilè à calore nostro superantur, exiguâ si mole admittantur. Adde etiam suauitate hæc blâdiri; quod bonis naturæ rebus fieri in pharmacis, asseruit Hippocrates: nam vt ait Philagrius apud Aëtium, *natura odore grata lubenter amplectitur, ac inde recreata, & quasi reuiuiscens, vires suas, à morbi ferociâ pressas reuocat.* Quare optarem syrupos ex aquis, quæ saporem odoremque herbarum spirant fabricari; ita citiùs corpus traiicerent, ac omnia peruaderent, non sine quadam iucunditate.

Siru pi ex aquis.

Nec tamen humanis artibus concessum fuit, vt sinistrè quidam putant, pura putaque elementa rebus abduci posse. Id enim iam in confesso est, ignem esse leuissimum: attamen quod primo loco erigitur, per distillationes, in qoibusdam aquam sapit: vt in aceto, chalcanto, sulphure: at secundo loco, validiore ab igne exprimitur calentior pars. Sed dices, ob mixtionis validam coonexionem, calidiotes partes cunctantiùs exprimuntur. Itáne? profectò cum æqualis adsit mixtio, eadem io extundendis aqueis partibus difficultas esse poterit. Imò in oleo chalcanti & sulphuris, quæ ad ignem illi referunt, magnam acerbitatem & astrictiooem percipimus; itaque terreum qoid inest: & quædam eorum terræ immissa subsidunt. Attamen similitudine ea qua propiùs ad elementa vergunt, elementa dici possunt, quamuis ex quattuor elemétis cósociata sint; leptomera tamen. Imò Auerrhoës negat syncera eleméta iis locis habitare, quæ illis à natura dicata fuere: quáto igitur minus in mixtis?

Elementa nõ distillantur pura.

4. Meteor. 10.

Notanda. Illud obseruabile, vt solaribus à radiis id quod leuissimum est sursum rapitur, ita quod vi ignis exstillatur tenuius seipso & calidius est, vel saltem minùs frigidum: vt id acriori vel cunctantiori igne elicitum fuit. Ita Tartari aquâ lactis stillatitiâ se inebriant. Et felicius restibiles suas vires tuêtur exstillatæ res calidę, quàm frigidę.

Omnia exstillata calent.

Quæ ægrè vel nunquam surrigunt se. Præterea notandum, quasdam res materiæ ratione maximè agere, vt astringentia, roborantia, densantia: sed hæc ægriùs erigunt sese, quin potiùs fundo se committunt: sunt enim substantiâ crassa, & qualitate frigida.

4. simpl. 7.
Quæ facilè. Aliæ res ratione formæ potissimùm actionem suam exercent. hæ præclarè exstillantur: harum munus est calfacere, extenuare, digerere, aperire, flatus discutere, &c. Sed cautè his vtendum; loogè enim validiùs suum munus peragnnt, quàm illæ res vnde dimanáruot: nam habenis crassamenti exutæ iam sunt. Argumento sit oleum vitrioli, quo si quis vtatur ad footanellam cruri

Cautio.

inurendam, quia tenuius, neruos peruadet, & calamitosam phlegmonem excitabit.

Obseruatio. Præterea hoc mihi compertum est, quòd ea quæ validâ flagrant à tenuitate distillata, peruadunt obstruentes succos, nec valido ossu eos extrudunt, nec validam actionem tenuatiooís edunt: sed his quasi inuiolatis se traiiciunt, & tenues euanescunt in auras. Eueoit in colicis nobis id doloribus, & in vrinæ difficultate, quæ cum oleis anisi minimè superabantur, ita decocto anisi facilè debellabantur: ignis enim vini ardentis, linteum imbutum non impetu quodam absumit, sed lambit: at ferri lignorumque ignis amburit.

Medi. Quæ longiore autem & recto exstillantur collo, tenuiora sũt reliquis; maximè repetita distillarioone. Quod autem primùm ex stirpibus effluit aqoa est: quæ vberiùs emanat ex viridibus: Mox sequitur oleum geminum, alterum teoue & album; alterum siccius & rubens, in quo maximæ herbarum potentiæ habitant. Quamuis in quibusdam rebus, vt in vino & rosis, cæterisq; floribus ac odoriferis herbis, In eo liquore qui primùm manat, totæ stirpis proprietates sedem suã habuisse videntur: nam valido igne perirent. Secus in metallis, quòd densa eorum substantia, quodq; eorum vires maximè à materia pendeant. Propterea Hipp. iubet, vt rizotomi serueot flores à flatibus, ne exanimentur: q.d. eatum proprietas herbarum, in tenui eatũ parte consedit.

Frigida vt distillata habeantur. At potéstoe frigidum exstillari? Lullius quintam essentiam pooit tanquam receptaculum omnium formarum, quæ tanquam Proteus aut chamæleon, lo cuncta se vertat. Gesneri Euonymus distillat flores nymphææ, semen portulacæ, lactucæ, solani folia. Attamen distillata hæc minus algoris gerunt substantiâ vnde manarunt, quamuis penitiùs penetrent: vel si consocieotoc calidis, magis refrigerabunt; qood Philonio euenit, nam pro vehiculo dum vsui fuere calida, euolant: at restibile frigus hæret.

Opij distillatio. Ita è recenti opio, & nudis allij capitibus, aquam vitreis organis distillant, ad somnum: opio enim abstersget, abdita quadam vi, allium, suam fœditatem odoris, & vnà in caput opium effert. Ita alij, opij & metellæ nucis æquas partes, eum semine hyoscyami nigri, in aqua lactucæ dissoluunt, macerant, & distillant. ita ex Solano, & Mandragora.

Solani vis. Ex solatri maioris tota herba distillatur aqua, qoæ pota trium cochlearium mensura, ioternas viscerum inflammationes exstingoit.

Sed verebuntur hic mei dogmatici, horum stricto frigore cor conglaciandum fore, ac calidum innatum extinguendum: vel, quòd interceptis viis anhelitus ac meatuum, suffocabunt. Verùm illorum tenoitas domari poterit viuidi caloris vi, ac quasi in halitus mitescere. Quæ autem frigida vino exstillato immissa sunt, à vino aliquid caloris spirant: nec tamen his euenit quod Philonio; nã tenuis frigidorũ essentia solùm cũ vino miscetur.

An distillata purgent. Sed oum distillatus liquor purgatricem vim secum vehet: nam tenuitate potius vrinalis reddetur. Et similitudine sit illa attractio, quæ est Pharmaco cum succo attrahendo: at violatis, vi ignis, partibus, soluetur similitudo hæc mutua: est enim ex elemeotorum mixtione quadam certa hæc similitudo: quin cùm magnetis temperies vertitur, affricato allio, non trahit ferrum. Itaque frangetur purgatrix vis distillatione. Sileo ea quæ arctando, leniendo, vel eliquando aluum ducunt: nam stricta maximè fundum occupant, nec efferuntur: vt nec leoientes vires, cùm calidi actio siccet, ac renuet: nec liquantia, cùm elicita stillatoriâ arte, parum in stomacho perseuerent. Attamen cùm ex quarruor elementis coosociatus sit stillatitius liquor, aliquãtulum purgabit: vt dilutum rosatum laxat aluum: quamois eius aqua minimè id faciat: & lac animalium quæ tithymalum depascuntur, ventrem deiicit. ita si venter illinatur oleo quod ex libra aloës, & vnciâ myrrhæ exstillauit

Stramom. stillauit, stuppaque supponatur, aluus fetetur. Exiguum sanè quod purgat testibile remanet in distillatis. Atque idcirco quæ extillatur aqua ea floribus persicorum, scamonei, & turpen, æquis partibus, balneo maris, magno quibusdam arcano, modicè admodum purgat.

Extractum ellebori nigri. Radices ellebori nigri recentis aquâ vitæ maceratæ, primò leni igne, mox valido distillantur, dum liquor exhaustus sit cunctus: aqua deinde vitæ extillatur leni igne, balnei, & in eo quod remanet, iniicitur sacchari crystallini, quod satis sit. Datur epilepticis cum mulsa, ad grana tria: vel ex decocto hippoglossi.

Cautio. Sed cautione in compositione ecchylomatum purgantium opus est, ne remisceantur paucis purgantibus valida calfacientia & siccantia: nam dum parum aluum ciebunt, à leptomeriâ remedij metus erit, ne agitati succi & attenuati, nobilibus partibus imbibantur, & penitus illapsi validiùs obstruant. Ita ad epilepsiam, non satis dextrè quidam accipiunt xyloaloës, cinnamomi, turpeti, aloës, colocynthidis, cuiusque drachmam: caryophyllorum, croci, vtriusque scriptulum: moschi, drachmam: iolabi, libram: aquæ vitę circulo actæ, binas libras: macerant duodecim dies: colaturæ præbent drachmas duas, vel tres. Aqua etiā vitę potentiam purgandi frāgit.

Ea his conspicuum est integras rerum vires eliei nō posse. Quamuis alioqui optandum foret, vt quàm maximè rerum odores, sapores, & colores abducerentur. Saporem vix retinēt quæ à dulcibus, salsis, amaris, saccharo, aqua marina, gentianæ radice trahuntur: nam hi sapores in terrestri parte earum rerum habitant. Difficillimè certè colores in distillata traducuntur: quòd color non æquè videatur à temperie rerum pendére, vt elucet in niue, & cepa alba, testante ipso Galeno. Verùm eodem loco admonet, quòd in eodem genere seminis vel succi, de temperie, rarum sit coloris argumentum; vt alba minùs feruere.

Sapor. *De colore abducendo distillatione.* *4. simp. vlt.*

Vt veritas elucescat, quidnam sit Color, compertum nobis esse debet, vel saltem vnde is oriatur. Aristoteles videtur dicere, ea quæ albiora, esse calidiora; quòd circumfluant substantiâ aëteâ. & tamen Galenus dicit cepam albam minùs feruere rubris: quamuis in quibusdam solis è diuerso eueniat. Et Galenus alibi affirmat temperiei consectaneam esse non solùm molliriem, duritiem, saporem, odores, sed etiam colores. Auctor de coloribus, asserit colores fieri mixtionem elementorum. Qua itaque ratione consociant sese, in fabricam colorum, elementa? Hypothesin sumo, mixta esse conflata ex quatuor elementis. In elementis autem notari possunt illæ formæ quæ præbent τὸ τί εἶναι, quas substantiales appellabimus: & materiæ elementorum, eorumque qualitates. Pro varia itaque consociatione formarum prodeunt proprietates rerum, vt ea quâ rhabarbarum bilem ducit: at liquabile vel illiquabile est à materierum mixtione; at temperaturæ ea plendent à confusione caloris, frigoris, humidi, & sicci: ita compleā iu, sapor, odor, mollities, durities, nequaquam Color. Quid itaque respondebimus Galeno? Hoc dicemus, eum loqui de temperatura quatenus notat formam substantialem: nam hæc, apud Galenum, sequitur temperaturam, vel est ipsa temperatura. Et hanc formam exprimit vt medicus: nam indubitatum est, accidentia consectanea esse formarum: cùm tantum det agens de formarum consectaneis, quātum præbet de formâ. Hinc dicit Galenus, colores sequi temperiem, hoc est formam substantialem; & hanc, vt medicus, exprimit. Itaque aliud est, si dixeris, hoc fieri ex illo; aliud, hoc sequi illud: accidentia sequontur formam; non fiunt ea forma. Cùm itaque colores non fiant ex consociatione formarum, vel materierum, nec ex calido, frigido, humido, aut sicco; quo igitur modo prodeunt ex elementis? In elementis notari etiam debent aliæ qualitates, nempe diaphanum, & opacum, & lumen. Nam colores prodeunt à diaphano mixto cum opaco: quò diaphanum quod non erat luminis capax, eo fruatur, vt in peripheria fiat coloratum. Vnde Aristoteles animaduertens lumen hoc euadere in colorem, in superficie diaphani, dixit colorem esse, extremitatem diaphani terminati: scilicet ab opaco. At Plato non collineans hanc superficiem, sed potiùs lumē, scribit colorem esse veluti quandam flammulam, ac fulgorem quendam ex singulis emanantem corporibus. Verùm nec hoc satis est perspexisse, sed videndum in quo consistat opacitas & diaphanum, & vnde prodeat lumen. Aliqui diaphanum ad elementorum puritatem, opacitatem ad impuritatem retulere. alij hanc in densitatem, illud in raritatem. Non dextrè; nam argentum magis diaphanum est auro, nam albus color maximè diaphano consectaneus est, attamen aurum est purius argento. aliorum opinionem refellit fumus, qui quamuis tenuis sit, est tamen opacus. Quare affirmamus diaphanum consistere in puritate & raritate, opacum in impuritate & densitate. Atque hinc est, quòd visum dissipat ac disficit fulgor, ob tenuitatem: opacum enecat, ob densitatem. Sic aurum minùs diaphanum, quia densius est argento; non quia impurius. In albo colore viget diaphanum, & propterea visum disficit: at in nigro opacum lasciuit; & propterea suffocat, quasi visum conso ciando. Aër & aqua Aristoteli sunt elementa diaphana, humida ambo. Propterea vbi Plato meminit diaphanorum, humidi mentionem facit. terra opaca est. Ad coloris itaque fabricam concursu opus est aëris & aquæ, quò diaphanum adsit: & ignis, quò lumen explendescat: & terræ, quò coniungat se opacum. Ad præcipuas has colorum causas collineans Author de coloribus, horum causam esse dicit lucem Solis, ignis, aëris, & aquæ. Per ignis lumen notat lumen quod degenerat in colorem: adiicit solis lucem, respectu colorum quatenus videntur. Sed sunt tales colores propter intestinum lumen, qui videntur beneficio solaris lucis, proinde externus ignis. Quare ex vario ignis discrimine, varij elucescent colores; vtque variè miscebitur diaphanum cum opaco; & vt fuerit diaphanum vel aqueum, vel aërium. hinc mille lusus colorum; ac calorum & frigorum. Quòd autem pro ignis discrimine varij surgant colores, ex Platone intelligimus, qui proponit triplicem ignem, clariorem, tenebricosum, & medium: id est, is qui est inter clarum & tenebricosum medius. Et dicit, ex primo igne, veluti ea coruscatione exiliente, fulgentissimus nascitur color. Huic contrarius est tenebricosus, cùm dicit, ex altero verò penetrante (non dicit exiliente) & in humore exstincto. veluti obruto. deinde medium proponit. Igitur ea diuersis ignibus, varij efflorescunt colores: nam ex clariori igni fiunt colores albi: ex tenebricoso, nigriores: ea medio igni efferunt se medij colores. Eā itaque etiam analogiā, vt variè miscebit se diaphanum opaco, varij elucebunt colores. Cùm itaque plus diaphani accesserit, magis albescet color; nigrescet ab opaco. Sed seruetur æqualitas in lumine. Ex igne clariore & diaphano, fict color albus, hoc est, in quo non aderit plurimum opaci: sed excellit diaphanum, idque vel aëreum, vel aqueū. vnde patet Aristotelem rectè scripsisse, cùm ait, colorem album in animalibus calorem significare; quia fit ea diaphano aëreo: in aliis autem rebus, vbi fit ex diaphano aqueo, frigus denotant colores albi. cùm igitur viget diaphanum aliqua in re, albescit magis color: si opacum, nigrescit. Qui itaque de colorum extractione à rebus solliciti sunt, colorum quæso naturam priùs ea aētè rimentur; & facilè notabunt, ex quibus rebus educi, & ex quibus minimè auelli queant: ne alioqui oleum & operam perdant.

5. gen. animal. 6. *5 vs part. 9.* *Colores vnde.* *De sensu & sensili.* *In Timæo.* *Diaphanum vnde.* *De sensu & 2. anima 68.* *Varietas colorum vnde.* *In Timæo.* *Varietas colorum.* *Autr. 5. Col. lib. 29.*

Color in extractis quomodo retinendus. Vt aquæ distillatæ colores retineant; filo innecte flores vel herbas, ac virgulæ obuolutur id filum, & Cucurbitæ indatur, ita vt fundum non tangat. Hi vapores ex imo sorrecti, ducunt colores florum & herbarum per quæ feruntur.

Modus distil. ope. Herbam eâ ætate quâ flores partim in semen dedit, totam accipies cum radicibus, euelles meridie, splendente Sole, purgabis: non teres nec comminues herbam; nam ita color & sapor euanescet. Sed totam cucurbitæ inseres, ac balneo tepido, cui immissi digiti non vrantur, distillabis. Tota cucurbita ab immissâ herbâ impleatur. Nam dum vapores per superas herbas feruntur, bibunt hos colores. Exstillet, dum nil liquoris restibilis fuerit. Eximes herbam, siccabis, ac in puluerem comminues, cribrabis tenuissimè, & dein in lapide teres, mixtâ aquâ distillatâ dum fricando atteris. ita tritam ollæ indes, & ea eâdem aquâ superfundes, & duobus diebus tepido hæc committes balneo. Searta quoque hora, immisso cochleari ligneo, materias volues, quò aquam peruadant. A duobus diebus. balneo eximes, & sepones, & sit in otio dies tres: dein effunde aquam. Restibili cineri aliam adiice aquam. eandem historiam perages toties, dum nec colorem nec saporem ducat à cineribus ampliùs aqua. attamen à cineribus acriores reddi aquas verisimile est. Sed extra lineam ferè abieram, redeo. *Olea exstillata.* Quæ autem olea distillatione eliciuntur, resolutis rerum viribus extrahendarum, faciliùs eliquantur. varia arte resoluuntur; Sole, igne, fimo.

Vis. Olea hæc vim gerunt earum rerum vnde emanarunt, sed coactâ combinataque vi, parua mole ingentem potestatem spirant: etenim facultas materierum semilibrâ fusa, sæpe in vnciam trahitur, vt in caryophyllis, imò cinnamomi libra, in sesquidrachmam, vel ʒ ij. arctatur hac pulcherrima arte.

Quæ distillanda ex seminibus. Quæ res tenue ac leptomereiâ præditum oleum continent, aëris æmulum, quia facilè surrigitur, id Distillatione extrahitur, vt ex fœniculo, iunipero, aniso: ita anethum, semen saluiæ: cinnamomum, caryophilli, nux myristica, piper, zinziber, &c.

Quo modo. Distillanda quassata, aquæ infunde; sint decem aquæ partes. vt præ vncia vna materiæ, sint decem aquæ. Instructum sit vas æneum, stanno vel argento intus obductum. quidam primò vas testaceum igni obiiciunt, dein arenam inferunt, quæ tingit vndique impositum æneum, quod tamen inclusum sit in hoc testaceo vase. ceruicem habeat stanneam, caput vitreum esto. Et caput vasis, aquâ mergatur frigidâ; in cineribus arenâve fiat distillatio. quidam penulam ducunt gyris per vas frigidâ plenum. Caue ne æstuet nimio feruore. Primò hydrelæum manat, hinc aqua; tunc sopprimendus ignis. conchâ abducendum oleum, si natat; & oleum anisi: nam quædam sidunt, vt caryophyllorum, macis, cinnamomi.

Seruetur & aquosus liquor, is enim à fauillis eliquatus tenuis est; & qui educitur cum cinnamomo & anisi oleo, die, quadam sui parte in oleum crassescit.

Oleum anisi, & cætera quæ tenuitate excellunt, loco frigido seruanda, ne euanescant, sed potius vt concrescant studendum. Sed anisum cùm distillatur, facilè ebullit: quare non ilicò impone galeam; sed postquam bullæ excitari, & vapor sursum ferri incipit.


Ex herbis. Herbæ ex quibus oleum elicietur, sint à madore alimentali liberæ: ita & teruntur faciliùs, & oleum deponunt in vase prolixi colli exstillentur, (à fermentatione decem dierum) ac cineribus ad duos vel tres digitos aggestis, euocetur. Alij addunt oleum amygdalinum recens, dulce, ad sescunciam: & aquæ vitæ vnciam; macerantur per diem tepide lento igne, ex cineribus, distillatur. Dum aqua rubescit, augebitur ignis. Ita ex mentha, absinthio. Sed à floribus frigidis, vt violis, & nymphæâ, absit aqua vitæ.

Fit extractio & infusione in aquâ vitę, dũ digitos duos emineat aqua: BALNEO Maris octo diebus macerantur, ac abiectis rebus noua materies inditur ter vel quater, dum insipida fit, finitur: tandem aqua vitæ vi balnei Maris euocetur. in fundo efficax vis permanebit materici inlectæ. Si velis extractum succum potius, figulino vase tenuior pars foco expiret. Ita herbarum, florum, seminum, & fructuum viuidas vires prolectabimus: & rhabarbari, agarici, turbith, veratri, hermodactylorum; saluiæ, cinnamomi &c.

Sesquiscriptulus horum, vel semiunciam ferè æquat materici.

Ex gummi, lignis, metallis. Extorquentur quoque olea ex gummi, lignis oleaginosis, lacbrymis, & viscidis liquoribus, & quoque ex metallis.

Extrahuntur retortâ capaci duodecim ferè librarum; ceruia pedis longitudinem superet: excipulum sit vitreum. immittitur Retorta in testam figulinam arena vel cineribus plenam: ac fornaci imponitur.



A Testa.
B Retorta.
C Excipulum.

Viscida. Viscidi liquores surriguntur ægriùs, quin sæpe aduruntur; hinc quidam adiiciunt gummi libræ, duas vel tres libras olei terebinthinæ.

Et liquidiora sæpe æstu effunduntur; hinc arenas ac lapillos fluuiatiles remiscent, loco saburræ.

Oleum terebinthina. Maximum secretum est apud quosdam oleum ex terebinthina extrahere absque periculo effusionis. Ab effusione enim ingentis incendij est metus. Distilletur itaque in vesica ænea, semiplenâ aquâ, vt aromata exstillantur: album fundit oleum. Sed cinis vnde sapo coquitur, vocant *weasche*, remisceri debet. Huius enim duo vel tres manipuli aquæ iniici debent in qua distillari debet terebinthina.

Ex ossibus. Ita ex ossibus humanis contusis quidam oleum proliciunt: quod mirum quàm sit efficax in contumacissimis podagræ & articulorum doloribus, à morbi Gallici primordiis natis.

Exemplum.

Ex resina. ℞. resinæ vel terebinthinæ libras duas: inde retortæ, ac quartam saltem partem eius impleat; arenæ siccissimæ vncias octo: sensim foco calescant, nec efferuescant. Primò, limpidus & acidus liquor fluet. Secundò, oleum limpidum, aqueo candore. Tertiò, fuluum manabit, maiori vi ignis tollendum. Quartò, æstu foci, stillat crassum rutilans. Plurimum olei terebinthina fundit. Sed vsui interno melius id, quod, vt mox dicemus, ab affusa affatim aqua elicitur.

E Cera. Ex Cera eadem arte extruditur oleum: ex eius libra ferè septem vnciæ olei manant. Sed repetenda est hic distillatio; etenim in butyri crassamentum abit oleum ceræ. prodest stomachi doloribus, tussi ex frigore, & podagricis. Si adieceris thus, myrrham, aloën, & gummi elemnium, fiet optimum balsamum. Alij ceræ vinum indunt.

E Gummi. Nonnulli Gummi distillant, vt thus, mastix, myrrha; duplum addunt aquæ vitæ, & olei terebinthinæ quadrantem ad gummi: balneo maris decem dies macerant, aut fimo equorum.

Balsama. Hac arte, Balsami æmula auxilia fabricantur: nam calfaciunt, siccant, tenuant, aperiunt, digerunt, putredinem arcent, roborant: quale hoc, in paralysi:

℞. angelicæ, acori, azari, rad. cyperi ana ʒ j. mastices ℥ j. ß. galangæ, caryophyllorũ, cinnamomi ana ʒ iij.

nucum

nucum myristicarum ℥ iiij. ligni aloës ʒ ij. gummi elemnij ℥ vj. aloës optimæ, myrrhæ ana ℥ ß. castorei ʒ x. styracis calam. benjouini ana ℥ j sanguinis draconis ℥ j. florũ lauẽdulæ ℥ iij. olei nucis vnguentariæ lib ß. Trita hæc aliquot dies macerentur in aqua vitæ fiat distillatio vt diximus de oleo terebinthinæ.

Aliud.

Galbani vncia: gummi hederæ, vnciæ quinque: comminue & distilla: quod eliquatum est redde libræ sebesten: iterum distilla. neruos occupantes morbos fugat; memoriam occipiti illitum recreat. Aliud: Olei terebinthinæ, ouorum induratorum albuminum, cuiusque accipe libram: resinæ vncias sex: gummi elemnij, vncias duas: fiat distillario per cineres ea retorta: horis 36 absoluitur distillario. contusis capitis vulneribus prodest. Aliud: Terebinthinæ sesquilibram, ceræ flauæ libram; nucis myr. caryophyllorum, cuiusque vnciam. retorta lentè extillentur: distillato adde laterum vncias quatuor: & iterum distilla. neruorum prodest vulneribus. & tussi, pectori illitum.

Capitis vul. *Vulner. & tussi.*

℞. terebinthinę libras duas, olei communis libras tres, olei laurini vncias sex, cinnamomi vncias duas; euphorbij, caryophyllorum, baccarum lauri, gummi hederæ, sagapeni, ammoniaci, opopanacis, galbani ana vnciam vnam, thuris, mastiches, cuiusque drachmas duas. fi. vt scripsi, distillatio.

Vesalius ita Balsamum componit.

Vesalij.

℞. terebinthinæ optimæ libram, olei laurini vncias quatuor: galbani vncias tres; gummi elemnij vncias quatuor cum semisse: gummi hederæ, thuris, myrrhæ, ligni aloës, centaurei, cuiusque tres vncias: galangæ, caryophyl. consolidæ maioris, cinnamomi, nucis myrist. Zedoariæ, zinziberis, dictamni albi, singulorum vnc iß; olei vermium terræ vncias duas. aquæ vitæ, libras sex: macerentur, ac, vt diximus, distillentur.

Tres manabunt substantiæ: prima, aquosa; secunda, aurea; tertia, rutilans balsamum. Prima, stomacho frigido studet, ac flatus abigit: Secunda, vulneribus medetur recentibus, ac paralysi. Tertia, omnia illa efficaciùs præstat.

Stom. vul paraly.

Oleum Balsami D. Fallopij.

Fallopij.

℞ terebinthinæ claræ, libras duas, olei de semine lini libram: resinæ pini vncias sex; thuris, myrrhæ, aloës, mastiches, sarcocollæ an. vncias tres: macis, ligni aloës, vtriusque vncias duas: croci semunciam. fiat distillatio cinericio vel arenoso igne. Eo modo extrahimus etiam oleum ex antimonio: ei miscemus acetum forte, (sit crudum stibium) & oleum chamæmelinum, & hyperici miscemus: digerimus in fimo: & per retortam distillamus. Primò effluit aqua ab aceto. vlcera venerea, & maligna rubrum hoc oleum mirè curat. Alij miscent antimonium & saccharum, ac distillant: debent æquali pondere sumi, & teri in marmore. oleum hoc rubrum dant epilepticis. Alij libræ stibij addunt sublimati binas vncias, retortâ distillant vehementi igne, ex cineribus tamen: malignis vlceribus causticum fœlix. Inferunt fæcibus aquam vitæ, & quod restibile est oleum distillant. aqua illa herpetes, verrucas, cancros, tophos arthriticos curat imposita. Alij libræ stibij addunt tartari crudi selibram, macerant aceto distillato, & oleum hoc exstillatum lepram eximere aiunt.

Ex antimonio. *Epilept.* *Vlcera mal. arthrit.*

Primò manat aqua, secundò oleum vulnerarium.

Ex myrrha.

Ex myrrha iam oleosus liquor ita paratur. Include in pollinem redactam myrrham induratis ouorum albuminibus, abiecto vitello, ac iterum sectas partes committes, crati impone vel stanneo in vase foraminibus peruio, & cellæ includes, manabit liquor oleosus: qui vitro exceptus, & cum aquæ vitæ pari quantitate remixtus, in equino fimo digeratur menses tres vel quatuor: hinc vitro inclinato effundatur liquor. quod crassamentum restat balneo maris imponatur, vt euanescat quicquid aquæ vitæ inest, vel liquoris ab ouo eliquati: etenim in fundo remanebit oleum myrrhæ.

Hoc anchusæ radice admixta vehementiùs enitescit: ac guttulis aliquot affusis olei saluiæ, caryophyllorum, vel cinnamomi gratum odorem afflabis.

Quidam accipiũt myrrhæ semilibram, vini rectificati libram, macerant in fimo equino, (vitro inclusa cum fuerint) diebus sex. Extracto vino, vi balnei, fundus oleum habebit: quod panno colatum, vim dabit balsami; etenim cuncta à putredine arcet, nam sesquidrachmæ pondere haustum, putridos morbos sanat: cum peculiari liquore parti & morbo dicato sorberi debet. Delet faciei maculas hoc modo: Vrticas acerrimas coque ex aqua, huius vapor faciem irriget, quo manet sudor, siccataque facies ilicò hoc oleo illinatur. alij myrrham in massam cum aqua rosarum redactam digerunt duos dies, & arenis distillant, igne valido, mox remisso, ne vratur siccior massa. Iterum balneo distillatur: hoc oleum colli vesicæ vlcera sanat.

Putridi: M. *Ad maculas.* *Vesica.*

Eo modo & oleum camphoræ ferè paratur. in lac soluitur frigidum ac humidum: à lenissimo igne exstillatur: tertio ordine frigefacit, illinitur hepati ac renibus feruore æstuantibus.

E Caphora.

Caphuram soluit etiam oleum amygdalinum. Clarior eius pars inclinando effunditur. in doloribus dentium si eo genæ illinantur, præclare auxiliatur.

Oleum mira potentia polychreston.

Vel chreston ad varios morbos.

℞. olei communis, terebinthinæ, olei laurini, cuiusque libram; misce, & cucurbitæ immittantur, lentoque igne distillentur: quæ prima emanat aqua inutilis est. restibili materiæ adde cinnamomi, caryophyllorum, singulorum sesquiunciam, euphorbij galbani, ammoniaci, gummi hederæ, opopanacis, thuris albi, masticis, baccarum lauri detractis corticibus; cuiusque drachmas tres. castorei, ligni aloës, ladani, olei spicæ, vel distillati ex lauendula, singulorum drachmas duas. misceãtur cuncta ac digerantur. Hinc lapidem laterinum in fabaceas partes confringes, & in prunis vrito, donec excanduerint, ac oleo restinguito, & paulatim aucto igne distillentur. studet cerebro frigore madenti, nam memoriam roborat illitu, ac potu guttulis vini mixtis: refrigerato cerebro naribus immittitur, illinitur hepati frigido. Bombace vtero immissum, fœtum mortuum extrahit & menstrua euocat, grumosum sanguinem illitu & potu dissipat; crassam pectoris materiam extenuat, fistulas palpebrarum sanat, morsibus venenatis conuenit, epithematis modo ea vino impositum, vulnera antiquata sanat. Lienem illitu absumit podagræ frigidæ ac lumborum doloribus opitulatur, conuulsionibus succurrit, surditati ex frigore medetur gutta auribus immissa, ac earum vermes necat, & susurra dissipat, vrinæ difficultati medetur quæ à crassa est materia, calculum absumit; vermes necat; mollit dura, discutit tumida; epilepticis prodest ac morbis frigidis. Tale etiam Balsamum describitur à Io. de Vico, ad plurimos morbos. & doctissimus Rubeus plurima 2. lib. 26. & Andernacus, qui etiam Galbaneta describit.

Vis eius. *Neruosis frigidis.*

CAVTIONAS QVÆDAM.

Caloris ordo.

Qui hanc elegantissimam artem exercent, caloris series varias. teporis, ac æstus admouent.

Gradus caloris.

In primo itaque ordine vel gradu caloris, fit maceratio ex aquoso vapore, vel fimo equorum, sole, & clibano. Vt cibus in humano corpore in chylum coctione abit; chylus in sanguinem, qui defæcatur vi lienis à crassa fœce, tenuique ab ardore, à fellis vesiculâ: ita parata materia, distillatione, in diuersa trahitur (paratur digestione in fimo equorum & circulatione, nam sese ita librant commixtæ materiæ, solutæque surriguntur facilè vt ignis) vt elementorum cottidie historia (vi solis iactatorum) nobis loquitur.

Digestio.

Digestio, vt vocant, ex fimo equorum hac arte fit. in loco subterraneo effoditur fossa; huic fimum equinum iniiciunt, calceque obducunt, iterumque fimum infe-

runt, idq́ue repetũnt dum fossa æquetut solo. si vim caloris aeuere velis, aliquoties fimum aquâ tepente rigabis. *Cautio.* Sed ea cautio adsit, ne vnquam in algorem deferuescat: nam ita cucurbitæ indita putrescerent. Hoc negotio fit partium quædam separatio, fermentando. Etenim à putredine abesse debent, quæ est mutatio totius putrescentis corporis substantiæ, ad corruptelam, à calido externo: vt definit Galenus 11. Meth. 8. *Putredo absit.* Hic est terminus putrediris: qui est interitus formæ substantialis mixti. Itaque ex putrefacta florum, herbarum, cæterarumq́ue rerum substantia corrupta, quo modo liquores eliciemus, qui puriores referant integrasq́ue rerum, quę iam periere, vires? Ex aceto vinum uon surrigitur. refert enim forma, qualitates materiæ vnde elicitur: vt, si vinum fuerit odoratum vnius anni, nec decimumoctauum mensem eacesserit: hoc est, ætate vigenti si fuerit, optimum liquorem fundet. Itaque in bis quæ facilè euanescunt & putrescunt, cautè & tenuiter fermentandum: vt in fructibus, floribus, herbis. *Fermentationis modus.* Sed cùm plura consociantur, quæ concurrentia ita se traiiciunt vt quid nouæ formæ acquirant; vt cùm atomata vino dantur ardenti, horæ quædam, non dies, macerationi suffecerint: vt, horæ octo. Lachrymæ, & ea quæ non æquè putredini patent, aliquantulum proliaiùs macerabuntur fermentatione. Fit autem Fermentatio ebullitione qnadam cum humore, ex sententia Platonis, & Galeni, 1. Prorrh. 2. 40. Etenim tribus opus est in fermentatione, terreâ parte, quæ in maiorem turgescit molem: humidâ, vnde flatus, qui tenuant terream & lentam humoris compagem. Itaque quæ facilè putrescunt aut euaporant, non sunt fermentanda. Sed cætera præcedat fermentatio, non autem putrefactio: nam à putridis acre quid stillat, & alienum pingue.

Qua caloris copia in rebus digerendis opus sit, natura rerum eaplicabit, vt si vinũ nouum distillandũ fuerit; primò digestione opus erit: at vetus vinum adeò spiritus tenues ac puros obtinet, vt separatione nulla opus sit.

Gummi. Gummata cuncta pinguedine rigantur alba, difficileque separabili: quare ni digerantur, distillatione vrentur. Quare vt faciliùs sese librent ac separent, à remixta mole, vitelli ouorum vnà miscentur in duritiem lixati: nam ita digestione in oleum eliquata pinguedo, setaceo colabitur, & calido loco digeretur. quidam remiscent cum vitellis gummi, ac condunt mensibus aliquot sub terra frigore madoreq́ue insigni; trium quattuórve pedũ altitudine; hinc ea arenis exstillant feruidis.

Vis graduum cal. Distillatio per fauillas vel cineres, tertium caloris ordinem non superat. Quæ quæ intus sumuntur, aquâ aut cineribus sint eliquata, cætera maiorem vim eaercent in corpus quàm decet: vt quæ per arenam candentem surriguntur.


Sit hæc series. prima per vaporem aquæ extracta, secunda ex aqua calida, tertia per cineres, quarta arenis. Hæc ad tertium caloris ordinem saltem surgunt. Limatura chalybis ad quartum gradum se erigit. In quolibet horum quædam est latitudo, vt in aqua balnei cùm sibilum edit, quasi iamiam bullitura; secundò, cùm ebullit; tertiò cùm æstu efferuescit. Quin eosdem feruoris gradus in fauillis & arenis notabis. Hæc variè moderamur ex ignis copia. fornacis latitudine, ac altitudine, & caloris spiraculis.

Bal. nat. distil. Ea Balneo & naturali fit distillatio; quod ita imitabimur. Accipe partem vnam calcis ex fornace calentis, sulphuris semissem, aphronitri quadrantem, aluminis bessem: redigantur in puluerem singulatim: cacabo infunde cuncta. cùm ea Balneo maris distillas, sit pars cacabi tertia aquis vacua; hoc est, balnei pars tertia vacet.

Obseruanda. Ne viuida vis stillatorum oleorum euanescat, hoc modo claudetur excipulum: Accipe ceræ albæ vnciam, masticis semiunciam, boli Armeniæ tres drachmas. misce, & vesicâ obuelentur.

Studendum est vbi tenuis materia eliquanda venit, qualis aquæ vitæ, flores stœchados, & cuncta ex quibus oleum tenue ac subtile exstillamus, vt capitellum eo modo fabricatum sit, quo nullo empyreumate elata materia inquinetur.

Hoc obtinebimus, si capitellum duplex fuerit, quo frigidam excipiat. *Hoc modo.*



A Galea refrigeratoria, vel vesica magna qua galea vestitur, & circum isthmum arctè ligatur filo calciariorum. Arundo vesicæ gemina immittatur, vt frigida aqua immitti, ac calida emitti possit, vel terra cingatur capitellum, vt aqua à fistula affusa exhauriri commodè possit.

B Ænea galea, quæ cingitur alia galea refrigerante.

C Fistula quæ aquæ imposita perpetuum fontem frigidum suppeditare potest.

DISTILLATIONAS, & AQVÆ ODORÆ.

Notandum in rebus distillandis, quòd quæ res vita auctæ fuere, geminum liquorem continent: alimentarium (cuius nempe portio in aquam distillatione eliquescit) & primigenium, cuius pars est oleum, quod saporem & odorem gerit eius vnde dimanauit. Si itaque vis medicata herbis, floribus & radicibus eastillanda fuerit, accisæ ac tusæ, succoq́ue madidæ suo, biduo reponendæ ac obserandæ: hinc primò acriore, dein ignauiore igne fluant. *Quomodo.* Sin tennior vis in qua odor resedit, elicienda sit, integræ, nec fractæ, miti igne distillentur ex Balnei aqua, vel eius vapore vt rosæ, maaimè si sicco loco collectæ fuerint: nam vt scribit Plinius 21. l. 4. *Rosa.* illæ odoratiores sunt quàm quę humidis locis leguntur. Nec eius aqua ilico spirat suaue, priusquam sole cocta fuerit, & manè rosa optimè spirat. Talia mitissimè emulgeantur, vt per auram balnei. Vapore itaque vtendum in his quæ tenui egent igne, quæ halituosa leptomeriâ circumfluunt. *Vapori, balneum.* Vocatur primi gradus ignis, balnei: secundi, cinerum: arenæ, tertij: Matthiolus arenas balneo committit, vt quasi medius quidam calor efflorescat: vnde effundi posse geminum affirmat liquorem: primum dilutiorem; alterum rubentiorem. Quartus ignis gradus limaturæ chalybis inditur. Fit autem distillatio per vaporem mitissima, nec vllum adustionis vestigium imprimit; ac innatam sibi facultatem redolet. Vas æneum fornaci inditur, ac aqua repletur: huius labris, iunguntur labra alterius vrnæ, ac obserantur: sit vrna circumcirca foraminibus quibusdam peruia amplioribus: bis foraminibus pertuso vasi, vas herbas continens inseritur, ac obseratur. Ne verò elangnescat ealor vaporum, olla summo apice foramẽ exile gerat, vt ritè gubernari caloris temperies possit. liquor soli exponatur dies octo, ita rutiùs perennabit. Eo modo & ex gummis odoratius oleum fluit. libra pulueris via vnciam olei fundit. *Ex gummis.*

Quæ eatillantur, si sublimi spacio non cnebantur, sæpius in distillationem reuocari debent, quò crudior materies (quam phlegma vocant) abstergeatur.

Notandum quò quæque tempestiue in vsum hunc trahantur: vt enim variæ plantarum naturę, aliæ dulces, aliæ amaræ, ita & aliis temporibus annus surculos ac flores earum profert. *Quando.* Radices vt commodè tractentur, eo anni tempore, eaq́ue ætate eatrahes, qua succi plenæ fuerint,

fuerint.non nimia mole stupendas,nec inopiâ rabidas. Contundes & scindes,vinoque aspersas,calore digeres: sin humore luxurient nimio,primò leniter siccandæ,filo traiectæ; si pingues fuerint, tepor solis ad digestionem suffecerit. Herbæ commodè distillantur cùm se in primum semen colligit flos adhuc restibilia: tuue vnà cum radicibus commodè distillationi præbent.Quæ autem ex herbia eliciuntur vasculo impositis, quod aqua bulliena circumluat, nihil ferè bonitate cedunthis quæ per vaporem emulgentur. Quin & acrior ab igne vapor vrit: & àcacabo inflammatur interdum. Sin velia vaporem à tepida solùm aqua, nil ille suttiget. Si validiorem aliquantulum petaa,respondebit balneo .Et varius in aqua calor facilè obseruabilia: noo æquè in vapore,nisi per aquam. Obseruabile, ignem optimè gubernari,qui ex carbonibus accenditur,nam æqualis est.

In Italia fragrantissima aqua extillatur ex flotibua malorum citriorum,limonum,& aranciorum: quorum cùm apud nos inopia sit,ita imitabimur.

Aqua ex malis citriis, & aranciis.

Accipiemus illam abrasam flauedinem teneram pomorum (in qua fragrantiæ focua resedit) succo pomorum aspergemus (modò ad frigidum vsum ducere velimus) aut vino; vel si calidiotibus vsibus accommodemus,Cretico vino;imò & aquâ vitæ; & diebuaquibusdam digerantur. Vel ilicò excisa à pomo flauedo, sine attritione, extilletur balneo. ita corticescotoneorum malorum.

Vtilis hæc aqua, præter suauem odorem quem spirat,vsibus eottidianis;& quoque miscetur sacchato. Veneno & pesti resistit,halitum oria commendat; melancholiam discurit,stomachi pituitam dissipat, oculorum crassitiem extennat,ictibus venenatis appositu prodest; epithemata cordi gratissima inde fiunt in populatim grassantibus morbis.

Aqua ad pestem.

Aqua ad præcauendam pestem & venena;accipe cinnamomi libram:flauedioem citreorum:summitates melissæ,semen angelicæ:extilla ex quatuor libris maluatici,& rhodostagmatis tantundem.

AQVA *edorata Italorum,quam Damascenam vocant, à rosis Damasc.*

Cinnamomi vncia;caryophyllorum semuncia;sampsuchi,rorismarini,lauendulæ, foliorum lauri, pulegij, rosarum alborubentium(Prouinciales vocant) singulorum viridium manipulua; vini Maluatici, aquæ rosarum;singulotum sesquilibra;incisis viridibus, ac aridia io puluerem versis,soli exponantur sex dies.binc distillentur in duplici vase. Addunt quidam citrij corticem, styracia calamitæ,iridis, cuiusquedrachmam: & flores iasmini.Hac aqua vestes,lintea,manus,naresque asperguntur.

Alia.aceipe caryophyllorum,semunciam:aquæ rosarum sesquilibram:misce, & distilla. Ita myrrha distillatur:& eius guttulæ aquæ gratiam aspirant.

Alia:angusti oria vasi inde moschi grana duodecim: alteri vasi iode rosas,vel violas:hæc vasa iunge ore, & soli expone ita vt sublimes sint rosæ; linteo septo ora discriminentur. Quidam rosas parum contundunt. Caryophylli & cinnamomum loco moschi poni poterunt.

Alia:Ex rosis sternatur cucurbitæ ima pars: mox lilia succedant: & series quæque habeat aspersos caryophyllos, & quid moschi: & rosarum stratum hæc iterunt tegat:distilla.

Vel hoc modo suauissima fiat aqua: Rosarum libræ tres incidantur,cinnamomi, caryophyllorum, singulorum drachmæ duæ: camphuræ semidrachma; radicia ireos semuncia; nucis moscatæ,macis,singulorum drachmæ duæ: vitro excipiantur; ac superfundantur vini Cretici,aqoæ rosatæ, ac lauendulæ, singulorum vnciæ tres:dies octo macerentur,ae distillentur:ac mosci scrupulo imhuantur.ac Sole dies quinque digerantur.Addi potest styrax cal. benxum.

Alia ex superioribus composita.

Aquæ rosarum libra;aquæ damascenæ,aquę ex corticibus citri,singularum vncia:cyperi drachma:ligni aloëa semuncia:benzoini vncia:iridis tantumdem:styracis calamitæ semuncia:caryophyllorom drachmæ duæ:mosci, ambari,xiberi, singulorum scriptulua. Insolentur quindeeim dies vase cottidie agitato:cordi, cerebro, & stomacho prosunt.

In odoribus notandum, quòd flotum ae berbarum quarum tenuia est facultas & rara materia, vires omni distillatione euanescunt,vt violarũ,rorismarini,basilici.

Vt herbæ odorem non exuant,contundantur, ae digerantur,& torculari subiicianrur; & illa materia circuletur (vt aiunt)id quod putius est,hac arte à fæce seponitur.

Edulia contundantur,ae bulliant tres quatuórve diea ritè obturato vase: hinc setaceo exprimantor; mox distilla ex balneo:extillabitor aqua, at alimentalis materia fundo hærebit.

Ex omnibus ossibus oleum trahitur: nam dum æstu candescunt,oleo veteri extingnuntur, ac ab horis quatuor, in partes crassaa comminuuntur, ac distillantur. Confert id oleum podagræ,epilepsiæ, arthritidi; vt ex maxillia equorum.

Baccarum Iuniperi aqua.

Ex baccis & lignis.

Baccas plurimas contundes in massam, ligneo vasi impone, affunde aquam æstu bullieotem, vt obruatur massa;iunge fæcis vini eam copiam, qua medij pedis altitudinem superet:cooperto vase, diebus quatuordecim illis otium sit, dum nempe acorem instar fermenti ducat massa:cottidie bacillo hæc massa agitetur. Tandem fiat distillatio ex eo vase quo terebinthina eliquatur;excipulum amplum sit. Ignis lentior ioitio excludet spiritum iuniperi,hinc substantiam vini,& granorum.hoc vinum apud Colonienses maximi vsus & precij ést.Cochlear haustum eius, partum accelerat, stomachum firmat,conuulsionibus ac resolutionibus medetur, colicos vteríque dolores compescir,ab inquinato peste aëre tuetur,ealculosis expetitum remedium, fissuras vlceraque manuum sanat. *Vsus.*

Ita & baccæ lauri,hederæ,& sabinæ extillantur, & ligna,vt guaiaci;corni,quod strumas abigit.

Elegans ratio quà olea ex camphorâ,gummis, & aromatis eliciuntur.

Ex gummis & aromatis.

Accipies oleum amygdalorum dulcium, cui misce camphoram (aut quod lubet aroma) ac in massam coge;sole digeratur:hinc exprime oleum, cui spiritus vini affundes quaternûm digitum altitudinem, & octo dies alembico cæco digeratur.Hinc fauillis surrigatur spiritus vini; etenim fundus oleum retinet amygdalorum. Tandem huoc eliquatum vini spititum tepente balneo auferes;nam fundus tenuissimum oleum habebit.

Eadem arte aromata elicies,&'styracem, beniouinũ, ladanum,crocum,aloën,thus,masticen, moseum, ambram,zibettam.Alij oleum tartari cum aquâ rosatâ his remiscent.Alij gummi tuso aquam vitæ addunt,vt quatuor digitos superet: duobua diebus balneo macerant: inde aquam colant, & aliam infundunt toties dum coloris expers effundatur: consociata aqua distillatur: in fundo oleum remanet.quod,si tenacius sit,redditâ aquâ iterum distilletur.

Alia ratio.

Accipe beniouini,vini rectè distillati, cuiusque libram.crassiùa commiouatur beniouinum: depressæ cucurbitæ imponantur, leni igne vinum euocetur (à digestione:) mox surrigatur oleum acriori vi. hinc æstu torridiore ascendet gummi, quod instar mannæ galeæ accrescet.mira odoris fragrantia excellens:his tiocta rosara aqua,iucundissimo odore perfunditur. Vel,beniouini contusi ℥ vi.styracis calam.℥ j. ladani ℥ß. nucis myristicæ ℥ ij.mosci gr.iiij.aquæ vitæ ℥ij fimo macera, ac distilla oleum.omnes virea firmat.

Oleum


Terebinthina. Oleum Terebinthinæ quidam diſtillant, remiato cinere querno ſatis copioſè, aut lapillis iniectis. Alij accipiunt libras duodecim terebinthinæ, & aquæ fontanæ libras triginta, (ne vrantur ſpiritus) ea organis aquæ vitæ eliquant oleum. Lentè eaardeſcat primò ignis. Vnam olei libram præbent libræ quatuor: eten m quod relictum fuit, illicò antequam refrixerit, in aquam frigidam effunditur, ac in colophoniam abit. Hæc in oleum vertetur bac arte; libram eius remiſcebis vnciis duabus butyri, ac tenui igne liquentur, inditaque retortæ extillentur: efferetur oleum rubrum, ac parum fæcis reſtibile erit.

Inſigne ex his oleis balſamum patari poterit: etenim & terebinthina per ſe efficax eſt in vulneribus, hoc modo ſi præparetur: Accipe terebinthinam, & vinum rubrum, ſit æqualis vtriuſque copia; bulliant; & nondum abſumpto vino effundantur in aquam cyclaminis; ſæpiusq́; lauentur dum frigeſcant: hinc miſce mediç quantitati vitellorum ouorum.

OLEVM SVCCINI *per* DESCENSVM.

Extorqueri poſſunt ex plurimis ſolidiſſimis rebus hac arte olea. Vas inferius duos caerat canales, quorum ſuperior ligneo cono obſtruatur; inferior autem per vas aquâ plenum traiiciatur, aut fiſtulæ iungatur ſtanneæ quæ vas peruadit, vt tandem in excipulum finiat. Vterque autem canalis ſe exerat per furni parietes. Infundes ſuperiori canali aquæ frigidæ tantum, dum ex inferiori canali effluat, ſecumq́ue innatans oleum in excipulum traducat: nam quod oleoſum non eſt, ſidet in vaſis imo, quod canales habet. Fabricato itaque furno, cucurbitam ſuperiorum ſuccino ac lapillis alternatim implebis: nempe primùm ſternes fundum ſuccino, deio superſterne lapillos, moxq́ue iterum ſuccinum iniice, idq́ue toties dum impleto vaſe ſilices operculum perforatum tangant. Excipulum contineat aquæ puriſſimæ ac frigidæ libram Accende vndique ignem vi æquali emicantem; moa auctior reddatur, ſenſimq́ue vehementiùs æſtuet vſque ad veſperam: tunc enim aſpergatur cucurbita vndique carbonibus ardentibus, imò obruatur illa, ac igne candeſcat. permitte vt tota nocte vltro refrigeretur. poſtridie exemptam cucurbitam deprehendes ſuccino cahauſtam, lapillos nigredine obductos; vas ſubiectum imum, fæces piceas oſtendet. Dum hæc fiunt, ſtudioſè nota. num ſubiectum vas ſatis aquæ habeat, qua oleum in excipulum eructet. Quòd ſi inediâ aquæ elabi nequeat, ligneum conum extrahes, & aquæ calidæ tantum affundes vt oleum in excipulum prolabatur.

FORNACIS FABRICA.



A Cucurbita ſuperior cum ſuccino, & ſilicibus.
B Operculum perforatum.
C Canalis ſuperior, per quem aqua ſubinde affunditur.
D Canalis inferior, per quem oleum cum aqua elicitur.

Balſamum arte factum, inſigni vi excellens.

Balſamum Accipe olei terebinthinæ, ea qua dixi arte extillati, libras tres; florum lauendulæ, maioranæ, ſtœchados, trium cordialium, ſpicæ, foliorum lauri, meliſſæ, hyperici, betonicæ, ſaluiæ, rutæ, menthæ, abſinthij Romani, ſingulorum manipulum: ſcordij, dictamni, cuiuſque ſemimanipulum; radicum zedoariæ, peucedani, angelicç, enulæ, iridis, peoniæ vtriuſque, calami aromatici, valerianæ, ſtrutij, ſeminis citri, ocimi, cuiuſque ſemunciam; corticum citri, cinnamomi, galangæ, nucis moſcatæ, macis, caryophyllorum, ſingulorum vnciam; gentianæ rhabarbari, cubebarum, cuiuſque tres drachmas; croci dracmas duas: ſtyracis, myrrhæ, cuiuſque tres vncias: maſticis, thuris, beniouini, vnciam ſingulorum: camphoræ drachmas duas; moſchi drachmam.

Primò cucurbitæ impone herbas, flores, & oleum terebinthinæ, adde ſpiritus vini quatuor vncias: Digere, ac caſtilla balneum maris.

Hinc iniice huic liquori aromata, radices, ſemina, & cortices; ac à digeſtione, citra empyreuma, ſurrige arenoſo igne. Ac huic liquori indes gummi præſcripta ac lachrymas, iterumq́ue ad ignem reuoca. Moſcus & camphora linteo commendari debent, ac in medium cucurbitæ ſuſpendi; ignis enim æſtum reformidant.

Hoc plurimis morbis confert, ſanitatem ſtabilit, ac rationi incomperta vi, contumaciſſima mala perſanat.

Finita diſtillatione, ſpiritus vini balneo euocetur.

Fæces à prima & ſecunda diſtillatione reſtibiles aſpergantur hoc ſpiritu, digerantur, ac vi ignis oleum per alembicum extundatur. rubicundum illud, ac empyreuma redolens, in vlceribus deploratis miram efficaciam habet.

DE AQVÆ VITÆ (*inde dicta quòd vita tutelaris exiſtimatur*) *diſtillata vi, ac vſu.*

E vino exſtillatur puto, ſi quæ iniicienda ac macerAnda ſint, ferè duodecim aquæ vitæ libris iniiciuntur, ſpecierum & herbarum vnciæ octo: ac vitreo vaſe macerabuntur (occluſo vaſis oſculo accuratè) diebus quindecim. Deinde vitreo alembico vaſi ſuperpoſito, aquæ feruentis vel tepentis balneo exſtillentur, oſculis alembici concluſis. Aqua quæ inde fluxerit, in aliud vas ſubinde refundatur, additis ſantalis odoratis teſſulatim inciſis, & ſemiſcriptulo moſci, & ambari in tenui linteo colligati, & roſati iulapij clariſſimi libra. hinc fortiter concutiantur dum iulapium cum aquâ miſceatur. Claudatur dein vas cerâ & membranâ, & dies quindecim quieſcat: & vltimò in aliud vas transferatur & recondatur. *Ius ſumpt.*

Hæc vini tenuiſſima pars aqua vitæ vocatur. nam vt cuncta iniecta à corruptione vindicat, ita & ipſa corpori humano iniecta omnem putredinem arcet. coctiones promouet, excitato calore natiuo, cunctiſq́ue cruditatibus viuidam vim ſpirituum vitalium recreat, calidumq́ue natiuum quaſi in eclampſin euocat. Ventriculum calfacit, cerebrum humidius algoréque preſſum eacitat, intellectum acuit, viſum (iniectam cum euphragiam gerit) clarum lucidumq́ue efficit, memoriam reparat, vbi calidum natiuum opprimitur excrementis à frigidis: vel ſi infirmus ſit, vegetat. Rectè parata erit, ſi ei immiſſum oleum ſidat, & ſi tota exuratur ab immiſſa flammâ; ſi eadem ſurrigatur, qua immiſſa fuerat, copia; manu trita euaneſcit ilicò: vel ſi caphuram diſſoluat. *Vis aquæ vitæ.*

Vt ſi cerebrum in vitio fuerit, cephalicas herbas immacerabimus: ſi ventriculus aut cor, his ſtudentibus rebus imbuemus. nam ilico ob tenuem vim aquæ vitæ vires appellunt partibus ipſis. vt ſi cor fatiſcat, cinnamomi vi, vel ſantalorum, caryophyllorum, zedoariæ, ſpeciebus diarrhodonis abbatis &c. perfundetur: ſin caput vitium fecit, betonicam iniiciemus, nucem moſchatam, melanthium, calamum, pæoniam, ſaluiam &c. iniiciemus. Si flatus bellum indixerint; calaminthaм, mentham, cuminum, aniſum inferemus. *Vt ornanda.*

Ita fiunt ea hac aqua vitæ antidota præſtantiſſima: quæ, non ſolùm hauſta, ſed & in faciem ex alterius

ore

ore proiecta, epilepticos, & animo defectos præsentaneâ vi reuocat; aphoniã expellit, & moribundos tamdiu sustinet, vt & miraculi speciem inferat. *Etenim existimo ferè omnium rerum vapidas partes prolectari posse vini spiritu: quemadmodum frigidiora aceto distillato: vt etiam quæ foris admonentur, oleo laterino, vel terebinthina.* & calcinata (si res combinatiores fuerint) & digesta soluunt. Melle interdum acuitur. Et hæc extractio est subtilissimarum partium. sine igne enim fit, non aliter ac nix.

CAVTIO.

Vsum eius liberaliùs ineant frigidiores temperie, quique flatibus, cruditatibus, ac morbis frigidis obnoxij viuunt: vt qui ventriculi dolore à cruditate & flatu premuntur, vertiginosis, comitialibus, paralyticis, melancholicis, veternosis, hypochondriacis, cordis pulsu & animi deliquio laborantibus remedio est, si cotidie sumatur cochlearis mensura; ob iulapium additum non tantâ vi caloris æstuat.

In colicis doloribus à flatu & cruditate, vncia additur enematis fœlici successu, maximè additis quæ flatus eiiciunt, ac mithridatij vel theriacæ binis drachmis. calidis naturis hæc aqua bellum indixit; iecori namque ac renibus inimica.

Historia. Mirum est quanta facilitate languentes à frigore vires erigat. Insignis medicus Sauonarola narrat, Antoninum à Scarperia clarissimum medicum, cùm esset annos natus octuaginta, dicere solitum, se stillatitio vini liquore, annos duos & viginti vitam produxisse. Et Iacobum Parmensem medicum eximium, cùm nonagesimo anno proximus esset, hoc eum eidem liquori ascripsisse. Præterea Io. Franciscum Gonzagam primum Mantuæ Marchionem, plurimum huic succo tribuisse; vbi enim opus peruasione, attenuatione, calore, nil potius distillatis: modò dextrè in vsum flectantur.

Attamen ardentia hęc ecchylomata, & Eccrises Chemicæ, vt etiam aqua ardens, tenellulis corporibus inimica sunt: vt nec oculis infundenda; vt nec aqua vitæ, nisi misceatur cum rhodostagmate, & saccharo. Nec se fallant naturâ calentiores, existimantes cœlesti calore flagrare aquam vitæ: etenim elementarius is totus: 3. anim 41. auctor Aristoteles, quòd idem calor, vt à corporibus cælestibus, temperatus est, eorumque vt virture agit, hac ratione est cælestis. Cùm autem peculiari sua forma agit, id est, ignis formâ, nullaque cùm alia regitur, elementarius dicitur. Sensus, fidus in his iudex, differentiam calorum non agnoscit. Galenus, asserit febrem esse calidi natiui in igneum mutationem. Nec Aristoteles dicit calorem generationis cælestem esse, sed cælesti responde- 2. gen. animal. re proportione, ἀνάλογον ἔιναι τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ. Itaque calidi naturâ, ætate, vel morbo abstineant ab aquâ vitæ. Noui suffocatos refrigerij inediâ; in calorem abrepto, huius immodestiore vsu, pectore. Stomacho etiam crapulâ onusto inimica est, nam paralysin accersit. ac tremores his creat: nam tenuiores partes in caput effert. Cibum præcedat tribus horis, ita extenuabit & discutiet cruditates, & excrementa. Frigidis morbis vtilis est, cuicta iam edomitaque materia.

Composita aqua vitæ. Quæ aquæ vitæ immerguntur viginti quatuor horarum spacio exuuntur suis viribus, quas totas sibi asciscit hæc aqua. Attamen præstantior redditur aqua cõposita, cùm vino generoso iniecta, ac octo decémve horis macerata distillantur. Ita, inquit doctissimus Medicus Rubeus, magno aliqui arcano, ex radice gentianæ eliciunt aquam. His miscetur vinum: ac quarto solùm his Quoties vtendum. vtendum. Immitti solebant cubebæ, cinnamomum, galanga, nux moscata, caryophylli, gingiber, mace, zedoaria, piper, cortex citri, saluia, ammi, xyloaloë, calamus od. stœchas, chamæpitys; theriaca, quam infundunt solùm per mensem, sæpè versant, dum croceum colorem trahat aqua. Putredinem arcet: sed tamen calorem acuit.

Quæ fiunt ex xytho aquæ ardentes, saporem vini non gerunt nec fragrantium, nec illam familiaritatem agnoscunt cum nostro calore: calorem & siccitatem concedimus, reliqua negâmus: ars enim æquare naturam nequit, nisi eius supposita materia.

Deprehenditur mateties vnde manârit aqua vitæ, si gutturlæ aliquot volã in manus fricentur, euaporabit aura antiqui parentis, qui olfactu, qualis sit, facilè deprehendetur. Adulteratæ vt noscatur.

Sed maximum studium adesse debet, vt optima aqua vitæ habeatur. Sit itaque vinum distillandum non corruptum, sed odoratum maximè, ætate vegetum. Sauonarola præfert nigrum albo, quòd densiore substantiâ sit, & validiore, licet fortè non ita penetret. Sed existimo parcius elici ex nigro. Album magis laudandum, vel saltem rubrum: non enim salem extrahere consilium est; nam generosissimum illud Italiæ vinum, album vocat Dioscorides, quod tamen verè giluum est. Sit itaque flauum vel fuluum. Sauonarola fuluum vinum præfert, quòd sit stomacho gratum. Sed Galenus scribit, nullum vinum tenue esse exquisitè dulce. & sapor is in aquâ vitæ non seruatur nisi phlegmatis ratione. Et ex tenui vino est facilior eliquatio & copiosior. nam ex dulci, pauci halitus efferuntur, ob crassitiem partium: & hinc est, quòd non ita inebriat: nec geniti inde flatus adeò penetrant hypochondria; & ipsum confert oleo Aristoteles: nec stringitur frigore; & vritur. Scribit Albertus Magnus, quòd vbi partes aquæ è vino extillârunt, restibiles manent terreæ partes perfusæ humori oleagineo: quin si substantia illa vlterius efferatur lento igne, emanat oleum: quare plurimum inter se discrepant vina. Quò enim fortius vinum fuerit, hoc parcius manabit aqueus liquor: oleagineus autem copiosius. E diuerso, quo tenuius debiliusque, aqueus maiori copiâ stillabit, parciùs oleosus humor. Rubrum pluri oleo perfusum est quàm album: & flauum, quàm aqueum. vocat Albertus, vt doctè explicat doctissimus Medicus Rubeus, omnem humorem prodromon olei, dum phlegmati permixtus adhuc perseuerat. Laudamus itaque vinosum vinum & meracum, quod oligophoro opponitur. Mustum reiicimus, ob aquosam & terrestrem substantiam: nee vetus probamus, nam euanuit.

A quo vino sit distillanda. — 2. anim. — 4. Meteor. 47

Distilletur rectò longoque collo, trium, si fieri possit, vlnatum, & sensim in gyrum, sine capitello, flexo: balnei hoc fiat aurâ. Sit dimidium vas vino plenum, & educatur tertia pars. Quidam decimam tantùm partem emulgẽt, & repetitis distillationibus depurãt. Sed doctè Sauonarola. Ad curandos frigidos morbos acriori opus est, at in tuenda valetudine, minus acri. Quin studendum vt illum madorem retineat, quo spiritibus nostris familiarior & proprior efficitur: nam hunc plerumque repetitis distillationibus deponit. Quare ad bonam valetudinem tuendam sat est, si primò ad dimidias extrahatur: deinde verò ad tertias. Ad morbos autem frigidos arcendos, ter distilletur: & singulis repetitionibus tertia tantùm colligatur pars. Quidam ex decem vini partibus, vnam distillant: hæc iterum ad dimidium extillant, idque quater; singulis vicibus attenuato igne ad gradum.

Vt distillandum. — Obseruatio. — Qua aqua vitæ tutelaris sanitati.

Sed absit à valetudine defendenda hoc vinum: nam à Dioscoride vetus etiam vinum culpatur, quòd neruos lædat: nisi parcè vsus eius ineatur, & aquâ diluatur. & aqua vitæ longè hoc est calidior & tenuior: nam ab infensâ flammâ tota eius humiditas exeditur: quare etiam validè calfacit, penadit, tennat, siccat. quæ repetitis vicibus distillatur, vtilis madore frigido circumfluis corporibus, ac inde morbosis.

Vini vtilitas. At ad tutelam valetudinis vinum purum laudamus, non distillatum, sapore & odore iucundum, moderatè haustum; nam id familiarius est naturæ humanæ, humidoque natiuo ab ipso summo rerum Architecto fabricatum, cuius artem nulla ars assequetur vnquam. Læto quodam genio id genium humanum exporrigit, ac in lætitia

lætitiâ & hilaria effundit; sanitatis author corporis & animi, inqoit sapientissimus Sitacides. *31.37.* Hæc nunquam efficeret, nisi calidum humidumque natiuum, ac viscera vitæ stabiliret: est enim humido aereo multo perfusum, quo blanditur huic nostro, & erigit spiritus cordis, cerebrum absterget ab omni tenebricosa vmbrâ, & excrementis id liberat; nam modestè calet & humet. Propterea Bacchus Dithyrambus veteribus dictus, quòd quasi per duas fores vitam ingressus sit: ex Ioue & Semele (quod imaginem Hebraicè sonat) quia primùm ex humiditate vinum nascitur, deinde & temperatum calorem accedere necesse est. Tale autem aëreum verè vitæ studet: quare Liuiam Augusti octuaginta annos vino *14.lib.16.* Pucino retulisse acceptos auctor est Plinius, nec alio vsam. Scribit Mathiolus, rusticos lapidiæ incolas, cùm vino Pucino cognato vtantur, rarissimè ægrotare, & vitam ad nonagesimum, & centesimum annum producere. Sit non ita calidum, nec ita siccum. Profectò vna Lipothymia vini vim ostendit.

Quotuplex distillatum. Ad distillatum redeo. est simplex, quinta essentia, & compositum. Simplex, quod iam dixi, tuetur valetudinem, tale iam Francfurto adfertur. Quinta autem essentia fit, cùm, vt iam retuli, sæpius repetitur distillatio. vel cùm aqua vitæ simplex diu in pellicano gyratur à tepido calore: nam ita tenuitatem retinens, acumen feruoris exuit, ac quasi in æthera abit, & fragrantissima redditur, quod moderationis symbolum est, nam calet modestè. Lullius toto anno hanc aquam gyrat. Sed, si verum fatendum, tantum abest, vt si mense vel anno gyretur, vt odoratior reddatur atque suauior, vt potius calidior *Quid quinta essentia.* ac acrior euadat, à calore & motu. *Quare quintam essentiam vocare licebit illam aquam vitæ, quæ est purissima, quæ exuritur tota in flammam.* Hæc pueris, ni remixta fuerit cum aliis, inutilis. At senibus frigidis simplex potiùs aqua confert, tertio tantùm die. Cottidie lac suum; id est, vinum bibant.

Tartari oleũ. Tartarum affunditur aquæ vitæ: retorto vase, vt vitriolum extillatur; primò manat aqua, hinc oleum. quòd grani copiâ datur phthisicis ex decoctis vlceribus curandis accommodum.

Alij illud vstum aquâ diluunt calidâ, colant, siccant: affundunt vini aquam, macerant, distillant aquam, in fundo remanet oleum vreticum; datur eius drachma ex vino dulci: phthisicos recreat; hepatis & lienis infarctus aperit.

Aceti distillatio. Distillatur acetum cum theriaca, affunditur aqua vitæ. *Fracastorius 3. Contagios.* erosiones oris & gutturis in lue venerea à catarrhis acrioribus castigat, si tanguntur adiecta bolo armeniæ, vel terra lémnia. pilos deciduos firmat in barba & superciliis.

E saccharo & melle. Ex saccharo liquor fit, cùm ei admiscetur aqua vitæ, quæ accenditur, & restibilis quædam remanet pinguedo.

In mellis distillatione quinta tantùm vasis pars impleatur, & sensim retorto vase exstilletur: primò alba, dein flaua aqua manat, quæ est ophthalmica, catarractas eximit: vltimò rubra manat, vlceribus cõmoda, & pilis.

Hæ aquæ iniectarum rerum vires facilè bibunt, ve euphragiæ &c. tussi & lieni studet, si herbæ peculiares *E facibus.* iniiciantur. ex stercore vt fiat distillatio, docet Matthiolus, ad carcinomata, & oculos; & epilepsiam curat, lapidem minuit, hydropicis, & morsibus animalium venenatorum succurrit.

E Rosis oleũ. E rosis ita fit oleum: folia siccentur aliquantulum, latifundâ cucurbita excipiantur, quæ media impleatur: alluantur rhodostagmate, vt madeant: digerantur semimensis spacio tepore; cineribus modestè fiat distillatio: repetatur huius aquæ iterum distillatio tepenti diplomate: in fundo restibile erit oleum rubrum fragrans, dicatum cordi, & cerebro.

E corticibus. E corticibus etiam odoratis fit oleum; cucurbita vitreata media impletur aqua & corticibus. igni forti, vt aqua ebulliat, extillatur; oleum innatabit aquæ distillatæ: ita etiam ex cinnamomo.

Frequens hoc æuo vsus olei vitrioli me etiam euocat. *E vitriolo.* Accipies optimi vitrioli libras sex: magno ac ventricoso poculo indes, fornax excipiat vltra mediam poculi partem, sic vt collum deorsum parum vergat. Tenui primùm igne emulge eius phlegma: dein aucto ab igne incandescat poculum; & horæ spacio in eo ardore perseueret. Dein phlegma auferes, vnà cum eo quod elicitum est: & poculum collides, & vnà cum vitriolo, quod habebat, comminues in puluerem: & magno inferes poculo; & extillatum liquorem ei reddes, cui quadruplum iunges aquæ pluuię. Sed à remixtâ aqua in feruorem excandescet poculum: tu misce, & fine vt integri diei spacio ad teporem redeat. Mox quod clarissimum fuerit effunde: sed affunde nouam pluuiam aquam: ita salem elicies. Has aquas fictili nouo indes, carbonibus sensim exhauriatur aqua: restibiles erunt salis vnciæ tres, ex sex libris vitrioli. Hunc salem cucurbitæ aut poculo iterum immittes, & leni igne phlegma exiges: quo exacto excipulum mutabis, ignem vegetiorem dabis: ità singulis horis abduces vnciam olei. Duæ libræ salis fundent quatuor vncias olei. Mixtum aliis liquoribus parcè, stomachum roborat, aperit, putredinem arcet, infarctus renum exigit, pestiferis febribus dulce præsidium: pueris cum aqua graminis ad vermes guttulæ propinantur. in malignis febribus miscetur vnciis quatuor iuris polli, in quo herbæ cordi dicatæ coxere; cum syrupo citreorum. *Cautio.* Cautio sit, vt squalidis corporibus parciùs propinetur. Dicitur Latinis atramentum sutorium; Græci χαλκάνθην vocant, iam vulgò vitriolum: Romanum blandius est, Germanicum acrius.

E Sulphure. Ex Sulphure ita fit: despumant libras octo vrinæ puerorum, sesquilibrã addunt calcis viuæ; ferueant simul ad tertias; mox colatis iunge sulphuris viui puluerisati semilibram: vnà bulliant, dum exhauriatur medietas: colentur, & colatura distilletur. hoc oleum cancris subuenit, & neruosis algore rigidis succurrit. Quidam ouorum vitellos, cum sulphure & terebinthina consociant æquali manu; ac per cineres oleum eliquant. Alij aquam vitæ sulphuri mixtam exurunt; ita siccatum sulphur distillant vt oleum laterinum. Alij oleo tartari, repetitis vicibus imbibunt, & loco madido oleum eliquant: fistulis & cancrosis accommodum. Alij ex aqua vitæ illud coquunt, dum innatet oleum, quod coneba abstergent; sæpius mutata aqua.

Obseruanda. Quæ aquæ distillatæ humida vi madent, soli exponantur, tertia parte vacua cucurbita, quadraginta dies, in arena feruente: ita excutitur phlegma, & empyreuma tenues euanescit in auras: tertia autem pars arena condatur. Calidæ autem herbæ plerumque vino rigantur; propterea, ne vinum noceat, per aliquot dies ante distillationem loco madido, arenaque humecta constituuntur. At quæ viscosæ sunt herbæ, per vaporem distillatæ, facilè inquinantur putrilagine: arena hæ meliùs. incidi autem vel teri primùm debent, & parca manu vicissim imponi. Cùm cuprea vesica celebratur distillatio, & dum ex viginti libris emulctæ sunt septemdecim libræ, ne vratur materia in vesica, desine. Raro vltra sex horas trahitur distillatio; si duæ libræ materiei, cum viginti libris aquę in vsum venerint. Primò augeri debet ignis, qui, dum cuncta incaluere, accidendus: ita eodem filo trahetur distillatio. Aquæ etiam satis commodè cineribus, at olea arena eliciuntur. Quæ autem surriguntur ex facili, vt herbæ, flores, semina, radices, aromata, erecta cucurbita distillentur: quæ verò altiùs attolli nequeunt, vt gummi, lachrymæ, resinæ, pinguedines, retorta rectiùs sublimãtur. olea & aquæ causticæ per ignem, maximè ex metallis efferuntur.

Herba oleã. Herbæ oligeræ, calidæ sunt & siccæ: vt rosmarinus, serpillum, ruta, calamintha, origanum, lauandula, chamæmelum, saluia, hyssopus, basilicum, nardus, apium,

stœchas,

stœchas, satureia, absinthium, liuisticum, thymus, mentha, polium, iua, sabina.

Seminum. Semina suaueolentia, vt fœniculi, anisi, sileris, cumini, pettoselini, ammij, anetbi, nigellæ, santonici, dauci, cari.

Aromata. Aromata, vt cinnamomum, piper, zeduaria, caryophylli, mace, angelica, galanga, grana paradisi, nux myristica, zinziber, cubebæ, cardamomum, calamus aromaticus, cyperus.

Modus. Cùm oleum ex herbis trahitur, magno vase æneo opus est, vt maximam habeat aquæ copiam, præ aromatibus & seminibus. Aqua pluuia his miscetur; nam non vertit oleorum naturam. & quæ absque maceratione distillantur, puriùs perennat: & ne balnei quidem modestia ab hac iniuria abest. Aqua quæ vnà effertur cum oleis, vim eandem gerit, quam balneo extillati liquores ex plantis.

Quinta essentia. Sed elicitur ne quinta essentia hac arte? Non videtur: nam cuncta corporea natura pendet à forma, quæ ex certa quatuor elementorum contemperatione constat. si enim, ablatis quatuor qualitatibus, quid superesset præter fæces, id singulare & æthereum foret: quod nusquam sentitur: nam vbique sapor, odor, vel quid elementorum mixtorum consectaneum. semina & aromata recentiora, præstantissima fundunt olea. Herbæ cùm flores ferunt carpuntur: & post mensem siccatæ distillantur.

Ex lignis & gummis. Quæ Olea ex lignis & gummis distillantur, hærent tenaciùs suis rebus, ob viscositatem. ex lignis, vt rosmarino, sabina, iunipero, fraxino, guiaco. Quæ calida & sicca tenaciora sunt, oleo proprio ad lentum ignem primò soluantur, vt mastix, cera, terebinthina. vt; accipe terebinthinæ libras duas, aquæ puræ, libras octo: distilla. aqua empyreuma arcet, intus tutò hoc datur ad duas drachmas: sed thus, mastix, beniouinum aquæ sunt impatientissima; sed loco aquæ accipiant terebinthinæ oleum ad tres vncias, & retortâ vt mox dicam, vbi de lignis, distillentur.

Per athenora. Quædam galbaneta, gummata, & smegma Hispanum, hoc modo; Ferrea olla igni fornacis exposita sit, huic insistat chytropus vitri sustentaculum: vitro autem indita sint gummi: lapideo operculo claudatur furnus, ita vt collum vitri emineat: fiat distillatio in ignis calore. Vbi in aquis reperitur distillatio, id quò fit sæpius, eò feruentior euadet aqua; itaque calidis aquis id vtilius erit. & singulis vicibus vnius gradus accidatur ab igne calor in repetitis distillationibus: nam agitatione hac ignea à vi, tenuata iam materia facilè surrigitur. Et aquæ distillatæ, balneo vel sole retorridam partem exspirent. Si turbidæ reddantur, libræ liquoris guttulas duas accipiant aceti.

Ad cancrosa & faciei ruborem. Aqua ad cancrosa vlcera, & faciei ruborem: accipe plantaginem, solatrum, agrestam, albumen ouorũ duodecim, aluminis semilibram; mixta sint inuicẽ, & extilla.

Cùm aromata & semina distillantur, non fiat infusio, nec maceratio: ita oleum elegantius vigebit: satis est cribrata & aquæ remixta illa esse. Et tertia pars cucurbitæ vacet. *Encheirisis.* Sit materiæ distillandæ moles duarum librarum: quibus misce aquæ libras octodecim. at, vt diximus, herbæ liberaliorem aquæ copiam petunt. Sex horis tantùm macerentur. Aromatum ac seminum distillatio gaudet arenis, si ænea cucurbita induatur, subiecto fictili quæ induntur. at herbæ puro igne extundantur.

Aquæ olei & alterius discrimen. Aqua quæ cum oleo elabitur ex aromatibus, & seminibus, est illa ex pluuiali quæ his copiosè affusa fuerat, verùm non mera ac pura sed vnà remixta cum eo madore, quo hæc pro nutricatu debuissent iamiam frui, qui iam contagione quadam oleum (in quo præcipua vis, quæ in seminibus & aromatibus micat, habitat) redolet: at illa aqua quæ balneo ex herbis eliquatur iam iñ solari calore prolectata fuerat, nec dũ assimulatione associata herbæ. Hinc est quòd seminum & aromatũ aquæ odorem & saporem referant olei vnde dimanauere.

Vitæ modus. Olea hæc tenuissimam substantiam gerunt, ita vt oleum caphuræ ad oculorum intuitum euanescat. Et parua mole ingentem vim spirant; libra enim in drachmæ efficaciam se colligit interdum hac arte. Quare guttulæ tantùm aliquot horum oleorum ad vsum, includatue sacchare fuso ab aqua violata, vel rosata, vel cinnamomi &c. vt fiant tabulæ ex sacchato. Quod primũ stillat oleum optimum est; itaq; ter muta excipulũ.

Anisi oleum. Anisi oleum commodè distillatur dum stricto à frigore bruma riget.

Fructuum. Fructus, quia circumfluunt oleo, non eam aquæ molem petunt; vt iuniperi baccæ &c. nam quinque vel sex libræ aquæ, baccarum libræ affusæ satisfacient. sed exactè contusæ sint. primò surrigitur in his oleum.

Aromatum distil. Ab aromatibus distillandis absit vinum; nam antequam aromatum oleum sese surrigit, vinum exigitur: quare restibile aroma suo vehiculo defraudatur. At aqua non sine aromate effertur.

Oleum cinnamomi. Accipe cinnamomi libram; aquæ melissæ, vel boraginis, aut endiuiæ libras duas; infunde ac macera dies quinque, per arenam distilla. in vltima consectanea aqua cinnamomum iterum infundi poterit nouum. Ita caryophyllorum, piperis, angelicæ, galangæ, extorquentur olea.

Ex lignis oleum. E lignis oleum non facilè erũpit in sublime: & quod præcipitando effunditur, retorridam quandam nauseam spirat: itaque medio quodam filo excludatur: vt per incuruum vas oblongum, vesicæ æmulum. Cacumen fornacis cloaculam parieti insculptam gerat, qua recuruum vas sese furno eximat. Hæc cucurbita ea vastitate sit, vt duodecim librarum in se liquorem condat: rostrum id recuruum sesquipedem promineat: sitque ex geminis partibus consociatum apte: nam manui purgatrici patere debet cucurbitæ primum os; cui in acumen attenuata sensim altera pars, vt commodè fiat distillatio, oectitur. hæc cucurbita arenæ imponitur. hæc ligna debent lima, vt guaiacum, atteri. Duas ligni libras cum tantundem aquæ vitæ committe: macera aliquot diebus, & distilla. quidam sartaginem etiam imponunt cucurbitæ, & igne imposito feruorem cucurbitæ addunt. Primò surgit aqua vitæ; dein oleum manat. Ter hæc aqua vitæ ad simile, in aliis lignis, officium reuocari poterit. Ablata aqua excipulum subdes aquæ semiplenum, metu empyreumatis: vel natet in aqua frigida excipulum. Ita lignũ guaiaci, farxini, & iuniperi tractãdũ.

Ita sicca gummi eliduntur, sed emaciatis oleo terebinthinæ, quæ, vt iam dixi, affusa aqua extillatur: & in fine; represso iam liquore, plumbi vncia frustulatim concisa fæcibus adiicitur: nam ita quicquid restibilis superest liquoris eliquatur à fuso plumbo.

Thus etiam non nisi consociato plumbo facilè distillatur; sed aliquantulum erectiore id fiat cucurbitâ.

Nec alio modo rectiùs elicitur oleum ex succino, gagate, sulphure, quàm si in puluerem comminuta oleo oliuarum rigentur. sed lauentur ac mundentur primùm aqua tepida.

Beniouinum, ladanum, etiam aqua, vt semina, oleum fundunt.

Vngventa, ἔγχριστα, *liminenta*, *Cerata liquidiora*, *Acopa.*

Veteres in deliciis habuere vnguenta; videte Athenæi 15. lib. 14. & sequentia capita. Refert Plutarchus in Laconicis, Lycurgum expulisse vnguentum tanquam olei perniciem. Et Seneca 4. lib. 13. Solon etiam prohibuit vnguenti venditionem. Antiquissimus eorum vsus elucet ex Anacreonte, & ex Diodori lib. 2. de Myri rege Ægypti; ex Iudith & ex Iacobo mortuo. Et ex Homero Iliad. ψ vbi ait: ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ. Archilochus qui sub Romulo fuit μύρον primus dixit vnguentum: Nam antea eodem nomine oleum & vnguentum appellabatur. Et Philostratus de vita Appollonij, 3. lib. 1.

Ad Hyphasidem, inquit, *flumen India arbores nascuntur, ex quibus vnguentum distillat, quo in nuptiis Indi perũguntur: sine hac illitione imperfecta illis nuptia, & Veneri nequaquam grata putantur.* Idem eodem libro, capite 5. nec Iarcham principem Brachmannorum alienum ab vnguentis dicit. Qui antequam lauarent, calidissimo vnguento quo sudor manabat, sese vngebant.

Modus conficiendi. Fiunt ex triente vel quadrante ceræ, oleo remixto. Cuius elegantem docuit rationem Galenus decimo Methodi, cap. nono: *omnium,* inquit, *quæ humectant & refrigerant, simplicissimum remedium fit: quo & aduersum erysipelata vter, & phlegmonas in pudendis, his inchoantibus, antequam depascens putredo irrepserit.* *Exemplum.* *Accipio ceram optimam & elotam, cum oleo rosato misceo, ac in vaso duplici liquantur. Factóque liquido cerato* (cuiusmodi fuerit quod triplum aut quadruplum ad ceram rosaceum habet) *postquam refixerit, misceo ei sensim in mortario tantum aquæ, quantum in se dum cùm ea mollitur, excipere possit. Expedit autem ceratum frigidissimum primùm esse, & aquam quæ ei remiscebitur. Abundè autem ceratis refrigerabis, si cùm modicè coiuit, totum vas in aquam frigidissimam dimittas. Quòd si quid aceti clari ac tenuis admiscere velis, magis humectans ac refrigerans medicamen fiet.* hæc Galenus.

Modus compos. Æstu cùm flagrat cælum, plus ceræ erit adiiciendum; nam eo fine plerumque hæc inditur; ne diffluat oleum, sed in corpore vt restagner. Ita si cera vetus, aut arida, aut aër frigidus fuerit, paulo plus olei erit adhibendum. Ita si pinguior cera fuerit, ac aër calidior, paulò minus olei adiiciemus. Id est (inquit Oribasius) & vndecim & tredecim olei vnciis, ceræ libram admiscebimus. olei vncia accipiat ceræ drachmas binas. Sed in cerato, drachmæ duæ olei sumunt ceræ duræ vnciam: emplastrum æquam vtriusque partem.

Id cautione notandum, dum ad expugnandum æstum membris admouentur vnguenta, ne eo vsque super ægrum corpus maneant, dum manifestò incaleant; sed subinde mutari debet.

Hæc ex oleis variis fiunt, ac variè adipes admiscentur: & gummi & muccagines, cum nempe frigescit vnguentum: vt hoc, quo pro myracopo vtebar in pestifera febre, quæ calamitosissimis symptomatis postquam *Experientia.* presserat ęgros, tandem in tam acerbos dolores crurium labebatur, vt & hinc metus mortis foret: hinc omnes recreabantur. Accipiebam olei amygdalini dulcis, & olei chamæmelini, singulorum vnciam; vnguenti de althæa cum gummis semunciam; axungiæ humanæ, & gummi elemnij, cuiusque drachmas binas; croci scriptulum; & interdum spiritus vini parum: miscebantur ad formam linimenti.

Pulueres vt indendi. Nonnunquam & pulueres induntur, cùm ad algorem redire cœpit à coctione linimentum, vt olei vncia, duas drachmas puluerum, & ceræ sesquidrachmam ferè accipiat.

Misceantur autem pulueres succorum densatorum, herbarum siccatarum, metallorum, ac resinarum. At lentiora gummi ex vino vel aceto primùm in succum vertuntur, ac nimio madore exhausto vnguentis instillantur. Antiqui ferè nec ceram nec resinam vnguentis *Myracopa.* indebant: quæ si accepissent, myracopa dicebantur; quæ vt acopis erant liquidiora, ita & vnguentis crassiora habebantur: Et suaui odore perfusa myracopa erant.

Acopon quid? Acopon enim medicamen olim illud erat, quod fatigatos illitu recreabat. Traductum fuit id nomen tandem ad alia remedia similem formam sortita, nec ita lassitudini dicata. Humida acoporum erat consistentia, nempe media inter *συγχρίσματα*, & liquida cerata; tanto illis crassior, quanto his liquidior. nam inquit Oribasius a. Synops. 57. *Acopum erit cùm oleum ceræ quadruplum inicies; liquidum ceratum erit, si duplum.* Acopa alia calfacientia, alia emollientia.

Cerata. *Cerata dicuntur quòd magna ex parte cerâ constent, substantia media inter emplastrum, & vnguentum.* Sed tamen interdum molliùs liquidiusque effinguntur, vt apud Galenum decimo Methodi, ceratum rosaceum, quod triplum, vel quadruplum ceræ accipit ad oleum. vncia sit olei; drachma, vel sesquidrachma sit specierum: ceræ semuncia, cum pauca resina.

Vnguentum. *Vnguentum autem*, id est μύρον vel ἄλειμμα *ex liquoribus, adipibus, & medullis cum oleo remixtis fit, dum spissati olei consistentiam acquirat.* Quòd si resinam aut ceram adieceris, quibus crassitiem ducat (*τοῖς ἀκόποις* vt simile euadat) μυράκοπον dicebatur.

Linimenta. Linimenta *sunt molliora & liquida vnguenta, quæ parum aut nihil ceræ accipiunt*, iisdem vsibus dicata. *De cera miscenda.* Cera cùm varia sit, variis quoque affectibus accommodabitur. Nam cùm emolliendum, & coquendum est, aut cum dolor leniri debet, mollior cera, pinguis, ac noua vtilis erit; vt si pectori linimentum paretur. Verùm cùm indurandum & refrigerandum, candida cera recens commodior erit: nam aceto indurata fuit.

Vsvs.

Vnguenta quæ à medicis iam præscribuntur, vel sunt ad doloris placandam vim, vt sambucinum, chamæmelinum, amygdalinum, anethinum: vel vt alterent, vt renum calorem vnguento rosato: aut ad scirrhos emolliendos & discutiendos, maximè in hepate, liene, & in ventriculi malis, vt alabastrite vnguentum. Etenim chirurgicas formulas antidotaria enarrant.

Odorata. Fiunt quandoque apud nobiles, nobilis odoris gratia, vnguenta:

Vt mosci, ambari, zibetti, singulorum grana quatuor: ex oleo amygdalino dulci, in vnguenti formam rediguntur.

Vel Olei nucis myristicæ expressi, drachma; zibetti optimi, scriptulus; mosci electi, grana sex; olei spicæ, lauendulæ, vtriusque duæ guttæ, vel tres: misceantur, fiat vnguentum; quo nares, frons, & nobiles partes, roborandi gratiâ illinuntur.

Interdum effinguntur vt discutiant & detergeant, emolliant & maturent.

Ad omnes partes effingũtur; nã non effluũt ita vt olea.

Materia.

Fiunt ex oleo, axungia, butyro, seuo, styrace liquida, stacte; cum terebinthina, vel muccagine, vel medulla.

Cera miscetur oleis, ne oleo indita diffluant: pro ℥ ij. olei, addemus ℥ ß. ceræ: vt sit quadruplum olei. Si seuum adsit, minuenda est cera; ita non in axungiis.

Axungia. In secretis est aulicis quibusdam ratio, qua axungia intacta à rancedine perennat. Hanc porco euulsam frigidâ & egelidâ lauant, & purgãt à sanguine; albissimoq; saccharo, duorum digitorum crassitie, aspersam reponũt.

Habeat igitur ℥ j. olei; ceræ ʒ ij. In cerato contra, pro olei ℥ ß. adde ℥ ij. ceræ duræ. Linimentum habet adipes, butyrum, resinas liquidas, cum oleo & cera.

Vnguentum pręter cerã & pulueres habet: Quare eadem ceræ his debetur copia: & pro ʒ j. puluerũ ℥ j. olei.

Metallica qua quantitate imponenda sint, cùm varia sint, acrimonia edocebit, & lenitas: vt æris flos ad ʒ ij. chalcitis ad ℈ j. arsenicum ad gr. j. sulphur ad ʒ j. Argentum viuum ad ʒ j. sublimati gr. vj. ad vnciam earum rerum quibus miscetur.

Cavtiones.

Si ex oleis compositis vnguenta parentur, illa olea non erunt lauanda nec succis herbarum, nec vino: Nam lotio, oleum omni alienã substantiã spoliat. *Error Medicorum.* Existimant quidam nulla vnguenta vel cerata stomacho esse admouenda sine galanga: vt nec cordi sine mace, & croco: vel cerebro sine stœchade Arabum: aut iecinori absque spodio, santalis, vel absinthio; nobilis partis officio ducti.

Dicimus id fieri debere, modò contrarietatis lex non violetur, in causarum morbificarum amotione. Nam varia

varia sunt astringentia, quibus roboris filum sustineatur, & quæ æquè parti student, ac cum intemperie pugnant. Hæc fuit sententia Galeni 7. Methodi, cap. 4. vbi scribit de se, quòd si suos præceptores sine ratione aliqua sectatus fuisset, quòd talia nunquã nõ adhibuisset.

Obseruatio. In vnguentorum præscriptis, laudamus, vt fiant potiùs cum herbarũ succis, quàm pulueribus; etenim peruadũt caro ẽ faciliùs. res vtilissimis exemplis ita patebit.

Exemplum. Accipe specierum trium santalorum, rosarum, absinthij, agrimoniæ, cuiusque semunciam; fiat puluis. hunc coque ex aqua per sesquihoram. cùm aqua tincta satis fuerit, coletur per linteum forti expressione; tum coque ad mellis crassitiem; ac adde succi apij, cichorei syluestis, lactucæ, cuiusque drachmas tres; camphoræ drachmam: cum cera fiat vnguentum: vngatur iecur.

Ita ad cor ex radicibus tormentillæ, zedoaria, rosis & violis, cinnamomo, mace, caryophyllis, cortice citriorum, &c.

EMPLASTRA, ἔμπλαστον φάρμακον, ἀπὸ τοῦ ἐμπλάττειν, *id est à fingendo, formando.*

Fiunt ob varios affectus: cùm volumus vt diutius vis remedij hæreat, & ne euanescat; & vt corroboretur pars, vel coquatur materia morbifica. Fabricantur ex gum-

Materia. mis, oleis, resinis, axungiis, & ex rebus siccis, vt metallis & cineribus, mixtis cum ceræ parte, vt in viscosum durumque corpus abeat. Galeno maximè emplastri formam perficere videtur lithargyros.

Obseruatio in gummis. In horum compositione monendi sunt pharmacopolæ, vt macerando dissoluant gummi cum vino, succis, vel decoctis herbarum (quæ iterum excoquuntur) aceto; aqua vitæ & oleo, & vt dein aromata misceantur citra ignem; vt quæ ad ventriculum & viscera parantur: nam alioqui vis eorum vanescet ac deperibit.

In succis. Succi qui induruere, indendi cùm sunt, (vt acacia, aloë,) si recentes fuerint, cùm liquore conuenienti macerati & liquati fuerint, excoqui debent.

In fossilibus. Metallica & terræ in puluerem comminuta postremò iniicienda: nisi tamen vires effrenes illorum domare

Resina. re consilium sit, longâ coctione. Ita & resinæ, pix, & terebinthina, à cera remiscentur.

Modus. Lithargyros cum oleo copioso (nam ebibit) primò coquitur ad iustam emplastri consistentiam (modò siccandi consilium sit sine morsu) succis, decoctis, aut muccaginibus iam consumptis, adipes immittentur: hinc resinæ siccæ, cera, gummi, (ne vim emplasticam coctione amittant) terebinthina; tandem pulueres, radices, folia, ligna, caules, flores, semina. cùm frigent, crocus, moscus, ambra, soluta liquore.

Lithargyros auri, argenti venustatem superat.

Cerusa prolixiùs cocta, alborem exuit.

Coctum satis esse elucet ex consistentia, cùm in aqua refrixerit; ac mixtione, si rumpi contumax fuerit. Quare ex coctione magis pendere videtur forma emplastrorum, quam ex certa copia rerum remixtarum.

Cera emplastris inditur; qua sortiantur vim emplasticam; hinc cùm acceperit emplastrum tali vi medicamina dotata, parciùs adiicienda erit; vt dum ladani copiam habuerit. Quidam ad manipulum puluerum, liquoris (vt olei) inferunt sesquiunciam: Sed ne aberres, regula sit, veterum descriptio.

In dolore & phlegmone. Cùm dolor acerbus, aut inflammatio bellum præbent, liquescat ex oleo in vnguentum, ne perspiratione fraudetur pars: nam, vt inquit Oribasius, emplastica, media sunt inter repellentia, & abstergentia.

Glutinosa esse debent, ne dissiliant: vt tetrapharmacum, quod fit ex oleo, cera, pice, & resina. cauendum ne nimium coquantur, nam glutinositas ita vritur, dissoluitur, & inutile emplastrum reddit.

In cancrosis. Ego in cancrosis ita, accipio plumbi drachmas tres, mercurij crudi sesquidrachmam: fundo simul foco, & in puluerem verto (nam argentum viuum in calcem vrit cuncta metalla) addo vnguenti de tutia drachmas sex, ceræ drachmas duas, terebinthinæ drachmam.

Lintea detrita quoque hodie vtrinque intingunt liquatis emplastris, ad molliendum, purgandum, vel cicatrice muniendum. vocant *dreyldoeckxkens.*

Vt; Accipe olei dulcis, axungiæ porci, lithargyri, singulorum sesquiunciam: ceræ odoratæ rec. picis pul. ambarum sex drachmas; coque lentè: in fine adde resinæ pul. vnciam, cerusæ, tres drachmas. euacuat, glutinat, coquit, purgat, & cicatricem inducit, mollit, excoriationi à longo morborum decubitu medetur, maximè si crudi plũbi ac puluerisati misceatur decens copia. Cùm enim diu plumbum tunditur in mortario crudum, affusis guttulis aquæ plantaginis, in tenuissimũ puluerem vertitur.

Vel oleo (ex quo emplastrum coquitur) primum incoquatur lima attritum plumbum. Id enim putredinem mira ratione sistit, adeò vt si arma ferrea hoc illinantur, difficillimè æruginem ducant: nam, vt aiunt Chimici, Saturni est omnia metalla purgare, vt Mercurij calcinare.

Qui dextrè velit emplastrum in vsum vocare, ea quibus rebus compositum sit, & qua mixtionis copia, exploratum habere debet. *Vsus.*

Sunt quædam emplastra polycresta, quæ varia facultate insignita sunt: quæ vires si singulæ haberentur, meliores essent, iis potius adhibitis quæ propriè id quod eo tempore opus est consequuntur.

Niger color emplastris ferè fit ex pice & resina; at ex bitumine nigerrimus: ex ærugine, aut æris squama, viridis; ex minio, ruber: ex cerusa, albus. *Color.*

Emplastrorum variam materiam, variis affectibus dicatam, prodidit olim Antyllus antiquus medicus, ex quo elegantia quædam retulit Ægineta lib. 7. c. 17. Et Oribasius Synopseos initio lib. 3. Aëtius tetrabib. 4. sermone 2. cap. 44. & sermone 3. cap. 12.

Metallica, oleo, aceto, succo, vel aqua primò sine igne imbibantur; & crassescant in mortario continenter mota. Pinguia fusa misce pistillo calido, & spatha. Aridorum vncia accipiat olei vncias tres, & ceræ libram, resinæ bessem.

CATAPLASMATA, *Malagmata veterum.*

Ambigere horum forma videtur inter vnguentum & emplastrum: nam ex pannis, ac stuppis, iniiciuntur membris laborantibus.

Fiunt ex radicibus, herbis, seminibus, fructibus (maximè caricis) succis, surculis, farinis, oleis, axungiis, resinis, medullis. *Materia.*

Farina & oleum, muccagines & adipes, vltimò iniicienda veniunt; cùm reliqua iam cocta, ac cribro fuerint secreta; nam tunc repetita coctione, ad mellis consistentiam ducitur.

Cataplasmarum quædam sunt cocta, quædam cruda. Cruda accipiunt herbas contusas, quas oleo excipiunt, vt & succos adiecta farina, vel puluere ex certa indicatione præscripto.

Coquuntur autem ex lacte, aqua, vel hydromelite, aut vino.

Fiunt ad dolorum mitigationẽ, vel ad duritiei emollitionem, & tumorum resolutionem; vt in auram humor euaporet. Interdum vt maturatio & coctio iuuetur; nonnunquam vt è sublimi attrahant, & ad peripheriam educant humores, & flatus disiiciant. hæc, calida moderatè esse debent, & tenui vi prædita sint. *Vsus.*

Vt variæ res curando peragendæ; ita & variæ res medicæ iunguntur: sæpe emollientia cum discutientibus, & discutientia cum sedantibus dolorem committuntur, vt in œdemate. magis ad blandè calfaciendum, quàm refrigerandum comparatum remedium.

Vbi maturationi studemus, crassior consistentia sit emplastri; vbi digerendum, mollior. Hinc est quòd quãtitas materierum hanc formam subeuntium, certò definiri nequeat. Ferè tamen addatur ad libram herbarum, vel rerum cribro traiectarum, farinarum, & semi- *Fabrica.*

num pulueriſatorum vel radicum ſemilibra, medullæ, vel olei tres vnciæ.

Molliens. Vt; Accipe maluæ, violariæ, ambarum manipulos tres: radicum althææ, & liliorum, cuiuſque vncias tres; ficuum pinguium, numero quinque: coque ex aqua, ac cribro traiiciantur; dein adiice florum chamæmeli pulueriſatorum, ſeminis aniſi; cuiuſque vnciam, farinæ lini, fœnigræci tres vncias; adipis anſerini, olei violacei, vel chamæmelini, ſingulorum vncias binas: coquantur in malagma. Emollit dura, ac ſimul ſoluit. Euporiſton

Ad dolorem. ad omnes dolores: Accipe furfures, ſapam; & parum ſalis (addo flores chamæmel.) fiat exigua ebullitio. præclarè omnes dolores ſedat.

Ad Contuſa.

℞. conſolidæ maioris, & minoris ana ℥ iij. chamæmel. melilot. ana ℥ j. croci ℈ j. farinæ fabarum ℥ ij- farinæ fœnugræci ʒ viij. coque ex aqua: & primò radices; adde abſinthij & cumini ana ℥ ſ. præclarum eſt iſtud ad contuſa. Emplaſtra varia deſcribit Oribaſius 9. Collectaneorũ 24. & Aëtius 1.3.175. & Myrepſus 20.

CAVTIO.

Nō purgato corpore cacochymo, ſuſpectus eſt horum vſus; nã in partē rapiunt inquinamenta totius corporis.

Modus vtendo. Cataplaſmata ſupra totas partes inflammatas applicari poſſunt ex rebus quas indicabit affectus, pars ægrs, & materia morbifica. Sed ea cautio adſit, vt ſi integra cutis non ſit, primùm tenue linteolum vnguento roſato vel populeo, vel de tutia illitum imponatur. hinc cataplaſma.

Quæ tenuandi vi inſignia ſunt, non iniicienda erunt, vbi reſtagnans materia morbifica craſſior duriorque fuerit; nam attenuatis partibus rarioribus, craſſior materia in ſcirrhum concreſcet: ſed emollientia erunt inferenda.

PVLTES. Πόλτοι.

Pultes à cataplaſmatibus non differunt, niſi quòd puls ex farina (aut re quæ in molliſſimam formam traduci poteſt) ex oleo, lacte, aquâ, melle, vel butyro, aut axungiâ decocta ſit. At cataplaſma, herbas, radices, flores, fructus, ſemina, & ſuccos accipit.

Vſus. Fiunt ad coctionem tumorum, ad ſiccandum, conſtringendum, abſtergendum, diſcutiendum, & ad dolo-

Ad ophthalmiam. rem leniendum. Qualis eſt illa, à nobis felici experimẽto explorata, in dolore & tumore rubro oculorum: Accipe micam panis albi, maceretur aliquot horis; in aqua roſarum, & lacte recenti muliebri; mox in pultem vertatur, ac addatur medulla pomi toſti acidioris, *Guldelinge* nos vocamus id pomum, quaſi dicas auratum pomũ ac adiice parum croci, quò flauedinem ducat. fiat puls: quæ ſindone duplici, vel tenui linteo excepts, tepidè oculo dolenti imponatur. Cautio ſit tamen in huius adhibitione, ne cornea oculi tunica puſtulam habeat.

Ad tumores. Ita in aliis maturandis tumoribus, fit puls ex micâ panis, quæ iniicitur lacti, vel decocto chamæmelorum; hinc in pultem vertitur, adiecto vitello oui, oleo roſato, vel chamæmelino, aut ſimplici oleo; croci quid remiſcetur, ac tumori imponitur. dolorem ſedat, & coctionem promouet. Interdum accipimus & muccilaginis ſeminis althææ, fœnigræci. lini, libram: & lento igne dum coquuntur, inſpergitur hordei farina, & tandem oui vitelli, crocus & butyrum, vel adeps aut oleum (ne contumaciùs parti inſideat) adiiciuntur.

Variis facultatibus pultes imbuuntur, vt varia fuerit pars laborãs, & affectus. nã & ad vermes ita preſcribitur.

Ad vermes. Accipimus abſinthium, contundimus ex aceto: & expreſſioni addimus fel bubulum, & farinam lupinorum: vmbilici regionibus inferimus. Ineunte inflammatione ex aqua in pultem coquitur parietaria, ſolatrum, acetoſa, atriplex, lactuca. cucurbita, malua, ſemperuiuum, poma acida, punicum, liguſtrum, plantago, violaria, bellis, roſa, farina hordei, caſſia.

In augmento miſcemus chamæmelum, melilotum, anethum, ſambucum, ſcrophulariam', nicotianam, lapathium, radices althææ, ficus, liliorum radicem, ſemen lini, fœnugræci, furfures.

SACCVLI *vel marſupia.*

Fiunt vt locis dolentibus admoueantur, vel ſicci, vel aliquo liquore madentes.

Sicci, ex herbis, & ſeminibus integris in ſartagine *Materia.* frictis, vel in puluerem redactis, floribus, fructibus, corticibus & pulueribus qui partibus ægris conueniunt: vt in in corde, ex cortice citri, ligno aloës: vt flatus diſſipentur, quemadmodum fecit Hippocrates, libro De morbis acutis ſecundo, in initio; ex ſale, milio retorrido, eruo, panico, auena, arena. Humidi, primò exprimi debent, & ita admoueri: & dantur ad robur partium nobilium.

Præſcribitur & vt humor à centro in peripheriam *Vſus.* euocetur, & vt ſiccetur; & ad catarrhos inhibendum. Qualis hic eſt D. Fernelij: ℞. milij lib. ſ. ſalis vulgaris *Ad Catarrhum.* ℥ iiij. baccarum lauri modicè contuſarum ℥ ij. ſ. aniſi, fœniculi, cari, cumini, florum chamæmeli, comarum anethi, ana ℥ j. ſartagine torreſiant, integra hæc nec tuſa, & protinus recondantur in ſacculum: calidus, inquit, capiti, ventri, aut cuiuis parti inducatur, & ſubinde mutetur. Hic ſacculus loco fotus erit aridi & ſicci.

Ita in ventriculi imbecillitate fiunt ex roſis quam *In ventriculo.* plurimis, cyperi radice, ſemine aniſi galanga, ſchœnantho, abſinthio, mentha, maſtice, caryophyllis. vinu generoſo immerſus, ac expreſſus, ventris regioni iniicitur.

Varium materierum pondus erit, vt partis fuerit am- *Modus fabrica.* plitudo cui adhibetur. Sæpe pulueres expanſo bombaci inſperguntur ſolatij cauſa, vt molliùs corpori inſideant; ac interſuuntur decuſſatim, ne ſeſe temerè in molem vnam conglobent.

Sacculi vel ſicci adhibentur, vel vino, aut inſuſo, vel aquâ irrorantur: interdum ſolus humor in candentem patinam effunditur, ac eo ſuffiuntur; modò in patina calida tantùm verſantur.

Ex ſindone tenui fabricari debent.

CAVTIO.

Si dolor ad fotum non conceſſerit, diu fouere non oportet: vt demonſtrauit Hippocrates ſecundo De Morbis acutis, in laterum doloribus: nam, inquit, id pulmones ſiccat, & ſuppuratum facit. Quare ſi per biduum non profecerit, ſuperſedendum: quia dum tenue reſoluitur, reliquum magis cogitur. Accedit & id quòd cauſa antecedens irritatur, nulla cauſæ coniunctæ amotione: hoc eſt, ob materiæ nouę affluxum ab orgaſmn attractæ; vel excluſione, qua vna pars ſeſe in aliam exonerat.

Variis formis effinguntur ſacculi, vt fuerint variæ partium ideæ quibus adhibentur; vt qui capiti, pilcoli characterem referunt; qui ventriculo, ſcuti; qui lieni, linguæ bubulæ; qui hepati, lunæ creſcentis; vt & cordi qui admouentur, eius formam ferant.

SCVTA.

Scuti forma effingitur ſacculus, cùm ventriculi vis languet, quo vis coctrix recreetur.

Materiæ ſiccæ copia, ſit in ventriculi malis vncia, vel ſeſcuncia; vnde fabricabitur ſcutum in texto bombace.

Hæc ſcuta ſtomacho admouentur loco vnguentorum, & epithematum: ſæpe ad robur ventriculi, cùm emplaſtrorum tædia aſpernantur ægri.

Vt; Accipe roſarum rubrarũ pugillũ, maſticis, corallorum rubrorũ, cuiuſque ſemunciã; ſeminum aniſorum, & fœniculi, cuiuſq; drachmã; garyophyllorũ, nucis, myriſticę, cuiuſq; ſeſquidrachmã; abſinthij, mẽthæ, ſingulorũ manipulum; fiat puluis, & inde ſacculus interpunctus.

PILEOLVS *vel cucupha, & ſemicucupha, ſeu cucullus, Tiara.*

Fit ad dolores capitis, & vt catarrhi ſeſe ſiſtant.

Copia materiæ quæ venit ad harum fabricam eſt duarum vnciarum.

Capiti qui mouentur ſacculi, vel ſunt lati: vt qui

anteriori

anteriori parti capitis adhibetur, dicitur frontale; & ad refrigerandum & repellendum vsus eius initur, vt; Accipe coriandri drachmas duas; seminis lactucæ, papaueris, amborum drachmam; florum nymphææ, rosarum, violarum (& ad robur capitis betonicæ, serpilli) singulorum drachmas duas. redigantur in puluerem, vt fiat sacculus latus quinque digitos, longus pedem.

Vel fiunt sacculi applicandi capiti formâ pilei, iunctis duabus partibus, hioc cucupha dicitur; hæc forma prompa ad calfaciendum, ni irroretur aceto, vel aqua copiosè.

Vsus. Capiti plerumque præscribitur cucupha in morbis frigidis & humidis, ad calfaciendum, exhauriendum materiam morbificam, vtque recreentur spiritus animales. *Materia.* Fabricantur ex rebus suauiter fragrantibus, vt herbis, radicibus, floribus: gummis, vt beniouinum; & seminibus, vt myrti, & aromatibus, vt rad. galangæ, cyperi, calamo aromatico, nuce mytistica, caryophyllis, mace, floribus rorismarini, stœchidos, saluiæ, meliloti, chamæmel. sambuci, maioranæ &c. cephalicia.

CAVTIO.

Sint tenuium partium hæc medicamina, vt vis cranium traiiciat. Quare rosis, & myrtillis, & granis tinctorum, iam euacuata exhaustaque materia morbifica vtemur; vt pars in pristinum robur reuocetur.

Præterea cautio sit, ne nimio feruore remedia hæc æstuent; nec potenter stringant. Quæ enim rapido æstu incandescunt, liquant cerebro conceptam materiam, ac varios catarrhos excitant: at quæ validè stringunt, comprimendo è cerebro æquè materiam exprimunt, ac fœcunda in catarrhos cùm sint, vnà viam transpirationi intercludunt ac dolorem acuunt, repressa materia.

Sacculus siccans. Vt; Accipe furfurum pugillum; milij vnciam, salis drachmas binas; rosarum rubrarum, florum rorismarini, stœchados, singulorum manipulum; betonicæ, saluiæ, maioranę, caryophyllorum, cuiusque duas drachmas: Ex horum puluere fiat cucupha; vsus tempore, suffitu perfundatur ex gummi iunipenino, ac thure. Capiti & cordi fiant ex findone.

SVFFITVS, VEL EVAPORATIO, *Thymiamata, Suffimenta, Suffitio, Suffimen, θύος.*

Materia. Soffitus quidam sunt sicci: alij humidi: Sicci, ex rebus fiunt quæ vapidum nidorem eructant, qualia quæ pinguia; vt ladanum, myrrha, mastix, pix, sandaracha, terebinthina, resinâ, styrax, thus, castoreum. His remiscentur pulueres, & pastillorum in formam rediguntur, ex terebinthina.

Pulueres copiâ sescunciæ, gummi vnciarum duarum præscribuntur.

Exemplum. Vt: Accipe gummi iuniperini, masticis, rosarum, cuiusque drachmam; caryophyllorum, styracis, amborum drachmas tres; terebinthinæ, quod sufficit: fiant pastilli. His prunis iniectis, fiat suffitus tegumentorum capitis.

Nicotiana. Mira vi suffitu admissa prædita est Nicotiana. quam Herbam sanctam vel Petum, aut Reginæ vocant; nuper huic orbi illata.

Etenim hæc mira vbertate ore ac naribus pituitam euocat. Arida folia carbonibus igne cãdescentibus iniiciuntur, ac fumus excipitur ore hianti, & infundibuli angusta fistulâ; totum enim cerebrum peruadit: & in aures eadem arte infertur, & quoque vtero. Verùm id affirmare possum, hanc herbam peculiari ratione cerebro dicatam esse, facileque eò viam affectare, ac id ab omni inquinamento eluere. *Historia.* Cùm ego ipse ante annum vehementer ex dente laborarem, hanc decoxi ex aqua, adiectis chamæmeli floribus; tepidi huius decocti cochlear ore tenebam, expuebam, ac idem agebam, horis duabus: dolor mitescebat: postridie cum ex more meo hortulum in suburbiis accessissem, inclinatoque capite quid graminis euellerem, liquor croci flauedinem referens copiosè è naribus meis effluxit, Nicotianæ odorem referens: ac omnis dentium dolor euanuit.

Mihi toto vitæ curriculo nec sanguis, nec quid præter serosam pituitam, è naribus fluxit vnquam: at nihil ego vidi hoc effluxo liquore flauedine altiore tinctum.

Vsus. Præscribuntur vt spiritus recreentur, & contra Razes in febribus ardentibus æstate flagrante, parietes cubiculi obuelar linteis aceto madentibus. Et vt pituitâ capite, & pectore concepta sese soluat; & ad siccandum, roborandum. Etenim Nicotiana cum vngula caballi, iride, thure, vel sulphure suffita, expectoratum promouet. Vt hoc etiam hîc extra lineam dicam, sirupum ex eius succo, vel etiam diluto confici iubemus, qui tabidos quosdam restituit.

Spiritus vitales excitantur vapore ligni aloës, nuce myristica, caryophyllis, calamo styrace, ladano, beniouino, ambra, mosco. Ex vino vel aqua rosata vel lauendulæ fiunt trochisci. Hæc sunt loco Thymiamatum à veteribus celebratorum, dicta quasi θυμοῦ ἰαμα, id est animi medicamen.

Cautio in suffitu.

Sæpe ad vteri mala præscribitur suffitus ex auctoritate Hippocr. 5. Aphorismorum 28. *Suffitus aromatum (inquit) muliebria educit.* Dico quòd tamen non sine cautiooe his vti debemus; tenerrima enim acetabula siccitate facilè arescunt: hinc iofœcundæ fiunt. Præterea his vtemur vbi neque inflammari, vel peruersi vteri, neque senilis ætatis, neque grauiditatis, lactationis, aut anteacti morbi excusatio adferri potest. Hæc si absint, cùm omnis obstructio fiat copia, materiæ crassitie, & facultatis infirmitate, hæc naturæ vim excitant: quia grata, & materiam attenuant.

HVMIDI SVFFITVS *fiunt*

Humidi. Ex liquore, coctione vaporem expirante: vt cocto aceto, vino aquæ vitæ, vel rosarum: decoctis ex aqua rebus, vt cyperi radice. Interdum & pyrites lapis ardens his iniicitur, vt fiat exhalatio. vt dum tumor quis durus & cõtumax incidẽdus, discutiendus, aut siccandus venit.

Vt accipe laterem ignitum, extinguatur acri aceto, ac parum aquæ vitæ instilla, pars vaporem accipiat.

Infundimus & acetum pestis tempore lateri exardescenti, & per ædes hunc fumantem circumferimus.

Mulieres vt dextre hoc utantur. Scripsit antiquus medicus Autyllus, ex Hippocratis sententiâ, *mulier cùm suffimentorum vsum inire velit ad vteri vitia, in sella sese componat, qua parturientes vtuntur, ac tota pannis accurate valletur.*

Poculum ligneum in ollam coniicimus, quod in medio sit perforatum; & poculum labris ollæ agglutinamus, aut luto figulorum, aut pasta; in foramen calamum rectà perforatum ponimus, vt nulla sit transpiratio, & fistulam plumbeam alteri extremitati aptamus calami; cuius læue sit labrum.

Muliere in sede composita, ignem leniter sellæ subiicimus, & in sellam calamum imponimus: esto verò calami tanta longitudo vt plumbea fistula calamo aptata sellam excedat. fistula hæc matricis ori admouenda: atque ita ignem ollæ subdimus, quo nidor vterum feriat. plumbũ, ne vellicetur vterus, circundatur. Cũ hæc ritè peracta fuerint, inquit Hipp. calamo adhuc pudẽdo insidente, olla ab igni auferatur: nã si calamus subducatur cũ vapor ascendens adhuc feruet, sinus muliebris exuritur.

Cautio. Cauendum ne in sanguinis sputo his vtamur; etenim, acrimonia suffimentorum sese aperient venolæ; nec in siccis thoracis morbis. asthmaticis verè conferunt à copia crassæ materiæ. Totum corpus rectè ante horum vsum sit purgatum.

Ad pulmones. Vt; Accipe styracis, sandarachæ, terebinthinæ, mastiches, æquales partes. Hoc fidem vsu repperit, quòd anhelosas, & suppuratas, & pleuriticas affectiones sanet, vt & tussim, maximè si folia nicotianæ remixta sint. Aëtius capite vltimo plurima descripsit.

Historia. Hippocrates olim maximam sibi gloriam conciliauit hoc medicamine: etenim absumptis myasmatis fœdati aëris, quę ex Ægypto acceperat, Athenas peste libe-

rauit: iniectis cotollis, herbis lignisque odoratis, ac vnguentis, focis ardentibus: Ab Actone Agrigentino (qui Empedoclis auctoritate, vt inquit Laertius, commendatus fuerat) hanc artem accepisse videtur.

Ad pestem. SVFFIMEN ad pestilentem aërem: Ladani, styracis calamitæ, singulæ drachmæ: caryophyllorum sesquidrachma: caphuræ, nardi, nucis moscatæ, singulorum grana septem: fiat puluis, qui excipiatur aqua rosata in qua maduit tragacanthum & gummi Arabicum; fiant orbiculi.

Cautio summa in ingrauidatis. Sed summa cautione cauendum, ne ingrauidatis mulieribus suffitus subdantur, hi enim conceptum semen corrumpunt: nam inter φθόρια medicamenta (quæ propriè illa sunt, quæ abigunt ex vtero fœtum, & eius loco semen, qualia etiam ἐκβόλια, ab ἐκβάλλειν ab eiiciendo) sunt suffitus & pessi. Caueant itaque Medici, ne horum vsu, & cùm non admodum est quòd semen tenellulis vtero amplexibus hærere cœpit, auellatur, ab irritato inde vteri genio. Sacrosanctum enim haberi debet conceptum semen: nam in semine est fatalis portio corporis effingendi & procreandi. Nam semen fit actu animal, perficiendo: non autem corruptione. Et animal factum ex semine, est ens quod erat: sed non quo modo erat: quia seminis essentia est esse quod est, ut aliud sit, nempe animal. Conscelerant itaque se immani barbarie, qui illud præcipitant ex illo naturæ horto, vtero. Sed cur Hippocrates libro de natura pueri psaltriæ abortiferum saltum præscribit? Id fecit illa, quò semen in vitam non conformaretur. nam veteres existimabant se fœtum tantum ne fieret impedire. Aristoteles 7. Politicorum, priusquam sensum & animam induat, interstingui concedit. Sed Tertullianus in Apologetico dicit *festinationem esse homicidij prohibere non nasci.*

POMA *odorata.*

Variâ copiâ aromata miscentur, quæ ad pomorum compositionem veniunt. *Odor hominibus varius.* Vt enim variæ hominum facies sunt, ita ferè nihil commune habet cum alio, cuiusque suauissimi odoris iudicium; his, mosco fragrantius est cinnamomum: illis vtrisque, caryophyllus: adeò vt nulli sit de odoris dulcedine iudicium idem. Quare ex cuiusque peculiaris iudicio, emicet in pomis gratissimi aromatis fragror.

Materia & modus. Fiunt poma ex rebus odoriferis in puluerem versis, copia duarum vnciarum, quæ amplissima videtur: vncia ferè suffecerit, interdum & semuncia: vt tenuiter validioréve vi odorem fundi voluerimus.

Hæc ladano puro, eâ copiâ, qua cuncta accipiat, remiscentur pilo calido, sensim affusâ aquâ rosarum, vel terebinthinæ momento, vt tenaciùs cuncta combinentur. Interdum & ex aqua rosarum madescit gummi tragacanthum & gummi Arabicum, vt in massam cuncta conuoluat: Ambari, vel mosci semiscriptulus additur, vel zibettæ: sed his recentari sæpe præstat superficiem pomi, vel momento olei cinnamomi, caryophyllorum, aut nucis myristicæ.

Exemplum. Vt: Accipe pulueris violacei sesquidrachmam, rosarum, maioranæ, styracis calamitæ, ladani, singulas drachmas; caryophyllorum drachmas duas. bẽzoini, nucis myristicæ, amborum scriptulum; ambari semiscript. fiat massa ex aqua rosarum, In qua maduit tragacanthum & Arabicum gummi, & momento olei caryophyllorum hæc imbuantur.

Præstaret poma hæc fabricari sine gummi ne indurescant, & sine foramine, vt sæpe verti materia possit, nec ita superficies squalorem aut callum ducet odorum viribus inuium. sed potius ladani vncia soluatur in aqua Damascena, vel rosata, & lauendulæ, mox pulueres misce odoratos. Quidam croci sex grana addunt, & minimam guttulam olei de spica, sed ex cinnamomo vel caryophyllis præstantius erit. Foramina mosco & zibetta impleantur.

PVLVERES *odorati, Cypriæ aues, vel tedæ, Sapo.*

Odorus puluis violarum, vestibus gratum odorem comparans. Violarum, rosarum, singulæ semunciæ; maioranæ siccæ, vncia; radicis iridis Florentiæ libra j. calami aromatici drachmæ sex; caryophyllorum drachmæ tres; mosci scriptulus: misceantur.

Puluis ad inspersionem ex herbis siccis præscribitur à ʒ j. ad ℥ j. ita in suffumigiis, vt gratæ fuerint, vel ingratæ herbæ. In internis affectibus dantur à ʒ ß. ad ℥ ß. flores in pulueres redacti à ℈ j ad ʒ ij.

Fiunt etiam ex pulueribus Dentifricia, Græcis ὀδοντοτρίμματα, vt ex vsto corallo, cornu cerui, ouorum putaminibus vstis, ossibus sepiæ non vstis, alumine vsto, pumice, iride, cum cinnamomo vel caryophyllis, odoris causâ, vel grana musci.

Tedæ vel Cypriæ auiculæ, fiunt ex odoris pulueribus, cum triplo carbone saligno: quæ ladano vel terebinthina excepta, in quamcunque trahuntur formam; & accensa suauem odorem spirant: quin & cera addita tedæ fiunt ex odoriferis pulueribus vt; Accipe stytacis calamitæ, & carbonum salicis singulas duas vncias; benjouini vnciam, caryophyllorum semunciam: excipiantur cera, vel ladano, vel terebinthina, & formentur vel tedæ vel auiculæ. *Cypria.*

Sapo albus odoratus fit ex veruecis adipe, calce & sale. accipe semilibram; adde iridis siccæ ℥ j. nucis myristicæ, caryophyllorum, singulas drachmas binas; menthæ, maioranæ, singulas drachmas: cum aqua lauendulæ simul combinentur. *Sapo.*

Aqua odorata.

Aquæ, manuum, faciei, totius corporis & linteorum lotionibus, quò amœnum spirent odorem, vtiles sunt. *Aqua odorifera.*

Aqua lauendula.

Accipe florum lauendulæ libras ij. aquæ rosatæ, & vini albi, cuiusque libram j. aquæ vitæ vncias ij. misce; fiat distillatio ex balneo.

Quidam citra distillationem macerant flores lauendulæ in aqua communi, addito pauco oleo de spica & mosco. insolant, vel macerant.

Aqua caryophyllorum.

Accipe caryophyllorum vnciam, aquæ rosatæ libram; macerentur ac balneo eliquentur.

Aqua composita.

Accipe menthæ nobilis, maioranæ, saluiæ, rorismatini, lauendulæ, cyperi, ana m. j. radicum ireos vnciam; caryophyllorum, cinnamomi, nucis moschatæ, cuiusque drachmas ij. limonum duo: macerentur cuncta in aqua rosata spacio horarum viginti quatuor, distillentur balneo; hinc adde mosci semiscriptulum.

LIXIVIA.

FIVNT ex tribus libris aquæ, & vna cinerum; vt tamen acriores fuerint, eò minus cinerum adiiciendum. Intus dantur ad ℥ iij. vt ex vstis lomentis fabarum, ad hydropem. *Ad hydropem.*

Ita Leuiathan Rabbi: ℞ cinerum genistæ virgineæ, stipularum fabarum, sarmentorum vitis albas vuas proferentis, ana m. j. vrantur in cineres: per quos ter colabis vini albi (quale Rhenanum) libras iiij. fiat lixiuium; cui adde nucis myristicę numero j. & ad nucis myristicæ pondus adde cinnamomum, baccarum lauri n. vj cymini ʒ ij. seminis anisi, fœniculi ana m. ß. crassè contusa sint cuncta: dulcorentur sacchari ℥ iiij. ter die exhibeatur. Continuetur eius vsus duabus vel tribus septimanis. Incipientem hydropem abigit: nam omne serum sanguinis exhaurit.

Cephalica. Eodẽ modo ex fraxini cacuminibus lixiuiũ compositũ hydropẽ tollit. Fiũt & ad capitis lotiones, vt morbificos succos in auras soluant, somnũ concilient, vertiginẽ adimant. ex herbis capiti dicatis, vt chamæmelis, betonica, saluia: hinc rosæ addantur, agaricum, & cortices citriorum; vel sacculo exceptæ in lixiuio coquantur cephalicæ tes. Sed tardò caput lauandum: locum ilico siccandum.

DROPACES, *πιττωσεὶς, picationes.*

Dropaces sunt inter ea remedia, quæ πυρωτικά, q. ignita dicuntur; quæ omnia eò adhibentur, vt reuocent parti vitam; vel euincant vitia contumaciora. Inter ea quæ languentem vitam parti restituunt, ac calidum natiuum recreant, blandissimum est dropax. *[Duplex.]* Dropax plerumque emplastri forma effingitur; estq; duplex, simplex dicitur πίττωσις, hoc est picatio; cùm pix liquatur cum exiguo oleo, & cuti ex pelle iniicitur: si pilosus locus fuerit, primò abrasione glaber fit. Sæpe priusquam refrigescat detrahitur, ac iterum reuocatur, dum pars incalescat, ac rubor in ea efflorescat. Est hîc præparatio quædam corporis ad phœnigmum, & sinapismum; & post sinapismum etiam, vt reliquiæ morbi euellantur. Vtimur & galbano & sagapeno loco picis, in duris corporibus.

Dropax cõpositus, adiicit piper, pyrethrum, sulphur. Qui antiquorum more compositum dropacem velit optimum, hunc videat apud Aëtium Tetra. prim. serm. 3. cap. 180. Æginetam lib. 8. c. 19. qui Dropacem Gallũ describunt. At Dropacis vis, tertium caloris ordinem superare non debet: quia eius finis est rubrificatio.

[Exemplum.] Vt ℞. olei nardini, picis aridæ siogulas vncias. igne feruescãt in ebullitionem. ab igne remotis, adiice pulueris zinziberis, pyrethri, seminis nasturtij, singulas drachmas. remixtis cunctis, super corium extendantur. Ita & piper adiicitur, & semen rorismarini, sulphur, cinis sarmentorum, euphorbium. Si validè materia sit trahenda, vt in spasmo, fotus primò fiat ex oleo costi.

[Vsus.] Vsum remedia hæc habeant, vt si calfaciendum tantùm sit, adiiciatur piper, pyrethrum, rorismarini semen, bitumen: si siccatiooe opus sit, sal, sulphur viuum, cinis sarmentorum: si aperire, euphorbium.

Accipe picis aridæ vncias tres, sulphuris viui sescunciam, olei rosacei quantum sufficit; extendatur in pelle ouilla. Si acrem velis, adde pulueres stimulantiores.

Accipit Dropax picem, cui addit quartam vel quintam partem olei: quibus subduplum pulucrum miscetur. Vitiis antiquatis confert.

[Vtilitas.] Humores attrahit & euocat ad peripheriam à centro, & discutit, artuum frigidis doloribus confert, coxendici, & podagræ, & resolutis omnibus partibus, vomitibus, eruditatibus, diuturnis & cœliacis affectionibus, ac epilepsiæ, & cephalææ, vertigioi, insaniæ, asthmati, orthopnϾ, tussi veteri, pectori adhibitus: auxiliatur & catharris diuturnis: prodest atrophiâ tabescentibus partibus: nam firmat partes quæ & frigore & fluxionibus elanguescunt: *[μετασυγκριτικά quæ.]* vnde hæc remedia veteres μετασυγκριτικὰ dixere, quę exsuccas partes reuocãt, & quasi recorporãt.

[Modus vtendi.] Variè vtuntur Dropacibus: cum enim succum alibilem parti inferre volunt, attenuata cute balneo, apponunt, dum rubescat ac tenuiter tumescat locus, ilicóque eo remoto, oleo illinunt chamæmelino (ne alimentum allapsum exhauriatur, vnáque calor inductus exspiret) in quo gummi, & tragacanthum soluuntur, vt poros claudant. Sæpius imponantur: nam frigescunt.

ψίλωθρα, hoc est, depilatoria medicamina interdum Dropaces appellantur; vt Martialis 10.

Leuis Dropace tu cottidiano;
Hirsutus ego cruribus genisque.

Quò citiùs pars in ruborem euocatur, eò faciliùs cedit morbus. Itaque vt contumax aut lenius malum fuerit, ita bis térue cottidie, vel semel triduo admouendus Dropax: & æstate quoque rariùs.

Fricetur primò pars asperiùs, si contumax languor fuerit, vel tepida foueatur, vel affricetur sapone qui piper habet. Cum contumaciùs hæret parti Dropax, tepida foueatur; hinc furfurum decocto & mollientibus excipiatur pars.

CAVTIO.

Admoueatur, dum in tumorem se attollit caro rubedine aspersa: etenim nimius ille Dropacis vsus damnatur, cum qui tumor priùs emicabat, perpetuo vsu medicamenti subsidet, ac à rubore albescit.

Nam volumus, vt pars quæ confecta macie intabuit, humorem alimentalem prolectet, circumfluat spiritibus, & quasi reducta anima reuiuiscat: non vt exhauriatur attracta materies. optimè ad emaciationem facit pix, cum pauca terebinthioa, & momento olei.

Fæces animalium ad ℥ij. imponi possunt: ouis verò ad ℥vj. capræ ad ℥iiij. vt bubulæ ad libram.

SINAPISMI, & PHOENIGMI, *hoc est, rubrificationes, vel cutis cruentationes.*

Sinapismus, est cataplasma ex sinapi, vt definiuit Archigenes; vt humor à cẽtro in superficiem trahatur.

A Dropace eius ineundus vsus est: etenim finis Dropacis, est rubedo: at Sinapismi, vesiculæ: fit ex rebus quarto ordine calidis. Ita in coxendicum dolore, primò vtimur Dropace; hinc Sinapismo; à totius nempe purgatione.

Dropax totum amplectitur membrum: at Sinapismus aurei ferè magnitudinem non excedit: cùm spaciosiùs excurrit, phœnigmus rectius dicetur: etenim is & exulcerat, & vesicas mouet.

[Fabrica.] Sioapismus simplicissimus fit ex trito & admoto sinapi: Interdum fici aquâ tepidâ macerantur, postridie expressæ manibus, tunduntur: hinc Sinapi contusum exactè ac priuatim, iniicitur. Ad facilem trituram sinapi, additur ei aqua macerationis ficuum. Cùm torrido æstu flagrantem velint, vni parti ficuum binas sinapis addunt: si tenuiorem vim exigant, contra: sin moderatam, æquas remiscent partes. Ficus aqua tepida pridie macerantur, & exprimuntur.

Corpora molliora, sensúve acriore si fuerint, vel cùm non longe à peripheria recessit malum, panem loco ficuum admiscent; vel ex aceto sinapi, antequam teratur, maceratur: etenim aceti vi frangitur indomita sinapis potentia. Fricatur primò locus, vt laxatis spiraculis, celeriùs vim medicaminis accipiat.

[Modus vtendi.] Sæpe leuandum cataplasma, ac explorandum, num suum officium fecerit: maximè hebetata vis si fuerit partis. Quod vt celeriùs peragat, spongiis aqua madentibus foueatur pars, iocũbente adhuc cataplasmate. Hinc eluatur, ac vnguento rosato, vel oleo rosato, aut aqua, oleóque rosato lanæ hapso imbuto, foueatur; vel malua cum pane cocta. Vnguento cerusæ eluitur quoque sinapios vis: & vleuscerusâ curatur. Vnguentum rosatum cum succo maluæ, vel fœnigræci; his lintea intincta, ac imposita, omnem dolorem abigunt. A Scilla vredinem propriè oleũ eluit, inquit Oribasius; addit Aëtius rosatũ.

[Materia.] Fiunt ex sinapi, euphorbio recenti, cantharidibus, flammula Iouis, battachio, stercore putrefacto columbarum, caprarum, aceto mistis, nasturtio. vidi in hydrope, intumescentibus cruribus plantaginem aquaricam feliciter humorem in vesicas euocasse, quæ maximam vim aquarum profundebant. *[Plantago aquatica.]* Est enim hæc plantago calida; vt plurimæ herbæ riuis innatæ, quæ cacumina sua efferunt vltra alueum: qood vsu animaduersum à me fuit. Radice enulæ, lepidio, scilla trita, allio, vrtica, tithymallis. Lac ficulneum, assæ carnes, & oua feruida.

[Exemplum.] ℞. fermenti ℨij. cantharidum ℨ. seminis sinapios scriptulos duos. misce: parti à frictione rubenti & calenti imponatur. Interdum cantharidum scriptulum tãtùm miscemus; & loco fermenti caricis excipimus interdum: & quoque capparibus. Nonnunquam melle, vetere axungia, sapone inferuntur; vt corpora fuerint valida aut mollia.

[Obseruatio.] Tenuioribus vtemur, cùm ilico quod alget corpus, calfaciendum est: Crassioribus, vbi calor sensim elanguit; nam stabiliorem calorem imprimunt, nec ita fugacem: vt zinziber crassum est, piper & sinapi leuia.

[Anacardi mel.] Anacardia, septẽ diebus aceto macerata, ad trientis exhaustionẽ coquuntur; cùm refrixerit, quod supernatat oleosum excipitur cõchâ. id mel vocant Anacardinum.

Alij ad dimidias excoquunt, per linteum traiiciunt, quod abiecto melle in crassitiem igne satiscit. crassamentum siccatum saponi remiscent. Alij sepeliunt anacardos cum melle, vt vim proleᴄtet.

Aliud. Accipe sinapi, piperis, euphorbij (& si placet cantharidum aliquid) cuiusque drachmam: excipiantur melle præscripto, vel sapone, vel fermento cum aceto.

Aliud. Cantharidum pars vna, (serosos humores euocant) axungiæ quatuor partes; hæc simul teruntur: septimo die lenissimo igne liquantur, exprimuntur, reponuntur ad phœnigmum. Cantharides leuissimè tritæ, à frictione rubenti parti impositæ, vehementer vesicas mouent: & cum sinapi remiscentur quoque interdum.

Caprini stercoris pilulæ, cum aceto impositæ efficaciores sunt quàm sinapi; maximè in coxendicum doloribus.

In membrorum perfrictionibus cetarum de Euphorbio Galeno vsitatum est; ex oleo tenui & calido, recenti euphorbio, & cera. Sapo cum sale.

Lepidij insignem nobilemq; vim vide apud Aëtium Tetrab. 1. ser. 3. cap. centes. octuagesimoquarto.

Modus tractandi. Vesicas aperimus, vlcus eruᴄtat vitium contumacissimum: folium brassicæ aquâ vel vino maceratum superponimus: id enim cùm succosum sit, nitrosque naturæ vi aspersum, siccari non sinit vlcus, ac promouet ef-*Brassica vis.* fluuium morbificæ materiæ. Noui qui in omnibus vlceribus iam remediis fotis, illud imponant: & bonis ægrorum rebus. Nam vetus Roma, inquit Plinius, annis sexcentis hac medicinâ vsa est: & Chrysippus volumen illi dicauit, per singula membra hominis digestum, & Dieuches. Mihi certè eius vis constat.

Quibus. Præscribuntur hæc remedia, coxatiis, podagricis, hemicranicis, visceribus, lieni, & sexcentis vitiis frigidis, contumaci diuturnitate fatigantibus, ac quasi deploratis. Nam & lethargicis confert, in principio cruribus admotus, cùm autem materia omnino insinuat, capiti: comitialibus, insaniæ, vertigini, siue capiti, siue cruribus apponatur. Et orthopnœas curat maximè ex scilla; & diuturnas tusses, thoraci admotus: penis & vesicæ resolutiones, inquit Oribasius, hoc remedio recreantur. prolixis stomachi & intestinorum malis; innappetentiæ, paralysi, perfrictionibus medetur. Adeò vt quæ neque emollitione, attenuatione, attractione, domari ac exhauriri potuere, hoc remedio diffluant: quare & in morsibus & punᴄturis venenatorum animantium, & carbunculis conferunt.

CAVTIO.

Desiste cum locus iam vndiquè intumuit, & quasi rubore inflammatus fuerit, & æger vehementer dolet, cumque cicatricosa caro liuescere incipit: & cùm à fotu leniter pustulis asperatur. Non enim eò progrediendum, vt pars euiᴄta stupescat. vbi parti sentienti acriùs admouentur, mitius sit sinapi: & eius vsus sit mensura, vt caro fiat paulo rubicundior. Sæpe inspiciatur pars. Si ab vtedine dolet exulcerata pars, hapso ex aqua rosata, in qua malua coᴄta est, obducatur: & sedato dolore, obline rosato cum cerusa.

A cutis morbis non admouendum, nec exulceratis partibus extimis, imò nec pulmonum regioni, cùm hi vlcus habent, quòd his efferentur vlcera. Nec partibus cartilaginosis, carneq; spoliatis, quòd vredine nigrescat.

In segnioribus affeᴄtionibus. vbi carnea moles, vrile remedium. In calidis & siccis affeᴄtionibus, his ego non vtor, inquit Aëtius.

Mirum est hoc æuo præstantis huius remedij silentium, quòd minimo ære comparetur, non profuturum nisi pluris venierit; quod ferrea hæc sæcula, auro tantùm mitescant: vel quòd seruitiæ malorum lenioribus blandiri placeat, differentibus magis occidionem, quàm prohibentibus; vt voluptati subscribamus.

CAVTERIA, *Escarotica, Fontanella, Rupteria*,

Ea quæ vrunt, alia id leniter agendo vesiculas efferunt à cute, dicuntur vesicatoria: alia vehementius vrendo crustas inferunt, dicuntur ἐσχαρωτικὰ: alia non solùm cutem soluunt, sed etiam carnem penetrant, appellantur καυστικά: de quibus iam agimus.

Fiunt ex medicamentis quę potestate vrunt, vel aᴄtu. etenim καυτῆρα appellauit Hippoc. ferrum candens, cuius vsu sistebatur hæmorrhagia, vndecumque prorumperet, ac defluxiones intercipiebantur, & ossa cariosa malignaque vlcera vrebantur. *Erat autem*, vt scribit Galenus, *æreum calamulum perforatum in fundo, per quem paruum ferrum demissum, adurebat.* *Antiquum.*

Æmulam vim candenti ferro, quædam medicamina induerunt.

Quare cauterisatio, nihil aliud erit, quam combustio imperfeᴄta, ignis vi, reᴄtè, & conuenienter faᴄta: vt membrum excitetur, corroboretur, & euacuetur. *Quid.*

Quæ fit ferro ab igne flagrante, quamuis crudelis sit, attamen tutissima est. Est enim ignis forma simplicissima, omnis alienæ qualitatis expers, nil nisi calorem, ac empyreuma relinquens. Etenim agit ignis ob summam quam habet agendi vim: at medicamina non ea solùm potentia agunt, sed & ea vi, qua viuis partibus, tota sui substantia bellum indixere. Quare cum medicamina sint composita, non solùm penetrabili vi adurunt, verùm & plurima inferunt ac imprimunt corporibus, quæ corrumpunt calidum natiuum: hinc fœdæ gangrænarum ac sphacelorum calamitates. *Ferrum candens tutissimum cauterium.*

Quare si cauterium inueniri possit, quod penetrabili vi, ocyssimè suam vehementiam exerat, nec calidum natiuum (in quo resedit naturæ genius) expugnet, nec perniciosa symptomata inferat: sed ilicò carnem subnasci patiatur, id profeᴄtò nullis laudibus satis decorari poterit. Tale autem vnicum mihi vsu compertum est, ac labore meo, mihi emptum: quo rempublicam fraudari nolo.

Dum Vltraieᴄti medicinam faciebam, euenit quendam steatomate Venereo in capite premi; erat is huius morbi curationi præfeᴄtus, ac celebris artis: is me vt suæ curationi, admoto chirurgo, astarem, orauit. Vidi capiti cauterium admoueri triente horæ, eo nempe loco vbi tumor; quarto vel quinto die cùm excidisset eicatrix, nudum cranium in conspeᴄtum dabat, quod quasi mutium accrimo dente vndique arrosum à lue Venerea, conspiciebamus; hisque abrasis quasique abesis, & ad æqualitatem læuigatis, nobis ferè nolentibus caro se inferebat noua. eandemque historiam, in totum caput (quod mirum) sceriatim exercuimus: ac reliquis ritè peraᴄtis, euasit. *Historia.*

Fit hoc cauterium ex saponis lixiuio, nempe eo, quod coquitur in smegma nigrum. Id sartagine exceptum, vritur in lapidem, qui tesseratum maiorum in formam scindirur cùm refrixerit, ac vitro reᴄtè obturato reponitur. sed in inspissationis copia, magna pars huius artis versatur: non enim tam diu excoqui debet, vt liquor cùᴄtus arescat ac torreatur: nam ita & vis caustica quæ spiritibus implicita est exhaurietur. Itaque antequam ad extrema ariditatis venerit, subducatur igni, dum superest spissior liquor, quo fingi cauteria possent, nec in puluerem diffluere. Vsus tempore tessera eximitur, ruditer contunditur, aëri exponitur, liquescit vltrò: id cùm fieri inceperit, tunc vsus eius iucundus, ac corpori imponendus hic lapis. *Cauterium potentiale nobilissimum.*

Primò muniatur (iniecto emplastro) ad palmæ spacium pars cui imponetur cauterium, & foramen medij aurei referens amplitudinem, in medio emplastro fit: huic foramini indatur cauterium, & aliud emplastrum superiniiciatur (taᴄtu enim aëris cauterium eliquescit) ne diffluat. Si non potenter ex tua sententia agit, superius emplastrum malè cohærens, quid aëris trahat; nam id liquidius cauterium ac potentius reddit. cumque dimidia hora, vel eius triente hæserit, amoue cauterium, attamen non purè; & ilicò illine vnguento rosato vberti *Modus vtendi.*

vberrimè: & emplaſtrum roſatum ſuperadde, madeoa ex albumine oui quaſſato, oleo & aqua roſarum. Si ab aliis cauteriis non cedat cruſta, ſed in peius ſi degenerat maium, accipies olei vitrioli, olei byperici, olei nigellæ, æquas partes; & plumâ iounges cruſtam: & molle cataplaima ex ſambuci & lapatij foliis ſuperaddes.

Cùm ſtrictiorem vim inferre cauterio vellet, horis aliquot calcem viuam indebat, mox excoquebat; at id ratò. Lixiuium illud optimum cui ouum iniectum innatat, nec ſubſidet.

Vtilitas. Sexcentorum remediorum cauſticorum vtilitatem illud vincit; mediciſque ſufficere abundè, & ſecuritate, & vi agendi, qua cuncta alia excellit, poterit. Mihi certè priuſquam extorſerim, multa laboribus conſtitit; ægreque concedebat, quòd hinc maximum lucrū apud Hiſpanos captaret: qui quamque teſſeram lubentiſſimè coronato aureo redimebant: ad bubones & peſtiferos, & Venereos illis expetitum remedium. Quidam ex aqua coquunt cinereorum vaſorum primam ſuperficiem abſciſſam: indunt quid calcis & cineris: hac aqua ſanguinem fundentes venas ſtringunt. Ego ſæpe hoc effeci puluere ex colcothar; ita appellant fæces reſtibiles à vitrioli diſtillatione, ad meum redeo:

Scio polydædalam varietatem huius remedij proditam ab auctoribus: qualia plurima Hollerius lib. 3. Chirurgiæ, c. 5. De pyroticis: nec me latet & hoc remedium à quibuſdam enumerari, ſed non ea ſimplicitate, ac vſu: memini & me antè inter cætera apud auctores id legiſſe, ſed nobilitas inter cætera nec illis comperta, nec mihi explorata erat. Olim multo auro id vendere nolui, quod iam gratis Reipublicæ offero. Quale autē id munus ſit (quamuis ſimpliciſſimum) videbit is, qui aliorū ſæpe vſu depoſitus, huius ſanctiſſimi remedij vim comperiet. Etenim non vt cætera, febres, inflammationes, dolores intolerabiles, ſyncopas, aut gangrænas inuehit.

Potentialium cauteriorum vſus eſt, vt ex partibus, quibus applicantur, humorum fiat euacuatio, deriuatio, reuulſio aut attractio.

Quare vtilia in venenatis ictibus, bubonibus & carbunculis peſtiferis, niſi dolore fatiget inflāmatio. Vſtio enim foras venena euocat, ac domat. Proſunt & in contumacibus & pituitoſis tumoribus. Malo enim nodo malus cuneus quærendus eſt; raroque crudele malum, niſi crudeli malo depelli poteſt. Capiti etiam inuruntur, cùm veteraſcit malum à materiæ vitio; vt illa perenni exhauſtione euocetur, cùm ab idiopathia caput laborat: maximè cùm dolor internus oculos feriat, & metus adſit cæcitatis, aut ſuffuſionis, ſuturæ coronali affigantur. Eam ſuturam oſtendit cuiuſque propria manus: ſi enim carpi foſſula ad naſi apicem ponatur, tum medius digitus extenſus ſuturam feriet coronalem.

CAVTIONES *in omni vſtione.*

Primò, religioſè perpendendum, an ſit cauterio vtendum. Secundò, Quo tempore. Tertiò, Modus comburendi aptus ineundus.

Quare cautè indagandum num ad ignem veniendum ſit: etenim & ſubſtantiam abſumit, & continuas partes abſcindit. In vltimo, extremáque vi prædito remedio itaque nullus temeritati locus ſit: nam vel vt vitam parti reſtituat, vel euincat vitia, quæ auxiliis aliis non expugnantur, adhiberi ſolet.

Tempore eo vſus cauterij ineundus, cùm metus imminet ne materiæ copia obruta pars putreſcat.

Cùm primum periculum fecimus curæ, medicamentis clementioribus: vt cum rubificantibus non cedit, nec tota materia morbiſica exhauriri poteſt: & veſicas mouentia (quarum hypatxis in tenui ſubſtantia reſedit) eò peruadere cum integris viribus non poſſunt; tunc ad auſteram & aſperam hanc curationem deueniendum erit, maximè à vacuato toto corpore. Vtile hoc remedium, vbi periculum eſt ne os putreſcat.

Modus. Modus autem comburendi, à modo morbi ſumetur: nam ſi igne ſiccare velimus partem, totulis planis vtemur. Sin leniter tangenda ſuperficies, vtemur ſphærico inſtrumento; etenim puncto id tantùm attingit. Si profunda pars vrenda igne, habeat formam gladij. Si pauca vſtione opus ſit, æneum ſit inſtrumentum; ſi copioſè, ferreum. Auicenna laudat aurum, quia in raro corpore, non æquè potens ignis ſe ſuamque vim explicat.

Cautio ſit de Scrophulis, neruis, chordis: nam plurimi Scrophulas vrentes, vſſere arterias iugulares, ac mortem intulerunt. ætas & cæteræ circumſtantiæ, ſemper ob oculos ſint.

Ego ob vim compertam noſtri cauterij, lubenter ab igne abſtineo: à vaſis tamen maioribus caue.

FONTANELLÆ quoq; inurūtur, vſu omnino à cauteriis alieno: Cauteriū enim ſemper loco ægrotanti admouetur, vt ſiccet & roboret; fontanellæ verò locum humectant. Cauteria vt locus ſanetur, inducuntur, & parti laboranti infliguntur, & ſeruantur dum in vitio perſeuerat pars: deinde clauduntur: nam ab his robuſtior redditur, & cutis denſior. At Fontanellæ diu geſtantur, vnde & illis nomen, quò tanquam ex perenni fonte, mali ſcaturigo exhauriatur; & toto vitæ curriculo interdum ſeruantur. Hæ non parti afflictæ inuruntur, ſed remotioribus, ad reuulſionem vel deriuationem materię morbificæ. Ita in podagra, & cephalalgia brachiis, ratione præſeruationis: in chiragra cruribus: ita & in cephalalgia. Quare fiunt fontanellæ, vt labefactetur pars. quare fontanellæ non ſunt Cauteria antiquorum. noſtrum illud Cauterium ſemihoræ ſpacio altiſſimam fōtanellam imprimit. Vſus itaque eius ſit, cùm materia congeſtione, vel influxu membro concepta, nec repulſione, deriuatione, nec vacuatione, mollitione, nec maturatione, nec digeſtione, nec rubificātibus eximi poteſt.

Silentio inuoluere nolo quod quibuſdam Chirurgis in alto ſilentio eſt, maximè his qui celebres ſunt à Fontanellarum inuſtionibus. Ita accipe. *Obſeruatio pulchra.* Cùm inuruntur noſtro cauterio Fontanellæ, eo vſque peruadere earum vis cutem debet, dum ſubiecti muſculi mēbranula exedatur, vt in his quibus in vitio ſont pedes à perpetuæ acrioris materiæ incurſione, vnde tædij plena ibi vlcera: hæc ne ampliùs fiant, fontanella cruri impreſſa, ea regione qua lorum caligas ſtringit, ſed paulo depreſſiore, eam labentem materiam exſpuit. Sed, vt dixi, illa pellicula muſculi traiicienda: ne acrior materia, ſolitâ quâ ferebatur viâ, inter carnem & muſculum elabatur in pedes. Quare ea cautio adſit, ne hæc conſociatio iuncta à carne, redintegretur: nam fruſtra Fontanellæ tædium gereret homo, ſine commodo. Scio tamen à copia materiæ acrioris nonnunquam recrudeſcere pedum, aliarumque partium vitia, quòd tantæ moli fontanella exhauriendæ par eſſe nequeat. hîc aliis primùm auxiliis abſtergenda vbertas materiæ. A decidua cruſta hydrargyro aſpergitur vlcus: id arcet conſociationem, & euocat materiam. Piſum Fontanellæ cottidie nouum inditur, purgato loco, ſuperque datur emplaſtrum.

GARGARISMA.

Remedium dictum à gargareone, corpuſculo carnoſo & ſpongioſo, figura mali pinei, pendens ad perpendiculum ab extremo palato, quo palati duo foramina, à naſo ad laryngis ingreſſum peruia dirimuntur. Ad hoc vocis plectrum, remedij huius locus eſt. fit in forma liquida, vt lotione eluat, vel potentiam ſuam oris partibus imprimat. Etenim, vt inquit Celſus, *vel leuandi cauſa, aut reprimendi, aut euocandi cauſa fiunt*; vt cùm ſinapi & pipere vtimur.

Vtile remedium vt intercipiatur ruentis humoris influxus, ne phlegmone incandeſcat, & vt concepta ore faucibuſque vlcera eluantur, ac curentur, vtque doloris vis placetur.

Lene gargariſma. ℞. origani, ſerpilli, ana m ß. caricarum pinguium ℥ij. aquæ q. ſ. fiat coctio ℞. huius decocti lib. ſ. oxymelitis ſimplicis ℥ij. miſce. Si valentius velis,

velis, misce aromata, sinapi &c. vel aquæ loco, accipe liquorem saluiæ, calaminthæ, cum oxymelite scillitico.

Fiunt ex decoctis, & aquis eatillatis. Coquuntur radices, folia, flores, fructus, semina concepto morbo dicata, ex aqua pura, vel vino remixta vario, vt affectus varietas suadet: vel ex decocto pectori dicato, aliisve rebus adiectis, vt interdum repulsioni, digestioni, mitigationi, strictioni, detersioni, refrigerationi studemus; & quoque ex hydromelite.

Aqvis interdum vi ignis eliquatis vtimur, modò syrupos iungimus: interdum muccagine, lacte, & sero. nonnunquam mel inditur rosatum, oaymel, diamorum, dianucum, syrupus de rosis siccis, syrup nymphææ, & papaueris, oxysaccharum, syrupus acetosus. Cætera ex indicationibus enata, polydædala varietate miscentur; balaustia, alumen, myrrha, cassia, thus, piper, zinziber, cinnamomum, hiera picra, rosæ siccatæ. Interdum & quæ ea cerebro eliciunt, vt pyrethrum, carthamus, turbith, sinapi; cum syrupo stœchados vel calaminthæ.

Pondere vberiore præscribi debent, quòd perpetua lotione copiosè absumantur. Librarum duarum pondus liquoris accipiant; syruporum vncias quatuor, pulueres parce imponendi, nempe ad semunciam: quamuis copiosius alumen: muccagines ex semuncia eliciantur seminum.

Accipe aquam hordei, cui incoque semen citoniorum, passulas, & saccharum canditum, in febrium squalore conducit valdè.

Repellens; & astringens.

Exemplum repellentis. Plantaginis, lactucæ vel polygoni, & acetosæ, cuiusque manipulos duos: rosarum rub. pugillum; & hordei semimanipulum: fiat coctio ad libras duas. colaturę adde syrupi mirtillorum vel cotoneorum sesquiunciam; dianuci vnciam: fiat gargarisma. Ita ex posca, & vino granatorum acidorum, cerasorum acidorum, succo cotoneorum, mororum, pyrorum astringentium. ea cornis, vuis immaturis, summitatibus rubi, myrti, vitis capreolis, *Pilosella vis.* pilosella (quæ in vino decocta oris vlcera & inflāmationes citissimè curat) ligustro, berberi, seminibus frigidis minoribus, cum pauco aceto asperso, & ex foliis salicis & ea foliis prunorum Damascenorum, vtile fit gargarisma, inquit Aëtius, lib. I. in inflammationibus. *Digerentia.* Hordei decoctum, cum melle rosato, sæpe commodè adhibetur: quia refrigerat & leniter deterget: etenim exsudat semper aliquid ex partibus inflammatis, quod leuiter abstergi debet. At promoto morbo, herbæ detergentes & digerentes vtiles, vt hyssopum, origanum, satureia, &c. cum ficubus, glycyrrhiza.

Ad dolorem. Dolorem mitigans, & digirens: auricularum Iudæ, chamæmeli, meliloti, anethi, singulorum semimanipulum, rosarum rubrarum, pugillum: passularum mundatarum vnciam: ficus sea. coque ea vino & aqua, ad libras duas: adde muccaginis seminis lini, & fœnigræci, cuiusque vncias tres: fiat gargarisma,

Detergens.

Aquæ ligustri, plantaginis, liuistici, vel absinthij, cuiusque vncias quatuor; mellis rosari colati, syrupi rosarum siccarum, & de absinthio, singulorum vnciam. Lacti bubulo incoquitur lens palustris, vsu mihi compertum vtile medicamen in gulæ rubentibus tumoribus.

Cavtio.

Caueant medici ne caprifolio incunte inflammatione vtantur: quàm enim ardens eius vis sit, experientur, si folium ore frangere velint.

Errhina. *Nasalia.*

Naribus inseruntur, vt excrementis cerebrum anterius purgetur: interdum & naribus consecrantur, vt in ozænis, & polypis. Quædam euocant pituitosa, alia bilem vtramque, tergentia sunt & acria; nam ita & expultricem irritant, & commodissimè attrahunt. Errhina vel sicca sunt, vel dura & emplastri ideâ: vel liquida.

Siccorum materia. Sicca, vt ex pyrethro, acoro, veratro albo, pipere albo, castoreo, myristica nuce, croco, caryophyllo, zinziberie. optimum Errhinum fit ex foliis siccatis Nicotianæ maioris, naribus folij parte indita.

Humida. Humida, ea succo betæ, iridis radicis, anagallidis, cucumeris syluestris, brassicæ, nigellę, cyclamini, sambuci, sabinæ, maioranæ, hyssopi, melissæ, oleo ex pipere. Ex horum succis, vel decoctis, vel cum vino licebit etiam vti oxymelite scillitico, syrupo de hyssopo, rosato, anthosato melle. Aut pulueres his miscentur piperis, euphorbij, pyrethri, marrubij, nigellæ, castoriei, myrrhæ, ellebori, cyclaminis.

Exemplum. Vt; Accipe succi maioranæ, betæ, brassicæ, singulorum vnciam: bulliant cum vini albi duabus vnciis; oxymelitis scillitici semunciam: fiat errhinum. Accipe succi maioranę vnciam vnā, olei amygdalini amari drachmam vnam; masticis subtiliter puluerisatæ vel castorei scriptulum vnum. misce. trahatur naso, dum ore reddatur. soluit Cephalæam, & visum acuit. *Purgantia.* Si humoribus peculiaribus dicare velis, adde agaricum, senam, carthamum, dacrydium. Interdum & decoctis, vel succis inditur drachma puluerem, aut sesquiscriptulus; vt vehemens aut laxum est quod infertur remedium. Tepidè, manè ad ℥ß. attrahuntur.

Electarij forma. Fiunt & ad electarij spissitudinē; cùm succi efficaciores, vel pulueres melle excipiuntur; maximè cùm dacrydion, colocynthis, agaricum additur, aut veratrum: digito illinuntur, nec respirationi impedimento sunt. Vt, accipe succi cucumeris agrestis, vel mercurialis, vel cyclaminis, vncias duas, vini exiguum; mellis, quod satis est; fi. lenis coctio ad spissitudinem.

Emplastri idea. Emplastri quæ gerunt formam, vulgo nasalia vocantur: fiunt ex pulueribus succo herbarum exceptis, ac terebinthina & cerâ temperatis, vt formam commodam ducant, ad insertionem; vt maioranæ, saluiæ, nigellæ, piperis albi, caryophyl. galangæ, cuiusque scriptulum: pyrethri, euphorbij, amborum semidrachmam; ellebori albi scriptulum: fiat puluis, cum terebinthina & cera q.s. fiant nasalia, pyramidis forma.

Cautio. Nunquam nasum impleant totum, ne prohibeatur respiratio, & halitus attractio.

℞. sinapi gr. v. pyrethri, piperis albi, ana ℈ ſ. ladani, ceræ, ana ʒj. ſ. misce; fiat streptum, id est, tenta, vel panno lineo excipiantur pulueres.

Vtimur his in contumacibus cerebri morbis, & longis, epilepsia, metu apopleaiæ, conuulsione, odoratûs læsione. Trallianus & in surditate vtitur, à totius nempe purgatione.

Modus vtendi. Liquida, è vola manus attrahuntur ad semunciam, ore repleto aqua. Sicca, ex fistula naribus inflantur. Solida, filo nexa induntur.

Cavtio.

Cùm valentioribus vtimur, sit os aquæ plenum. Si dolore nares ab harum vsu tenentur, lacte muliebri, vel oleo violaceo, vnguentóve rosato leniatur.

Qui ex oculis laborant, bis noxius est horum vsus; & qui narium vlcerationibus obnoxij sunt, & quibus imminet suffusionis, aut cæcitatis metus: vel quibus à Venerea lue dolet caput: nam his nasus in periculum trahetur: nec sit veneno contaminata materia quæ in nares deriuatur; ne naso vlcera fœda immittantur.

Prono capite hauriatur. In catarrhis abstinendum à liquantibus. sed solùm siccantibus vtendum: nam & irritatur expultrix his, vt bile in dysenteria.

Quænam bilem aliósve pituitosos humores euocant è capite, scribam, otia dante summo Deo, De doloribus capitis. Quantitas vncias quatuor non superet.

Sternvtatoria, Ptarmica.

Devs optimus max. sternuendi vim hominibus indidit, vt, cùm vberrimo excremento circumfluat, quæ irritant excutiat caput.

Fiunt ex acribus mordacibus rebus, quæ expultricem cerebri proritant, quę excutit quod molestum est. Hipp.

sentenDigitized by Google

ſententiam de ſternutatione collegit Aëtius Tetrab. 3. ſerm. 2. cap. penultimo, vbi & inſigne ſternutatorium Heracleæ Tarentini recenſet.

Modus. Penna quædam inflantur: hinc nares comprimendæ ſunt; intueantur ſolem, aut manſuetum ignem: ſupinis imponatur, deinde ambulent, ac ſurſum ſpectent.

Materia. Inuitant ſternutamentum cuminum, piper, ſtrution, caſtorium, zinziber, veratrum, euphorbium odore, cyclaminis ſuccus, puluis nicotianæ inflatus, ſtaphyſagria. ptarmica efficax eſt, battachij radix naribus indita. Arida fibra ellebori albi maceretur aqua vitæ, naribus introdatur: nam puluis tantùm apoplecticia & lethargicis vtilis: ſtrutium, inquit Scribonius, quod eſt radix lanariæ. Pennâ naribus cribrata immittuntur: ſint nares primò frictione irritatæ & concalfactæ. hinc Caſſius antiquus medicus ſcripſit problemate trigeſimo ſexto, ad ſolis iubar obuerſa facie ſuccedere ſternutationem ſternuentibus. quia ſol nares calfacit: & dicit poſtà, oculo perfricato ſternutare ceſſamus, eò rapto calore narium, hinc, inquit, & dormientes non ſternutant, intrò euocato calore.

Validum.

Vtilitas. Conferunt valdè caplri, vaporibus repleto; craſſos muccos exhauriunt ex primis cerebri vêtriculis, & craſſorum expectorationem promouent. Lethargicis, ad fœtum & ſecundas eiiciendum, ad vertiginem, vt auribus concepta eiiciantur, in longis cerebri malis, in caro, cataphora, ſingultu à repletione conferunt.

Exemplum. ℞. pyrethri, piperis, vel euphorbij, aut zinziberis, cuiuſque ſemidrachmam; ellebori albi ſcriptulum: trita naribus inſpirentur ante cibum.

Vel ℞. maioranæ, nigellæ, caryophyl. zinxiberis, euphorbij, cuiuſque ſcriptulum; acori, pyrethri, cyclaminis, ſingulorum ſemiſcriptulum. ℞ Ellebori albi radicum maceratarum in aqua vitæ, & iterum ſiccatarum, ſtrutij, caſtorei, ana ℈ j. piperis ſemidrachmam: miſce & fiat puluis; ex quo parum naribus penna infletur.

Nihil promptius eſt in ſternutationem euphorbio: Cui miſce parum caſtorei, ita minùs turbabit cerebrũ.

CAVTIO.

Quæ in ſternutamenta vehementia ſunt, non ſunt naribus inflanda, ſed pixidi æneæ incluſa, mota pixide naribus admouenda. Sternutamenta in ſuccis crudis, capite, thorace vel pulmone conceptis non conueniunt: partes enim illas vehementer quatiunt & turbant, quæ moderatè calfieri & quieſcere, vt coquantur ſucci, flagitant: alioqui magis implentur, nec conceptos ſuccos côcoquunt. Verùm vbi iam cocti fuerint, conferunt: videmus enim grauedines acui incoctas à ſternutamêtis, at declinante morbo diſſolui.

Ad ſecundinas. Cùm ad partum promouendum vel ſecundas eiiciendas præſcribuntur, prius ſumantur remedia abigendo fœtui dicata per os; quæ cùm exciderint; vel etiam poſt inſeſſus ptarmica adbibeantur: ita & in his quæ auribus inciderunt, ſi febris adeſt, vſus ineatur cùm illa deferbuit, & à totius cura.

Quia indomita potentia his remediis eſt, præſtat ſimplicioribus vti.

Sternutamentum, inquit Celſus, in pulmonis morbo eſt periculoſum.

APOPHLEGMATISMI, *Maſticatoria, Saliuam ducentia.*

Sunt medicamenta quæ manducata, vel palato illita, pituitam à capite in os eliciunt. Sunt & illa ferventi ac acri potentiâ prædita; qua vel expultricem ſtimulant, vel materiam capite conceptam liquant, aut attrahunt; maximè ex ventriculis cerebri prioribus in eam partem quam ab vſu [illegible], quaſi infundibulum appellant: inde in os decidit, ac excernitur.

Vſus. Ad capitis, dentium, & aſperæ arteriæ affectus, commodum remedinm: maximè inueteratis ſtudet malis, vt in ſtupore videndi, ſurditate, faciei & capitis puſtulis, & cũ exulceratę nares vlcus habent, vt auertant alluuiẽ.

Materia. Hæc præſtant hyſſopum, nicotiana, origanum; ptarmica, ſtaphys agria, & talia; radices acori, iridis, coſti, gentianæ, valerianæ, zinzib. galanga.

Fructus, cappares, ficus, paſſulæ, amygdala amara, nux moſcata, caryophylli, piper, ſcilla; ſinapi, raphanus, nigella, grana paradiſi, & talia quam plurima, nux ceraſorum, prunorum. His adduntur mel, cera, maſtix, gummi ammoniacum, myrrha, caſtoreum. Sint ſaporis grati.

Simplicia illa maſticantur; aut quædam linteolo inuoluta manducantur: vel in puluerem verſa, ſuccis excipiuntur, ac in trochiſcos rediguntur, lupinorum magnitudine: vel ceræ albæ miſcentur.

Manè mandi debent, media hora: maximè prono capite: ante cibum vtiliter manducantur. *Quando.*

Quantitas præſcribitur, à ſemuncia, ad ſeſquiunciam.

Ad dolorem dentium à frigore.

Pyrethri, piperis cuiuſq; ſeſquidrachma; maſticis vncia: miſce; ad horæ dimidium mandantur ante cibum. Vuæ paſſæ gigartis ablatis miſceri poterunt. vel præſcripta linteo in nodum colliguntur. *Dentium.*

A calore; acetum in quo ſemen fœnugræci coxit, ore teneat, & expuat.

Interdum melle & cera excipiuntur: vt ad dolorem capitis:

Maſticis tritæ, ſemuncia, ex melle redigatur in paſtillos, lupini forma: vnus ad horæ dimidium mandatur.

Vel ℞. zinziberis, ſinapi, cuiuſque drachmam; euphorbij, ſcriptulos duos; piperis, ſemidrachmam; excipiantur melle & cera: fiant paſtilli. *Exempla.*

Vel ℞. zinzib. caryophyllorum ana ʒ i. pyrethi, piperis, ana ʒ ſ. ſtaphiſagrię, ʒ ij. maſtiches ℥ ſ. fiant paſtilli, addita cerâ. vel ʒ ij. corticis capparis adduntur. Interdum pulueres, vuarum paſſarum ſemuncia excipiuntur, & panno lineo in puppam colliguntur. Folia ſicca nicotianæ in puppam collecta.

Aliud.

℞. pyrethri, maſtiches, vtriuſque vnciam, ex cera in paſtillos auellanæ magnitudinis formentur. Alius: ſtaphyſagriæ, pyrethri, zinziberis, cuiuſque bini ſcriptuli; maſticis drachma; ceræ ſemuncia: fiant paſtilli parui: ratione ceræ conſociantur cuncta hæc.

Fit & ex humidis; cùm acrium decoctum ore tenetur.

Vt hyſſopi, thymi, origani, ſaluiæ, cuiuſque pugillum, vuarum paſſ. ſtaphyſagriæ; ſingulorum drachmæ binæ: carpeſiorum drachmæ tres; ſinapi drachma: coquantur ex aqua. *Humida.*

Ad ſputum ſanguinis ex gingiuis vel trachæa arteria, manducetur portulaca.

CAVTIO

Sint grato odore imbuta, quò diutius citra tædium ore verſentur. Abſtinendum ab his, in vlceribus oris & gutturis: pulmonum inflammationibus, & in catarrhis, qui viam ad pulmones affectant: quare nec his obnoxiis præſcribantur, vt nec in vlceribus pulmonum, ne humor eò aſſuetudine mala repat: quare errhinis potiùs indulgendum.

Si quid hæſerit palato ab horum vſu, aqua ſubtepida, vel ex decocto liquiritiæ, & hordei eluatur.

A purgatione totius corporis, horum ſolemnis vſus ſit. Antyllus volebat vt aluus pridie medicamento eiecta eſſet.

ANNOTATIO DA MASTICATORIIS & ERRHINIS.

Sunt hæc calida, leptomeriâ inſignia, acria; ſint ſuauis odoris, & ſaporis. (nam illis res cum palato eſt) vt recreent ſpiritus animales, & vt irritetur facultas expultrix acribus, quò deponat materiam, capite conceptam Nihil maligni hæc habeant, quemadmodum colocynthis, ſcammonium, turbith: nam oris membrana eadem cum ſtomachi tunica eſt; quare læſo ore, ac œſophago, ventriculum rapiunt in ſui affectionem: & hinc cibi tetri & amari illis videntur. His dicit abſtinendum *Quæ cauenda.*

Galenus

Galenus, nisi vrgeat necessitas; & vrgètne necessitas cùm ex vehementia doloris capitis metus apoplexiæ imminet, epilepsiæ, cæcitatis? nónne hinc maius creatur periculum quàm ex affectibus oris? quare dico his interdum vtendum esse.

Quæstio. Sed dicet quis, hæc remedia quæ proprietate educunt, huc non pertinent, vt rhabarbarum, scammoniũ. Respondeo: Gal. 2. κατὰ τόπους vtitur sternutatorio ex colocynthide; Auicenna vtitur syrupo rosato solutiuo cum scammonio; & cùm bilis miscetur pituitæ, addit turbith; & si contumacior fuerit pituita, addit colocynthidem. At dicunt neoterici, pharmacum non agit nisi eius potentia in actum euocetur: id autem fit vi caloris, qui maximè vrget in ventriculo; quo igitur consilio apophlegmatismis & errhinis imposuit Auicenna hæc pharmaca, quæ peculiarem humorem trahunt?

Solutio. *Respondeo*, rectè percipiendum esse quo modo pharmaca ducantur in actum. Scripsit Auicenna lib. de Viribus cordis, cap. de Hyacintho, ita pharmaca agere vt electrum, quod festucas trahit. & quo modo ducitur id in actum? Primò, si remotius fuerit, non attrahit festucas. Secundò opus est vt fricetur & incalescat; nam vis electri, ad paleam fundi debet.

Ita pharmacum peculiarem humorem euehens, non eget re alia, quàm vt vis eius ad humores vacuandos veniat; id vt fiat, debent incalescere, & in tenues partes deduci. Sed dicent, pharmacum in ventriculo longam moram trahit, priusquàm attrahat, & tamen ventriculus vberrimo circumfluit calore, at in ore vel naribus statim trahit. *Respondeo*; cunctatur eius actio in ventriculo, quia ex remotis locis trahit: igitur falsum est quòd tantùm exceptum in ventriculo purgationem moueat. Sed dico his tamen non vtendum absque necessitate, sunt enim ingrata.

Ad bilem. Præterea si bilis in vitio fuerit, lenioribus vtemur; fortioribus, si pituita. Etenim bilis tenuis est, & caput ab ea calet, ac vltrò stimulat; non ita pituita, nisi putrida, aut salsa fuerit.

Fortia. Fortissima sunt aloë, scammonium, turbith, succus tithymalorum, cucumeris agrestis, staphysagria.

Vsibus grata. Non ingrata, & satis fortia, sinapi, piper, zinziber, pyrethrum, acorus, nigella. Cum oleo caryophyllorum. Aromata ex succo nasturtij, iberidis, cum oxymelite scillitico, cum ladano.

Lenia. Leniora vt mastix, myrrha, thus, origanum, serpillum cum succo betæ, & cera cum succo foliorum hederæ; & in errhinis hæc ponuntur cum oleo violato, amygdalino, cum caricis, cum gossypio. Dentur semper parua copiâ, & mole.

Obseruatio in capitis dolore. Hæc eousque dantur in capitis grauitate, donec caput omninò purgatum sit, (prouisione totius corporis priùs habita) hoc est: si grauitas adfuerit capitis, dum illa absit; & dum adhibito medicamine nihil amplius emanat ex capite, id enim puri capitis indicium erit.

Cautiones. Si tenues sint succi peccantes, vt bilia, ab vso masticatoriorum abstinendum. Si adsit phlegma crassum, & bilis crassa, adde scammonio turbith. Non sint pulmones obnoxij fluxibus in horum vsu.

Hæc pericula si absint, præcellunt apophlegmatismis errhina: dum enim sanitate fruitur cerebrum, per palatum, & non per nares purgatur: commodissimus est enim locus oris purgationi pituitæ.

℞. caricarũ pinguium, masticis, ceræ ana ʒij. misce, fiat masticatorium. vel solùm masticen masticet; nam dicit Dioscorides: στόματος δὲ εὐωδίαν ποιεῖ διαμασωμένη.

Validius.

℞. sinapi, piperis, pyrethri, ana ℈j. ladani, ceræ, ana ʒij. misce: fiat masticatorium. Ab ingratis, vt staphysagria, abstinendum, cùm grata alia sufficiant. Cùm aridiores res non rectè cohærent, plus ceræ iungatur.

Collyria.

Sunt propriè medicamenta oculis dicata: quæ in tenuissimum puluerem læuigantur, in formam alcohol, vt aiunt Arabes. quamuis interdum eo nomine vtantur, pro quolibet remedio liquido, quod puluerem remixtum habet.

Vetus. Apud veteres κολλύριον erat medicamentum teres, variis vsibus comparatum; in modum ferè magdaleonis cohærens. Olim enim reponebantur; & interdum integra in vsum vocabantur, aut in puluerem soluta, qui liquore vel linimento exceptus, oblinebatur parti: aut suffitu eam rigabat.

Vnde dictum & inuentũ. Hæc fuit figuræ ratio: dictum enim κολλούριον quasi κολοβὴ οὐρὰ, quòd esset mutilatæ caudæ forma, siquidem κολουραίας πέτρας dictam à Callimacho, Suidas τροχίσκον interpretatur. Olim enim simplici λ scriptum fuit: quãuis sint, qui malint κολλούριον παρὰ τὸ κωλύειν τὸν ῥοῦν dictum, hoc est *quòd comprimat fluxionem*, vel παρὰ τὸ κωλύειν. Veteres variis partibus admouerunt: imò & sedi indebantur, apud Aëtium De Dysenteria, & Scriboniũ Largum ad Tenesmum, forma nuclei pinei. & Columella 6. lib. 6. Attamen in oculorum morbis præcipuũ vsum semper habuere, adeò vt eorum præstantia & copia, veteres certasse, vel lusisse videantur. Ob oculi enim præstãtiam, & viuidum sensum, cùm (vt cæterarum partium tædia) horum vitia non leniter ferant homines, sed perpetuò remediari velint; non iniuriâ, ob gloriam curandi huic ardentiùs incubuere: gratissimi enim membri cura, famam de medico gratissimam refert.

Vsus. Vsus eorum est ad inflammationes oculorum, vulnera, vlcera, fistulas, suffusiones. Sunt triplicia: liquida, (propriè iam collyria vocata) sicca, & quæ linimenti, vel mellis spissitudinem gerunt. Vt varia eorum est idea, ita variis oculorum vitiis, ac eorum partibus accommodantur.

Liquida. Liqvida, oculorum angulis inferuntur, inflammationes leniunt, euicto promptè calore, cùm peruia sint leptomeriâ. Fabricantur ex succis, muccaginibus, & liquoribus, oui albo, herbis, seminibus, fructibus, metallis, fellibus, &c. *Vsus liquid.* His vel fluxum humorum inhibemus, resoluimus, detergemus, vel placamus dolorem. Præscribitur liquor ad tres vncias, quibus inditur pulueris drachmæ vnius ferè pondus.

Vt ex aqua rosarum, myrti, plantaginis, portulacæ; his parum albuminis ouorũ iungitur, ne tã facilè diffluant.

Sicca. Sicca, in pollinem læuigantur. hoc in censu sunt & trochisci. Hæc vel oculis insufflantur: vel liquore excepta humidum in collyrium abeunt. Cùm hæc succo excipiuntur, in linimenti vel mellis crassitiem abeunt; & cum adipe, vel pomata, vel oleo, excipiuntur. Hæc, quia contumaciùs hærent, certiùs vim imprimunt, quæ mellis characterem exprimunt, pupillæ magis conferunt & palpebris.

Vsu compertum. Peculiare quoddam remedium est axungia coturnicis; & succus quinque folij flore albo, succus ex radice, nam & membranam adimit, & phlegmonem sopit: at in eius vsu, oculis superpone stupam madidam aquâ rosatâ, albo oui, & bolo: & aqua euphragiæ, rutæ, verbenæ, fœniculi, chelidonij. Succi antiqui, & lac non recens mulctum, acria sunt, & oculis noxia.

Repellens ad feruorem oculorum.

Exempla. Accipe aquæ myrti, rosarum, vel plantaginis, cuiusque vnciam; albuminis ouorum dum in aquam tenuem eliquescat concussi semunciam; misce.

Aliud.

Accipe oculis dicatas aquas, adde euphragiæ aquæ, & fœniculi, singularum semunciam; & loco albuminis oui, tragacanthi & cerusæ, drachmas duas cuiusque.

Id efficit & aqua portulacæ, violarum, & earum succi, cum aqua rosarum, vel pomorum, vt & cotoneorum: qui, si fluxi fuerint nimium, restagnabunt granis adiectis tragacanthi, vel albumine ouorum, vel semine

psyllij

pſyllij vel cotoneorum, vt quæ & mitigent & refrigerent. ℞. aquæ roſarum drachmas duas; vini ſemidrachmam, pompholygis præparatæ ſcriptulos duos : fiat collyrium.

Temp; ore quo Lenti cremores initio cùm nil reſudat conferunt: at cocta materia, meliloti decoctum, &c.

Vt ℞. micæ panis albi vncias duas, macerentur decocto chamæmeli, & meliloti; exprime, & adde croci ℈ j. ſ. ſi feruor ſit, adde lac muliebre. tandem adde coquentibus detergentia, thus & ſarcocollam lacte nutritam, vel aquâ fœnugræci, & maluæ : nam ſarcocolla digerit & coquit, adde myrrham, aloën, & metallica, vt tutiam, antimonium.

COLLYRIA ANODYNA : *dolorem placantia.*

Aquæ violarum, plantaginis, ſingulorum ſeſcuncia; trochiſcorum Raſis cum opio ſemidrachma: albuminis oui, ſucci fœnigræci in aqua roſata loti, cuiuſque ſemuncia : miſce. Nam fœnigræcum dolorem placat & influxa exhaurit. & quoque paſtilli hæc agunt : quare in ſtatu, cùm laxat habenas dolor, his vti licet.

Vel : Accipe pomatam curioſè confectam, ne quid acris habeat, miſce trochiſcos albos Raſis : angulo magis rubenti, digito leniter imprime, dum ſe fundat collyrium.

Vel : Accipe decocti fœnugræci, ſeſcunciam: mucci ſeminis lini vnciam; ſacchari candi ſemidrachmam; croci ſemiſcripulum : miſce.

Lac muliebre cum tragacantho & gummi Arabico, & albo oui, ineunte morbo.

COLLYRIA *Detergentia & reſoluentia.*

Hoc collyrio quòd olim precio & prece emi, quidam magnam pecuniam fecit, ac ab hoc nominis celebritate ornatus fuit : eſt enim hactenus abditum & elegans potentiâ.

Oculorum & nobiliſſimum. Accipe calaminaris lapidis ter vſti, ac bis in vini aceto extincti, ſcriptolum vnum : myrrhæ, plumbi vſti ac loti, cuiuſque ſemiſcriptulum; croci or. grana quinque; opij gr. duo; æris vſti ſcriptulos quatuor : decocti fœnigræci vnciam. Terantur omnia ſuper lapidem pictorum, fiat collyrium. Interdum & ex axongia recenti lota terebat. Exterſis oculis ſpongia imbuta aquâ tepidâ, quæ vim habet fœnugræci & ſeminis lini, manè penicillo illinatur, quinquies aut ſexies ante prandium, & veſperâ quoque.

Albugines & oculorũ puſtulas, tum pruritũ abſterget.

Aliud detergens.

Accipe thuris, myrrhæ, cuiuſque ſcriptulum; tutiæ præparatæ & antimonij loti, cuiuſque ſemiſcriptulum. Cum ſucco chelidoniæ ſiccetur in vmbra.

Aliud.

Ex felle. Accipe fellis perdicis, vel leporis, vel potius piſcium (minùs enim acre eorum fel) cuiuſque ſemidrachmam : ſucci fœniculi drachmam, ſacchari Candi drachmas duas, cum ſyrupo roſato, quantum ſufficit: fiat collyrium.

Lene. Dum fœniculum in caulem ſurgit, ille abſcinditur, eius fiſtula repletur ſaccharo candido, dum in liquorem tabeſcat, qui oculis infertur.

Ex vitriolo. Albumen oui duratum teritur cum vitriolo pauco vſto, linteo exprimitur : ille liquor vehementer membranulas abſterget.

COLLYRIUM Πολύχρηστον.

℞. Euphragiæ, fœniculi, rutæ, agrimonij, ſtratiotis, quinquefolij flore albo, pulegij, teſticuli canis, telephij, anagallidis, plantaginis vtriuſque, farfaræ, hederæ terreſtris, polygonij, ſolani, betonicæ, lilij ſilueſtris, intybi, verbenæ, abſinthij, ſingulorum manipulum. Omnibus contuſis, vinum album vetus, mel optimum, vrina maſculi nondum trimuli : hæc ſingula æquali menſura ſtanneo vaſe, herbis infundantur : octiduum macerentur in cella; hinc balneo maris ter diſtillentur.

Hæc aqua ruborem oculis adimit, & reſtagnantes inſtar membranarum humores abſterget, fluxus ac dolores abigit, viſum acuit.

Aliud NOBILE COLLYRIUM.

Pompholygos vnciæ binæ, ſuper laminam ferri, nouies excandeſcant, ac toties ſeſquilibrâ vini Maluatici extinguantur: hinc in pollinem læuigentur, ac cum oleo macis miſceantur, & cribro traiiciantur : vitro excepta ac dicto vino affuſo macerentur ſole, dum illud flaueſcat inſtar auri. *Nobile.*

Oculis auxiliatur inflammatis, maculas, vnguem, ſugillationem, cicatrices, albugines, puſtulas, plagas, &c. abigit.

Plurima apud Galenum, Paulum, Græcos omnes, & Meſuem compoſita deſcribuntur : ex quibus polydædala varietas effingi poteſt, ac rebus præſentibus accommodari : nam præſtantium, validaque vi præditorum quorundam obſoleuit vſus, quæ laude non paruâ reuocari poſſent. Quæ, vt materiâ & viribus diuerſis conſtant, ſic varia ſortita ſunt nomina.

Cautio in compoſitione. Celſus in Philonis collyrio & Oribaſius monent, ſingula ſeorſim læuiganda eſſe remedia; diu metallica, ſobrius ſuccos, liquore parcè affuſo, ne metallica ſidant. Et tandem gummi colligentur ne diffluant; vaſiſque vitreis reponantur, aut æneis. Vſus cùm hæc euocat, liquore diluantur. vere paranda ſunt ſicca : at humida; in rem præſentem : quia æſtate vis eorum expirat : at hyeme, cùm horridæ & rigidæ ſunt res, non miſcentur. *Cautiones.*

Repellentia vel ſtringentia non niſi euacuato capite admoueantur; qualia pompholyx, ſpodium, amylum, plumbum, cadmia, Samius aſter, & oui candidum, alioqui metus erit, ne diſtentæ oculorum venæ rumpantur.

INSTAURANTIA.

Vſum habent vbi vires ab exhauſtu laborant, vi morbi, aut nimiâ euacuatione.

Præſcribuntur ex pulueribus aromaticis, conſeruis odoratis, cum capo, duplici vaſe coquuntur, dum eius pes extractus filo, qui alligatus fuerat, coctus appâret. *Materia.*

Conſeruæ, vt boraginis, bugloſſi, nymphææ, corticum citriorum, violarum, roriſmarini. *Conſer.*

Pulueres, vt cinnamomi, caryophyllorum, diamargariti, de gemmis, diarrhodonis. *Pul.*

Aqua roſata, bugloſſi, acetoſæ : vinum, omphacium, acetum. *Aqua.*

Ego iubeo ex crure bouis, muſculoſæ minimeque pinguis carnis libras tres accipere; interdum & ex vervece, imò & capones. in tenues partes atteri curo; paſſulas Corinthiacas addo, & parum cinnamomi & vini; in duplici vaſe, ex alto fictili rectè obturato, horas xij. coqui iubeo. Hinc ſetaceo infuſa, torculari ſubdo; exprimitur genuinus ſuccus, qui paruâ mole, magnâ vi nutrit. Pinguedo quæ in peripheria reſtagnat, inutilis eſt ægris : attamen non abſtergenda eſt ante vſum ſucci, cum à ſitu vindicet ſubiectum ſuccum. & propterea amplâ patinâ excipi totum ſuccum iubeo: quòd ſpacioſiùs tegatur pinguedine ſuccus. Gelatinæ huius cochlear vnum aut alterum exhibeo cum pauco vino, vel ſucco granatorum. *Efficaciſſimum.*

CAUTIO.

Aromatia ſi pluribus opus fuerit, non vnà coquantur, ſed iam cocta ferè carne addantur : nam ob inſignem leptomeriam in tenues euaneſcunt auras. Aurum his non concoquatur; nihil enim inde quàm hydrargyrum & ſordes abſterget coctio.

CAUTIONES *quædam obſeruandæ in mixtione medicaminum.*

Quæ reliquis afferunt conſiſtentiam, ſuperare in compoſitis debent, vt mel & ſaccharum in electariis, oleum, in vnguentis, &c.

Quarum vires maximè petuntur, pleoiore manu imponen da: vt hiera accipit aloës drachmas centum.

Ingrata. Quæ magnam molem exiguis viribus getunt, à pilulis excludenda sunt, vt flores & fructus.

Quæ sunt ingrata sapore, odore, consistentia, aut inimica qualitate prædita, parua copia dentur: vt lachrymæ, sabina, castoreum, sinapi, absinthium, pinguia, vitriolum, sulphur, &c.

Deducentia. Deducentia remedia ad locum morbi, exigua quantitate addantur, nisi affectui studeant. Ita & corrigentia & stimolantia, vt ainziber à granis iij. ad vi. additur agarico, in pituitosis affectibus. Sal gemmæ, à granis 6. ad scriptulum vnum. ita colocynthis, quæ lacte castigatur, aut muccagine psyllij, vel tragacanthi.

Quæ integra vorantur, exigua mole sunt danda: cùm infunduntur, mediocri præbenda copia: io decoctis maiori quantitate iniicienda.

Semina. Semina temperata in internis remediis præscribuntur à ʒ j. ad ℥ j. vt maluæ, lini, fœnugræci.

Quæ acriora, ad ʒ j. vt semen cumini, seseli, carui, ameos, nasturtium, & thlaspi, & sinapi, quia acriora, ad ℈ j. ß.

Diuretica, à ʒ j. ad ʒ iij. vel ℥ ß. verùm cum pharmaeis purgantibus, à ℈ j. ad ʒ j. oe ad vesicam reuocent materiam.

In pectoris morbis, ne expectoratum sicrent, aut ne acrimonia nouam fluxionem accersant, ad ʒ j.

Quæ flatus eiiciunt, in decoctis, ad ʒ ij. in clysmatis ad flatus surgendum ad ʒ vj. in antidotis ad ʒ iii. verùm calentissima dentur ad ʒ j. in decoctis ex aqua. In externis autem à ʒ iij. ad ℥ j. s.

Frigida semina maiora, à ʒ ij. ad ℥ j. verùm laxantibus temixta, ad ʒ j. in enematis ab ℥ s. ad ℥ j.

Fructus hederæ à ʒ j ad ℥ ß. myrti ad ʒ ij. Ita semen rosarum & vuarum. Coriandrum, ad ℥ s. cum sacchato: grana tinctorum, ad ℥ s.

Aceto. Aceto indita acria, mitescunt; vt sinapi, & coriandrum. & fatua insipida, acrescunt ab aceto.

Ligna. Ligna preciosa ad ʒ j. aloës lignum, & santala, saxafras. Ignobilium, ad libram, vt fraxini, tamarisci.

Animal. Animalia in pulucrem assata, grata si fuerint, dantur ad ℥ s. alia ad ʒ i.

Fel auium ad ʒ j. quadrupedum ad ʒ ij. piscium ad ʒ iij. cornoa, & conchæ vstæ, ad ʒ ij. vel iij. ablutæ & extinctæ. vnionum ʒ j.

Serum lactis primò detur ℥ iiij. mensura cottidie accrescat ℥ j. dum ad ℥ x. ventum sit: & eodē filo decrescat.

Coagulum, ad gr. xII.

Terebintbina ad detersionem, ad ʒ iij. cum sacchato: ad ℥ ß. cùm aluus ducenda.

Pix arida ex ouo, ad ʒ j. s. vel ij.

Sacchar. crystal. Saccharum crystallinum magis siccat, & deterget; in pulueribus à cibo, sit minor copia eius: ita in vteri rebus. cum aqua rosata paratum, confert calidis. Clysmis inditor, ad ℥ iij.

Sulphur ad ℈ j. intus datur.

Medicatæ terræ à ʒ j. ad ʒ ij.

In præscriptis maxima quantitas primò ponatur, minima vltimò; & primò qua prolixiori egent coctione & præparatione, vt radices & nobiliora: & quod vice materiæ est.

Primo loco sint radices aperientes, attenuantes; tum ligna non odorata, & cortices.

Deinde folia herbarum.

Tertio loco fructus.

Quartò, semina.

Vltimò flores, & odorata, & purgantia.

Si quæ fuerint infundenda vel in pollinē vertenda, ea primo loco ponātur: ita quicquid prolixa paratione eget.

Perpetuò eorum quorum plenior copia est præscribenda & præparanda, primò fiat inscriptio quin & nobilioribus primus debetur locus, vt consocianti materiæ postremus: vt aloë in pilulis, melli in electariis, ceræ io vnguentis.

Si quid sit quod infestam vim remedij domat, id ilicò suboectatur, vt spica post rhabarbarum: post opium, myrrha, castoreum vel crocus.

Confituras ita exasperant, Materia condienda æneo vasi inditur, quod duabus ansis suspenditur super carbones, mouetur quoquouersum, dum calescant eæ res quas inditas gerit. Calfactis iofunde parum sacchari ex cochleari ferreo, non procul à margine vnico foramine perforato: cootinuoque agitetur, dum siccescat saccharum. Dein repetitis vicibus nouum instillatur saccharum, idque dum iustè confitura crassescat. *Confitura ut exasperentur.*

Crispatur autem peripheria ex alto saccharum præcipitando. Si conglobentur nimio à dato sacchato, vel neglectim agitato vase, manu affricati soluantur nodi. Dein cribro imposita, loco calido & sicco seruentur. *& crispentur.*

Alij ita aspredine ornant: vasi calfacto medio quid sacchari infundunt, quod cochleari hinc inde diffunditur: vbi bullæ efflorescunt, aliquid confituræ iam sacchato obductæ inditur, & strenuò gyratur ne fundo se nectat. Mox, ablata hac, noua materies iofunditur, eademque historia peragitur.

Rubescunt à santalis, Brasiliæ ligno, rubia, lacca, floribus amaranthi: croco flauent: virescunt succo anethi, solani, rutæ: nigrescunt succo corticum iuglandium, galla, myrobalanis, aceto, aqua vitæ, alumine. *& rubescant.*

Hæc vsum suum postea aperient, vbi de lenientibus, præparantibus, euacuantibus, & corroborantibus. Etenim his semel perspectis, cùm simplicia medicamina partibus peculiari vi studentia, ac cum morbifica materiâ pugnantia, comperta fuerint, facilè, imò vltrò colligentur io certam remedij formam, quæ alioqui vbique proponenda foret, non sine inutili mole, ac ingeniorum tædio. Rectè Pindarus, Παντὸς ἔργου μέτρον, μηδὲν ἄγαν: hoc, inquit Alphæus, ἄγαν με τέρπει.

DE MEDICAMENTIS Vsu compertis,

LIBER METHODI AD PRAXIN II.

QVæ medicamina prolixè profundere Pragmatici, in tam numerosâ morborum copiâ, in vnam Methodum conglobani: vt inde (accedente tandem vera medendi Methodo) vno intuitu, maxima remediorum varietas, cunctos morbos complecti posset. Polydædala enim compositorum medicaminum turba hinc fabricari poterit, modò quæ primo libro tradidimus rectè percepta fuerint. Si enim quis ad Indicem primi libri collimarit (cùm sese offeret in corpore humano vel succus mitigandus, aut pars firmanda) ac secum reputet quidnā remedij ex his simplicioribus rebus, quæ hoc libro scribuntur, aptè effingi ad hæc vitia possit, num apozema, an sacculi, linimenta, aliáve remediorum idea, ille, sine dubio nullâ remediorum inediâ laborabit. Quibus autem remediorū formis opus sit, aperiet morbifica materia morbus pars, morbo pressa, ægri natura, & alia indicationes, quas tertio libro fusius, sūmo Deo fauente, enarrabimus. Quid præstiterimus hac in artis parte, indicabunt alij: illud vnū certè scio, nullam ad vtilitatem publicam rationem aliam adferri potuisse commodiorem. Scio ingenia rarâ doctrinâ præstantia, vbi suum explorant acumen, & tentant eruditionis suæ specimen exhibere, nonnunquam ea edere quæ admirationem magis implent, & plausibilia delectant, quàm in præsentem vsum valdè conducibilia. Quemadmodum Plato rempublicam conscripsit, à laudatis viris laudibus multis celebratam, quam tamen nulla gens pro commoda vsurpauit vnquam. Si fortè quis desideret maiorem remediorum copiam, quàm hîc

in

in quibusdam numeris descripsimus, ut ad aliud eiusdem ferè historia caput sese transferat. Fruimini itaque his laboribus ex animo susceptis, & candidè fauete conatibus, qui studiis vestigio, & vtilitati publica inscribuntur, ac impenduntur.

CAPVT I.

De Remediis Præparantibus materiam morbificam. Quid sit Præparatio, & quid Coctio. Modus exhibendi Præparantia. quæ Græcis ἀλλοιωτικά: hoc est, Alterantia.

MEdicamenta quorum maximus in facienda medicina vsus est, sunt vel Lenientia, Præparantia, Purgantia, vel Corroborantia. Et quanquam ordo curationum, lenientia remedia primâ serie sibi expetat, attamen de Præparantibus primò agere consilium est: quòd plurima eorum quæ leniunt, vi quadam cum purgantibus sese consocient. *Ordinis ratio.* Quare commodiùs (ne quid bis) eorum historiam, ac facultates his annectemus. Triplicem hanc seriem, ita transfigemus, vt in quoque genere examinemus modum exhibendi: Secundò, rationem componendi: Tertiò, correctioni studebimus, si aliquam rationem in his desideraverimus: Quartò, copiæ augendæ vel accidendæ operam adhibebimus: Quintò, qualitatem remediorum enarrabimus; Sextò, succedanea: Septimò, quanam ætate singula sint exhibenda, proponemus.

Præparatio. Præparatio, quam quidam lato modo loquendi, Coctionem vocant, *est materiæ morbificæ ad substantiæ mediocritatem redactio*: vt cùm quæ nimis crassa sunt, attenuamus: quæ nimis lenta, incidimus: nimiumque viscida, abstergemus: acria, vt mitescant; vt quæque promptè ac innoxiè euacuari possent.

Coctio. At Coctio *materiæ morbificæ* (quæ propriè pepasmus ab Hippocrate vocatur; vt alimenti coctio pepsis) *est alteratio finiens putredinem*: hoc est, cautarum, in humoribus præter naturam existentium, debellatio, vt succi quantum fieri posset, ornatum formæ maximum acquirant, quò benigni succi à prauis separari possint: id enim proprium Coctionis est officium. Quare calor natiuus remiscet madida siccis, & ita Coctionem peragit. Tantoque feliciùs id agit calor natiuus, quo is fuerit vegetior. Ita nimius mador in crudis ac putridis pepasmi capacibus, ab emicante calido natiuo coquitur: dum perfecta miscella fit humidi & sicci. Inde enim inutilis absorbetur ichor, reliquo madore partibus siccis admisto. Hinc est quòd Coctione omnia crassescãt.

Hæc tamen Coctio est vel perfectior, vel imperfectior. Perfecta est substantiæ ad optimum naturæ statum conuersio. Imperfecta est ad commodiorem statum substantiæ reductio. Vtrique opponitur cruditas, & putredo; cruditas per gradus coqui debet: nam partium Inæqualitas non admittit Coctionem simul edi. Putres, cùm Coctio putredinem finit, coquuntur.

Quare varij gradus sunt coctionis: & vt sunt gradus coctionis, ita purgationis esse debent. *Purgatio.* Quæ itaque omnino cruda sunt in sanguine, non purgabimus, ex Hippocratis sententia, 4. acut. 44. Ita & Galenus nos docenit De cris. cap. 17 vbi ait, crassa vrina, obscuræ, nebula, manifestæ coctionis, sed nondum perfectæ signum est. Quare in acutis, materiæ totam coctionem expectamus, naturæ imitatione: at in longis morbis ac in degeneribus, quia materia est heterogenea etiam in augescente morbo purgamus, vbi coctionis symbolum elucet. Verùm in acutis, à vigore id agimus, vbi quid reliquum est. Nisi quòd reuulsionis causa interdum id agamus, vbi vrget malum, ex 4.acut.64.& 76. Itaque vt breuiter dicam, vbi purgandum, absit cruditas extrema: 2. humores sint fluxiles, & meatus pateant. 3. hypochondria non sint flatibus distenta. 4. nullum sit viscus inflammatum, ne vi pharmaci nascatur colliquatio. 5. sit febris non vehemens. 6. ardor absit à partibus spirabilibus. 7. non sit astricta aluus.

Quare Præparatio via quædam esse videtur ad coctionem; vt chylus ad sanguinem paratur in ventriculo, quò hepar faciliùs eum in sanguinis formã transferat: ita nos præparamus, vt materia non sit contumax ad Coctionem.

Alia coctio med. et quâ philosophi. Quare alia est apud medicos coctio, quàm ea, de qua philosophi. Etenim Aristoteles quarto Meteorologicôn, tres Coctionis recenset species, Maturationem, Assationem, & Elixationem. Dicimus medicis celebratam Coctionem, nullam harum esse. Nam quæ ad maturationem prouehuntur, in eum cultum abire debent, vt aliud simile generare possint. At elixatione & assatione ita quid perfici debet, vt verti possit in substantiam coquentis partis. Quare si ad œconomiam nostri corporis hæc trahere voluerimus, existimare possimus, maturationem hominibus euenire, ad speciei tantùm conseruationem. & ad indiuidui perennitatem necessaria fuit elixatio, & assatio: vt loco exhausti reponatur noua substantia: id quod in pueris euenit beneficio elixationis, & in iuuenibus assatione. Sed materiæ morbificæ Coctio, fit apud Medicos, cùm calidi natiui vi, separatur benigna, à prauâ materiâ, vt formæ cultum quàm maximum induat.

Officium medici ad coct. Quare Medicorum officium erit, cùm coctioni foccorum studet, primò causis præter naturam resistere, hinc calidum natiuum seruare. Quare decocta, & syrupos, fotus, & emplastra præscribunt, quibus calidum natiuum robustius efflorescat, ac calor qui præter naturam est elanguescat; & maximè euentationi student, ne oppressus calor extinguatur. Propterea primò explorandum erit, quænam materia sit præparanda ac maturanda, & quænam corporis sit temperies, & num ab oppressione, vel exhaustione calidum natiuum tabescat. Nam si frigidior fuerit materia morbifica, & corpus frigidum, calida decocta propinabimus: etenim, vt auctor est Hippocrates quinto Aphorismorũ septuagesimo, *febrilis calor quoque pituitam coquit*. Ita cùm ex immoderato exhaustu calor torpescit natiuus, eum cohibẽt: vt in inflammationibus, cùm cataplasmatis exitum eum prohibent: sed cum immoderatiùs calor retinetur, vt in febribus putridis, modicè difflationi student.

Notandum. Causis autem præter naturam resistunt alterantibus medicamentis; quæ tamen non ita finiunt putredinem, vt de humore putri faciant non putrem, (illud enim est impossibile) sed eam cessare faciunt, & prohibent ne vltrà pergat depascendo corrumpere, sed sese sistere.

Modus vtendi. Modus exhibendi Præparantia, ex humorum situ, & naturâ ducitur: Præparant autem vnum succum, vel plures. Et partes corporis in quibus constitere humores, eadem intemperie in vitio sunt; vel membris minimè affectis, soli succi vitium agnoscunt.

Cùm succi vitiũ fecere, illi vel in venis habitãt, vel extra venas vagantur: quare illud perpendemus, ac quænã succi idea sit, indagabimus. *Humores quot.* Sunt enim triplices succi in corpore humano, alij alimentarij, qui fuere nutritioni omnino dicati, hi in massa illa sãguinea, quæ venis coërcetur, continentur. *Sanguis æquiuoca vox.* Est enim sanguinis vox æquiuoca; quæ interdum hanc totam massam denotat; sed nonnunquam sola purior eius pars, sanguis dicitur.

Nutritij. In hac itaque sanguinea massa, quatuor humores sunt alimentales, qui oculis sese conspiciendos a venæ sectione præbent: Nam in conglobata illa massa, quæ rutila quadam flauedine altiorem superficiem claudit, bilis alimentaria dicitur; quòd nutricatu suo fruantur ex ea partes corporis calentiores. Quæ verò mox huic subditur crassior, & viscosior sanguinis pars, pituita alimentaria vocata fuit: sed sincerissimo illo ac roseo rubore tinctus succus, sanguis dicitur: quæ autem ad fundum recessit, nigrior illa pars, melancholia dicta

fuit. Vocent alij sulphur, mercurium, & quidlibet; modò rei substantiam intelligamus.

Excrementitij. Secundò, sunt in corpore humores superuacanei, qui aut vtiles, vel inutiles & noxij: Vtiles, vt bilis, quæ cottidie colligitur in vesicula fellis; nam in hepate dum coquitur sanguis, feruidum illud recrementum exspumatur. Attamen vtilis est hæc bilis, quòd cottidie ferè in intestina sese effundat (vnde fæces hominum flauescunt) ac ad excretionem illa irritet, & pituitam ab illis extergeat. Talis est & melancholia lienis: & pituita intestinorum.

Tertiò, sunt humores inutiles excrementitij, qualis est bilis putrida, vnde tertiana febris surgit, & erysipelas: & cancer à melancholia.

Vsus prap. dexter. Cùm itaque succus alimentarius in vitio fuerit, cumque is in sanguine hæreat, venarumque parietibus claudatur, vnà cum illo vsu præparantium remediorum alterabimus hepar, cor, & interdum lienem. Si verò humor extra venas positus fuerit, hærebit is vel in capite, pectore, ventriculo, hepate, vtero, vesicâ, aut in habitu corporis. Vt bilis, in capite concepta est, dum phrenitide quis laborat: in ventriculo natat picrocholis τὰ ἄνω. de cæteris idem dicimus. Tunc itaque partis his obsessæ naturam perpendemus, & alterantia præscribemus, quæ æquè parti student, ac cum materiâ morbificâ pugnant. Cùm itaque capiti est pituita molesta, betonicam præscribemus, & cætera tali vi prædita illi adseremus. Nam & cephalicum est illud remedium, & pituitam calfacit, attenuat, & incidit. Si in pectore vitium fuerit, dabimus hyssopum, & cætera talia. Fiunt autem alterationes, remediis datis per os, & foris adhibitis: qualia illa sunt, quæ mox recensebimus.

OBSERVATIO *Pragmaticis vtilis.*

In remedij compositi fabrica, primùm ob oculos sit forma, quam induet: hinc excogita radices, herbas, flores, semina, fructus, flatus purgantia; & in singulis ponendis, cogita de parte ægra, & nobili vicina parte, & de morbi causa, num validè aperiendum vel stringendum: num vrina vel aluus ducenda: aut an calidorum remediorum via temperanda sit, vt passulis, glycyrrhiza, radice buglossi.

CAPUT II.

De quantitate qua sumi debeant: & de modo componendi Alterantia: & de eorum viribus, & correctione.

COpia sumendi Alterantia remedij, ex Modo componendi quoque elicitur. Modus autem componendi ex simplicium natura elucescit: quæ excoquuntur vel in syrupos, succos, conseruas, & reliquas medicaminum formas. *Syrupi.* Syrupi vel sunt simplices, vel compositi. Simplices, parantur ex succo vnius herbæ, aut ex aqua, in quâ cocta herba fuit; cum saccharo, si æstu hepar incandescat: nam illud non ita exardescit vt mel: aut cum melle, si stomachus à pituita torpeat; nam membra concaua absterget facilè mel. *Mel.* Dantur syrupi à sescunciæ copiâ, ad duas vncias & semis, cum stillatitio liquore, aut decocto eiusdem facultatis, ab vnciis tribus, ad quatuor. *Dosis.* Vt, accipe syrupi alicuius, sesqunciam; aquæ, vel decocti, vncias tres; misce: bibat. Hæc est moderata dosis, quæ in ventriculo non fluctuat.

Alterantia ne laxant. Cautio: Non nimis frequentes esse debemus in Alterantium vsu, ne nauseam inuehant, ac naturæ calorem vincant: sed eò vtemur, vt naturæ vis excitetur, & materia præparetur, ne fiat in purgando postea via vi, sed vt materia naturæ expellenti, & medicamento trahenti cedat. *Obseruatio.* Id obseruandum, Rasem in confectione lætificante, nono ad Almansorem, capite de Melancholia, tribus partibus mellis, vnam partem admiscere roborantium puluerum. Sed pragmatici aliter hodie, nam sæpe partum roborantium miscent; sed frustra, nam operam ludunt: dat Rases vnam drachmam. Quin Opiatæ confectiones accipiunt hodie pro singulis drachmis specierum, vncias tres mellis. Sed maior copiosior vires puluerum diluit, vt etiam eius inopia, ariditatem præmaturam adfert. *Composita Syr.* Compositi syrupi ex plurimis remixtis rebus comparantur, dantur alternis diebus. Hi quò magis compositi fuerint, hoc minori copiâ exhibentur: notandum tamen, quæ vis sit rerum mixtarum.

Succi. Succi liquidi præbentur ab vnciis duabus ad quatuor: condensati, ad semunciam; nam aquosæ partes ab illis expirârunt. Nec quoque liberaliùs præscribuntur, ne mœniis ventriculi hæreant, ac ibi cunctando vires exuant, nec ita in corpus ferantur: nisi quis melle vel saccharo remixtos, hos ægris offerre velit.

Pulueres. Cibi. Pulueres eadem lege exhibentur, à scriptulo, ad semunciæ pondus. Cibi alterantes, offeruntur in prima mensa, vt cappares, ad lienem: vt ad somnum inducant, à cœna; qualia amygdalata, & lactucæ.

Conserua. Conseruæ, alterant ventriculum, caput, pectus, & cæteras partes; quibus, peculiari vi his inclusa remedia student. Dantur ad molem semunciæ, vt contra materiam morbificam pugnent, ac partis naturæ studeant. Ita conserua saluiæ, vel betonicæ, præbetur capiti, à pituita fatigato: quòd si bilis in capite ferociat, rosarum conserua hanc domabit. Quòd si in iecore ardor æstuarit, conseruæ cichoraceæ feliciter præscribentur. Lien cùm à frigida materia premitur, conserua tanaceti hunc recreabit: vterus ex floribus Leucoij conseruam amat: vt artus iuæ saccharum. Ita & reliqua membra, sibi à summo Deo dicata remedia agnoscunt.

Pilulæ. Pilulæ præscribuntur, vt alterent membra nobilia, aut vt recreent membra ignobiliora, & vt ichores succorum, humores ipsi, & excrementa, placidè ad genuinam vim reuehantur. *Cautio.* Nobilia membra, quorum nempe officio vita carere nequit, semper stabilienda veniũt, qualia iecur, cor, cerebrum.

Ad venereũ morbum. Ita in morbo venereo porrigemus pilulas, ad fractam œconomiam hepatis; vt Accipe ligni guaiaci, iam in scobem tenuem radacti, drachmam; corticis eiusdem ligni puluerisati, semidrachmam; pulueris salsæ parillæ scripulum: cum syrupo de soncho fiant pilulæ triginta: sumat tres, cùm iam pastum initurus est. Illæ, longo vsu, à morbi Venerei curatione, intemperiem illam fœdam eluunt, quam diuina vis hæmarosis ipsius hepatis contraxerat: quæ alioqui restibili fœcunditate, in nouum contagium fœta perennat, adeò vt in recidiuam fœdè relabantur, sanati à fœdissimo morbo homines. Tam difficilè occultior hæc macula eluitur, vt non malè diaisse videatur Galenus, maculas quasdam hepati imprimi quas eluere nemo potest: vt lana alba, quæ semel denigrata, ad pristinum candorem abstergi nequit. Et fortasse substantiâ ipsâ ligni, feliciùs id malum abigitur: incolæ, vnde manauit morbus, folia guaiaci depascuntur, efficaci remedio ad morbi excisionem.

In peste. Ichores absumunt pilulæ ex ebore, vel cornu ceruino. Ita in peste, vt siccemus sine obstructione, & vt fibras sanguinis stabiliamus, aditúque à corde venenum arceamus, bolum Armeniæ damus.

Infusiones. Stillicidia & infusiones præscribuntur ex aquis, oleis, & decoctis. Ex aqua simplici, purâ & putâ: vel aquâ minerali.

Calfactio à frigore. Aquâ simplici, refrigeramus & humectamus, & ex euentu calfacimus. Vt in tetano, id est, conuulsione musculorum antagnistarum ceruicis à materia frigida crassa, in iuuene vberrimo habitu prædito, aquæ frigidæ aspersio, coërcet effluuium caloris, vnde vberiùs exiliens feruor, coquit materiam, digerit, & exhaurit.

Sal. Ex minerali aqua fiunt stillicidia, ad siccandum, vel calfaciendum; nam aqua nitrosa, & salsa, siccandi vim gerit ad secundum vsque ordinem.

Sulphurea

Sulphur. Sulphutea aqua tenuat, & digetit, calet ad tertium numerum.

Ferr. Feriata aqua robur mēbris, addit, ac refrigerat, vrinas excutit, & extenuat; maximè cùm quid vitrioli habet.

Inunctiones & emplast. INVNCTIONES alterantes, si fianr ad partes nobiles, quò ex rarioribus fabricatæ fuerint, eò tutiores. Vel effinguntur EMPLASTRA alterantia; in quorum compositione illud studium adesse debet, vt vis contraria affectui morbifico in his excellat. Vt si calfaciendum, ita temperanda etuot medicamina, vt calida vincant. Remiscentur calida medicameota, à primo caloris ordine ad tertium: nam quartus numerus feruido æstu corrumpit. Vt peruadant hæc faciliùs, ex pinguibus ae oleosis fabricabuntur. Si coctioni studendum, emplastra calore moderato prædita, ex vsu erunt. Sin suppurationi, acria vnguinibus opimis excepta: nam ita retinebitur effluuium caloris natiui, qui coctionis est auctor: vt ficus cum fermento. Resolutioni si incumbendum, sint calida remedia in secondo numero, humida in primo. At refrigeramus & repellimus, frigidis remediis ab ordine primo, ad tertium: nam quartus nimio algore enecat. Humectantia à ptimo madoris gradu, ad tertium ordinem excurrunt; nam io natura, nondatut maior humectatio. Pto manipulo rerum siccatum, accipiat ℥ j. vel ℥ j.ſ. liqnotum.

Cerata. CERATA alterantia conflantur ex cera & oleo, adduntur succi vel gummata, resina, pix, colophonia, sandaracha; & puloeres & res vnctuosæ. *Vsus.* Vtimur his, vt pars affecta tutius nutriatur, munita ab iniutia aëris; vtque matetia pepasmi expets mitigetur, sensimque parti temperies restituatur. Interdum his vtimur vt partes laxæ densentur, duræ molliantut: solutæ vniantut. Copia & quaotitas cerati, sumitur ex partis laborantis mole.

Phoenigmi. RVBIFICANTIA quoque remedia intemperiem abigunt: Sunt illa calida à tettio ordine, ad quattum: admouentur carnosæ parti gratiâ reuulsionis, detiuationis, vel alterationis. Hæc sunt vel simplicia, vel composita. Simplicia, vt sal gemmæ, marinum, & fossile: sulphur, ciois lignorum, plantago aquatilis, flammula Iouis, cantharides, euphorbium, fimus columbinus, nasturtium, sinapi, scilla, cæpa rubra, allium, porrum non transplantatum, aqua vitę, calx oon lota, alcyoniū. Ex his fiunt composita. Sinapismi bis sunt proximi.

Caut. CAVTERIA his cunctis sunt validiora. Horum copiam corpori humano admouendam, qualitatis vi metimur; quò potentior fuerit vis, eò minori admoueatur copiâ: vel iungatur mitiotibus, qualia sunt, quæ pinguedine diffluuut.

Form. FOMENTA alterantia, sunt vel consistentia humida, vel sicca. Humida, fiunt ex oleo, vino, aquâ medicatâ, & decoctis. Hotum copia, est ad libitum, modò æger his pat sit. Plerumque liquor est ℥ xij. specierum ʒ j.ſ.

Exhalat. EXHALATIONES siccæ, fiunt in lateribus ab igne candentibus, aut filicibus: ex lignis odoratis, vt scobe ligni cupressi, iuniperi, guaiaci, & corticum eius, styrace, benjouino, ambrâ, musco, caryophyllis, foliis & floribus odoratis, calaminthâ, & aromatibus omnibus. *Vtendi modus.* At vt faciliùs peruadant, vapor excitabitur in lapide ignito, vinô vel acero incoctis, quarum vim membris imprimere volumus. Alioqui si igni iniicienda sint, excipientur terebinthinâ lotâ (decoctn guaiaci in morbo Veneteo) vt myrrha, corticees citriorum, caryophylli, cottex guaiaci, calamintha: omnium horum partes æquales. Quantitas horum est aucupanda ex virium tolerantia.

Calidi noxa. CAVTIO hæc in horum vsu adsit, ne qnid nimis. Nam scripsit reuerendus ille senex, quinto Aphorismorum; *Calido si quis diu multúmque vtatur, his damnis agrum auget; carnis enim prabet effœminationem*, dissipato proprio carnium pabulo, & laxatis fibris, inductoque humore exerementitio; *cerebri adfert stuporem*, quod sensus, ac motus omnis principium est: & *neruorum infirmitatem* infert; nam eotum tobur in mediocritate siccitatis consistit. Quare horum admotio, fiat per interualla: assiduus enim vsus relaxat, & hæmorrhagias adfert, laxatis venis, & sanguine fuso: quin & lipothymias, dissipatis spiritibus.

Bal. BALNEA alterantia, alia sunt frigida, alia calent: naturâ, vel arte patantur. Et præter primas has qualitates, quædam astringunt; noonulla aperiuit; interdum roborant, alia attenuant, discutiunt.

CAVTIO.

Ex sententia Hippocratis, lihro tertio De Morbis acutis: sæpe Hectici ad balnea ducendi sunt, & Nephritici: modò adsit aëris tepor: tarò, qui ex catarrho laborant, & qui aluo sunt infirmi; nec in hæmnrrhagiâ eo vtendum est, etiamsi intemperies adsit: Nam qua ex parte natura est magis opis indigens, hac illi est succurrendum. Non quoque, vbi viscerum effœta vis languet, balneis iodulgendum. Adde, inquir Hippocrates, quòd *neque cibo, aut potu saturatum agrum, lauare est aquum.*

Correctio. De correctione alterantium pharmacorum. Si à pharmaco quis maiorem vim desideret, illam ei afflabimus alterius simili vi præditi accessione: aut si quid vehementiore qualitate noxam daret, contrario addito remedio eius vim domabimus.

CAPVT III.

De qualitatero alterantium remediorum.

QValitatem alterantium notamus, vel ratione compositionis, vel ratione finis. Ratione compositionis, vt si pilulæ fabricandæ venerint, vel puluetes componendi, exquirimus medicamenta sicca, vt his formis accommodari possint. Ratione finis, nempe vt alteremus. *Vsus.* Alteramus autem partes corporis, aut succos, vel vtrosque simul io aliam qualitatem transferimus, siue illæ partes nobiles, aut ignobiles fuerint. Ita & humores venis inclusos, hoc est, alimentales quatuor, in aliam facultatem traducimus. Nec non extra venas positos succos, qui nempe in aliqua corporis parte recepti sunt, in nouam qualitatem abripimus.

Olea. OLEA calida, digerentia, siue rare facientia, quædam sunt debiliora, vt chamæmelinum, anethinum, lumbricorum, de nucibus, amygdalinum dulce, rosatum completum. Vehementiora: qualia amygdalorum amarorum, absinthinum, costinum, de lateribus, laurinum, de iunipero, masticbinum nardinum, tutaceum, vulpinum, scorpionum, de piperibus, de euphorbio, castorei, de capparibus, terebintbinæ, sampsuchinum, hyperici, vitellorum ouorum, irinum, moschelinum, lilinum, narcisinum, sambucinum, iasminum, cheirinum, menthæ, pettoleum. Balsama atte fabricata.

Olea frigida, repellentia, & adstringentia: Rosarum, citoniorum, omphacinum, myrtinum, nymphææ, papaueris, violatum, cucurbitæ, mandragoræ, oleum popolneum, hyoscyami.

Vnguenta calida, tarefacientia: aregon, agrippæ, dialtheæ, alabastrinum; de meliloto, martiatum.

VNGVENTA frigida: rosatum, comitissæ, de bolo, infrigidans Galeni, populeum, santalinum, vnguentum citrinum, vnguentum pectorale, vnguentum album caphuratum, vnguentum violatum, rosatum.

EMPLASTRA calida digerentia: diachylon simplex, & compositum, de meliloto, oxycroceum, apostolicon, de baccis lauri, Polyarchion Galeni, Philaggianum Pauli, Martiatum Nicolai: diaphœnicon calidum. Emplastra frigida, reprimentia, Albom, de crusta paois.

CERATA calida Ceratum stomachale.

CERATA frigida: Infrigidans Galeni, santalinum.

Vnguenta cum cera fiunt: linimenta absque cera. Cerata resinam accipiunt.

Condita calida. Cortices citrij & flores. Arantia, & eorum flores. Limones, myrobalani, nuces iuglandes, caryophylli, calamus aromaticus, galanga, zinziber, enula eryngium. Condita frigida: integri limones, citonia, meſpila, pyra, ceraſa, pruna ſilueſtria, pimpinella.

Trochiſci. Trochisci alterantes. Aperientes, vt trochiſci de eupatorio, de myrrha, de capparibus, de lacca, de abſinthio, de ſcilla, rhabarbaro, de amygdalis amaris Æginetæ libri ſeptimi, duodecimo.

Trochiſci attenuantes, ſcillirici, de capparibus, de rhabarbaro; de eupatorio, de gallia moſcata, diarrhodon, hedichroi, ciphi, trochiſci de roſis, de aniſo, hepatici Aſclepiadis.

Trochiſci frigidi: de carabe, de ſpodio, de alkekengi, de terra lemnia, de caphura, de berberis, diarrhodon, ramich, diaïon, ſantalini trochiſci, trachiſci diaſpermatôn Galeni.

Trochiſci corrigentes venena in ſuccis corporis cõcepta; trochiſ. de viperis, de caphura, de myrrha, de gallia moſcata, de terra ſigillata, de cypero, & de ligno aloës.

Fructus arborum medicata vi imbuuntur, arboribus cùm medicamina inferuntur: ea arte, quam tradimus capite de lenientibus pharmacis. Ita & herbæ inſuccantur; & animalium lac, oua, & caro imbuuntur: nam quem delinxere ſalem, referunt in lacte ſaporem, vt ait ille.

Vina medicata. Vina alterantia ſalutari arte effinguntur. Habeat vinum duodecuplam proportionem ad miſta medicamina, fermentationis feruore & velitatione maximè opus eſt, vt bibat vinum medicatas vires; quare muſtum ad hunc vſum laudatur. ſecundo menſe eorum vſus erit. præſtaret illud elutriare, ne fæces in vappam vinum exanimene. Alij macerant remedia muſto, dum vires eorum traijciantur in vinum, hinc modeſtè coquunt: cùm refrixit, alteri muſto (tamen minoris copiæ) remiſcent. Negligenter contundi debent materiæ medicatæ, & linteo includi, lapillo annexo, vt fundum feriant. Alij vina ſub torrido Caniculæ ſole, cùm cælum rapido incanduit æſtu, vitreis phialis macerant, ſuperfuſo oleo, tanquam tectorio quodam.

Antiquum. Ita vina finguntur, quibus creduntur facultates roſarum, anethi, aniſi, aſari, pulegij, fœniculi, baccarum lauri, petroſelini, conyzæ, rutæ, fœnugræci, hyſſopi, apij, abſinthij, thymi, &c. Scribit Plinius, Africam ſuis vinis gypſo & calce aſperitatem cauiſſe; Græciam ſuis argilla, marmore, ſale, aut marina aqua, mollitiem intuliſſe: noſtri hormino iniecto ſaporem acuunt, ne edentulum fiat. Antiqnis reſinatum ac picatum vinum erat.

Confectiones Aromaticæ ferè calidæ ſunt paucis exceptis: Nam hæ frigidâ vi præditæ ſunt, diamargariton frigidum, diatragacanthum frigidum, manus Chriſti perlata, diarrhodon abbatis, quod temperatum eſt, diatrion ſantalon, confectio liberantis, moderata eſt: roſata nouella, electarium reſumptiuum.

Conſeruæ calidæ, anthos, fumariæ, lauendulæ, maioranæ, meliſſæ, tanaceti, abſinthij, menthæ, herbæ paralyſis, pæoniæ, cardui benedicti, liliorum conuallium, florum tiliæ, euphragiæ, ſambuci, hyſſopi, betonicæ, ſcabioſæ, ſaluiæ, diacydonium compoſitum: nuces myriſticæ integræ conditæ, & caryophylli, & caro citri & flores, aurantia mala condita: myrobalani & limones, iuglandes: piper, calamus, galanga, zinziber, enulæ radia, eryngium, pimpinella.

Flores minutim inciduntur: horum libra accipiat ſacchari ferè libras duas cum ſemiſſe. Nam humentiores flores duabus libris ſacchari abundè madeſcent, quales boraginis flores ſunt.

Conſeruæ frigidores, boraginis, bugloſſæ, cichorei, nenuphatis, roſarum, violarum, acetoſæ, lactucæ caro, berberis, ribes, cydonia, meſpila, pyra, ceraſa, pruna.

Syrupi calidi: de Byzantiis compoſitus, de arthemiſia Matthæi de Gradibus, de abſinthio, calaminthæ, de praſſio, de glycyrrhiza, de hyſſopo, de eupatorio, de ſtœchade, mel roſatum, miua cydoniorum compoſita, oxymel ſcilliticum ſimplex & compoſitum, mel paſſulatum & emblicorum.

Syrupi frigidi: acetoſus ſimplex, acetoſitatis citrij & limonum, & aranciorum Syrupus de agreſta, granatorum, roſarum; violarum, endiuiæ, cichorei, oxyſaccharum, de iuiubis, de nymphæa, de papauere ſimplex, & compoſitus: myrtinus, de ſucco acetoſæ: Iulep roſatum & violatum, de ribes, de berberis.

Syrupi ferè moderati: de duabus radicibus, de quinque radicibus: acetoſus compoſitus, de pomis, de Byzantiis ſimplex, ſyrupus de mentha Meſues, oxyſaccharum compoſitum Nicolai; de boragine & bugloſſa, de lupulis: miua cydoniorum ſimplex, mel roſatum, oxymel ſimplex, & compoſitum.

Looch vel Linctus ferè temperiem habent: vt Looch ſanum & expertum, looch de pino, diaïris, looch de pulmone vulpis. Calet looch de ſcilla; & looch ad aſthma, looch de tuſſilagine, de praſſio, looch Antipatri, looch ex eruo, looch diapenidion, diahyſſopu, looch de carthamo.

Pſyllium. Friget looch de papauere, looch diatragacanthon frigidum, diacodion, looch de pſyllio.

Sed mira altercatio eſt apud grauiſſimos viros de pſyllij facultate; nam Galenus ſalubre eſſe affirmat, & ſecundo numero frigidum eſſe, cæteris moderatum. Paulus idem aſſerit. Dioſcorides inter venena retulit: in eius ſententiam iuit Auicenna, & piloſum corticem pſyllij horrido algore pernicioſum eſſe; at medullam à calore lethalem vim gerere aſſeruit. Meſue cum Auicenna cenſet, atque affirmat Ruffum corticis ſuperficiem ordine tertio frigidam & humidam poſuiſſe; verùm Dioſcoridem ſecundo numero illam frigidam aſſeruiſſe ſcribit: accedit autem Diſcoridi, motus auctoritate Hippocratis, Qui, inquit, ſcripſit toto naturæ domicilio, nullam rem madore frigido ſurgere vltra ſecundum numerum. Plinius frigere dicit, at de veneno illi ſilentium eſt: hic vir multa quæ nuſquam ſunt narrat; eorum quæ ſunt, tacet nihil: quare putandum venenum non eſſe. Matthiolus venenum eſſe cum Dioſcoride ſanctè affirmat. Manardus proferre ſuam ſententiam non audet; ſed dicit, ſi venenum gerat pſyllium, id non erit ex calore, vt Auicenna & Meſue putant, ſed ea frigore illam vim imprimet, Dioſcoridis ſententiâ. Fluctuantem videmus ſententiam de veneno, cùm hic calidum, ille frigidum aſſerat: quare venenum non eſſe, ſed ſaluberrimum medicamen affirmamus: Datur enim drachma puerulis, à ſatietate fatigatis, & quamuis dentibus attritum, innoxium deprehendimus. Galenus quoque ſecundo De antidotis, refert antidotum cui immittitur contuſum pſyllium: ſed alcairetùs nullum deleterium immittitur. Quare Galenus eius vim exactè cognouit: at fieri potuit quòd ad Auicennæ manus ſemen calamitoſa vi præditum inter pſyllij ſemina deuenerit, & hinc optimo pſyllio notam impreſſam fuiſſe. Ludit Meſue dum Hippocratem & Dioſcoridem graduum meminiſſe aſſerit.

Serum lactis. Serum Lactis, inſigne remedium in febribus ardentibus. Ratio parandi hæc eſt: Bulliat & ferueat, eſt enim flatuum plenum; ita quicquid caſeoſi craſſamenti habet ſubſidet. Separat ſe per oxymel, vel flores cynaræ, cnici ſemen, aut ficulneum lac, & per coagulum: Sed per oxymel, aut mel diu incorruptum perennat: Manipulus acetoſæ illi incoquitur, ad febrilem ſitim extinguendam.

Aqua frigida. Aquam refrigeratam & niuem potabant veteres. & aquam de niue rigentem in deliciis habebant. Perennabat illis nia toto anno foſſis condita, pannis paleiſque cincta, vt prodidit Plutarchus. Ægyptij, inquit Galenus, caldam noctu ventis exponebant, manè humi

depo

deponebant, frigidâ rigabant fictilia quibus aqua inerat, ac frigidis herbis obruebant. Alij in puteos vasa aquâ calente plena dimittebant. Nero calidam aquam in niue refrigerabat, ita voluptatem niuis absque niuis incommodo bibebat. Romæ decocta Neronis dicebatur hæc aqua: vnde Galenus 7. Methodi scripsit, hanc illi δεκόκταν vocant. *Est enim gratissima natura aqua*

Calidorum & compos. vis. *frigida, quam semper, inquit Plinius, bruta prosequũtur.*

Hæc itaque alteratio perficitur medicamentis simplicibus, vel compositis. Composita in quibus caloris emicat vis, amicitiâ quâdam cunctis partibus corporis adblandiuntur. cùm verò altiùs sese effert potentia frigoris, putredinem magis arcebunt. quæ verò remixta pharmaca humore madent, metum putredinis inferent: vt illa quæ siccitatis maiorem vim spirant, difficiliùs per corporis vias traducentur, & tardiùs vim suam in corpus effundent. Hippocrates eleganter descripsit potestates calidi & frigidi, lib. 5. Aphor. 22.

Calidi temperati vis. Calidum purificũ præclarè ad salutem apparet & facit: naturæ enim bonitatem, & materiæ integritatem significat: vt causa, quia omne suppuratum pepasmus est: & à pepasmo spes certa salutis ostenditur. *Cutim* quoque, inquit Hippocrates, *emollit*: quæ nempe aut siccitate, aut distentione, vel concretione obduruit: *& extenuat*, dissipando humores: *& dolorem sedandi vim habet*, rarefaciendo, vacuando. Quicquid habitus & temperamenti immutationem restituit, est anodynum. *Et mitigat calidum rigores*, qui fiunt ex suppressione excrementi illius, quod in cuiusque peculiari naturâ redundare consueuit: etenim si id exitu prohibeatur, putredine affectum, suæ congeneres naturæ parit morbos: hanc suppressionem resoluit calor. *Ita tetanos & spasmos, & cephalalgiam placat*: coquit enim, & resoluit acria & crassa, quin & flatus dissipat. *Sed mirandum est quantum cætera remedia antecellat calidum*, inquit Hippocrates, *ad ossium fracturas*, succum alibilem attrahendo, & callum generando: *& maximè si nudata sint ossa*, quia his frigidum inimicum, maximè in capite. *Et calidum labefactatis à frigore confert. Herpetibus exedentibus, sedi, pudendo, vtero*; τυπῖσι τὸ θερμὸν φίλιον, καὶ κρῖνον· τὸ δὲ ψυχρὸν πολέμιον, καὶ κτεῖνον, id est, *his calidum amicum, & dextri indicij: at frigidum, his bellum indixit, & calamitosum est.*

Frigidi nimij noxa. Frigidvm *autem*, inquit Hippocrates, *si quis eo inconsideratè vtatur, adfert conuulsiones*, cogendo, humores, & neruos contrahendo: *liuores, & partium denigrationes accersit*, intercepto vitali spiritu, extinctoque calore natiuo: *& rigores febriles*, suppressione illius fuliginis quæ emanare solebat.

Vnica pars vt alteranda. Alterandum itaque est vnicum membrum, vel multa. Si vnica pars aliâ temperie imbuenda fuerit, id ægrè fiet, ni proxima pars eâdem vi percellatur. Quare vt id commodè peragatur, partis situs erit perpendendus, motus & quies.

Situs, vt cum hepar æstu flagrat, dum ventriculus frigore alget: foris tum frigida vnguenta & epithemata adhibemus; at intus piperis integri aliquot grana. Quòd si habitus corporis morbo fatigetur,

Motv & frictione, data primùm remedia & hausta attrahimus & in peripheriam euocamus. quòd si in aluum vires exercere debent, quietem præscribimus, ne in habitum corporis medicamentum abducatur.

Plures. Sin plura membra fuerint alteranda, cautio de nobilibus visceribus magna esse debet, maximè de corde & hepate: Quæ enim partis nobilis intemperiem emẽdabunt, blandè viscerum substantiam ferientia, spirituśque eorum alterantia, calorem natiuum recreantia, ac humidum primigenium sint fouentia. Quænam his potentiis præclarè dotata fuere remedia, mox, vbi de alterantibus viscera agemus, enarrabimus.

CAPVT IV.

De succedaneis, & fermentatione alterantium.

Qvæ alterius loco venient, hæc illi respondere debent substantiâ, qualitate, quantitate, & proportione. Substantiâ, vt crassitie & tenuitate, leuitate, grauitate, raritate, densitate, lentore & friabilitate. *Substantiâ.* Nec exuta sit illa vis à medicamine, cuius potentiâ succedaneâ frui volumus: quod interdum fit ab aëre, regione, cæli vel soli naturâ, cuius intricatu fruitur, aut culturâ. Ita loco endiuiæ sonchum interdum accipimus, eadem tenuitate substantiæ; pro plantagine, portulacam; nam substantiæ crassitie mutuò respondent. Quòd si hæc ab aëre in aliam substantiæ moderationem abrepta fuerint, non vicem alternatim implebunt; vt si endiuia verno humore madida carpatur, sonchus autem æstiuis squaloribus reponatur. Ita nec thymus Italiæ, & hac natus regione, eadem vi decoratus fuit; longéque differunt daucus Cretensis, & Italiæ. Quin & soli ratio magno discrimine auxilia notat: ita montanæ herbæ ab Hippocrate expetitæ fuere, efficacia maiori etenim præstant cœnosis locis erumpentibus. Siderum quoque motu vari potentias suas herbæ variant; horæi fugacésque fructus sub ortu Vergiliarum suauissimi sunt, at bis occidentibus, non eandem integritatem obtinent. Quin & cultura à peculiari genio suo herbæ degenerant; agrestia aliam vim gerunt à cicuratis cultu: domestica cura quædam ferocem vim veneni (qua primùm effera erant) deponunt: ita persea præstans inquilinum venenum, translatione mitescit. Quare quæ aliorum loco in scenam medicam euocantur, non sint horum potentiâ immutata, sed succedaneam personam genuinè referant.

Qvalitas similis affectanda quoque est, in his, quæ aliorum loco succedunt: hæc elucet ex sapore, odore, colore, & tactu. *Qual.* Et in tertiis qualitatibus, quæ peculiares quosdam effectus edunt, vt vrinas ciendi, vomendi, purgandi, lac & semen suppeditandi, tum extinguendi. Qvantitas aut vis facultatis succedanei, eodem robore sit dotata: *Copia.* vt cùm succedaneum remedium quæritur eorum quæ tepent ordine primo, eligendum erit quod primo numero tepet, aut cuius non longè hinc aberrat vis.

Dein eam gerant inuicem sympathiam, vt nulla proprietate diuersa insignita sint; *Obseruatio.* vt endiuiæ, quæ sine offensa ventriculi bilem frenat, non aliud in locum pones, quod ventriculum fatigat, quale est solatrum, & cætera bilem domantia, attamen perniciosâ vi imbuta naturæque bellum indicentia. Argumento in his nobis sit Theriaca, in qua necessitas nos cogit ad aliena. *Theriaca succedanea.* Primò itaque sit eorum quæ alterius locum occupabunt, concors substantia, cum substantia eius, quod desideratur. Secundò, qualitatibus conueniant, primis, secundis, & tertiis. Tertiò, imponatur lachryma pro lachryma: *Eiusdem generis.* succus, loco succi: semen, semini succedat: radix, radici: flos, flori: pro opobalsamo, succus inferatur nucis myristicæ: loco carpobalsami, veniat nux myristica: vice xylobalsami, lignum aloës: pro costo, zedoariam accipiemus: pro Rha, reponemus rhabarbarum torrefactum: Mace, malabatri locum occupabit: ita caryophylli vel cubebæ accedent in sedem amomi. aspalathi vices implebit santalum citrinum. loco calami odorati inseremus acorum minorem, vel calamum aromaticum.

De Fermentatione Alterantium: Fermentantur ac velitationem subeunt quædam composita, vt nobiliorem vim induant: cùm qualitates simplicium, mutuò sese peruadentes miscentur. *In hac obseruandum*, vt ritè compositus sit aër ambiẽs, locus, ordo miscendi, & tempus. Nam in primis, mador resolui debet, qui alioqui facilè cœnum facit: nec nimio calore æstuantia, cætera præcellere debent: vt nec ea quæ frigore stricto algent: sed & sicca, modestè humectanda erunt. Quin vt vis ac potentia frigidorum fuerit, ita prolixè vel breuiter

erit fermentationi ſtudendum:ita theriaca diu ſubigi debet vi fermentationis,ob algidam vim opij.quare nouâ non remetè vtimur theriacâ;nam vis frigotis ab opio, nondum obtuſa vi fermentationis,lædit.

Diuina quædam vis fermentationi ineſt : liberant enim ſeſe huius vi è cotporibus ſuis qualitates, liqueſcunt elementa, diuerſis viribus dum traiſciuntur : hinc varia ratione ſeſe iungunt potentiæ. Cùm itaque præcellentibus vitibus dotata fuerint iniecta remedia, pariet Fermentatio diuinam quandam facultatem in remedio, quæ euomit quicquid noxæ noo mixtis inerat, ac vi ſublimiorem ſenſibusque incompertam vim fragret remedium,efficit.

Quæstio. Verum non ſine ratione ambigere quis poſſit, num in cuiuſque morbi curatione, feliciùs ſanitatem reuocemus,multorum remediorum temixtione, quàm ſimplici impermixtoque medicamine. Vetus enim Empiria putabat,in tanta Compoſitorum congerie.ſæpe aliquid ingeri proprij remedij,quod,cum motbo dum pugnat, & parti affectæ cùm ſtudet, perpetnò ſuam actionem felicitet. *Reſpondemus*,ſi non ob aliam cauſam, quàm vt frigida calfaciamus,calida refrigeremus, ſicca madore imbuamus,humida ſiccitate ſtabiliamus, præſeribenda veniant:vel vt dura molleſcant, lenta inciſione miteſcant,craſſa tenuentur,viſcida abſtergeantur, profectò paucorum remediorum potentiâ opus erit,nec fermentationis decor neceſſarius. Quod verè ſcripſit Villanouanus, *Qui poteſt mederi ſimplicibus, doloſe aut fruſtra quærit compoſita.* Quòd ſi remotior, magiſque abdita facultas indenda ſit remediis,hic fermentatio vtilis erit. Sed cùm ſenſibus humanis incompertus ſit modus & idea fermenti;obſcura atque anceps,imò incerta erit illa forma, quæ ex vatiis rebus mixtis ſurget.

Reiectio compoſitorum. Quare rerum vatiarum farciminatio, nec ſatis tuta eſt & incerta earum potentia, & non niſi vſo vario ſeſe in lucem proferens:tacitis enim viribus quædam diſſentiunt, quamuis non iuncta eoſdem effectus proferant;iuncta tamen ſeſe peruertunt. Nec enim lacti melliue mixtum vinum maluaticum,eandem ſuauitatem refert:ita nec quæ cum morbis pugnant, eandem potentiam à mixtione præſtant:quamuis alioqui remedia quæ nuper mixta fuere,priſtinas exerceant vires,nondum vi fermenti debellata atque edomita : quare & natura ſagax,facilè ex his quæque propriis aptat affectibus. Verùm cùm quæque ſeſe mutuò peruaſere fermentationis vi,nulla naturæ tam valida vis in nobis eſfloreſcit, quæ ſemel ita commiſſa diuellere poſſet : ſed noua quædam idea,ex illorum concurſu nata,ſeſe exerit. Hæc autem recens enata vis, quam poteſtatem exercere poſſet in noſtrum corpus.ſolus vſus aperit;quamuis alioqui facultas num adſit humectandi,arefaciendi, refrigerandi, indurandi,incidendi,loquantur rerum iniectarum qualitates : at noua illa forma, ex obſcura & abditâ vi rerum mixtarum orta,eſt rationi imperuia.

Occulta & manifeſta præpar. Quare exiſtimamus,remedia quæ præparandi & alterandi vim gerunt,ea eſſe vel occulta,vel manifeſta vi prædita:occulta,vt antidota,quæ noua & inaudita morborum genera curant; ita Crateri antiqui medici ſeruum viperæ eſus curauit, cùm(vt refert Petrus Victorius, in Lectionibus ſuis, ex Porphyrio)caro tota eius ab oſſibus abiret;cumque cætera remedia nihil opis attuliſſent,periculo inoenta vita fuit, cùm à vipera mors quæreretur. Ita vipera ſubmerſa vino, ſanitatem Elephantico attulit, teſte Galeno. *Miranda hiſtoria.*

Manifeſta verò qualitate quæ ſuccos alterant,ac purgationi parant,id ea ratione peragunt, qua apte materiam morbificam ad excluſionem excoluſint:Nam craſſam attenuant,viſcidam incidunt,ac lentam abſtergent: tenuem incoctam craſſitie afflant Sed & materiam crudiorem coquunt,vt bona à contaminata auellatur:quare tenuis morbifica materia,erit coquenda,modò cruda *Coquenda tenuis materia.* fuerit, vt tantum formæ ſortiatur decus, quantum vi coctionis induere poſſet:ita enim feliciùs, boniſque ægrorum rebus naturæ expellenti cedet. Cum coctioni ſtudemus, vtimut decoctis,ſyrupis, & magna remediorum varietate, quò his ſubſidiis calidi natiui viuida vis emicet;& calor,naturæ qui bellum indixit, frangatur. Quare perpetuò ad materiam erit collimandum, quænam ſit illa materies moderanda ac coquenda, & quanam temperie totum corpus ſit præditum:vt ſi materia morbifica fuerit frigida & craſſa,attenuãtibus vtemur decoctis & calidis:nam quinti Aphoriſmorum ſeptuageſimo, proditum fuit,pituitam à febrili calore coqui. Præparamus itaque vt materia non ſit contumax ad maturationem.: quare præparatio præcedet coctionem;naturæ quadam id fiet æmulatione,quæ cùm verſura eſt chylum in ſanguinem,primò ſuccum hunc præparat in ventriculo, ac quaſi in æquabilem madorem cibum eliquat, quò calor æqualiter agat in omnes partes. Hac præparationis velitatione materia fiet naturæ coquenti obediens,ne ſuccedente pharmaco,fiat via vi. ſed vt morbifica materia,pharmaco trahenti,& naturæ expellenti cedat. *Coctio & præparatio.*

CAPVT V.

De Corroborantibus & Alterantibus principes corporis humani partes.

CORroborantia *ea ſunt quæ parti alicui ab omni illuuie iam expurgata vim atque naturam reſtituunt,priſtinaque reddunt valetudini.* Verè dicebat Celſus,*rarò quiſquam non aliquam partem corporis imbecillam habet.* Partes corporis, aut ſunt ſimilares, vel organicæ,quas,labefactatæ cũ fuerint,roboramus:hoc fit, cùm ad antiquam temperiem eas reducimus, medicamentis intus & foris aptè adhibitis. Cum fœda humorum(quæ morbum faciebat) eluuies iam cocta, pharmaco trahente excuſſa fuit, pars morbo tamen labefactata, ne ſuccreſcente nouâ cacochymiâ (cùm nec ritè alimentum conficere hactenus potuerit) reſtibili fœcunditate nouum morbum inuehat,roborari debet. Curandum in his eſt ſumme, vbi diuerſæ intemperies negotium faciunt,ne dum vni prodeſſe cupimus, alias partes damnis augeamus : vt ſi æſtu flagrarit vterus, at frigore languorem ceperit ventriculus, temperatis vtemur,quibus perindeac tepida addita gelidæ,frigoris exceſſus remittatur. Alioqui ſi hæc non aſtu prouidentur, vt ait ille apud Comicum,aut hunc aut illum peſſundabunt:nec quid agas certum eſt,hunccne adiutes, an auſcultes illi:ſi illum relinquis,eius vitæ timeas : ſin opituleris,huius minas,cui remediari difficile eſt. *Cùm duo ſunt.*

Robur autem partis per calidum natiuum eſt. hoc itaque ne tenues diſſipetur in auras,ideo ſtringentia remiſcemus præſidia : quin nec ita pars excrementorum illuuiem ſuſcipiet.

Cor alterantia:& qualia ea eſſe debeant:& indicationes, ex eius præſtantia ducta.

Cor. Quæ præſcribuntur ad Cordis flectendã intemperiem,ea nec feruido æſtu incandeſcere debent, nec à rigido algore torpeſcere : verùm genuina quadam moderatione ac temperie, parti huic principi adblandiri debent:quin & putredinem arcere, recreare ſpiritus vitales,ac tenuem calorem cordis excitare, & eius veluti ἔκλαμψιν prouocare. Sanguinem eiuſque ichorem ſuggerere debent benignum,hæc dico medicamina, quæ cordi alterando dicanda erunt;quin & facilem ſpirationem ac expirationem conciliare debent. Cor alterantia remedia,tanta moderatione inſignita ſint, vt & iis pro nutricatu vtatur natura, & ex his ſpirituum limpidiſſimorum

ſimorum copia ſuccreſcat. Aut hæc auxilia talia ſint, quæ tota vi naturæ cordi ſuam operam dicarunt:non à temperie profecta facultate, ſed ex abdita vi,ſenſibuſque omnino incomperta: aut quæ aperta vi ſuccum melancholicum coquunt,idque modico calore,& quaſi naturæ æmulo.

Indicatoris Præmiſſarum Indicationum,& eorum quæ de Corroborantibus cor mox narrabimus. Deus optimus maximus, Cordis fabricam miranda ſapientia abſoluit: Huius ſiniſtræ parti ſinum ampliſſimum inſculpſit,in quo,tanquam in publica quadam officina, ſpiritus vitales conderentur: vt inde his vehiculis, veluti è promptuario quodam animo vires emiſſæ, vitali vigore totam corporis œconomiam rigarent;vtque ab his, qui ſopitus iacebat in ſingulis membris calor excitatus vitali vi,ea animaret. Hi vitalis toboris ſatellites ſpiritus,ſanguinis totius tenuiſſimam partem, vapidumque eius rorem,ſui originem agnoſcunt,tantò ſanguine tenuiores ipſi, quantò reliquum corpus denſius compactiuſque ſanguine concreuit. Qui ſpiritus, cùm exactè elaborantur in corde,amœnam quandam ideam,& cæleſtis blandique caloris æmulam ferunt, lumine quodam vitali perfuſi,gaudij, mœroris, iræ, ac timoris auctores.Hine Indicatio illa enata fuit curatrix, quòd medicamina cordi ſtudentia, ſpiritus tecreſre debent, ac ſanguine benignum ſuggerere. Cùm enim ſpiritus ille ſuo decore fulget, ac pandit ſe toto corporis theatro, cuncta gaudio quodam perfundit, humanamque mentem in lætitiam exporrigit.Hæc cauſa eſt cur ab aſſumpto lapide Bezaar, mens in repentinam ſeſe laxet lætitiam. Quare ſtudendum erit,vt eius ſanguinis copia diletur corpus, ex qua ſurgant ſpiritus elegantiſſimi temperie,ac ſplendore micantes. Cùm enim acciſa ſpirituũ vbertate langueſcit cor,aut eorum cùm temperies labefactatur, cumque non eadem tenuitate ſplendeſcuot, ſed vaſta quadam craſſitie reſtagnarint, nimiáve tenuitate ſeſe pandere ſi nequeant,ſed potiùs vaneſcant,aut tenebris ſeſe implicent,cuncta iam tum in triſtem mœrorem abripiuntur. Vt enim ſulphur facillimè flammam concipit, ita vel minimo momento ſpiritus lætitia & mœrore perfunditur.Hine ex vino optimo vis ineſt,qua in præſens gaudium abtipit hominem: etenim ſpiritus gignit moderatos temperie, & conſiſtentia mediocres, humore moderato perfuſos.Hinc enim & pueri inſgaudia præcipites ſunt, ac ſplendidiſſimo lumine emicantes. Quod ſuauiſſimus Anacreon, vino ſuauitet tinctus, in ſe vſu comperit, cùm ait:

Cordis fabrica.

Spiritus cordis.

Vini vis.

Ο'τ' ἐγὼ πίω τὸν οἶνον,
Α'πὸ πάνπαι μέριμναι
Πολυφρόντιδες τε βουλαὶ
Ε'ς ἀνλίους ἀήτας. hoc eſt:
Vbi ſuane poto vinum,
Subitò moleſta cura &
Operoſa conſili vis
Rapidas eunt in auras.

Cordis remedia, qualia. Quare ex natura cordis, eiúſq; ſpirituum,& ſanguinis, elucet;ea remedia,quæ adminiculo cordi futura ſunt,in ſigni vi dotata eſſe debere,qua vitalem eorum potentiã firmare poſſent,atque craſſiores ſpiritus rarefacere. Robur autem ſpiritibus afflatur, ex moderata eorum temperie,& ſi promiſſio babeatur,vt copia eorum affluat,& ſi qui eshauſti fuetint,reſarciantur: & ne ſi copia eorum adſit, nimium reſoluantur.

Spir. copia. Vberrimam ſpirituum copiàm ſufficit facilis cordis motus: quo, cùm dilatatur, prolectat nutrimenti ampliſſimam vim; eumque pectus, ac pulmonum fiſtuloſa ſubſtantia plurimum adminiculi cordis motui afferant, ſtupendum, vt expeditus eorum quoque motus ſit, ac vberrimus allapſus aëtis ad cor;ac eiuſdem vt procedat expectoratio.

Lætitia vis. Rari verò reddantur ſpiritus, ex motu, & ex eorum expanſione. Quare nullum remedium æquè robur ac tenuitatem ſpiritibus addere poteſt, ac ſolemnis quædam lætitia. Etenim vt id, quod algore ſæpe rigeſcit, tandem frigus inexpugnabile imbibit: ita & qui lætitia ſæpe circumfluit, lætiorem naturam induit.

Sanguis quoque exuberans clatus, calore mediocri transfuſus,in plurimos limpidiſſimos ſpiritus ſeſe effundit,ac quaſi in illos eliqueſcit; ac gaudij & venuſtioris lætitiæ auctor eſt. Rationi itaque conſentaneum erit,vt procuremus, ne ſit ſanguis aquoſus, nec turbido craſſamento fœdatus; etenim in ſplendore & diaphano, ſeu claritate modico calore perfuſã,habitat gaudium.

Quare ex his ſymbolis rationum, oritur Indicatio, vt his talibus potentiis ornatis alimentis foueamus ſpiritus: indicio eſt vinum,& ea quæ delectant grato dulcore ac odore,qualia ſunt aromata ſuauiora.

Quòd ſi accerſendum fuerit ſpiritibus Lumen, margaritas præſcribemus;nam luce quadam viuidâ præcellunt:hinc olim tantus earum cenſus.Vnio quem Seruilia à Cæſare accepit, ſexagies ſeſtertium æſtimatus,hoc eſt,centum quinquaginta millibus aureorum. Quin Veneri genitrici Cæſar vnionem dicauit, auctore Suetonio. Cleopatræ vnio centies ſeſtertiùm fuit æſtimatus: quod precium Budæo æquipollet aureis ſolatis ducenties quinquagies mille.& Lampridius narrat vxori Alexandri Seueri donatum eſſe vnionem ingentis precij. dos horum in candore & figura. Solino vnio dictus, quia voa inſignis tantùm oſtreis ineſt.

Lucida.

Margarita.

Margarita antiquo aut precioſa.

Præſcribimus & corallorum ſubſtantias, vt & ſericum: ea nempe vi prædita, qua ſpirituum madorem abſorbent, eorúmve quòd exhauſtionem ſua ſiccitate coërcent.

Quin & nimis tenuis ſpiritus ſi euaneſcat,indeq; ab exhauſto frigeſcat,quæ congregant ac colligunt, glutinant & quaſi conſtringunt ſpiritus, remedio erunt: quales ſunt myrobalani, ehebulæ conditæ, carabe, & quoque corallum.

Eucraſiam ſtabilientia. Quòd ſi nil niſi temperamenti eucraſia deſideretur, vt frigus moleſtum ſit,doronicum remedio erit: ſi calor in vitio fuerit,hunc expugnabit caphura, & aqua roſata.ſin turbidus ac melancholicus vapor turbet ſpiritus; io vſum euocsbimus quæ hoc inquinamentum à ſpiritibus abſtergent: qualia ſunt bugloſſum, bezaar lapis, meliſſa.

Occulta. Sunt & quædam quæ Tota ſubſtantia abdita lætiores ſpiritus reddunt: vt rubinus,ſapphytus,hyacinthus citrinus.quædam tamen & apetta vi, & occulta potentia remixtis,iuuant; vt muſcus, ambra:his enim & aroma, & incompertior vis adeſt. Ita remiſcemus ſuccum pomorum redolentium (matiana vocant) cum ambra & moſco, vbi frigus moleſtum eſt. *Nam quæ vim alimentariam habent, ea profectant vehementius partes nutritioni dicata; & nutrimentum gratius fit aromate.* Aroma autem ſubtile eſt, vapidum & fumoſum: at dulcor in ſubſtantia reſedit craſſiore: hine aromata nutritioni ſpirituum magis ſunt accommodata: verùm dulcia,corpori nutriendo. Hæc cauſa fuit quòd cordi dicata remedia plus aromatum poſtulent, quàm dulcoris: at hepati ſtudentia plus dulcedinis quam aromatis efflagitant: quamuis exiguum aroma non abnuant: etenim hoc, officina eſt nutritionis;at iſtud, ſpirituum.

Aromata & dulcia.

Cur aromatica cordis, dulcia hepati vtilia.

Cautio.

Diuret. & ſudor. Vbi ex craſſo ſanguine laborat cor,à diureticis & ſudorificis erit abſtinendum. Nam hæc exhauriuot ſerum ſanguinis,illumque craſſiorem relinquunt, ac in mœrorem promptum. Verùm ſi cordis debilitas adſuerit à ſanguine tenui & aquoſo, hæc iam tum mirum in modum proderunt.

Flatul. Flatulenta cordi ſunt inimica; nam inde ſpiritus afflati vapotibus fœdantur,hinc illi teneb reſcunt, cordis frangunt vim, ac mœrorem inferunt.

Nota. Id ſummè notandum, vt cùm vſum inimus rerum ſiccarum

ſiccarum & adſtringentium, adiiciamus quid, quod penetrandi vi valet: vt cum vtimur ſuccino, vel terra lẽnia.

Qua cor alterabunt.

Citria.

Sint Qualitate temperata: vt iuſcula carnium moderatarum, iuſcula cocta cum ſeminibus citriorum. ſcribit Athenæus mirâ vi venenis reſiſtere hoc pomum, ac eleganti hiſtoria fidem fecit. Cùm princeps quidam Ægyptius maleficos duos condemnaſſet, eoſque aſpidibus in prædam exponendos dixiſſet: ij fortè citrium in itinere comederunt; quod caupona quędam illis obiecerat. Mox dum in theatrum deſcendiſſent, ac à ferociſſimis feris demorſi eſſent, nihil noxæ ſenſerunt. Præfectus à ſatellitibus percunctari cœpit, num antidotum præſumſiſſent. Reſpondentibus citrium, poſtridie iuſſit vni præberi, alteri verò denegari. Quo facto, iterum demorſi: qui comederat, nihil iniuriæ ſenſit: alter, læſus vndique, liuore deformatus confeſtim interiit. Theopompus Chius ſcripſit, Clearchum Heracleotam, Ponti tyrannum multos veneno ſuſtuliſſe, pluresque necare voluiſſe, niſi citrij vis à populo cognita, venenis reſtitiſſet. Non mandebatur hoc malum Theophraſti ætate, ſed ne Plutarchi quidem auorum memoriâ. Parthorum proceres grana eorum eſculentis incoquebãt, commendandi halitus cauſa.

Vinum moderata quoque temperie cor alterat, modò nullum caniculæ æſtuantis empyreuma ſpiret.

Syrupus boraginis, & bugloſſi: nam cum quodam madore calent, vt & ſyrupus de pomis temperatis, & ex citreis malis. Talis eſt & Antidotus analeptica, à Fernelio deſcripta libro eius Methodi 7. iulep violatum, craſſa conſiſtentia, & limpido ſplendore illuſtre, vt ſit hydrophorum.

Margar.

Manus Chriſti perlata: margaritas enim accipit, quæ cœleſti quodam ſplendore, ſuam ab elementari contagione vim liberam indigitant.

Aranciorum mediocri acore temperatorum caro, ſaccharo adiecto contuſa, ac æſtiuis ſolibus cocta.

Syrupus meliſſæ mirâ vi excellit, vapores fœdos abſterget à ſpiritibus cordis: ſcripſit de *meliſſa* Abincenna *recreari ſpiritus ab eius odore; ac vi ſtricta roborari ab ea viſcera; & leptomeria, omnia peruadere.*

Prohibentia putredinem eſſe quoq; debent quæ cor alterabunt: talia ſunt ſubamara, quæ aperiendi vi prædita ſunt, quale eſt ſemen citriorum malorum, zedoaria, & moderatè pleraque calentia. Quin & conſerua acredinis citriorum putredini reſiſtit: quemadmodum & hæc ſequentia, acetoſa, borago, cichorium, meliſſa, betonica, ſcabioſa, pimpinella: Quæ ex margaritis & gemmis componuntur, & corallo, manus Chriſti.

Carduus benedict.

Cardus benedictus infarctus expedit, ac ſudore omnem putredinis vim eiicit: nam putredo ſoboles obſtructionis eſt, hinc enim omnia putrent, & ſerum ſanguinis, flatulentum inde concipit ſpiritum, ac calorem pręter naturam, hinc turbatur ſanguis, ac putridæ febres fiunt.

Ariſtolochia. & pilulæ Fernelij de Ariſtolochia, & Theriaca, Mithridatium, Electarium ad Peſtilentiam, quale illud eſt quod deſcribit Andernacus commentario. ſecundo De noua & veteri medicina, Dialogo 7. vbi De corroborantibus electariis; folio quingenteſimo ſeptuageſimo quinto. crocum, myrrha, mentha aquatilis.

Accipe meliſſophyllum; contere, ac incoque aquæ cardui benedicti: cola, adde ſyrupum violatum, ac olei vitrioli parum: id & gratum erit palato remedium.

Accipe conſeruæ acetoſæ drachmas ſex: ſeminum citreorum pulueriſatorum drachmam: ſuperbibat ſyrupum. Interdum ſcriptulum margaritarum conſeruæ addimus, vel tormentillæ, aut pentaphylli: nam non ita calent.

Calorem cordis recreare debent quoque ea, quæ tutò cor alterabunt. Talia ſunt aërea, quæ calorem tenuem & euaporabilem ſortita fuere; vt crocum, moſcus, ſtyrax, beniouinum, caſtoreum, roſmarinum, cortices citri conditi, meliſſa, maiorana, dictamus, iuniperi baccæ, doronicũ, carduus benedictus, angelica, myrtus, ſtœchas, radix pimpinellæ, maiorana, aromata, caryophyllum, cinnamomum, lauendulę flores. *Et Ambra*, quę calet & ſiccat ſecundo ordine, & viſcoſæ denſitatis quid obtinet: attamen vehementer roborat cor, ac lætius illud reddit; cunctos ſpiritus recreat, & moſcum temperie ſuperat; nam ſubtili craſſamento excellit. Confectio lætificans Raſis, ab eo deſcripta libro nono ad Almanſorem, capite De Melancholia, accipit meliſſam, *Quare* inquit, *animi hilaritatem, coloris amænitatem ac iucunditatem, bonamque coctionem creat, & caniciem retardat.* Ambra.

Meliſſa.

Id notandum, Raſem miſcere tribus partibus mellis, vnam pulnerum: at pragmatici vix duodenam iam partem pulnerum ſaccharo committunt. Notandum.

Confectio alkermes, conſerua anthos, electarium pleres archôn; hoc animi mœrore preſſos mirè recreat, & longo morbo exhauſtos inſtaurat. Electarium exhilarans Galeni, & Aromaticum roſatum.

Coquitur capo dum ab oſſibus cedat, dein cum iuris libris quatuor contuſus inditur alembico, adduntur conſeruæ ad ſemilibram: cum ſpeciebus ſimplicibus & compoſitis, & aquis diſtillatis, ſeminibus, & interdum radicibus cum mica panis infuſa vino diſtillatur: huius ſemilibra cum ſacchari vnciis tribus, & cinnamomi drachma traducitur per manicam Hippocratis. Inſtaurans.

Spiritus etiam alere debent, quæ cor alterabunt: talia ſunt quæ citò alunt, vt aqua vitæ eliquata ex vino Rhenenſi: illa enim mitior eſt, nec adeò flagrat æſtu: etenim ex ſedecim partibus huius vini, vna aquæ vitæ elicitur diſtillatione; at ex Gallici, octo. Aqua vitæ ex vino Rhenenſi & Gallico.

Si cinnamomi craſſius contuſi pulueres, addito pauxillo nucis myriſticæ & zinziberis, aquæ vitæ immittantur, paucis diebus totum pulnerum aroma prolectabit aqua vitæ: mirum eſt, quàm citò reuocent vires guttæ aliquot huius aquæ, ex vino hauſtæ. Elegans.

Confectio alkermes ſpiritus melancholicos à corde profligat, & craſſos attenuat. accipe confectionis alkermes ſemunciam, conſeruæ radicum bugloſſi vnciam, conſeruæ florum roriſmarini ſemunciam, pulueris diamargariti frigidi, drachmam: cum ſyrupo de pomis redolentibus, fiat opiatum: hoc hilaritatem parit. Alkermen.

Conſerua bugloſſi ſpiritus temperat, gignit & fouet. Bugloſſ.

Labis Bezaar, inſperatam quandam lætitiã ſubitò affundit, eo ipſo die quo fuerit hauſtus. Conſeruæ roſatæ, vel violatæ adde guttas aliquot olei cinnamomi, vel caryophyllorum. Bezaar.

Aqua cinnamomi cum ſaccharo albiſſimo in zulapium excocta.

Sanguinem & ichorim præbeant etiam benignum, quæ cor tutò alterabunt: Talia ſunt aërea, calori modeſto ſociata. Qualia ſunt paſſulæ, ficus, dactyli, vitelli ouorum, cum vino, iuſculo carnis & ſaccharo. Inſtaurantia.

Vel illud quod noſtri ouum Lombardicum vocant: quod hoc modo paratur: Accipe vini & aquæ partes æquales, aquæ roſatæ cochlearij copiam, vitellos ouorum duos, ſacchari quod ſatis eſt, & parum cinnamomi. Lombardicum ouum.

Coquitur muſculoſa albaque pulpa caponum, ex aqua roſata, quæ ſaccharo infuſo dulceſcit; ſub finem coctionis, cinnamomi tenuiſſimus puluis affunditur: finguntur fruſta dura, quaſi ſcybala; quæ palato mira Venere blandiuntur. Pulpa caponum.

Vapido balneo elicitur liquor ex carne caponis, cum pauco cinnamomo & aranciorum ſucco.

Laudantur aues pingues montanæ, turtures, perdices, teſtudinum nemoralium caro; lac, & eius pinguior pars, & pulli cum herbis alterati.

Panis marſicus. pulpamenti capi, perdicis, vtriuſque vncias tres; pulueris Diarrhodonis abbatis, Diamargariti frigidi, ſingulorum ſcriptulum: pinearum contuſarum, & aqua roſata maceratarum, drachmam: ſacchari aqua Panis Marſicus.

aqua roſata & boraginis diluti, quod ſatis ſit; fiat placenta.

Congelatum. Congelatum. Capus in minutas partes ſcinditur, cum pauca carne vitulina; ex aqua & vino coquitur, dum ab oſſibus cedat caro; colo traducitur ius: pinguedo teſtagnaus abſtergetur, & iterum coquitur, & tribus libris iuris vna ſacchari additur, & cinnamomi vncia. Sacchato diluto iniiciuntur albumina duo ouorum ritè concuſſa, ac parum ſimul coquuntur, mox colantur quinquies vel ſexies iuxta ignem.

Spirationem & Exſpirationem promouentia. Talia ſunt aëria; vt pulpa iuiubarum, & ſebeſten, violæ, diaïris, vinum paſſulatum, ſaccharum cryſtallinum. Sint cuncta talia, quæ, moderatâ temperie prædita, pectori ſtudent. Hæc ſcripta à nobis ſunt in ea ſerie remediorum, vbi De corroborantibus pectus. ſint natura ita comparata, vtpote quæ leni quodam madore pulmones rigant, ac expectoratum promouent. Reſpirat enim maximè cor per pulmonum poros: quibus infarctu obſeſſis, libera ſpiratio coërcetur. Quia de his in ſequentibus, ſuperſedeo.

Sed illud obſeruabile, cardiaca duo poſtulare; vt agãt, & vt citra noxam agant. vt agant, opus eſt narcoticis; & meabilibus, quæ viam aperiant. Narcoticis, quo non euaneſcat vis cordialium: ideò veteres opium importarunt cardiacis. Sed his non vtendum antequam tres vel quinque menſes fermentata fuerint. Adduntur & leptomeria inſignia, quæ & flatus exiguunt, & craſſiora cordialia remedia attenuant. Si calore æſtuant cardiaca; ſyrupo de pomis corrigantur: nam occulta vis correctionis non eget.

COR ALTERANTIA CALIDVM, & *illud* ROBORANTIA.

INTVA *hæc propinantur:*

Vnicornu. Vnicornis cornu, cum ſucco citriorum malorum exhibitum: quod veneni vim frangere exiſtimatur à vulgo.
Cornu Aſini Indici tantũ r-ſiſtit veneno. Sunt autem quatuor animalia quæ vnum cornu gerunt, *Rhinoceros, Aſinus Indicus, Oryx* apud Ariſtotelem, & *Vnicornis.* De nullius autem cornu ab antiquis proditum fuit, venenis reſiſtere, quàm de Aſini Indici cornu, ab Æliano.

Viola. Iulep violatum, mira amœnitate refrigerat: viola enim cordis tædia depellit, contracta ab aduſta bile: eſt enim mollis viola & aquea. Iulep roſarum, quod cryſtalli more ſplendet: eius componendi rationem explicauimus libro primo: horum alioqui loco erit ſyrupus violatus & roſatus.

Ita & bugloſſum & borago in diuturnis morbis conferunt: nam vel continuus eorum vſus non lædit. citriorum ſuccus, & aranciorum. vinum granatorum, acetoſa, trifolium acetoſum. nymphæa; nam arcent fumos turbidos à ſpiritibus cordis: Nymphææ frigus temperatur croco, vel cinnamomo. Margaritæ cor roborant ob ſplendorem; meliſſa viridis, ſantala alba, cornu cerui vſtum, ſetum vſtum, lactucæ ſemen, portulacæ, acetoſæ: coriandrum friget in ſecundo ordine, & ſiccat in tertio, ſpiritus denſando roborat: cucurbitæ ſemen.

Roſa non validè mixtas qualitates gerit, ſed facilè ſeparabiles: eſt frigida in ſecundo ordine, & calida in primo: lenit & humectat, & ſiccat (auctore Auicenna de viribus cordis, tractatu ſecundo, vbi de roſa. at Galenus tertij ſimplicium nono & decimo. hanc frigidam in primo ponit. Auicenna lib. 2. tract. 2. cap. 575. Hanc conſtare dicit aquea & terrea ſubſtantia: Et, dicit, in aqueitate eſt caliditas, & eius ſiccitas in principio ſecundi. Fernelius 5. Method. c. 3. frigidam primo dicit, & ſiccam ſecundo. Et ſuccum pallidarum calidum primo ordine affirmat, & ſiccum primo. lib. Meth. 3. c. 9. Quare puto Auicẽnam de variis roſis loqui cum ita varias facultates vni roſæ aſſcribat:) cardiacæ calidæ confert.
Roſa. Cùm itaque tantas, ac tam amœnas vires Roſa ſpiret, non mirum eſt antiquitatem ſeſe in eius admirationem effudiſſe: quare & ipſis roſis ſuauior Anacreon, inquit,

Τὸ δὲ γὰρ θεῶν ἄημα,
Τὸ δὲ καὶ βροτῶν τι χάρμα,
Χάρισιν τ' ἄγαλμ' ἐν ὥραις
Πολυανθέων ἐρώτων.
Ἀφροδίσιόν τ' ἄθυρμα.
Τόδε καὶ νοσοῦσιν ἀρκεῖ.
Χαρίεν ῥόδον δὲ γῆρας,
Νεότητος ὄζον ὀδμήν. id eſt,
Roſa, flos odórque diuum,
Hominum roſa eſt voluptas.
Decus illa Gratiarum
Florente Amoris hora.
Roſa ſuauium Diones.
Quid plura? nónne multis
Medicina certa morbis?
Huius ſenecta ſuauem
Seruat iuuenta odorem.

Pauci profectò flores ſunt, qui æquè oculis, naribus, palato, & ſanitati ſtudent, ac Roſæ: quare fabulatur Anacreon, fulgentem illum ruborem, roſis afflatum fuiſſe; quòd Dij nectare eam aſperſerunt. Geoponicôn auctor libro vndecimo narrat, ſabulam celebrem fuiſſe, Cupidinem alis laſciuientem inter choreas Deorum, craterem nectaris plenum euertiſſe, ac iſtud in roſam effluxiſſe. illud vnum indigitant; ſeſe non poſſe eloqui diuinas Roſarum vires. Quare apud Achillem Tatium, ex oda Sapphus ſcribitur, ſi Iupiter vellet floribus imponere regem, Roſa inter flores regnum obtineret. Certè ſine Roſis, Medicina rarò Gratiis ſacrificaret.

Confert quoque cardiacis citriorum ac limonum aciditas, ſi ſaccharo aſpergatur, ac ſolibus æſtiuis coquatur: eſt frigida & ſicca tertio ordine: benè datur cum antidoto Alkermes.

Corallus frigidus eſt in primo numero & ſiccus in ſecundo: occulta vi firmat cor, & luce quadam ſpiritus rigat, & cum aſtrictione firmitatem præbet. *Coral.*

Caphura eſt frigida & ſicca in tertio ordine; ſpiritus roboret, ac ab exhauſto arcet: eius frigus miteſcit adiecta ambra, aut moſco, & ne obſit ariditas, affunditur oleum violarum: ſuo lumine ac tenui vi, traiicit ſpiritus ac lætitiam præbet. Hoc mirum, ſi cyathus aquæ in qua caphura, quanta nux auellana eſt, accenſa conflagrarit, exhibeatur cardiacis, ſtatim liberantur. *Caphura.*

Trochiſci quin etiam de caphura vapores arcent calidos: & cryſtallum, quod & lac auget: & emblicæ myrobalani, pyra, cancri fluuiatiles, tamarindi, qui cholericis conferunt, roſata nouella, diamargaritum frigidum, diamoſcum dulce, quod & contra aconitum præualet.

Spodium frigidum eſt in ſecundo: lumen afflat, ac ſtabile robur ſpiritibus adfert: frigidis datur cum croco. trochiſci etiam de ſpodio. *Aconiti remed.*

Accipe ſuccum de Ribes. coque cum aqua hordei & ſaccharo: grauiſſima eſt hæc potio, cùm Cor ab æſtu flagrante incanduit; & ſyrupus de ribes; ſuccus ceraſorum acidorum rubrorum, qui vini modo expreſſus, deferbuit, in annum aſſeruatur; lenit æſtus febriles. Ita paratur & ſuccus è Ribes. Syrupi acidi omnes, vt ex acore citriorum, limonum, aranciorum, granatorum; de ribes, de agreſta, ex acetoſa, aceto: omnem veneni vim, humoribus conceptam exhauriunt. Fiant hi ſyrupi ex malis maturis, ita citra adſtrictionem tenuando refrigerabunt: quod καλῶς fit in febribus peſtiferis, nam validè putredinem arcent. *Succi grati.* *Acida.* *Obſeru.*

Syrupus de cichorio compoſitus Nicolai Florentini deſcribitur in Antidotario Florentino. Sirupus Saporis de pomis, eodem in Antidotario deſcriptus, & pomorum odoratorum ſuccus, & cydoniorum malorum ſuccus, & ſyrupus è ſucco perſicorum malorum. Syrupus endiuiæ cum aqua violarum, in qua maceratum fuit corallum, margaritæ, & bolus. *E pomis.*

Iuſculum

Iusculum pullorum, alterat: um lactucâ, oxalide, linguæ ceruinæ aqua, & melissa: acetum, & manus Christi, species trium santalorum, antidotus Analeptica Fernelij, eius lib. 7. descripta.

Conserua. Paucæ sunt conseruæ frigidæ: iam in vsu sunt, rosarum, violarum, nymphææ: nam conseruæ boraginis & buglossi, vtrique causæ student, vt & cortica citri conditus.

Cautio. Si adsit tenuis humoris affluxus, his miscebimus diatragacanthum frigidum, vel santalorum, aut diarrhodon abbatis, elect. de gemmis sine speciebus: sin lentus humor fuerit expectorandus, miscemus quid diaïreos simplicis, & Salamonis, vel quid Diatragacanthi calidi.

Persica. Throchisci diarrhodon Nicolai. Persica condita: quæ quia cordis imaginem referunt, ab antiquis huic studere existimatum fuit. fit & syrupus de Persicis, & Armeniacis malis.

Pimpin. Vsu compertum est, pimpinellam solutam aquâ calidâ febrem continuam statim domare: lac acidum, & anguriæ aqua: pulli aceto & agrestâ conditi.

Psyl. Semen psyllij tota nocte aquæ infusum: quæ manè colabitur, & adiecto saccharo pota, intolerabilem calorem febrium placat; ac aluum eliquat.

Ad Venen. Malæ fœditati resistit hic Potus: Accipe syrupi de Byzantiis, oxysacchari, syrupi acredinis citriorum, cuiusque vnciã; mithridatij drachmã; caphuræ grana tria; aceti rosati vnciam; aquæ cardui benedicti, & acetosæ, cuiusque semilibram. Somnum inducens: Accipe confectionis alkermes scriptulum; diatragacanthi frigidi drachmam; aquæ violarum, buglossi, vel nymphææ, singulas sescuncias. Decoctum cordiale, descriptum in Antidotario Florentino: quod apud D. Plantinum excusum extat.

Iulep. Iulep fit ex succo buglossi, endiuiæ, succo pomorum. & aqua rosata, addita sacchari parte sexta: hæc suauiter coquuntur in spissitudinem. Iulep ex foliis melissæ, coctis in aqua rosata, dum vim acceperit melissæ vel succo buglossi inditur. Syrupus de agresta, violarum, nymphææ, rosarum simplex; ex aqua violarum, rosarum, nymphææ.

Condit. Conditum: Accipe conseruæ anthos, rosarum, boraginis, buglossi, capillorum Veneris, cuiusque drachmas duas: corticum citri conditorum sesquidrachmam; pulueris electarij pleres archôn, diarrhodonis abbatis, trium santalorum, singulorum semidrachmam; foliorum auri sex; sacchari quod sufficit, vt fiat Conditum; auro cooperiatur.

Elect. Electarium: Accipe pulueris electarij diamargariti frigidi, sesquidrachmam; margaritarum electarum, candidarum, puluerisat. in mortariu marmoreo (ne candorem deponant) cum pistillo ferreo scriptulum vnum: camphoræ grana duo: vel trochiscorum de caphura scriptulum, rad. dictamni, tormentillæ, corticũ citri, singulorum scriptulum; conseruatum buglos. nenuph. rosarum, vnius, aut omnium, ad copiam binarum aut ternarum drachmarum; sacchari albi dissoluti in aqua rosarum vel boraginis, quod satis fuerit, vt inde fiat electarium in tabulis: vel additis serapiis, fiat electarium liquidum.

Aliud: Accipe Diarrhodonis abbatis sine mosco drachmas tres; specierum trium santalorũ sesquidrachmam: conseruæ rosatæ, syrupi violati, cuiusque sescunciam: fiat electarium molle. Ita agebat Rases qui in sua confectione lætificante, tribus partibus mellis miscebat vnam partem puluerum.

Elegans. Elegans remedium in spirituum euanida vi: Accipe succorum densatorum acetosæ, endiuiæ, radicum quinquefolij, cuiusque vnciam; limaturæ auri scriptulos duos: caphuræ drachmam: serici crudi drachmas binas: seminis citri semunciam: conseruæ foliorum endiuiæ, acetosæ, singulas vncias: cum syrupo de acredine citriorum fiat electarium. Basin ponunt succi densati: gratiam addunt conseruæ. Datur à semidrachma ad semunciam: infrigidat numero primo, siccat secundo. constat ex meris cardiacis, seu spectes basin, adiuuantia, vel quæ gratiam adflant & formam.

In cordis rebus, ex remediis aridis fiunt Trochisci; at ex succis, sapa, vt granatorum, & cydoniorum, prunorum acidulorum. Vinum rhodites Ex his iam dictis rebus, variæ remediorum formæ confarciantur, quales libro primo descripsimus.

Notandum. *Mira quadam potentia inferre medicamentis videtur remedium stupefaciens*; cùm miscetur rebus illis quæ cordi dicatæ sunt. Etenim eo modo integras ac incorruptas suas vires, tandem in Cor effundunt; nam restibili quadam potentia, diu vires suas imprimunt, nec facilè euanescunt, vt opium, cardiacis remediis exceptum, ac cum his fermentatum Hæc de iis, quæ Intus assumpta cor recreant, ac alterant, dum calore languet.

FORIS.

Foris calidiori cordi student fomenta, ex rebus moderatione insigni refrigerantia, vt cuncta ex rosis comparata, aqua rosata, acetum rosatum, vnguentum rosaceum mixtum cum santalino, vel vnguento populneo, oleum rosatum: miscent violas & santala. Caphura & trochisci ex ea confecti. Vrticæ succus cum pauco vnguento populneo, arteriis illitus: vel eius folia, cum oleo violarum contusa, ac admota.

Epithemata ex aqua buglossi, boraginis, violarum, rosarum, nymphææ, cardui benedicti, melissæ, succo citrij: additur corallum, vel crystallum, aut puluis ad epithema, descriptus à Cordo, aut species diarrhodonis abbatis miscentur, vel diatrion santalorum species, aut diatragacanthi frigidi, cum pauco croco. *Epith.*

Sacculus fiat ex floribus, boraginis, buglossi, violarũ, rosarum, nymphææ. & foliis melissæ, cum flauedine malorum citriorum, aut aranciorum: irroretur vino & aquâ cardiacæ herbæ. Accipe pulueris diamargariti frigidi semunciam: florum boraginis, buglossi, nymphææ, cuiusque drachmas duas: caphuræ scriptulum: rasuræ panni coccinei quãtum sufficit ad excipiendum hunc puluerem: sindoni include, fiat sacculus ouali forma: qui modicè aqua rosata & buglossi irrigatur. *Saccul.*

Balneum: Accipe foliorum violarum, lactucæ, nymphææ, maluæ singulorum manipulos tres: foliorum salicis, vitis, florum chamæmelorum, meliloti, cuiusque manipulos duos: coque ex aqua, vt fiat balneum calidiusculum. *Baln.*

Cautio: præstat in refrigerando parum deficere, ob caloris necessitatem, cuius officio vita carere nequit. *Cautio.*

Cataplasma ex intybo, & foliis rubi.

Cor frigidum alterantia & corroborantia.

INTVS.

Calcant ita vt cinnamomum, & mace: sint dulcia odorata.

Theriaca, & Mithridatium: hæc, aperta abditaque vi manifestis occultisque cordis affectibus efficacissimè auailiantur. Abditam theriacæ vim, inquit Abincenna, diuina quadam vi afflatam esse, sapientissimis hominibus videtur: quòd fermentatione, in nobiliorem vim sese erigat, quàm orbis huius inferioris remedia asserere sibi audeant, aut possint. Nam si Theriacæ ac Mithridatij vis, ex inditis remediis surgeret, recentiores essent efficaciores: verùm tantum abest, vt vetustiores, viuidà vi, contumacissimos morbos debellent, ac deiiciant Decem annis, ex Arabum sententia, Theriacæ absoluitur fermentatio, Galeno ad Pisonem annis viginti. Verùm vt regio fuerit frigidior, ita prolixior ei fermentatio debetur. Quanquam fuerint apud Arabes, qui sex mensium miscella contenti fuerint: nos tamen omnia mistioni & fermentationi tribuimus, quod diuinam quandam vim in eis spirat. Verebantur olim imperiti medici, de insigni feruore theriacæ & mithridatij, nec semidrachmæ copiam præscribere audebant: sed tamen *Theriac.* *Imperitia de Ther. calore.*

opium

opium premit calidiorum æstum, adeò vt Theriaca non caleat, nisi ad finem secundi ordinis, & mithridatium infra aliquantulum ferueat. Quare cum homines moderatè habiti eorum vsum induunt decenter, nec nimis copiosè, sanitatem tuentur, & putredinis fœditatem eluunt, ac symptomaticos succorum motus refrenant, vires omnes erigunt, atque vitæ perennitatem conciliant. Accipe mithridatij drachmam : theriacæ semidrachmam : syrupi de corticibus citri, semunciam : aquæ melissæ, cardui benedicti, angelicæ cuiusque vncias tres : fiat haustus. hoc venenum etiam eluit.

Cautio tamen sit, ne ardoribus validis implicitis exhibeantur.

Theriaca vetus expandit cordis spiritus, ac impetum ad vehementiorem motum bis infert, ac ita debellat venenum, ac procul à corde ablegat, ne aditu dato, sese insinuet. Aqua theriacalis. Aurea Alexandrina.

Ambra. Ambra spiritus cunctos recreat, vapelli vim frangit, est & calida & sicca in secundo ordine, est viscosa & tenuis, superatque temperie muscum. eius siccitas diluitur oleo, & calor, camphora. frigidis naturis confert. ex vino pota ilico inebriat. Si vnà mador adsit, accipies zedoariæ, carabes, coralli rubri, macis, cinnamomi, cardamomi, caryophyllorum, radicum acori, cuiusque drachmam : margaritarum, stœchados, singulorum pugillum : tormentillæ, seminis basilici, spodij, piperis longi, singulorum scriptulum : mosci patum : sacchari quantum sufficit. fiat electuarium.

Moscus spiritus recreat, picrocholis inimicus est. mira illi amicitia est cum argento, quod semel eius odore imbutum, ægerrimè cum deponit.

Et frigus à corde arcent lignum aloës, Iuniperi grana, castoreum, zinziber conditum, zedoaria, spica, cyperus, mace, hæc calent & siccant ordine secundo, & tenuitate & attrictione valent. Præterea flores citriorũ conditi, & flores saluiæ cum rosis, conserua rorismarini, & maioranæ, conserua betonicæ, stœchados, hyssopi, serpilli, & florum lauendulæ. Sirupus boraginis, buglossæ, cum aqua melissæ vel inulæ.

Vinum. Vtimur & vino generoso anthosato, vino iuniperino, aqua vitæ & cinnamomi, syrupo corticum citriorum.

Citrium. Pomum citrium coquimus ex aqua rosata (nam eius cortex calidus est, & siccus in tertio) ad tabem vsque; vel ex aqua melissæ cum sacchato : damus cochlearis mensuram.

Benioinum, doronicum quod calidum est & siccum in secundo ordine : stœchas Arabicum absterget melancholiam. Oleum cinnamomi. Aurum est temperatum, ad calorem nutans : tota forma roborat cor proximè ab hyacintho.

Vina med. Vinum Hippocraticum, & vina medicata, maluaticum vinum, pyra & poma condita rebus calidis, vinum melissæ, & boraginis : nam mœrorem absterget, & læta obiicit somnia; syrupus melissæ hac vi etiam nobilis est. Ocimum caryophyllatum, citrij semen, angelica, florum limonum aqua, veronica; dictamnum leptomeria nobile, quare & pesti confert; tormentilla, galanga, rosmarinus; *carduus benedictus* aperit obstructa, estque pestiferis febribus dicatus : *scabiosa* virus ex centro corporis ad peripheriam euocat : caryophyllum spiritus restituit exhaustos, & eius confectio aromatica. Card. bened.

Crocum. Crocum quod experitur à Rasi, capite De palpitatione cordis Tubabeticum, calet in primo numero & siccat, vehementer dissoluit exhaustione, & astringit: præclaris dotatum viribus; nam robur insigne cordi adfert, ac spiritus mira vi stabilit, ac lætos reddit : quin & splendidissimo lumine honorem afflat, ac pandit spiritus contractos, iterumque diffusos nimium, contrahit. Nimius eius vsus funestus : antiqui dicebant, drachmas tres potas interficere. nam effundit vitales spiritus. caput mirum in modum inuadit eius vis. *hinc Homerus scripsit, crocum sub capite Iouis dormientis in Ida enatum fuisse.* leniter astringit, putredinem arcet. lauendulæ aqua potata, & arteriis apposita.

Ribes quin etiam nigrum, quod æmulum amomi esse videtur, & Angelica, cor frigidum recreant.

Agaricum inter cardiaca quoque recensetur : nam Dioscorides scripsit, id, venenorum antidotum esse, & ventriculum roborare, & internis omnibus vitiis conuenire : addit Mesue, quorum hyparxis in obstructione consistit; quare, inquit, Democritus iure vocauit Agaricum familiarem medicinam, cùm ad omnes corporis partes familiaritatẽ habeat. existimo hæc vera esse, modò aliis committatur remediis agaricum, quò suam leuitatem fermentatione frangat ac deponat. Est agaricum calidum in primo ordine, & siccum in secundo: tenui sua substantia aperit, & turbidos succos exhaurit, hinc lætius corpus ac vegetius reddit. Agaricum.

Ocimum est calidum & siccum in primo ordine, & excrementitiam quandam humiditatem habet cum flipticitate : hinc turbidum in sanguinem ac melancholicum promptum habetur, nam venas flatibus implet. Ocimum.

Cinnamomum calidum est in fine secundi gradus, & siccum in tertio : stringit & lætificat : aroma, & vis grata eius, calorem blandiorem reddunt : venena oppugnat eius aqua, imponitur etiam aquæ vitæ; guttulæ dantur cum vino, initio mensæ. Cinnam.

Melissa calet & siccat in secundo, mira vi lætitiam præbet, ac confirmat, grata cunctis visceribus : vapores melancholicos purgat à spiritibus, & à sanguine cordis; vino bene inditur. Melissa.

Citrij mali semen siccum est numero tertio; spiritus luce perfundit, ac firmat. Thus etiam cordi studet; calet recessu secundo, siccat in primo; vt & mumia, eadem temperie prædita, sed gratè densat spiritus, cùm viscida sit.

Nobile hoc : Accipe vini aroma redolentis libras duas: expone æstiuis solibus: adde hyssopi pugillos duos, stœchados, calaminthæ, serpilli, singulorum pugillum: cinnamomi drachmas duas : flauedinis abrasæ à citreis malis drachmam: anthoræ radicis sesquidrachmam: melissæ pugillos tres : poterit iungi angelica, caryophyllum. detur incunte pastu cyathus.

Succus Carnis balneo excoctus, dum in liquorem diffluat : nam eius colatura, genuina vis est carnis. Fit ex vitulina, arietinâ, hœdinâ, agninâ, aut ex auium carne : nam si euanidi nimia tenuitate sint spiritus, arietis iuuenis caro proderit : sin turbidi spiritus fuerint, aut copia accisi, tenerrimorum animalium succus erit accommodatior : vel capo coctus cum mace, hyssopo, serpillo, rosmarino. Carnis succus.

Olus ex boragine, fœniculo, melissâ.

Ouorum gallinæ vitelli, & phasianorum, & perdicum : quia promptè, ac sine multa eluuie excrementorum, talem proferunt sanguinem, quali maximè cor nutritur, tenuitate eximia ac splendore micantem: & ia ilicò à corde rapitur. *Vanum est quod vulgus ait*, oua validè calfacere: vidi cùm in Italia essem, doctissimos medicos ea assiduò præscribentes æstare mediâ, in temperamentis calidis natura & à febribus, nec nocuisse. Et Gal. lib. de Euchym. enumerat oua inter cibos symmetros: & 1. ad Glauc. concedit oua in tertiana exquisita, quæ ex ardentissimo nascitur succo. Oui vitellum in febribus ardentibus vtile.

Cibi in calorem aromatibus condiantur, & fœniculo, hyssopo, serpillo.

Præscribuntur hodie magna vtilitate electaria, vt diamargaritum calidum, diambra, diamoscum, puluis cardiacus Fernelij, Aromaticum rosatũ maius Gabrielis, diarrhodon abbatis, electariũ de Gemmis, confectio alkermes, diãthos, electariũ pleres archôn, diacalaminthũ aromaticũ nardinũ, aromaticũ muscatũ, electariũ Conciliatoris, Trochisci de ligno aloës, descripti in antidotario Florẽtino, cõfectio de cinnamomo. Si boni calor (vt

Diamoſci amari, quod mira vi frangit Aconiti virus) ſuſpectus fuerit: coquaotur cum ſucco pomorum, vel granatorum, aut cydoniorum: vt accipe Diamoſci & ſucci cuiuſque vnciam, coque ad ſpiſſitudinem: idem fieri poterit cum ſucco ribes, ceraſorum, vel citriorum: miſcetur autem ſuccorum vncia, pulnerum drachmæ. Diamoſci vtriuſque ʒ ij. ſacchari violati, ſyrupi de pomis & de acredine citreorum, cuiuſque vnciam: fiat Electarium; ſumat cochlearium hora vna ante cibum. Vel accipias alkermes ſcriptulum cum vino, vel cum aqua meliſſæ; id agat alternis diebus, horas duas ante cibum.

Syrupus endiuiæ compoſitus laudatur ad cordis intemperies. Radix Scorſoneræ, & ſuccus eius. veronicæ altilis flores conditi, vel macerati in decocto meliſſæ cùm fuerint, vtiliter Decoctū bibitur: vocāt Cytoſſilata.

Guttulæ quatuor vel quinque olei cinnamomi, vel nucis myriſticæ, aut caryophyllorum cum pauco vino: nam aromatica dulcia hic locum ſibi vendicant, vt etiam ſaccharum, mel, vinum dulce.

FORIS.

Cordi frigidiori foris ſtudent ſacculi, fomenta, epithemata dicta inunctiones ex beniouino, ſtyrace, ladano, gallia moſcata: thure: nam de eo ſcripſit Auicenna, fumum eius prodeſſe in peſte; ex floribus maioranæ. ſemine ocymi caryophyllati: lauri foliis, ligno aloës, caryophyllis, & aromatis, ſpeciebus lætificantibus, meliſſa, floribus lauendulæ, & horum eliquatis liquoribus, vt & aqua roriſmarini.

Epithemata. Epithema, aquæ meliſſæ. florum vel flauedinis arantiorum, bugloſſi vnciæ tres; aquæ ex foliis myrti, vnciæ duæ: vini Cretici vncia: pulueris diamargariti calidi drachma: trochiſci de caphura ſcriptulus.

Fomenta etiam fiant ex vino optimo albo, & odorato; vt accipe radicum bugloſſi vncias binas: ſpecierum lætificantis, diamoſci dulcis, cuiuſq; drachmas quatuor: florum cardui benedicti manipulos duos: ebulliant ſemel in vino maluatico: fiat expithema. Aliud: Accipe caryophyllorum, cinnamomi, cuiuſque binas drachmas oſſis de corde cerui, corticis citri, ligni aloës, ſingulorum drachmam: ſpecierum lætificantis Gal. drachmas duas: moſci, croci, cuiuſque grana tria; foliorum meliſſæ ſemimanipulum: vini odoriferi, vncias ſex: aquæ meliſſæ, cardui bened. maioranæ, bugloſſi, cuiuſque vncias tres, vel quatuor: miſce, fiat epithema, poſtquam infuſa fuere per duodecim horas, & expreſſa. & reſtibilis materia in ſacculum conſocietur, qui madeſcat ab infuſo, & calidus cordi imponatur. Vel fabricetur

Saccul. Sacculus odoratus; Accipe flauedinis corticum citriorum, radicum galangæ, cuiuſque ſeſquidrachmam: foliorum meliſſæ ſemimanipulum, florum boraginis, bugloſſi, ſtœchados, & roriſmarini, ſingulorum pugillus duos: electarij de gemmis, drachmam vnam: fiat Sacculus, qui vino maluatico rigetur.

Olea. Aromata cuncta conueniunt, moſcus; & Olea, vt nardinum verum, oleum cinnamomi, & aliorum aromatum, oleum macis. oleum florum maioranæ, oleum florum citrij mali, lauendulæ oleum. Abſinthium ex paſſo decoctum.

Vng. Vnguentum: ſucci cardiaci, vncia: caphuræ, ſemidrachma: croci, ſcriptulus: cum cera fiat vnguentum. vel ſuccus bugloſſi cum croco: Hæc in Peſte & Palpitatione cordis conſeruot quoque. Oleum Scorpionum Matthioli. Aqua theriacalis, in qua maduit ſcordium.

OBSERVATIO.

Semper his quæ foris cordi adhibentur, mace iungi debet, aut vini momentum in epithematis, & croci grana aliquot.

Cor humidum alterantia & roborantia.

INTVS.

P. Inst. ſe bris. Humeſcit interdum malè Cor, vt in febribus peſtilentialibus cum fluxu, à nimia putredine oborto: qualis Anglicana illa lues, annis ab hinc centum, quæ enata fuit à dura militia: quæ hoc modo curari debour: Accipe radicum tormentillæ vncias binas: ſantalorum drachmas duas: roſarum rubrarum manipulum vnum: coralli rubri ſemunciam: radicum pimpinellæ vnciam: coque in diplomate, ex vino Rhenenſi. Primò conſeruam foliorum acetoſæ edant, in qua margaritæ in puluerem redactæ mixtæ ſunt, vel armena bolus, aut cornu cerui, aut ſemina citrij, & parum croci: mox cyathum ſcripti vini ſuperbibant.

Pulnis Meobani. Vtilis fuiſſet & Puluis Meobani, excellens in omni peſte remedium: antidotus hæc celebratur à clariſſimis viris Ioanne Morbano, Cratone, & Geſnero: hanc à ruſtico nactus fuerat Saxoniæ Elector: fit hoc modo: Accipe radicum Valerianæ ſemunciam: hirundinariæ, vrticarum minorum, ſingulorum vnciam: polypodij quercini, angelicæ ſatiuæ, & ſylueſtris, cuiuſque vncias duas: corticum radicum laureolæ ſeſcunciam: radices effodiendæ ſunt inter Auguſti diem decimumquintum & Septembris octauum. Inciſæ igitur radices, in olla vitriata optime obſtructa poſitæ, aſperſæque aceto acerrimo, vt duobus digitis excedant: ad lentum ignem bulliant: tandem aceto abiecto, ſiccentur radices. vt teri poſſent in puluerem; his tritis, adde acinos vigintiſex herbæ Paridis: fiat puluis. Geſnerus, lib. tertio epiſt. loco herbæ Paridis indit Solani manici baccas: ſed, inquit, minori copia. Omnibus venenis reſiſtit, curat aſthma, icterum, lienis infarctus expedit, retentos menſes euocat, quartanam curat.

Vbi malignitas febri ſe conſociat, ego propino ſemicochlear aquæ theriacalis, cum tribus vel quatuor cochlearibus aquæ boraginis. Laudo aquam theriacalem frigore diſtillatam: hoc eſt, indes ſcriptulum theriacæ & granum caphuræ, aquæ vitæ vnciæ vni, inclinatione effundatur. ita tenuiſſimæ partes, quæ è mitiſſimo etiam foco fugarentur, prolectantur.

Humido Cordi quoque ſtudent ebur raſum, quod cor etiam recreat; cornu cerui vſtum, corallum rubrum, os de corde cerui, nam proprietate id agit, vt aſſerunt Arabes: cinis ex pericardio bouis: margaritæ, quæ ob ſplendorem & puritatem cordi ſunt amicæ: nux moſc. & eius ſyr. & condita nux.

Aromata omnia cordi humido grata ſunt, ſyr. cortic. citriorum, ſyr. granat. manus Chriſti. ſapphirus: ſmaragdus melancholiam lenit: vnicornis cornu ſiccat inſigniter, ſine adſtrictione, quod bonis ægrorum rebus fit in febribus peſtiferis: auri bracteolæ mœrores abſtergent: & vinum in quo aurum extinctum fuit: electrum, & bolus Armeniæ. Vinum ex bugloſſo, meliſſa & cinnamomo. & vinum cydonites. Aër præterea ſuauiter redolens. poma cydonia, roſmarinus, mentha, myrtilli: tormētilla, pimpinella, quæ tenues partes habet: zedoaria, ocymi ſemen propria quadam vi ſtomachi madores abſorbet: coriandrum, ariſtolochia rotunda, roſa, plantaginis ſemen, & acetoſæ, & citri: pæoniæ radices; karabe eſt lucida, & ſicca in ſecundo ordine; lignum aloës: myrtus in ſecundo ſicca, & in primo frigida. gerit quid facilè ſeparabilis caloris. Trochiſci Ramich Meſues: Aurea Alexandrina, trium ſantalorum ſpecies, electarium de gemmis. aromaticum roſatum, diamargaritum frigidum, fragmēta gemmarum: terra Lemnia, in hac vehementer miſcetur ſiccitas cum humiditate, hinc eius eſt viſcoſitas: corallus, gallia moſcata ex decocto cardiacæ herbæ: ſuccus acetoſæ denſatus, ſericum crudum, confectio cordialis. Myrobalani chebulæ, & Indæ, nam cordis & hepatis ſanguinem mundant: vt Bezaar lapis, & hyacinthus tota natura temperatus, omnique veneno inimicus.

Vnicornu. Vina. Ocimum. Electaria. Terra Lemnia. Bezaar.

Potio. Accipe meliſſam contuſam, quam aquæ cardui benedictæ incoques, ac expreſſioni colatæ addes ſyrupum de corticibus citriorum, & parum olei vitrioli: gratiſſima potio futura cordibus galli veteris. Mumiæ grana quatuor,

quatuor, pota ex aqua menthæ. Electarium à morbis pestiferis liberans; & electarium cor instaurans.

Notatio. Obseruandum illud est, quòd cuncta quæ cor stabiliunt, ac illud lætius reddunt, theriacalem, vt ita dicam, vim sortita fuere: attamen non omnia theriacæ vim redolentia lætitiæ auctores sunt: vt quæ feruore nimio æstuant, vel frigore algent. Præterea, *omnia remedia cætera precellunt Theriaca & Mithridatium, vbi cor affectu aliquo obsidetur: quare inspiratione diuina eam fabricatam fuisse existimat Auicenna.* *Ther.* Accipe conseruę rosarum, buglossi, melissę, cuiusque semunciam: musci grana septem: cinnamomi drachmam; cum syrupo de corticibus citriorum fiat electarium. sumat ʒ iij. manè.

CAVTIO.

Resoluentia vehementer remedia cordi inimica sunt, nam tenues spiritus exhauriunt: at si crudi crassiue succi adsint, admitti poterunt: vel si quid, quod stringendi vim habet, his iungatur: quales myrobalani sunt.

FORIS.

Cordi humidiori, foris student balnea à natura calida. & aër thermarum; *Sacculi.* sacculi quoque sicci odorati, vt ex floribus rorismarini, stœchade, ocymo, cortice citri, zedoariâ, mace, caryophyllis, melissâ, osse de corde cerui, ex diamargarito calido, ex speciebus Electarij de gemmis. & ex aromatibus.

Inunctiones. Inunctiones ex Theriaca, oleo sampsuchi, oleo cinnamomi cum aqua vitæ, vnguento nardino, vt faciebat Galenus in Boëthi vxore: oleum lateritium, oleum caryophyllorum, & balsami, aqua vitæ: fiant inunctiones ad spinam dorsi, & sub sinistra mamma. Fomenta conferunt ex croco, corallo rubro, santalis, myrtillis, coctis in vino generoso & aceto.

COR SICCVM ALTERANTIA & ROBORANTIA.

INTVS.

Cum ita squalet Cor ariditate, vtemur iis quæ moderatè restituunt genuinam humiditatem; vt lacte muliebri & asinino: primo die ad quartarium vnum, *Lac.* donec ad vncias octo peruentum sit: tum integrum mensem continuabit eius vsum: vtiliter bibetur quatuor horis ante prandium.

Cremore quoque etiam vtatur ptisanæ, mulsâ, apomelite, rhodomelite: potu vtatur frigidiusculo; non tamen frigidissimo, ob visceris imbecillitatem.

Bugl. Buglossum cordi dicatum fuit: in primo ordine humidum & calidum: sanguinem cordis mundat, & spiritus vitales puros reddit: ita & diabuglossatum, & conserua florum buglossi, & vinum buglossatum, vt & passulatum vinum.

Borago. Borago rædia cordi eximit, peculiarem gratiam viribus addit: hyeme radix est foliorum vice, cùm frigus illa negat: flores in vino lætitiam augent: quare Græcis εὐφρόσυνον, hoc est, exhilarans vocatur: & πανάκεια quòd tristitiam excutiat: diaboraginatum quoque laudatum est remedium, vt & aqua buglossi cum violarum succo, & vinum boraginatum.

Poma. Poma odorata bilis rapidæ æstum domant & placant: sed Cautio adsit, vt flatulentam substantiam eis eximat coctio; & syrupus eorum. *Poma maximis grattis conduntur aliquot diebus in aridis sambuci floribus; ita bibunt saporem muscatelli æmulum.*

Oua. Oua tria sorbilia, in diluculo hausta, per quadraginta dies: & ius gallinæ cui incoxit borago: & Antidotus analeptica Fernelij, descripta eius Methodi libro septimo: & apud alios electarium resumptiuum. Vitulina præterea caro. Et succus carnium, ius gallinæ, vel capi, alteratum aquâ rosatâ, calendulæ, buglossi, vel acetosæ, vel violis, nymphææ floribus, aut cichorij, portulaca, lactucâ: distillati liquores instaurantes, poti inter duos pastus ad vncias quatuor. Cancrorum & astacorum fluuiatilium caro, ex aquâ hordei coctâ: & marini testâ liberati, & loti hordeaceâ aquâ.

Nutriens remedium: accipe carnis testudinum nemoralium, lotæ & elixatæ in decocto hordei, libræ semissem: farinæ hordei vncias tres: amygdalarum dulcium, pineorum, cuiusque vnciam: seminum melonum & cucurbitæ recentium, singulorum semunciam: semina incisa macerentur decocto testudinis, & adde farinam: reliqua misce, & adiice sacchari albissimi vncias quatuor: tepidè pasta coquatur, fiant Boli.

Confert & Gelatina ex pedibus vitulinis, hœdinis, suillis, cum pauco aceto, & momento santalorum rubrorum, & gummi tragacanthi. *Gelatina.*

Conserua violarum elegans ac iuuans remedium est; lactuca condita, syrupus acetosæ, & è persicorum floribus, cum floribus maluæ, syrupus ex succo endiuiæ.

Magnam vim habet ad hanc intemperiem pellendam animus quietus, non irâ aut mœstitiâ turbatus: nihil enim mœrore calamitosius: quare Menander inquit, *Tranquill.*

Νόσον πολὺ κρεῖττόν ἐστιν ἢ λύπην φέρειν: hoc est:
Morbum ferre multo satius est, quàm tristitiam.

Et Naso:

Quique dolet, citiùs, quàm dolor ipse, cadet.

Et quod Pindarus cecinit de Iustitiæ filia Tranquillitate; nos idem, de ea, tanquam Sanitatis matre, φιλόφρον Ἡσυχία, ὦ Ὑγιείας ἔχοισα κλαῖδας ὑπερτάτας. hoc est: *ô amica menti & cogitationi Tranquillitas, Sanitatis gerens precellentes claues.*

Laudatur & decoctum refrigerans cordiale, descriptum in antidotario Florentino.

Eryngij radix pota ex decocto buglossi, vel melissæ.

Conseruæ cardiacæ, cum rebus pectoralibus humidis, adiecto iure caponis alterato buglossa, & melissa, &c. cum mica panis albi, fiat distillatio: semilibræ huius liquoris adde sacchari albi, vncias tres: cinnamomi scriptulum: traiiciantur per manicam Hippocratis: iuris caponis libræ tres, distillandis rebus addi poterunt. *Elegans remedium.*

FORIS.

Cordi Sicciori foris admouentur Epithemata ex decoctis humidis, & aromaticis, & ex aqua boraginis, rosarum, violarum, nymphææ florum, buglossi, melissæ aqua remixta: & ex decocto florum nymphææ, violarum, florum boraginis, rosarum. Pastilli refrigerantes, cum semine ocimi, & aqua melissæ: Aqua florum melonum, & aranciorum.

Epithema. Accipe hordei mundi pugillum: seminum frigidorum maiorum, singulorum vncias duas: florum violarum pugillum: nymphææ medium pugillum: sesquilibræ decocti violati adde olei amygdalini dulcis, & violarum, singulorum sescunciam: vel ex aqua violarum, boraginis & melissæ, cum vino, & cinnamomo. *Epithema.*

Balneum commendatur ex aqua dulci: tepescat primò, dein frigescat, modò fuerit æstas; & qui vtetur, iuuenis sit bene habitus, ac succi plenus: & nulla agitatione fatigetur, ac primùm aëre suauis balnei fruatur. *Balneum.*

Inunctiones conferunt ex oleo dulci, & rosato oleo, & nymphææ, cum oleo liliorum, & dulcium amygdalorum, & violato. *Vnctio.*

FLATVLENTVM COR ROBORANTIA.

Flatus cordi eximunt, galanga, zedoaria, radices angelicæ, maiorana, calamintha, hyssopum, semen cardui benedicti, anisum, mentha, mace, crocum, muscum. Ex his simplicibus remixtis remediis instruuntur pulueres, condita, pastæ, distillata, instaurantia, epithemata, sacculi, suffitus, conseruæ, globulli odorati: Et mira varietas medicaminum hinc effingi potest, qualem libro primo plurimis formulis descripsimus.

Abstinendum erit à syrupo de pomis: Poma flatus suos (cùm immatura plerumque ab arbore vellantur) contumacissimè retinent, nec leni coctione deponunt. Quare solebam auctor esse ægris qui his delectantur, vt primùm ignis ardore coquerentur in crate, depositisque flatibus cunctis in vsum verterentur. *ad tertiam enim coctionem vsque flatus pertinaciter retineri creduntur.* Antiqui vapidâ aurâ mitia poma coquebant, *Poma.* *Antiqui.*

quæ primùm in arbore ad maturitatem cocta fuissent, & non die quæ mitiora euasissent: nam vino & butyro coquuntur.

Præterea varia sunt quæ flatus eximunt cordi, vt vinum in quo semina flatus vacuantia coxere, cum galanga: syrupus quo conseruatur cortices citriorum, & aqua *Confectiones.* vitæ, in qua cinnamomum infusum sit: diacalaminthes: confectio aromatici rosati: aromaticum caryophyllatum; conserua corticis citri, & rosmarini: diarrhodon abbatis: dianisum: confectio alkermes, diatrion piperreon: Esdræ antidotus: trochisci galliæ moscatæ: conserua florum rorismarini: cionamomi aqua eo modo distillata vt docuit Matthiolus: zinziber conditum: Decoctum carminatiuum. His aridioribus superbibat parum vini generosi in quo absinthiũ vel mētha diluta fuerint.

Offa. Cordi flatulento opitulantur & offulæ albissimi panis, quæ leniter igne torrentur, vino immittuntur, saccharo ac cinnamomi pulnere asperguntur: gratissimè præbentur ægris, vice ientaculi.

Potus. Accipe specierum lætificantis Galeni, scriptulos duos: conseruæ radicum buglossi vncias duas: nucis myristicæ, sesquiscriptulum: infunde sesquilibræ vini maluatici horis quatuordecim: ter cyathum bibat in die. Accipe mosci semigranum: croci scriptulum: vini albi, calidi, semicyathum; bibat. Cinnamomum immitte aquæ vitæ; cum melissa, vel flauedine citriorũ; misce guttulas vino.

Crocum infunde vini spiritui, dum crocum, flauedine exutum, albescat: id tunc calcina, & eum prædictâ aquâ fermenta, & inclinandò effunde: da guttulas cum iusculo vel vino: à syncope reuocat. Eodem filo transigendum de cardiaca, melissa, &c. ita etiam è caphura prolectatur vis. Semper quod restibile est calcina; & redde cineribus liquorem: nam ita fundent salia.

Accipe radicum angelicæ, vnciam: caryophyllorum, drachmam; cinnamomi, drachmas duas cum semisse: infunde vino: ex hoc, sumat haustum, tempore pastus.

Cibi sint aromatibus conditi, & fœniculo, hyssopo, serpillo, origano, saluia.

Omnia vi. Promiscuè in quacumque causa seu calida, seu frigida, quædam proprietate quadam Cor roborant, & tuentur à venenorum incursu; vt margaritæ, semen citrij radices tormentillæ, dictamnum, os cordis cerui. Radix vincetoxici bibita cũ granis citriorũ, & aquâ boraginis. Radix & succus Scorzoneræ. Guttulæ quatuor olei nucis moscatæ, caryophyllorum, vel cinnamomi, ex vino.

CAPVT VI.

Hepar alterantia & roborantia.

TOtum corpus si traducendum foret in aliam tēperiem, nulla ratione id melius assequeremur, quàm sanguine ad alium qualitatis modũ tracto: etenim quæque pars refert ideam eius succi, cuius nutricatu fruitur: aluntur autem sanguine: Qualis itaque sanguis fuerit, talis euadet habitus totius corporis. Sanguis autem characterem hepatis (sui auctoris) induit. Vt igitur hepar compositum fuerit, tale ferè erit totum corpus: nam sanguis calidus calidam gignit carnem; humidus madore diffluentem.

Cautiones. Hepar, nobile viscus, magnâ cautione erit tractandum: neque enim susque deque habendum quibus illud alteres remediis, vt ad symmetriam naturæ reuoces: sed videndum, ne cùm calidâ intēperie æstuat, eo frigore tincta admoueas, quo obstruatur exiles hepatis venulæ: nã inde putredinis magna calamitas oriri possit, & seges spargi maximis febribus. Sint igitur infarctus liberātia, quę calorē modestè spirēt, & mitiorā: est enim hæc pars, tanta auctoritate, vt eius officio vita carere nequeat.

Quæ autem FORIS *admouentur, vim quandam stringendi sortiri debent*; ne nobis eueniat quod Attalo, qui perniciosè Theageni, Cynico philosopho, relaxantia mera adhibebat, apud Galenum libro decimotertio Methodi. Sint & ita comparata remedia, quæ spiritus naturales placidè ac inoffensa vi alterent, & parenchyma molle hepatis modestè ferientia, calidum humidumque naturæ recreantia.

De lienis. OBSERVANDVM *illud est, spleni aperientes syrupos magis conuenire, minùs adstringentes: at hepati minùs aperientes, sed magis adstringentes. Syrupi calidi & tenues, qui acetum accipiunt, lieni potius dicandi quàm hepati. Semper tamen illud hæreat animo, quòd exiles admodum sunt hepatis venæ, quæ impediuntur frequenti infarctu; quare obstructa quæ liberant exigit, &, ob vsus præcellentiam, quæ robur afflant, sine valido calore.*

HEPAR CALIDVM *alterantia & roborantia.*

INTVS.

HEPAR CALIDVM INTVS *quæ alterabunt, debent blandè aperire, & leniter detergere: qualia sunt fabamara, quæ aliquam adstrictionem sortita sunt: & vnà putredinem arcere debeat.*

Dei benignitas. Summus DEVS magnam copiam ob insignem eorum necessitatem horum remediorum mundo intulit, vt cichoracea omnia, quæ peculiariter refrigerandi vim nacta fuere, quà hepatis æstum domant, nec ventriculo *Cichorea.* vllam vim frigidam inferunt: taraxicon, sonchus, endiuia & intybus omnis, & τρώξιμον, id est, esculentus Tralliano dictus: Galen. 8. κ.τ.τ. 8. sescunciam succi propinat, cum melle, vt feriat hepar. ita eum mulsa damus drachmas tres succi densati cichorij, vel endiuiæ, aut sonchi, cum drachma hepatis lupini: santala, graminis *Portulaca.* radices, & earum aqua, rusci radices, & asparagi: portulacæ maioris asparagi cocti in acetarium: turgidæ bilis æstum frenant in ardentibus febribus: acetosa, chōdrylla. plantaginis radix, nam aperit: corallum, sed adstringit: tamarindi: Rosa pallida, & moscata, nam leptomeriā est insignis: omphacium sitim sedat, arcet putredinē, *Omphac.* & hepar aperit: agrimonium temperatum est, roborat, ac ab infarctu liberat, & diuturnis febribus confert: ace- *Agrimon.* tositas citrij, semina frigida, liquiritia, malua, buglossa, lactuca, pruna, hepatica, lupulus, lenticula aquæ, spinachia, myxaria, agrimonia, hordeum, tamarindi, adianthum omne temperatum est: acetum, & caphura.

Aqua. Aquæ minerales acidæ, vel vitriolatæ, præclaram vim frigidam gerunt; aqua hordei, mulsa: limones, citria, & arancia mala, ribes, fraga, aphrogala, vua spinæ.

Lichen. Pyra, poma, & cerasia: lichen, vulgò hepatica, moderatè absterget, aperit obstructa, ac hepar roborat: melones, alkekengi fructus, semina frigida, uam hepar lupi proprietate confert.

Decocta. Decoctum lactucæ, cichorij, endiuiæ, seminum frigidorum, violæ, taraxiei, agrimoniæ, acetosæ, senecionis, cassutæ, capillorum Veneris, & succi ribes cũ aqua hordei: hepaticæ, rosæ & boraginis, radicũ & foliorum fragariæ. *Hoc mihi placet:* Accipe cichorij cum toto, manipulos duos: coque ex aqua ad libram, aromatisetur drachmis duabus trium santalorum, & cũ saccharo dulceseat. *Et hoc:* Ter coque ex eadem aquâ acetosæ folia: copia aquæ sit qua regatur herba. Postea cum æquâ sacchari copiâ coque ad consistentiam Inlapij: hoc gratè bibitur dilutum cum aqua. ita Iulapium rosatum, & Alexandrinum. *Infunditur fermentum in aqua, cum modico* *Pueris.* *spodij, croci, & sacchari albi, macerantur horis tribus, fit colatura: pueris febricitantibus expolita potio.* Syrupus papaueris, syrupus acidus oxysacchari: aqua fumariæ & cichorij. Ceruisiæ impositæ radices cichorij, cum paucis absinthio: Decoctum refrigerans, in Antidotario.

Serum. Serum lactis tempore verno, capiat cottidie, primo die, libram, & sequentibus iungat vncias binas, dum ad tres libras deuenerit, ac feriatim ad libram redeat.

Malum granatum: hepatis spiritus roborat dulce malum: spodium.

Syrupi. Syrup^s^ endiuię, tlā refrigerat, leniter deterget, & aperit: vt,

ve ex floribus persicis; rosatus; omphacij: boraginis Compositus endiuiæ syrupus potenter refrigerat, leniter aperit: Byzantinus, Syrupus de cicoreo compositus Nicolai Florentini descriptus in Antidotario Florentino: Syrupus capillorum Veneris, cum decocto endiuiæ: oxysaccharum compositum Nicolai: syrupus citriorum, granatorum.

Conserua & species. Conserua nymphææ, & capillorum Veneris, nam aperiendo frigus adfert: conserua cicorei, acetosæ, & buglossi, rosarum, violarum, nymphææ, diattagacanthum frigidum, triasantala.

Trochisci. Trochisci diarrhodon Nicolai, & trochisci de caphura, trochisci ex alkekengi, diarrhodon abbatis, aromaticum rosatum.

Adstring. Si vnà astringendum fuerit, præscriptis adiiciemus trochiscos de corallo, de bolo, vel de terra lemnia; trochiscos de berberis, id est oxyacantha; trochiscos de spodio: de rosis: de carabe. *Obstruct.* Sin ab obstructione metus fuerit, vtemur eo electario, quod pro ventriculo calido descripsimus.

Anguria. Aqua distillata ex Anguria causos ilicò placat; vsu, ac Auerrhoidis auctoritate nobilitatū remedium. Aqua cardui benedicti, in qua flores cyani macerati sūt. Aqua lenticulæ palustris. Potus: Accipe aquæ coctæ libram: aquæ rosatæ, vnciam: sacchari rosati, vncias tres: cinnamomi, semidrachmam; traducuntur per manicam Hippocratis.

CAVTIO.

Vbi hepar incanduit æstu, perpendendum erit, num id sit à simplici intemperie, vel num adsit bilis: si bilis affluxerit, leniter aperientibus erit refrigerandum; ac lenissimè stringendum; vt conserua capillorum Veneris, cum cicoraceis, buglosso, & seminibus frigidis maioribus. Vitentur dulcia, amara, & salsa.

Electarium. Accipe pulueris trium santalorum drachmas duas; diamargariti frigidi, & diarrhodonis abbatis, amborum scriptulos duos: conseruæ violarum & cicorei, cuiusque sesquidrachmam: sacchari albi soluti in aqua endiuiæ vel cicorei, quod sufficit, vt fiat confectio in tabulis: quæque ponderet binas aut ternas drachmas.

Conditum: Accipe conseruæ cicorei, violarum, nymphææ, & buglossi, singulorum drachmas duas cum semisse: conseruæ rosarum, sesquidrachmam: pulueris trium santalorum, diamargariti frigidi, cuiusque scrptulos quatuor: foliorum auri, per areolas positorum, numero octo: sacchari albi, quod sufficit, fiat conditum. Accipietur cochlearis mensura: *Pestilens materia.* si pestifera materiæ suspicio adsit, addemus semina citreorum, vel cardui benedicti, radices dictamni, tormentillæ, cornu cerui: eorum nempe scriptulum, vel semidrachmam.

Triphera. Philonium Romanum cum œnomelite: Triphera Persica inflammationibus & acutis febribus confert, obstructa liberat, sitim extinguit: Ambrosia Archibij, ex Galeno descripta, in antidotario Florentino: ex aquæ mulsæ hemina dimidia.

Dolor. Si Dolor acerbus fuerit, Accipe specierū diarrhodonis abbatis, vnciā: opij drachmā: cū syrupo de absinthio fiat Opiatū. Sed Galen. 7. *me. m.* laudat Asclepiadis moderata remedia: Philonis medicamen abiicit: sed addit, semel tātùm eo vtendū esse, flagrante ab æstu hepate. non sæpius his vtendū, nam obstructo hepate, hydropem inferunt. Quare frigidis interdum miscenda modestè calfaciētia, & quæ vna detergent: vt agrimonia, betonica, fumaria, ceterach, filix, cuius succi drachma cum vnciis tribus mulsæ bene datur: & radix eius vtilis.

Illud NOTANOVM, *syrupum de eupatorio & triasantalon sæpissimè in hepatis languore præscribi: nam omnes hepatis facultates roborant.*

OBSERVATIO.

Apozemata imbibant aroma ex santalis luteis, & corticibus citreorum.

FOTVS.

Hepar calidum foris alteramus & corroboramus fomentis: quæ tamen hepati non nisi in acerbo dolore, duritie, aut flagrante æstu adhibentur. frigida tamen vi præcellentia, tutiùs foris admouentur, vt aqua rosata, succus endiuiæ, cicorei, & hepaticæ, aqua acetosæ, nymphææ, lactucæ, acetum.

Inunctiones ex oleo seminum cucurbitæ, cum pauco santalino, ob adstrictionem: oleum cydoniorum confert, Sicyonium, myrtillorum, lentiscinum, violarum, rosatum, nenupharinum, ex seminibus vuarum: oleum ex hepate raiarum, galeorumque omnium. hepar in partes conscissum, ollā coquatur, & exprimatur. Hepar caniculæ & centrinæ laudat Rondeletius: nam inquit, scirrhum emolliunt & iecora, & refrigerant: addenda tamen erunt alia sicciora, vt semen acetosæ, endiuiæ, santalorum puluis, diarrhodon abbatis. *Vnctiones.* *Iecora animalium.*

Linimenta quoq; laudātur ex refrigerāte cerato Galeni, & ex vnguēto rosato, & santalino: sed ab hoc abstinēdum erit in febribus tertianis, nam astringit validiùs.

Epithemata. Epithemata mirum in modum recreant hepar, vt Accipe aquæ endiuiæ, cicorei, solatri, rosatæ, singularum vncias binas: aceti vnciam: pulueris electarij trium santalorum, sesquidrachmam: spodij, semidrachmam, misce, admoue, horam ante cibum, ex parua spongia. Eodem modo fiat ex herbarum decoctis: & imponitur caphura cum pauca spica, & diarrhodon abbatis: exstat & puluis ad epithema hepatis, apud Cordum.

Accipe rosarum rubrarum, cichorij, endiuiæ, chamæmeli, cuiusque manipulum: summitatum absinthij, semimanipulum: santalorum alborum, & rubrorum, singulorum drachmas sex: caphuræ semidrachmam: coque ex aqua, pro foto; adde parū aceti. sumantur quinque partes cichoraceorum, & vna aceti. Aliud: cicorei cum radicibus endiuiæ, eupatorij, singuli manipuli: absinthij pugillus; florum cicorei tantundem: seminum frigidorum maiorum & minorum, singulorum sesquidrachma: cyperi drachmæ duæ; lupinorum, drachmæ tres: santalorum omnium, singulæ drachmæ: iunci odorati, drachma semissis: fiat.

Sacculus. Sacculus: qui ex aquæ libra, & vini acetique vnciis duabus inferuescat: obstructa liberat, hepaticis prodest. Sacculus, qui cum metus adest obstructionis, vtilis erit: prodest cachecticis, & hepaticis: Accipe cicorei cum radicibus, acetosæ, endiuiæ nouellæ, eupatorij, singulorum semimanipulum: florum cicorei, pugillum: quatuor seminum frigidorum maiorum & minorum, cuiusque sesquidrachmam: cyperi, drachmas duas: lupinorū, drachmas tres: santalorum omnium, cuiusque drachmam: scœnanthi, semidrachmam; summitarum absinthij, pugillos duos: fiat Sacculus; qui coquatur in quatuor partibus aquæ, & vna vini, cum tantillo aceti, vnico feruore ebulliant: fiat fotus per horam ante pastum: addi poterit camphoræ drachma: si scirrhi rudimenta apparuerint, miscebimus emollientia. Vel ex aqua ros. cum caphura, santalis, & pauca spica. Balneo, imponantur folia salicis, violarum, lactucæ, maluæ, nymphææ flores, buglossi radices & folia, & melilotum. *Balneum.*

Vng. Vnguentum. Accipe ceroti santalini vnciam: succi absinthij & cicorei, cuiusque drachmas duas: pulueris succi agrimoniæ scriptulum.

Cataplasma. Cataplasma: mali cydonij vnciæ duæ: farinæ hordei, fœnugræci, singuli pugilli duo: ex aqua coquantur in cataplasma, cum oleo omphacino, & pauco absinthio, vel acido.

CAVTIO.

Refrigerantia & astringentia sint moderata, ne inflammatio in scirrhum abeat: aut ne ichor qui exspirat ab inflammatione, retineatur; nam inde putredo augescet: vel ne obstructio geminetur; & ne claudatur via sanguini, suoque genio fraudetur corpus. Quare vbi scirrhus adest, ab vsu stringentium vereri oportet.

Obseruatio. Obseruandum, *post febres tertianas, frigore opus esse absque valida adstrictione*, vt & in ičtero: quare vnguentum rosatum santalino tunc præferendum: vel oleum violaceum, aut nymphææ, cum succo cichorij.

Hepar frigidum alterantia & corroborantia:

INTVS.

Hepar frigidum intus sumpta quæ recreant varia sunt: sed optima quæ leuiter stringunt, abstergent, & calfaciunt. Vt zinziber conditum, acorus conditus: aloë aperit; & arcet putredinem: mel, & mulsa, quia alunt & excitant calorem moderatum: Passulæ occulta proprietate iuuant: lupulus, peucedanum, calamintha cum vino, rosmarinum, enula, pistacia, calendula; serpillum, fumaria, hæc putredinem arcet: chamæpitys, bethonica, fœniculum, prassium, origanum, chamædrys; ammi: dictamnus, rubia, nam purgat hepar: centaurium minus; sed hoc, immoderato vsu, & fœtum excludit, & sanguinem proliecit: gentianæ radix. *Petroselini radice quoque vtimur*; quòd si autem eius calorem attenuare velis, maceretur aceto, horis duabus: apium confert, & iuncus odoratus, & cyperus: calamus aromaticus, qui confert & hydropicis & tussientibus: amygdalæ amaræ, gentiana, eupatorium, eryngij radices, daucus, absinthium, anisum, angelica, spica, myrrha, adianthum.

Centaurium.

Decoct. Decoctum lauendulæ, & nardi Celticæ. Aqua canellæ distillata. Decoctum cicerum rubrorum, & nigrorum; iridis decoctum. Eupatorij vulgaris succus siccatus, datur cum herbæ decocto. Anonidis cortex radicis. Guttulæ quinque olei caryophyllorum ex vino: balsama, oleum anisi, cinnamomi, vt olei fœniculi gr. iij. sacchari ℥iij. cum aqua fœniculi fiant rotulæ, da ʒiij. Oleum sulphuris, cum myrrha & croco. Ius galli veteris commendatur: aqua mellis distillata: vinum absinthites, & alia vina medicata, & hyssopi decoctum ex vino: iusculum decoctionis maioranæ: vinum cum aqua cicorei, in qua maduit absinthium: aquæ thermarum.

Syruporum ordo. Syrupus de Byzantiis: hic ab infarctu hepar & lienê pedit: magis calet quàm syrupus capillorum Veneris; quare & ab eius vsu præbetur. Hinc est syrupus de quinque radicibus, de prassio, & de artemisia: chelidoniæ succus, & infusio florum sambuci, & seminis aquileiæ. Remisce syrupum fumariæ & de eupatorio, cum aqua fumariæ & scabiosæ. Eupatorij syrupus Mesuês, aperit, & robur afflat hepati: syrupus menthæ; syrupus capillorum Veneris cum decocto absinthij: oxymella omnia: syrupus absinthij vrinas mouet, filicis succus, & radix cum syrupis; & semen securidacæ: & sales theriacales: dantur etiam cum mulsa, vel oxymelite. Accipe syrupum de cicoreo cum Rhabarbaro: syrupum de prassio, cum decocto; scirrhum delet.

Trochisci. Laudantur trochisci de ligno aloës, descripti in Antidotario Florentino: trochisci de aniso Mesues: trochisci de eupatorio, absinthio, capparibus, & de Rhabarbaro: ex his pilulam ante syrupos hauriat semper: Rasis trochisci de rosis.

Electaria. Theriaca, mithridatium, triphera Saracenica; theriaca diatessaron; nam cacochymiam & hydropem arcet: Cyphoides Andromachi: diacuhebe, dialacca, diacalamintbes, diacyminum, diatrion pipereon, aromaticum rosatum maius Gabrielis: electaria calida, cordi amica. Diacinnamomum cordi amicum est: diacastorium: diacapparis: diacurcuma, quod accipit cyperi Indicæ radicem, vnde nomen: diacrocum, abigit senescentes hepatis & lienis affectus, scirrhum incipientem delet, & hydropis initia sanat: diambra, conserua anthos.

Diacrocum.

Puluëres calidiores benè exhibentur cum conserua cicorei: nam quæ validè caleut, liquant hepatis parenchyma, vt frequentior vsus aquæ vitæ. huic itaque immitte cicoraeea.

Dolor. Ad immanem dolorem, Accipe specierum Dialaccæ, vel Diacurcumæ, aut aromatici rosati, vnciam: opij drachmam: cum syrupo absinthij fiat Opiatum.

FORIS.

Hepar frigidum foris alteramus & roboramus fomentis, ex absinthio, floribus chamæmelinis, anetho, floribus sambuci, torismarini, meliloti, eupatorio, abrotano. Cyperus recreat mirum in modum hepar, ac spiritus grato odore animat languentes: coquatur ex vino mediocriter astringente, cum eupatorio, absinthio, spica, cinnamomo, roremarino: fiat Epithema. Semen apij petroselini, spica, asarum, anisum. Cyperus.

Inunctiones ex oleo de capparibus, chamæmelino; nardino, vbi obstructio in vitio est: oleum de euphorbio validè calorem imprimit, oleum masticis cum oleo de mentha & hepati & ventriculo opitulatur, vt & oleũ absinthij: oleum amygdalorum amarorum, vbi infarctus molestus est: oleum irinum, sambucinum. Vnctio.

Vnguentum ex rebus aperientibus: vt, olei absinthij, & amygdalini amari, cuiusque vnciæ duæ: amygdala amara, septem: absinthij, semimanipulus: ex acido vino coque; his exhaustis, exprime; adde vnguenti santalini, semunciam: olei caryoph. parum. Si laxandum, iunge adipes, & spicam.

Vnguentum Martiatum: vnguentum stomachicum magistrale in antidotario Florentino descriptum. Vnguentum ex oleo nardino, ligno aloës, caryophyllis, cinnamomo, succo eupatorij: oleum in quo coxit radix enulæ, cyperi, vel gentianæ.

Emplastrum Diaphœnicon calidum Mesues, in antidotario Florentino descriptum: Emplastrum de meliloto: Emplastrum de baccis lauri: ceratum stomachale Galeni. Emplast.

Epithema ex decocto caryophyllorum, cinnamomi, iunci odorati, eupatorij & ex floribus chamæmelinis, radicibus azari, seminibus anisi, fœniculi, ameos: his additur diagalanga, diacinnamomum, ex aqua eupatorij, cassutæ, & aceto ad penetrationem. Accipe absinthij recentis, manipulos duos; vini nigri non austeri, libras tres: fiat decoctio ad dimidium: fotus fiat cum spongia. Vel succus chelidoniæ, absinthij, cichorij, decoctum securidacæ, pentaphylli, cum vino & aceto. Epith.

Cataplasma: Accipe florum chamæmeli, meliloti, cuiusq; sesquimanipulum: feminum lupinorum, semunciam: foliorum absinthij, eupatorij, singulorum sesquimanipulum: rosarum rubrarum, semimanipulum: coque ad mollitudinem, ac adde olei de absinthio, quod satis sit, fiatque cataplasma. Radices enulæ, iridis & gentianæ, incoquuntur oleo, absinthij & nardino. Absinthium coquatur in vino, mox oleum addatur. Catapl.

Hepar humidum alterantia & corroborantia.

INTVS.

Hepar humidum intus quæ alterabunt, aliquo modo aperiant, vt schœnanthos, spica, tormentilla, tunicæ radix, citrij semen, carduus benedictus, rhabarbarum, santala, hepar lupi, terebinthina: cornu cerui cum succo an agallidis; origanũ, pastinacæ erraticæ semen, & smirnij, cum decocto polij: Viticis semen, vnicornis cornu, ebur vstum, cineres intestinorum lupi: hepatis lupi drachma datur cum granis ix. piperis, & scriptulo myrrhæ. aromata, rosa rubra sicca: corallum, fiunt bilem: ciceres rubri cum roremarino decocti: asarum, lotium humanum, absinthium, & eius sal: trichomanes, ruta, betonica, aristolochia, bolus, veronica mas, marrubium, semen aquilciæ cum vino, chamædrys, cassuta. Fragariæ decoctum, & tenerrimorum foliorum quercus aqua. Semen fraxini. Drachma seminis napi bibita ex decocto marrubij: per multos dies eius iniri debet vsus. Carduus benedictus, pulegium: radix pentaphylli: allium coctum: decoctum calami odorati, cum semine apij, & cinnamomo: filicis decoctum.

Formula. Ex his fiunt electaria, syrupi, condita, trochisci, decocta, fotus, & plurima remediorum genera. Lupini cocti, & manducari cum pipere. Accipe absinthij manipulum, cassutæ sesquimanip. florum sambuci semimanip.

Rhabar

Rhabarbari,radicum asari,ana binas drachmas:infunde vini libris tribus:sumat alternis diebus haustum, duas horas à sumptis trochiscis,cum puluere hepatis lupini. *Liquida.* Aqua distillata è melle, acetum scylliticum, & scyllites vinum, mel & compositum oxymel: Decoctum ligni guaiaci,saxafras,radicis Chinæ,& sarza:vinum guaiaci, vinum maluaticum, vinum in quo auri lamina sit extincta. *Oleum vitrioli.* Olei vitrioli aliquot guttulæ vino remixtæ:quod tamen copiosè dari nõ debet atrophia laborantibus:siccum enim eorum corpus est & exsuccum:vinum cydonites, vinum azarites. Decoctum florum lupulorum ex vino albo:decoctio soldanellæ,& asclepiæ ex vino:aqua herbæ Roberti,longo vsu: radices Helenij, maceratæ in vino Hispanico.

Troch. Trochisci de olibano,trochisci de carabe,& de bolo, trochisci Ramich Mesues,trochisci de aniso, trochisci hepatici Asclepiadis,trochisci de amygdalis amaris Pauli,apud Antidotarium Florentinum:beniouinum, cum ficubus,puluis radicis nymphææ albæ.

Electaria. Accipe diarrhodonis drachmas duas:rhabarbari,drachmam:conseruæ cicorei,drachmas tres:saccharo soluto aquâ absinthij,fiat Tabulatum, sumat drachmas tres. Diacucurma,dialacca,conserua radicum iridis vel helenij & apij:tryphera Sarracenica, Electariũ ex Rhabarbaro Nicolai. *Exemp.* Accipe iecoris lupini,drachmam:radicum cicorei semidrachmam:schœnãthi, drachmas duas:cornu cerui,scriptulum:glycyrrhizæ semidrachmam:rhabarbari,scriptulos duos:spicæ,grana octo:fiat puluis:sumat drachmam ex aqua mellis: vel cum terebinthina fiat massa:& alternis diebus sumat. Oleum Ferri,drachmæ pondere sumptum cottidie. *Ferri crocum.* Balchasis, qui Seruitor appellatur,crocum ferri parare docet,ex limatura ferri, decies,vel ampliùs,incandescẽte in lamina ferrea(vino extincta limatura si placet)donec croci colorem induat, & imbuat.datur cum theriaca. Conserua rosata cum radice pentaphylli:nam siccat & non obstruit.succi Peti ℥ vj.Radices iridis conditæ. Liquores balsami artificialis. Tabulatum:Accipe hepatis lupi, specierum diarrhodonis,rhabarbari, cuiusque scriptulum:sacchari soluti aqua absinthij, quantum satis sit. Qui plura velit; consulat Lorium & sudores mouentia:& caput De hydrope:ibi varia cataplasmata,vrinalia,balnea,fotus.

FORIS.

Fotus sicci. Hepar humidum Foris alteramus balneis marinis & nitrosis:alioqui Fomenta sicca vtilissimè admouebimus ex arena littorali calida.myrto, mastice,myrrha, styrace,cornu cerui,bolo,balaustiis,myrtillis,santalis rubris, spica Celtica,spodio,schœnantho,asaro,apio, acetosæ semine,trochiscis de spodio.

Humidis. Fotus ex vino malnarico,oleo amydalino amaro, absinthio. Conducit & Emplastrum Diaphœnicum Mesuæ,descriptum in antidotario Florentino:raphanus coctus:hyssopum cum fico, nitro & ruta: Emplastrum ex baccis lauri, cum cyperi sescuncia: & cum capræ aut vaccæ fimo sicco,ad pondus omnium: aquam & flatus excutit:ebulus & chamæmeli,sulphur.

CAVTIO.

Vbi adest abstuctionis metus, ab astringentibus supersedendum:quare in hyposarca,satis validè siccandum,sed minùs est constringendum,Oleum ex floribus iridis.

Vnge. Vnguentum refrigerans & adstringens: olei cydoniorum,vel rosati,aut myrtei vnciæ duæ: seminis portulacæ,cicorei,endiuię,singoli scriptuli:coralli,boli,cuiusq; drachma semissis:myrtorum,spicæ,balaostiorom, santali rubri, singulorum scriptulus; vel spodij semidrachma:ceræ parum.

HEPAR SICCVM ALTERANTIA, *& corroborantia.*

INTVS.

Hepar siccum intus *qua alterabunt, nec obstruere debent,nec indurare: sed humidum ichorosum generare debent in omnibus succis, & maximè in sanguine.* *Pinguia.* Conducunt olea humida,& dulcia;butyrum, medulla, & quæ moderatè pinguia sunt:poma,ficus,pruna, lac, ptisana, iuiubæ,passulæ,pistachia,portulaca,lactuca, cicoreum, endiuia,cochleę,serũ lactis, glycyrrhiza; eringij radices conditæ.Ceruisia,mulsa & mulsom,vinum eryngatum,hordei aqua:iuscula nutrientia,moderatione quadam præditarum carnium:decoctâ ex aqua & sapa: vinum passulatum:Cyphoides compositio:Electarium resumptiuum.

Conser. Conserua violarum,boraginia,buglossi,ex nenuphare cum aqua hordei, & emulsione seminum frigid. & amygdalorum:conserua eryngij & satyrij;mel passulatum:cochlearum carnes:aqua è limacibus distillata: asparagi recentes.Omnia quæ hecticis prosunt, hîc auxiliantur. Lumbrici siccati in furno, sumpti cum vino albo & saccharo.Hepar leporinum iusculis additum. *Oleum.* Oleo incocti pisces ac carnes, auctor est Auerrhoes, Arabibus ad robur hepatis, ac ingenitum ad succum stabiliendum, id alimenti genus familiare fuisse. Ammoniacum bibitum.Si frigus siccitati se iunxerit, tunc accedant quæ modestè calfaciunt,vt agrimonia: Si calor,adde conseruam rosarum.

CAVTIO.

Quæ *nimis calent absumunt humidiores partes;& frigore rigida,comprimunt;sicca,digerunt:hinc Scirrus.* Mastix,myrrha,bdellium,styrax:hæc dantur in pilulis,nam fundunt concreta; hinc veniendum ad ammoniacum, & cum terebinthinâ fiant pilulæ, accipiat drachmam; manè;addi poterit spica & cinnamomum: Et superbibat oxymel vel syrupum acetosum, vel de eupatorio, *Decocta.* cum decocto maloæ,violarum, seminum lini, althææ, petroselioi,ficuum,passularum,seminis bismaluæ.Ficus capitur cum amygdalis amaris,vel cum pipere; & dactyli commendantur.

Ferri medicamen. Laudatum celebreque remedium est *electarium de scoria ferri*, descriptum à Raze libro nono ad Almansorem,capite sexagesimo tertio,vbi de ventriculi imbecillitate.Vel cape limaturam chalybis,& scorię ferri,& in vino optimo Soli exponas,per dies quadraginta. *Ictero.* Sectatores Paracelsi in Ictero vtuntur stanni in calcem redacti,scriptulis quinque:cum aliptæ moscatæ scriptulo: & bdellij scriptulis duobus: præbent ad sesquiscriptolum.

Ad contumacem obstructionem,vtebatur Alexan.Petronius Romę hac potione,quam amaram vocabat.Accipe absinthij pugillos duos:aloës zocoterinæ semunciam: aquæ libras tres:Coque ad quartæ partis consumptionem:vtatur vnciis sex per quinque dies.

FORIS.

Hepar siccum foris alteramus Balneis ex aqua dulci, & Fomentis ex radice althææ,liliorũ,ficubus,semine lini & fœnugræci,malua;floribus althææ,violarum,chamæmelinis,& summitate anethi,radice vlmi, & mandragoræ ad duas vncias. Prosunt & folia solatri, cum floribus sambuci,& chamæmelinis.

Decoct. Fiunt & Decocta ex radice iridis,& cucumeris asinini,radicibus sambuci,ebuli,& aristolochiæ,foliis pulegij,marrubij,geranij maioris,& minoris, & pedis columbini radicibus:coquuntur in aqua, in qua intestina coxere,cum vino albo:in fine additur spica,azarum,absinthium.

Vnctio. A frequenti fotu fiunt Inunctiones ex oleo ex hepate galearum expresso,vel raiarum,cum oleo lumbricorum,liliorum,& ammoniaci vnciis duabus: styrace, beniouino,cum iride,spica,azaro, ad ternas drachmas, cum medullæ porci & ceræ sufficienti quantitate:tempore vnctionis adde quid oxymelitis scyllitici. Fotus primò fiant ex oleo dulci cum aqua & vino albo, oleo irino,sesamino,liliorum,amygdalino;misce parum vini: succi molles deinde coquantur cum oleis,vt iridis, cyclamini,cucumeris agrestis,aristolochiæ,absinthij;adde butyrum, adipes & medollas, vel porci axungium recentem,vt fiat linimentum:adiice quid spicæ,vel schœnanthi,

nanthi, styracis, ceræ nouæ, myrrhæ, iridis, vel terebinthinç, aut propoleos. Inunctionibus locus erit à fotu. Vnctio: Accipe olei amygdalini amari, & capparorum, cuiusque semunciam; ammoniaci soluti aceto semunciam: misce, fiat linimentum. oleum violarum.

Emp. Emplastrum ceroneum, cum spica, styrace, & oleo irino; emplastri diachyli compositi magni ireati adhibemus vncias duas, cum oleo irino & absinthij: emplastrum de meliloto, & emplastrum de mucilaginibus; cum absinthio, vel spica: emplastrum polyarchion Galeni & Philagrianum Pauli, apud antidotarium Florent. vnguentum martianum, & de arthanita minus, & althææ: Inunctiones ex oleo antiquo, cum adipe temperato; addimus ladanum, terebinthinam, & bdellium, vel medullam vituli vel cerui. Oleum expressum ex hepate cocto in olla raiarum, galeurum, vel caniculæ, & centrinæ: nam scribit Rondeletius ab hoc scirrhum solui.

Occultum. Accipe hepar lupi terrestris, coque ex oleo amygdalino dulci; adde radicum iridis vnciam: colaturç adde propoleos, vel sordium aluearioimn vncias tres; styracis, bdellij, myrrhæ, ammoniaci, singulorum drachmas tres; spicæ Celticæ, schœnanthi, cuiusque drachmam: fiat linimentum; vngatur hepar durum: & tempore vnctionis adde quid vini albi. Rondeletius. Gummata soluta sint cum vino & pauco aceto. Ammoniacum admotum. butyrum lotum cum decocto maluarum, & aliquo puluere roborante aspergatur.

CAVTIO.

Quæ accommodantur scirrhis hepatis, accipere debent absinthium, rosas, vel schœnanthum, vel tali vi quod præditum fuerit: nam minus emollire & resoluere debent, quàm quæ lieni admouentur. Si calor se consociat siccitati, adde reliquis oleum aut vnguentum rosatum: Si frigus, oleum mastichinum.

OBSERVATIO.

Icterus succedens obstructioni aperientia medicamina postulat, quæ nonnihil abstergant, & refrigerent: Hydrops verò aperientia vult, siccantia, & roborantia. Si à vino temperare nequeat, passulas cæruleas cum acinis tûdat, quibus adiiciat aliquid rosarum rubratũ siccatarum, iunge & cichorij radices, & vini vasculo inde. idem ceruisiæ cum pauco absinthio includi poterit.

CAPVT VII.

Cerebrum alterantia & roborantia: qua ratione id fieri debeat, & qua CAVTIONE.

CErebrum, fabricæ concinnitate, & admirandarum planeque diuinarum actionum præstantia, cæteras superat partes cunctas. ex hoc in animantes dimanat motus voluntarius, quem Græci vocarunt τὴν κατὰ προαίρεσιν κίνησιν: est enim voluntatis species προαίρεσις, ac perfecta quidem; hoc ordine: velle in communi: dein deliberare, est actus intellectus per cognitionem, promouens se in voluptatem: tum eligere: hac serie, βούλησις, βούλευσις, αἵρεσις, πρᾶξις. *Electio, aut προαίρεσις.* Non tamen solum est arx sensuum, & motuum προαιρετικῶν artifex, magnas membrorum moles, & musculorum prætumida corpora, tenuissimis neruorum fibris, sæpe ex longo interualla trahens, non sine admiratione: sed & sapientiæ est domicilium, & officina cogitationum, iudicij & memoriæ; quibus Deo genus humanum simillimum est. *Ratio.* Quæ ex corde fluit ira, brutis nobiscum communis est: at intelligentia, quæ non ex materia bruta, sed accepta ex diuinitate, & hac delibata, cognatione quadam animos humanos cum Deo coniungit, cerebro insedit. Hæc nobis loquitur qualem sese summus Deus expresserit iis notitiis, quas radiis suæ sapientiæ in mentibus humanis accendit: hoc dico loquitur Deum mentem esse æternam architectatricem, quæ organa nostri corporis tanta sapientia & arte fabricarit: & eam esse videt veracem, beneficam, iustam, castam.

Cerebri substantia, & fabrica. Cerebri huius substantia fabricata fuit ex purissima & tenuissima parte seminis & spiritus vitalis: etenim cerebro vis quædam ingenita fuit peculiaris, orta ex seminis diuina temperie, quæ quoque obscura quædam rudimenta cogitationum & memoriæ informat in brutis: sed conspicua illa imaginum conformatio in homine, & artis sapientiæque plena cogitationum series, quibus perspicuè conformantur rerum imagines longa serie rectè cohærentes, alia vis præstantior ciet & gubernat. Cerebrum copiosissimum homini inest, multis ductibus pertusum, sinubus alueisque patentioribus dotatum, perpetuisque motibus agitatur, quibus se expandit ac adducit vicissim, geminæ membranæ præcinctu, quasi vinculo quodam circumdatum ne diffluat, cùm sit conglomeratũ anfractuum complicatione, toto exteriore ambitu, helicum instar gyros ducens. At intus his plicis coeuntibus, harum coalitu solidari incipit: mox à coalitu, in amplos & laxè hiantes se expandit alueos, quos muniunt ex anfractuum fissuris solidatæ partes. Quod verò solidum in his parietum anfractibus cernitur, tenuissimis ac visum fugientibus foraminibus, spongiarum instar, peruium est.

Quatuor cellulas habet, ac omnium neruorum & spinalis medullæ cerebrum est principium: & maximos arteriarum suscipit ramos soporalium, quæ καρωτίδες sunt, de quibus intra meatus illos conditis, & in sublime subuectis, ac fissura multiplici discerptis, rursusque implexis inter se, & tenuis membranæ intertextu deuinctis, natura efformauit τὸ χοροειδὲς, καὶ δικτυοειδὲς vocatum πλέγμα, in quo, qui ab arteriis soporalibus aduehitur ex corde spiritus vitalis, vi cerebri elaboratus, ac fulgore perfusus, æthereus ac cælestis euadit. *Spiritus cerebri.* In prioris cellulis absoluitur animalis spiritus, cùm ex vitali exactiùs elaborato; tum ex attemperato huic aëre, qui inspiratione attrahitur: etenim motu perpetuo fruitur cerebrum; & spiritus in alueis cerebri perpetuos suos fluxus & refluxus habent, instar Euripi: hos distentum ac dehiscens cerebrum ex cellulis concameratis intra poros exsorbet, rursusque arctatum, regerit in eosdem, atque refundit. His spirituum motibus & purgantur cellulæ & implentur ac inflantur, vt cerebrum expeditè pateat, spiritusque traducantur in neruos sensuum.

Remedia. Quare impeditis ventriculis, actio cerebri labefactabitur; vt in iis elucet quos ἐξυπνωθέντας & νωθεῖς vocant: ita humore crasso infarctis ac stupefactis hebetatur actio: quare talia desiderabit cerebrum, quæ ab omni intemperie ac incursu noxio illud vindicent, ne infarctu impediatur. *Caput quid ferat.* Quæ tamen foris admouentur, satis valida esse debent; cerebrum enim recessit ad imas cranij & meningum partes: quare esse debent leptomeria insignia, quæ tamen non nimium calfaciant nec constringant: nam calida suo feruore materiam morbificam fundunt, ac in fluorem liquefaciunt, vt Sol: at frigida exprimunt, vt Aquilo, qui premendo hyeme fluxionis auctor est. Accedit, quòd nimis stringentia perspirationem cerebri intercludunt, ac doloris causam fouent. quare modestissima capiti adscribi debent remedia: vt quod nec æstu flagrantia, nec frigore stricto rigentia æquo fetat filo.

Nulla pars corporis adeò crebrò doloribus fatigatur ac caput; cucurbitæ enim modo cæteris superpositum partibus, passim in se rapit viscerum subiectorum inquinamenta. Quare non solùm materia morbifica capitis regione côcepta manus petit medicas, verùm & symptomata ipsa, quibus sæpe ad internecionem vsque iactatur: qualia sunt Vigiliæ pertinacissimæ, atque Dolores contumacissimi. *Vigiliæ miserandæ.* Refert Fernelius adeò diuturnas vigilias interdum à capitis morbis euenire, vt quidam menses quatuordecim insomnis duxerit. Mæcenas toto triennio, inquit Plinius, insomnis fuit: Nisolius quoque plorimos

plurimos annos sine vllo somno exegit. Verum remedia quæ hæc symptomata placant, frigore vehementia sunt: nec temere capiti, parti frigidæ, imponenda, quæ facilè ad similem intemperiem abducetur, ac sui officij immemor reddetur: at eius officio vita carere nequit.

Dolorem placemus & vigiliam. Quare quæ capiti admouebuntur, illi blanda quadam vi placere debent, vel membranas, neruos, aut spiritus animales recreare. Propterea summa religione narcoticis vtemur, sunt enim inimica partibus solidis ac calido natiuo: interdum tamen ad hæc deueniendum est, cùm summa adest necessitas; cùm nempe vires resoluuntur, vt cessantibus doloribus vires recolligant ægri, morboq; fiant pares, & vt sufficere curationis spacio valeant: *Narcotica.* scopus enim eorũ esse debet virium conseruatio. Crudelis est medici ægrum doloribus ac vigiliis enecandum relinquere: at adulatoris, si hæc leuissimis doloribus exhibeat: sed virium iactura eum ad hæc trahere debet; sed semper, ne quid nimis. at læsio, melior morte. Præterea si inde plus commodi quàm incommodi adferatur ægris, illa dabimus; vt si fuerit à mordente bile, & vaporibus febrilibus, vt mitigata materia, obrepat somnusqui, cùm nihil sit quàm [illegible], *Somnus quid.* cùm à suaui anathymiasi rigatur cerebrum, quæ à toto corpore surgit ac immiscet se cerebro: si dico eius loco acris vapor eò se transferat, is omni opera vt madescat studebimus, ac narcoticis rigabimus. Attamen asserimus his locum non esse, si ab intemperie sola calida citra materiam incubuerit dolor.

Dolori vt narcotica dentur. Præterea dico, dolorem (cuius ob vim narcotica in vsum euocantur) duplici ratione considerari; quatenus est perceptio rei naturæ tristis: vel ratione iuncti alterius symptomatis, vt sunt vigiliæ. Dico ob incommoda vigilatum vtiliter nos his vti, cùm in vitæ discrimen certò ab his trahatur homo, & cum delirij metum adferant. Ratione tamen doloris capitis non sunt danda; non etenim tam immaniter affligit dolor cerebrum, vt inde vitę periculum adferatur: nullus sibi manus intulit ob cerebri dolores, inquit Galenus, vt ex dolore aurium & oculorum: Quare Apollonium reprehendit, quòd in hoc dolore narcoticis vlus esset. Dicam quænam sint illa remedia quibus in infractis vigiliis vtendum sit, & quo modo illis sit vtendum, in qualitate, quantitate, tempore, & vtendi modo.

Lactuca. Domestica. Qualitate vtendum hac serie: primo vtatur lactuca hac olim Antonius Musa ab ancipiti morbo Augustum curauit. capiti admoueatur eius succus; vt & agrestis lactucæ, & seridis succus linteo exceptos. Secundò veniemus ad succum nymphææ, & cydoniorum. cui folia oliuæ incocta sint: dein vtemur liquore solatri, & radice mandragoræ, capite & seminibus & foliis papaueris, tandem opio ex vino, cum oleo chamæmelino & croco. *Somnifera; potio.* Potio ὑπνωτική: Accipe decoctionis lactucę & portulacæ vehementer expressæ, vncias quatuor; syrupi papaueris vncias duas: misce. detur quatuor horis à cœna: Si vires languent, adde diamargariti frigidi scriptulum vel semidrachmam. Accipe quinque vel sex capita papaueris erratici, in cyathis vini tribus ad dimidium coctis: vinum potui datum: ita & mandragora.

Compos. Compositis hac serie vtemur: primò Mithridatio recenti. & theriaca noua, diaspermato, philonio Romano: id quò fuerit vetustius, eo minùs stupefacit; vt & reliqua: requies Nicolai. Compositorum vsus est tutior quàm simplicium: ob opij vim à vi fermentationis edomitam.

Quãt. temp. Quantitate hoc modo vtendum: Accipe Philonij Romani scriptulum, mithridarij veteris semidrachmam: sumat hora somnj. *Vel accipiat* philonij Romani drachmam, cum syrupo lactucæ aut papaueris. Montagnana audacter hoc vtitur: *Accipe* papaueris albi semunciam, corticum mandragoræ, hyoscyami albi cuiusque semidrachmam, croci integri grana quatuor: leniter contusa ac sindone excepta per sex horas immittantur aquæ nenupharis vnciis quinque: fiat expressio. datur ad vncias tres.

Foris. Foris: Accipe philonij drachmam, olei chamæmelini semunciam: fiat inunctio. vel: *Accipe* olei violacei drachmas tres, aceti drachmam, opij, croci, cuiusque grana tria: misce, vnge (purgato corpore) tempora & frontem: sed à sutura coronali abstine. In magna febre, *accipe* aquæ rosatæ vncias quatuor, opij scriptulum, croci semiscriptulum: miscè pro frontali. Montagnanà inquit, extremè hoc somniferum erit. *Accipe* vnguenti populei semunciam, olei violati drachmas sex, seminum hyoscyami, corticum mandragoræ, singulorum semidrachmam, opij grana tria, aceti parum. Sed in bis

Cautio. Cautio est admouenda. Galenus à succo papaueris & mandragoræ abstinendum esse dicit: & Gordonius inquit, non nisi in desperata re, ad hæc veniendum. minùs nocet oleum papaueris, in quo capita eius coxere, & mandragora. & ab hyoscyamo in capitis rebus abstinendum, nam (vt nomen indicat) dementat Altercum.

Vtendi modus: fiunt linimenta, inunctiones, potiones, pilulæ.

Series remediorum. Primò à lentoribus auspicandum, atque vtemur oleo nymphææ: secundò, portulacæ; tertiò, mandragoræ: quartò, papaueris: quintò, ad opium veniemus. Sedato dolore & vigiliis (vt eluatur impressum frigus) inungatur oleo de spica, vel chamæmelorum, & intus conseruis calidis recreetur calor. *Fotus.* Fiunt quoque Fotus manuum & pedum: accipe foliorum portulacæ, lactucæ, solani, lenticulæ aquæ, vmbilici Veneris, & aizoi, foliorum salicis & vitis, singulorum manipulos duos, capitum papaueris (si parua fuerint) numero viginti, carnis cucurbitæ interioris cum seminibus semilibram, corticum radicum mandragoræ vncias tres: florum nymphææ, violarum, summitatum anethi, singulorum semimanipulum: fiat decoctio in aqua pluuiæ: cape colaturæ vehementer expressæ libras tres, aceti vini albi semilibram: manus & pedes hoc balneo vtantur, aut pannis ab hoc decocto madidis tepidè inuoluantur. Non autem vbique omnibus his incoctis opus est, nam interdum duo aut tria suffecerint.

Elegans. Spongia frigida nonnunquam paratur, hoc modo: Præscriptis decoquendis adde foliorum hyosciami, mandragoræ & papaueris albi, singulorum manipulum vnum; cape de colatura libram: succi lactucæ vncias quatuor, opij in hoc decocto dissoluti drachmam: misce. Hoc ex decocto ter quatérve maceratam spongiam in vmbra siccato: cùm vti velis, iterum macerato, ac tepidam admoueto naribus. Si hoc modo diuturnior obrepat somnus, tum spongia macerata decocto serpilli, maioranæ, apij, & seminis fœniculi, cum aceto naribus apponatur.

Accipe croci, opij, myrrhæ, hyoscyami albi, corticum radicum mandragoræ, singulorum scripulum: cum succo lactucæ fiant trochisci. Vnus soluatur albumine oui, vel lacte muliebri: fiat inunctio temporum.

Tempus. Tempus. Tunc his vtemur cùm somnus leuioribus euocari non potest, & cùm summa adest necessitas. *Cautio de Opio.* Opium, nisi fermentatione fractum fuerit, nunquam intus exhibeatur. quare philonium sit sex mensium; perennant enim in decimum annum: sed tamen quò fuerit vetustius, eò erit imbellius. Sedato dolore ac placatis vigiliis, ilico remoueantur hæc narcotica, ne calidæ intemperiei frigida superueniat, quod est calamitosum.

Parti aui. Pars, non admoue suturæ coronali, sed temporibus & fronti; auribus quoque indit Rhazes (qui centum annos medicinam fecit) sed bellum indixit auditui; quare, si licet, præstat supersedere ab eius vsu, & potius quid vnguenti rosati cum oleo nenupharis auribus & naribus inserere; adiecta parte populnei, si recens fuerit.

CAVTIO.

Vbi crassi & glutinosi succi exuberant, alienissima ab eis

eis sint quæ torporem inferuot, modò absit ab ægro periculum.

Ad causas dolorum. Quæ verò remedia præscribuntur, non ad dolorem capitis ipsum, sed ad Causas dolorum, varia esse debent, vt fuerit causa morbifica varia.

Sine materia. *Cautio de aceto.* In Calida enim intemperie sine materia, foris adhibeatur oleum rosatum, quo diu medici vsi fuere ante Galeni tempora. Trallianus momentum aceti affundit, quò magis penetret. *Adsit illa cautio*, vt ad vncias olei ferè tres, aceti semuncia affundatur; alioqui somnos excutit. ita quindecim vel viginti diebus vti licuerit: ita & oleum cydoniorum (melinum veteribus dictum) in vsum vocabitur cum panco aceto: vnguento rosato lubenter vtimur in capitis ardore, cùm non ita effluat, vt oleum: succus portulacæ illi misceri potest.

Ab intemperie frig. Si frigus materiæ expers molestum sit, non admouenda erunt quæ ingratum odorem spirant, quale est oleum laurinum & irinum; sed potius fiant Fotus ex spongia imbibita aqua decocti chamæmelorum, vel foliorum lauri, serpilli vel hyssopi, calaminthæ, rutæ, iberidis, prassij: vel oleo chamæmelino incoqoantur folia lauri. *Exemp.* In valida intemperie frigida vtitur Galenus Euphorbio, cum cera & oleo non adstringente: accipit Euphorbij vnciam, ceræ vncias tres, olei libram, q.d. sint olei partes duodecim, ceræ tres, & vna euphorbij: vt, accipe Euphorbij drachmam, ceræ drachmas tres, olei cōmunis, anethini: vel chamæmelini, vel nardi sescūciam: misce, applicentur parti dolenti. Vel fiant fomenta ex herbarum manipulis tribos, aquæ libris quadraginta: *Fortiora.* bulliant ad quartæ partis consumptionem. Rhazes contumaciorem videns hanc intemperiem, conficiebat trochiscos ex pulnere euphorbij, castorei, pyrethri, sinapi, hyssopi, styracis, rutæ, marrubij: comminuebat hæc in puluerem subtilissimum: aromatico vino excipiebat, & in vsum reponebat: à fotu, siccato capite, accipe horum trochiscorum drachmam, cum oleo caryophyllorum, vel de spica. suturæ coronali impone, priùs fricato capite, vt peruia sit vis remedij: frons & tempora illinuntur, ac auribus quid indit Rhazes. Tam pertinax hoc vitium est, vt Aretæus, Rhazes, Auicenna ad sinapis- *Notan.* mos, dropaces. & phœnigmos tandem surgant. Nil itaq; mirum, si hoc æuo dolores non expugnentur, cùm lenioribus oppugnentur, nec ad robusta illa facilè transferant curationem medici.

Cū materia. Sin verò non simplex sit, oudáve intemperies, sed si sese iungat materia, purgato toto corpore & capite, ei admouebimus remedia. In quorum vsu illud notandum, materiam doloris gigni in capite, vel aliunde importari, vel vi detineri. Cùm gignitur in capite, sint remedia ita comparata, vt intemperiem abigant: maximè autem à frigore gignitur; sint igitur calida odorata, qualis maximè est ambra & moscus: hæc suturæ coronali, auribus ac naribus erunt inferēda, vt recreetur spiritus animalis, & si qui flatus adsint à frigore, dissipentur. hoc efficit & oleum seminis saluiæ, & eius decoctum. Sin aliunde affluat materia morbifica in caput, erit repellenda succis frigidis crassis: nam frigidum crassum maximè refrigerat, vt calidum tenue valentissimè calfacit: sed tamen leptomeria prædita his misceri debent. Laudatur oleum rosatum recens, eo anno confectum: id validè astringit, ac strenuè refrigerat. Quòd si molliota fuerint corpora, leniùs agendum erit. oleoq́ue chamæmelino erit vtendum, quod ex oleis & floribus im- *Aceti in his vsus.* maturis confectum fuit. Omnibus miscendum est acetum; nisi vigiliæ vrgeant: alioqui reponimus eius loco succum acetosæ, radicum quinquefolij. aut arantiorum *Temarsis.* acidorum, & limonum: sed sint hi fructus maturi, vt penetrent succi. Sed qui prudenter hæc in vsum vocare velit, videre debet, qua temarsi sint adhibenda: in quo capitis dolore commoda sint: qua copia sint præscribenda: quo modo in vsum vocanda: quo tempore: & cui parti capitis imponenda. Cum sine materia dolor capiti incubuit, moderatè admodum his vtendum erit; sin materia adfuerit, ea perpetuò ab influxu arceoda, siue feruida, siue frigida fuerit. *Notanda.* Id notandum, si calida materies morbifica fuerit, frigidis & adstringentibus remediis vtendum erit, vt oleo rosato omphacino, cum aqua rosata: sin frigida fuerit morbi materia, non sint astringētia, attamen frigida, quale est oleum rosatum completū & violatum. Accuratè cuncta in negotiis capitis sunt transigenda, minimam enim noxam facillimè sentit: quare si euenerit vt alij affectus sese misceant doloribus capitis, obstructio, febris, catarrhus; religiosiùs agēdum *Obstructio capiti.* erit. Quòd si obstructio sese iungat, ab vsu adstringentium remediorum (quæ foris adhibentur) erit abstinendum, nam geminarent infarctus: hinc est quòd veteres ad somnum prouocandum præscripsere serpillum, crocum, puleginm, & anethum; nam expugnant vigiliarum causam, obstructionem. vt rhabarbarum euacuat bilem & refrigerat, ita vinum anethinum somniferum est.

Cum febre. Si dolor caput fatiget cùm homo Febri implicitus iacet, perpendendum num sit dolor criticos, nec ne: si criticus, nullo loco vsui erunt frigida reprimentia, quia iamiam futuram hæmorrhagiam significat si hanc prohibueris, mortem inferes. Quòd si non criticus fuerit dolor, is erit vel à febre pituitosa vel biliosa: si materia quadam acrimonia exardescat, licebit eam reprimere adstringentibus: sin pituitosa fuerit, retusio vtilis quidem erit, quæ fit rerum frigidarum vsu; at repressio, non fiat adstringentibus.

Cum Catarrho. Quòd si catarrhi soboles sit dolor, si eius materia acris fuerit vberrima, contaminata maligna vi, salsa & putrida, à repulsione temperandum, ne materia ruat in pulmones, à vi remediorum eò præcipitata: alioqui reprimere licet, non tamen ita astringentibus.

Aceti copia. Sed qua Copia, frigida capiti erunt admouenda, & adstringentia, quale est acetum? Dicimus considerandā esse causam doloris, dolorem ipsum, & ei annexa, vt vigiliæ & delirij metus. Si enim à sanguine fuerit dolor, multum aceti erit miscendum: parciùs cùm pituita molesta est: parcissimè si bilis fatiget. nimium enim siccat: at minima sit eius copia vbi melancholia bellum naturæ mouet. Quò dolor acerbior fuerit, eò parciùs aceto erit vtendum, ob eius acrimoniam, dolori infestam; & vigiliis contumacibus inimicum est acetum.

Capitis quinetiam natura est lustranda, in temperie, structurâ & situ. Caput quod temperiem insignem nactum fuit, vberrimam copiam medicaminum repellentium perfert: frigidius si fuerit, non ita: minimè calidius, quòd vigiliæ exhauriant: nec caput siccum, aceti vsu gaudet: vt humidum, vberiorem copiam perfert. *Qualia ferat cerebrum.* Quare assero, in admouendis capiti remediis, cerebri temperiem vnicè esse perpendendam, quod tale est, vt nec validè æstu incandescentia, nec admodum frigida ferat: vt enim frigore materia illo concepta exprimitur, ita & calore in fluxum laxatur. Structura si laxiore caput fuerit, minori copia aceti vtemur, quòd vehiculo nō egeat penetrabili: si densior fuerit, copiosiùs. Situs si fuerit dolor ad peripheriam, ab aceto cauendum, vt si pericranium doleat: à suturis quoque cauendum. nam frons & tempora validiora ferunt.

Vsus præceptorum. Vt si dolor fuerit à sanguine, accipe olei rosati omphacini vncias tres, aquæ rosatæ sescunciam: misce, & conquassentur in mortario plumbeo: nam ita sese oleum cæteris miscet, linteum ex eo calidum capiti imponatur.

A bile. Si à bile fuerit, accipies olei rosati, aquæ rosatæ, cuiusque ℥ij. cum semisse, aceti semunciam: misce: vel accipiemus seminum althææ & maluæ, cuiusque drachmas duas: affuso aceto conquasseotur pistillo, & linteo aquæ rosatæ tincto excipiantur; ac capiti admoue: Ita & semē cydoniorum & psyllij admouentur; & oleum nymphææ, cucurbitæ, florum salicum, & violarum.

Vigil. Vigiliæ si doloribus nectantur, accipiemus olei rosati omphacini vncias duas, aquæ rosatæ sescunciam, olei violacei,

violacei, succi lactucæ singulorum semunciam, acetositatis citrij vnciam: misce.

Pituita. Pituitosa si fuerit materia, accipe olei rosati completi vncias tres, olei chamæmelini vnciæ semissem, aceti vnciam: remisce.

Qualitas remedij adhi. Cùm materia morbifica fuerit calida, actu frigidis remediis vtemur: sin frigida fuerit, actu tepidis. in molli corpore vsus eorum sit tepidus: ita & declinante morbo calido. His igitur Cautionibus capiti inferenda erunt remedia. iam copiam eorum subdimus.

Series Remediorum quibus cerebri intemperies in melius vertitur, ac languore fractum erigitur.

Caput calidum corroborantia, & in eo conceptam Bilem ac extra venas effusam Alterantia.

Intus. Rosa accersit quoque somnum, mentem & cerebrum firmat. *Viola*, hæc emollit præassatam bilem, ac lenit eius ferociam, & somnum euocat. *Nymphaea flos* humectat secundo ordine. *Lactuca* folia & semen sine iniuria somnum accersit, vnde anathymiasi suaui rigato cerebro, æstu incandescens bilis mitescit; à cœna manducatur: Ita olim antiqui, qui mensas frigidas celebrarunt hoc est, acetaria. Sed tempore Plutarchi à cauda ad os (vt inquit Plato) primùm translatæ lactucæ, vt prodidit eius ferè coætaneus Martialis, dum inquit:

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

quasi dicat: olim ad somnum mandebant lactucas, iam ad luxum, quò ventriculus recreatus lactucæ frigore auidiùs pastum ineat. *Portulaca* & eius asparagi in acetarium cocti: *Acetosa*, & eius folia incisa, & cum butyro cocta, gratissimum præbent olus & capiti & cordi: *papauer: ceterachum, & capillus Veneris*, qui tamen modicè calet, sed ichorem biliosum ad vesicam ablegat, atque hinc refrigerat, exhausta bile. *Citri acetositas* saccharo condita, ab æstiuo sole: *granatorum succus ac vinum*, ribes, berberis, hordei farina, & inde pulticula: myrobalani conditæ: hordeacea aqua, & aquæ gelidæ potus: conserua foliorum lactucæ.

Conserua & electaria. Diacorallium & diacodium, conserua symphyti, manus Christi, diatragacanthum frigidũ, & diamargariton frigidum: hæc robur capiti afflant calido. Requies antidotus, & philonium: sed hæc sunt prudenter exhibenda: vt & diaolibanum opiatum, & ambrosia Archibij in antidotario Florentino, diacodion simplex & compositum, pilulæ de cynoglossa, trochisci de succino apud Fernelium, syrupus nymphææ, conserua boraginis, diatrion santalon: Polenta, id est, farina tosti hordei viridis.

Potanda. Accipe hordei mundati vnciam, seminum quatuor frigidorum maiorum excorticatorum, seminis papaueris albi, cuiusque drachmam: fiat emulsio ex aqua, ad vncias quatuor; adde syrupi de papauere, sacchari albi, singulorum vnciam: fiat hordeatum. Iulepum rosatum & violatum. Syrupi papaueris nigri vnciæ duæ, aquæ nymphææ vnciæ tres: misce. somnum infert. Lac amygdalinum, cum emulsione seminum frigidorum; vel emulsio seminum papaueris ex aqua lactucæ. Accipe syrupi rosati, diacodij, cuiusque vncias duas: sumat mediam partẽ horâ somni. Syrupus violatus, & nymphææ diluatur aqua melissæ, endiuiæ, & lactucæ. A pastu datur miua cydoniorũ, cum cõserua rosata, & seminibus coriandri.

Roborans. Electarium roborans: Accipe pulueris Diarrhodonis abbatis, trium santalorum, cuiusque scriptulum, ossis de corde cerui numero vnum, sacchari rosati tabulari quod sufficit: adde conseruæ buglossi, boraginis, nymphææ, rosarum, cuiusque drachmas duas, conseruæ cichorij, corticis citri, singularum drachmam: fiat Conditum, quatuor foliis auri coopertum. Præbentur medicamina cum aqua verbenæ: olei margaritarum sena grana.

Obseruatio: Apozemata hîc santalis imbuuntur.

FORIS.

Capiti calido foris admouentur Corroborantia, & æstum Alterantia: vt vnctiones humidæ & frigidæ, & lotiones moderatione quadam præditæ: Apophlegmatismi quoque temperati, & sternutatoria, fotus, irrigationes quas embrochàs vocant, cataplasmata, frontalia. Silua horum remediorum est maxima vnde hæc fabricantur, vt rosæ, violæ, nymphæa, & eius folia & oleum, ligustri flores ex aceto, hippoglossum. Pulueres Cephalici ex violis, nymphæa, rosis, chamæmelis, papauere, mandragora, anetho, stœchade, santalis, lactuca. Lac, acetum, aqua rosata, caphura, quæ frigida est, & sicca ordine tertio, leptomeria præclarè prædita, cum aqua rosata temporibus & fronti admouetur, pro fotu: trochisci de caphura, populus, solatrum, & sempervivum, papauer album, tum nigrum, & rhœas, mandragoræ folia & radix, cum oleo fronti illita.

Repellentia. Repercutientia omnia vapores calidos, vt oxyrrhodinon: posca: ex qua & os sæpe lauatur: vnguentum populneum non rancidum: opium si addendum, non vltra decem grana accipiat vncia. Vnguentum rosatum, placentæ ex rosis, & quicquid inde fingi poterit; nam suaui odore vnà recreat rosa cerebrum, ac vapores à cerebro arcet: vnde roseæ coronæ olim mensis vinosis expetitæ fuere, quòd ebrietati hac vi resistant: vnde Anacreon ipsum vinum olens cecinit: *Rosa mensis expetita.*

Τὸ ῥόδον τὸ τῶν ἐρώτων
Μίξωμεν Διονύσῳ,
Τὸ ῥόδον καλλίφυλλον
Κροτάφοισιν ἁρμόσαντες,
Πίνωμεν ἁβρὰ γελῶντες. hoc est:

Rosam amoribus dicatam
Sociemus ad Lyæum:
Foliis rosam decoram
Capiti reuincientes,
Calices iocemur inter.

Rosæ vino maceratæ & admotæ; vel rosæ linteo exceptæ & odoratæ: cucurbitæ quoque frusta conferunt. ligustrum, plantago, pampini: Pomorum & herbarum etiam succi: Violæ, semen lactucæ & portulacæ, santala, fœnugræcum, (quod temperie valet) mori succus cum aceto, psyllium cum aqua rosata. Rhodostagmate, hoc est, aqua rosata foue caput ex spongia, & postea illine caput vnguento rosato; ita frigidum permanebit: portulacæ folia contusa: fungi ab ima stirpe sambuci auulsi, ac cum aqua rosata admoti: aqua florum sambuci, aqua cucurbitæ & melonum, vuæ immaturæ succus, muscus arborum cum oleo, polygoni succus & endiuiæ: muccus limacum: Rhodia radix cum rosaceo fronti & temporibus adhibita. Melilotus: Cratinus hunc vocauit ἀεὶ φρουρὸν, semper custodem, (Latini Sertulam) quòd præcipuè ebrietatis feruorem mitigaret coronis imposita herba, ac caput à dolore custodiret vi frigida, auctore Athenæo, qui scripsit [illegible]. *Ebrietatis medicamen.* Poculis dedita antiquitas, acerbissimos cùm in dolores capitis sæpe incurreret, præsentius medicamen sensit nullum, quàm loris arctè caput cum stringeret: hæc tandem iucunditate mutauere, nexis coronis ex hedera, meliloto, myrto, rosis. *Vnde Coronæ.* Tantus coronarum vsus fuit apud veteres, vt Mnestheus atque Callimachus priuatim de illis scripserint: Nec his humana luxuria satiari potuit. Sed, inquit Plinius, ex auro & argento folia tegere cœperunt, pretiosisque vnguentis perfundere: quasi parum esset à natura elargitis perfrui, nisi aut illam vincere, aut dehonestare tentassent. brassicæ succus, & eius folium capiti admotum: coriandrum cum rosis linteo exceptum, aceto tinctum, ad odorem: aqua betulæ arboris: fabaria pistata cum aceto, nymphææ folium capiti admotum.

Lotiones. Lotiones ex rosis, violis, nymphæa. cum lixiuio ex cineribus salicis; & ex aqua tepida, vel decocto lactucæ, & aqua verbenæ. Accipe folia lactucæ, & capita papaueris, cum chamæmelis, foliis salicis, nymphææ, cucurbitæ, betonica, violis vel rosis: ex aqua coquantur; ac addito aceto, fiat fotus. Balnea hîc conueniunt quæ

hepati

hepati calenti adſcribuntur, Mandragora coquitur cum hordeo, pro fotu.

Olea. Inunctiones ex pinguedine & oleo recenti, ex oleo roſato, chamæmelino, ex immaturis floribus fabricato: nymphææ oleo, vel ex oleo communi cum pauco aceto: camphora ex vnguento roſato, vel ex adipibus & oleo amygdalino, validè rubores faciei abigit: Laudatur & oleum in quo cucurbita coxit, vel flores eius macerati ſunt: & oleum liguſtri, oleum myrtinum, cydoneorum, oleum verbenæ, cerotum refrigerans Galeni, oleum mandragoræ, papaueris, & populneum; his adde oleum chamæmelinum:

Apophlegmatiſmi ex aqua tepida & lacte, ex mulſa cum ſero lactis.

Odoramenta ex aceto, aqua roſata & caphura. Sacculi fiant roſcidi ex aqua & aceto.

Eplenia. Frontale. Accipe farinæ hordei ſemimanipulum: ſeminis papaueris drachmas tres; cum lacte muliebri, oleo & aceto roſato, vel decocto capitum papaueris, fiat pulticula, quæ, inter duas ſindones, fronti admoueatur: miſcentur interdum roſæ, violæ, & flores nymphææ.

Aliud: Accipe ſeminum conquaſſatorum althææ, pſyllij, cuiuſque ſemunciam: macerentur aceto, & in duobus linteis excepta, capiti admoue.

Aliud: Accipe foliorum lactucæ manipulos duos: florum roſarum manipulum, ſeminum papaueris ſeſquidrachmam: adde farinæ drachmas ſex: coque in aqua; adiectoque olei violati quod ſufficit, fiat cataplaſma.

Aliud: Accipe roſas rubras maceratas in vino, excipiantur inter duas ſindones tres digitos latas: & ab vna aure ad aliam, extenſum fiat ſplenium: ita nymphææ & violarum flores, cum chamæmelis, & cyperi radice excipiuntur. *Somno.* Si ſomnus ſit inducendus, adde folia lactucæ, papaueris vel mandragoræ; vel ſemina papaueris, lactucæ, & ſantala, cum pauco ſemine anethi, fiat ſplenium, quod ex aquæ roſatæ & aceti fumo ſuffiatur. *Placet nobis* hapſus lanæ vel bombacis, oleo violaceo tepente imbutus: poterit addi lac muliebre, & fronti & temporibus admoueri. Lac muliebre cum pauco aceto: muccago pſyllij cum oleo violato, vel roſato, vel amygdalino.

Oxyrrhodinon ex oleo roſato, cum ſeſcupla parte aceti; vt olei vnciam, aceti drachmas duas: miſce, & agita diu in phiala. *Phrenit.* Vel vbi metus adeſt phrenitidis, accipe olei roſati vnciam: olei nymphææ ſemunciam, olei papaueris, ſucci ſolatri vel lactucæ, vel papaueris, vel roſati, aceti vel potius ſucci limonum, ſingulorum drachmas tres: in phiala diu miſceantur.

Aliud: Accipe olei roſati completi vncias duas, aquæ violatæ, vel nymphææ vnciam, aceti ſemunciam. Trochiſci narcotici apud Fernelium, libro ſeptimo vbi de Trochiſcis.

CAVTIO.

Parcè vtendum in capite, quæ manifeſtè adſtringunt: & ſæpe calida quædam adduntur, vt reliqua penetrent. Si fuerit non fixus dolor, ſed fugax, ab imminente criſi, nullo modo erit reprimendus: nam naturæ ductu iamiam hæmorrhagiam in procinctu eſſe denotat, quam ſi retruſeris, mortem adferes. Notabimus facilè, criticum eſſe, ſi in diem criticum per febres incurrerit: & ſi pepaſmi ſigna per febres præceſſerint: vt vrinæ coctio.

Rubor faciei. Ad faciei ruborem: Accipe Lithargyri argentei vnciam, ceruſæ albiſſimæ drachmas tres, caphuræ ſcriptulos duos, aquæ ſolani, lactucæ, nenupharis, cuiuſque vncias tres, aceti albi vncias duas: reſideant horis ſex: & filtro tranſmitte: Aqua vitreo vaſe ſeruatur: ac cottidie bis aut ter ea facies madeſcat.

Aliud: Accipe vnguenti roſati vnciam, ſulphuris in pollicem acti binos ſcriptulos: miſce ſine foco.

Accipe radices lapathij acuti quot volueris, ablue & exſicca interiora dura: puluериſentur ruditer, & miſceantur cum axungia veteri liquefacta & colata: & cum cera alba fiat vnguentum: adde parum mercurij extincti ſaliua hominis ieiuni.

Vel accipe iam dictas radices, easque miſce cum vnguento roſato: adde parum mercurij crudi, diu fricti cum albumine oui, vel præparati in mica panis calidi.

Ad guttam Roſaceam: Ceruſa ponatur cum aqua roſacea ad Solem: qua ſiccata, adiiciatur alia, dum fiat albiſſima, & fiant pilulæ. Soluatur vna ex roſacea, & illinatur facies.

Piſtentur nuclei pinei recentes, & coquantur ex lacte & roſacea: colligatur ſupernatans pinguedo poſt refrigerationem: Eo facies illinatur. Ad veterem guttam roſaceam accipe caphuræ drachmam, boracis drachmas duas, farinæ cicerum ſemunciam: miſce cum ſucco citrangulorum & melle: inunge.

Caput frigidum corroborantia, ac in eo conceptam Pituitam ac extra venas effuſam Alterantia.

INTVS.

Simplicia. Talia ſunt Betonica, ſaluia anguſtifolia, neruos firmat: angelica, chamæmelum, acorum, lauendula, coriandrum, radix imperialis, dictamnus, lauri folia, verbena, ſatureia, euphragia; maiorana, hæc leptomeria valet, & flatus excutit; chamæpitys, cyperus, hyſſopum, praſſium, artemiſia, origanum, calamintha, meliſſa, primula veris, thymus: ſerpillum ſomnos adfert, & catarrhos ſiſtit: roſmarinus ſenſus omnes & memoriam recreat, tremori & paralyſi dicatus: myrtus ſpiritus animales fouet, & catarrhos ſiſtit: calamus aromaticus, acorus & galanga flatus excutiunt: helenium, pæonia mas, pauores abigit; & aperit: ocymum caryophyllatū, ruta, iris, ſpica, centaurium minus, neruis dicatum eſt: coriandrum, piper, cortex citri conditus, zinziber conditum, caſtorium, guaiacum, cubebæ, nux myriſtica, iuniperi baccæ, maſtix: ariſtolochia lentam adimit pituitam, hinc Epilepſiæ ab vtero inſigniter confert: thus confert obliuioni, & hebetudini, inquit Auicenna, nam animales ſpiritus recreat. Pyrethrum conditum epilepticis prodeſt: aqua exſtillata ex floribus tiliæ: myrrha, medicamen è ſcylla; fœniculū, quod oculis ſtudet. Sarſa parilla, & ſaſſafras.

Conſerua & ſpecies. Pilulæ de ariſtolochia, à Fernelio deſcriptæ, libro ſeptimo. Conſerua florum vetonicæ altilis, conſerua florū ſaluiæ, & anthos, diacorum, diapæonias, diamargaritum calidum, ſtœchas Arabica; & ex ea vnicus ſyrupus cephalicus calidus, de ſtœchade, celebris habetur; nam ſtœchas quaſi vitam neruis afflat: ſed ſtœchas per ſe, vt & alia cephalica, nimis calida eſt; quare hoc ferè ſolo ſyrupo vtimur in frigido cerebro. *Odorata reiiciuntur.* Gal. tertio κατὰ τόπους, myrrham & crocum reiicit: quòd nimis odorata cùm ſint, plethoricis cauſis grauent caput: quare ſint leuiter odorata; quale eſt coriandrum. Confectio anacardina. hoc vehementer firmat cerebrum, terebinthinæ cypriæ drachmæ tres, confectionis anacardinæ drachma: miſce: fiat Bolus: *Bolus.* diacyminum, conſerua pæoniæ, cum eius ſemine: diacaſtorium, electarium pleres archon mire iuuat: dianthus, diamuſcum: ſed inter cætera excellit Theriaca & Mithridatium, aurea Alexandrina; aromaticum roſatum. confectio lætificans Rhazis, capite De melancholia ab eo deſcripta nono libro ad Almanſorem: *Notandum.* *In ea, id notandum, quòd accipit pro tribus partibus mellis, vnam pulnerum: at noſtri pragmatici vnciæ ſacchari aut mellis drachmam aſſeribunt aromatum: ſed nullo ſucceſſu ſæpe.* Theriaca diateſſaron: trochiſci de gallia moſcata.

Electarium. Accipe pulueris aromatici roſati, ex deſcriptione Gabrielis, & roſatæ nouellæ, cuiuſque drachmam, pulueris diagalangæ & diacymini, ſingulorum ſemidrachmam, ſacchari ſoluti in decocto ſaluiæ, vel betonicæ, quod ſatis ſit: fiat electarium in tabulis pondere duarum drachmarum, vel trium.

Accipe olei florum roriſmarini vel ſaluiæ, vel aniſi ſemiſcriptulum, aqua cinnamomi ſoluantur tres vnciæ ſacchari; & fiat confectio in rotulis.

myristica, & cæteris aromatibus: sed non sit mulsum vinosum à fermentatione redditum. audi Pauli ab Ægina de hoc sententiam: is ita scribit, 3. lib. 6. Hydromelum, quod à Cebyra adfertur vinosum in paruis vasis, reprobandum est in Phrenitide, vt quod peiora detrimenta quàm vinum in talibus inducat, & præsertim in capitis affectibus, & ante coctiunem. Decoctum ligni guiaci cum floribus cardui benedicti laudatum est remedium: Sunt enim affinia, eodémque modo agentia, (ὁμοιότητα vocat Hippocrates) ad peripheriam enim corporis diffundunt succos, ac à capite auertunt. Aqua theriacalis cum succo betonicæ hausta bis in septimana, sub ingressum lecti.

Potio. Accipe foliorum saluiæ manipulos tres, seminum pæoniæ vnciam, (vel potius ex D. Langij sententia fraxinellæ) anisi semunciam, glycyrrhizæ rasæ drachmas sex, castorei scriptulum: coque ex vino; fiat potio.

Accipe syrupum stœchados, oxymel, & mel rosatum, cum aqua saluiæ, rutæ, vel betonicæ. Aqua vitæ in qua maceratum sit castorium, acorum, saluia, vel mastix, aut calendula.

Accipe mithridatij, theriacæ antiquæ, confectionis anacardinæ, cuiusque semidrachmam, castorij scriptulum semis, aquæ vitæ, in qua infusa fuit nux moschata, semunciam: fiat haustus. Hæc mirum in modum recreant cerebrum; vt & illud:

Accipe hyssopi, saluiæ, cuiusque sesquimanipulum, florum rorismarini manipulos tres, nucis myristicæ sesquidrachmam: tepidè macerentur in aqua vitæ, horis viginti quatuor; factaque colatura, nouæ herbæ imponantur, idque sæpius. Vel aquæ vitæ quid imponitur theriacæ, mithridatij, vel diamosci dulcis, aut diambræ & castorei. Aqua florum rorismarini: vina quoque medicata, vt rorismarini, aqua canellæ distillata. Apozemata aromatizentur zinzibere.

Decoctum cephalicum, descriptum in Antidotario Florentino cum serapis. Decoctum florum stœchados cum melle: Aqua theriacalis cu[m] succo betonicæ. oxymel celeberrimum est medicamẽ. Succus & radix Scorsonetæ. Cubebarum grana quinque cottidie deuorata. herba gallæ bibita; ita vocant horminum. Vinum iuniperinum.

SEMPER *adsit remediis stœchas.*

Syrupi. Syrupus prassij, mel anthosatum, syrupus de arthemisia. Hæc tenuant, & expedita reddunt quæ obstructa continebant: vtilia futura, modò febris absit. syrupus

Cautio. hyssopi, mel rosatum, syrupus acetosus simplex. acetum scylliticum.

Accipe liquoris distillatitij lilij conuallij, in quo aurum vel ferrum sæpe exstinctum fuit, aquæ distillatæ cerasorum dulcium, nigrorum, partes æquales: bibat.

CAVTIO.

Vbi morbus caput fatigat per effumigationem, à leptomeria præditis maximè cauendum; vel ante cibum exhiberi debent: sed temperatè calidis semper est vtendum. NOTANDVM: *Vbi pituita neruis infusa fuerit, Apozemata ex zinzibere aroma ducere debent.*

FORIS.

Capiti frigido foris admouentur *Corroborantia*, & *frigus Alterantia.*

Simplicia. Vt Anethi semẽ, & anisi, alkermes grana, galãga, zinziber, macis, cinnamomũ, cyper⁹, pyrethrũ, cubebę, nux moschata, castoriũ, ambra, moscus, euphorbiũ, melissa, betonica, lauẽdula, sãpsuchus, valeriana viridis, stœchas, costus, hyssopũ, satureia, origanũ, ruta, calamintha, lauri folia, pulegiũ, chamæmelõ, rosmarinũ, saluia, verbascũ, serpillũ, euphragia, caryophyllatę radix, cortex citri, calamus odoratus, spica Celtica. Ex his Pulueres etiã fiũt.

Lotiones. Lotiones Capitis, additis iuniperi baccis, & anisi fœniculique semine, fiant ex lixiuio sarmentorum vitis, vel ex aqua, cui sexta pars vini affunditur in fine coctionis. Lotiones commendantur ex aqua thermali calida: vel in lixiuio coquuntur flores chamæmelini; decoctis additur aqua vitæ. Accipe maluæ folia cu radicibus, meliloti, cuiusque manipulum: coque ex aqua, & spongia fiat fotus. Si validiùs velis resoluere, adde parietariam, absinthium, vel stœchadem: siu robustius id velis, adde fœnugræcum, semen anisi, & lini, betonicam, maioranam, melissam, folia lauri, lauendulam. Hæc interdum sacculo inclusa coquuntur in lixiuio; saluia, calamintha, origanum adduntur, aqua vitæ capiti illita.

Olea. Olea laudantur calida in ordine secundo: oleum costinum, irinum, anethinũ, chamæmelinum, oleum sambucinum, oleum nucleorum persicorum, oleum euphorbij; hederæ succus ex oleo: ita & spondylium vel peucedanum ex oleo, cum pauco aceto: oleum nucis moscatæ cum euphorbio & castorio, oleum castorij, cum aqua vitæ, & de lateribus: nam epilepsiæ & paralysi opitulatur. petroleum clarum, oleum iuniperi, oleum balsami duplex, apud antidotarium Florentinum; ole m rutæ, oleum anisi cum aqua vitæ, oleum amygdalin m amarum, & caryophyllorum, oleum ex floribus & foliis hyssopi. Radix cucumeris asinini ex oleo. ceratum de Euphorbio Galeni.

Vnguenta & emplastra. Vnguentum aregon, vnguentum Agrippæ, vel Martiatum. Mithridatium vetus illinitur, & aurea Alexandrina: vitriolum Romanum, vstum modicè: eius scriptuli duo miscentur vnguentorum drachmis decem. Emplastrum de ianua, & gratiæ Dei; emplastra ex radice cucumeris asinini & absinthio: ceratum ex euphorbio, celebratum ab antiquis, in diuturnis doloribus; emplastrum de meliloto.

Purgatio par. ticularis. Laudantur apophlegmatismi, vt mastix cum cera noua: & errhina, & gargarismi: sternutatoria quoque experita sunt remedio, quæ calent à secundo ad tertium gradum, vt maiorana cum castorio, nigella; ellebori albi ramẽta macerata in aqua vitæ, & dein siccata, naribusq; inserta: castoriũ minimè caput turbat, inquit Aretæus.

Suffitus. Suffitus interdum succurrunt præclara vi; lateres calidi vino generoso aspergunturː vel fumum naribus excipimus nicotianæ herbæ.

Suffitus ad crassas & frigidas distillationes: Accipe seminis melanthij, succini, vtriusque semunciam, styracis calamitæ, benjouini, vtriusque drachmas duas: macis, caryophyllorum, nucis moscatæ, singulorum sesquidrachmam: terantur in puluerem crassum; fiat Suffitus. vel præscripti pulueres consociati myrrhæ & mastici, cum aqua rosata in Trochiscos fingantur.

Sacculi. Sacculi qua arte struendi sint scripsimus lib. 1. vt Accipe stœchados vtriusque, maioranæ, rorismarini, singulorum manipulum: rosarum rubrarum, pugillum cum semisse: chamæmeli, meliloti, cuiusque semipugillum: corticum citriorum siccorum, vel radicum cyperi, granorum alkermes, singulorum drachmas tres: macis, piperis lõgi, cubebarũ, caryophyllorũ, cuiusq; sem[i]drachmã: fiat puluis, & ex eo cucupha inter duas sindones, cùm pauca bõbace interbastata; vel immisce rasuram scarlatæ. Maiorem copiam puluerum ea regione accipiat sacculus, qua maximè caput laborat. Ita addimus interdum galangã, calamũ, & cætera quæ primùm enumerauimus,

Fiunt & Splenia, hoc est frontalia ex saluia, rorismarino, chamæmelo, meliloto, betonica, bryonia: hæc vapore suffiantur, vt aquæ melissæ, vel betonicæ: aut acetum effundatur in laterem ardentem, ac fumo sacculus suffiatur, vel aquâ vitæ rigetur. Persicorum nucleorum succus, extractus cum aqua verbenæ, fronti & temporibus admotus.

CAVTIO.

Quæ calentiora capiti admouentur, tunc apponenda erunt, cùm ventriculus mediocriter vacuus fuerit, ne sursum horum vi proliciantur vapores. Vnguenta vsus tempore soluantur pauca aquæ vitæ affusione, vt liquidò penetrent. Præterea si à vaporibus cerebrò importatis obortus fuerit dolor, odorata nimium absint.

CAPUT HUMIDUM CORROBORANTIA, *& in eo madorem* ALTERANTIA.

INTUS.

Digerant, ac animales ſpiritus recreent, quare ſint leniter odorata, vt aromata; quæ tamen *καρηβαρίας* non inducunt vaporibus caput opplendo: vt quæ valdè calfaciunt cum tenuitate:nam hæc facilè ſurſum efferũtur.

Caryophylli conditi, & aromata omnia: xedoaria; *Antiquum.* viſcus quercinus epilepſiæ prodeſt: hinc olim vates manu tenebant viſcum,ne vertigine corriperentur; mace, nux myriſtica, cornu cerui, cinnamomum,moſcus, ambra, lignum aloës, caſtorium, ſcobs eboris, ſmaragdus, myrobalani conditæ, ſed xbluantur; nam aliquid caſſiæ illis temiſcetur. Cortex citrij ſiccus, piper,xinxiber conditum, coriannum, corallum, cyperus,acorom, iris. Cinerea viſci querni,bibiti quadraginta dies:radices filicis. Amygdalæ amaræ, in ſattagine inter furfures, ſiccatæ foco; & xuellanæ tritæ, & cum exiguo pipere baoſtæ. flores ſulphoris.

Accipe coriandri præparati ſeſcunciam,panis albi toſti vnciam, corallorum rubrorum præparatorum, margaritarum præparatarum,cuiuſqoe ſemidrachmam,ſacchari albiſſimi ſemilibram: capiat à cibo cochlexrium: prohibet à capite fumos,& coctionẽ iuuat in vẽtriculo.

Pæooia, ealore ac frigore temperata, ſpiritus animales excitat, melaneholiam & pituitam abſterget à cerebro: ſtœchas Arabiæ, radix aſclepiæ.

Optimè ad ſalutem hîc facit decoctum ſaſſaſras,vt illud deſcribimus, capite de roborandis Articulis humidis: hîc miſce ei betonicam.

Et hoc Electarium, quod in deliciis erxt Reginæ Galliæ Cathxrinæ Medices; Accipit radicum enulæ ſemuncixm, (ſit hæc optimè conditx) pulueris diambræ, & diarrhodonis abbatis, ſingulas ſemuncias: conſeruæ bugloſſæ, roſxrum,cuiuſque binas vncias: cinnamomi, zinxiberis,mucis myriſticæ, caryophyllorum, cuiuſque drachmas duas: moſci optimi grana duodecim, olei vitrioli,ſcriptulos quatuot: aquæ vitæ ter ſublimatæ vnciam: fiat conditum ſecundùm artem.

Guttulæ quinque olei caryophyllorum, cum vino. oleum aniſi. Gutta olei de ſuccino, ex aqua betonicæ, vel florum tiliæ. Oleum diſtillatum ex maſtice. olei margaritarum ſena grana. oleum coralli. oleũ ſulphuris.

Conſerua & ſpecies. Conſerua anthos,confectio anacardinx,diacinnamomum, diamoſcum, diambra, conſerua pæoniæ. ſtœchas cum oxymelite, vel xceto ſcyllitico.

Victus. *A catarrhis tuetur cerebrum parum bibere ac edere, vigilare, ac à ſalſis & acribus abſtinere,& maximè ſalſis non ſuperbibere.*

Vinum in quo coctus fuerit muſcus pyri. electarium ex Pæonia.

Opiatum. Opiatum. Accipe ſummitatum roriſmarini, cinnamom[illegible]xcis, nucis myriſticæ, caryophyllorum,ſingulorum drachmas duas, priapi tauri, & hiruodinum in furno vſtarum, cuiuſque ſemuociam: excipe ſaccharo & ſyrupo de ſtœchade; fiat opiatum.

Potanda. Decoctum hyſſopi, cum oxymelite ſcyllitico, epilepticis quoque prodeſt. Iuæ moſcatæ decoctum cum melle roſato & aceto, multis diebus bibita. Accipe corallum, immitte aquæ vitæ: huius aquæ accipe ſemunciam: ſpiritus vitrioli drachmas duas: miſce eum ſyrupo de ſtœchade, & de hyſſopo, ita vt vnciis quatuor ſyruporum diluantur. ter die ſumat cochlear cum vino albo, hoc Apoplexiam etiam arcet.

FORIS.

Capiti humido foris admouentur *Corroborantia* & *Alterantia:*

Vt pulueres, Suffitus, & Poma odorata. Lotiones ex aquis thermalibus, ſalſis, nitroſis, & ſulphureis. Siccamus, fricamus', inſolamus modeſtè. Illinimus oleis, & aromatibus aſpergimus raſum caput: adipe vrſi, oleo veteri, cedrino oleo, & caryophyllorum, macis, caſtorei, maſticino, oleo roriſmarini, oleo ſucci ni.

Apophlegmatiſmis vtimur, ex origano, ſaluia, betonica, maſtice cum cera noua.

Sternutatoriis rarò vtimur, ne fiat influxus materiæ in oculos.

Simplicia. Conferunt coriannum, corallum, moſcus, ambra, zibetta, galanga, cyperus, myrrha, calamos, nux myriſtica, caryophylli, mace, myrti baccæ, benjouinum, hederæ gummi torrefactum, nigellx torrefacta, maſtix, thus, iuniperi gummi. ſuccinum collo appenſum,& ſacculo incluſum,& ſuffitum, cerebrum recreat, catarrhos ſiſtit, calet primo ordine, ſiccat ſecundo: dicitur carabe Arabibus, electrum Græcorum. Styrax, lauendula.

Granum vnum thuris albiſſimi deglutiat alternis, vel miſceat cum ſaccharo roſato. Hoc prodeſt ventriculo, cerebro; & in catarrhis nobile eſt remedium.

Roſmarinus, ſtœchas, ſaluia, chamæmelon, melilotus, ſambuci flos. *Maſtix vorata ſiſtit tenues catarrhos, maximè ſi à ventriculo ſint:* lignum aloës, cyminum torrefactum, ſpica, nux cupreſſi.

Suffitus Suffimen: roſarum, coriandri, gummi hederæ, nigellæ torrefactæ in aceto, ſingulorum drachmæ duæ: maſtiches, thoris, & corticis eius, gummi iuniperi, cuiuſque ſemidrachma: fiat craſſior puluis, quo, carbonibus impoſito, capitis tegmina ſuffiantur. Vel ex thure, ladano, maſtiche, ſtyrace calamitx, cremore tragacanthi exceptis, ad formam lupinorum orbiculi formentur.

Suffitus aſtringens diſtillationes tenues & acres: Accipe roſarũ rubrarũ, ſantalorum rubrorũ, maſtiches, gũmi iuniperini, ſuccini, cuiuſq; ſemunciã: fiat puluis. Vbi frigus ſe iungit, nihil præſtãtius eſt quàm melanthiũ vel cyminũ: ſi torrefxcta, & linteo incluſx, ſæpius odorẽtur; vel ſi ſincipiti admoueantur. Vapor aceti, dum illud candenti ferro xut lapidi molxri iniicitur, naribus & ore hauſtus: & nicotianæ vapor. *Accipe* ſeminia melanthij torrefacti ſemunciã: cxryophyllorum txntũdem: ſindone excepta colligantur in nodulum, odoris ergô. Caſtorium naribus inſpiratum: id, inquit Aretæus, mirũ in modum caput roborat, nec vt alix ſternutatoria caput turbat.

Sacculi. Sacculus aſtringens: ſalis torridi vnciæ duæ, nigellæ, maioranę, ſinguli manipuli, corticum citri, thuris, ſingulæ drachmæ, gummi iuniperi drachma ſemis: ex lino fiant Sacculi, qui horæ ſpacio ante prandium alternxtim xdhibeantur.

Materia calida. Sin calida fuerit Materia, milij torrefxcti pugilli duo, myrtorum, nucum cupreſſi, ſingulæ ſemunciæ, roſarum rubratum pugillus: fiat Sacculus.

Sacculus ex ſalis toſti ſeſcuncia, & milij vnciis quatuor cxpiti raſo impoſitus: ita vt furfuribus frixis, & ſaluia, vel ex roſis, caryophyllis, mace, nigella Romana, gũmi iuniperi, origano, nuce cupreſſi, radice cyperi, calamintha, ſtyrace, ladano, maſtice, corticibus citriorũ, & chamæmelo. Accipe foliorũ ſaluiæ, maioranæ, meliſſę ſiccę, betonicæ, ſingulorum drachmã, calami aromatici, cyperi, galangæ tenuioris, cuiuſque ſemidrachmam, ſchœnãthi & vtriuſq; ſpicę, granorũ tinctorũ, & roſarũ rubrarũ, ſingulorum ſcriptulũ: fiat puluis, & inde Sacculus. Sacculis interdum drachma xdditur piperis, vel ſemidrachma xinziberis, vt validiùs peruadant remedia.

Pulueres. Pulois: gummi iuniperini, roſarum rubrarum, corticis thuris & citrij, caryophyllorum, maſticis, ſantalorum omnium, myrtillorum, cuiuſque ſcriptulum: fiat tenuis puluis, qui ſuturæ coronali imponatur: Nonnun- *Vſus.* quam addimus nucem cupreſſi, corallum, ſuccinum: Sed primò fiat illitus ex ſtyrace liquida, vſque xd frontem; nec ante ſeptimum diem amoueatur. Roſarum rubrarum, myrtillorum, coralli præparati, cuiuſque drachmam, maſticis ſemiſcriptulum: noctu ſuturæ coronali inſpergatur: ſiſtit effluxiones ad partes inferiores, & caput roborxt. Alius: Nigellæ Romanę torridæ, granorum alkermes, cuiuſque ſeſquidrachma, corticis citri drachmæ duæ, caryophyllorum, xyloaloes, roſarum rubrarum,

rubrarum, melissæ, maioranæ, singulæ drachmæ: æstate adde santala, & baccas myrti, singulorū binas drachmas.

Liquida. Fotus fiat ex decocto betonicæ, maioranæ & saluiæ, cum oleo sambucino & chamæmelino, & anethino: fiat fotus. Persicorum nucleorū succus extractus cum aqua verbenæ. Mustelæ cineres cum aqua. Decoctum foliorum senæ. Lixiuium ex cinere buxi, in quo coxit semen nigellæ Romanæ, stœchas, rosmarinum, chamæmeli, betonica, melissa.

Cæpę squama cineribus assa cum oleo rosato, laurino & œsypo, frigori confert. Septem folia hederæ, tot nuclei persicorum, bullita cum oleo & aceto. Senecta anguium ex acero admota. Balsami aqua capiti illita. Puluis thuris, & myrrhæ, cum albumine oui, fronti & temporibus admotus. Illinatur suturæ coronalis regio oleo Nucum cupressi.

CAPVT *siccum corroborantia, & in eo alterantia melancholiam.*

INTVS.

Recreatur humidis in primo ordine, quæ in secundum gradum excurrunt: vt cichoracea, viola, rosa, nymphæa, lactuca, semina frigida, ptisana, borago, buglossū, lac & aphrogala, poma dulcacida, passulæ, pruna, farina hordei ex lacte: drachmæ duæ seminis maluæ, inquit Aretæus, Interdum potatæ: aqua lactucæ, & succus maluæ ad vncias sex potus.

Conserua foliorum lactucæ, conserua satyrionis, conserua violarum, nymphææ & rosæ.

Somnifera. Huc pertinent somnifera, vt lactuca à cœna comesta, lac amydalinum, cum seminum frigidorum emulsione & papaueris, ex aqua lactucæ.

Accipe syrupi rosati, diacodij, cuiusque vncias duas: capiat mediam partem horâ somni. Syrupus papaueris cum pauco philonio, & aqua lactucæ. Iuscula in quibus coxere capita papaueris, semen lactucæ, & semina frigida, viola, nymphæa.

Montagnana ita: Accipe seminum papaueris albi semunciam: corticum mandragoræ, hyoscyami albi, cuiusque semidrachmam, croci grana quatuor: leniter cōtusa, & sindone excepta, horis sex, aquæ nymphææ immitte vnciis sex: exbibe vncias tres. Sed non temerè vsus eius iniri debet. Sint talia, quę in lætitiā mentē effundāt.

Requiei Nicolai ʒj. remisce cum aquę lactucę & nenupharis, cuiusque vncia: sumat media nocte. vel sacchari rosati drachmas duas, opij grana duo: sumat tribus horis à cœna. Cum aqua violarum fiat emulsio seminis papaueris albi, dum spissitudinem induat syrupi: adde parū syrupi violati. Sumat cochleariū à cœna diu.

Melancholia extra venas in Caput effusa si admodū frigida fuerit, vtemur melissâ, satureiâ, euphragia, sampsucho, betonica, verbena, meliloto, fumaria, scordio, caryophyllata, semine anisi, floribus sambuci. Proderit nux myristica, angelica, cinnamomū, caryophylli, epithymum & eius syrupus: Dianthos, pleres archôn, manus Christi, diacyminum, aromaticum rosatum, diamargaritum frigidum, Diagalanga cum conseruis humidis, vt violatum, vel boraginis. Sint succi plena alimenta.

Species. Caro vitulina: nam ea madet. Venus hîc profligetur.

Oua. Accipiat manè tria oua sorbilia, cum saccharo, croco, thymo, epithymo, cinnamomo; hæc in puluerem redacta iniiciantur. Id agat per plurimos dies; & iuscula bibat. Ocymum caryophyllatum, flores cordiales. Rosata nouella: & ferè cuncta eiusmodi quæ sine insigni feruore mœstitiam adimunt. Vinum saluiatum, rosmarinites, boraginatum, & cætera talia. Radix scorsonetæ vel succus potus.

Aer. Aër sit lucidus & humidus, in reliquis temperatus: id fit per vaporem decocti maluæ & violarum: sint odores grati; sed tamen blandi.

Qualia esse debeant. Cuncta quæ absque feruore insigni lætitiam afflant: talia plurima prodita sunt à nobis, vbi de roborantibus Cor, vt syrupus de corticibus citriorum, Melissa, quæ odore recreat spiritus, ac stiptica quadam vi, robur visceribus afflat, ac leptomeria peruadit ad nobiles partes: Conserua ex foliis melissæ: aqua hodie elicitur, quæ tota substantia melissam redolet. Thymus haustus pondere duarū drachmatū, cum oxymelite, lactuca cocta butyro & pauco aceto. ita endiuia, borago, spinachia, &c.

OBSARVATIO.

Apozemata bibant aromā ex nuce myristica; vel guttulæ aliquot nucis myristicæ misceantur; vel aliquid aquæ cinnamomi.

Accipe radicum boraginis, & buglossi, cuiusque sescunciam: florum stœchados, buglossi, cardui benedicti, epithymi, cuiusque manipulum: seminum anisi semunciam: hordei mundati vnciam: passularum mundatarum sescunciam: coque in decenti copia aquæ buglossi & betonicæ, ad libram vnam: in fine cocturæ adde parum vini, in quo macerata sit nux moscata: colaturæ adde syrupi de stœchade, & de epithymo, singulorū sescunciā. *Apozem.*

FORIS.

Capiti sicco foris admouentur Corroborantia & alterantia. Vt quæ madorem adspergunt partibus, humētem ab ordine primo, ad gradum vel ambitum secundū.

Lotiones ex aqua suaui tepida, in qua coctum sit semen lini, fœnugræci, maluæ, althææ, caput vulpis; violaria. Maluæ decoctum, ex intestinorum, capitum, & pedum veruecum aqua, pro fotu, ex spongia. Fotus ex lacte muliebri, quod & capiti admulctum prodest: vt & aphrogala. Accipe lactis ouilli, caprilli, vaccini, aquæ in qua malua coxit, partes æquales: coque ad medietatis consumptionem, & admoue capiti. Decoctum florum nymphææ, lactucæ, maluæ, anethi, salicis, capitum papaueris, stœchados, violarum, althæę, chamæmeli, capitum veruecum, boraginis, hordei, seminum cucumerū, & seminis lini; ex lacte, aqua, & butyro, vel cum oleo violatum, nenupharis, chamęmelorum, cum pauco aceto. Vel decocto capitis castrati adde oleum chamæmeli, rosatum, violarum, in pauca copia: ita magis humectat decoctum. Si vrgent vigiliæ, adiice quatuor capita papaueris, lactucam & nymphæam. Amygdalæ dulcea contusæ cum oleo violato. Accipe spumam ex sero lactis bacillo agitati, coronali suturæ admoue. somnum euocat. Odoriferum: Accipe aquæ rosatæ, aquæ solatri, cuiusque vncias quatuor, aceti, vel succi citrij vncias duas: seminum papaueris, lactucæ, mandragoræ, singulorum drachmas binas: terantur, & bulliant: ex vitreo vase odorem hauriat. *Frontale.* *Odor.*

Illinitio ex adipe temperata, & ex oleo dulci & pingui, oleo violato, amygdalino, nymphææ, & macis. Prodest vnguentum rosatum, quod non ita effluit vt oleum; cum succo lactucæ vel portulacæ, aut buglossæ. Vnguentum resumptiuum, & populneum: pinguedo gallinæ & humana: oleum maturum, & oleum mandragoræ cum croco. Vnguentum althææ, oleum lini, & liliorum, adeps ouilla; omentum vituli vel veruecis: calescat in sartagine cum oleo chamæmelino & sambucino. oleum seminum cucurbitæ, naribus impositum: butyrum recens, insulsum: mica panis macerata in oleo amygdalino dulci, & capiti admota. Pulmo arietis calens, vel catulus sectus, & capiti admotus: cùm refrixere, ex tepido chamæmeli decocto, iterum tepescant. *Vnctiones.*

Si vigiliæ vrgent, lac caprillum diu agitetur, perpetuò spuma madefacta petia roretur sutura coronalis rasa. vel accipe seminis hyoscyami albi drachmas duas: bulliant in vini albi vnciis tribus, ad dimidias: naribus & temporibus petia madens ab hoc admoueatur.

ERRHINA ex malua, viola, nenuphare, beta, lacte.

STERNVTAMENTIS nunquam hîc vtemur, ne materia in meatus excussa epilepsiam inferat.

CAPVT VIII.

De pulmonibus, & remedsis pneumonicis.

PEctus calidum corroborantia, & alterantia in eo conceptam Bilem extra venas effusam: quibus, & qua cautione id fieri debeat.

INTVS.

Sit aër frigidus, nam is perpetuò ferit ac peruadit pulmones. Vrilia femina frigida, & ex eis emulsiones: saccharum album cum penidiis & tragacantho. Saccharum cryſtallinum, quod Canditum vocant, deterget; saccharum violaceum, & rosaceum; iuiubæ, lactuca, endiuia, papauer album & nigrum, & rhœas, sistit fluxum, & torpore quodam dolorem soluit: buglossum, portulaca, & eius syrupus: Amygdala, penidia, tepidè id agunt: lac acidum, passulæ moderatè temperant æstum: hordeum, althææ semen, semen bombacis; saccharum temperie quadam efficax: cucurbitæ, ranarum fluuiatilium coxæ, testudines lotæ aqua hordei, & cancri fluuiatiles: cyani flores & aqua: farfara, id est, tussilago: Nymphæa, & violæ cum earum serapio, & infuso; iuiubæ, liquiritia & eius succus. Muccago radicum althææ cum saccharo leniter coquitur perpetua agitatione, ne adustionem sentiat: ita Venetiis fiunt inde offulæ. Flores papaueris rhœados macerantur, vt & eorum contusa capita ex aqua eorundem florum, vel pimpinellæ & scabiosæ: dantur quatuor vnciæ; quater cottidie. Accipe florum siccatorum papaueris nigri drachmas duas: cum aqua cardui benedicti. Semina maluæ, butyrum insulsum, lac cum farina coctum, pruna dulcia, dactyli, & ficus, amylum, succus amygdalarum dulcium, lac auenatum, muccago seminis cydoniorum, maluæ, psyllij, & tragacanthi: capillus Veneris: aqua in qua coxit saccharum, vel passulæ Corinthiacæ &c. Succus ptisanæ, sitis est expers. cassutha, ceterachum. Oleum caphuræ cum aqua buglossi. Rondeletius in sanguinis sputo ab acri materia dabat caphoræ scriptulum, ex cyatho aquæ cisternæ, cum modico aceto. Aqua & caro cucurbitæ, & melonū. mora matura. Aqua florū ligustri. Aqua cardui albi, quem D. Mariæ vocant.

Simplicia. *Offula.* *Caphura.*

Decoctum refrigerans: pilulæ hypoglottides: syrupus de iuiubis Mesues, syrupus ad catarrhos Mesues: syrupus de succo codiuiæ simplex: syrupus de succo cucurbitæ, refrigerat & humectat: vt & syrupus ex violis: omnibus calidis & squalidis affectibus sunt valdè vtiles, ac ex hectica febre laborantibus. Syrupus nymphææ, syrupus granatorum dulcium, gummi tragacanthi & Arabicum ex decocto liquiritiæ. Et syrupus violatus, iuiubarum, papaueris, cum aqua nenupharis & lactucæ. Decoctum liquiritiæ, aqua hordei cum multo saccharo, vel syrupo violato. Conserua violata, syrupus de pomis, syrupus rosatus laxatiuus commendatur à Rondeletio.

Syrupi.

Emulsio. Emulsio: Accipe seminis papaueris albi semunciam; seminum frigidorum maiorum, singulorum tres drachmas: amygdalorum dulcium semunciam: aquæ decoctionis liquiritiæ, quantum sufficit: terantur omnia in mortario; colaturæ adde Syrupi violati, & capillorum Veneris, vtriusque sescunciam: fiat emulsio pro duabus vicibus: sumat quatuor horis ante cibum.

Pot.: Accipe hordei excorticati semimanipulū, iuiubarū quindecim: liquiritiæ rasæ semunciā: coque ex aqua.

Eclegmata, & Electaria. Looch de psyllio, & de semine lini, & de althæa, & tussilagine, Looch Antipatri; descripta in Antidotario Florentino. Diatragacanthum frigidum, & diamargariton frigidum: diapapauer, & looch de papauere: Pilulæ de cynoglossa; & de styrace, descriptæ in Antidotario Florentino. Electarium: Accipe diapenidij, diatragacanthi, sacchari violati, cuiusque semunciam: cum syrupo de liquiritia fiat electarium: Interdum addimus saccharum crystallinum violatum, cū syrupo violato, & duobus scriptulis seminis papaueris nigri: dolor ē placat, ac fluxum inhibet. Hipoglottides pilulæ frigidæ.

Pasta. Pasta regia: Accipe amygdalorum dulcium excorticatorum vncias tres, penidiorum vel pinearum non rancidarum, sed recentium, & mundatarum, temperatarum horis decem in aqua scabiosæ, vel belenij semunciam, amyli, tragacanthi, gūmi Arabici, cuiusque semidrachmā, pulpæ dactylorū, iuiubarū, sebesten, passularum, vnciam, seminū frigidorum excorticatorū quantum placet: cū saccharo albissimo, dissoluto in aqua enulæ: fiat pasta Regia in forma placētulæ: vel per bolos incidatur. Dulciarij quoque panes laudantur, vt Martij. Proderit & albumen oui concussum, admixto saccharo penidiato, cum vtroque gummi.

Linctus ad tempora morbi. Eclegma: Accipe electarij diatragacāthi frigidi drachmas decē, pulueris penidiorū alborum recentium drachmas tres, serapij violati, vel de iuiubis, quod sufficit: fiat eclegma. Confert fluenta adhuc materia; sed cùm pars eius influxit, addetur diairis, & syrupus hyssopi: Sed fluente acri tenuique materia, addentur scriptuli vel drachmæ duæ boli, & trochisci de terra sigillata: & loco diatragacanthi immittemus diapapauer, & syrupum papaueris, & trochiscos de carabe cum opio. Diatragacanthi frigidi drachma, boli scriptulus, opij semiscriptulus, croci grana quatuor, sacchari sescuncia: fiat Electarium: hoc interdum opportunè dari poterit in vesicæ & renum vlceribus, cum lacte, vel cremore hordei, aut ex oui albo, quod incaluit igne.

Vlcus renū & vesica.

Aliud. Accipe conseruæ violarum, sacchari penidiati, cuiusque semunciam, diatragacanthi frigidi & diapenidij sine speciebus, singulorum drachmas duas: cum syrupo de iuiubis fiat looch: vtatur ex radicula glycyrrhizæ. Diacodion Aëtij laudatissima inter remedia est: ab vso eius vtatur his pilulis: *Accipe* pulueris diagalangæ, & aromatici rosati, singulorum drachmam, opij dissoluti vino maluatico semidrachmam: fiant pilulæ decem vel duodecim: capiat duas, tres, vel quatuor diu à cœna. Galenus, Aëtius, & Paulus vtebantur pilulis ex styracis, myrrhæ, galbani, & opij partibus æquis, sapa exceptis. Theriaca recens optimum remedium est. rob nucum. Antidotus analeptica Fernelij, descripta eius libro septimo Methodi. Diolibanom opiatom, Philonium Romanum cum mulso, aut hyssopi decocto, vel lauri, hoc est, narcotica miscenda sunt cum detergentibus: aurea Alexandrina: *Accipe* opij, croci, cinnamomi, singulorum drachmam, vini quantum sufficit: detur inde parua pilula, laudanum Paracelsi, purgato corpore.

Opiata.

Eclegma. Eclegma; Accipe medullæ ziziphorum semunciam, amyli drachmas duas: gummi tragacanthi, & Arabici, cuiusque drachmam: cum syrupo papaueris fiat linctus. Aliud ex semuncia diatragacanthi, & drachma boli, cum syrupo papaueris.

Eclegma: Accipe muccaginis seminis psyllij, & cydoniorum, ex decocto maluæ, violariæ, & lactucæ extractæ, singulorum semunciam: sacchari crystallini & penidiati, cuiusque drachmas tres: emulsionis quatuor seminum frigidorum maiorum, & papaueris, cuiusque semunciam: syrupi violati quantum sufficit.

CAVTIO.

Frigida. IN *quibus frigoris plena sunt omnia, vt nix & glacies, pectori bellum indixere: sanguinis & spiritus vias intercipiendo, ipsamque thoracis naturam, cùm sit cartilaginea & ossea, labefactando, quæ multo calore gaudet, ad vitæ conseruationem.* Nam cient tussim, catarrhos, hæmorrhagias, pressis venis; ac duritie, minimè extendi cùm possint, ruptis.

OBSERVATIO.

Hoc omnibus vtile erit; Specierum diatragacanthi frigidi drachmæ duæ, sacchari crystallini, penidiorum, cuiusque vncia: aqua violacea diluantur, vt fiat linctus: calidis proderit. Si frigida materia fuerit adde diaïreos drachmam semissem: aut si potentius velis medicamen,

misce

misce electarium Salomonis : Hæc,addito saccharo,coctione in massam solidam abire interdum poterunt.

FORIS

PECTORI CALIDO *admouenda.*

Quæ calore prædita sunt, tutiùs pectori admouentur : Quare nunquam quæ validè frigent , diu pectori insideant.

Fotus. FOMENTA ex rosis, violis, melissa , boragine , buglosso, acetosa , semine lini, fœnugræci. Epithema ex decocto hordei,seminum frigidorum,& violarum;cum oleo amygdalino & violato. Accipe maluæ , althææ, violatiæ, singulorum manipulum,seminis lactucæ,portulacæ, papaueris, cocuss. singulorum drachmam : fiat coctio ex aqua ad libram, cum tantillo vini albi.

Illitus. Inunctiones ex oleo rosato pectori student : & ex oleo violato, & nymphææ,& adipibus temperatis:Accipe succi portulacæ , lactucæ, vmbilici Veneris depurati, singulorum semunciam:olei violati & nymphææ, vtriusque drachmas tres, caphuræ scriptulos tres, ceræ albæ parum : consumptis ferè succis fiat vnguentum.

Accipe olei amygdalini dulcis, olei violati, singulorum semunciam , butyri loti in aqua hordei drachmas duas : misce , & illinatur pectus. Commendantur mucagioes seminis lini & fœnugræci, & cydoniorum, aut radicum althææ : Oleum seminum cucurbitæ , & lini: oleum papaueris cum amygdalino & hordei succo. Vnguentum resumptiuum : moderatè emollit sine magno calore : est nobile remedium in omni squalore.vnguentum pectorale, & rosatum : huic quid croci interdum miscemus.

CAVTIO.

Vehementer stringentia,respirationem lædunt : quare in pectoris rebus ab his cauendum : Quæ enim pectori admouentur , constant plerumque ex relaxantibus & digerentibus.

De frigidis cautio. Frigida nunquam diu inhærere sinemus:scripsit enim Hippocrates : τὰ ψυχρὰ, οἷον χιὼν, κρύσταλλος, τῷ στήθει πολέμια. hoc est : in quibus frigoris summa sunt omnia, cuiusmodi nix est & glacies , pectori bellum indixere, sanguinis & spiritus vias intercipiendo , ipsiusque thoracis naturam,quæ cartilaginea est,labefactando : quòd multo calore gaudeat ad vitam tuendam.

Pectus frigidum corroborantia , & Alterantia in eo conceptam *Pituitam* extra venas effusam.

INTVS.

Absterforia sint. talia sunt dulcia , & mediocriter amara , quin & quædam acria. Aquæ thermalis potus, & vinorum medicatorum : ius galli veteris. Decocta &

Decocta & Syrupi. Syrupi : ex prassio Mesues, crassa attenuat in asthmaticis hyssopum & eius syrupus , qui leniter absterget & calfacit. Coque hyssopi manipulos tres ex aqua; in fine coctionis adde mel ad dulcorem , & parum aceti : vnà tussim euincit. Accipe seminis anisi, fœniculi, singulorum manipulum : coque ex aqua : cùm tota vis aquam inuasit,adiicies facchari tantum,vt syrupi ideam induat: da vnciæ semissem. Enula, pulegium crassam absterget pituitam : calamintha, & eius syrupus : betonica : scabiosa , quæ vomicas quoque pectore conceptas rumpit , & eius syrupus. chelidonia : liquiritia expectorat moderatè , eius syrupus & succus modestè abstergent. Vinum dulce recens : botrys & eius saccharum : capillus Veneris,& conserua eius : eius syrupus modestè calfacit : febribus cottidianis etiam vtilis. melilotum, crocus. Syrupus ex succo Nicotianæ , syrupus tussilaginis, nam hæc herba suffitu vomicas rumpit ; pæoniæ radix; mulsa, mel & sapa, saccharum. mel violatum;nam non coctum mel , flatulentum est. Decoctum pectorale, anisum, fœniculum dulce, cuminum , apij semen , passulæ & ficus : oxymel , & scylliticum mel Galeni, fructus dulces , aqua roris Solis , cum vino bastardo , & saccharo cando , cum vitello oui. & pane hordeato. Et aquæ vitæ immittitur ros Solis recens , dum bibat eius colorem : id sæpe repetitur : tandem inclinatione vasis excolatur:iterumque adiicitur mace,parum caryophyllorum , & cinnamomi , dactyli , passulæ, liquiritia, & anisi magna pars. insigne est hoc remedium , & suaue: bis vel ter die cochlearij mensuram propinamus. Thymus,sed fœtum excutit eius decoctum cum melle,adianthum, & semen securidacæ decoctum ex melle , passulis,ficubus & ruta. Satureia quæ & thymbra dicitur : iuniperi baccæ ; decoctum guaiaci. Remedia dentur ex melicrato , vino dulci , aut molli sorbitione. Syrupus Epithymi, glycyrrhizæ, prassij,Hyssopi, cum aqua calaminthæ & inulæ. *Vehiculum remediorum.*

Amygdala amara ; pomum in quo thus coctum est: terebinthina cum saccharo : iris condita, diairis, origanum linctum ex melle , ita & calamintha aut diacalaminthes. aristolochia in crassa pituita confert.& internos aperit abscessus. abrotani semen orthopnϾ confert quoque. In Puerulis : Accipe seminis nasturtij pugillum : macera noctu , & exprime : da cum melle rosato & vrina pueri, ad copiam cochlearij. Polypodium leuiter dulcescit : cnici semen : helenij radix,vetera vitia adimit, est diuretica : sarzaparilla. siler montanum, leptomeria insigne est. lacca nigra:myrrha,fabæ quantitate deuorata : cutiones,& erycinus siluestris. sagapenum cum decocto helenij vel hyssopi. *Pueris.*

Eclegmata varia à Fernelio descripta libro septimo. *Linctus.* Pulmo vulpis siccatus,& syrupo glycyrrhizæ exceptus. Looch de pulmone vulpis : Scylla omnium fortissima est , vt cocta & melle excepta : & ex ea oxymel ; vtile præterea eius Eclegma in viscida pituita : Secundas tenet radix dracontij, aristolochia, gentiana. galanga, & capparis : sequitur Arum , iris, helenium , &c. Looch de tussilagine compositum , in antidotario Florentino: & looch de carthamo Mesuæ, ibidem.diatragacanthum cum guttulis olei anisi. Accipe seminis vrticæ scriptulum, lingatur ex syrupo. vrticæ folia & semen : diathamaron : diacyminum. *Series remediorum.*

Accipe electarij diairis Salomonis & diairis simplicis, cuiusque drachmas tres,looch de pino semunciam, conseruæ enulæ drachmas duas , oxymelitis scyllini quantum sufficit vt fiat looch. Si maiori detersione opus sit quàm incisione,immittes syrupum de hyssopo, prassij, vel liquiritiæ. Crocum pleuriticis confert & asthmaticis. Eclegma de caulibus , & expertum : pilulæ de aristolochia, & pilulæ scabiosæ apud Fernelium.linctus ex melle cum hyssopo, origano, saluia, ruta. mel hyssopatum & passulatum.looch ad asthma : looch de Scylla. pix cum melle. Aliud : Accipe specierum diaiteos drachmas duas , piperis vel zinziberis grana quinque: cum melle despumato fiat solida placenta. *Detergentia.*

Scribit Hippocrates tertio de Morbis acutis,Melicratum substantiæ mediocritate πτύελόν τε μαλθακτικόν ἐστι, καὶ βηχὸς παρηγορικόν, ἔχει γὰρ τι ῥυπτικὸν τι:hoc est, lenit pulmonem , tussimque sedat , nec facit sputum lentum : & est ῥυπτικὸν , inquit , nisi quis picrocholos sit, aut megalosplachnos. *Mulsa.*

Scordium, cæpa, allium, porrum, cum hydromelite cocta pus eiiciunt : vel cum nasturtio, melle , & resina fiat linctus. Accipe musci semigranum , croci scriptulum, vini albi semicyathum:bibat. Zinziber coctum cũ vino bastardico,viscus quo capiuntur aues. Apozemata aromatisentur zinzibere & nuce myristica. Valerianæ radix cocta cum liquiritia, vuis passis, & semine anisorum.Lac potum in quò Ari radix decocta est : decoctum chamæmeli, aqua eius distillata. *Pus. Decocta.*

Aër sit alteratus ligno iuniperi , rosmarino , foliis lauri. sit parua potus & cibi copia. dracunculi & ari radices in cibum elixatæ, vel assatæ & conditæ. cæpa cocta cum saccharo. conserua anthos. diapenidion:alkermes confectio. lauro res coctæ.vinum caryophyllatum, senum putrem sanat tussim. Trochisci de alipta moscata, qui dantur etiam pueris lac euomentibus. *Aër. Condita. Senes. Pueri.*

Pimpinella madoribus tabidis apta est, sanguiois sputum sistit, vlcera deterget & siccat: vt & conserua ex auricula mutis. symphytum maius, vbi salsa pituita venas aperit. Conditum adianti & florum iridis. Ambrosia Archibij, descripta in antidotario Florentino: conserua florum hyssopi, & melissæ: thus in pomo coctum: Iooch ex saccharo, butyro & terebinthina pauca: fundit, deterget, expectorat. Eclegma ex pineis nucleis, deterget & attenuat crassa, tussi antiquæ confert. Diahyssopum, diacyminum Nicolai, in Aotid. Florentino. diaprassium. aurea Alexandrina, & trypheta magna: theriaca vel mithridatium ex vino albo; vel: Accipe mithridatij optimi, theriacę, vtriusque sesquiscriptulum, decocti glycyrrhizæ, radicis enulæ, capillotum Veneris, hyssopi, vncias quatuor: sytupi glycyrrhizæ vnciam: fiat Potus. Paulina descripta ex Galeno in antidotario Floreotino. Ficus duæ vel tres, maceratæ in aqua vitæ. hypoglottides pilulæ calidæ.

CAVTIONES.

Ab Eclegmatis cauendum vbi febris acuta adest: nam siccitate sua & lentore expectoratum supprimunt: vnde frequentior fit respiratio, ac materia fetuore contumaciam induit, maximè in pleutitide. *Præterea obseruandum, quòd multa calida in crassa pituita non conueniunt, quæ, quod tenue est, consumunt, ac crassum relinquunt*: *Pueris.* sint igitur talia quale est lini semen: quod pueris tussienribus magno successu exhibetur.

Obseruandum & illud, quòd expectorantia & emollienria, in pectus vbi effusa est pituita, commodiora sunt, quàm incidentia: Hinc fructus iodantur decoctis plena manu: & addantur remediis squalentioribus semina frigida, vt siccitas diluatur; & oe siccata pituita, in thorace restagnet. Quare leniendo detergeant & extenuent, nec vehementer calfaciant siccéntve, aut aspredioem inferant: sed leni madore fluxilem materiam reddant. talis est radix etyngij, althææ, maluæ, passulæ.

Notandum prætetea in pectoris rebus, vt decoctis pectoralibus & serapiis, media quantitate fructus imponantur: vt passulæ, ficus, iuiubæ, sebesten, dactyli; alterationis causa & detersionis: vt vis remedij seruetur, dum in pulmones feratur. quare paria quinque præscribuntur alterationis causa: ad detersionem, paria decem suffecetint: at ventris laxandi gratia, paria viginti vel triginta adiiciuntor. Prætetca, Apozemata hîc iridis radice sicca, aromaris quid ducaut.

FORSS.

PECTORI FRIGIDO *admouenda.*

Fotus. Fomenta calida & humida ex relaxantibus & digerentibus adhibeantur: ex chamæmelo, meliloto, summitatibus anethi, ruta, malua, scabiosa. sambuci flore, lauro, dauco, cymino, silere montano, semine fœnugræci, lini, anisi, iuniperi baccis, fœniculo. Epithemata ex vino, & aqua scabiosæ. Ex his aquæ incoctis ac spongia exceptis, fiat fotus: nam peruia meatibus spongia, pectori minimè gtauis esse solet.

Illitus. Olea. Inunctiones ex oleo chamæmelino, amygdalino amaro, œsypo humido, oleo nardino, rutaceo, & moschellino, liliorum, irino, cheirino, anethino, oleo cinnamomi: terebinthina, pice, maximè in dolore qui foris consistit. Porrum cum axungia tusum, dorso illitum. *Vnguenta.* vnguentum martianum, & Agrippæ. vnguentum ex oleo in quo decoctæ sint radices enulæ, & ireos, hyssopus, semina lini & fœnugtæci. Accipe Emplastri diachyli vncias tres, sulphuris dtachmas tres, cum oleo liliorum.

Variè adhibentur aromata, crocum, cinnamomum, calamintha, sambuci flores. Nicotianæ folium, & eius suffitus. Linimentum: Accipe vnguenti de althæa cum gummis sesquidrachmam, vnguenti rosati drachmas tres, gummi elemnij semidrachmam: vel croci semiscriptulum, olei amygdalini semunciam: misce, fiat linimentum: addi poterunt medullæ vel adipes.

Aliud: Accipe olei irini, chamæmelini, rutacei, vel anethini, axungiæ caponis, singulorum dtachmas duas; butyri recentis insulsi drachmam, ceræ lotæ modicum: fiat linimentum: pleuriticis vtile.

Pro rusticis: Accipe vnguenti de althæa sescunciam, seminis cymini semunciam: misce.

Cum acerbissimus est dolor, mollibus substantia vtemur, vt fotibus & illitionibus: vbi mitior dolor est, cataplasmatis, ceratis, & emplastris vti licebit. Emplastrum ceroneum. *Cautio.*

Emplastrum diachylon cum oleo liliorum vel amygdalorum. Lana sulphurata Æginetæ. Fuit olim celebre [illegible], hoc est, rutaceum Emplastrum: Accipe rutæ viridis vncias quatuor; butyri vncias sex: terebinthinæ & œsypi, vtriusque drachmas quinque; opopanacis, galbani, cuiusque vnciam, olei anethini, quantum sufficit: fiat Emplastrum. *Rutaceum.*

Cataplasma ex furfuribus, sapa, & parum salis, fiat exigua ebullitio: præclarè sæuiêtes dolores sedat. Aliud: Accipe florum chamæmeli manipulum, furfurum semimanipulum, salis pugillos duos, mellis, & aquæ, & vini, vt coqui possit in formam Cataplasmatis: apponitur inclusum duobus linteis. flatulentos dolores expellit summa vi. *Cataplasma.*

PECTVS HVMIDVM CORROBORANTIA & ALTERANTIA:

INTVS.

Hypoglottides pilulæ adstrictoriæ, & Trochisci adstringentes; vt Diacorallum Galeni, trochisci de terra sigillata, trochisci diaspermarôn, trochisci de stella. Olei cymini guttulæ, tessellis inditæ, oleum radicum polypodij, cum earum sale, inueteratas punctiones abigit. olei sulphuris grana aliquot cum vitello oui. Pulmonaria in olus cocta: hyssopum siccum, prassium, caules rubri, iris, pulegium, flores salicis, aqua roris solis, cum Cretico vino: lac amygdalinum, auriculæ muris conserua, sarzaparilla, guaiacum: priapus tauri, corallum; rasura dentis apri, ex vino albo: aqua cardui benedicti: oculi cancrorum, & vinum in quo hi macerati fuere. flos galliæ; thus bibitum & mastix, mumia, & gummi iuniperi, & persici. amylum in ouo haustum, vel bolus. veronica mas. rostri gruis, hoc est, primæ speciei geranij ex vino decoctum radicis. *Trochisci. Olea.*

Decoctum botryos, cum liquiritia, & melle violato. coquitur conserua botryos, & violata, cum sarzaparilla, & pauco guaiaco, additis paucis dactylis, affusaque aqua, in maris balneo. Sulphuris drachma igne liquescat, ac effundantur ter vel quater io aquam tussilaginis: veteri tussi confert: detur cum ouo. vel includatur saccharo optimo, vt fiat Electarium: sumat semunciam. sit exactè lotum in hac aqua sulphur. vtatur manè & serò ad ingressum lecti. sumant etiam ex eo Asthmatici, in paroxysmo. *Decocta.*

Ad phthisin vnà cum tussi: Accipe vrticas paruas, ardentissimas, quas Græcas vocant, extunde succum: accipiat binas vncias manè, & hora somni: & sumat primò trochiscos de carabe ad semidrachmam. Diatragacanthum, & diapenidium cum pulmonis vulpis puluere, & sytupo liquiritiæ. Accipe mellis libram, succi caulium semilibram: bulliant dum fiat Looch caulium. *Phthisis. Linctus.*

Vulnerariæ herbæ, & quicquid verè diureticum est: pilosella, sanicula, consolida, auricula vrsi, radix caryophyllatæ, pes leonis, vitga aurea. pyrola, millefolium. *Vulneraria.*

Aqua cardui benedicti, cum semidrachma pulueris seminis eius; pleuriticis confert. Apiom, scabiosa, conserua vetus rosarum, amylum, gummi, terra Lemnia, bolus & trochisci. Symphytum & conserua eius, adianthum, auellanæ, galli veteris ius: semola, vrticæ semen, pulegium, auena, oryza, lens, milium: hæc excorticeata Græcis dicuntur [illegible]. Succus saluiæ cum vino: in vetere tussi dabat Orpheus succum saluiæ cum melle. ieiuno stomacho, & ad effrenes sanguinis expectorationes: *Simplicia.*

nes : nobis vſu compertum eſt, præclarè facere ad expectorationem ſanguinis cum tuſſi, ceruiſiam in qua ſymphyti radix coxit. Decoctum hyſſopi, cum oxymelite ſcyllitico, aſthmaticis confert: bellis, flores amaranthi porpurei, portulacæ ſemen, oui album. Poculo vini Rhenenſis, adde manipulum florum roriſmarini, coctione exhauriatur media pars, adde ſaccharum. vinum iuniperinum.

Potus. Potus: Accipe aquæ burſæ paſtoris, portulacæ, plantaginis, cuiuſque ſemilibram, trochiſcorum de carabe drachmam, ſpodij, cornu cerui vſti, gummi Arabici, & tragacanthi, cuiuſque ſcriptulum, boli ſemidrachmam: fiat leuis coctio: colaturæ adde ſyrupi cydoniorum vncias quatuor. diaëlectrum Galeni, corallum. Præcellens potus fit ex ſaſſafras: eum deſcribo vbi de artubus humidis. ſed adiice hîc decocto conſeruarum violatum, vel boraginis, aut capillorum veneris: vel miſceat decocto ſyrupum violatum. Aquæ hederæ vncias quatuor bibat cotidie. Lingat farinam erui cum melle.

Looch. Trochiſci de ſuccino, looch ſanum & expertum, looch de pulmone vulpis, aurea Alexandrina; athanaſia Nicolai. conſerua ex pimpinella. Pilulæ: Accipe thuris & agarici ſcripulos quatuor cuiuſque; fiant pilulæ decem, cum ſucco hyſſopi: capiat vnam in introitu lecti.

Electarium: Accipe radicis dragunteę conditę vnciam vnā, radicum ariſtolochiæ rotundæ ſemunciam; ſeminis lini, croci, thuris, maſtichis, ſingulorum ſeſquiſcriptulum: cum ſyrupo glycyrrhizæ fiat Electarium. *Et hoc electarium*, quod, capite de Humido cerebro, reginæ Galliæ adſcripſimus: maximè ſi à capite præcipitatur catarrhus. diaſulphur cum vitello oui, vel ſyrupo violato. *Accipe* praſſij, iridis, hyſſopi, pulegij, apij, ſingulorum ſemunciam, ficuum vncias tres, nucleorum pini contuſorum vncias quatuor: coque ex aqua, dum tertia pars maneat, & fortiter exprimantur; expreſſioni adde tantundem mellis, & modeſto igne coquantur in eclegmatis formam.

Linctus: Accipe muccaginis ſebeſten, & cydoniorum, cuiuſque drachmam, looch de papauere vnciam: margaritarum, lapidis hæmatitis, coralli rubri, ſeminis portulacæ, ſingulorum ſemidrachmam: trochiſcorum de carabe ſeſquidrachmam: miſce cum ſyrupo violato & berberis.

Pilulæ. Pilulæ: Accipe myrrhæ drachmam vnam, ſagapeni ſemidrachmam; mellis & aquæ vitæ, quantum ſufficit: fiant pilulæ. Sumantur ad voius vſque drachmæ pondus. Et cuncta quæ conſtringunt, qualia apud pragmaticos multa cenſentur, vbi de Sputo ſanguinis, & Hæmorrhagia.

Sputum ſanguinis cum tuſſi. Vbi ſpuit æger ſanguinem in tuſſi, vrgent duæ contrariæ indicationes; nam ob reſpirationis neceſſitatem ſeſe expandere debent alæ pulmonum, vnde expectoratione opus eſt: ſed ſanguinis effuſio, adſtrictioni pectoris ſtudendum eſſe ſuadet. His duabus, non ſine mirabili quadam proprietate, ſatisfacit ſyrupus myrtinus: addatur ſyrupus portulacæ, quo craſſeſcet ſanguis: vt; *Accipe* ſyrupi myrtini, & portulacæ, cuiuſque vnciam, decocti portulacæ, vel limacum vncias quatuor. ita in pleuritide, quæ iungitur diarrhœæ, præclarè ad ſalutem facit vſus myrtioi ſyrupi. Syrupus ex ſucco Nicotianæ, ſanguinem quoque ſiſtit. ad *id* elegans medicamen fit, ex radicis ſcabioſæ vnciis duabus: coralli rubri drachma: datur ex ſucco ſcabioſæ. Aliud: Accipe conſeruæ ſymphyti, & roſarum veteris, cuiuſque ſemunciam, miuæ cydoniorum vnciam, trochiſcorum de terra ſigillata, vel de ſuccino, drachmas duas: cum ſyrupo myrteo. Theriaca, mithridatium, dodecatheon Pauli, lib. 7. diapraſſium. puluis pulmonum vulpis cum theriaca ad drachmæ pondus, vel terebinthinæ ʒ ij. cum puluere hyſſopi.

FORIS.

Pectori humido *admouenda.*

Fotus ſicci, vnde euaporatio ſurgit. & quæ flatus diſcutiunt & madores: vt ex milio, auena frixâ, cinere calido ([illegible] Græci vocant) tegula quadrata, orbe ligneo, pannis calidis, ſale vſto, apij ſemine, & cari, vel fœniculi. ſambuci flores, roriſmarini flores, myrobalanorum oſſa, & cuncta aromata. Ex his fiunt ſacculi, qui vini calidi vapore debent tepeſcere: vel ſuper laminam ferri, vino extinctam: aut ex vini vapore lapidibus calidis infuſi.

Sacculus: Accipe florum chamæmeli, meliloti, anethi, ſambuci, cuiuſque pugillum: cymini vel rutæ, dauci, ammi, ſingulorum ſeſquidrachmam: ſinapi ſemidrachmam: contuſa include ſacculo, qui vini infuſi vaporem excipiat, & applicetur. Inſolatus quoque proderit: nidus hirundinis.

Epithema: Accipe ſantalorum, myrtillorum, ſumachij, hypocyſtidis, ſingulorum ſemidrachmam: fiat puluis, qui miſceatur cum aqua, & oleo roſato; ita vt aqua ſit quadrupla ad oleum: linteum ab eo madens pectori imponatur, vel balneum ſulphureum, & ſalſum. vel ex lixiuio ſalicis, cum ſulphure fiat fotus.

Sacculus ad flatus: Accipe milij, furfuris, ſingulorum manipulum; ſalis ſemimanipulum: ponantur in vaſe æneo, dein ſacculo includantur. *Ad flatus.*

Olea. Inunctiones ex oleo amygdalino amaro, liliorum alborum cum aromatibus: oleum nardinum & chamæmeli: ſeuum hircinum, bubulum, & taurinum, vt auctor eſt Dioſcorides: oleum irinum, coſtinum, cum aqua vitæ, maſtice, myrtillis, thure, corallo, carabe, ſpodio, farina amyli, &c.

Emplaſtra. Emplaſtrum: Accipe ſulphuris, ceræ, cuiuſque vnciam. picis vncias duas: olei chamæmelini quod ſufficit, vt fiat magdaleo. Emplaſtrum Æginetæ, efficax in Pleuritide: Accipe cineris truncorum braſſicæ ſeſcunciam: coſti, bdellij, vel myrrhæ, ſingulorum vnciam: adip excipiantur. Folium nicotianæ admotum.

CAVTIO.

Quæ adſtringunt, aut ſummè ſiccant, non ſunt temerè pectori imponenda: nec grauia, vt Emplaſtra.

Suffitus. Suffitus ex nicotiana, pice, terebinthina, maſtice, iuniperino gummi, ſantalis, roſis, capite papaueris, benjouino, ladano, hypocyſtide, ſtyrace, cortice mandragoræ, vngula caballina, myrrha, marrubio, bdellio, iride; vel ex drachma diaſulphuris Meſuës, gummi hederæ, coriandrum, thus: terebinthina excipi poterunt. conchula Indica, capita papaueris: auripigmenti rubri ſemidrachma. Vngulæ caballinæ radix, marrubium, bdellium, pix.

Empyemati. In empyemate; accipe artemiſiæ, radicum cucumeris agreſtis, cuiuſque binos manipulos, radicum ebuli manipulum: adde hyſſopum, calamintham &c. fiat coctio ex aqua, & fotus. Vel duo poma colocynthidis cocta ex aqua vel vino, vel cochleę decem cum teſtis contuſę in cataplaſma coquuntur: & thoraci, digiti craſſitie, inducitur, dum vltrò excidat.

Pectus ſiccum Corroborantia, & alterantia in id effuſam Melancholiam:

INTVS.

Potulenta. Lac muliebre, & aſininum, quod ſiccitate contractum corpus ſua leptomeria peruadit: caprillum lac, & vaccinum, cum ouo & ſaccharo: Serum lactis, aphrogala: aqua teſtudinum diſtillata, & cochlearum aqua: Aqua nenupharis, violarum, ceraſorum, farfaræ: & ex his ſyrupi.

Simplicia. Vinum paſſulatum, paſſulæ, ficus, dactyli, zizipha, quę [illegible] Græcis, iuiubæ, butyrum: ſaccharum, & poma cum ſaccharo cocta; porrum coctum, bis effuſa aqua, & aſperſo ſacchato. Nero ex oleo comedebat coctum porrum, dum certaret de voce cum Phonaſco, vt ſcripſit Plinius. Cucurbita, medulla nucis Indicæ: maluæ, aſparagi: ſemen papaueris & lactucæ, gummi Arabicum, ſuccus glycyrrhizæ.

Eſculenta. Porcellorum extrema, cum hordeo, & coctione tabefacta. Pinei nuclei ex aqua tepida macerati, nam ita acrimoniam

moniam deponunt, ex melle & ſaccharo. Limaces ſilueſtres à ſordibus purgati, & à muccagine abſterſi, cocti in lacte vaccino cum tuſſilagine, comeſti loco cibi. & tuſſilaginis folia, vel radices, cocta in iuſculo carnis, vel pulli: hoc ius pro ientaculo ſit. ego ita, ſummo Deo felicitante, phthiſi obnoxios curaui. Et id nota, vt medicamenta iuſculis nutritioni dicatis incoquantur, cùm areſcit vi morbi æger: Ranarum coxæ coctæ ex iuſculo caponis, vel pulli. pulmo vulpis. Decoctum fœnugræci. maceratæ ficus tres in aqua vitæ, cottidie comedunrur.

Potus. Potus. Accipe tragacanthi, gummi Arabici, cuiuſq; ſeſquidrachmam: ſeminis papaueris albi drachmas ſex: bulliant in libris duabus hydromelitis, ad tertiarum conſumptionem, & coletur. Iulapium violatum, ex aquæ violarum vnciis ſex: & ſacchari vnciis quatuor: ſed ſuccus efficacior ad id erit, ſed non eiſdem gratiis. radices eryngij, althææ, maluæ: conſerua bugloſſi, & violarum.

Piluiæ de cynogloſſo apud Fernelium: antidotus analeptica Fernelij, libro ſeptimo Methodi ab eo deſcripta: pilulæ becbiæ: diatragacanthum frigidum: medulla caulium braſſicæ, cocta in lacte amygdalino cum melle, vt fiat Linctus. *Linctus.* Tragacantha in eclegmate cum melle. *Accipe* looch de althæa, & de muccilaginibus, diapenidij ſine ſpeciebus, cuiuſque ſemunciam, ſacchari violati drachmas quinque; cum ſyrupo violato fiat linctus. Ex muccagine ſeminis althææ, butyro, & melle, fiat linctus. Medulla paſſularum, & ficuum, cum ſucco glycyrrhizæ. Alius, ex butyro, ſaccharo, & modica terebinthina: expectorat materiam frigidam, fundit, & alas pulmonum explicat; tuſſim curat. Alius: medullæ paſſularum vncia, conſeruæ enolæ tritæ, drachmæ duæ: ſpecierum diaiteos drachmæ tres: cum ſyrupo glycyrrhizæ.

Paudalcon: Accipe amygdalorum dulcium, & pineorum recentium, maceratorom decocto hordei, cuiuſque vncias duas: ſeminum melonum & cucurbitæ, cuiuſque vnciam: pulpæ paſſularum ſemunciam: dactylorum recentium, & diatragacanthi frigidi, vtriuſque drachmas duas: penidiorum ſacchari quod ſufficit, fiat pandaleon: abſterget. Plurima ex his quæ parant bilem in pectore conceptam, hic locum habent: & refectoriæ compoſitiones. *Refectoria.* Oua ſorbilia tria, manè hauſta cum ſaccharo, & pauco croco: id agant per plurimos dies & interdum vinum ſaluiatum ſuperbibant. Decoctum botryos, cum ſyrupo violato, purulenta curat. Martij panes violati. ptiſana cum lacte amygdalino, vel ex ſeminibus frigidis.

Melancholiam extra venas effuſam in pectore præparant, ſi ex frigore nata fuerit: *Ex frigore.* praſſium, pulegium, enulę radices, atriplex, lignum guaiacum, ſarzaparilla, Chinæ radix. Hæc coquuntur, cum conſerua violata & botryos, ex aqua in diplomate: hyſſopum: ficus incidunt & abſtergent: ſcabioſa, mercurialis, morſus diaboli. Scordium, allia. cæpæ, porrum: crocum, niſi capitis dolor adſit: iuſculum carnis in quo radices tuſſilaginis coctæ attritæ ſunt. Pinearum contuſarum vncias duas coque ex melle deſpumato, dum concreſcat in Placentulam.

Ex calore. Si ex ardore nata fuit, vtemur boragine, pomis, violis, & ex iis ſyrupis vel conſeruis. Cõferet manus Christi; conſerua ſatyrionis, hordeum, capillus Veneris: decoctum paſſularum & liquiritiæ, cum pauco melle: malua & ſemen maluæ, humectat & lenit. emulſiones ſeminum: & radices bugloſſi: ſemen bombacis, tenuat craſſa, ac pectori dicatum eſt: Nuclei pinei, nam molliunt & detergent, vt & paſſulæ: lini ſemen: capillares herbæ, napi, rapæ, althææ radix. Accipe iniubas viginti; coque ex aqua ad libram: in ea diſſolue ſacchari cryſtallini ſemunciam: diatragacanthi vnciam: fiat Iulapium. *Iulapium.* Potus: Accipe aquę coctæ libram, ſacchari albiſſimi vncias tres, ſacchari candi ſemunciam, cinnamomi electi drachmas ſex: traiiciantur per manicam Hippocratis. diacodium cum ſucco portulacæ vel lactucæ.

Electarium: Accipe conſeruæ violarum drachmas tres, diatragacanthi frigidi drachmam; ſacchari diluti & multum cocti, quod ſatis eſt: hinc conſerua paululum ſiccata iudatur; mox puluis: lignea pyxide ſeruentur.

FORIS.

PECTORI SICCO *admonenda.*

Fotus. Fotu fruantur ex aqua dulci, & tali Balneo: ex ficubus, radicibus liliorum, althæa, fœnugræco, lini ſemine, malua, & pſyllij mucco.

Epithemata ex decocto hordei, ſeminum frigidorum, violarum, cum oleo violato vel amygdalino.

Illitus. Inunctiones ex oleo dulci, oleo liliorum, violaceo, lini, ex adipibus moderatis, & axungiis, medulla ſuis: Oleum cucurbitæ, amygdalinum, butyrum, œſypus, muccago ficuum extracta decocto maluæ: Vnguentum reſumtiuum, tabidis prodeſt, aſthmaticis, & pleuriticis: vnguentum ex oleo lini, irino, butyro recenti. amygdal. dulci, muccagine lini & fœnugræci, croco. Braſſicæ folia, quaſi tabeſcant igne, & butyro illita admoueantur. Vnguentum dialthæa, cum puluere ireos.

Linimentum: Accipe olei violati vnciam: muccaginis radicum althææ, & ſeminis pſyllij, extractæ in lacte, vel iure pulli, aut in aqua hordei, cuiuſque drachmas duas: butyri, vel axungiæ porci, vel medullæ eius, aut vitulinæ drachmam: miſce, fiat linimentum, adde parum croci. Aliud: Accipe medullę cerui, vituli, butyri, axungiæ gallinæ, porci recentis, tragacanthi, gummi Arabici infuſi in oleo nenupharis, & violato, ſingulorum drachmam: ceræ, quod ſufficit; fiat vnguentum molle. Aliud: Accipe vnguenti reſumptiui recentis vncias duas: vnguenti de althæa, drachmas ſex: olei amygdalini dulcis. & liliorum cuiuſque vnciam: ireos in tenuiſſimum pollinem tritæ drachmam, ſtyracis calamitæ ſcriptulos duos, croci grana ſeptem: moſchi grana octo; modica cum cera fiat Vnguentum.

OBSERVATIO.

Linimentum refrigerans & humectans, magis quàm vnguentum becticis confert.

CAPVT IX.

De ſtomacho.

Ventriculum calidum corroborantia, & Alterantia in eo conceptam Bilem, extra venas effuſam: quibus remediis & cautionibus id fieri debeat:

INTVS.

Quæ his partibus nutritioni dicatis commode præſcribentur, moderatè aſtringere debẽt: Vtiles hîc ſyrupi, miuæ, conſeruæ. electaria, condita, iulapia, iuſcula. Sint omnia adipſa, imò talia quæ ſitim extinguunt: vt poſca, rhodomel, cucurbita. Syrupus acidus. de agreſta, de cydoniis malis, de roſis, cum aqua portulacæ vel plantaginis.

Simplicia. Cichorij ſuccus, vel acetoſæ denſatus, granatorum ſyrupus, ſonchus, & olera ex lactuca, malua, intybo, acetoſa, roſa: & ex his ſyrupi, conſeruæ, ſucci, & decocta. Granatorum ſuccus robur ſtabilit ventriculi, quare ſyncopi medetur à ſtomacho: cydoniorum malorum ſuccus, & prunorum, tamarindi. *Lactuca.* Lactuca præcordiorum æſtum domat, ac ferocientem bilem placat, naturæ ſtudet; nihil enim praui humoris ſuggerit. cucurbita. Portulacæ aſparagi in acetarium cocti, æſtum ac ſitim ſedant. aphrogala: omphacium, ſtrictione ſtudet ventriculo & hepati. Scripſit Aretæus abſinthij ſuccum ad fabæ magnitudinem deuoratum, ne bilis gignatur impedimento eſſe. *Absinthium.* Rubi humilis fructus, hoc eſt, fraga cum aphrogalis. flores conſolidę regalis, aqua lenticulę aquatilis. Mora immatura ſiccata, tuſaque obſoniis immiſta: quæ cùm affatim maturnere, ſqualidum ac æſtuoſum ſtomachum conſolari Hippocrates & Galenus prodidere: ſed paulo ante cibum ſumenda. ſenecionis caulis

decoctus

decoctus.persicl mali ficci decoctum. cotonei mali macerati liquor. pruna cocta.

Cerasa. Spodium,santala : Cerasium rubrum subacidumque sitim mulcet; & succus cùm deferbuit, in annum seruatur.flagranti ventriculo opitulatur,cor recreat, ac arcet putredinem. Ribes vellicationes bilis frenat.acetum rosatum, inquit Fernelius, medicamenta prægnantibus tutiora reddit:attamen viscera ferit.Coquuntur ex aqua, vt oxyacanthæ baccæ,& succus ribes,vua acerba, cerasa,prunidactyla,hoc est, Damascena:hordeum, corallom,citrium malum,persica,omphacium,punica mala, crespini fructus,mespila & sorba.

Potus. Potio:Accipe aquæ rosarum,succi limonum, & granatorum,sacchari albi,singulorum vncias quatuor:lentè coquantur dum despumauerint:detur ex aqua cocta. Alia:Accipe aceti rosati,sacchari,cuiusque cyathum,& tantundem succi aranciorum acidorum, caryophyllorom parum contusorum sex : lento igne sine fumo ferueant,quarta horæ parte.Eadem ratione fiet ex omphacio:

Syrupi. Laudatur lactis caprilli serum, myrti syrupus, vinum rosatum,aquæ thermales, ex thermis frigidis potæ;oxysaccharum,syrupus de ribes,ex succo acetosæ,de agresta,oxymel,portulacæ aqua, syrupus ros.& citriorum,& granatorum. Accipe aquæ puræ libram, aquæ rosarum,succi citriorum,& aranciorum,sacchari albissimi,cuiusque vncias quatuor:coque dum spumam abiecerint.

Conserua. Conserua rosarum,& nymphææ,violarum & acetosæ:rob de ribes & berberis,rosata nouella.Syrupus acetosus simplex:Iulep rosatum. Accipe syrupi violati vncias quatuor:muceaginis psyllij & cydoniorum, extractæ in aqua rosata, drachmas duas:vtatur ex aqua hordei. diacotonion.

Species. Diamargaritum frigidum,trium santalon, diarrhodon abbatis, trochisci de caphura & de spodio, diatragacanthum frigidum,diaolibanum opiatum,philonium

Opiata. Romanum cum posca,tryphera persica, ambrosia Archibij(descripta in Antidotario Florentino) ex aqua & vino granatorum.

Electarium. Electarium:Accipe pulueris electarij trium santalorum drachmas duas, pulueris diarrhodonis abbatis drachmam vnam;conseruæ cichorij,& rosatæ,cuiusque sesquidrachmam, sacchari albi soluti in aqua cichorij, vel endiuiæ quantum sufficit : fiat electarium. quæque tabula sit duarum drachmarum,vel trium:capiat vnam ante pastum : Accipiat quæque sesquidrachma pulue-rum,vnciam sacchari : quare hîc vncias quatuor apponemus sacchari, & erunt tabulæ tredecim : conferent quoque hepati calido & obstructo.

...alia. Sint omnia talia, quæ prohibeant influxum bilis à iecore in ventriculum.

FORIS

VENTRICVLO CALIDO *admouenda.*

Quæ calent, ventriculo tutiùs admouentur, quàm

Simplicia. frigore horrida.

Fomenta ex rosis, santalis,solatro,plantagine,lactuca,ompbacio, portulaca : Acetum laudatum remedium est à Dioscoride; nam integris viribus foris admotum, ad neruosas partes non peruenit:promouet aliorum penetrationem,ac strictione firmat viscus.Confert semen endiuiæ, vmbilicus Veneris, mespila : semen lactucæ, papaueris,portulacæ, corallum rubrum. Flores violarum,rosarum,& nymphææ:semper parum absinthij addatur,aut masticis, vel cyperi radicum, aut florum rosarum.

Obseruatio : Quæ frigore borrent, non diu admota hæreant.

Illitus. Inunctiones ex oleo rosato,& vnguento rosato,oleo cydoniorum,oleo Sicyonio,myrtillorum,lentiscino, & ex semine vuarum; Accipe olei violari semunciam; vel nymphææ ol. muccaginis psyllij, extractæ in aqua rosata ℥ j.ceræ parum:vngatur spina dorsi:nam eam tangit stomachus. Vnguentum : olei rosati omphacini sescuncia:coralli,coriandri,santali albi, florum labruscæ, corticum citri,singulorum semidrachma,ceræ albæ parum:adde aceti pauculum,vnctionis tempore.Tosta panis crusta,ex aceto,cum paucis caryophyllis insertis.

Emplastrum ex rosis,santalis, cydoniis,& aceto.ceratum santalinum. Emplastrum diaphœnicum frigidum,apud Antidotarium Florentinum. Alabastrites lapis cũ cerato impositus.Emplastrũ ex portulaca.soncho, succo vmbilici Veneris,& ex foliis & capreolis vitis. *Empl.*

Epithematis Sacculus : Accipe rosarum rubrarum pugillos duos; vtriusque plantaginis,cuiusque semimanipulum:summitatum adsinthij pugillos tres : santalorum omnium, cuiusque drachmas duas : coralli rubri drachmas tres:includantur sacculo : fiat coctio ex aqua & paoco aceto; & addi poterit quid vini rubri vel succi cydoniorum:fiat fomentum. Interdum addi poterit althæa,endiuia,coriandrũ,baccę oxyacanthę,& acidula. *Fotus.*

Epithema,olei rosati,chamæmelini, cuiusque vnciæ duæ:succi malorum aranciorum vnciæ tres,vini austeri sescuncia:spongia his madente foueat. Cautio adsit, ne opiata admoueantur,etiam inflammato ventriculo:nam immemor posteà reddetur sui officij : nam exactè sentit ventriculus, & citò læditur. & consectaneum in scirrhum abit inflammatio ab vsu narcoticorum:cùm deussent affatim. Potiùs causam doloris,hoc est, tensionem abigant laxando;vt adipes,& oleum amygdal. Hęc fiant accisa causa antecedente;& tunc intùs dentur laxantia, vt decoctum caricatum,passolatum, cum syrupo liquiritiæ. Sed non sint hîc merè laxantia; nisi acerbissimus dolorum cruciatus euocat.

Ventriculum frigidum corroborantia, & Alterantia in eo conceptam Pituitam extra venas effusam.

INTVS.

Quæ sumuntur sint flatus discutientia,& appetitum excitantia,cum leni astrictione, vel detersione. Vt vina medicata,vinum conyzæ, & caryophyllorum, hippocraticum,vinom vetus,maloaticum, rosmarinatũ, aqua vitæ,guaiaci decoctum:absinthium, quòd deterget;laudatissimum est Ponticum. huius vim mentietur nostrum,si addatur ei, ad stringendum,rosa, vel ad iucunditatem,cotonium malum,vel,spica, aut schœnanthos. *Simplicia.*

Mentha, & ex ea syrupus & conserua ; eligatur rubra illa mentha, quæ quàm odoratissima est ; sed conceptionem impedit. Quare veteres, vt admonet Aristoteles, vigesimo Problem,secundo,dicebant,mentham non serendam tempore belli:nam vt scripsit Cassius Dionysius lib. 12.Geoponicôn : τὸ δ᾽ ἡδύοσμον ἀναφροδισιακόν ἐστι ... πρὸς τὰ ἀφροδίσια. Quare cũ generationi aduersetur, cui par est operam dare tempore belli, vt iactura Martis,qui ab Homero [illegible] appellatus, sarciatur, ab hac abstinendum. Vel quòd absumpto ab hac semine, milites instrenuos ad expeditionem reddat. Oribasius putat madorem seminis exedi à menthæ squalore. sed quæ hortis inseritur,cùm syluestri plus à flatibus bumidoque crassamento turgeat, veneri inutilis minimè erit. Scripsit Cassius Dionysius Geoponicôn duodecimo,periculosum vsum menthæ esse, quòd vulneri admota, difficilem curationem adferat.Existimo veteres hoc dicto collimasse ad [illegible] : quòd inimicitias immortales esse turpissimum sit. nam mentha semel sata, ac hortis immissa,durat ætate. Rondeletius putabat quòd semen menthæ homines furibundos ac audaces reddat. Syrupus de mentha maior, & minor. Cinnamomum modicè astringit,& coctioni studet:cyperus,mastix, castorium,caryophylli cruditatem tollunt & flatus; mace & myristica nux,stœchas,rorismarinum, saluia appetitum citat,melissa,enulæ radix,hyssopum,galanga, xyloaloë : Betonica coctionem iuuat iis qui acidum ructant.Mentha aquatica tenuis est & diuretica : fœtum extrahit:Crocum coctionem promouet : Nux condita, & pyra,carnes cydoniorum conditæ, fœniculum & eius oleum, *Mentha.*

oleum,& anisi oleum:calamus atomaticus. Offa panis, ex vino & cinnamomi puluere. Castorium ex vino. nepeta, imperatoria, tanacetum ouis in incoctum. Nux moschata trita, ac mellis rosati vnciis sex, & aquæ vitæ vnciis duabus incocta: mirè auailiatur stomachi doloribus. Daucus, siler montanum, careon.

Condita & electaria. Syrupus de absinthio, conserua eryngij, cortices citreorum conditæ, conserua anthos, & saluiæ; zinziber conditum: theriaca & mithridatium, aromata, acorum conditum, theriaca diatessaron, tryphera magna.

Potus. Potus: Accipe vini rubelli sesquilibram: in eo aliquamdiu macerentur panis modicè torrefacti vnciæ tres: cinnamomi, nucis moschatæ, singulorum drachmam: sacch. quantum sufficit: interdum haustum sumat. Alius: Decoctio nucis myristicæ, cum melle rosato, & aqua vitæ pura. Aqua balsami ex iusculis. Tres vel quatuor guttulæ nucis myristicæ ex vino in prima mensa. Oleum anisi, fœniculi, cinnamomi, & eius aqua. ol. caryophyllorum. Sirupus menthæ, absinthij, vel calaminthæ, cum aqua pulegij vel liuistici.

Species. Trochisci de absinthio, diaxyloaloë, diazinziber, diarrhodon abbatis, trochisci de rosis Rhasis, & diarrhodon Mesuæ, diacalaminthes, diatrion pipereon, diacyminum, dianthos, aromaticum caryophyllatum, aromaticum rosatum maius Gabrielis, dianisum, diacinnamomum, trochisci galliæ moschatæ: diospoliticon Galeni, diagalanga & diaxyloaloës, diambra, pleres archôn, electarium Ducis, rosata nouella. Accipe specierum diagalangæ & diacymini, cuiusque scriptulum: olei carui quatuor guttas: misce; & cum syrupo betonicæ fiant pilulæ quinque flatus pellunt. Vel accipe sacchari in aqua cinnamomi soluti vncias tres: conseruæ rosarum drachmas tres, olei cinnamomi semiscriptulum; fiat confectio tabulata.

Obseruatio. Vbi ventriculus pituitam accepit immoderatius, Apozemata ex cinnamomo aroma trahant.

FORIS

Ventriculo frigido admouenda.

Simplicia. Fomenta ex vino, chamæmelinis, floribus rorismarini, stœchade, saluia, maiorana, absinthio, betonica, mentha sicca, hyssopo, aristolochia longa, ruta, fœniculi semine & cymini, cypero, calamo, galanga, seminibus fœnugræci, iuniperi baccis, ladano: Absinthiũ in aqua coquitur, mox additur oleum. Sysimbrium, ex Cretico vino coctum. Althæa, malua, nardus Celtica, origanum, calamintha: aromata, anethum, iuncus odoratus; cortices citrij, caryophylli; nux moschata, macis, beniouinum, mastix, nardus Gallica & quæ flatus discutiunt.

Illitus. Vnguenta cum pauco moscho vtiliter admouentur, & aromata; Inunctio ex oleo moschellino, nardino, costino, chamæmelino, sampsuchino, caryophyllato: menthæ oleum, & absinthij. Accipe olei macis & mastichini, vtriusque drachmas tres: adde masticis scriptulos duos. Aliud: Accipe olei masticis, absinthij, nardini, singulorum drachmas binas: galangę, cariophyllorum, vtriusque scriptulum: xyloaloë, macis, calami aromatici, cuiusque semiscriptulum: galliæ moschatę semidrachmam, ceræ nouæ quod sufficit: fiat vnguentum; & ab vnctione scutum superponatur. Vnguentum martianum magnum: vnguentum stomachicum magistrale in Antidotario Florentino.

Scutum. Scutum. Accipe ladani depurati drachmas sex: vbi validum frigus; addo piperis longi, & sinapi drachmam: masticis drachmas duas, thuris drachmam: coriandri, menthæ siccæ, coralli rubri, galangæ, singulorum binos scriptulos: xyloaloës, macis, cuiusque semidrachmam: terebinthinæ vel balsami Peruuiani drachmas duas: ceræ solutæ in oleo de absinthio, vel nardino, aut mastichino, vel rosato, quantum sufficit: fiat massa, quæ extendatur super alutam, ad formam scuti; duplicata sindone obuoluitur, cum basturis & loris: soluantur gummi cum vino & oleo; hinc reliqua affunde extra ignem, & superficies huius scuti irrigetur & fricetur oleo caryophyllorum, cui insperge puluerem Sinapi.

Scutum vbi flatus & frigus bellum indixere stomacho: Accipe menthæ, absinthij, maioranæ siccæ, singulorum pugillum, vel sesquidrachmam: caryophyllorum, galangæ, xyloaloës, cuiusque scriptulos duos: cymini, coralli rubri, cuiusque drachmam: cum pauco bombace fiat Scutum interbastatum inter duas sindones, cum ligulis vt decet: euersum regioni stomachi appendatur.

Emplastrum: Accipe cerati stomachici Galeni vncias duas: galangæ, caryophyllorum, xyloaloës, coralli rubri, singulorum semidrachmam: ceræ solutæ in oleo mastichino, vel absinthij, quod suffecerit; fiat magdaleum: ex quo fiat emplastrum extensum super alutam, ad formam scuti, duplicata sindone, cum basturis & loris vt decet. Emplastrum de baccis lauri. Crusta panis saturata vino à tostione, puluereque mastiches, nucis moschatæ, & caryophyllorum insperso. *Emplastra.*

Aliud: Mastix dissoluatur cum albumine oui, hinc cum mica panis tosta, in vino ac pauco aceto macerata, cum mētha, absinthio & mace; fiat ad ideam Emplastri.

Aliud: Accipe absinthij, menthæ, cuiusque sesquimanipulum: rosarum rubrarum semimanipulum: coque ex sufficienti quantitate vini generosi dum mollescant: pistatis adde panis tosti quantum satis sit, vt fiat Cataplasma. Vel coquũtur herbæ & species, ex vino & oleo.

Aliud: Accipe puluerum stomachalium semunciam: picis naualis, resinæ, cuiusque vnciam: fiat ceratum. illud Montagnanæ est. Ceratum stomachale Galeni, & Mesues. Emplastrum ex baccis lauri.

Aliud: ea ceræ & terebinthinæ decenti copia, remixtis aromatibus, fiat Emplastrum. dropax ex pice. Mentha aquatica cocta cũ vino Cretico, dolores mollit.

Sacculi hîc sunt experiti: Accipe rosarum rubrarum, florum chamæmelorum, cuiusq; manipulum: foliorum centaurij minoris, pulegij (si lien consentiat) absinthij, singulorum scriptulos quatuor: seminum rutæ, anisi, fœniculi, cymini, fœnigręci, singulorum sesquidrachmam: crassiusculè sint contusa: fiat Sacculus: qui ex vino & aceto irroretur. *Sacculi.* In sacculis effingendis, pulueres non excedant sescunciam: nã sæpe drachmæ sex satisfaciunt. *Obseruatio.*

Carpatur bombax, cui vino generoso immerso exsiccatóq; infarciatur portio aliqua aromatũ cum absinthio.

Sacculus: Accipe absinthij vtriusq; rosarum rubrarũ, saluiæ, singulorum manipulum: rutæ, spicæ, cuiusq; semimanipulum: contusis ac incisis omnibus adde quid aceti, & cymini semunciam: siccata tandem omnia in sartagine in sacculum collige.

Alius: comæ absinthij siccæ, menthæ, sysimbrij, singulorum pugillus: coriandri, semuncia: caryophyllorum, cinnamomi, singulorum drachmæ duæ: ladani, coralli rubri, cuiusque sesquidrachma, maceris drachma, granorum alkermes drachma semis: serico purpureo insuantur; fiat sacculus actu interpunctus.

CAVTIO.

In ventriculi imbecillitate, semper quædam addemus quæ hepar firmant, cùm inde naturales diffundantur spiritus, vel saltem officina cùm sit sanguinis. Vbi à calido hepate, frigida fluxio ventriculo incumbit, omni auxilio refrigeretur hepar; nam ita facilè in suam temperiem ac naturam redibit ventriculus.

In admotione remediorum calidorum semper socientur modestè astringentia; & semper adsit galanga.

Ventriculum humidum corroborantia, & alterantia.

INTVS.

Simplicia. Sint talia quæ ventriculi eluuiem exsugunt; vt succus saluiæ, & betonicæ, mentha sicca rosa rubra arida, balaustia, myrtus & condimentum ex ea, oliua flaua recens, myrobalani cõditæ, mastix, ebur, cornu cerui, margaritæ, corallum, bolus, gallinæ vel lupi intestina siccata, corna condita, agnus castus, ruta, iris, iuniperi baccæ, cyperi radix, coriandrum, acetosæ semen, thus obsoniorum,

niorum,acacia,lycium,& hypocyftis: fuccinum ptauos fuccos abfurbet. Caro auicularum affata: oliuæ κολυμβά-ς:falfamenta & aromata: Nuces iuglandes, vel cydonia mala,caryophyllis aut cinnamomo tranfixa,& melle condita: ocimum ex aceto flatus excutit. Poma aufteta cineribus cocta. Pulmonaria cocta:mora immatura,otyza.

Electuaria. Diarrhodon abbatis,electarium de gemmis,diatrion pipereon,aromaticum rofatum, diagalanga, diacyminum,diamfum,diaolibanum,diacalaminthum.zinziber conditum;theriaca,mithridatium, conferua betonicæ, diacydonites cum aromatibus. Trochifci de fpodio;his fuperbibat aliquid vini menthæ.Confectio anacardina, colorem venuftum faciei adfert:trochifci ramich Mefuês,diarrhœon Galeni,defcriptum apud Antidotarium Florentinum. Trochifci de olibaoo: tryphera minor Phœnonis, & tryphera Saracenica, fumta ad ternas drachmas:præfcribitur ad firmandam fanitatem. Athanafia defcripta in Antidotario Florentino.Trochifci de ligoo aloês, apud eundem defcripti auctorem. Ladani drachma comedatur duabus horis à cœna: faccharum rofatum:electarium ex citro.

Potulenta. Vinum cydonides:iusgalli veteris:hydromelum Pauli, in Antidotario Florentino:acetum fcylliticum; lac chalybeatum,cum torrefacta farina hordei,vitello oui, aqua rofata, & faccharo. Vinum in quo mufcus arborum coxit:vinum iuniperinum.

Syrupus de ftœchade fimplex, & compofitus: fyrupus myrtinus compofitus:miua cydoniorum aromatica, mel rofatum quod fecundo loco defcribitur à Cordo. Aquæ cinnamomi duo vel tria cochlearia cum pauco vino maluatico,vel fucco granatorum. olei nucis mofchatæ guttulæ quinque ex vino Cretico;oleum piperis, & anifi,oleum fœniculi,cymini, oleum exftillatum ex maftice,caryophyllis.

Decoctum ex abfinthio, chamædry,& chamæpity: calfacit,vrinam expedit, & ab infarctu liberat,auctore Aëtio:guaiaci cum faluia.adde decoctis aliquid vini,in fine coctionis.

Puluere. Accipe mafliches, olibani, vtriufque drachmas tres: cum fyrupo de mentha fiat maffa: detur drachma, ex vino liquefacta, & propinetur in aurora, & fub noctem. fiftit & catarrhos, fi quis diu eo vtatur. Mentha ficca, bibita ex vino granatorum, caryophylli cum fucco cydoniorum vel vino auftero. Pulueres magnam vim arefaciendi habent, ac madorem abforbendi, cùm inde fractus appetitus languet: Accipe coriandri fæpius aceto macerati, anifi & fœniculi,carnis cydoniorum in vmbra ficcatæ, corticû citreorum ficcarum,fingulorum femunciam:coralli decies loti aqua rofata, ventriculorum gallinarum, vino lotorum & ficcatorum,fingulorum femidrachmam,galangæ,caryophyll.macis,cuiufque fcriptulum:margaritarum pulueriſatarum,femifcriptulum:cruftæ panis affę drachmas tres, facchari rofati tabulati ad pondus omniû: fiat puluis. fumat cochlear vnum per horam anta paftum:& à paftu confert.Puluis mefpilorum ficcatorû, cum fucco rofarum rubrarum,corallo, caryophyllis, & nuce myriftica.Mumia cum decocto cymini,ameos,& cari. Accipe coriandri præparati femunciam, rofarum rubrarum, corallorum rubrorum, cuiufque femidrachmam,cinnamomi fcriptulû, facchari rofati vncias tres: fiat Puluis:vtatur à paftu menfura cochlearis.

Opiata forma. Electarium liquidum: Accipe puluerís electarij aromatici rofati maioris ex defcriptione Gabrielis drachmas duas,pulueris electarij diacalaminthis drachmam, diatrion piperij fcriptulos duos,confectæ anthos,& rofatum,cuiufque femunciam,facchari optimi fefcunciâ, fetapij de mentha, quod fufficit; vt fiat electariom liquidum, ad modum opiatæ: Datur ad femnneiam ante paftum. frigido & humido ftomacho auxiliatur.

In fluxu. Si fluente aluo vires proftratæ languent: Accipe diftillati liquoris caponum femunciam,vini granatorum, fyrupi cydoniorum, cuiufque vnciam: traducantur per manicam Hippocratis,in qua fit facchari rofati, & fpecierum aromatici rofati,& diamargariti frigidi, fingulorum fcriptulus: fiat Potus.

CAVTIO.

Roborantia leniter aftringant: At præparantia & educentia minus aftringant quàm abfinthium.

FORIS.

Ventriculo humido admouenda.

Fotus ex aqnis balneorum, fulphure, nitro, & fale tinctorum. Fomenta ex vino auftero, corallum vftum, cortex citri ficcus, cinnamomum, flores labrufcæ, coriannum:vinum cydoniorum.thus,& cortex thuris, cyperus,fantala,galanga,alumen,cupreffi nux,acacia, baluftia,myrobalani,caryophylli,nux myriftica,fpica,femen antheræ,femen oxylapathi,fpodium,malicorium, biftortæ radix,fchœnanthos, mofcus arborum ex vino coctus,& admotus. mifce aquæ rofatæ fantala, corallum,myrtum. Si frigus fe confociat, fola inedia tollitur.Cautio itaque fit,ne cibo cibus accedat. *Simplicia.*

Emplaftrum de crufta panis Montagnanæ: emplaftrum diaphœnicon Mefuæ,defcriptum in Antidotario Florentino;emplaftrum mafticbinum.Panis toftus cum vino maluatico,& fucco menthæ. Accipe cerati ftomachici Galeni,diacydonij,mafticbes,fingulorum vnciam: olei fpicæ,& de abfinthio q.f.mifce:fiat Empl. Accipe carnium cydoniorum veterum,mafticbis, cuiufque femunciam:caryophyllorum, galangæ, fingulorum fcriptulum, rofarum rubrarum femidrachmam:piftillo calido atterantur cum oleo abfinthij in Emplaftri confiftentiam:Interdum addo corallum, cum oleo cydoniorum & myrtillorum,vbi à febre metus eft. *Emplaftra, olea,& vnguenta.*

Inunctiones ex oleo menthæ,myrti,abfinthij, pulegij,cum puluere mafticbis:ex oleo de piperibus, mafticbis,& cydoniorum. Vnguentum: Accipe olei mafticbini,& pulueris mafticbis, tantum quò his mixtis vnguenti forma edatur. Vnguentis aftringentibus, qualia in vtero humido defcripfimus,addimus corallum vftû, fantala,cortices citri,cinnamomum, & parum aceti. *Vng.*

Aliud. Olei mafticbini,& cydoniorum, fingulorum vncia: ladani,hypocyftidis, acaciæ,cuiufque dracbma: caryophyllorum,nucis myrifticæ, cuiufque femidrachma, ceræ quod fatis eft. Addi poterunt rofæ & fpica.

Sacculi ex chamæmelo,rofis, abfinthio, meliloto, furfure,fale,milio,floribus rorifmarini:& ex femine albi finapi.ex mentha,anetho,anifo cum coriandro. Inde ftruuntur Sacculi,qui aqua & vino coquuntur.Cineres calidi admoti in patina,cum parietaria,& mentha. *Sacculi.*

Fiant fotus ex vino faluiato,menthæ,maioranæ, betonicæ,ftœchados, fpongia admoue. imò herbas potius ex vino madentes admoue calidas. mox vnge. *Accipe* olei nardini,mafticbini,cuiufq; vncias tres:abfinthini, chamæmelini, fingulas binas vncias:caryophyll.macis cinnamomi, cuiufque drachmam: foliorum abfinthij, calaminthæ,ftœchados,maioranæ, faluiæ, fingulos pugillos: vini optimi, femilibram; coque in balneo: exprimatur: fiat fotus. *Fotus.*

Ventriculum ficcum Corroborantia,& Alterantia.

INTVS.

Succus carnium:vitelli ouorum:cinara cocta, pinei, teftudinum caro; nam id alimentum hæret, nec facilè exhauritur;paratur cum anifo & cinnamomo, vt flatus abigantur, ac coctioni ftudeatur. Aphrogala, & lac; ptifana.Iufcula temperie optima præditæ carnis:prunodactyla condita:palmulæ recentes, & paffulæ, perfica, melones, & flores melonum conditi:caro angurræ. Ficus, poma dulcia, glycyrrhiza:amygdalorum dulcium oleum. *Efculenta.*

Syrupus cucurbitæ, violarum,malue,portulacæ, bugloffi & boraginis. *Syrupi.*

Conferua violarum,& fatyrionis, eryngij, & nymphææ: *Conferuæ.*

phææ:conserua radicum buglossi, & florum boraginis: conserua florum maluæ. Macerantur conseruæ in cremore seminum frigidorum; parum anisi & cinnamomi additur.

P. tulenta. Emulsio seminum humidorum, vt maluæ: semina frigida, semen bombacis; decoctom seminis lactucæ, cucurbitæ, iotybi, cucumeris. Aqua hordei cum floribus boraginis, maluæ, violarum, rosarum, cum syrupo de violis & cydoniorum. Fiat lac ex amygdalis & hordeo cum butyro, & sacchara. Vinum passulatum: aqua hordei cum syrupo rosato. Oleum amygdalinum dulce, cum vino Cretico Terebinthinæ drachmæ duæ, ex ono. Clysma ex decocto seminum iotybi, lactucæ, capitum papaueris, capitom veruecum, & portulacæ semine.

Cautio.

A nimio madore est abstinendum, ne officij immemor reddatur ventriculus. Quare rarò aliis quàm cibo & potu ad id consequendum vtimur.

FORIS

VENTRICVLO SICCO *admouenda.*

Lintea oleis imbuta; & fotus ex oleis, & decocta ex seminibus lini, fœnugr. additur aliquid ladani, vel mastichis, aut olei eius, myrrhæ, vel stytacis: balnea suauia optimè remediantur. Oleũ violatum: maluæ, nenupharis amigdalinũ, cucurbitæ, & oleũ dulce. Inũctiones ex vnguento rosato & violato. Fiat vnguentũ ex oleo amygdalino, irino, violarum, & liliorum, cum axungia humana & castorio. Epithema ex olei chamæmelini & mastichini, singulorum selibra, vini vociis qoatuor: reliqua his addi poterunt cum pauco oleo nardino. Emplastrum Diachylon & de meliloto; vel ex farina lini, fœnugræci, radicibus althææ, cum oleo lini & chamæmelino. Accipe olei amygd. olei mastichini, adipis gallinæ recentis singulas semuncias, mastichis semidrachmam, ceræ parum, fiat linimentum molle. hoc optimum est. & totum corpus oleo amygdalino dulci perungatur. fiat etiam picatio ex pice cum oleo amygdalino soluta.

(Margin: *Fotus.* *Illitus.* *Epith.* *Emp.*)

CAVTIO.

Quæ ventriculi scirrho accommodantur, eadem sint, quæ hepar & lien, ex siccitate cum laborant, postulant: sed addatur absinthium, rosæ rubræ, calamus aromaticus, mentha vel galanga, & cyperi radices.

Melancholiam extra venas & sanguinem in Ventriculum effusam alterantia:

Melanch.

INTVS.

Simplicia. Fumaria siccata ex mulsa, betonica, mentha, pentaphyllum, ocimum caryophyllatum, chamæpitys, ruta, saluia; agrimonia, myristica nux, ligoum aloës, radices petroselini.

Si pi. Syrupus de copatorio, poma cocta, Syrupus de absinthio: nam auctor est Aretæus, si succi absinthij cottidie fabæ copia sumatur, melancholiam non gigni.

C ies. Cortices citriorum conditi, diacyminum, diagalanga. Conserua rosarum, & violarum.

Refunditur interdum hic succus in ventricolum, ab hepate obstructo, quod eius copiam præbet. Electarium: Accipe pulueris electarij lætificantis Galeni drachmas tres, pulueris diamargariti calidi drachmam: *Electarium.* pulueris electarij de aromaribus, vel de gemmis, vel diamoschi dulcis, aot diambræ, conseruæ boraginis, buglossi, & violarum, cuiusq; sesquidrachmam: corticum citriorum conditorum drachmam: sacchari albi dissoluti in aqua rosarum, vel buglossi, quod sufficit; vt fiat electarium in tabulis: Quæque earum ponderet drachmas tres, vel semunciam.

Si Opiatæ character placet, duplo vel triplo plus conseruarum adiiciatur, aut aliquid pulueris sacchari tosati adspergatur, aut sacchari albi vnciæ duæ addantur. & cum syrupo boraginis, vel scolopendiri, aut fumariæ, rosarum, vel epithymi, quantũ sufficit ad opiatæ formã.

CAPVT X.

De liene. Lienem calidum corroborantia, & Alterantia.

INTVS.

Poma quæ sint coctione mitigata, alioqui ad tertiam vsque coctionem suos flatus retinent. Quare vbi ægroti in iusculis poma exigunt, primùm coqui ea in eratere iubeo, quò deponant omnes flatus, vt inde iusculis vel lacti acido incoquantur. *Poma.* Syrupus pomorum suauiter redolentium: ciboracea: semen endiuiæ, agrimonia: foliorum salicis decoctum: melones: capilli Veneris: rosarum dilutum: portulacæ aqua, & semen: Rusci aqua: cassutha: asparagi aqua, lupuli, & graminis. Acetosa aperit, & discutit lienem: aspleniũ moderatum est: Rubi humilis, id est fragariæ folia, in iusculis cocta, & eorum succus cum melle deuoratus. *Simplicia.*

Id tamen animaduersione dignum est, dulcia per se, spleni nocere. quod antiquissimus primusque philosophus Pythagoras compertum habuit; dum enim quidam dixisset, Nimium me irrides: Atqui, inquit, τοῖς σπληνικοῖς, τὰ μὲν δριμέα καὶ πικρὰ ὠφέλιμα, τὰ δὲ γλυκέα βλαβερά: hoc est: Splenicis etiam acria & amara prosunt, dulcia nocent: Sed aliis addita remediis, pro vehiculo sunt. Sed si quis plena manu pastum eorum ineat, splenem obstruet: vnde turgescit, dum corpus eius vitio liquescit. quare Traianus Imperator dicebat fiscum esse lienem, quòd eo crescente, reliqui artus tabescant. *Dulcia nocent.* *Lien fiscus.*

Mota conducunt.

Oxysaccharum compositum Nicolai, in Antidotario Florentino descriptum: conserua florum tamarisci, vergit ad calorem: diarrhodon Abbatis: syrupus acetosus simplex: Violarum syrupus, buglossi syrupus & conserua, syrupus scolopendriæ & fumariæ. Syrupus nymphææ, capillorom veneris, & cichorij. *Syrupi.* Philonium cum oxymelite, prodest ictericis. crespini succus. trifolium acetosum. flores consolidæ regalis poti. Barbula hirci, buglossum, nymphæa, viola, melilotum, radix salicis.

OBSERVATIO.

Apozematis addantur vnciæ duæ vel tres aceti.

FORIS.

LIENI CALIDO *admouenda.*

Fotus ex balneis suauis aquæ: Radices mandragoræ coquuntur in oleo seminis lini, cum pauco aceto. Fomenta ex alkekengi decocto, & seminis portulacæ: limonum succus prodest lieni calido. *Fotus.* Fotus ex aqua & aceto: freqoens est in lienis affectibus huius vsus. Aqua phyllitidis, cum eius puluere admota. Salicis folia, cum sale, cicuta in oleo & aceto bullita.

Cataplasma. Cataplasma: farinæ hordei vnciæ duæ, rosarum rubrarum pugilli duo, chamæmeli, absinthij, meliloti, singulorum semuncia: cum oleo rosato & cardino: adiici poterit succus portulacæ, vel foliorum salicis, si æstus vrget. In inflammationis augmento, vtilius erit oleum rosaceum, chamæmelinum, & lilinum.

Illitus. Inunctiones ex linimento santalino, & rosaceo: & illitus ex frigidioribus axungiis, vt suilla. Acetum acerrimum: oleum amygdalinum: oleum seminis lini: cicuta cum ammoniaco soluta. caphura.

CAVTIO.

Quæ calent, lieni tutiùs admouentur.

Lieni inflammato per initia adstringentia conueniunt; & euacuato corpore, quoque digerentia; nam pleniore adstringentium vsu, fœculentus in eo sanguis grauiùs crassesceret. Quare Epithema tale fiat: Thymi, origani, singulos semimanipulos: coque ex vino & oleo nardino, aut ex rosaceo, cum vino & aceto: iris & cyperus interdum additur. *Epith.*

Lienem Frigidum corroborantia, & alterantia.

INTVS.

Simplicia. Melissa, ob tenues partes, peruadit in lienem: Gentianæ

tianæ radix, aristolochia, asarum, lapathum, centaurium minus, rubia, origanum, prassium, betonica omnes expedit obstructiones: tamarisci cortex, cortex radicis fraxini ex aceto, spica, crocum, scordium, serpillum, rosmarinum, corallium, bryonia, asplenium, genistę flores, thymus, calamintha, pulegium, hyssopum, chamædrys, chamæpitys, radices acori cum oxymelite: flores capparum. Puluis radicis Helenij bibatur per aliquot dies. Eupatorij vulgaris succus aridus propinatur ex herbæ decocto. Quidam in scelotyrbe accepit illecebræ, hoc est, sedi minoris pugillum vnum, coxit in libra semisse aquæ; sumpsit cottidie ter cyathum. Conualuit is, qui à cochleariæ vsu non recreabatur. Lieoosis & scorbuticis hoc confert: Accipe guaiaci vncias sex, radicum filicis semunciam, corticis interni fraxini, ebuli, capparorum, cuiusque vnciam, seminis anisi sescunciam: infunde hæc nouem diebus in aqua vitæ: ita vt exundet illa spatiose. Aliud: accipe seri caprilli facti cum oxymelite, huic infunde absinthij pontici, agimoniæ, chamædryos, chamæpityos, rutæ, cuiusque semimanipulum: sedi minimi, nasturtij aquatici, fumariæ, becabungæ, scolopendriæ, hyssopi, scordij, cuiusque manipulum, cochleariæ manipulos binos: macera dies tres: fiat expressio: ter repetatur id. Tandem misce cum aqua vitæ præscripta: adde specierum diacurcumæ semunciam, seminis cardui benedicti drachmas duas, cinnamomi drachmas tres, fiat ebullitio: colatis & depuratis adde syrupi cochleariæ & becabungæ, cuiusqoe vnciam: de epithymo, acetositatis citrij, mellis despumati, cuiusque sescunciam: seruetur vsui. Maiorana infarctus non solùm liberat lienis ac hepatis, sed viscera firmat & solidiora reddit. Anonidis radix, nasturtium, cochlearia cum becabunga: siler montanum, lauendula, hypericum, melilotus, chamæm. valeriana, saluia agrestis. Electariom de scoria ferri, à Rhaze descriptum, nono ad Almansorem, vbi de ventriculi imbecillitate. Diacostum: confectio alkermes: diacapparis: diacalaminthum: trochisci de absinthio, de eopatorio, de lacca, de capparibus: diagalanga, dialacca: athanasia: diacrocum; quod & diacurcuma dicitur, scirrhos delet, & hydropis reliquias absumit. diamoscum: electarium de baccis lauri. Sal polypodij, & hyperici.

Syrupi, & potulenta. Syrupus florum chamæmelorum Romanorum, cùm vino albo. Accipe syrupum de cichorio cum rhabarbaro, syrupum de prassio, cum decocto splenetico: delet scirrhum.

Vinum chalybeatum: oxymel scylliticum, syr. de calamintha Mesues: syrupus melissę: olea distillata. & galbaneta, paucarum guttarum copia vino affusa. Decoctum sarzæparillæ, decoctum hyssopi ex vino: vina quibus medicaminum vires infusæ sunt, vt fœniculi, sarzæ, guaiaci, fumariæ, sassafras.

Potus Hippocraticus: Accipe radicum boraginis vncias duas, polypodij semunciam, corticum radicum capparorum drachmas duas: seminum anisi, carui, vtriusqoe semunciam, florum violarum & buglossi, cuiusque sesquimanipulum: coque ex duabus libris aquæ, ad medietatis consumptionem: sub finem, adde vini generosi libram: iterumque modicè bulliant: colaturæ adde nucis myristicæ, cinnamomi, rosatæ nouellæ, singulorum semidrachmam: sacchari quod sufficit, fiat ex arte potus Hippocraticus. oleum amygdalinum amarum, oleum cnici. Syrupus scolopendriæ, calaminthæ, oxymel scylliticum, cum aqua fœniculi, & de radicibus. Decoctum cicerum. Aqua canellæ distillata.

Ex aceto. Accipe libram radicum Acori, negligenter terantur, tres dies aceto macerentur, media pars excoquatur, dein coletur, adde mel: iterum coque dum vanescat acetum sumat cottidie semunciam cum decocto acori. Accipe trochiscorum de capparibus semunciam, florum genistæ manipulos duos, corticum tamarisci, vnciam vnam: infunde vini albi sesquilibræ: macerentur horis viginti; bibat haustum, à duabus horis cùm quis theriacam sumpsit: Vel à sumptis trochiscis de eupatorio, diacucurmate, dianiso, diacastorio.

Opiatum; Accipe trochiscorum de cappare, trochiscorum de eupatorio, corticum radicum tamarisci, sarzæparillæ, singulorum drachmam, radicum rusci, scriptulum: rhabarbari, semidrachmam: sacchari albi soluti in decocto sarzæ parillæ, quantum sufficit vt fiat opiatum.

OBSERVATIO.

Decoctis vini quid addatur, & aceti. chalybs extinctus sit in aqua. His aroma afflabitur ex aqua cinnamomi distillata, vt libræ decocti, tres vnciæ affundantur.

FORIS

Liem frigido admouenda.

Fotus. Simplicia. Fotus ex azaro, abrotano, schœnantho, anetho, arthemisia, pulegio, chamæmelis, meliloto, genistæ floribus, stœchade, centaurio minori: fomenta calida & humida: fraxini semina hîc vtilia sunt. Thymelæa, thymus, cyclamen, mentastrum, sambucus, ebulus, & flores eorum: viticis semen: cucumeris agrestis radix: Folia lauri: ex vino albo, vel ex oleis fotus. ruta ex aceto, nasturtium, absinthium, struthium, serpyllum, semina flatus pellentia. Oleo incoque semen cymini, rutæ, dauci, anethi, fiat fotus. Vel præscriptarum herbarum fiat decoctio ex aqua, vino, & aceto. Ita coquitur & sena, polypodium, anethum: vel Sacculis insuantur, & *Cataplasmata.* aceto rigentur. vel fiant ex his cataplasmata addito cypero, absinthio, rosmarino, cum oleo absinthij & rutæ: sinapi, hedera terrestris.

Illitus. Vnguentum de arthanita: lepidium cum helenij radice impositum. hederæ tenellæ folia, ex vino cocta.

Diachylon maius: emplastrum de meliloto. cauterium ex cantharidibus.

Iounctio ex oleo laterino, vel iuniperino, oleo de capparibus, ex oleo amygdalino amaro, oleo irino, nardino, de fraxino: sint omnia attenuantia: oleum euphorbij validè calfacit: oleum liliorum: Vrtica cum cerato imposita: oleum ex floribus genistæ, & seminibus nigellæ: oleum ex radicibus cucumeris asinini, & ex semine ricini.

Lienem humidum corroborantia, & Alterantia:

INTVS.

Olei vitrioli guttulæ aliquot; cum aqua exstinctionis ferri: stringit enim splenē, qui laxior, flatus suscipit. Scribit Celsus canes fabrorum lienes non habere, quòd aquam ferream bibant. Aquæ thermales acetosæ, qua- *simplicia.* lis est Spadensis. Oleum Ferri, drachmæ mole propinatum cottidie. & limatura ferri sæpe vsta, & vino exstincta; cum theriaca. Hedera cum vino austero. olei cymini guttulæ. oleum ex ligno tamarisci.

Castorium: chămædrys: cyperi radix: iua: absinthium: radix filicis: radices apij, & eius semen: semina agni casti & cymini: scolopendriom: polypodium: lupini cocti, & cum pipere, & ruta comesti. Succi cyclamini drachmæ binæ, cum aceto. veronica mas, rubi humilis, hoc est, fragariæ, folia & radices. Decoctum guaiaci, sarzæ, sassafras, & chinæ. corallum sæpe propinatum, acorum. tamarisci decoctum, & seminis agni casti. nymphææ radix ex vino. Radix filicis; sal fraxini nitrè potens hîc est.

Conserua radicum apij: dialacca: electarium è gemmis: electarium exhilarans: & hæmagogon.

Pilula. Pilulę: Accipe myrrhę, asari, aristolochię, seminis capparis, singulas drachas: nardi, iunci odorati, singulorum drachmam semissem, apij, petroselini, agni casti, singulorū scriptulos binos: fiant pilulæ exiguæ ex oxymelite.

Potus. Vinum & acetum scylliticum: vinum cum epithymo & sena: Decoctum corticum & radicum genistæ, & seminis viticis. Vinum azarites. mumia cum decocto carui bibita. Liquores omnes artificiales balsami.

Decoctum corticum fraxini, cineres tamarisci, capparorum, & fraxini, puppa excepti ac vino albo indito.

FORIS

Lieni humido admouenda.

Quia flatibus plerumque distenditur lien, propterea optima sunt siccantia, & modicè constringentia: vt vitex, cyperus, scoria ferri, corallum vstum, cappares, fraxini semen, cyminum, apium, cinnamomum. Vaporationes siccæ ex sale, milio & arena calida. schœnanthos confert hîc, & azarum. lauendulæ semen: fimus caprarum: iris: semen viticis, nigellæ & anethi.

Fotus. Fotus fiunt ex horum decocto, & florum genistæ, tamarisci & capparorum. Accipe radicum ebuli vnciam: foliorum rutæ, sambuci, anethi, singulorum semimanipulum: seminum anisi, cymini, dauci, cuiusque vnciam; cinnamomi drachmam: fiat coctio ex aqua & vino: hoc foueatur regio, vbi borborigmi. Succus mercurialis, radicis cucumeris, cyclamini, succus corticum sambuci, thymelææ, chamelææ, brassicæ marinæ, tithymalorum, daphnoïdis, aristolochiæ, apij, lathyridis: ex his, cum farina lupinorum & vino cretico, vnguenta fiunt, ad digerendum; nam olea stipant cutem.

Illitus. Inunctiones ex oleo absinthij, costino, nardino, & mastichino, cum castorio. oleum genistæ, & capparorum, & ex seminibus flatus excutientibus. Vnguentum diacyclaminum humorem cum flatibus eximit. Emplastrum ceroneum, emplastrum Auicennæ, descriptum decimaquinta tertij. lupinorum farina, cum raphano.

Ad tumorem Vnguentum ad Tumorem sine duritie lienis, olei nardini, absinthitis, singulorum semuncia: seminis viticis, portulacæ, capparis, vel fraxini, cuiusque drachmæ duæ: apij, petroselini, cymini, in aceto maceratorum singulæ drachmæ: coralli vsti, & excrementi ferri, singulorum semidrachma, ceræ quantum sufficit: in vsu, affunde parum aceti.

Lienem siccum corroborantia, & alterantia:

INTVS.

Simplicia. Remediantur huic malo quæ hepar madidinis reddũt: sed validè aperientia meliùs fert lien, quam hepar: ob succi quo repletur crassitiem. ἐκφρακτικὰ, fumaria, lupulus, cassutha. scolopendrium, & ceterachum: cortex tamaricis, & radic. capparis, vel asplenium, filicis: semen agni casti: chamædrys, galanga maior, aristolochia, sedum minimum, hoc est, *Muerpeper.* Decoctum sarzæparillæ: sarzæparillæ puluerisatæ drachma, cum puluere myricæ, decoctum sassafras. Radices cyclaminis decoctis immissæ ad semunciæ pondus: lilij radices ex mulso præparatæ: iris cum aceto. Cichoracea conueniunt cuncta: agrimonia, capilli Veneris, hepatica, radix buglossi, viola, mercurialis; decoctum tamarisci, ex vino. Cineres grandium limacum, poti, cum semine lini, vrticæ, & melle. Centaurij, saluiæ, & ficuum decoctum. Polypodium nobile ac laudatum in lienis fracta œconomia remedium; quare scripsit de ea Dioscorides: ποιεῖ δὲ καὶ πρὸς ἀποκατάστασιν σπληνικῶν, hoc est, restituit lienosos. Ammoniaci drachma ex vino. Anchusæ radix. Bryonia ex aceto.

Composi. Trochisci de capparibus cum syrupo violato aut boraginato. Terebinthina sæpè vorata. oleum amygdalinum, & sesaminum.

Syrupus de pomis, de epithymo, & de fumaria, & de scolopendria. Accipe electarij diacalaminthis sesquidrachmam, ammoniaci scriptulos duos, aquæ scolopendriæ vncias binas: misce. bibat calidum, & horis quinque cibis abstineat, Oxymel ex floribus genistæ: & conserua genistæ.

Notandũ, quòd à sumpto medicamine ęgre quiescat in latere sinistro. Celebre est Electarium de Scoria ferri, descriptum à Rhaze libro nono ad Almansorem, vbi de ventriculi imbecillitate. Ita limatura chalybis, dies quadraginta in vino dulci macerata, postquam in aceto limatura illa lota ter fuit & caryophyllis aspersa, & siccata. vide quæ de limatura notaui capite De vtero sicco.

FORIS

LIENI SICCO *& Scirrhoso admouenda.*

Scirrhum facilè incurrit lien, ob sanguinis crassitiem; & magis laxantia fere quàm hepar.

Fotus ex radicibus liliorum, althææ, bryoniæ, enulæ recentis, radice lapathij acuti, fraxini cortice medio, & capparum, ex cichoreo, fumaria, & ex emollientibus herbis, ficubus, semine lini, fœnugræci; & propter flatus, cum seminibus agni, rutæ, genistæ, sambuci, chamæmelis, rorismarino. Malua huic malo quoque studet, senecio, ebulus & eius radix: acanthus. Fotus ex lacte & butyro: & ex luto thermarum. coquuntur ex aceto acerrimo vt fiat Epithema: Accipe radicum cucumeris siluestris vncias tres: radicis althææ, iridis, vtriusque vncias duas: seminis lini, fœnugræci, althææ, singulas vncias: florum violarum, maluæ, singulos pugillos: coquantur ex vino albo, adiectoque oleo amygdalino & lilino: fiat Epithema. *Fotus.*

Inunctiones: A fotu illinatur locus axungiis gallinæ & anseris, cruris vituli medullla, muccagine radicis maluæ, & fœnugræci extracta cum vino albo; cum iride, cyclamine, oleo amygdalino & chamæmelino. Axungia porci, & adipes temperatæ, & olea dulciora: oleum liliorum; vnguentum martianum magnum. Quæ liquefaciendo molliunt, sint recentia; vt bdellium, ammoniacum, galbanum; opopanax, cum cinnamomo & croco, hæc aceto soluantur. Myrrha, cera recens: folia liliorum in aceto cocta; vnguentum Agrippæ; & de arthanita: terebinthina, butyrum, propolis: adeps camelorum: oleum ireos albæ. Radix althææ, & liliorum, cocta in adipe suillo, cum myrrha & iride. *Illitus.*

Vnguentũ: radicis althææ, liliorũ, singulæ vnciæ: foliorũ althææ, maluæ, violariæ, singuli manipuli: farinæ florum chamæmeli, meliloti, anethi, singulæ semunciæ: seminis lini, fœnugræci, gũmi ammoniaci, sagapeni, singulorũ vncia: bdellij, semuncia: terebinthinæ vnciæ tres: medullæ bouis, anatis, gallinæ, olei amygdalini dulcis, cuiusq; sescuncia: gũmi ex aceto vini soluantur: olea dein adipib⁹ & cerę addãtur: hinc farinis & herbis coctis cõtusisq; adiiciantur: Scirrhos curat. Vnguentum ad lienẽ. *Vnguentum*

Emplastrum Ceroneum, & oxycroceũ, emplastrũ diachylon: emplastrum de muccilaginibus, & de meliloto: emplastrũ polyarchion Galeni, descriptũ in Antidotario Florentino: emplastrum Apostolicum, & Philagrianum Pauli. Vrtica cũ cerato imposita. concretos lienes absumit. Accipe oleũ amygdalinum cũ cera; admisce sextantem puluerum, vt iridis, cyclaminis, azari, cum bdellio, ammoniaco, & medullis: gummi soluantur aceto. Bryoniæ radix excauetur, & impleatur gummis, & sub cineribus coquatur; addantur olea, pulueres, & acetum. Radices scyllæ, coctæ ex oleo capparorum, adde radices liliorum. Emplastrum ex oleo de lateribus, & gummi ammoniaco. Lapis molaris candens, sæpè acerrimo aceto extinguitur; qui, adhuc fumans, linteolis exceptus, sæpè superponatur. Emplastrum de fermento. emplastrum ex gummi ammoniaco, opopanaco, oleo cucumeris asinini, vel oleo capparorum, & aceto. Ammoniacum solutum aceto remisceatur cum farina hordei. Emplastrum: Accipe scyllæ vncias duas, vel radicis bryoniæ tantundem; foliorum tamarisci, maluæ, singulorum vnciam, foliorum absinthij sescunciam: coquantur in aceto, ac in aceto pistentur; adde ammoniaci vnciam: fiat emplastrum. Fimus caprinus applicitus. Ita radix serpentariæ, cum succo cyclaminis. Mentha Græca cum oleo ireos. Mirabile est emplastrum ex cicuta. cum ammoniaco aceto dissoluto: Accipe cicutæ manipulos quatuor, ammoniaci semilibram: infunde aceto acerrimo, dies octo: Dein bulliant dum ammoniacum soluatur, hinc per pannum fortem lineum validè exprimatur, *Emplastra.* *Ex Bryonia.* *Ex cicuta.*

iterumque

iterumque expressus liquor ebulliat quinquies, & adiecta cera, cum oleo amygdalino dulci, fiat vnguentum: hoc sit pro secreto; nam omnem duritiem mollit. *Ex mandragora.* Aliud: radicis mandragoræ vncias tres: coque ex oleo lini, vel seseleos, aut amygdalino, cum pauco aceto contusis ac cribro traiectis, adde opopanacis aceto scyllitico soluti vncias duas: styracis, myrrhæ, bdellij, ireos, seminis vesicariæ, singulas semuncias: croci drachmas duas: spicæ celticæ, schœnanthi, asari, viticis, singulas drachmas: ceræ nouæ vel propoleos, & terebinthinæ, quantum sufficit. Ceratum Philagrij. Optimum est hoc emplastrum: Accipe lapidis molaris optimè calcinati, & sæpiùs aceto extincti, vncias quatuor: in pollinem tenuissimum vertatur: absinthij, manipulos tres: cinerum tamarisci, vncias tres: farinæ fœnigræci, vnciam: coque ex cereuisia Gedana, dum pulris formam ducat: adde terebinthinam. Hæreat regioni lienis id diutissimè.

Sacculus. Sacculus: Accipe salis communis, seminis cymini parum torrefacti, cuiusque sesquimanipulum: florum meliloti, manipulum 1 radic. ebuli vnciam: seminis rutæ drachmas quinque: misce, siccentur in tegula, & tenui linteo include, fiat sacculus ad formam splenis, qui, vsus tempore, acerrimo aceto, in quo candentis molaris lapidis frustum extinctum sit, rigetur: fiant duo sacculi, qui vicissim admoueantur: resoluent & emollient.

Cautio: Durus Splen primùm molliatur, hinc discutientibus vtemur aliquamdiu, dein ad emollientia iterum transitio alternatim fiat.

Quæ accommodantur Scirrhis lienis, accipere debent tamaricen, vel capparorum corticem: & quia flatibus scatere solet splen, remediis iungatur semen flatus discutiens: vt viticis, apij, cumini, petroselini. A fotu admouenda tandem vnguenta.

CAPVT XI.

De intestinis.

Intestina calida corroborantia, & Alterantia effusam in ea Bilem extra venas.

INTVS.

Clysmata. A Dysenteria si impressa intemperies remanserit, vtemur clysmis ex aqua hordei: vel ex lacte vaccino, aut eius sero: ex oleo rosato, adipe hircino, decocto dactylorum, vel intestinorum & capitum arietis, capitum *Simplicia.* papaueris decoctum proderit, seminum intybi, & lactucæ, & ex muccagine seminis psyllij, amyli decoctum: pilulæ de cynoglossa: oleum violatum. Violæ, malua, althæa, branca. folia lactucæ, semina frigida, portulaca, borago, beta: solatrum, cassia, butyrum, axungia, semen lini, fœnugræci: verbascum, thapsus barbatus, spinachia.

Per os. Per os opitulabitur vinum cydoniorum, rosarum, rhoïtes, œnanthinum, terra Lemnia, succus plantaginis densatus, coehleæ terrestres, violæ. Succus oxya- *Simplicia.* canthæ coctus in aqua: mali punici succus: cornorum cremor: vuæ acerbæ succus, & cerasorum acidorum: Rosarum conserua, spinachia, borago, myrtus, asparagus, lactuca, endiuia, persica mala, mora matura, maluæ arboreæ flores.

Potulenta. Aqua hordei: decoctum seminis lactucæ, & cucurbitæ, capitum papaueris: vt vbi magnus est ardor internus, cum fluxu alui: vt in Hungarica febre euenit, curabam hoc modo: Accipe cichoracearum herbarum, foliorum oliuæ, cuiusque semimanipulum: florum rosarum, nymphææ, singulorum pugillos duos: capitum papauerum crasso modo contusorum, quatuor: seminis papaueris albi drachmas tres: coque ex aqua hordei, ad libras duas: adde syrupum rosarum, vel nymphææ, vel papaueris, aut ribes, com syr. de acetosa citriorum. Syrupus papaueris, emulsio seminum frigidorum: iuiubæ, poma, portulaca, rosa, malua. Succus trifolij, & malorum agrestium, intus & foris. Decoctum seminum cucumerum & intybi: syrupus granatorum & cydoniorum: decoctum seminis papaueris in aqua rosata. Aqua florum ligustri sed adstringit: & vnguen rosatum albarum.

Aetij diacodium: Philonium Romanum: diacodium *Iulapium.* Actuarij, cum aqua fluuiali, in qua spodium inferbuit, aut succinum torrefactum, vel cum stillatitio liquore rosarum, si fluxus adsit. Rosata nouella. Electaria anodyna, quæ Colica vocant.

Accipe aquæ portulacæ, vel plantaginis, libram vnā: sacchari albi vncias quatuor: coquantur in iulapij consistentiam. Syrupus myrtinus, de agresta, de cydoniis, rosatus, cum aqua portulacæ & plantaginis: fluxum etiam sistit.

De acetis. Cautio: si absit diarrhœa, acetosis à syrupis erit abstinendum, nam excoriant: est enim aphthodes alnus, vbi febris fatigat cum fluxu alui. Attamen conceduntur quidam, vt de ribes, & de berberis, cydoniorum, & de succo acetosæ: nam modestè acescunt.

FORIS

Intestinis calidis admouenda.

Fotus. Fotus ex myrto & rosis, violis, althæa, cydoniorum malorum decocto. bellidis, &c. Conducunt & fomenta ex aqua plantaginis, cum semine portulacæ, rosis, semine plantaginis, bursa pastoris, balaustiis, & rubi summitatibus, hypocistide, corallo.

Olea. Inunctiones ex oleo rosato omphacino, myrtino, mastichino, cydoniorum, violato: vnguentum rosatum, & oleum cucurbitæ: papaueris oleum cum amygdalino.

Emplastrum diaphœnicum frigidum Mesuæ, descriptum apud Antidotarium Florentinum.

Intestina frigida corroborantia, & Alterantia effusam in ea Pituitam extra venas, & Sanguinem.

INTVS.

Quæ pituita in ventriculum effusa est, alterabitur vt alimentaria; nempe his quæ primam coctionem promouent.

Simplicia. Proderunt flores chamæmelini, & aqua florum sambuci: petroselinum, serpyllum, centaurium minus: anethum; & eius oleó vtendum in clysmis, vt & rutæ. Proderunt cuncta quæ flatus discutiunt: Semina cymini, rutæ, dauci, liuistici, fœniculi, anisi, sileris. apij, petroselini, cari: origanum, calamintha & eius syrupus, lauri baccæ, abrotanum, absinthium, mercurialis, & eius succus: hordeum integrum, polypodium quernum, beta & eius succus: furfures pecia excepti, ac in decoctis positi, maximè in clysmis; ruta, hyssopum, tanacetum, anethum, fœniculum, menthastrum.

Olea. Guttulæ paucæ olei piperis: & oleum nucis moscatæ: oleum anisi: oleum cymini: oleum succini. Myrrha, & piper, angelica, galanga, sagapenum. flores sulphuris.

A colica. A colico dolore vtemur trochiscis ex amygdalis amaris; oleo amygdalorum dulcium, cum manna; iure galli veteris, aquis thermarum calidis, Theriaca cum decocto chamæmeli: castoreo cum mulsa, & aqua ex floribus croci: Iusculo vtemur in quo coxit maiorana: vinis medicatis etiam vtemur. Proderit & diacyminum, diagalanga. Vinum absinthites cum cymino, & vinum conyzæ: antidotus è baccis lauri, & iuniperi: mithridatium & theriaca cum decocto rutæ. Decoctum satureiæ ex vino: chamæmeli flores cocti ex iure pulli, vel vino. Syrupus de mentha & absinthij, cum aqua pulegij & sambuci. Aqua vini, in qua maduit absinthium: *Electaria.* electarium Ducis: diatrion pipereon: Egetea opiatum: aurea Alexandrina: ambrosia Archibij à Galeno descripta; eius compositio describitur in Antidotario Florentino: acetum scylliticum: mel anthosarum; saccharum rubrum: Oleum nucis inglandis per se, vel cum vino iniectum per sedem; flatus discutit. Vinum

maluaticum. Aqua cauellæ. Liquores Balsami artificialis.

Io colico dolore: Accipe drachmam opij diluti aqua vitæ; specierum aromatici rosati, vel diacymini, vel diamosci, drachmam semissem; croci, castorei singulos scriptulos: ex syrupo stœchados fiat Electarium. sumat drachmam ex vino, vel aqua florum croci, aut hyssopi.

Hoc ilicò prodest colicis: Accipe cordis gallinæ auriculas, tundantur cum sale & vino; & propinentur.

Clysmata. In clysmis, patietaria, anethum, beta, caules, absinthium, centaurium, lupini, ciceres, chamæmelum, folia lauri: electarium de baccis lauri: vinum Hippocraticum, oleum nucleorum persicorum, quod interdum bibitur. oleum nueum. Accipe succi rutæ libras tres; vel, si iam abiit vitor, siccatæ rutæ accipe manipulos quatuor: coque ex aquæ vel vini libris ix, ad exhaustionem duarum partium: His libris tribus incoque ammi, calamintham, fœniculum, aut chamæmel. anethum, cum radice althææ: hæc decocto, vel succo incoques ad libram: fiat clyster ea buius ℥ iij. vel iiij. adde oleum rosatum, & castoreum.

FORIS

Intestinis frigidis admouenda.

Fotus ex balneis calidis, vel eorum succedaneis: & lutum sulphureum balneorum proderit, vel eius quod vicem implet: Fomentum ex suffitu: chamæmelum, melilotus, sambuci flores, stœchas. Fotus ex vino malnatico cum aqua vitæ: apium laudatur, piper, galanga, cyminum, fœniculum, lauri baccæ & folia, calamintha, anethum, origanum, petroselini semen, seseli, mentha, mastix, nigella, pulegium, ruta, menthastrum, ammi, anisum, lauendula, fursures linteo excepti: hæc admouentur cocta ex vino austero. Decoctis additur oleum chamæmeli, aut anethi.

Illitus. Illitus ex adipe vrsi: oleo rutæ, oleo de piperibus: & ex oleo anethi, lauri, nardi, castorei. Fit & fotus ex oleo & vino: Accipe olei rutacei, in quo semina cymini, anisi, & centaurei minoris cocta sint, vnciam vnam: picis naualis vncias tres: misce; ac ventri imponatur, si flatibus turgescat.

Emplastrum & vnguentum. Emplastrum ex baccis lauri: emplastrum Diaphœnicum calidum Mesuæ, efficax medela, describitur in Antidotario Florentino. Vnguentum aregôn: oleum moschelinum. Vnctionis tempore affunde parum vini.

Balneum ex decocto chamæmeli, meliloti, foliorum lauri & rutæ.

Fursures ex decocto chamæmeli cocti, calidi admoueantur: additur oleum chamæmelioum, & althæa interdum.

Sacculus. Sacculus: Accipe florum chamæmeli pugillos duos: summitatum anethi, origani, meliloti, singulorum pugillum: fœnugræci, saninis lini, cuiusque vnciam: foliorum vtriusque maluæ, violarum, singulorum semimanipulum: fiant duo sacculi; madescant vino maluatico, lacte, vel aqua: & spongia madente ab hoc decocto fiat fotus.

OBSERVATIO.

Vberrimè sunt præscribenda quæ flatus discutiunt, & ob flatus pituitæque abundantiam.

Insessus. Insessus ad dolores ex flatibus: althææ, rutæ, maioranæ, manipuli duo singulorum; foliorum lauri, seminis apij, anisi, cumini, cuiusque vnciæ duæ: coque ex aqua, Ita ex origano, calamintha, anetho, chamæmelo, semine fœnugræci, cari, cumini, anisi, baccis lauri.

Intestina humida corroborantia, & alterantia:

INTVS.

Cautio in horum vsu maxima esse debet, ne in alui fluxibus, dum natura morbificam materiam excernere nititur, intempestiuo horum vsu materiam fœdam exitu probibeamus. Diuretica, & sudorifica conferunt; & somnus. Leporis caro, & sanguis eius calidus cum farina hordei mixtus, ac deuoratus priusquam frigescat.

Simplicia. Rbabarbarum, mastix, olibanum, amylum, tragacanthum, bolus, & aliæ terræ medicæ; acacia, hypocystis, galla, sumachium, corallum vstum, conchæ vstæ, cornu cerui vstum, oryza, sophiæ semen, balaustia, myrtillum, succinum: Semen apij, seseleos, ammi, rubia. Piper, zinziber, mace, aloë, castoreum, cinnamomum, cyperus, galanga, zedoaria, cortex citri: acori vulgaris conserua, myrobalanorom cortex: farina hordei furno siccata: acetosæ semen, òxylapathi semen, farina fabarum cum lacte & aqua; ossa mespilorum, & folia mespili siccata & clysmis indita. Rasura eboris: coriandrum, dicit Auicenna, cibum valenter in ventriculo continet: schœnanthos: caryophyllorum tostorum vsus. Consolida, absinthium, ruta, hepatica, cyminum, saluia, mentha, adianthum Dioscoridi: plantago & eius succus, sanguioalis, myrtus, tormentilla: radices & folia fragariæ: papauer, ribes: succus siccatus millefolij. Calyces rosarum, lanugo, semen, & foliorum albæ rosæ vngues. Bistortæ radix, sophiæ semen, gnaphalium, flos solis cum radice potus: decoctum pilosellæ maioris.

Mixta. Cydonia mala, & mina: rosæ siccæ, & conserua vetus; granata i conserua cornorum. cydonium malum inanitum, ac noua cera vel mastiche repletum, sub cineribus coctum, & comestum: coagulum hœdi, vel leporis: bepar lupi. Trochiscorum de stella scriptulus sumitur in aurora, ad omnem fluxum. Punicum malum clibano tostum, tritum, ac bibitum. conserua florum granatorum. condimentum myrtillinum.

Composita. Tryphera minor, diarrhodon abbatis, trochisci de spodio, philonium persicum; michleta Nicolai, electarium; diacydonium, athanasia, trochisci ramich Mesuæ, diacodium Actuarij cum aqua cælesti in qua spodium ferbuit; trochisci de berberis, hoc est oxyacantha; diarrhœon Galeni; & hydromelum Pauli, apud Aotidotarium Florentinum. Trochisci de terra sigillata, cum succo bursæ pastoritię, triasantala, gummi iuniperi ex ouo, aromaticum rosatum, diacyminum, diacorallum Galeni.

Potulenta. Aqua fabrorum, lac chalybearum butyro adempto: vinum rubellum astringens, cum aqua chalybeata. vinum in quo infusa fuit rosa sicca, & passulæ cæruleæ cũ acinis tritæ, vnà cum prunis syluestribus. Syrupus de mentha, si materia fuerit frigida. syrupos cydoniorum, & de rosis siccis, & myrtillorum: syrupus granatorum, & de ribes, & de oxyacantha: succus Eupatorij. cydonium malum coctum sub cineribus. succus cydoniorum, in quo corallum coctum sit. oleum coralliorum.

Aquæ rosatæ indatur caro cydoniorum: bibat. Aqua rosata vel plantaginis in qua coxit mastix, adiecta conserua rosarum. Aqua in qua genitale cerui lotum fuerit, pota. Tenerrima cornua cerui, frustatim secta, siccata, & puluerisata; & cum pipere & myrrha pota. Aqua foliorum quercus. Aqua apatinæ.

Venter inflatus. Vbi venter inflatur, propinatur drachmæ pondus thymi, ex aqua mulsa, vel oxymelite.

Limaces vsti, ac triti cum cochleis suis; misce gallas duas, & piper album: aspergatur his cibus; vel potentur. Tragacanthum tostum, ac propinatum ex vino cydoniorum. Pulueris conyzæ drachma, ex vino austero, cottidie sumptus. Dilutum ex vino musci arborei.

Hypercatharsis. Hypercatharsin sistunt seni gallorum ventriculi, sale inueterati & in vmbra siccati, poti: Sed omnium felicissimè theriaca recentata granis opij: vt dicam mox, vbi de Purgantium hypercatharsi.

Clysteres. Clysmata sint olei expertia: Id io eorum vsu notandum, vt minorem liquoris copiam gerant cùm est consolidandum, & adstringendum; maiorem, cum detergendum fuerit.

Valentissimũ astrictorium. Remedium adstringens valentissimum: Accipe corticum granatorum vncias duas, seminis nigellæ Romanę vnciam: granatorum tinctorum, seminis fœniculi, singulorum semũciam: radicis cyperi, ireos Florentinæ,

vtriusque

vtriusque drachmas duas : radicis tormentillæ, & bistortæ, cuiusque drachmas tres; mastices electæ vnciam; balaustiorú, rosarum rubrarum, corticum citriorum nó conditorum, sumachi, singulorum semúciã: cinnamomi ruditer contusi drachmas tres, coquantur secundum artem ea aquæ libris tribus : dum supersit iuris decocti libra vna : tunc adde vini Gallici subastringentis semilibram : ferueant duabus aut tribus ebullitionibus, & macerentur horis duodecim: postea colentur expressione mediocri. De hac colatura excipe cochlearium vnum; cui adde vini de rosetta, tantundem : & cum multo sacchato rosato subtilissimè trito, ac iisdem probe commisto, fiat haustus breuis, initio cuiusque pastus exhibendus. Suaue est id remedium, & præclarè aluum in fluxum effusam frenat & compescit; vt in desperata re sæpe mihi vsu compertum fuit.

Michleta Nicolai, cum tormentilla & mastiche.

Aliud : Accipe succi malorum cydoniorum libram, corallorum rubrorum, rosarum rubrarum, rhabarbari, singulorum drachmam, acaciæ, hypocystidis, cuiusque duos scriptulos : bulliant ad tertias. Detur manè & vesperi binis horis ante cibum, potu purgatu primum ægro.

Aliud suauissimum remedium : Accipe vini rubelli libram, sacchari rosati veteris vncias quatuor, granorum myrti vncias duas; caryophyllorum, cinnamomi, cuiusque drachmas binas : vertantur in puluerem crassum, & vino imbulliant, ad mediæ partis ea haustionem vtatur loco apozematis.

Aliud : Croci ferri drachma; croci scriptulus : cum oleo nucis moschatæ excipiantur. Dysenteriam sistit.

Diarrhœa. In Diarrhoea : Ferri læuigati & sæpius vsti drachma. terræ sigillatæ semidrachma; theriacæ drachmæ tres: ad drachmas duas.

Lienteria. In Lienteria : Chalybis læuigati & vsti, drachmæ duæ : coralliorum rubrorum drachma semis : cum theriacâ fiat Electarium. sumat manè & vesperi drachmas tres.

Notanda. Obseruandum, alui fluxum religiosè tractãdum esse: nam interdum solutæ aluo euacuantia remedia damus; cùm materia hæserit intestinis, quæ illis influxit, ac bellum expultrici facultati mouet. Non autem pharmacum præscribitur ad euacuationem affluentis materiæ, sed ad excussionem eius, quæ iam impressa vim excretricem irritat; quæ, ibi restagnârit, perniciem, ægro intentabit. Sed tamen à naturæ infensis pharmacis erit temperandum; nam rapiunt à peripheria succos, ad affecta intestina. Dentur & benigna exiguâ mole & vi; ne alius succus euocetur ad intestina: satis enim fuerit, illis immissum succum exigere. vt da substantiæ rhabarbari, & myrobalanorum corticum, cuiusque semiscriptulum, vel semidrachmam, hoc repete sæpiùs: ita ab intestinis elues vrẽtem succum, & nullum eò prolicies. Tamarindi landantur; nam temperant ardorem, modestè vacuant, & robur afflant intestinis: erunt dandi cum rosis, santalis, quò plus firmitudinis membris aspirent.

Accipe pulpæ tamarindorum semunciam, vel drachmas quinque : sacchari rosati semunciam, santalorum semiscriptulum. Probantur & pruna quæ ad integram maturitatem non peruenere: & cuncta quæ leniunt mitigantque acrimoniam succi, & vacuant; tum quæ firmant ventriculum, intestina & viscera. Auicenna præ cæteris laudat myrobalanos; nam euacuant, roborant, & adstringunt; & vt varij sunt succi, ita & variæ myrobalani. Syrupus rosatus solutiuus hîc commendatur, cum decocto tamarindorum. Rhabarbarum celebre remedium est; quod cum myrobalanis committere soleo.

Cautio. Copiâ non magnâ præscribi hæc debent, vt iam dixi, sed sæpiùs : & cùm stringendi mens non est, vtemur horum infusis; at decoctis, cum roborare. si adstrinctioni studes, dentur in substantia; & quoque leniter vtantur. Temperantia acrem materiæ vim, debent & leniter adstringere, vt syrupus de rosis, de cichoreo & mentha, a dulcioribus abstinendum, nam bilescunt; hinc incrementa trahit fluxus in calidiore corpore: quare loco syrupi de endiuia, veniat cichorei syrupus, vel potiùs decoctum cichorei; nam saccharum quod syrupis inest, fluxum auget.

Cautio : in vsu moderantium horum remediorum, videndum num adsit tussis; tum enim abstinendum erit ab acidis adstringentibus : sed potiùs viscidis vtendum erit, vt est farina amyli, radix consolidæ, succus oryzæ: quæ nempe possunt suo lentore materiæ fluxum inhibere. Quare & ab aceto cauendum, nam & vis quæ ab aceto micat in oxymelite, grauis erit ita affecto ventri, nam excoriationem promouet : propterea vbi intestina sunt imbecilla, ab hoc cauendum erit. Admonuit Auicenna à sorbitionibus abstinendum esse; quare decocto cichorei vtemur parcâ manu : imò potius ipsa conferet eius substantia; vt si vtamur eius succo conglobato, vel puluere, & conserua ex foliis, cum pauco quæ sacchato fabricata fuit. *Cautio in tussi.*

Vomitoria hîc conferunt: sed absit oleum, nam ventrem laxat. Vretica commendantur: nam, scripsit Hippocrates, mictio noctu plurima paruam deiectionem significat per aluum : ita traiicitur succus ad hepar, & auertitur à sede: sint calida quantum ardor corporis ferre poterit. *Vomitoria & vrinalia.*

Sudorifera conueniunt intùs, vbi materia morbifica fuerit frigidior.

Cùm ad vsum Adstringentium deuentum fuerit, notabimus ea id facere vel sine stupefactione, vel erunt narcotica. Sine stupido illo torpore si stringendi vi præcelluerint, notabimus num ille alui fluxus copiosius admodum sit, vel num modestiùs feratur: si enim in maximum sese effuderit fluxum, strenuò erit adstringendum; sin mitior effusio alui fuerit, blandioribus vtemur. Cùm mitiorem dico, intelligo tamen superfluum; alioqui stringendum non esset : & dum metus adest vt vires ferant perennitatem deiectionum. Sed tamen immoderatior excretio suum ambitum habet; nam vel longiùs recedit à naturæ lege, vel propiùs; ita & variis viribus insignita sint medicamina. *Obseruatio in alui fluxu.*

Inter validè adstringentia sunt, malicorium, balaustia, hypocystis, myrtus, galla. Debiliora, mastix, rosa, terra Lemnia, lapis hæmatitis, caseus vetus vstus, sæpe lotus (vt sal abluatur) & in puluerem tritus, fiant pilulæ, Vt: Accipe pulueris casei antiqui loti & assi, ℈ ij. pulueris gallarum immaturarum ℈ j. sacchari rosati antiqui, drachmas duas : misce, & vnica vice exhibeantur. Coagulum hœdi & leporis hîc suum locum habet : sed monuit Galenus, decimo libro Simplicium, aliquid acrimoniæ illi inesse : & Dioscorides affirmat fœminas ab vsu coaguli leporini sterilescere : Quare abluatur coagulum cum aqua hordei; deio cum aqua plantaginis, symphyti, vel rosatum. Spodium datur ad ʒ j. cum ʒ iij. conseruæ rosatæ., sanguinem sistit. His vtendum tantum cùm est metus iamiam casuras esse vires ægri. Michleta. *Varia fortiter qua stringit.* *Coagulum.*

Auicenna scripsit stupefacientia adstringentia maximè conferre, nam crassiorem reddunt materiam, ac partem refrigerant, & somnum conciliant, ac dolorem sedant. Accipe acaciæ, hypocystidos, carnium cydoniorum, thuris, gallarum, singulas drachmas : corallij rubri vsti & in aqua rosata loti, sesquidrachmam, opij drachmam: cum syrupo rosarum siccarum fiat Electarium: curat dysenteriam. *Narcotica.*

His tamen non vtendum, ni necessitas nos impulerit : vrget autem ea, in corpore calidiore, & aëre feruentiore, & in fluxu ab acri materia. His narcoticis miscebimus roborantia, vt castoreum, crocum, xyloaloën: quare philonium laudatum est remedium. Periculosus alioqui vsus est opij: meminit Auicenna quendam interiisse inferiùs admoto opio. Ad securitatem faciet hæc vsus *Cautio.* *Series in opij vsu.*

vsus series: primò vtemur foris; hinc suppositorio inferemus; tandem vincente malo, per os. Cordus laudat Philonium Persicum.

Victus. Adstringit vitellus oui in aceto decocti: passulæ astringentes, non dulces: cibus coctus cum malo cydonio, vel symphyti radice, vel plantagine. Aqua cocta cum symphyti radice, si adsit tussis; vinum austerum, si absit ardor. Potus sit exiguus; nisi cùm sudoris causâ datur vinum.

A cœna proderunt quæ nectunt somnum: decoctum oryzæ, consolidæ, & lactucæ, addnas vncias; cum emulsione trium drachmarum seminum papaueris.

Aluo in fluxum effusæ, plurima remedia posoit Dioscorides. Quibusdam abditum remedium est, lepus occisus mense Martio, ac siccatus in libera aura: puluis eius propinatur. Mirum in modum Dysentericis succurrit hepar præparatum lutræ: nucis inglandis copiam sumat, ac in pollinem redigat; bibat ex vino rubro, à cœna, cùm ad somnum se componit. Præparatur hoc modo hepar: dies ferè tredecim aceto maccrabitur acerrimo, hinc in furno super tegulam siccetur.

FORIS

INTESTINIS HUMIDIS *admouenda.*

Simplicia. Cuncta quæ adstringunt, vt cupressi nux, sangnis draconis, mica panis tosta, & in aceto macerata, & mastiche conspersa, myrti baccæ, mentha, pruna agrestia in aceto cocta, balaustia, hypocistis, mastix, corallum, iuniperinum gummi, santala, malicorium, bolus: oryzæ farinæ torrefacta, & cocta ex aceto rosato: labruscæ summitates, absinthium, equisetum, consolida maior, thus, sumach, carabe; semé vuarum, & inde Fotus: mucago tragacanthi, lentium farina, ichthyocolla cum aceto: Aqua chalybeata, cum vino rubro.

Fotus. Fomentum ex aqua, in qua coque radices plantaginis, rosas, santala, intybum, spodium. Semen menthæ, coriandrum, ladanum; & omnia, quæ diarrhodon compositio habet. Cortices pomorum pini aceto acerrimo cocti; ac fumus ima sede receptus. Calida: nux moschata, caryophylli, cyperus, galanga, mastix, spica, thus. Aliud: gallæ, malicorij, pentaphylli radicis teneræ, baccarum cupressi, singulas semuncias: coque ex libra olei ad tertias: spongia hoc imbuta, ano admoueatur: vini quid addi poterit.

Illitus. Sicci vapores, & sudorifica; & inunctiones calidæ ex oleo rutæ, masticis, cydoniorum, rosarum, anethi, chamæmelino: inunctio ex oleo myrtillorum, & nardino, mastichino.

Laudat Auicenna Vnctiones quibus rarescat cutis, vt ex oleo amygdalino dulci, cum modico vino albo tenni, & leni frictione admotas. His vtitur vbi materia æstuat calore: nam frigida materia, potiùs astringentia commendat, vt oleum absinthinum, mastichinum, nucis cupressi, cum cydoniorum omphacino oleo.

Emplastra. Emplastrum ex baccis lauri, emplastrum contra rupturam: emplastrum pro matrice: emplastrum diaphœnicum Mesuæ calidum, & frigidum, apud Antidotarium Florentinum. emplastrum ex gallia Mesuæ, calidum, & frigidum. emplastrum ad fluxum venrris.

Sacculi. Sacculi: Accipe milij vstulati pugillos quatuor: farinæ orobi, furfurum macrorum, cuiusque pugillos duos: florum chamæmelorum, summitatum anethi, vtriusque pugillum: cymini, cari, vtriusque vncias binas, baccarum lauri drachmas tres: fiant duo sacculi interbastati, & totum ventrem complectantur. Ventos discutiunt, colicæ ventosæ & tympaniti conferunt. Sacculus ex milio saleque tostis, floribus chamæmeli, & aniso. Si profluuium fuerit immoderatius, sacculi ex sale ventri imponantur; ex hordeo autem dorso: Contrà, si fluor non sit immoderatus.

Vnguentum. Vnguentum: Accipe rosarum rubrarum, baccarum & foliorum myrti, corticum rhoris, masticis, singulorum drachmam: malicorij & balaustiorum, acaciæ, gallarum recentium, nucum cupressi, singulorum scriptulos duos: coralli vsti, spodij, cuiusque semidrachmam: croci scriptulum: caryophyllorum, macis, nucis moschatæ, spicæ, cuiusque semiscriptulum: olei lentiscini, cydoniorum, singul. drachmas sex: ceræ albæ quod sufficit: fiat vnguentum. Vel soluatur emplastrum cum oleo, vt fiat linimentum.

Aliud: Olei cydoniorum, & myrtei, singulæ vnciæ, coralli, boli, radicis bistortæ, gallarum, singulæ drachmæ; acaciæ, hypocystidis, ladani, singulę semidrachmæ; cum cera q.s.

Obseruandum, vt inunctionis tempore semper quid aceti affundatur: quod & stringit, & leptometia peruadit. Aut ex decocto adstringente foueatur primùm aluus. Conueniunt hic & quæ ventriculo humido, & vtero madente admouentur. *Obserua.*

CAVTIO.

Non temerè aluus astringatur à principio fluxus, ne translatione symptomatica materiæ morbificæ, in febrem, pleuritidem, peripneumoniam, spasmum, vel dysenteriam, negato materiæ exitu, incidant. A leuioribus exordiendum, ac semper quæ hepati & ventriculo robur afflant remiscenda. *Cautio in fluxu.*

Cùm fluxus est alui obortus à calida materia, cōmédatur Balneū, sed primò euacuato corpore à materia praua.

OBSERVATIO.

Vbi effusa in fluxum fuerit aluus, semper notandum, num adstringentibus calidis (vt in lienteria) opus sit; an frigidis, vt in cholera affectu.

INTESTINA SICCA CORROBORANTIA, & ALTERANTIA *effusam in ea* MELANCHOLIAM *extra venas & sanguinem.*

INTVS.

Clysmata ex butyro recenti, & oleo recenti dulci, & ex oleo violato, & rosato: ex decocto maluæ, thapsi barbati, althææ, braochæ, violarum, bellidis, furfurum, cum vitellis ouorum. cremor ptisanæ confert: albumen oui: adipes. Decoctum seminis lactucæ, iotybi, capitum papaueris, & amyli; iuscula, malua, lactuca. Verbasci flores puluerisati & bibiti. Althææ decoctæ succus ex vino, alceæ radices cum vino. Accipe olei seminis lini, olei de althæa, cuiusque vncias quatuor, vini cum cæpis decocti, quantum sufficit: fiat Enema. colicis prodest. Nunquam butyro aut seuo vtantur sine oleis, in clysmis. Clyster ex oleo in quo fœnugræcum vel althæa ebulliit, cum anserino adipe. *Clysteres.*

Per os: Passulæ, dactyli, spinachia, violaria, maluæ tutiones, pruna, mora matura, ficus, sebesten. Cassia, quia stricta est aluus. saccharum, cucurbita, portulaca, endiuia, poma dulcia, panis furfuraceus, ptisanæ: aqua cocta cum saccharo: Decoctum seminis lactucæ, cucurbitæ, intybi, cucumeris. Aqua cocta cum floribus maluæ, violarum, rosarum, & hordeo: Fructus ὡραῖοι maturi. Semeo lini, fœnugræci, muccago psylli in clysmis, ad binas vncias: iusculum caponis, & pinguia: oleum amygdalorum dulcium, cum vino Hippocratico. Lac, butyrum, medullæ, ol. amygd. dulcis ℥ iij ol. amygd. amar. ℥ j. ß. sacchari ʒ j misce. *Simplicia.*

Accipe olei communis vncias quatuor: In eo crusta panis lenitet inusta sæpius extinguatur; detur oleum cum iusculo pulli, in quo flores chamæmeli cocti sunt; & à cibo abstineat horas quatuor. Accipe decoctum prunorum, passularum, caricarum; inde cassiam, & traiice per colum: da cum oleo amygdalino. Passulæ coquantur cum aqua & saccharo: sumat cochlearium.

MELANCHOLIAM *in intestinis alterant:*

Chamæmelum, ruta, hyssopum, centaurium, origanum, polypodium, pulegium, mercurialis; cyminum, & diacyminum. Semina anisi, dauci, xmeos. cxrni, seseleos, fœniculi. Radices acori: melilotum, anethum: serum lactis: lapathium acutum: caro cucurbitæ saccharo condita.

Aciona. Et quicquid eiusmodi est, vt quod flatus(moderato madore non omnino spoliatum)excutere potest:Quare decoctis his ex aqua,in clysmis vtimor: vel olea ex his facta iniicimus. Si areant omnia , fiat decoctum ex semine psyllij:infundatur aluo cum oleo violaceo.

FORIS

Intestinis sicco admouenda.

Olea. Fomenta humida ex oleis,& panni his imbuti & appositi.

Balnea dulcia. Illitus ex adipibus moderatis , oleo dulci,butyro,oleo lini,violaceo, amygdalino, cum medullis. Prodetunt & hæc olea : eucurbitæ, & ex semine maluarum , & ex semine althææ oleum:oleum l.linum.

Vnguenta. Vnguentum ex oleo liliorum, amygdalorum, irino, violarum , exungia humana , & pauco castoreo. Vnguentum de Althæa.

Batietaria cum [?]ccenti butyro , vel adipe gallinaceo f[?]a,& ventri imposita cataplasmatis modo, colicum sedat.Omentum ouis,in sartagine calfactum,& appositum. Semen lini , & fœnogræci : verbascum. Fotus ex aqua dulci , cum lacte , & oleo temperato : vel ex hydrelæo Saeculi ex violaria,maluâ , althæa, semine fœnugræci:& ex lacte madidi imponantur.

CAPVT XII.

De Renibus.

Renes calidos corroborantia , & alterantia effusam in eos Bilem extra venas.

INTVS.

Qualia. Renes serosa humiditate gaudent , quemadmodum vterus dulci. Quare sint serosa quæ renibus præscribuntur, nam dulcia abduceret in se vterus. Abstineat à caseo & crassis viscidisque rebus,nam cunctando lapidescent.

Simplicia. Rosa,acetosa,viola,portulaca, nymphæa , plantago, sonchus,intybom.lactuca,aspatagus,cucurbita, balicacabi fructus,bismalua , adianthum,rusci semen , pimpinella:succus granatorum , & ribes : acetosa arenulas eiicit:poma,pyra:radices & folia fragariæ.

Compos. Caphuræ trochisci ; Philonium Romanum & Persicum.Malua,& florum maluæ conserua,apud Amatum Lusitanum,centuria 6.58. superbibat aquæ maluæ distillatæ vncias tres:manè id agat & vesperi,per dies viginti.Papauer,sebesten,butyrum,fumaria, radices graminis,conserua rosarum Punicarum. Radices lapathij , salicis flores,radices chelidoniç minoris,lingua ceruina.

Pulmenta. Aqua metallica frigida:serum caprilli lactis;lac amygdalinum:ex fructibus spinæ acutç distillata aqua:& ex cerasis nigris cum nucleis attritis ex lacte , & inde eliquata aqua:graminis aqua.Decoctũ seminis papaueris.

Syrupi. Syrupus capillorum Veneris,& de agresta:syrupus de limonib⁹:syrupus de althæa:De portulaca,cũ aqua plantaginis & portulacç.Electariũ Diaspermatõ , refrigerat vrinæ vias, & lenit:istud descripsit Fernelius libro septimo. Vinum halicacabi;eius vnciæ quatuor. lac dulce haustum cum pauco croco:In prima mensa haustus ceruisiæ tenuis & puræ,vel aquæ hordei:nam, inquit Alexander Trallianus,renum calorem extinguit.

Potio. Potio : Accipe radicum graminis vnciam : hordei mundi,violariæ, cuiusque manipulum:seminum melonum drachmas tres:florum cordialium, cuiusque pugillum:fiat decoctio ad sesquilibram;& dulcescat sacchàro,vel syrupo violato.Ita ex violaria, althæa,saxifragia, glycyrrhiza,asparago,milio Solis,buglosso.

Emulsio. Emulsio : Accipe quatuor seminum frigidorum maiorum recentium & mundatorum , cuiusque drachmas tres : amygdalorum dulcium , excorticatorum in aqua frigida, vnciam vnam : terantur in lapideo mortario cũ aqua,& fiat colatura ad libram:seruetur vase vitreo:addequid sacchari rosati,ne emollescat stomachus.Stranguria: confert hæc emulsio , bibita quatuor horis ante cibum:sed edat primò diatragacanthum frigidum : addi possunt semina lactucæ,portulacæ,& papaueris.

Bolus. Bolus : Accipe cassiæ vncias tres; pulpæ tamarindorum,& iuiubarum,singulas vncias ; muccaginis psyllij drachmas sex ; ex syrupo violaceo fiat Electarium : sumatur forma boli, vel ex iusculo.vlceribus prodest.

Confert gummi prunorum, cum decocto alkekengi fructuum. Cassia cum iusculo carnium , in quo fructus alkekengi cocti sunt,eximit bilem à renibus : vel cassia propinata ex decocto communi,glycyrrhizæ,passularum,& prunorum.Iuscula pinguia carnium,in quibus althæa,mercurialis,saccharum rubrum, malua , & butyrum coquantur:nam aluus officij immemor, calorem auget.Aqua florum fabarum. Vnciæ duæ passularum per horam ante prandium sumptæ. Clysma ex semine fœnugræci,lini, floribus chamæmeli , meliloti , violariæ,maluæ:fiat decoctio ex aqua;adde oleum violaceum.

CAVTIO.

Exardescente à calida vi vrina, ab vrinalibus remediis cunctis abstinendum,ne ardor in renibus & vesica excandescat.Nec aceto,aut vino tenui , salsis , aut acribus vtendum; sed modicè humectantibus,refrigerantibus,& temperantibus : maximè ineunte morbo , foccis nondum matigatis, ac inflammatione premente.

FORIS.

Renibus calidis admouenda.

Hæc ab astringendi vi libera sint. Conueniunt Insessus,& Balnea dulcia:ex decocto seminis lini , fœnugræci,florum chamæmelorum,meliloti,maluç,radicum althææ.Ex tribus partibus aquæ, & vnâ vini fiat fotus.

Vitetur decubitus in dorsum;id ne dormienti accidat, accingat balteum,cui,è regione renum , spinachiæ semina insint.Conueniunt violæ, rosa, senecio , lactuca, plantago,solatrum,salicis folia,sedum, vmbilicus Veneris,portulaca.

Balneum. Balneum:Accipe foliorum violarum , endiuiæ, maluæ althææ,plantaginis,nymphææ , cuiusque manipulos tres;rosarum rubrarum,manipulos quatuor ; hordei sesquilibram:adde lac recens , postquàm ex aqua cocta fuerint.

Illitus. Iounctiones ex oleo violato cum aceto : ex oleo rosato & nenupharis , ex vnguento rosato cum caphura. Proderit oleum papaueris,lac muliebre,muccago seminis psyllij. Vnguentum & oleum populinum ; vnguentum ex oleo amygdalino,liliorum, violarum , chamæmelino,axungiis,& butyro.

Accipe olei rosati ter quatérve loti rosacca , vncias duas:ceræ candidissimæ vnciam ; liquescant in duplici vase:vbi refrixerint, demergantur in aquam frigidissimam , moxque subigantur succo lactucæ, aut semperuiui:adde caphuræ drachmas duas;aut,si æsto incanduerint lumbi,opij scriptulos duos.Noxij sunt lecti ex plumis anserinis. Illitus semper à quarta parte horæ teuocentur in vsum : dum sentit euanidum calorem abiisse.

Insessus. Insessus vel fotus ex aqua dulci:vel ex maluæ hortensis, althææ,fasciculis octo:seminis lini, fœnugræci, vnciis quatuor,aquæ incoctis.

Cataplasma ex lactuca,papauere, parietaria , portulaca,vitis foliis,farina hordeacea. Ceratum refrigerans Galeni:Lamina plumbea, multis foraminibus pertusa , ac pauco hydrargyro illita.Oleum papaueris,& myrti, cum rosis rubris.Ceratum Santalinum , cum succo papaueris.

Sacculus ex violis,rosis,nymphæa , semine intybi , portulacæ,acetosæ,plantaginis,cichorei,& santalis.

Renes frigidos corroborantia , & alterantia effusam in eos pituitam extra venas.

INTVS.

Simplicia. Ribes nigra loco amomi:fœniculi radices & semen: adian

adianthum, saxifragia, & eius semen, ceterachum, raphani cortex vino macerata, artemisia, genistæ flores, guaiacum, apium; cerefolium, & ex eo cum lacte, aqua exstillata: eius semen: flores chamelini ex iusculo capi, vel pulli, in colicis & nephriticis doloribus valentissimum præsidium est. Passulæ; sebesten, baccæ lauri: iuniperi vinum & baccæ: asari radix; decoctum cicerum: apium, & petroselini radix; nisi æger Epilepsiæ fuerit obnoxius. Radices filipendulæ, rubia tinctorum. liquiritia, radices smyrnij, & fœniculi: Amygdalæ dulces, pineæ, pistachia, auellanæ, genista, cardamomum, caprifolium, tanacetum, eruca, allium elixum, origanum, cortex radicis lauri: spica, thus, rubia maior: crocum. Rosmarinum cum vino, betonica, centaurium minus, tribulus vterque: oleum iuniperi, & eius baccæ ex vino coctæ: folia & cortex radicis lauri, sed fœtum enecat: calamus odoratus ex vino: Baccarum hederæ terrestris ex vino albo colatura: Iridis radicum decoctum, & ex conditæ: valerianæ radix: saluia nobilior: anisum: Aqua fabarũ, & nasturtij aquatici, vrtica Et plurima hepatica, & splenetica.

Sales. Sal polypodij, & hyperici, genistæ, anonidis, lomentorum fabarum, vrinas mouent: vt & Sal sanguinis hircini.

Clysma. Clyster ex decocto radicum althææ, seminum anisi, fœniculi, carui; florum chamæmelorum, meliloti, anethi, violarum, maluæ; ficuum: cum benedicta laxatina; oleo anethino, chamæmelino, scorpionum, cum cassia. Clysma ex oleo amygdalino & vino Cretico.

Cautio: Cùm adest calculus, sit parua copia Clysmatis. Fiat Clyster & ex solo oleo chamæmelino, cum cassia.

Potulenta. Mel, vina medicata, myrrha, terebinthina cum saccharo, styrax: vinum album, & fœniculum: Vina medicata, vt conyzæ, & goaiaci. Aqua saxifragiæ, calaminthæ, betonicæ, & pulegij. Aqua canellæ. olei succini gutta. liquores balsami arte confecti. dictamni albi drachma ex vino pota.

Elector. Oxymel scylliticum & compositum. syrupus raphani, apud Fernelium. Syrupus de radicibus. oxymel cum aqua abrotani, & saxifragiæ. Dianisum, & diatragacanthum; & superbibat vinum anisatũ: puluis electarij de baccis lauri: electarium lithontripticon apud Fernelium libro septimo Methodi: cum terebinthina diatrium pipereon, alumn vnà aperit. Aurea Alexandrina: diasatyriõ: diathamaron: Athanasiã: Iustinianum: Egerea opiatum: Theriaca.

Syrupi. Syrupus de Byzantiis: hic est calidior quàm syrupus capillorum Veneris; quare & ab eius exhibitione dari solet syrupus acetatus cum radicibus, Mesuæ: syrupus de duabus & quinque radicibus.

Antiquum. Acetum raphanatum: olim Delphis ex auro dicabatur Raphanus; vt Beta, ex argento; & rapum, ex plumbo. Syrupus hyssopi cum duplo vel triplo aquæ parietariæ; id remedium & calculos abiicit & arenas: ieiunis datur hyeme per dies decem vel duodecim. Piper in cibo. oleum amygdalinum amarum.

Colicum. Ad dolorem Colicum ex arenla renum: spicæ Celticæ, asari, schenanthi, seminis palliuri, halicacabi, althææ, myrrhæ, styracis, singulæ drachmæ: seminis apij vel dauci, petroselini, rubiæ maioris, singulæ semunciæ: opij drachmæ duæ: croci scriptulus: ex syrupo adianthi, & pauca terebinthina lota ex aqua graminis & vino, fiat Electarium, da scriptulum, surge ad drachmam: sumatur ex vino. oleum baccarum hederæ.

FORIS

Renibus frigidis admouenda.

…nus. Thermæ & fomenta calida ex decoctis chamæmeli, rorismarini, summitatum anethi, saxifragiæ, sisymbrij aquatici, spicæ, fœnugræci, betonicæ, spondylij, origani, calaminthæ, petroselini.

Calculo. Insessus ad calculos. Rapæ, pastinacæ, sisari herbæ, chamæmeli. florum thapsi barbati, betonicæ, prunellæ, aquilegiæ, rutæ murariæ, artemisiæ, singuli manipuli. Alius: radicum althææ vnciæ quatuor: foliorum maluæ, althææ, parietariæ, singulorum manipuli duo: spicæ manipulus dimidius: origani, betonicæ, abrotani, artemisiæ, petroselini, manipuli duo: anisi, fœniculi, lini seminis, fœnugræci, cuiusque vnciæ duæ: furfurum manipuli quatuor. sacculo indantur: coque ex aqua.

Oleum glandis vnguentariæ, oleum florum ligustri: sambuci oleum, oleum sampsuchi, satyrij, amygdalinum amarum, oleum de piperibus, scorpionum & vulpinum. Oleum balsami in Antidotario Florentino. oleum styracis, laurinum, nardinum, rutaceum; terebinthinæ, & iuniperi, oleum moschelinum, oleum liliorum. *Olea.*

Vnguentum Martianum Nicolai. Emplastrum apostolicon Nicolai. emplastrum de baccis lauri. vnguentum Agrippæ, & vnguentum Aregon. Emplastrum ex nasturtio aquatico, raphano, & parietari…, frixa in adipe cuniculi. Folia enulæ campanæ cum vino apposita, …olorem eximunt. *Vnguenta & Emplastra.*

Renes Humidos corroborantia, & alterantia:

INTVS.

Clysteres ex oleo amygdalino amaro: vel rutaceo, chamæmelino, mastichino; ex decocto equiseti, plantaginis, & chamæmeli. *Clysma.*

Auellanæ nuces, cornu cerui, castaneæ, guaiacum, oryza, cupulę glandium, sanguis hirci, corallum, coriandrum, lucij mandibula, & interna ossa capitis. Rutæ semen, & milij solis, agni casti semen. Myrobalani citrinæ, schœnanthos, puluis integri leporis cum pelle, acetosæ semen, moracilla auicula, adianthum omne, crassam bilem absterget: balaustia, cyperi radix. *Simplicia.*

Dialacca, electarium diaspermaton: diacydonites: & lithontribon: Electarium Iustinum, electarium Ducis: & puluis Reginæ: aurea Alexandrina: Trochisci de spodio: trochisci diaëlectrum Galeni, apud Antidotarium Florentinum: trochisci de alkekengi: & de carabe, & de terra sigillata, & stellæ, & de succo polygonij. Syrupus myrtillorum: aster Galeni. Conserua radicum apij, & raphani, & nasturtij aquatici. Nuclei cerasorum & persicorum. radix nenupharis. Testa oui ex quo pullus prodiit. Potua sit parcior, & spatiis intermediis eius sit abstinẽtia. Decoctum ligni cum cortice sassafras, assulatim concisi (vncia corticis satisfaceret) aquæ libræ quatuor: nouo fictili macerentur horis duodecim: coque lentè, ad duarum tertiarum consumptionem: Siccat valdè & modestè calfacit. Decoctum Virgæ aureæ, cum puluere herbæ huius. *Composita.*

Si calculosa adsit materia, Potua hic vtilis erit: Accipe betonicæ manipulum, cicerum rubeorum vnciam: fiat decoctio ex mulsa despumata, ad libram: cui adde oxymellis simplicis vncias tres, nucis myristicæ drachmam vnam. *Potus ad calculum. Calculo dicata.*

Alius: Accipe radicum graminis vncias tres: fiat coctio ex mulsa despumata, ad libram: aromatisetur. Ita ex capillis Veneris, betonica, saxifragia, pentaphyllo, semine hyperici, & dauci.

Vel accipe sanguinis hirci præparati drachmam (hircus saxifragis nutriri debet, sub torrido sole) cum decoctionis graminis & cicerum rubrorum in mulsa vnciis quatuor. Terebinthina cremata. vermes terræ cum Iustiniano. Puluis polygoni minoris, & betonicæ, ac corticis cassiæ: lapilli astacinorum: hæc calculorum focum abigunt. Cucurbitæ cinis, semen personatæ, cynosbati fructus. Decoctum musci terrestris ex vino. Aqua foliorum quercus distillata. mespilorum ossa bibita cochlearis copia, ex vino cochleæ limacum aridæ. oculi cancrorum. Pisa, cicercs: hippolapathi radix. veronica mas. Olei vitrioli semiscriptulus, cum aqua florum genistæ, lithospermon.

Ad calculum: Accipe nucleorum ossium persicorum quinquaginta, nucleorum ossium cerasorum centum, florum sambuci manipulum, vini Cretici li- *Calculo.*

braš

bras tres: fictili nouo excepta sepeliantur in fimo equino, dies decem: hinc distillentur: dentur aquæ vnciæ quatuor ante prandium. Flores fagi siccati, dati cum vino albo. Virga pastoris in cineres combusta, hinc ex Pictauiensi vino fiat lixiuium. veronica, cum cauda equi & dauco, Hispanino in vino cocta. *Pulus.* Puluis: Accipe glycyrrhizæ pul. semunciam, myrrhæ rubræ, aristolochiæ, baccarum lauri, gentianæ, singulorum drachmas binas: cum sacchato & vino vtatur cottidie binis drachmis. oleum fæcularum vini, ex vino.

FORIS.

Renibus Humidis admouenda.

Fotus sicci: Balnea sulphutea: Asarum, spica, sumachium, sehœnanthus, raphanus, milium Solis, arundinis radix. *Olea.* Illitus ex oleo chamæmelino, castoreo; ex oleo rutæ: infunde rutæ capitula cum seminibus, oleo lini. genistæ flores in oleo chamæmelino macerati: oleum de cetasis: oleum scotpionum.

Cataplasma. Cataplasma ex portulacâ, tosis, farinâ hordei, seminibus papaueris, balaustiis, santalis, cum oleo myrtino, & cynodiorum: addi poterunt semina plantaginis, balaustia, malicoria, & semina rosarum. Cineres glandium faginarum.

Renes Siccos corroborantia, & alterantia effusam in eos melancholiam.

INTVS.

Clysmata. Clysteres ex oleo dulci, & ex emollientium rerum decocto: vel ex iusculis pinguibus, vt intestinorum & capitum verueeis; vel ex lacte, cum lactuca, & hordeo, malnâ, mercuriali, betâ: cum radieibus althææ: seminis lini, & fœnigræci, cuiusque vncia: cum sacchato, oleo communi, & cassia. vel oleo amygdalino dulci vtemur, aut oleo scorpionum. Vel fiat elysma ex oleo communi, cum pauco semine althææ, & anisi. *Calculo.* Pro Calculo: Accipe olei amygdalini amari recentis; pinguedinis ansetis, terebinthmæ claræ, butyri recentis, singulorum vncias tres; croci subtiliter puluerisati drachmam: fiat clyster.

Per os. Pet os emollescit siccitas vsu melonum, & cucurbitæ coctæ. Conuenit papauer, oua, ptisana, butyrum, lac: cui interdum additur ouum recens. Semina melonum exortieata, & sac charo condita: asparagus: vitulina caro: satyrion & diasatyrion: pinei, cynaræ, pistachia, passulæ, gallorum testiculi, testudinum caro: bulbus: cerebrum porci cum origano paratum; pastinaca, malua, linum: oliuæ: borago, violæ, malua: Succus parietariæ ex vino albo, cum oleo amygdalino: semen althææ: bdellium bibitum calculos abigit; & terebinthina. Gummi persicæ, cum succo raphani vel limonum. Tragacanthæ drachma ex passo: anchusæ decoctum.

Cautio. Vbi metus adest à calculo, tum vrinalia medicamina obsunt ad præcautionem: sed in paroxysmo auxiliantur fusis ac emollitis ductibus, quibus exitus illi pateat. Nam in diexodo insessu, fotu, litu, vtimur; non in generatione eius. à lenientium vsu, lenitet erit incidendum: hinc validè.

Composita. Vinum eryngatum: vinum cum succo petroselini mixtum pelui infunditur, & lac bulliens confertim superiniicitur: quod se in fundo colligit serum bibitur. Dialthea Actuarij. Conserua eryngij, boraginis, violarum, & florum maluæ. Dialacca: diaspermaton, lenit vrinæ vias, inquit Fernelius libro septimo Methodi. Cerasa nigra cum lacte distillata. Syrupus boraginis & buglossi. Accipe olei amygdalini vncias duas, vini maluaticei vncias quatuor; misce: fiat haustus. Vel mannæ aut cassiæ vncia, cum vncia olei amygdalini dulcis, iure carnium pingui.

Melancholiam in renibus alterant.

Lepus. Leporina cato: nam scripsit Galenus, suauissimum huius sanguinem esse: eius autem sine dubio ideam refert cato, ex quo tota constat: vnde Martialis

Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Amomum vel ribes nigra: adianthum. Radices fœniculi, graminis, asparagi, rusci, valerianæ, cyperi, cichorei, asari: ceterachum: passulæ, cassuta, capillus Veneris: genistæ flores, lapidis prohibent coagulum, & eorum aqua. betonica fraga, hoc est, chamæbatus, vel rubus.

Lixiuium ex cineribus stipularum fabarum, vino eliquatum, vt scripsimus libro primo De lixiuiis. *Lixiuium.* Ononidis radices, & surculi tenues, priusquam aculeos induant, conditi sacchato, melle & acero. Epithymum renum vitiis confert, inquit Mesues. Conserua satyrionis. Serum lactis coctum. semina frigida. aqua fœniculi; semen liuistici, parietaria: rosmarinus: napi, rapa. Conserua florum genistæ: liquiritia. Radices quinque aperitiuæ, hoc est, apij, petroselini; rusci, graminis, & asparagi: saluia, summitates lupuli. Ocimi semen potum, hormini semen; sed Venerem stimulat: vnde illi nomen, ἀπὸ τοῦ ὁρμᾶν. Abstineant à lacte cui butyrum ademtum est; & à pane male cocto; aromatibus, ceruisiâ impurâ, vino nouo.

Ad Calculū. Calculum extrudit hoc: Accipe aquæ distillatæ limonum vncias duas, olei amygdalarum dulcium recentis vnciam, & vini albi sescunciam; nucis myristicæ, macis, cuiusque scriptulum: sumat vacuo ventriculo.

Optimum. Sed omnium fœlicissimè hoc, quod Accipit vini ardentis, aquæ fragariæ & petroselini, cuiusque libras, duas: maluatici acerbi, libram: primum misce aquas vtrasque aquæ ardenti, quadrante horæ: mox iunge maluaticū, & sacchari crystallini albi puluerisati libram: macerentur dies octo: cottidie moue; dein Soli expone dies octo, nec moue. Dein effunde; & iterum dies octo redde Soli: & quod clarissimum est deinde effunde. accipe ieiunus cochlearia tria: id repete dormiturus. est præcellens remedium; nec prudentem faller medicum in calculi amotione.

Summitates althææ coquuntur in iusculo, cum vino & butyro. Quidam hanc aquam celebrant ad calculi extrusionem: aquæ petroselini, & raphani; his infunde puluerem oculorum cancrorum: à maceratione, inclinatione effundatur, & bibatur; Ita ciceres cum multo butyro iuscolis coquuntur. Matthiolus laudat puluerem corticum radicum anonidis, ex vino. Semen fraxini ex vino, oleum nucleorum persieorum, cum aqua eorum. Succus limonum cum maluatico. Oleum recens amygdalinum amarum, copiâ quinque vnciarum. In vino & aqua petroselini coquitur raphanus, & radix althææ. Calculo prosunt radix asparagi, oxalidis graminis, personatæ, hoc est bardanæ radix, semen rusci, eryngij, betonicæ, semen & radix althææ, adianthum, quatuor semina frigida maiora; balicacabi, fraga, cortex radicum Anonidis. syrupus de althæa, & de raphano olei oliuarum cochlearium.

FORIS

Renibus Siccis admouenda.

Simplicia. Balnea dulcis aquæ: fotus humidi: ficus in fomentis conferunt, & oleum oliuarum. Violaria, parietaria, radix lilij, branchæ: lumbrici: radices althææ: butyrum: saxifragia: folia caulis, pimpinellæ & betonicæ (si calculus adsit) folia; semen lini & fœnigræci. Additur tertia pars vini: vel iungitur media pars olei, decocto horum.

Fotus. Accipe maluæ; althææ, florum chamæmeli, artemisiæ, seminis lini, radicum petroselini, cuiusque manipulum: coque ex aqua ad mediæ partis exhaustionem; fiat Fotus.

Illitus. Illitus ex dialthæa, vel vnguento Agrippæ. oleum violaceum, & liliorum, nymphææ: oleum seminis fœnigræci: axungia cuniculi, & felis, & anseris. Linimentum: Accipe olei scorpionis, amygdalarum dulcium, amararum, chamæmeli, cuiusque drachmas tres; axungiæ

axungiæ gallinæ, cuniculi, muccilaginis seminis althææ, singulorum drachmas duas; seminis althææ puluerisatæ drachmam: ceræ quod satis sit. à sotu vngatur. Oleum in quo radices althææ coxerint: œsypus. Taxi adeps, coquitur ex vino in Linimentum.

Semicupium. Accipe radicum althææ vncias quatuor: maluæ, althææ, foliorum raphani (si calculus fatigat,) parietariæ, florum chamæmeli, summitatum anethi, singulorum manipulos duos: origani, calaminthæ, betonicæ; cuiusque manipulum: seminis anisi, fœniculi, lini, fœnigræci, dauci, singulorum binas vncias: furfurum pugillos quatuor. ponantur in sacculo, & fiat decoctio ea aqua, quantum sufficit, vt fiat Semicupium: Nephriticis confert. Vesica oleo repido semiplena, loco adhibita. Filum coctum ex lixiuio, cineribus, & tertia parte olei communis.

Epiplasma. Cataplasma, Accipe maluæ, althææ, & seminis eius, seminis lini, butyri recentis, caricarum, singulorum vnciam: florum chamæmeli manipulum, seminis fœnigræci semunciam: fiat coctio ea aqua: & dein adde olei scorpionum, liliorum, violarum, vtriusque amygdalæ, aaungiæ anatis & cuniculi, quantum sufficit: fiat Cataplasma: adde croci scriptulum. bis die renouetur. Sacculi ex lacte interdum admouentur. Emplastrum ceroneum.

CAPVT XIII.

De Vesica.

Vesicam calidam corroborantia, & alterantia effusam Bilem per Vesicam extra venas:

INTVS.

Hic locum habent ea quæ refrigerant iecur: nam dum lotium acrescit ab hepate (vt etiam interdum à renibus) bis occurrendum esse suadet ratio. Electarium:

Electarium temperatum & molliens. Accipe althææ radicis vncias duas; glycyrrhizæ, eryngij, singulas vncias, passularum, ficuum, iniuharum, singulorum paria triginta: anisi, fœniculi, vtriusque drachmas duas: apij, petroselini; cuiusque semidrachmam: florum violarum, chamæmeli, singulorum pugillum: coque in iure cicerum rubrorum: fiat syrupus ea melle & saccharo; adde cassiæ vncias sex, cum pulpa passularum, & ficuum. soluit, deterget, incidit, vrecticum est.

Ad calculum & vrinæ ardorem. Quæ tenuant & refrigerant, non sinunt in calculum abire arenulas, & mulcent vrinæ ardorem. In vrinæ ardore commendatur lac potum: emulsio seminum melonum, & seminis papaueris. Hoc castigat humorum acrimoniam: accipe seminum melonum drachmas a. seminum cucumeris maturi, cucurbitæ, papaueris, portulacæ, singulorum drachmas tres: seminis alterci albi drachmas ij. sacchari albi quantum cuncta hęc pendent. sumat manè huius pulueris drachmas tres; & tantundem sub vesperam, cum vncia syrupi violacei; vel cum iolapio & dulcis radicis decocto. Si ingrauidata mulier à stranguria laborat, bibat decoctum radicum althææ & passularum, cum saccharo: & dein lac amygdalinum. Victus sit emplasticus: abstineat acribus, salsis: potus sit parcior. serum lactis caprilli: oleum amygdalinum dulce: Vinum halicacabi, & vinum graminis: Portulaca, liquiritiæ succus, semen cydoniorum, fructus alkekengi, & eorum succus, cum decocto papaueris & seminibus frigidis: endiuiæ & lactucæ, portulacæ & acetosæ semen, hordeum; Pepones & melopepones, cucumeres, & cucurbita; semen cucumerum emulsum in lacte: graminis radices & semen; limonum succus, & raphanus totus cooquassatus ac succo limonum affusus, atque hinc elicitus liquor distillatione. Acetosæ radicis succus: Rubus, asparagus cum vino, personata, fraga, vrticæ succus: rubi idæi fructus, & eorum stillatitia aqua: ex fructu spinæ acutæ aqua distillata: parietaria. Passulæ, amygdalæ dulces. Decoctum florum consolidæ regalis.

Potus: Accipe cicerum rubrorum sesquilibram: in libris decem aquæ per diem macerentur, coque ad tertias: colaturæ adde glycyrrhizæ vnciam: radicum & foliorum maluæ, althææ, graminis, agrimoniæ, callutæ manipulum: iuiubas decem: seminis melopeponum binas vncias: baccarum halacacabi, & hortensis solani, lithospermi, singulorum semunciam: ossium dactylorum tritorum drachmas tres: ferueant ad tertias: sumat vncias quatuor manè. Alioqui, accipe cicerum vncias duas, hordei mundi vnciam, baccas halicacabi octo, liquiritiæ drachmam: fiat coctio ex aqua ad libras duas. *Potus.*

Electariom diaspermaton lenit vrinæ vias, apud Fernelium libro septimo, diaolibanum opiatum. philonium Romanum, & Mesues. Decoctum lagopi cum foliis maluæ ex vino dulci. *Electaria.*

Emulsio: Accipe seminis papaueris albi semunciam, semioum frigidnrum maiorum, singulorum drachmas tres: amygdalorum dulcium semunciam: decocti liquiritiæ vncias nouem: terantur in mortario, & in colatura dissolue syrupi violati, capillorum Veneris, myrtillorũ, singulorum vnciam: fiat emulsio pro duabus vicibus. sumat manè quatuor horis ante prandium. *Emulsio.*

Alia emulsio: Accipe quatuor seminum frigidorum maiorum recentium, ac mundatorum, cuiusque drachmas tres: amygdalarum dulcium eacorticatatum, vnciam. terantur omnia in mortario lapideo, cum aqua hordei, ad libtã: quę in vase vitreo seruetur. adde aliquid sacchari rosati, ne emollescat stomachus. capiat vncias quatuor vel sea ante prandium, per duas vel tres horas. Si magis refrigerandum sit, adde semen lactucæ. portulacæ, vel papaueris: poterit prius deuorari Diatragacanthum frigidum.

FORIS.

Vesica calida admouenda.

Præcipuum auailium est somentum ea malua, parietariâ, radicibus lapathij acuti, seminibus fœnugræci. Fomentatio pubis & perinæi cum decocto parietariæ & petroselini, cum aliquâ vini parte. *Sed illud obseruabile, vt remisceantur semper calida, etiam in calido affectu, ob frigus vesicæ natiuum: vt oleum mastichinum.* *Fotus.*

Vnctio ea oleo amygdalino dulci, oleo violato, oleo cucurbitæ, oleo maluæ, butyro reccoti, & adipe temperata.

Vesicam Frigidam corroborantia, & alterantia affusam in eam Pituitam extra venas:

INTVS.

Opitulantur ea quæ verè diuretica sunt: semina apij, leuistici, leucoij, & eius flores: Dauci semen, petroselini, genistæ semen: grana iuniperi, anisi semen, seseleos semen. pæoniæ semioa & radia ea vino. Aqua petroselini Macedonici, & leuistici prima germioa: aqua ebuli. Guttulæ aliquot olei nucis moschatæ, cum vino Cretico: oleum anisi, & cymini. olei succini gutta, ex aqua petroselini, vel vino. *Simplicia.* *Olea.*

Radices rubiæ, petroselini, fœniculi, rusci: & menses mouent baccæ eius ea vino. asparagi, apij, smyrnij, pæoniæ, graminis, asari. cortea radicis lauri: eryngij radja: anonidis radicis cortex, & cauliculi conditi: aristol ochia rotunda.

Nua cupressa, ribes nigra; raphanus, & eius cortex vino maceratus ad vnciam vnam: cum ossium dactylorum drachmis duabus: fiat expressio post octo horas à maceratione. Saluia, saxifragia, lentiscus, nasturtium aquaticum, nigella, pimpinella, adianthum omne, myrrhis, valeriana, betonica, lithospermon: glycyrrhizæ puluis, semen lupuli. Pulueres ex succo apij excipiuntur, vt fiant pilulæ.

Cinna-

Cinnamomum, castoreum, lauri baccæ, crocum, nux myristica, styrax, calamus odoratus; bdellium.

Cutiones. Vrinam vehementer prouocant porcelliones, hoc est, cutiones, triginta: contunde cum vini Rhenensis vnciis quatuor: ac peplo traiice cum vino.

Potulenta. Leuiathan Rabbi præsentissimum medicamẽ prodidit ad vrinam prouocandum: Accipe succum vrticarum Græcarum depuratum, ad vncias binas cum semisse: olei amygdalini amari vnciam, vini Rhenensis sescuncian: misce: id ter aut quater bibat. aquæ thermarum, intus & foris.

Decocta. Decoctum florum vel foliorum ribes nigræ, ex vino, cum liquiritia. Decoctum chamæmelinum, liquiritiæ & sebesten: cicerum nigrorum paruorum decoctum cum multo petroselino: decoctum passularum & satureiæ, ex vino; adianthi decoctum, thermæ potæ: Iusgalli veteris. Vinum anethinum: iusculum decoctionis maioranæ: decoctum florum lauendulæ ex vino. Vinum baccarum lauri: decoctum thymi: sarzæparillæ decoctio: crucæ decoctum. Aqua distillata ex raphano, qui cum succo limonum fuit maceratus. aqua vitæ in qua poma hederæ terrestris macerata sunt. aqua canellæ, liquores balsami.

Electaria. Aqua: Accipe corticum radicum anonidis libras quatuor: macerentur vini Cretici libris octo: ac distillentur. Mithridatium: athanasia in Antidotario Florentino. aurea Alexandrina. Paulina ex Galeno, apud Antidotarium Florentinum: diacalaminthum. Oxymel simplex & compositum, vbi magna vis est lentæ pituitæ: alioqui æquè vesicæ inimicum est acetum ac vitro. *Syrupi.* Mulsa: syrupus de calamintha. Terebinthina cum puluere nucis myristicæ, & postea detur haustus vini: syrupus de artemisia, cum decocto betonicæ. Theriaca cum vino decoctionis piperis. Et cætera quæ vterum calfaciunt.

Cautio De calculo. *Quæ calculos attenuant sine calore vehementi, ea præclarè ad sanitatem faciunt:* nam quæ feruidiora sunt absumunt tenues partes, ac relictis crassioribus indurant lapidem; & nouas materias accersunt ad renes & vesicam ex reliquo corpore: Sint igitur potiùs tenuia frigida.

Annotauit Guainerus obseruandum esse, primò vt sociemus penetrantia, remediis calculo dicatis; vt cinnamomum, nux myristica: Secundò tale addemus, quod remediorum vires firmat, quò integris viribus calculum feriant: vt mastix & gummi. Tertio, vt leptomeriam habeant, qua peruadant. Quartò acrimoniam obtundens addetur, vt rosa, liquiritia, semen lini.

Electarium. Iacobus Forliuius hoc in secretis habebat Electarium: accipit pulueris scyllæ, stercoris columbini, vtriusque vnciam, cum libra mellis despumati: dosis erat drachmarum binarum.

Montagnana ita ad Calculum: Accipe oxymellis diuretici vncias quatuor, pulpæ sebesten in muccilaginem redactæ libram mediam: id autem fiat cum aqua milij solis: lapidis spongiæ, & Iudaici, & lyncis, cuiusque drachmam: pulueris liquiritiæ, radicis eryngij, seminis pastinacæ, petroselini, singulorum duas drachmam: vitri combusti semunciam, sacchari crystallini vncias quatuor: coquatur pulpa sebesten, cum oxymelite, ad formam syrupi; hinc reliqua adde, cum cinnamomi drachmis sex. sumat nucis pondus ante pastum, cum Electarij formam accepit. sæpè vtatur.

FORIS.

Vesicæ Frigidæ admouenda.

Cautione opus est in horum vsu, vt, dum valida adest inflammatio, validè refrigerantibus & reprimentibus non vtamur, cùm vrina supprimitur. sed antequam ea intercepta fuerit, reprimentibus exiguo tempore vti licet.

Fotus. Insessiones in oleo suaui: Balnea aquæ calidâ vi præditæ, vel cui incoxere res diureticæ. Decoctum mercurialis & foliorum lauri. Sulphurea balnea perinæo ac pectini admota. Florum lauendulæ fiat decoctio ex vino. *Olea.* Vnctiones ex oleo amygdalino, anethino, irino, costino, & ex oleo de piperibus, & scorpionum: nucis moscatæ, ribes nigræ: ex oleo de lateribus, hyperici, moschelino oleo, rutæ ex oleo: Conuenit & oleum styracis; describitur in Antidotario Florentino: & oleum Balsami duplex.

Cataplasma. Cataplasma: ex nasturtio aquatico, petroselino, raphano, parietaria, frixa in adipe cuniculi: vel ex vino & butyro: Ita & pectinis Veneris omnes species admotæ. mentha Græca, & tanacetum. Emplastrum de baccis lauri. Baccæ lauri, cum furfure triticeo, baccis iuniperi, & alliis, vino exceptæ, pubi admotæ. Raphanus minutim incisus, cum vino albo in sartagine coctus; ac pubi admotus. Accipe cærefolij, manipulos duos, vel tres: foliis brassicæ inuolue, & sub cineribus assato, & pectini admoue. Vel accipe artemisiam, cærefolium, caules rubros, bulliant ex vino: impone. & mox sumat cum vino drachmam macis, & semidrachmam nucis myristicæ.

Vesicam Humidam corroborantia, & Alterantia:

INTVS.

Simplicia. Succus rutæ, mespilorum ossa; mastichis puluerisatæ drachma, cum vino rubro: thus, spodium, tragacanthum, gummi Arabicum: vitrum combustum: lepores combusti, & eorum tali; ouorum testæ: lapis Iudaicus calculos exigit: stomachi gallinarum vsti. Cineres capitis muris, aurugo illa quę innascitur dorso foliorum asplenij, copia drachmæ, cum succini semidrachma, ex succo portulacæ, argentina, santala, hypocistis, myrtus, sumachium.

Puluis. Si copiosior fluat vrina, sine dolore, siti, & extenuatione corporis: Accipe glandes tres; thuris vncias duas; coriandri, boli, gummi, cuiusque drachmam: fiat puluis: dosis trium drachmarum erit.

Thymus, plantaginis semen, ceterachum, milium solis, cerasorum nuclei, fructus rosarum, pimpinella, saxifraga, crithmum; vrtica, petroselinum, Plinio apium, Græcis selinon: fœniculi radix, & comæ: libysticum, & eius semen: raphanus, petroselinum Macedonicum, daucus, seseli: vinum cydonites: *Lixiuium.* lixiuium ex cineribus iuniperi, cum vino albo: & ex sabina. Radices arundinis: parua grana quæ insunt radici saxifragiæ albæ, ossa dactylorum, cum sero crudo potata.

Puluis. Accipe glandium siccatarum vncias quatuor: thuris vncias duas: myrrhæ drachmas tres: coriandri torrefacti, acori, cyperi, cuiusque semunciam: fiat tenuissimus puluis: sumat manè drachmas tres, cum vino stiptico & lymphato cum aqua decoctionis piperis, galangæ, cardamomi, & croci. Oleum succini cum vino Cretico.

Sanguinis mictus. Decoctum fragariæ. lapis in felle bouis inuentus, lapidem frangit. Succus plantaginis & millefolij, cum semidrachma Philonij Persici: sanguinis mictum cohibet. Pulueris millefolij vncia, cum drachma boli, ex lacte.

Opiata. Accipe cyperi semunciam, thuris drachmas duas: coque ex aqua. fiat potus. Theriaca, cum vino decoctionis mumiæ & coriandri: mithridatium, xyphoïdes Galeni, diacalaminthum, Triphera minor; Ægetea opiatum: Trochisci quos descripsimus ad renes humidos: electarium de cineribus Auicennæ, descriptum in Antidotario Florentino. Trochisci de terra Lemnia, vesicæ iniecti, sanguinem sistunt. *Ad calculum.* Drachmæ duæ sanguinis hircini præparati; ac exhibetur vt in renum historia diximus: vel accipe radicum saxifragiæ vnciam: foliorum betonicæ semimanipulum; seminis melonum, amygdalarũm amararum, cuiusque drachmas duas: fiat coctio ad vncias quatuor: in ea soluatur sanguis hirci: succi limonum vnciæ duæ: vini albi vncia: nucis

mytisticæ

myristicæ scriptulus. Cornu cerui, rosæ, myrrha, styrax calamita, puluis rutę. cerebrum assum leporis, pueris datur; vel eorum testis; aut guttur galli siccatum ; & puluis vesicæ suillæ cum vino tenui. & ea quæ Paralysin amouent, vt castoreum &c.

FORIS

Vesicæ humidæ admouenda.

Fotus. Fomenta sulphurea, bituminosa, & nitrosa Fotus ex lateribus igne candentibus : Plumbum foraminibus peruium, ad renes & pectinem positum. Petroselini radicum & seminum fotus, pectini adhibitus, vrinas prolectat. *Olea.* Vnctiones ex oleo myrtino, & omphacino, & ex oleo hyperici. oleum costinum cum castoreo, myrrha, mastice, mumia, & bolo; oleo rosato. cydoniorũ.

Cataplasma. Cataplasma ex saluia siluestri, rosa, lycio, & balaustiis. Milium bullitum in aqua hordei, pectini admotum, sinapismi. Fotus ex decocto rosarum, malicorij: foliorum cotoneæ mali: cũ pauca mastiche, vel mentha.

Vesicam siccam corroborantia, & alterantia effusam Melancholiam per vesicam, extra venas.

INTVS.

Quæ conueniunt siccis pulmonibus, ea & hìc iuuant. Decoctum maluæ ex vino : & conserua florum maluæ, althææ semen : radix eryngij. Emulsio seminum melonum, & papaueris : lac cum croco : iuiubæ, ficus ; amygdala dulcia, & oleum eorum recens cum *Simplicia.* saccharo : glycyrrhiza, saccharum, gummi, pistachia, cinaræ coctæ, iuiubæ, satyrij radices. rapa. Althææ radicis ius porum, & semen. Lactucæ semen, & portulacæ, intybi & cichorei semina. Cerasa & contusa & cum lacte distillata, liquorem præbent diureticum. Vino affunditur lac calidum, cum succo petroselini, in pelui à patina cooperta : ita separatum serum bibitur. *Clysmata vesicæ.* Vinum fœnugræci. Clysteres ex oleo scorpionum, liliorum, amygdalorum, succo melonum (qui maximoperè confert) cum syringa vesicæ indantur, cum pauco vino, ac sanguine hircino, vbi calculus fatigat. vel lac muliebre cum saccharo : dolorem placat, si syringa infundantur. Ius carnium, in quo coxere ciceres rubri. Adeps vulpis siccatus.

Potanda. Accipe seminis lini, & napi drachmas duas; propinentur ex vino. Parietariæ succus, copia trium vnciarum haustus, vrinam promouet.

Electaria. Terebinthina : Electarium diaspermatoo, apud Fernelium libro septimo; omnes, inquit, vrinæ vias refrigerat, & lenit, & ab omni humoris illuuie clementer expurgat. Philonium Mesues, cum decocto saxiphragiæ, vel cum aqua apij, calculum frangit.

Ad ciendam remorantem Vrinam, varia describit medicamina Dioscorides.

Melancholiam alterant :

Saxifragia, agrimonia, raphanus, calamintha, lentiscus, cupressus, smyrnium, artemisia, arthanita : hæc, lapidis coagulum arcent. Sal artemisiæ, àqua fructuum spinæ acutæ, hedera arborea, cicerum decoctum.

Syrupus buglossi, violatus, capillorum Veneris, cucurbitæ caro. Radices fœniculi, & rubiæ maioris, filipendula, sambuci flores : ocimi semen bibitum. Si cal- *Boli pro calculo.* culi metus sit, Accipe terebinthinæ lotæ aqua alkekengi vnciam, cassiæ semunciam, pulueris glycyrrhizæ sesquidrachmam : cum saccharo crystallino fiat Bolus, pro duabus vicibus. Alius : Accipe cassiæ extractæ sub fumo decocti althææ, terebinthinæ lotæ aqua alkekengi, pulpæ sebesten, sacchari crystallini, cuiusque semunciam ; pulueris anisorum, glycyrrhizæ, singulorum drachmas tres : sanguinis hirci drachmas duas, pulueris lithontricon drachmam : cum syrupo capillorum Veneris fiat opiatæ forma : singulis hebdomadis sumat vnciam : superbibat vinum.

FORIS

Vesicæ siccæ admouenda.

Insessiones in oleo dulci : Balnea dulcis aquæ, ac tepentis : Fotus ex rerum mollientium decoctis, in semicupio, ex hydrelæo. Parietaria super tegula calfacta, vinoq́ue Cretico irrigata, & pubi illita.

Vnctio ex oleo violaceo, amygdalino ; chrysomalorum oleum, quæ vocant *habricours* : cucurbitæ oleum, & axungia gallinæ illita. Vnguentum : Accipe olei vulpini, lilij, amygdalini, lini, vnguenti de althæa partes æquas ; taxi addi potest axungia. Emplastrum ex radicibus lapathij : emplastrum ceroneum, & de muccilaginibus. butyrum. malua. *Olea.* *Vnguentum.*

CAPVT XIV.

De Vtero.

Vterum calidum corroborantia, & Alterantia Bilem in eum effusam extra venas :

INTVS.

Dioscorides plurima remedia prodidit ; quæ vterinis variis affectibus suam operam dicarunt. Capillus Veneris, & eius syrupus : mercurialis, ruscus, eryngium, nymphæa, viola, malua, radix oxalidis : Decoctum radicum oxalidis, in quo maduit radix petroselini ; adde syrupum capillorum Veneris : portulacæ succus : lactuca : oxyacanthæ succus : poma odorata : cydonia mala, & syrupus eorum : rosa, graminis radices, bistorta, buglossum : flores consolidæ regalis. Plantago, salicis flores, scolopendriom, polygonium, seriola quæ scariola dicitur. Emulsio seminum frigidorum. *Simplicia.*

Si aquæ cyathus, in qua caphura, quanta nux auellana est, accensa conflagrarit, exhibeatur hystericis, statim liberantur. *Potulenta.*

Syrupus de endiuia, & de portulaca : Cum aqua virgæ pastoris, & endiuiæ.

Serum lactis; aquæ thermarum ferreæ : lac caprillum : succus plantaginis condensatus, & interdum solatri : palmulæ immaturæ; iuiubæ, pruna. Iulep rosatum, vterum aperit. Aqua liliorum alborum bibita, secundinas eiicit.

Electarium ad dolorem indomitum, Accipe castorei, myrrhæ, croci, styracis, singulorum drachmas duas : radicis, iridis, spicę nardi, malabathri, asari singulas drachmam semissem : cum syrupo artemisiæ fiat Opiatum. Ego dare solebam vnciam syrupi papaueris, cum scriptulo philonij. *Electarium.*

Corallum, margaritæ, hæmatitęs, conserua rosarum, electarium de gemmis : hæc & fœtum continent. Diaolibanum opiatum : philonium Mesues, cum decocto rutæ, vel chamæmeli : syrupus endiuiæ, & granatorum. Aqua rosata manè & sero pota. Triphera. Syrupus de portulaca, de succo acetosæ, de berberis; syrupus myrtillorum, cum aqua plantaginis vel portulacæ, si strictioni studendum. Trochisci de spodio, & de terra lemnia : syrupus papaueris. *Opiata & syrupi.* *Trochisci.*

Obseruatio : Hæc plerumque locum habent post mensium fluxum copiosiorem.

FORIS

Vtero calido admouenda.

Fotus. Fotus sint moderata siccitate prædiri. Flores nymphææ, mercurialis, psyllium, fœnugræcum, rosæ, cydonia mala, semperuiuum, lens palustris, cum botryde. *Simplicia.*

Aqua acetosæ, plantaginis. rosarum, portulacæ, endiuiæ, lactucæ. Succus portulacæ, cum santalis, antheta, & santalino cerato. Iniectio decocti refrigerantis, cum vnguenti rosati vnciis duabus : vel intestinis iniectum, plurimum proderit : est enim vterus medius inter intestinum longanonem & vesicam. *Iniectio.*

Vnguentum rosatum, oleum myrtillorum, oleum omphacinum, oleum rosatum & cydoniorum : oleum mastichinum cum santalis. Emplastrum è rosis, bellide, plantagine. Oleum hyoscyami, sed menses cohibet. *Illitio.*

Vterum

Vterum Frigidum corroborantia & alterantia in eum effusam Pituitam extra venas:

INTVS.

Obseruatio. Studium adsit vt menses statis periodis effluant: quare sint incidentia & attenuantia, vt olei macis duæ vel tres guttulæ, in vini potu: oleum anisi; castorei. Ciceres *Simplicia.* rubri, rosmarinum, hypericum, serpillum cum floret, seseli, sabina, artemisia: origanum tenuat & aperit: pulegium, agnus castus, trifolium, satureia, scordium, grana sesami, thymus & eius decoctum cum melle, costus, nepita, abrotanum, petroselinum, pæonia, petasites, maiorana, dictamnus, centaurium minus, aristolochia; bryonia, mercurialis, leucoion, matricaria, capillus Veneris, saluia hortensis, ruta & eius succus cum vino expressus, rubia maior, apium, fœniculum: laurus mollit: iua, seseli, chamæmelon duritias & flatus excutit: *Albi menses.* betonica, conceptum recreat, & albis mensibus confert: ocimum in acetariis sumtum: melissa, flores sambuci, iuniperi baccæ ea vino coctæ: prassium, teucrium, angelica: calamintha attenuat valide, & fœtum præcipitat: raphani decoctum, asarum, lauendula. Cibi rore-marino sociati.

Eryngij radix condita: nigellæ semen & oleum: iris: Dauci semen secundas pellit, & strangulatus arcet. Gentianæ radia aperit, radices valerianæ, rubiæ, & enulæ, cyperi radices & fœniculi: grana fraxini: Ale id est tæda pinguis, cocta ex vino dulci. Semina fœniculi, seseleos, cymini.

Nuces aqua macerãtur dũ à cute liberari possint: hinc in aqua vitę macerãtur diebus duobus: sumãt manè tres, purgato iam corpore, ante mensium reciprocationem.

Aromata. Aromata: crocum, castorium cum vino, vel hydromelite & pipere: myrrha, bdellium, styrax, mastix, spica, quæ suffitu quoque conceptum iuuat: malabathrum, galbanum, caryophyllum cum vino nobili, fœtum firmat: vt & myristica nux: calamus odoratus, & suffitu iuuat: Borax fœtum præcipitat: & trochisci de myrrha: & cum vrticæ foliis subduntur. sagapenum: olibanum Hippocrati: Sicciora sumuntur cum vino, mixto cum artemisiæ decocto.

Species. Diacalaminthum, diagalanga, diatrion pipereon, dianisum; triphera magna sine opio: diacyminum. electarium ducis, & dulce; diamoscum, diambra: electarium de gemmis: athanasia, apud Antidotarium Florentinum: electarium aromaticum. electarium hæmagogum. Paulina ex Galeno apud Antidotarium Florentinum: mithridatium cum decocto cinnamomi: Theriaca cum aqua cinnamomi: hiera: benedicta: pilulæ de sagapeno minores, quæ & mortuum fœtum extrudunt.

Electarium vteri dolorē placans. Doloris immanitatem hoc electarium placat: Accipe pulueris diamosci & diambræ, vtriusque sesquidrachmam: castorei scriptulum, opij semiscriptulum: cum syrupo de artemisia fiat opiatum. Datur drachma ex vino, in quo flauedo citriorum fuit macerata. Aquæ sulphureæ, aqua florum citriorum: pulegium cum castorio. Accipe florum nucis scriptulum, cum vino præ-*Partum accelerantia, & fœtum præcipitantia.* focationem vteri abigit. Oleum baccarum sabinæ, mortuum fœtum eiicit. Vinum in quo maduit sabina cum dictamno, partus accelerat. Aristolochia cum myrrha & pipere pota, secundas & fœtus pellit. addo crocum, quod raptim vterum petit: adeò vt cùm quædam excludere fœtum non posset, dato croco, prodierit fœtus croco tinctus. Sagapenum ea hydromelite, menses excludit & fœtum. Vinum odoratum in quo rosæ maduere cum dictamno: & vinum decoctionis hyssopi. Aqua distillata ex floribus croci: aqua vitæ: aqua cinnamomi. Balsama arte elicita; sed fœtum abiiciunt. Nux moscata negligenter contusa, cum radicibus matricariæ, coquatur ex vini albi vnciis sex, ad tertiæ partis exhaustionem; cum sacchari drachmis duabus: præstans est vterinis flatibus remedium. Aqua florum liliorum, cum croco & cinnamomo: facilem facit partum, & secundas eiicit. Gutta olei succini, ex aqua verbenæ, partum facilitat.

Syrupi. Syrupus Byzantinus, & de eupatorio, & de artemisia, ex descriptione Matthiæ de Gradibus: oxymel quod non sit confectum ea immodica copia aceti: oxymel compositum. Iuniperi vinum: vinum in quo iridis radices coacte: oleum baccarum hederæ, sabinæ: syrupus de duabus & quinque radicibus: mel rosatum: mulsa: syrupus de stœchade, calfacit & tenuat: syrupi de prassio & hyssopo, abstergent.

Syrupus: Accipe quinque radicum aperientium, cuiusque semunciam: radicis rubiæ vnciam, radicis pentaphylli, eryngij, singulas vncias; pulegij vtriusque, calaminthæ, origani, singulos manipulos: quatuor seminum calidorum minorum, singulas drachmas: florum rorismarini, leucoij, genistæ, singulos pugillos: coque ex aqua & vino: primum madeant in eo radices per noctem: libræ colaturæ adde mellis despumati vncias quatuor: sacchari quod satis sit; ac condiatur aqua cinnamomi. Detur cum decocto artemisiæ, vel persicariæ.

Syrupus de hyssopo, de artemisia, de radicibus, de calamintha; cum aqua artemisiæ, saluiæ, melissæ.

Potus. Potus: Accipe betonicam, & radices fœniculi, & petroselini; fiat coctio: adde syrupum de betonica. vel oxymel, syrupum de radicibus, aut de artemisia, vel de calamintha, vel adde mel rosatum, cum aqua cinnamomi. Decoctum nucis myristicæ, cum melle rosato, & aqua vitæ. Vinum in quo abrotanum &c. decoxere.

Electarium. Electarium: Accipe succi eryngij, saluiæ, sabinæ, pulegij, singulorum drachmas tres: cinnamomi, asari, myrrhæ, croci, singulas drachmas: misce, & cum syrupo de artemisia (saporis gratia) fiat liquidum electarium: id menses commouet.

Menses mouentia. Menses mouent quæ impetum dant sanguini, attenuant, & vias aperiunt; vt abstergentia, aperientia, cuiusmodi sunt acria, amara, nitrosa non astringentia, aqua vitæ in qua maduit pulegium, rorismarini flos, & aromata, menses mouet: addo rosas. Sed decocta danda sunt copiosè, vt vterum feriant, ad vncias sex vel octo. Hippocraticum remedium: Accipe tædæ pinguissimæ vnciam, cymini optimi, anisorum, cuiusque semunciam: myrrhæ drachmas duas; vini odorati libras duas: fiat Decoctio: da vncias decem: misce guttulas olei baccarum sabinæ, vel hederæ. Myrrhæ trochisci, cum aloë & borace, certò menses euocant. Idem possunt & ea quæ pituitam cum sanguine mixtam parant ad meliorem formam.

Obseruatio. Obseruandum in mensium euocatione, vbi phlebotomiæ locus est, vt diebus sex vel octo antequam vsus eius ineatur, mulieris sanguis fluxus reddatur, ac meabiles viæ; partim per pedum lotiones, quæ fiunt ex decocto pulegij, sabinæ, menthæ; partim iusculis, quæ vim bibere pulegij, saluiæ, croci: & hinc secetur vena.

Cautio. Cautio hæc perpetuò adsit in vteri rebus, vt serosa remedia, sine dulcedine nunquam præscribantur, alioqui ad renes abibunt: nam dulcibus auidè fruitur vterus, vt renes serosis. Hinc Galenus in curatione vxoris Bocthi, non miscuit mel, cum auertere vellet cursum succorum ab vtero diureticis: quare nos melli addimus iridem, quò prolectetur auidiùs ab vtero. In grauidis his remediis non est vtendum.

Sint *omnes syrupi aceti expertes,* ex Hippocratis sententia tertio Acutorum: est enim ὑστεραλγὴς leptomeela sua frigida. Apoaemata accipiant aquam cinnamomi.

Aromata fluidans vtero. Aromata naturæ vim excitant, quia grata: materiam præparant, obstructa liberant, quòd sint calida & tenuia: quare & menses euocant, modò nulla aut inflammati aut peruersi vteri exacusatio adferri possit, neque senilis ætatis, neque grauiditatis, aut lactationis, neque antecedentis morbi. Nam cum omnis obstructio tribus ex *Obstructionis caussæ.* caussis surgat, copia, materiæ crassitie, & facultatis infirmitate,

infirmitate, has vltimas duas causas expugnare possunt leptomeria sua aromata.

FORIS

Vtero frigido admouenda.

Cautio sit à nimis siccantibus: nam hinc tenerrima acetabula siccescunt, vnde obstructio mensium. Exercitia summè conferunt: Suffitus, & sessiones in calidis thermis, & decoctis. Sint odorata. fotus fiant cum vino. *Simplicia.* Origanum, lauendula, schœnanthos, matricaria, chamęmeloo, leucoïon, melanthioo, cyminum, aristolochia, asarum, laurus, maiorana, sabina, petroselinum, seseli, ammi, cyperi radix, rutæ semen & folia cocta flatus discutiunt; scordium, gentiana, cinnamomum, beniouinum, abrotanum, myrrha, galbanum; artemisia & inde sacculus; origanum, nepita, hyssopum. Ladanum cum musco, iuniperus. castorium, melissa, zibetta vmbilico immissa. Aqua distillata ex tenerrimis pomis pini.

Suffitus. Suffimen: myrrhæ, bdellij, styracis, iridis, asari, opopanacis, singulæ sesquidrachmmæ; pulegij sicci semidrachma: excipe terebinthina: vsus sit, cùm menses erupturi sunt: menses euocat, & non siccat nimium.

Pessus. Pessus: folia recentia artemisiæ, cum oleo ireos, ficubus, & myrrha: menses, & secundas quoque euocat. *Balneum.* Rubia maior supposita, & fotu admota. Balneum menses euocans: ireos selibra: galangæ, rubiæ, althææ, cyclamini, artemisiæ, nepitę, matricariæ, origani, foliorum lauri, seminis lini, fœnugræci, singulæ vnciæ: seminis seseleos, ammeos, petroselini, florum maioranæ, rorismarini, stœchados, cicerum rubrorum, sabinæ, singulorum semnocia: cinnamomi drachmæ duæ: incoquantur aquæ partibus duabus, & vini albi vni: insideat, ac herbas ventri inferiori admoueat. Ita ex prassio, sambuci floribus, cypero, granis iuniperi sacculo exceptis. Interdum addimus thymum, saluiam, filicem, valerianam, radices liliorum. & cucumeris asinini.

Olea. Olea distillata, vt succioi: œsypus, oleum amygdalinum amarum, oleum liliorum cum atomatibus, oleum irinum, cheirinum, anethinum, de croco, & de piperibus, de myrrha, foliatum & turæ, nardinum, & castorei: oleum de spica, petroleum, sabinæ oleum, oleum styracis: Balsami liquores, sed fœtum præcipitant: oleum carthami.

Emplastra. Emplastrum ex baccis lauri: Ceroneum emplastrum, flatus vnà discutit: Vnguentum de arthanita.

Cataplasma ex mentha aquatica cum vino. Mentha Græca cum parthenio ouis immissa; ac cum oleo lilino in placentam cocta, & admota: puerperarum doloribus remediatur,

Illitus. Vnguenta fiant ex oleis & pulueribus; cum adipe anserino, terebinthina, & pauca cera. Pubes, renes, inguina illinantur.

Vterum humidum corroborantia, & alterantia:

INTVS.

Mira vis saluia. Saluia: Aggrippa eam sacram herbam appellauit, & scripsit leænas eam manducare ad partus facilitatem. Aëtius dicit: grauidæ mulieres, si fluidæ laxæque sint, ea vtilissimè vescuntur: nam conceptum retinet, & vitalem reddit. Aiunt in Copto Ægypti post sæuas pestilentias, ab his qui superfuerunt, ad eius succum bibendum mulieres coactas fuisse; plurimosque fructus inde productos.

Flores amaranthi, albos menses cohibent. Oleæ folia, & succus cum vino extractus, & siccatus. ossa dactylorum, semen plantaginis, cum puluere cornu ceruini, in vino & aqua rosata. Recipe pulueris rosarum rubrarum drachmam; seminis althææ tantundem: cum aqua rosarum rubrarum, fiat Potus. Olei cymini guttulæ aliquot: oleum coralliorum.

Simplicia. Mentha, calamintha, euphragia, millefolij succus, betonica, hypericum, sumach, chamædrys, pulegium, folia quercus, thymus, rhoïs, sabinæ summitates, acacia, balaustia, & inde conserua; myrtilli, bursa pastoris, nymphææ candidæ radix, ciceres rubri, rubi summitatum succus siccatus, plantago quæ quoque subditur ex lana, portulaca, semperuiuum: Bistorta conceptum fouet admota, & sumta cum nuce myristica & caryophyllis: succus plantaginis & bursæ pastoris, cum gummi tragacantho & arabico: Coriandri semina: radix garyophyllatæ: pulmonaria: amaranthi flores, cum aqua foliorum quercus. Potus vulnerarij. dactyli. cydonia mala; quę si crebriùs esitauerit, paritura erit infantem tũ industriũ tũ ingeniosũ. Ouo mastichen misceat. maiorana flatus vtero eximit. semen rutæ. Acorus palustris. *Potulenta.* Potus ex decocto sarzæparillæ, cũ virga aurea; cancris vteri quoque succurrit. decoctum sassaphras, vt notaui capite De articulis humidis: misce hîc rosas pallentes: nam calet ambitu secundo, & siccat tertio. Garyophyllata cum radice contusa, & cum vino colata, dolores vtero eximit. Ita semen vrticæ, cum vino, flatulentos dolores ilicò expugnat. carduus benedictus in ceruisia coctus.

Thermæ sulphureæ, ius galli veteris, guaiaci decoctũ, & saraæ parillæ: vinum Hippocraticum, syrupus myrtillorum: decoctum summitatum rubi. Vinum cydonites: casei sicci pars, cocta ex vino stiptico; potum vinum siccat. Corticum nucum auellanarum maceratio in vino. vinum baccarum crespini. Oleum amygdalinum amarum; conuersiones & dolores vuluarum adimit.

Sicca. Myrrha, & trochisci de myrrha; cinnamomum, carnes cuniculorum, mastix, beniouinum, amylum, styrax, sanguis draconis, terræ rubræ, caryophylli, cornu cerui vstum & lotum, ebur in scobem tenuissimum redactum, corallum, & fœtum vnà recreat: Succinum conceptum promouet; potus in quo radices, folia & semina plantaginis coxerunt: alumen vstum & vtero inditum: mumia. mastix, gummi iuniperi.

Puluis, & electarium. Puluis: Accipe trochiscorum de karabe, & trochiscorum de spodio, cuiusque drachmas duas: coralli rubri, boli, cornu cerui vsti, singulorum drachmam: sanguinis draconis, rosarum rubrarum, balaustiorum, cuiusque drachmam semissem: sacchari rosati antiqui ad pondus omnium: sumat cottidie drachmam ex vini vnciis tribus: vel ex syrupo myrteo fiat electarium: Interdum adde opij drachmam: corticis thuris, mastiches, sarcocollę, singulas semidrachmas: aqua polygoni superbibatur.

Opiata & Trochisci. Philonium Persicum Mesues: trypheta minor Phœnonis: athanasia Nicolai, apud Antidotarium Florentinum: trochisci de carabe, hoc est, de succino: trochisci de terra Lemnia, iniecti, & illiti pubi: diaolibanum, diatrium santalon, conserua de succo ribes, caro cydoniorum.

Ad flatus vteri. Ad Flatus vteri: Accipe Tryphetæ magnæ Nicolai drachmam: aquæ artemisiæ vncias quatuor: sumat per dies septem alternis diebus: sed sex mensium ætatem saltem habeat remedium, quò vis opij frenetur.

Suffitus. Suffitus ex semine sinapi: Iniectio ex vino astringente, in quo saluia, rosæ, plantago, solanum, bolus, decocta sunt: vel ex succo rosarũ, solatri, plantaginis. Aromata, quia grata, excitant naturæ vim. fimus leporinus suppositus.

Praefocata mulieres. Ad Strangulatum vteri: Accipe assæ fœtidæ scriptulum; fiant pilulæ tres, vel plures; inaurentur: deglutiat eas cùm malo tentari incipit: aut detur galbanum eadem ratione efformatum.

Cautio. Cautio: Iniectiones & Pessaria citiùs suam vim inferunt, quàm quæ per os dantur: sed in virginibus ab his abstinendum.

Siccantia validè (qualia sunt aromata) non sine cautione sunt subdenda: tenerrima enim vteri acetabula siccitate facilè arescunt, hinc infœcundæ redduntur mulieres. Quare cùm calfacientium initur vsus, minimè siccent: sed eorum feruor remixtione madoris dometur.

Foris

Vtero humido admouenda.

Balneum. Balneum, vterum ad conceptionem roborans: Radicis valerianæ ſeſquilibra: cyperi, galangæ, enulæ campanæ, ſeminis ameos, lentiſci, fœniculi, malicorij, ſingulorum ſeſcuncia: artemiſiæ, origani, calaminthæ, lauendulæ, maioranæ, foliorum lauri, cuiuſque manipuli tres: aluminis ſemuncia: roſarum, ſtœchados, maioranæ, ſinguli ſemimanipuli: ex aqua & modico vino auſtero fiat balneum: huic inſideat à menſium fluxu.

Simplicia. Benjouinum, Suffitu ad conceptum facit: moſcus, zibetta, calamus, coſtus, iris, galanga, cinnamomum, caryophylli, ceruſa, terebinthina, ſuccinum, ammi, fœniculum, bolus, os ſepiæ, corallū, hæmatitis, pōpholyx, alumē, ſuccus polygonij & burſæ paſtoritiæ, alipta moſchata, gallia moſchata. Aqua cui chalybs intinctus eſt.

Radix biſtortæ, maſtix, cupreſſus, balauſtia, galla, equiſetum, polygonium cum aceto, hypociſtis, verbaſcum, ſchœnanthos, rubia, cyclamen, laurus, maiorana flatus abigit, plantago, roſmarinum, ſtœchas, malicoriū, valerianæ radix, cyperi radix, helenium, ſymphytum, cupæ glandium, nepita. Aqua diſtillata ex tenerrimis foliis quercus. aqua alchimillæ. perſicaria, roſa, rubus.

Suffitus. Vaporationes ſiccæ, & ſuffitus: vt ex ſaluia ſicca, arena calida, ex decocto tormentillæ & radice biſtortæ. milium cum ſale. Bulliat fimus porcinus in aqua, & fumum vtero excipiat: albos fluxus ſiſtit. vel Peſſus fiat ex fimo porcino, cum ſucco ſanguinariæ & plantaginis.

Suffitus: aliptæ & galliæ moſcatæ ſemuncia: benjouini, calami, ſingulæ drachmæ: ex cremore tragacanthi fiant paſtilli. Alius: ladani, maſtichis, galliæ moſchatæ, caryophyllorum, macis, calami, galāgæ, cyperi, roſarum, hypociſtidos, caſtorei, ſingulę drachmæ: ex cremo-*Conceptus.* re tragacanthi fiant paſtilli: conceptionem promouent, ſi quæ his vtatur à menſium fluxu, ante concubitum.

Olea. Illitus ex oleo de ſpica, & ex maiorana, oleo rutæ, & chamæmelino, cydoniorum, nymphææ, & ex oleo myr-*Emplaſtra.* ti. oleum ſuccini præfocatas excitat. Emplaſtrum pro matrice, retinet ſemen: emplaſtrum contra rupturam: emplaſtrum Comitiſſæ. Lubrica acetabula, quæ facilè crudum fœtum dimittunt, hoc Emplaſtrum firmabit: Accipe lapidis hæmatitis, & lapidis aëtitis, thuris albi, cuiuſque ſemunciam: maſtichis, ladani, ſingulorum vnciam: ſeminis ſumachij drachmas tres: galbani ſemunciam; reſinæ pini quantum ſatis fit, vt fiat ceratum.

Vnguentum. Vngnentum: olei roſati omphacini, vel cydoniorum, aut myrtei vncias tres: radicis biſtortæ ſemunciam: boli, coralli, ſingulas vncias: balauſtiorum drachmas duas: ceræ rubræ quod ſatis eſt: illitus tempore adde parum aceti, aqua roſata diluti: vngat renes, & *Hemorrhagia.* ventrem. aluminis drachmæ duæ iungi poterunt; & fimus ſuillus, ſi nimium ſanguis effluat.

Ad flatus vterinos. Flatus vterini ſi moleſti fuerint, ac dolores puerperas inuaſerint, flores chamæmelinos, botryn viridem, & matricariam, minutim conciſa in oleo lilino, coquant parumper, tribus ouis mixtis in placentæ ideam redigantur. Accipe muſcum quernum, & folia quercus tenera: coquantur ex aqua, & fiat inſeſſus.

Inſeſſus. Cataplaſma: Accipe gypſi pulueriſati vncias quatuor: madeſcant oui oui albo, & ſtuppa admone inferiori ventri drachmas decem.

Cautio: Ab aſtringentium vſu, vbi hæmorrhagia moleſta fuit, notandum num grumi ſanguinis reſtibiles ſint vnde præfocatio à putredine.

Vterum ſiccum corroborantia, & Alterantia effuſam in eum Melancholiam, extra venas:

Intus.

Peſſus. Peſſus ex medulla ceruina, cum mercuriali: lilij radices ſub prunis coctæ & oleo ſubactæ, & vtero per linteolum immiſſæ: liliorum radix cum roſato vnguento tuſa, & ſubdita. Oleum amygdalinum cum fiſtula inie-*Simplicia.* ctum: lac: cichoracei ſucci condenſati, & conſeruæ: paſſulæ pingues: pinei nuclei: piſtachia: medulla nucis Indæ valdè ſterilitatem expugnat: radices conditæ eryngij, & earum non conditarum decoctum: conſerua radicum paſtinacæ ſyluestris: Violæ, & boraginis flores: nymphææ flores: radices ſatyrij conditæ: bugloſſum, malua, cinaræ, poma, calendula: myrrhæ momentum, cum ſucco vrticæ: radix artemiſiæ pota. Hippocrates miris laudibus mercurialem in mulierum rebus prædicauit. *Mercurialis.*

Semen lilij vino albo intritum, & epotum, fœtum mortuum celerrimè educit: fragorum aqua exſtillata cum aqua vitæ. diaſatyrium. ficuum frequens vſus. Decoctum maluæ ex vino dum lenteſcat: vnciæ ſex dantur ægrè parturientibus. rapa.

Melancholiam in Vtero alterant, extra venas effuſam:

Smyrnium, azari radices, tanacetum, aſparagus, thymus, ſcolopendrium, dictamnus, origanum, liquiritia, mercurialis, ciceres rubri & nigri, caricæ, fumaria: crocus, nux moſcata, gladiolus, polium, ruta, leniſticum, chamædrys, enula campana, artemiſia, matricaria. Vinum odoratum dulce Hippocrati. Syrupus Byzantinus abſque aceto. Fiat Decoctum ex mercuriali, liquiritia, ciceribus rubris, & aſparagis: mox adde ſyrupum de boragine, vel de fumaria, vel de pomis. Meliſſa ex vino cocta, menſes diu ſilentes excitat. Ira & origanum. *Simplicia.* *Compoſita.*

Menſes euocat, ac fœdos virginum Colores emendat hoc: Accipe ſcobem chalybis: hunc pande in linteo, & aſperge ſæpe aqua vitæ in qua macerauit abſinthium Romanum: vel exſtingue illum chalybem in vino macerationis abſinthij Romani: ac ſæpe id repete. Deinde contunde Chalybem in exiguum puluerem, ac eum cribro tenuiſſimo excerne. Huius tres vncias remiſce cum conſeruarum libra vna. Sit conſerua hæc ex abſinthio Romano; cui adiice parum conſeruæ anthos; & plena manu adde conſeruam roſarum pallidarum: addequid ſpecierum diambræ: da ad vnciæ pondus. verùm ineunte vſu primùm ſumat drachmas tres: & pedetentim ſurgat ad maiorem doſin; & ſuperambulet. Et quarto die modeſtè purgetur. Vel fiant ex hoc pilulæ: & ſuperbibat cyathum vini albi in quo roſæ pallidæ, & abſinthium Romanum macerata ſint. *Menſes euocans.*

Pilulæ ad menſtrua cienda: Accipe aloës vnciam; myrrhæ, gentianæ, ariſtolochiæ, dictamni, croci, ſingulorum ſemidrachmam: rubiæ maioris, mithridatij, vel caſtorei, cuiuſque drachmam: cum ſyrupo de artemiſia fiat maſſa. Capiat pro doſi pilulas quattuor vel quinque cotidie manè, duodecim vel decem diebus continuis, ante ſolemne purgationis tempus.

Foris

Vtero ſicco admouenda.

Balnea aquæ ſuauis. Fotus ex decocto althææ, maluæ, chamæmeli, ſeminum fœnugræci, radicum & foliorum liliorum & althææ, ſeminum lini, florum leucoij, radicum iridis, florum calendulæ, foliorum pruni. *Fotus.*

Quæ emolliunt, ſine dolore, laxando, menſtrua promouent. Ad obſtructa Menſtrua, radicum rubiæ maioris, eryngij, fœniculi, apij, petroſelini, graminis, ſingulorum drachmæ quatuor: radicum liliorum, althææ vnciæ quatuor: pulegij, matricariæ, ſinguli manipuli: ſeminis apij, petroſelini, ſeſeleos, fœnugræci, althææ, ſingulæ vnciæ: florum chamæmeli, leucoij, violarum, ſinguli pugilli: fiat decoctio, & epithema vtero. Illitus ex oleo dulci, & adipibus temperatis. Confert maſtix, ladanum, ammoniacum, butyrum, medullæ, terebinthina, myrrha, ſtyrax, galbanum: opopanax ſoluit ſuccos: axungia porci & gallinæ, anatis, anſerum; ireos radix fotu admota, emollit locos, & glandis modo appoſita, fœtus euocat. mercurialis ex oleo liliaceo: oleum narciſſinum. Vngoentum poſt balnei vſum pectini admoneatur, ex muccagine ſeminis lini, fœnugræci, butyro recenti, medulla cerui, oleo amygdalino dulci vel *Epithema.* *Illitus & gummi.* *Vnguenta.*

liliorum.oleum violaceum.Folia rutæ oleo liliorum intrita,& addito adipe gallinæ,& anseris, vtero apposita instar emplastri,artemisia ex oleo irino tusa, cum carica & myrrha.oleum lini,& liliorum,cum lana succida. radix ebuli elixa, & fotu admota, omnem vtero duritiem eximit. *Ad partum.* Vnguentum quod partum facilem reddit : olei amygdalini dulcis,butyri recentis, singulorum vncia: adipis suillæ,gallinaceæ,vtriusque semuncia:cinnamomi,asari,styracis,myrrhæ,singulæ semidrachmæ : ceræ parum:inungatur coccyx & inguina, à fotu ex maluis, & aristolochia. His addita colocynthis, & agaricum, secundas eiicient, irritata expultrice vi. Emplastrum ceroneum.

CAPVT XV.

De artubus & iuncturis.

Artus calidos Corroborantia,& alterantia Bilem in eos effusam extra venas:

INTVS.

Vberrimè historiam medicaminum membrorum extremorum prosequitur passim Dioscorides. Quæ caput roborant,eadem ferè artus firmant : sunt enim partes neruosæ,quæ laxatæ,stabilimentum exigunt. Quare purga totum,& caput:dein errhinis vtendum & apophlegmatismis.

Simplicia. Conueniunt Rosæ,violæ,nymphæa,lactuca, portulaca,& eius asparagi cocti, ex aceto & pauco oleo : cichoreum,hordeum,endiuia,mercurialis,acetosa, papàuer satiuum , & aqua rhœados : cardui benedicti aqua plurimum commendatur:cydonia mala , omphacium; punici mali succus, citrei & limonum succus : *Acetum.* Acetum neruis est inimicum ; quare non propinandum, ni cæteris probè permistum fuerit.fraga,pruna,cerasa, cucumeres,cucurbitæ, anguriæ, santala , ὀξύγαλα. *Olera.* Olera ex malua,spinachia,cichoraceis, & lactuca:& his quoque ex iusculis vtatur:prisana. *Potus.* Potus sit aqua hordei, quæ in fine coctionis quid rosarum rubrarum accepit, vel aliquid syruporum hîc præscriptorum , maximè de rosis siccis , & de granatis:statimque cùm ab igne fuerit remota,coletur , ne turbida fiat , & ingrata bibentibus. Sit cibus elixus. Aqua sacchari hîc commmendatur. Et vbi acerbus dolor vrit,hic somnifer Potus : Accipe syrupi papaueris nigri binas vncias,aquæ nymphææ vncias tres.

Syrupi. Syrupus cydoniorum,rosarum siccarum , cum aqua plantaginis;nam aditu prohibent succos acriores.Syrupus acetatus simplex , citriorum , myrtinus , syrupus papaueris;iulapium Alexandrinum,& violarum : syrupus de iuiubis. *Obseruatio.* Hæc dantur cum aquis & decoctis leniter inspissantibus, & astringentibus : nam ea Cautio adesse semper debet,vt leniter adstringātur partes, cùm tenuis ac meabilis succus biliosus artubus influit.

In omni Arthritide sit potus parcior;vinum absit.Serum lactis caprilli.Aquæ thermarum acidæ:nam hepar (vbi focus mali interdum resedit) refrigerant. Flores consolidæ regalis bibiti.

Mora. Mora.scripsit Pythermus,vt refert apud Athenæum Hegesander , suo æuo steriles fuisse moros , ad vigesimum annum;ac tantam calamitatem podagræ cunctos inuasisse,vt nec eunuchi,mulieres,puellę ac pueri intacti ab hoc tędio fuerint;capris adeò grauis,vt nec tertia earum pars hanc labem vitare potuerit.

Species & opiata. Diamargariton frigidum:Philonium Mesues , cum decocto nucis myristicæ:mithridatium recens. diatrion santalon,diamargariton frigidum,conserua rosarum.

Pilulæ ad dolores. Pilulę:gummi tragacanthi & Arabici, singulas drachmas:amyli drachmam semissemꝫ thuris, styracis, singulos scriptulos:myrrhæ,succi glycyrrhizæ, cuiusq; scriptulos duos, opij scriptulum:cum sapa fiant pilulæ : quarum decem, drachmam pendeant. Ex his duas vel tres dormiturus capiat , longè à cibo. In tenuibus pectoris fluxibus conferunt etiam.

FORIS

Artubus calidis admouenda.

Non adhibenda , nisi corpus magna ex parte purgatum fuerit.

Plantago,santala,solatrum, rosæ rubræ : & quod vsu comperi , aqua distillata ex semine ranarum : scripsit enim Hippocrates , quinti Aphorismorum vigesimo quinto, *νάρκη μετρίη ὀδύνης λυτική:restitutione habitus & temperamenti,quorum mutatio in causa doloris erat. Aqua niualis : nam & illa modicum stuporem inuehit. Lac ex capræ vbere admulctum;nam laxat , digerit & mollit. Aizoon,muccago altheæ,& cydoniorum,fœnugræci,lini , & psyllij : vt , Accipe seminis psyllij vncias tres,aquæ quantum sufficit,coque ad viscositatem, & exprime,adde ceræ vncias tres,olei vncias sex:coque ac pista : vel ex posca & aqua rosarum. Conducit acetum cæteris aspersum. Medulla panis in lacte cocta. Si magnus dolor vrget,oleum violatum; si maior , oleum alterci;si maximus, oleum mandragoræ imponi debet , cum croco.Mandragora cum pauco croco.pampini,solanum & aqua eius,hyoscyami flores & folia , & mandragoræ folia ex lacte cocta,bismaluæ radix,oui album, & vitellus cum thure,parietaria,sambucus,ebulus,portulaca,papauer,lens palustris,plantago,cicuta,caphura; hordei farina.sambuci folia , sine oleo aut adipe , oxycrato incocta.Vmbilicus Veneris, in cataplasma aptatus.vrticæ radix cū aceto.polygonum,acetosa cū polenta , bellis. Tenerrima folia sambuci , cum radicibus plantaginis,& axungia porci, fiat cataplasma. Limaces triti cum cochleis,& admoti.Locum frica per semihoram,manu inuncta oleo rosato;dein per duodecim horas hoc Cataplasma admoueatur:Accipe althææ,farinæ hordei,cuiusq; manipulum:contūdantur iunctim, adfusa cereuisiā tenui, cum pauco oleo violato, bulliant parum:æstate adde solatrum contusum;si hyems , barbam Iouis:sed hæc non simul coqui debent. Cortex radicis solani:succus malorum syluestrium : coriandrum cum aceto & cerusa.semina lini coque ex aceto & aqua fœnugræci;quæ melli mixta,parti per tres dies impone. *Simplicia.* *Linimētum.* *Cataplasmata.*

* *hoc est stupor dictus stupor dolorem discutit.*

Vel Accipe aquæ rosatæ,& solani,vel aquæ seminis ranarum,(nobile enim id remedium in dolore) seminis psyllij,& cydoniorum, singulorum drachmas tres : extrahatur muccago , quæ tepidè inducatur locis dolentibus,linteo oxycrato tepido madente excepta.Opitulantur Balnea aquæ dulcis,fimus vaccinus cum aceto , lutum pingue. farina hordei , cum succis ad pultis formam redacta , cum pauca caphura. trochisci narcotici , apud Fernelium lib.7.Methodi. Fomenta humida pinguiora, cum frigidis remixta. *Muccago.*

Cataplasma in Dolore acerbissimo: Accipe medullæ panis secalini in lacte maceratæ,& parum coctæ , vncias duas ::vitellum oui vnius , opij drachmam , croci semiscriptulum, olei rosati quod sufficit:ilicò remoueatur dum stupere incepit pars:ac decocto rosarum & chamæmeli foueatur pars. *Ad dolorem.*

Fotus ex rosarum rubrarum manipulo, coctarum in lactis libris quatuor.Farina hordei vel fabarum cum vitello oui,& pauco croco. *Fotus.*

Cataplasma repellens : Accipe corticum granatorum manipulos duos : coque ex vino austero vsque ad dissolutionem ; dein adde foliorum semperuiui , summitatum rubi , cuiusque manipulum : contunde , & per setaceum trahantur:adde farinę hordei manipulum: vini Rhenensis q. s. mica panis maceretur in posca & aqua rosata. *Repellens.*

Aliud

Aliud: Solani, violariæ, fingulorum manipulus: florũm alterci, manipuli duo: florum chamæmeli, violarum, cuiufque manipulus: coque in lacte vel aqua: contufis adde adipem fuillum, & fcriptulum croci: eft elegans Narcoticum; nam vis immanis à pingui ftupefcit. Ego accipio folia maluæ, violariæ, folatri, fambuci, vel fcrophulariæ, & farinam hordei, & aliquid meliloti: coquo ex aqua; & cultro dein attero: fiat pulticula. interdum quid croci addo. hoc omne genus Eryfipelatis edomat.

Olea. Oleum amygdalinum dulce & recens: œfypus humidus: oleum violatum, & nymphææ, oleum rofatum, vnguentum rofatum, & vnguentum populinum cum aceto: oleum cydoniorum: Oleum hyofcyami empiricorum arte eliquatum, vt capite De diftillationibus tradidimus, libro primo: nam in fimo digeritur ac eliquatur. Oleum rofatum, cui incoxere lumbrici terræ. oleum rofatum completum, cum albumine oui: vel cum decocto lactucæ & femperuiui: fed fi materia non ita feruet, accipiemus vitellum oui, cum oleo rofato completo Solatri fructus poculo includuntur, quo toto anno perennent. ita fambuci folia &c. Linimentum ea fantalis rubris, cum fucco folatri, vel portulacæ.

Cautio. Liuefcente parte ab vfu frigidorum, fubfiftendum erit. Tandem exhaufta tota antecedente materia motbifica, diffipantia vtilia erunt, vt oleum chamæmelinũ, anethinum, lumbricorum; eum farina hordei, vel fabarum. Deinde (nifi teftibilis fuerit tumor aliquis durus) articuli toborandi erunt, fotu vini aufteri, cui incoxere aftringentia moderata, rofæ, fantala, fumach, balauftia, &c. cum chamæmelo. Notandum quoque eft, topica remedia vel præfcribi ad materiam morbificam, vel ad imbecillitatem partis, vel ad dolorem: Materiæ dicata funt reprimentia, emollientia, & foluentia. Cautio adfit in reprimentium vfu, ne in podagra à febri, & chiragra critica, & in coxendicis dolore adhibeantur.

Obferuandũ. Quæ fi non adfint, notandum erit num calida fit materia, vel frigida quæ influit. Ad dolorem implacabilem, opio addemus crocum; & excipiemus cum lacte vel fœnugræci decocto, caftoreo adiecto. Sed opium coxendici non admouendum.

Artus frigidos corroborantia, & Alterantia effufam in eos Pituitam extra venas:

INTVS.

Quæ capiti frigido, eadem & artubus frigidis ftudent. Conducit parum comedere & parum bibere.

Simplicia. Caftorium neruis dicatum eft, & cerebro mirum in modum ftudet: datur cum mulfa, & ligni guaiaci decocto. Iua, quæ & chamæpitys: pyrethrum conditum: origanum, betonica, geniſta, anthos, guaiaci lignum, chinæ radix: faluia, laurus, ftœchas: radix helenij & iridis, primula veris, & verbafculum, calamintha, acorum, hermodactylus, centaurium minus, fcordium, hypericum, capillus Veneris, adianthum, thymus, radices bryoniæ & eius fyrupus: cyclamini radix: pulegium. gutta olei ligni guaiaci, cum duabus vnciis decocti trifaginis, vel iuæ: Sed talia per plurimos menfes exhibenda.

Composita. Terebinthina, opopanax, caftoreum. Et alia quæ attenuant parti influxum fuccum, & coctionem quæ promouent: Hæc dantur cocta vel trita ex decocto guaiaci; hoc enim traiicit fe integris viribus ad artus. Terebinthinæ vnciæ, additur puluetis iuæ drachma; cottidie dantur drachmæ tres, per plures dies: origanum

Species & alia. quoque addi poteſt & caftoreum. Diamofcum, diambra, diacorallum, mithridatium, diacorum, aurea Alexandrina, oleum baccarum hederæ & fabinæ. Oleum balfami duplex, defcriptum in Antidotario Florentino, parua copia potum ea aqua articulis dicata: & etiam inunctum. Conferunt galangæ; pilulæ è caftoreo, affa fœtida, & nuce myriftica. confectio anacardina. Diacorallium Alexandri; quod non à corallo nomen habet, fed ab anagallide, cuius flos coralli æmulus eft: non enim adftringit, fed penetrat; Alexander exhibet fcriptulum, centum dierum fpacio: ac interiectis diebus viginti, vfum eius repetit ad dies octuaginta, fed alternis diebus: Tota illa compofitio calet ordine primo, & ficcat fecundo. Salium theriacalium fcriptuli duo, fumuntur cottidie Oleum nucis myrifticę bibitum, & applicitum. Diacorall.

Pilulæ: Accipe caftorei fefquidrachmam: puluetis iuæ femidrachmam: fiant pilulæ cum fyrupo de ftœchade: fumat duabus horis ante cibum, alternis diebus. flatus difcutit, coquit, & firmat. Pilulæ.

Mel fcyllinicum, mel rofatum: oxymel, fyrupus de Byzantiis, cum decocto chamæmeli, apij & fœniculi: vel horum ftillatitio liquore. Syrupus ftœchados, fcyllinicus, acidus, cum aqua calaminthæ & pulegij. Aqua theriacalis, mulfa, aqua cinnamomi: vinum Hippocraticum. Potanda.

Aëtius dat thymi aridi femunciam: cum oxymellis cyatho, & dat ieiunis: nam exhaurit acrem faniem mota vrina. Vinum conyzæ. Sed in paroxyfmis dolorum à vino abftinendum eft: & vt in calida caufa potus eft aqua hordei; ita in pituitofæ materiæ vitio, potus fit aqua coriandrata. Verùm Coriandri vis multis fufpecta iure effe poffit: nam coriandrum, inquit Diofcorides, refrigerat; etenim eryfipelatis cum pane illinitur. Galenus negat frigidum effe, fed ficcum & calidum; quia amarum, cum quodam madore. Diofcoridi refpondet, iam refrigerato eryfipelati mederi, fed, inquit, ftrumas difcutit, auctore Diofcoride, quod alienum à frigore eft. Aëtius & Paulus annuunt Galeno. Auicenna fubfcribit Diofcoridi, & in eandem factionem trahit Ruffum, & Archigenem: ac proprietate quadam ftrumas foluere affirmat, vel leptomeria calida id fieri, quamuis reftagnantes frigore partes alias fortiatur. Sed ambigua funt omnia Auicennæ verba. Certè Coriandri odoratum eft & amarum, cum acrimonia quadam, & fitiferũ eft, & mentem æquè ferit ac vinum, fi plena manu eius paftus ineatur, dicitutque propterea venenum; non quidẽ deleterium, fed ecftaticum, hoc eft, mentem alienans, ac extra fe rapiens. Hæc fieri non poffent, nì vapor caput feriret, quare & caloris omnia fymbola gerit coriandrum. Cum autem Galenus fecundo de Antidotis afferit vinum purum, antidotum effe contra coriandrum viride; id ibi afferit ex fententia Afclepiadis, qui, vt Diofcorides, Ruffus, & Archigenes; frigidum id putauit. fed fortè illi de alia herba. Coriandri vis.

FORIS

Artubus Frigidis admouenda.

Primula veris & verbafculum, digerunt ac exhauriunt influxum fuccum. amygdala amara: rofmarini flores aquæ vitæ iniiciuntur; quod fupernatat illinitur: dux Mediolanenfis eo vtebatur in doloribus. Nafturtij & vrticæ femen: euphorbium, eft calidiffimum: cucumeris agreftis radix, faluia, nepita, tritici farina, anethum, abrotanum, ftœchas, laurus, calamintha, origanum, parietaria, bryonia, ebulus: ari radix, ferpentariæ & fcyllæ radices: iua, hypericum, cyminum, centaurium minus. Conyza minor, cocta in lotio puerorum, contufa, & admota. Pixagapenum eft feruens & teme: galbanum: caftoreum tenue eft, & neruis dicatum. Simplicia.

Sapo: Thermæ fulphureæ calidæ: balneum ea ligno rafpato iuniperino ad libras duodecim: coquantur in cacabo magno ex aqua, ad confumptionem duarum tertiarum. Balneum ex decocto vulpis: hinc oleo vulpino vngatur: ac pelle vulpina tegatur. Balneum & fotus.

Balneum: Accipe origani, calaminthæ, fummitatum

tum anethi, chamæmeli, rutæ, vel pulegij, singulorum manipulos quatuor: fœnugræci, anisi, cymini, fœniculi, cari, cuiusque binas vncias, baccarum lauri semunciam: colicis quoque confert.

Fotus ex vuarum vinaceis, in illis regionibus vbi vuæ premuntur. Fotus ex furfuribus madidis. Suffitus molliens & calfaciens.

Decocti ligni & baccarum iuniperi, cuiusque sesquilibra: fiat Balneum. Si Flatus in vitio sit, Fotus fiat ex vino, in quo cocta sunt semina fœniculi, rutæ, flores chamæmeli. Robur partibus addit hic Fotus: Accipe florum chamæmeli manipulum; foliorum saluiæ, rorismarini, maioranæ, stœchados, chamæpityos, singulorum semimanipulum: coque in vino austero: & spongiis nouis fiat fotus. Si noua spongia careant, vetus spongia aquæ salsæ immittatur per noctem: sal enim roborat. Balneum ex aqua in qua formicæ, & earum oua fuere trita & cocta, inueteratam podagram curat.

Flatus.

Ad robur.

Olea: oleum de lateribus: oleum mellis, dolores sedat: oleum ceræ, & gummi elemnij, terebinthinæ: sambsuchinum, moschelinum, rutæ: guaiaci, iasminum, cheirinum, laurinum; styracis oleum, descriptum in Antidotario Florentino: oleum balsami: masthichinum oleum, cum castoreo: irinum, costinum, vulpinum, de piperibus, ebuli, castorei oleum: chamæmelinum, spicæ & lauendulæ oleum, œsypus: Galbaneta sunt vtilissima. De his consule librum primum. oleum leucoij, apud Fernelium libro septimo. oleum florum verbasci, vel eius flores & radices macerabuntur in vino rubro, vt fiat distillato: liquor splenio exceptus, parti imponatur. oleum caryophyllorum & macis. Si materia fuerit Flatulenta: Accipe olei chamæmelini, anethini, & rutæ, singulorum semunciam, ceræ q. s. aquæ vitæ parum: fiat Linimentum. Oleum de euphorbio mirè confert, vbi materia non est crassa, in sciatico dolore. oleum salviæ certò iuuat ad robur. oleum ex floribus ireos. Dialthæa, vnguentum Aregon, digerit, & colicis quoque prodest: ἀρήγων dicitur, ab ἀρήγω, quasi iuuans. Vnguentum Martiaton Nicolai; & magnum: & emplastrum Martianum, apud Antidotarium Florentinum.

Ad flatus.

Vnguenta.

Vnguentum: Accipe granorum piperis, iuniperi, sinapi, cuiusque scriptulos duos: anacardorum semidrachmam: radicum pyrethri, salis ammoniaci, cuiusque sesquidrachmam, vini ardentis vncias quatuor, maluatici vini vncias octo: olei hyperici, terebinthinæ, laurini, singulorum vncia: has bulliant ad euaporationem vini: addendo castorei, euphorbij, galbani, myrrhę, bdellij, singulorum sesquidrachmam; ceræ quod sufficit, fiat vnguentum molle. Et post vnctionem tegatur pars pelle vulpinâ: primò pars fricabitur & vngetur aquæ vitæ. Hermodactylus cataplasmatis modo adhibitus. Emplastrum I. de Vigo. Pinguedo cati & castoris: & recens pellis cati.

Emplastrum: Accipe terebinthinæ semilibram: coque parum, & in fine adde puluens olibani, rosarum, myrtillorum, masticis, nucis moschatæ, caryophyllorum, cinnamomi, macis, singulorum semidrachmam: & adhuc calenti pannus lineus intingatur: qui, parum siccatus, ponatur superlocum iuncturarum, cui dein superponatur corium caninum præparatum: & singulis mensibus innouetur. Folia caulis calidè imposita, sudorem promouent, & dolorem leniunt.

Emplastra.

In Sciatico dolore emplastrum ex sola terebinthina vtile est: ceratum quoque de oxycroceo: folia tenera lauri, tusa, & admota dum locus rubescat. ita & nicotianæ.

Sciaticis.

Cataplasma: Accipe foliorum maluæ, violariæ, singulorum semimanipulum: radicum althææ, liliorum, iridis, cuiusque semunciam, vel vnciam: florum chamæmeli, meliloti, summitatum anethi, cuiusque pugillum: seminis lini, fœnugræci, vtriusque vnciam: cymini, baccarum lauri, cuiusque drachmas tres: croci scriptulum, vel semidrachmam: axungiæ anseris, medullæ vituli, butyri recentis, olei liliorum vel irioi, quantum sufficit, vt fiat cataplasma: emollit rumores, digerit, & dolorem sedat. Cataplasma ex foliis minoris verbasci. Accipe cæpas albas, cum sale, euphorbio, & oleo lauri.

Epiplasma.

Ad dolorem: Accipe lactis librā, micas duas panis albi: coq; & adde pulueres chamæmeli, meliloti, cuiusque semimanipulū: croci scriptulum: vitellos duos ouorum: olei rosarum & chamæmeli vtriusque drachmas sex. fiat Cataplasma: bis die applicetur calidè. fæces leporinæ ex vino admotæ, sciaticum dolorem curant. Saluia & ruta ex oleo. Ruta cum sale & melle.

Dolor.

Cautio: Sint talia remedia quæ non exhaustis ac absorptis tenuioribus partibus, cætera in tophum assant. Quare euphorbium misceatur cum oleo violato. Semper in principio fluxionis, stringens aliquid addatur cataplasmatis & fomentis. Vt mica panis ex vino austero, in quo coxit mastix, cupressus; quia crassas habet partes. Si dolor immitis fatigarit, à stupefacientibus abstinebimus, & potiùs calidis vtemur: vt, Accipe axungiæ gallinæ, olei chamæmeli, cuiusque semunciam: olei masticis drachmam, euphorbij drachmam. Euphorbio non est vtendum solo: nam tenues exhaurit partes, restagnantibus crassis.

Cautio.

Notandum.

Humidos artus corroborantia, & Alterantia:

INTVS.

Eadem remedia quæ caput firmant, stabilient articulos. Omnis largior potus absit: nam serosis succis aditum præbet ad peripheriā corporis, hac vnà quæ crassa sunt, rapit. Aqua chalybeata diluatur potus. Vitentur pisces squammis carentes, & viscosi; lac obest & caseus. Absint quæ carnes semiputrefactæ sunt, vt teneriores die fiant: non enim quomodolibet teneræ carnes sunt recentioribus semper præferendæ; nam in diu mactatis animantibus teneritudo ea, veluti putredo quædam est, vel primum ad eam vestigium, dentibus quidem facilis cibus, sed venis futurus grauis, à putredine. Famem non eximat mensa. Venus inutilis est. vrinalia remedia fugienda, nisi corpore mundo. Sint carnes aromatibus adspersæ: & coctæ odoriferis cum herbis. Radix enulæ campanæ. Accipe conseruæ betonicæ, rorismarini, cuiusque semunciam: castorei drachmam: syrupi de pomis, quod satis sit vt fiant boli quinque: sumat manè. Castoreum recipientes partes modestè calfacit.

Victus.

Obseruandū.

Diamargariton calidum, aromaticum rosatum. Castoreum, amygdalæ amaræ, schœnanthos, spica, absinthium, laurus, hypericum: iuæ puluis ex conserua, betonicæ, cum terebinthina & castoreo, cerebrum leporis assum. Ab vsu balnei sicci theriacam sumat, & sudorem promoueat. aromata: thymus aridior eum vino propinatur. mumia. tormentilla.

Remedia.

Decoctum ligni guaiaci, & sarzæ parillæ, & radicis chinæ, cum melle. Vinum cydonites: vinum saluiæ, aut iuæ, vel guaiaci: nam in doloribus longis à phlegmate obortis, vina medicata mirè auxiliantur. Decoctum iuæ moschatæ, vel betonicæ, cum melle rosato. Thymi sicci semuncia, ex oxymelite. Succini drachma semissis, ex decocto ligni Iodici. Præcellens iam coquitur remedium ex sassafras ligno & cortice: quod calet secundo, siccat tertio ambitu. Accipe ligni sassafras cum suo cortice, assulatim confracti, semunciam: modò recens fuerit, nam alias surgete licet in vncias tres, aquę optimæ libras quinque: macera fictili in nouo horas duodecim: lentè dein excoquantur duæ tertiæ partes, sumat haustum manè & vespera. Scribit Monardus, singulari experimento se didicisse, id auxilio fuisse his, qui distortos pedes & manus ex arthritide habebant.

Per annū.

Foria

FORIS.

Artubus humidis admouenda.

Sacculus. Cucuphæ, & errhina capiti admota opitulantur. Fiant frictiones siccæ, cum manu, vel panno calido. Accipe salis, aluminis, siccatorum & tenuiter puluerisatorum, cuiusque manipulum; nucis moschatæ sescunciam: colligantur in sacculo, eoque manè articuli fricentur. Vel Spongia noua imbibat vinum austerum, quod accepit vim saluiæ, caryophyllorum, rorismarini, betonicæ, stœchados; ac iterum siccetur, & hac fricentur membra. Sal oleo omphacino intritum, & in articulos fractione adactum. Aqua vitæ quæ saluiæ vim accepit, vel granorum iuniperi. Lintea calida

Simplicia. perpetuâ repetitione admota. Lapathum, furfures, absinthium, anethum, & quæ flatus discutiunt, hîc remediantur.

Aër balnei sulphurei; vel nitrosum balneum: euaporatio ex lateribus, vel ex sale, nitro, & sulphure. Suffitur bombax vel lana ex digerentibus & siccantibus, ac parti admouetur: vt ex myrrhâ, stœchade & marcasitâ.

Fotus & suffitus. Suffitus: foliorum lauri, saluiæ, hyssopi, cuiusque manipulos duos: coque ex vino: lapides igniti hoc conspergantur: manè & vesperi admittat hunc vaporem toto corpore, loco calido: sub exitum hauriat drachmam rhetiacæ, ac in lecto sudorem eliciat. Columbarij aër à proprietate occultâ valet, vt in Paralysi.

Podagra. In Podagra: Accipe ligni iuniperi, in scobem derasi, libras duodecim. coque ex aqua in lebete magno, donec tertia pars fuerit exhausta: tum vnà lignum proiice in labrum; & in eo æger vmbilico tenus sedeat. Fotus ex decocto maioris tithymali; vel cum oleo imponatur. vinacea calida, vbi vina parantur.

Cautio. Sed cautio adsit, ne digerentibus fotibus vtamur, nisi fusâ materiâ. Fotus ex musco fagi, ex vino austero: muscus insuccatus superponitur parti.

Veteres, artus humore tumentes tritico vel lapidi sarcophago imponebant: nos salsis lixiuiis vtimur: Ac-

Lixiuium. cipe lixiuij veteris libras decem, salis libram, nitri semilibram: coque ad octanæ partis exhaustionem: hoc est, dum sal liquescat: artus horæ spatio imponat, manè & vesperi, ante pastum Lixiuium ex cineribus ilicis, fagi, quercus, prunorum; cum alumine.

Balneum. Balneum fiat ex vulpe, & catulis exenteratis excoriatisque: adiice saluiam, laurum, rosemmarinum, rutam, radices pyrethri & acori; flores chamæmeli, & meliloti. Accipio sulphur, picem, alumen, salem, argillam; sacculo includo, in aqua coquo, vt fiat balneum: nam huic malo succurrunt thermæ sulphureæ, nitrosæ, salsæ, & bituminosæ.

Ad podagrã. Lixiuium ex fagi cineribus paratur, ter aut quater colatur, tantum vini admiscetur: aluminis vnciæ duæ adiiciuntur: calfiunt ita vt non feruescant; Podagræ auxiliatur, manè & vesperi adhibeatur, ante cibum, calide. vtile, cùm malum paroxysmum minatur, & post: quater aut quinquies in septimana vtatur.

Illitus ex oleo euphorbij, cum oleo mastichino.

Illitus. Opitulatur oleum mastichinum cum castoreo. Mercurius extinctus cum oleo chamæmelino & castoreo: axungia taxi, vulpis, vrsi, tauri, apri, equi, & hyænæ: his semper additur castoreum. Discutit membris conceptos succos, ac firmat, lutum thermarum sulphureum, & fimus recens: farina lupinorum, orobi, fabarum, & hordei: coquuntur ex vino & aquâ. Cineres stipularum fabarum, cum vnguento veteri. Augustus, vt scribit Suetonius, coxendice, & femore, & crure sinistro non perinde valebat, vt sæpe etiam inde claudicaret: sed remedio arenarum atque arundinum confirmabatur.

Oleum terebinthinæ, sulphuris, galbaneta; vnguen-

Olea & vnguenta. tum de bdellio, oleum myrtinum, vnguentum Agrippæ, Martiatum vnguentum, & de vulpe: Oleum ligustrinum & sambucinum: oleum fraxini, per curuum. vas distillatum; oleum ligni guaiaci, & de hermodactylis. oleum viperinum cum vulpino. oleum ex foliis & floribus hyssopi. oleum ex iride alba. oleum leucoij. oleum de hermodactylis. flatus discutit.

Emplastrum: Accipe picis nigræ, gummi elemnij, *Emplastrum.* cuiusque sescunciam: ceræ, axungiæ, vtriusque vnciam: thuris, hermodactylorum, radicis iridis, sulphuris, singulorum drachmas tres: olei irini quantum satis erit, vt fiat emplastrum: exsorbet madentem materiam ex articulis. Emplastrum nuchæ impositum ex sinapi. Iberidis radix, ex adipis suillæ æquis partibus: fiat Cataplasma; digerit. Fabæ recentes, coctæ cum fimo porcino. Cinis stipularum fabarum, cum axungia. coque rorem marinum in oleum, dum ferè arescat.

Sacculi: Accipe milij vstulati pugillos quatuor: oro- *Sacculi.* bi, furfuris macri, cuiusque pugillos duos: florum chamæmeli, summitatum anethi, vel spicæ, aut foliorum rutæ, singulorum pugillum: cymini, cari, cuiusque drachmas duas: baccarum lauri drachmas tres, castorei semidrachmam: fiant duo Sacculi interbastati, ea magnitudine qua totum ventrem complectantur; qui calefacti, vicissim admoueantur. Tympaniti ac colicæ ventosæ etiam conferunt. Sal tusus, assatus, ac oleo incoctus, sacculo inclusus: quidam sicco sale vtuntur cum furfuribus, floribus chamæmeli, & semine lini.

Cataplasma ex furfuribus, sapâ, parum salis; & ex *Cataplasma.* semine anethi, fiat exigua ebullitio: præclarè sæuientes dolores sedat. Si fuerit à pituitâ crassâ, erit reprimendum quod influit; discutiendum, quod influxit: & si indurârit materia. priùs molliendum: Tertiò, ne iterum succrescat materia, intemperies frigida erit tollenda: quæ obtinebimus ab hoc Emplasmate: Accipe micæ panis triticei cum furfuribus, manipulos duos: parum coquantur, ac adde pulueris chamæmeli, & meliloti, cuiusque manipulum: croci scriptulum: olei chamæmelini & rosarum vncias duas: si diuturnitas magna fuerit, addes adipes. Cum sublistit fluor, loco rosati olei *Obseruatio.* miscebimus anethinum. Si tenuis pituita vitium fecit, emollientibus relictis, erit discutiendum, vt sale, & balneis sulphureis, nisi squalleat ab ariditate corpus, aut æstu Sirius flagrârit, vel cruditatum in corpore plena fuerint omnia: his enim noxiæ sunt Thermæ.

Cautio. Non sint hæc remedia nimis calida: nam ea cutem à siccitate densant, ac tenue exhauriunt, restibili crasso. Si tenue discussum fuerit, ilicò ex dialthæa fiat inunctio, vel admoueatur emplastrum de muccilaginibus: dein excipiat pars fumum, ex aceto, lapidi molari, candenti ab igne, iniecto: iterumque emollitis duris, ad fumum redeundum.

Artus siccos corroborantia, & alterantia in eos effusam melancholiam extra venas.

INTVS.

Quæ cerebrum siccum firmant, eadem iuncturas & *Simplicia.* neruos labefactatos erigunt. Lac, papauer, rapa, poma, malua, ficus, nuclei pinei: medulla nucis Indicæ vulpinus adeps siccatus. Iuscula caponum & carnium cum violis, maluâ, & hordeo, radicibus buglossi. Capita agnorum, & veruecum, & vitulorum: pedes vitulini: gelatinæ: Ius carnis. & cetera quæ medentur ex inanitione affectibus. Conserua buglossi, boraginis, viola- *Conserua & species.* rum, rosarum, manus Christi, diamargariton. Terebinthina cum iua & castoreo. cucurbita, passulæ.

Melancholiam in Artubus alterantia.

Iua, iuniperus, melilotus, fumaria, borago, ebulus, betonica, saluia, enula campana, centaurium minus: guaiaci decoctum, vel sarsæ parillæ, aut chinæ, & sassafras, cum floribus cardui benedicti. Lupuli. Regionis mutatio, & ad madidius clima migratio. Cibus, potus, motus, omnia madorem augeant Balnea iam narrata, ac fotus. Adeps vrsinus, leoninus, canis ru- *Illitus.* bri, oleum antiquum. Galbaneta: Attamen cuncta

ſint remixta his quæ molliendi vim ſortita ſunt, vt adipe humana.

FORTS

Artubus ſiccis admouenda.

Fotus & balnea Simplicia. Fotus, & baloea ex lacte, vel aquâ dulci: incoqui illi poteſt malua, althæa, violaria, ficus, verbaſcum, brancha, ebuli radix, bugloſſum, thapſus barbatus, parietaria. Radix maluæ, liliorum, rapæ, narciſſi: coquantur cum vulpe. Balneum ex maluæ manipulis quatuor: & capitibus veruecum, ex aqua: addimus lactis libras ſeptem: butyri libras duas. Caules ex cereuiſia cocti. Natatio in oleo oliuæ: & in aqua œſypi humidi: vel in lixiuio dulci, aut hydrelæo.

Suffitus ſub papilione, iniectis ignitis lapidibus decocto. Balneum Diui Cornelij apud Aquiſgranenſes, confert tumoribus duris: oam mollit & diſcutit.

Illitus. Vnguentum ex bdellio Meſuæ. Illinuntur ἄλλα vnguenta: Accipe muccagiois radicis althææ, ſeminis lini, fœnugræci, cuiuſque vnciam: medullæ cruris vaccæ ſemunciam, adipis porci colatæ vnciam, olei liliorum ſemunciam, croci parum: ceræ quod ſufficit: fiat Vnguentum. Hirundines viuentes contunduntur; his additur medulla cruris vituli, corticês nucum iuglandium, caryophylli, aliquid ceræ: digeruntur in fimo: in balneo coquuntur, exprimuntur: fiat vnguentum. Vngucotum Agrippæ, & Martianum: vnguentum roſatum, dialthæa. Succus florum geniſtæ, cum axungia, coctus in vnguentum. *Oleum & adipes.* Oleum exſtillatum ex ammoniaco, oleum violarum, lumbricorum, amygdalinum dulce; gummi ſoluta in vino, vt opopanax, ammoniacum, bdellium, cum oleis. Adeps canis rubri, humanus, & taxi, muriſque montani, arietinus, cum oleo amygdalino dulci: oleum nucis myriſticæ cum adipibus: vulpis adeps, pix: oleum iaſminum: butyrum; oleum ſambucinum. Secretum quorundam remedium eſt oleum diſtillatione eliquatum ex oſſibus humanis, cum medullis: id enim infractum contumacemque omnem dolorem eximit artubus. Accipe olei cannabini ſemilibram, vini albi libram: pedis leonis manipulos duos: bulliant ad exhauſtionem mediæ partis. oleum lini. olenm oorum, cum medulla cerui aut vituli. oleum nucum Indicarum. *Linimentum.* Linimentum: Accipe olei laurini, chamæmeli, roſati, vnguenti populeoois, partes æquas. olei lumbricorum partem mediam.

Emplaſtra & Cataplaſmata. Ceratum Philagrij, & œſyparum, & è ſtyrace. Emplaſtrum de muccilaginibus, oxycroceum, diachylon, & de meliloto, & apoſtolicon, & ceroneum. Arum cum fimo bubulo admotum Cataplaſma ex verbaſco. cereuiſia Gedana cocta cum cumino, hermodactyli cum lacte. Hoc eximit omnes dolores: Accipe ſucci radicis ebuli, vncias octo; axungiæ porci maſculi, & caponis, cuiuſque vncias binas: miſce; pone in vitro, quod paſtâ pauis circundatum pone in furno, horas octo vel nouem: fiat vnctio; conuulſis quoque opitulatur. *Podagra.* Cataplaſma ex radicibus althææ, farinâ lini, micâ panis. Et radix althææ trita cum axungia porci veteri, podagram intra triduum ſoluit. cataplaſma ex lumbricis & vulpino oleo. Vel caſſiæ vnciæ duæ: cum oleo, vel ſocco ſolatri. Aliud: panis ſecalinus ex lacte coctus, cum oui vitellis duobus, & croci ſcriptulo. Pulmones ex viuis animalibus exempti, ac vnctis partibus ſuperpoſiti dum calent; ac iterum decoctis mergantur. Pelles recentes felium, & vulpium. Emplaſtrum: Accipe bdellij pinguis, adipis vituli, ammoniaci, iridis, ſingulorum drachmas duas, opopanacis, galbani, thuris, ſtyracis, florum roriſmarini, cuiuſque drachmam: piperis ſcriptulum: fecis olei irini vnciam, & ʒ ij. vini quod ſufficit: fiat malagma. Accipe carnem ſuillam ſalitam pinguem; coque: & in decocto macereur caſeus antiquus, & ſubigatus in mortario, ac rhophaceis locis admoue. Vel remiſce pinguedinem quæ dimanat ex oſſe peruæ: nam illa dolorem ilicò mitigar Pyrites lapis cum adipe ſuilla. Thapſus barbatus, foliis anguſtioribus præditus, & minutis, cum butyro. Quo autem modo totius corporis ſiccitas caſtigari debeat, docet eleganter Gal. lib. 10. Met.

Expedita ratio. Cum in Italia medicinæ operam dabam, quidam meorum præceptorum, omnes ferè Arthriticos hac ſerie curabat: primò exhibebar diaſebeſten, & electarij lenitiui, cuiuſque drachmas ſex: hinc materiam morbificam parabat ad excluſionem. ſyrupo betonicæ, eupatorij, & fumiterræ: deinde purgabat. pilularum maiorum de hermodactylis, & maſtichinarum, cuiuſque ſemidrachmâ, cum ſyrupo de ſtœchade. tandem roborabat, terebinthinâ, cum iuâ, & caſtoreo.

Obſeruatio. In omnium membrorum corroboratione, rectè ac ex lege artis obſeruari debēt Res non naturales: Vt regionis mutatio, diæta, exercitium, animique affectus. Oportet enim cuncta agenda, admouenda, ſumenda, excludenda, temperie quadam moderata eſſe, vt præclarè reuerendus ille ſenex dicebat, πᾶν τὸ πολὺ, τῇ φύσει πολέμιον, τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλὲς hoc eſt; adeoque in vniuerſum, nimium, naturæ bellum indixit: quod vero viciſſim ac ſenſim fit, tutum.

Notandum in vſu electariorum. Id notandum in Roborantium electariorum vſu, quòd quæ ſtudent naturalis facultatis robori, ieiuoo ſtomacho exhiberi debeant: ſed ſi coctrix vis langueat ob frigus, à cibo offerenda erunt. Verùm ſi ſuccus frigidus ac madidus moleſtus fuerit, duas horas antè propinabuntur, quò is mitificetur. Ad Vitalem vim quolibet tempore dexterè preſcribentur. At Animalem facultatem ſtabilient, ſomni tempore aut media nocte propinata.

CAPVT XVI.

Sanguinem alterantia, qui eſt purior quatuor humorum nutritioni dicatorum pars. Ad febres ſanguineas curandum res vtiliſſima.

HActenus eorum ſuccorum qui extra venas receſſerunt hiſtoriam peregimos; iam, quibus medelis, hi, qui intus in venis & arteriis ſtabulantur, in priſtinam flectantur temperiem, cum ab ea abrepri fuere, videamus. Hæc hiſtoria ad malum toto corpore ſparſum pertinet, vt prior illa, de qua hactenus, ad ſiogularum partium vitia ſpectabat; quare omne genus febrium hîc remedium inueniet. Alteramus vi remediorum, interdum vnicum qui in vitio eſt humorem; aliàs, plures, non rarò cunctos, cùm virium fecere. Cum vnicus itaque ſanguis à naturæ lege abiit, qoi nempe κατ' ἐξοχὴν Sanguis dicitur, hoc eſt, optimus ille in venis alimentarius humor, *Purior vt reddatur ſanguis.* cum puriorem reddemus, abſtergendo ab eo ſuccos excrementitios: id fiet prouocando lotium & ſudorem, aluumque ducendo, ſi ex officio non reſponderit: Secundò, ſanguinem craſſum attenuando, tenuem incraſſando: calidum, frigidum, humidum, aut terreſtrem temperando. *Sanguis à ſecta vena ſeruari debet.* Quare rectè faciunt illi, qui à venæ ſectione ſanguinem ſeruari iubent, dum pars quæque ſuo loco reſederit: bilis enim flaua, ſublimem maſſæ eius locum tegit; quemadmodum craſſamentum melancholicum in fundum fertur. Hinc reſtagnante in ſanguine, quiſnam ſuccorum quatuor in vitio ſit, oculis facilè animaduertimus: ac in cognitionem morbificæ cauſæ ducimur, & tutiùs remedia (iam conſpicuâ in cauſa) admouemus. *Chirurgi inſcitia.* Noo tamen nos fallat ſciolorum chirurgorum opinio, qui aperta manus aut pedis vena, dum calēte aqua exceptus pes ſanguinem reddit, filamenta quædam viſcoſa ſanguini innatantia, fundumque petentia, manu excepta oſtendunt: ac pitoita modis miris contaminatum ſanguinem fuiſſe aſſerunt: falluntur, ac Medicos fallunt.

fallunt; sunt enim fibræ sanguinis; sine quibus, illabefactata naturæ humanæ œconomia, diu perseuerare rectè nequit, optimæ nutritionis, ac virium stabilimenti auctores: His enim depastis à putredinis vi, in febribus pestiferis, sanguis emissus non concrescit, at calamitosum id esse sæpè obseruaui. Robustissimi tauri sanguis, fibris abundat; ac propterea effusus, ilicò concrescit, ac ea vi perniciem Themistocli intulit; haustus etenim in casei duritiem firmat se in ventriculo. cōtraria vi, imbellium ceruorum sanguis non concrescit, ob fibrarum vacuitatem. Mulieres io porcino sanguine fibras agnoscunt, quem ad farcimina expetitum studiosissimè atterunt, dum fibris fractis, fluxus euadat sanguis.

Sed iam videamus quænam sint illa remedia quæ sanguinem blandiorem reddunt, Humorem excrementitium separando.

Humorem excrementitium separant.

Antidota: nam id peculiari quadam vi efficiunt. Theriaca, mithidatium, bezaar: maximè si fuerint corpore frigidiore, tempusque si fuerit hybernum: syrupus de corticibus citriorum: malum citrium: coquitur in aqua rosata ad tabem; aspergitur manu Christi: decoctum seminum citriorum, melissa, myrthis, carduus benedictus, angelica, rosmarinus, peruinca, petasitidis radix, ex vino absinthij, dictamnus. Et quæ lotium prouocant, talia sunt quæ serosam substantiam gerunt, vt serum lactis, & Anglorum poissettum, quod fit ex vino albo, & succo petroselini, quibus affunditur lac bulliens: cremore abiecto, vtuntur sero, vt vidi cùm illis medicinam facerem. opiatum ex succo iuniperino, cum saccharo. mulsa, & liquiritiæ decoctum.

Historia.

Sudorifica.

Et quæ sudorem eliciunt, vt ea quæ sortita sunt substantiam aquosam, quæ tamen ad aëreā naturam abunt, ac tenuem compagem habent: talis est aqua calida thermarum, aqua hordei tepida, guaiaci, vel sarzæparillæ, vel chinæ, & petasitidis radicis decoctum. Debet sudorificum potentius esse diuretico; quale illud est, quod, vbi de bile hîc paranda agimus, describimus. Nisi febris obstiterit immanitas, vtendum erit calidioribus: alioqui, diuretici illius propinabimus vncias duodecim. Si puluere vtendum, tenuissimus ille sit, vt capillorum Veneris, ceterachi, cum dictamno. Et capite De purgantibus, sudorifica describimus.

Foris.

Foris mouent sudorem, oleum amygdalinum, cum aqua dulci, vt laxetur corpus, & temperetur acrimonia. Auicenna miscet quid vini tenuis, quo penetret: lenis fiat frictio, quò peruadat liquor. Accipe olei amygdalini dulcis, aquæ communis, singulas vncias duas, vini albi tenuis semunciam: vnge. Sed tunc non adsit flagrans febris.

Lenientia.

Et quæ aluum ducunt Pinguia, quale butyrum, oleū, spinachia, malua: Quare præclarè illud Hesiodos, Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσον ἐν μαλάχῃ μέγ' ὄνειαρ: hoc est, Stulti nesciunt quantum auxilij maluæ insit: & Horatius; *grani Malua salubres corpori:* existimo per maluas, cunctas herbas ventrem sine iniuria mollientes intelligi.

Et quæ viscida & Lenta aluum soluunt, vt cassia, ficus, pruna, passulæ; vnciarum duarum pondus, harum coctarum ante pastum sumitur.

Dulcia ventrem quæ laxant, vt mel, saccharum, manna.

Subamara, vt sal, thermæ nitrosæ, & sulphureæ; ius galli veteris, & pulli validè excoctum. Amara in ventris solutionem sunt potentiora, vt aloë: syrupus de fumaria: & quæ ex his remixtis comminiuntur. Præterea multa eorum quæ leniter sanguinem ab inquinamentis fœdorum succorum abstergent: illa scribemus vbi de lenientibus medicaminibus, & de modestè purgantibus.

Attenuantia crassum sanguinem.

Subamara id officiosè præstant, vt sonchus, cichoroum, endiuia, carduus benedictus; fumaria. Syrupus de limonibus, & de citrij acido; oxysaccharum, quatuor semina frigida maiora. Plurima remedia hac facultate insignita trademus mox vbi de pituitæ præparatione: qualia & de bile describimus, vbi, quæ eius ferociam domant, & vnà vrinas mouent. Succus radicis fœniculi, cum oxymelite. oxymel in quo ferbuere frondes nucis.

Incrassantia sanguinem.

Ea quę frigent ordine primo, quæque madent secundo: vt lactuca primis epulis sumpta, vel ex aceto elixa: borago, violaria, santala, buglossum, filicis radix: hinc eius decoctum fistulas ex sero sanguinis obortas curat: papaueris semen & flores: Portulaca, & eius caules; quos, vt asparagus, coquebat quidam, æstuanti sanguini in febri obnoxius; aceto & pauco oleo condiebat, & se maximè recreari eorum vsu affirmabat, & nos obseruauimus. Semen althææ, lenticula palustris. Iuscula vitulinæ carnis, alterata portulaca, lactuca, acetosa.

Portulaca asparagus.

Condita & conserua.

Cydonia mala: cerasa acidula: prunodactyla, quæ Damascena vocant, saccharato liquore macerata: vua immatura saccharo condita; iuiubæ, sebesten: manus Christi perlata, cùm santalis: Bolus, conseruæ de acredine citriorum drachma: cum scriptulo boli Armeniæ. Acetosæ conserua, saccharum rosatum tabulatum, diatragacanthum frigidum: conserua rosata & violata. Pedes animalium, & gelatinę, oryza, pyra, poma; symphyti radix, & ius in quo ea coxit.

Potulenta.

Cautio.

Omphacium, syrupus de agresta, granatorum vinum & syrupus: Potus ex aqua, saccharo, & aceto: sed cautio sit in hystericis, tenuibus, & in iis quibus mordet acetum intestina. Apozema clarum: foliorum lactucæ, endiniæ, portulacæ, violariæ, singuli manipuli: iuiubarum & sebesten, viginti quatuor seminum frigidorum minorum, vncia: seminis althææ drachma: florum cordialium, & papaueris rhœados, singuli pugilli: glycyrrhizæ rasæ vncia: coquantur ex aqua hordei mundi; in sesquilibra colaturæ dissolue sacchari penidiati, syrupi violati, singulorum vncias duas: diatragacanthi frigidi drachmas duas: santali albi & rubri scriptulos duos. Et quæ scribimus de hepatis roboratione.

Calfacientia sanguinem.

Ea primò ordine caleant, ac madeant secundo; vt betonica viridis, fumaria viridis, ceterachum virens, stœchas. Et quæ enarrauimus vbi de cordis & iecoris alteratione. Mala citria decem conscindantur in multas partes; summitatum scordij, boraginis, manipulus: vini albi libræ tres; fiat distillatio: accipe duo cochlearia, cum theriacæ momento. Accipe aquæ vitæ vncias tres: rosarum rubrarum, santalorum, cinnamomi, cuiusque scriptulum: macerentur, ac traiice per setaceum: dulcorentur sacchbaro rosato: exhibe vnciam, cum pane calido. Offæ ex vino, sacchbaro, & pauco cinnamomo: & ita poma cocta.

Distillatum.

Refrigerantia sanguinem, ac eius ebullitionem sistentia.

Modestè aperiant, vt cichoracea, viola, nymphæa; lactuca cocta cum endiuia, pauco aceto & butyro adiecto, vel eius trunci saccharo conditi: cucurbita saccharo condita. Fraga, prunodactyla, cerasa acida, aqua hordei, cereuisia tenuis, vini abstinentia, aqua cum succo granatorum, ptisanæ succus, panatella. Dulcia fugienda, quia validè nutriunt, vt carnium copia. laudantur portulacæ maioris stolones: aquæ frigidæ potio: tamarindi.

Serapia & iulapia.

Caphura, margaritæ, manus Christi, iulep violaceū, rosaceum, & nymphææ, syrupus papaueris: Serapion de soncho, serapion acetosum simplex, serapium de endiuia, & rosarum, granatorum, de lupulis, ex acidula, de citreis; sitim exstinguunt, maximè dantur dum vigiliæ ooo infestant: siccant putredinem, & veneoa debellant: Sit confectus syrupus ex maturis pomis, & herbis succulentis, ne adstringat, vbi febris putrida vrit:

Obseruatio

vrit: Galenus quarto simplicium oon prodidit acetosam adstringere, sed inquit: ἡ ὀξεῖα ψυχρότης λεπτομερής. hoc est: acida frigiditas tenuium est partium, modò adstrictio absit. Cum decocto cichorei, violarum, fumariæ, lactucæ, portulacæ, hæc cohibent sanguinis efferuescentiam. diaprunum non laxatiuum Nicolai, in Antidotario Florentino. Accipe sytupi limonum citreorum, ac de agresta, cuiusque vnciam: syrupi de endiuia, & de prunis agrestibus, si fluxus adsit, cuiusque semunciam: aquæ acetosæ, artemisiæ, si vterus laborat, aquæ ros. buglossæ, endiuiæ, cuiusque vncias tres: aromatisetur drachma santalorum alborum. Aqua distillata ea anguria, secretum quibusdam remedium in causo: nam ilicò sanguinis æstum eastinguit, ac febrem placat: Auetrhoës illud memoriæ prodidit. Ius pulli cum acetosa, vel cucurbita. Aqua ex limonum succo, quæ in calente balneo maris vitreis otganis elicitur, serapiis remista. aqua solatri in qua persicaria maduit: quidam putredini Persicariam postea conserant, ac id cœlitus ad eaimendum malum facere existimant. Oleum caphuræ ea aquis frigidis, ardentes febres & pestiferas abigit. Accipe succi anguriæ libras quatuor, sacchari libras duas: coque. Accipe succi granatorum acidorum, & dulcium, singulas binas vncias: residean per noctem: postridie adde sacchari violati vnciam, & aquæ rosatæ tantundem. Si pituitæ quid adsit, rhodostagmati succedat vinum: hoc roborat ventriculum & hepar, ac prostratum appetitum erigit. si obstructio adsit, adde aquæ hordei, vel endiuiæ vnciam. Succus endiuiæ, cum oxysaccharo. Decocti prunorum vnciæ quatuor: sacchari violari semuncia: vel tamarindi. Accipe conseruæ rosarum, violarum, nymphææ, acetosæ, cuiusque semunciam: specierum diarrhodonis, drachmas duas: syrupi rosati, & de acredine citreorum, quantum satis est, vt fiat conditum. Talia multa de bilis præparatione scribimus.

Secretum remedium.

Siccantia sanguinem.

Superflua discutieodo, vt fœniculum, petroselioi radia & semen. Punicum malum, daucus. Et quæ amara calent in secundo ordine, vt absinthium, mentha, hyssopum. Talia quæ pectori vnà student. Abinceana dat lentes, & iuiubas. Dicet quis, sunt mali & crassi succi. Respondemus, dat loco remedij, quòd putredini resistant, & noo loco eibi. Conseruæ boraginis drachma, boli Armeniæ scripuli duo: vel scordij pulueritati, scriptulus. margaritæ, cornua, decoctum saizę, radicum chinæ, vel sassafras, &c.

Lentes.

Humectantia sanguinem.

Vnde cor madescat: quare sint aquea, & lenem quandam viscositatem gerant, vt ius pulli cum cucurbita recenti, vel anguria: cucurbitæ eato, decoctum ex floribus maluæ, violarum, nymphææ, boraginis: cochlearum aqoa.

Syrupus: succi depurati lactucæ, portulacæ, acidulæ, endiuiæ, boraginis, singulæ vnciæ duæ: feruefiant parum, ac colentor: his adde succi depurati vncias tres: succi limonum vncias duas: sacchari albi quod sufficit: coque ad syrupi consistentiam: atoma illi affletur drachma saotalorum alborum, & scriptulo caphuræ; refrigerat & humectat. Alius: sueci cucurbitæ, quæ maza obuoluta in clibano cocta fuit, vnciæ sedecim: sacchari albi vnciæ nouem: coque ad syrupi ideam. Syrupus de iuiubis, de lactuea, de nymphæa, boraginis.

Syrupi.

Potio: foliorum lactucæ, nymphææ, singuli pugilli: fiat decoctio cum aqua endiuiæ: Aceipe decocti vncias quatuor: syrupi de iuiubis, oxysacchari, singulas vncias: subtiliorem sanguinem castigat, refrigerat, & vias parat. Hordei decoctum, cum syrupo violato, vel eum iulapio. fructus, vt poma, pyra, passulæ; earo vitulina.

Potio.

Composita quæ in vsu sunt, puriorem sistentia sanguinem.

Syrupus de granatis dulcioribus, & de limonjis, de acredine citriorum, de buglossa: syrupus de pomis simplex, syrupus de endiuia simplex, & compositus. Aquæ vel Decocta acetosæ, pentaphylli, buglossi, scordij. Conseruæ florum cordialium & melissæ, conserua rorismarini, his miscetur semen citriorum, & acetosæ.

Hæc in sanguioeis febtibus suam vtilitatem agnoscunt.

Vsus horum.

CAPVT. XVII.

Pituitam alterantia intra venas contentam, quæ est purior quatuor humorum nutritioni dicatorum pars. Ad febres pituitosas curandum vtilis historia.

Pituitam quandoque alteramus eam, quæ est in venis, & est quarta pars sanguinis alimentaria. Quæ enim est exrementitia, à sanguine separata est, ac aliqua peculiari io parte concepta: de cuius præparatione ante egimus. Sed ab hac, sanguini remixta luxuriante, vocatur sanguis pituitosus: De huius præparatiooe iam agimus; commoditatem maximam in tractandis pituitosis febribus hæc historia præstabit. Alimentariam itaque Pituitam, hoc est, quæ in venis resedit, alterabimus coctrice vi hepatis & ventriculi firmata, ac expeditis vtrisque visceribus ab infarctu succorum: qoin & modestum quędam calorem afflabimus cum hepati, tum ventriculo; ac vrinalibus remediis pituitosum hunc sanguinis succum abstergebimus ab inquinatis ichoribus. his medicaminum impulsibus ad antiquum splendorem, nutritiamque vim reuocari poterit. Hanc operam nobis dabunt remedia quæ sine adstrictione ealent, attenuant, incidunt, & quæ detergent.

Pituita multiplex.

Vsus.

His itaque legibus pituita, quæ à sua natura abiit, ad pristinam eucrasiam reuocati poterit, hoc est, ad suam qoalitatem, & ideam peculiaris suæ consistentiæ. Ita enim à summo Deo comparatum fuit, vt cocta in cotpore humano rapido æstu torrerentur, ni obstaret pituitæ mador ac rigor: quod enim in magno hoc mundi tbeatro est àqua, à qua cuncta recreantur, id in corpore pituita. Attamen vt variæ sunt pituitæ species, ita variè hæc parari debet. Nam si illa salsa fit, parabitor syrupo de cichoreo, com betonicæ syrupo. Si lenta, præpara melle rosato, cum syrupo de betonica & oxymelite, cum decocto menthæ. Ita syrupo de stœchade, cum decocto radicum aperitiuarum, hyssopi, cichorei.

Vtilitas pituitæ alimentariæ.

Quæ pituitam ad exclusionem parat, ineunte eorum vsu non sint validè aperientia, nec vehementet æstuantia: ne materia liquata ac fusa, maiori mole turgescat, ac dolorem inferat: sed puriore corpore in vsum ducantur. Quare quæ remedia ardentiotem vim spirant, viridia decoctis imponantur, oe nimium fiecent. Quod si copia viridium absit, addantur siccis semina frigida, borago, aut passulæ. Sin tenuis pituita in virio fuerit, ac fluxa, vt in catarrhis & arthritide euenir, non attenuanda erit, dum in fluore est, nec quoque multum detergenda. His remediis locus est in omni parte; attamen quæ parti studeot remiseeri debent: vnde ea his maxima remediorum varietas effingi poterit.

Cautio.

A validè fe(r)uentibus abstinendum.

Tenuis pituita.

Accipe syrupi stœchados, byssopi, byzantini vncias tres, cum libra decocti betooicæ & hyssopi. Ita de mentha, calamintha, artemisia, eupatorio, glycyrrhiza, cum absintbino syrupo, & oxymelite. Aqua verbenæ, saxifragiæ, melissæ, calaminthæ, inulæ, saluiæ, maioranæ, satureiæ, hyperici, euphragiæ, mentbæ, fœniculi, petroselini, asparagi, gramiois.

Cautio adsit, vbi multum diuque apozematis vtendum erit. vt tandem eum eorum vsu, pastillos robur afflantes hepati committamus, ne malum in hydropem aut lienis tumorem abeat: quales sunt trochisci de absintbio,

absinthio, qui efficaces sunt; & trochisci de eupatorio, de capparibus, de rosis sine scammonio. Propinantur à scriptulo, ad drachmæ pondus: Vt; trochiscorum de absinthio scriptuli duo: cum melle rosato fiat Bolus, vel pilulæ duæ: & mox superbibat apozema, ita ad remotissimas partes sese traiicient, aperient & roborabunt.

Quæ ventriculi coctionem promouent.

Simplicia. Omnia modicè calfaciant cum quadam astrictione: talia sunt, cuncta quæ cibi fastidium discutiunt, vt absinthium, & eius syrupus. Sed cauendum ne vsu astringentium altius imbibatur materia. Betonica, mentha, chamæpitys, pentaphyllon, ruta, rosa, saluia, origanum, serpillum, pulegium nauseam sedat, satureia quæ & thymbra: semen anisi, fœniculi: maiorana: Aqua ligustici, ad inflationem stomachi præcipuè valet. *Species.* Galanga, lignum aloës, cinnamomum, nux moschata, & cætera aromata: cortices citri: diaspoliticon Galeni, apud Antidotarium Florentinum. aromaticum rosatum, diagalanga, diacyminum.

Pendenta. Syrupus conseruationis corticum citriorum, & conseruationis myrobalanorum. vinum rorisinarini, vinum nobile, mulsum, anethinum vinum, mel rosarum colatum: mel, rosæ, anisum, & crocum vino iniiciuntur. Decocta aromatisentur cinnamomo. Accipe syrupi stœchados, hyssopi, menthæ, de radicibus, singulorum semunciam: aquæ menthæ, betonicæ, apij, melissæ, singularum tres vncias: fiat Iulapium, & aromatisetur drachmis duabus cinnamomi & scriptulo zinziberis.

Electarium. Electarium: specierum aromatici rosati ea descriptione Gabrielis, drachmæ duæ: pulueris diacalaminthis drachma: diatrion piperij scriptuli duo: conseruæ anthos, & rosarum, singulæ vnciæ mediæ: sacchari sescuncia: syrupi de mentha quod sufficit. sumat semunciam ante cibum.

Victus. Cibus paucus, coctu facilis, & qui facilè distribuitur: sit conditus saluia, rosmarino, maiorana. Melicratum in quo coxit hyssopum, origanum, pulegium, thymus, modò non febricitet.

Extra. Emplastri de mastiche, emplastri pro stomacho, singulæ vnciæ: galangæ, coralli rubri, cuiusque drachmæ duæ: cum oleo cydoniorum, fiat ad scuti formam; tempore pastus deponatur. Vnguentum ex oleo macis, cum oleo caryophyllorum; adde mastichen, corallum, mentham, rosas, coriandrum, absinthium: vnum horum.

Quæ Secundam coctionem in hepate roborant:

Mulsa vtilis pituitosis: inimica biliosis. Vt mulsa, quæ hic optimè ad salutem facit: nam pituitosi temperie non ita sunt picrocholi, nec μεγαλοσπλαγχνοι: his enim est inimica mulsa, inquit Hippocrates libro tertio De morbis acutis: nam ab illorum hepate crudior mulsa rapitur; hinc obstructionem parit, ibique flatus ægrè dissipabiles, & æstu incendit viscera, quæ accensa bilem generant à sanguinis secretione segregatam, quæ omni sero sanguinis exhausta est, ac crassiore parte ad intestina detrusa, dysenteriam calamitosam excitat. Duo autem sunt melicrati genera, vnũ ex melle crudo, alterum ex cocto: priore, tormina cit Hippocrates in grauidis. Hodie loco melicrati vtuntur hydrosaccharo, ex libra aquæ coctæ, cum sacchari vnciis tribus. & drachma cinnamomi: traiiciunt per manicam Hippocratis. Conferunt & vina non vetusta, odorifera: saluia, hyssopus, fœniculi semen & anisi: angelica, scolopendria, capillus Veneris, fumaria, eupatorium & eius syrupus, thamariscus, hepatica, pulegium, chamæpitys, citriorum malorum semina, absinthium, satureia, passulæ, serpillum, prassium, betonica. Aqua distillata ex gentiana, & aqua ex recentibus foliis eryngij. *Species.* Cinnamomum, cortices citriorum, calamus aromaticus, diarrhodon abbatis. Bolus: cõseruæ rosatę drachma, theriacæ drachma semissis: nam scripsit Auerrhoës, theriacam prodesse in febribus, vbi adest succorum prauitas. Chinæ radicis decoctum, & guaiaci, & sassafras: syrupus de hyssopo. *Conserua.* Iuscula condiantur caryophyllis, cinnamomo, galanga. Conserua florum cichorei, saluię, capillorum Veneris, stœchados.

Quæ aperiunt Obstructionem ventriculi & hepatis: Detergentia, ῥυπτικά.

Simplicia. Vt agrimonia recens, hyssopum, pulegium, cichorium, eupatorium, pentaphyllon, pimpinella, saxifraga, chamęmelum, asparagus, lupulus, ruscus, fumaria, tamariscus, trichomanes, adianthum, dictamnus Creticus, stœchas, calamintha, mercurialis cum cicerum decocto: apium, sed epilepticis inimicum, & fœtui & lactanti: intybi omne genus, absinthium, aristolochia, centaurium, fœniculum, betonica; prassium.

Radices ireos, rubiæ, asari, cyperi, eringii, valerianæ, pæoniæ, dauci, capparum, quinque radices aperientes; Semina anisi, sileris montani, hyperici, libystici, dauci. graminis radices, capparorum vsus.

Potio. Potio: syrupi de betonica, oxymellis simplicis, singulæ drachmæ sex: decocti betonicæ, & petroselini vnciæ quatuor. Ita si febris notha adsit tertiana, miscemus agrimoniam, cichoreum, quinquefolij radices.

Cichoreum. Et lubentiùs vtemur Syrupo cichorei quàm de andiuia, aut de soncho syrupo; nam scripsit Galenus cichoreũ refrigerara sine noxa ventriculi, qui languet vbi pituita molesta est. *Syrupi.* Syrupus aceratus; diarrhodon Mesuæ, in Antidotario Florentino: syrupus capillorum, syrupus de Byzantiis, & syrupus acetosus simplex & compositus, & de radicibus; syrupus de duabus & quinque radicibus: oxysaccharum, oxymel compositum & scylliticum: hydromel, quia his est oureticum.

Oxymel. Galenus octauo Methodi, maximè laudat oxymel; sed in febribus accipiat magnam aquæ copiam. Nam oxymel neque calfacit neque refrigerat, aperit, deterget, & non accendit febres. Galeno laudatum in omnibus putridis, adeò vt nec continuas exceperit. Dũ enim doceret vacuato corpore delendas obstructiones, inhibendamque putredinem, examinat cuncta quæ per febres id possunt: In alimentis quidem, vbi refrigerandum, ptisanam laudat, & in frigidis mulsam: & 8. Methodi in medicamentis oxymel censet: Oxymel, inquit, solum nec febres incendit, & strenuè deterget, & aperit: Et libro 11. cunctis ætatibus vtilę asserit: Et ait, aceti accisione parari vt nec tusses eacitet, nec neruosa lædat. In febribus præscribitur non refrigerandi gratia, sed ad tollendas obstructiones, detergenda glutinosa, crassa attenuanda, & putredinem debellandam. de hoc etiam diximus libro primo, vbi de Apozematibus.

Obseruatio. Spleni aperientes syrupi conueniunt, minos astringentes: at Hepati minùs aperientes, at magis stringentes. Qui tenues calidi syrupi, acetum accipiunt, Lieni potiùs dicandi, quàm hepati.

Trochisci. Trochisci de eupatorio, rhabarbaro, absinthio. Pilulę, Trochiscorum de absinthio, drachma: succi apij quod sufficit; fiant pilulæ decem: sumat manè, ac superbibat vini vncias duas, cum aqua graminis & cassuthæ.

Apozema. Apozema: hyssopi manipuli quatuor: saluiæ, rorismarini, singuli manipuli: coque ex hydromelite, ad tertiæ partis consumptionem; vtatur pro potu, ad dies quadraginta. Aliud: capillorum Veneris, ceterachi, radicum fœniculi, & asparagi, singuli pugilli: fiat decoctio: huius accipe vncias quatuor: syrupi de mentha, vel cichorei, si febricitet, syrupi de duabus radicibus, singolas semuncias.

Aliud: Syrupi Byzantini (validè aperit, attenuat, incidit) syrupi de radicibus, singulæ vnciæ duæ: decocti artemisiæ, radicum asparagi, fœniculi, corticum capparorum, vnciæ iiij.

Cautio. Cautio: Incunte morbo præscribemus ea quæ moderatiùs aperiunt: alioqui ea hauriuntur tenues partes, ac reliquæ lapidescunt in inuictum ferè malum. *Series.* Quare primò vtemur tenuantibus, abstergentibus, aperientibus; hac serie, primò melle rosato; deinde syrupo de

duabus

duabus radicibus, acetato; hioc syrupo adiantbi, endiuiæ composito, Byzaotino. Vitentur pisces, legumina, porcinæ carnes, & satietates. iusculis radices & herbæ iocoquantur.

Hydropis metus. Notandum quod scripsit Auerrhoës septimo Collectaneorum, se vidisse aliquos, qui ex immodico vsu syrupi acetosi simplicis, incutrêre in hydropem: Id fit, qoòd syrupus ille attenuet crassam pituitā, ac in aqueū madorem eam effundat. Trochiscorum toborantuum vsu, hic metus declinatut.

Quæ calfaciunt iecur moderatè.

Calidis tenuantibus modestè vtendum, ne sese in madorem laxet fusa pituita.

Victus ratio. Vt aër calidus & siccus, montanæ aues; condiantur cibi caryophyllis, cinnamomo, pipere, hyssopo, thymo; vioum tenue, & non dulce: vinum herbis medicatū. Succus carnis moderatæ, ouorum vitelli, passulæ, amygdala, strobili, id est, nucleipinei, pistacia, porrum. *Febris.* Si febris adsit, ea ineunte, tenui victu vtatur dies octo, in iure pulli cum pauco pane (si vitium non in alimentali consederit pituita) binc pleniùs; quia perennant hæ febres. Carnes fugiendæ agninæ & vitulinæ; nam fœtæ *Vitulina caro.* sunt in pituitam: Quare Oribasius ad Eunapium, earum vsum etiam in valetudinariis improbat. vitulinæ lumbricis fatigatis pueris inimicæ sunt: nam & ipsi vituli ex lumbricis laborant; indicio, pituitescere hanc carnem ex facili.

Obseruandum, quòd vbi extra naturæ lineam abiit pituita alimentalis, nunquam tenui victu in principio vtendum erit Dicet quis, malè igitur Celsus, qui triduanam inediam præscribit in cottidiana febre. Respódemus, eum loqui de ea, quæ fit ab ingluuie. Varianda itaque victus ratio, vt pituita fuerit calidior, algidior, benignior, vel prauior, pepasmi expers, vel compos.

Oleum. Oleum laudat Auerrhoës, idque ad temperiem nutare scribit, adeò vt pinguius reddat hepar; einsque substantiam incrementis quibusdam ab eo augescere prodidir, nobis incomperta ac abdita vi: & affirmat in sua regione homines solete carnes oleo iocoquere: Quod Galenus etiam prodidit, vbi de simplicibus, coquos solere carnes oleo incoquere, vt suauiores redderentur. At nónne Galenus de attenuante victu, dicit, oleum non attenuare? dicimus, ab Arabibus commendari, oon quòd incidat, sed quòd hepati studeat. Vel oleum miatum cum aceto conuenit.

Saluia, ireos radix, absinrbium, mentha & eius syrupus, betonica, hyssopus, thymus, cortex citrij, prassium, calendula, menthastrum, pulegium, calamintha & eius syrupus, melissa, nepita, ocimum caryophyllatum. Glycyrrhiza, anisum, fœniculum, enula, angelicæ radix, cinnamonium, aristolochia. Mel rosatum, oxymel vel acetum mulsum, decoctum guaiaci cum oxymelite, hydromel cum byssopo & tbymo: syrupus de eupatorio, & de prassio. mel mercurialatum, quod eodem modo fit vt rosatum, infusis foliis mercurialis: syrupus de hyssopo, de stœchade. Decoctum fœniculi, stœchados, hyssopi, saluiæ, petroselini. & hoc decoctum: Accipe ligni guaiaci raspari ℥ ij. corticum einsdem ℥ ß. salsæ & chinæ radicum ana ʒ vi. macerentur in aquæ lib. iiij. & coquantur ad dimidium: colaturæ adde seminis cichorei & endiuiæ ana ʒ j. ß. fiat emulsio. Si febris adsit, aqua saccharata, ex saccharo rubro.

Electarium diasurfurum, dianthos cum musco, pleres cum musco, diatrion piperion, aromaticum rosatum, diaprassium, diacostum, diacalamintha, diaïreos, diacuminum, diahyssopum, diarrhodon Nilei, diacastorium, diacaryon, diagalanga, diagaryophyllatum, dianisum, diamarathrum, diazinziber. tabulis informata hæc dantur, ad semunciam, vel ad tres drachmas.

Cautio. In febribus, vbi corpus non assneuit frigidæ, ventriculo debili, aëre frigido sint potus actu calidi: nam vbi pituita molesta est, stomachus languet. Plura, vbi de humoris melancholici præparatione, cùm sanguini mixtus fuerit.

Quæ diuretica:

Vt Mulsa, io qua nonnihil saluiæ vel cinnamomi coctum sit: est enim Melicratum ἱμανεῖν, inquit Hippocrates, vbi nec sunt picrocholi homines, nec μεγαλόσπλαγχνοι. *Mulsa.* *Simplicia.* Amomum, vel eios loco tibes nigra, adiantum, centautium, pulegium, ceteracbum, asparagi & radices, capillus Veneris, rapbanus, & decoctum foliorum raphani, glycytthiza, semina ad flatus, carduus benedictus, cbamædrys. Et ea quæ descripsit Galenus libello De victu attenuante. Fœniculi semen & radices, anisi semen, ciceres, lupini, radix pæoniæ, graminis, rusci, asari, quinque tadices aperientes, semen sileris momani, dauci, ameos, rubia tinctorum.

Potulenta. Lixiuium ex cineribus iuniperi & vioo ad vncias quatuot: validè vrinam mouet, adeo vt & bydropicos sanet. vioum absinthites. Syrupus acetosus simplex, & compositus; oxymel compositum & diureticum, scylliticum, & simplex.

Veteres, herbas omnes calidas in hydromelite coquebant: nam acuit earum vim: & melli plurima commoda ascripsere, adeò vt decimam partem immortalitatis melli tribuerint. Sed in hydromele obseruandum, quoddam fermentatione fieri vinosum, quod fugiendum vbi caput dolet: nam id, non aliter ac vinum, plethoricis causis auget. Hoc sciuere etiam veteres: nam Paulus ab Ægina 3. libro 6. ita scribit, Hydromelum quod à Cebyra adfertur vinosum in paruis vasis, reprobandum est in Phrenitide, vt quod peiora detrimenta quàm vinum in talibus inducat, & præsertim in capitis affectibus, & ante coctiooem, decoctio cicerum & alkekengi. Potio: Oxymellis scyllitici, syrupi de duabus radicibus, singulæ sescunciæ: decocti radicum petroselini, & saxifragiæ libra. Alia: Foliorum absinthij, cassuthæ, florum sambuci, singuli semimaoipuli: radicum asari, liquiritiæ drachmæ duæ: infunde vino, sumat duabus horis ab hausto puluere diuretico. Theriaca, mithridatium, triphera magna sine opio, aurea Alexandrina, conserua anthos, eryngij, saluiæ, inulæ, ireos; cypboïdes; cortices citriorum conditi, zinziber.

In febribus cottidianis. Syrupus cottidianis febribus vtilis: radicum fœniculi, petroselini, apij, brusci, asparagi, singulæ vnciæ: hyssopi vnciæ duæ: capillorum Veneris semilibra: menthæ, absinthij, cichorei, scolopendriæ, lactucæ, singulæ vnciæ duæ: seminum frigidorum maiorum, seminum violarum, brusci, asparagi, eodiuiæ & scariolæ, cuiusque vncia: laccæ, spicæ, schœnanthi, cuiusque drachmæ duæ: cum aqua, saccharo, & melle rosato fiat syrupus.

Obseruatio. Initio vtatur syrupo acetoso simplici, & de Byzantiis, deinde acetoso cum radicibus, & oxymelle composito. Serosis rebus delectantur renes, ac illas facilè in sese rapiunt: vt vterus dulcibus afficitur.

Series remediorum. Obseruandum in febribus mixtis à pituita & bile, quòd quò prolixius vtendum fuerit Diureticis, hoc magis pituita dicata remedia in vsum vocabimus. Quare ineunte eorum vsu, vtemur seminibus frigidis maioribus; at vltimò radicibus asparagi & petroselini; pedetentim tamen accessione facta: Nam primò accipiemus vnciam seminum melonum; & seminis fœniculi scriptulum: hinc adiiciemus semidrachmam fœniculi, dum in drachmam euaserit accessio; tedeunte interim meloonum semine in semidrachmam. His addemus aquæ hordei, aut decocti capillorum Veneris cum ceteracho vncias octo, vel decem. *Foris.* Fomentatio pubis & perinæi cum decocto parietariæ, radicum asari, & petroselini, in vino.

Cataplasma ex parietaria cocta cum vini parte, addito oleo scorpionum, pubi perinæoque admotum. Vnguentum Agrippæ, cum oleo scorpionum, pubis regioni illitum.

Fiant

Obseruatio. Hydromeliti olida incoqui debent.

Fiant apozemata ea hydromelite; etenim robur feruentium medicaminum purius ac validius in hydromel quàm in aquam transfertur: mitescit enim vis calidarum herbarum affusa aqua. Veteres tusas siccas herbas dabant ea hydromelite. Si acorem petat æger, macerentur radices coquendæ hotis sex in aceto acerrimo.

Quomodo offerenda.

Aromatizentur Apozemata semidrachma zinziberis, vel duabus vnciis aquæ cinnamomi distillatæ.

Si viribus integris translatione medicatarum vitium in distantissima loca opus fuerit, hæc temedia cocta aut trita in iusculo guaiaci, & cum magna liquoris copia offerantur. De Diureticis obseruationem vide, vbi De bile.

Cautio. A validis abstinendum.

A validè aperientibus abstinendum in ingrauidata fœmina, quæ, cùm expedita à fœtu fuerit, leniùs illa feret. Et semper à moderatioribus auspicanda erit curatio: quæ enim valentiora, ineunte morbo ac cruditatis cùm plena sunt omnia, præscribuntur, absorbent partes tenues, ac crassas relinquunt, fitque insanabile quod primùm curabile fuerat. Igitur quinque vel sex diebus, mitioribus paretur succus, & excludatur.

Composita quæ sunt in vsu alterantia pituitam, intra, vel extra venas.

Crassam pituitam alterantes Syrupi:

Syrupus de eupatorio, de stœchade compositus: de calamintha, de iua, oxymel compositum & scylliticum: syrupus Byzantinus cum aceto compositus, syrupus de betonica: syrupus acetosus, de duabus & de quinque radicibus, hi cum quadam apertione calfaciunt. Obseruatio: Syrupi qui acetum habent, maximè calidi & attenuantes, spleni aptiores sunt quàm hepati.

Aqua & decocta.

Decoctum fœniculi, rutæ, eupatorij, iuæ, verbenæ, chelidonij, apij, satureiæ, petroselini. Decoctum: quinque radicum aperitiuarum, temperatarum in aceto, singulæ semunciæ: origani, calaminthæ, hyssopi, betunicæ, chamædryos, singuli semimanipuli: anisi, fœniculi, cuiusque drachma: passularum semuncia: stœchados vtriusque pugillus; fiat coctio ex hydromelite, in fine adde mel & acetum, & iterum ebulliat.

Obseruatio. Series remediorum.

Si febris fatigarit, ea ineunte, vtatur melle rosato, cum decocto capillorum Veneris & buglossi: & septimo die à præparatione vacua. Deinde veniat ad vsum oxymelitis simplicis & syrupi de duabus radicibus: cum decocto fœniculi, endiuiæ, buglossi; & à tertio die vacuetur. Tertiò, cùm aliquot dies pax à remediis fuerit, dabimus syrupum Byzantinum, de radicibus, & adianthi: cum decocto fœniculi, absinthij, buglossi. Si alimentaria pituita crimen habuerit, miti medicamine vtendum erit; mellis rosati, syrupi acetosi simplicis, singulæ vnciæ: decocti cicerum, liquiritiæ, apij, ceterachi, vnciæ quatuor. aperit, incidit, attenuat, calfacit modestè; id efflagitat pituita naturalis; imò pulli decocto potiùs includi debent alterantia remedia.

Tenuem pituitam alterantes Syrupi.

Syrupi.

Syrupus de betonica, liquiritia, artemisia, de pomis compositus, de stœchade simplex, de hyssopo, prassio, mentha, absinthio: syrupus de cichoreo sine rhabarbaro compositus, syrupus acetosus compositus, mel rosatum, mel violatum: oxymel simplex. hæc leuem astrictionem habent & abstersionem.

Potulenta.

Aquæ & Decocta, betonicæ, saluiæ, hyssopi, capillorum Veneris, prassij, menthæ, euphragiæ, scabiosæ, polytrichi, absinthij, eupatorij, maioranæ, rorismarini, melissæ, fœniculi.

Iulapium: serapij de stœchade, de hyssopo, & mentha, quantum placet: aquarum menthæ, betonicæ, melissæ, duplum: aroma infundatur à cinnamomi drachmis duabus.

Obseruatio.

Si res cum peculiari parte fuerit, quæ illi student in qua latet materia morbifica, copiosiùs affundantur.

Conservæ.

Conserua & species.

Acori, stœchados, rorismarini, enulæ campanæ, cortea citrij condita, zinzibet conditum, eryngij radices conditæ.

Electaria.

Diamoscum dulce, pleres archôn, pleres cum musco, electarium de gemmis, diagalanga, diairis Salomonis, & simplex: aromaticum rosatum Gabrielis, diambra, diatrion piperion, diamoscum. Mithridatium, theriaca, aurea Aleaandrina, trifera magna sine opio. Dosis eorum est à drachmæ pondere ad semunciæ molem, cum aqua scabiosæ.

CAPUT XVIII.

Bilem alterantia intra venas contentam: quæ est purior quatuor succorum nutritioni dicatorum pars. Commoda res biliosis Febribus.

Bilis varia.

Bilem quandoque alteramus eam quæ est in venis, quam alimentariam vocamus, quæ longè alia est ab ea bile quam excrementitiam dicimus. hæc cùm luxuriat in sanguine, biliosum sanguinem tum esse affirmant medici. Id cùm fit, extra naturæ lineam sanguis abit; ac ad pristinam temperiem & moderationem reuocandum esse, domita bile, ac eius ferocia accisa, Natura clamat.

Quo modo.

Hoc fiet, Primò, temperando rapido æstu incandescentem sanguinem biliosum. Secundò, si facilem teddiderimus euentationem arteriarum: Tertiò, hepatis παρέγχυμα, id est, affusionem carneam, modestè incrassando: Quartò, venarum tensionem laxando. Quintò & postremò, spiritus naturales fouendo.

Aqua frigida antiquorum.

Antiqui maximo studio captabant Aquam frigidam, quâ, æstu incandescentem bilem, sub rapido Caniculæ igne exstinguerent: quare ex niuibus eam refrigerabant. Athenæus refert id ex Alexi, tertio Dipnosoph. ita & Galenus sexto Epidemion sectione quarta, narrat Alexandriæ Ægypti solemne fuisse, vt Sole tepentem aquam, vasis figulinis iniectam, in fenestris ad ventorum incursus exponerent, vt tota nocte frigus biberet; dein ante ortum Solis humi positam, foliis lactucæ & pampinis iniectis frigidam tuebantur. Plutarchus sexto Sympοsiacon, cotibus & silicibus aquæ iniectis id fieri prodidit. sed nobilissima fuit decocta Neronis; is enim vt niuis voluptate sine niuis iniuria frueretur, aquam feruentē vitro demissam in niues, refrigerari curabat: hoc voluit Galenus septimo Methodi, vbi δεκόκτην Romanis vsitatam affirmat. Iam innoxiè crudior aqua hauritur ac iucundè, affuso iulapo rosato Alexandrino.

Cautio. De aqua.

Sed in Aquæ exhibitione (quæ plerumque biliosis expetitur) Cautiones obseruandæ ex Hippocratis sententia, qui tertio De morbis acutis scripsit: Πλημμυρίδα ποιέει μάλιστα, οὐ δὲ δίψαν παύει, ἀλλ' ἐπιπολάζει. χολῶδες γὰρ φύσει χολώδει, καὶ ὑποχονδρίῳ κακόν· καὶ πολλῷ αὐξοντικόν, καὶ ὕπατος ἐστι βραδύπορον γὰρ διὰ τὸ ὑπόψυχρον, καὶ ἄπεπτον, καὶ οὔτε διαχωρητικὸν, οὔτε διουρητικὸν καὶ ἄκοπρόν ἐστι. hoc est: *Madoris abundantiam quandam inducit; quòd bilem quasi pituitescere faciat. neque sitim sedat, quòd non sit meabilis aqua, sed vehiculo opus habet aceto: sed amarescit, & cunctando putrescit: est enim biliosa homini bilioso, nam degenerat in bilem: & hypochondriis molesta: lienem auget & iecur, vbi phlegmone obsidentur, vt qui in causo aquam hauriunt plena manu, his, à liene æstuante attracta, in epiploum deponitur: atque aluum stagnantem reddit: nec vrinas promouet; est enim pigra in meando, nam est frigida & coctionis expers: ad hæc mala istud etiam accedit, quòd sit stercoris expers.* Hæc mala si absint, detur aqua frigida; nam materiam vacuat, calorem exstinguit, & corpus humectat. Detur magna copia: nam, inquit Auerrhoës, præstat morbum reddi longiorem, quàm ægrū iugulari.

Modus vtendi.

Modus vtendi sit, vt primò propinetur tepida, hinc frigida, vel primùm hauriat cyathum olei rosati, vt

muniantur ventriculi parietes:ita antiquus medicus docuit Philumenus: non tamen crudam dabant antiqui sed coctam cum pauco melle. Sed vt commodè detur, collimare debemus ad res præter naturam,nempe morbū,causam morbi, & ad symptomata. Si materia morbifica fuerit crassa & frigida, ab eius vsu supersedebimus: Sin calida ac tenuis materia fuerit, hanc propinabimus. Sit morbus calidus & siccus. Res naturales quoque exploranda, vt consuetudo, habitus cacnosus, iuuenis.

Quando danda. Eo tempore cum signa coctionis apparent in vrina, & pulsus robustus fuerit.

Iam tradendum quibus medelis ad naturam redire possit Bilis nutritia:si enim extra venas maiores aliquā in partem transfusa alteranda fuerit,id docuimus vbi de variis partibus ab illa obsessis.

Quæ calorem temperant.

Vt lupulus,aqua graminis,rosa & eius syrupus,& iulep Alexandrinum,quod libro primo descripsimus:acetosa cum radicibus,viola,cichoreū,dens leonis,sonchus, buglossum quod moderato madore perfusū est, borago, endiuia, lactuca, tussilago, capillus Veneris, asparagi, graminis radices aceto maceratæ. Iuscula alterata herbis. Semen papaueris albi,cucurbitæ, citrulli, lactucæ, santala,tamarindi,passulæ,iuiubæ,vua spina,cerasa Decoctum acetosæ,cichorei,lactucæ,quinquefolij radicis, vbi crassior bilis,cū syrupo acetoso simplici,& violaro.

Syrupus nymphææ,aqua citriorum malorum; syrupus de endiuiæ succo,& de endiuia compositus. Syrupi acidi,limonum,aranciorum,citriorum acidorum;nam sitim exstinguit; syrupus acetosus simplex, oxysacchar: emulsio quatuor feminum frigidorum cum syrupis. Syrupus lactucæ & nymphææ vbi acrior est materia. ac vbi feruor febrilis incandescit, vt vigiliæ eedant. syrupus de succo acidulæ, & cucurbitæ. Syrupus capillorū Veneris,de agresta,de berberis,cydoniorum, de ribes, portulacæ,iuiubinus.Cum aqua cichorei, endiuiæ, lactucæ,plantaginis,acetosæ,limonum,portulacæ, nymphææ,rosarum,scolopendrij,capillorum Veneris,cucurbitæ,cucumeris,fumariæ,cum syrupo de epithymo, vbi vredo adest.

Cautio. Quæ huius bilis ferociam domant, non sint purè refrigerantia,sed vnà naturæ studeant;est enim Bilis alimentalis quæ naturæ grauis est:vt syrupi cichoracei,de succo acetosæ, rosarum, de capillis Veneris: sumantur cum iure pulli alterato cum aceto & cichoraceis.

Succus de ribes coctus cum aqua hordei, serum lactis cum cichoraceis,ptisana, aqua hordei, syrupus de rosis siccis,cum aqua datur in Cholera. Syrupus de cichoreo cum rhabarbaro:aqua anguriæ humectat & abstergit:aqua cassithæ.

Potio. Potio: Syrupi de succo acetosæ,syrupi acetosi simplicis,syrupi de succo cichorei,singulæ semunciæ:decocti endiuiæ,acetosæ,hordei,vnciæ quatuor.

Decoctio herbarum fieri solet ex aqua ad tertias.Sed decoctio in duplici vase magis probatur: nam ita vis herbarum minimè euanescit. Vt: Foliorum endiuiæ, acetosæ, boraginis, singuli semimanipuli; aquæ libræ duæ:coque per sex horas: accipe liquoris vncias quatuor: syrupi de succo acetosæ, rosati recentis,singulas drachmas sex:misce. Accipe syrupi endiuiæ,capillorum veneris, cuiusque sescunciam, oxysacchari compositi semunciam; aquæ lactucæ,buglossæ,endiuiæ, acetosæ, cuiusque vncias tres: fiat iolabium.

Obseruatio de infusis. Nobilior tamen est Infusio, maximè vbi putret ab obstructione succus; validius enim peruadit quàm decocta & aquæ. Est autem infusio duplex; Vna, cùm medicamina funduntur in aquam feruentem ilicoque obturatum vas imponitur cineribus vel furfuribus, vt perpetuo calore fruatur: cùm aqua vim medicatam bibit, exprimitur; Vt,Foliorum endiuiæ,acetosæ,buglossi,singuli pugilli:aquæ hordei,quod sufficit;fiat infusio: & facta diligenti expressione bibat vncias quatuor,cum binis vnciis syruporum. Altera,cū infundimus in aquā non feruentē,& tota nocte macerantur; hæc,non æque ac prima vim rerum iniectarum elicit.Ita Galenus vetetur vti petroselino in tertiana: primo ad Glauconem. Accipe stillatitij liquoris endiuiæ & rosarum, libram: sacchari albi vncias quatuor: coquantur in Iulepum: *Iulep.* misce aquæ coctæ duplum.

Dubium. Sed dicet quis,maturatio fit à calore, cur igitur præscribis res frigidas: Respondeo, non ad coquendum sed præparandum:ita in causo damus syrupum nymphææ, & papaueris; at tandem parata materia calorem fouemus syrupo de boragine,capillorum Veneris, &c. Obseruandum: Galenum octauo Methodi laudare ad hanc rem oxymel: Auicennam laudasse syrupum acetosum, quòd saccharum non æquè feruet ac mel: quare,vbi corpora fuerint calidiora,hoc vtemur syrupo.Postea miscemus præparantibus maturantia, dum manifesta signa coctionis edantur. Conserua rosarum, violarum, nymphææ,capillorum Veneris,corticum citriorum,buglossæ,boraginis,acetosæ,florū papaueris rhœados. Electarium trium santalorum,rosata nouella,de gemmis, diamargariton frigidum,diarragacanthum frigidum, diarrhodon,diacydonium.

Quæ facilem euentationem præbent à corde, arteriis,& pulmonibus,vt calor & spiritus vitalis recreentur.

Vt rosa pallida;eius enim tenuis est substantia,& maximè rosa moschata,viola;nam alas pulmonum expendit omnes:melissa,flores buglossi, boraginis, acetositas citrij,lupulus,glycyrrhiza,passulæ,cucurbita, semen citrij,& acetosæ,& frigida semina,poma odorata.

Syrupi. Syrupus ex foliis melissæ,syrupus acidi citriorum,de iuiubis,de violis,de sebesten, de duabus & quinque radicibus,de cucurbitæ succo: acetosus compositus aperit hepar & lienem, ac crassam pituitam extergit:ptisana, aqua infusionis seminis psyllij cum iulepo violaceo: saccharum penidiatum.Ouum in equalem succum quassatione versum,lacti feruenti mixtū,cū pauco saccharo.

Aer frigidus. Aer sit moderatus, in madorem & frigus vergens. Irroretur pauimentum aqua frigida,cum pauco aceto & aqua rosata,insternatur pampinis,foliis arundinum, salicis, nenupharis, cucurbitæ, cucumeris. Parietibus appendantur lintea aceto,aut aqua egelida madentia. Vt hoc semel dicam, Aer frigus ducit nouem mo- *Aëris modi frigus.* dis: Primo copia ac frequentia eius; nam Aristoteles libro De respiratione scripsit, eos qui in pauco aëre respirant, suffocari; nam ilicò ille calescit, vt postea non refrigeret: quare vbi magna hominum turba calidum aërem exspirat, ibi asthmatici viuere nequeunt. Secundò,bibit frigus aër ex flabello, quia nouus aër ad corpus appellit; hinc Aristoteles octauo Problematum scripsit, eos qui currunt magis rigere iis qui stant. Tertiò,ex apposita niue & aqua circa lectum.olim Saraceni oblinebant ædes & parietes luto, & papyro,quæ est innens in Ægypto frequens. Quartò,parietes frondes salicum obducuntur, vel linteis aceto & aquæ rosatæ intinctis. Quintò, irroratione areæ: hine fontes in cubili parantur, dicti Silani à Celso,3,18.& à Lucretio,libro sexto,in fine:

Corpora silanos ad aquarum strata iacebant.

Sextò,ex Auicenna,si lecti fiant super foueam aquarum. Septimò,vt fiant lecti ex pilis camelorum,vt fit in Arabia:hic,ex linteis substrato corio.Octauò,vt lectus conspergatur herbis:Nonò,vt propter lectum fragrantes fructus ponantur.

Notandum. Vbi scriptores in febribus putridis aërem his cōmodū præscribunt,omnes vno ore affirmant purū eum esse debere,vt & Galenus secundo Methodi,cum frigidum & humidū exigit, quod repetit decimo Methodi. Dico iure ita decretū esse,attamen cùm Dogmaticen profiteatur, existimo remedia ex natura causarum morbifica- *Obseruandum de aere.* rum proficisci debere. Quare Obseruatione dignum; aërem

aërem in his febribus indicari duobus modis: Primo, quo propria vi ad robur corporis refertur. Secundo, quo propria ratione respicit res contra naturam. Primo modo semper indicatur à viribus, vt eas seruet ac stabiliat. Vires habitant in spiritibus solidis. Spiritus seruantur spiratione; hinc aër purus esse debet qui vires conseruabit, & moderatus hic sit aër. At secundò, indicatur aër à rebus præter naturam, vt à materia morbifica: hæc aut putruit vel putrefcere potuit. Si putruit materia, illi opus erit aëre sicco & frigido: vt in pestilentibus; nam cum putredo adest, sese sociat madot. Propterea Hippocrates in magna illa Atheniensium peste, ligna odorata ac corollas magnis passim accensis ignibus iniici curabat: nam imitabatur Acronem Agrigentinum, qui, vt refert Diogenes Laërtius, Empedoclis physici auctoritate commēdatus fuit, primus sectæ Empiricæ auctor. Ita arte correcto aëre, Empedoclem refert Laërtius, Agrigentum à peste conseruasse, factis vtribus ex coriis asinorum, bisque ventis expositis; vnde illum vocarunt κωλυσανέμας: Quanquam Plutarchus libro De curiositate asserat, illum fissuras montium obstruxisse, vnde venti in vrbem spirabant. Si non fuerit putrida materia corpore concepta, varius aër vtilis erit, vt varius fuerit succus morbificus, biliosus, pituitosus, aut melancholicus. *Cautio.* Cautio tamen adsit, ne res frigidæ adstrictionem aëri inferat: nam decimo Methodi iubet Galenus, vt etiam ardenti febri correpta corpora tegerentur, ne ita obuia essent frigido aëri vt adstringerentur: nam semper aliquo modo tegi poterunt corpora; nec id febris impedit quæ frigus flagitat, quin adstrictionis metus vitari debeat.

Quæ iecoris carnem tenuem modestè incrassant, & acrimoniam bilis retundunt.

Vt ptisana tota, quæ fit ex hordei excorticati parte vna, & viginti partibus aquæ; coquuntur dum puls fiat. porcorum pedes, & capita: cydonia mala; pyra; passulæ cum acinis, & pruna: berberis, ribes: mala Punica, citria, arancia: pisces saxatiles.

Simplicia. Buglossum, borago, portulaca, & eius asparagi in acetarium coctì: lactuca, nymphæa, viola, rosa, sonchus, codiuia, folia & semen acetosæ: plantaginis radix, vel eius liquor, febres abigit: cyanus cum floribus suis, hypericum. Far, zea, amylum, semen portulacæ; tamarindi, hoc est, dactyli Indici. Aqua tenerrimorum foliorum quercus distillata, cum aqua succi limonum, aqua distillata lentis aquaticæ. Aqua portulacæ, plantaginis, rosarum, solatri: aqua cocta cum aceto: nam acetum corrigit vitium aquæ, & auctor est vt frigus aquæ magis peruadat; &, vt scripsit Hippocrates, pituitescit ab aceto bilis. Modestè tamen eo vtendum, ne neruì lædantur.

Syrupi & species. Syrupus nymphææ, conserua rosarum, syrupus papaueris mirum in modum tuentem bilem sistit: oxysaccharum simplex & compositum, syrupus de rosis siccis, syrupus myrtinus & cydoniorum: syrupus de granatis, de omphacio vomitum compescit. Diacodium sine speciebus, diamargariton frigidum: diarrhodon abbatis, diatragacanthum, trium santalorum species, omphacium, syrupus acetosus simplex, oxalidis succus, syrupus acetosæ, oxyacanthæ succus in turgida bile: syrupus de portulaca, cum pauco oleo vitrioli.

Accipe decocti herbarum frigidarum libram; sacchari albi selibram; vini granatorum sescunciam: vel aceti semunciam: santalorum alborum scriptulos duos.

Obseruatio. Apozematum libra aromatisetur cum drachma santalorum. Si ventriculus firmior fuerit, & aër calidus, vtatur actu frigidis, metu marasmi.

Quæ venarum tensionem laxant.

Aqua cucurbitæ præstantissima est aduersus febres ardentes. recens cucurbita recenti pasta vestitur: calente clibano cum pane assatur; aperitur, & aqua intus natans colligitur. vel tota cucurbita frustulatim secatur, fictili ouo includitur, coquitur, & ex primitur: saccharum additur.

Liquor cochlearum, testudinu m, nenupharis, tussilaginis, buglossi: malua: althæa, & ex eius muccagine cum saccharo cocta trochisci: borago, lactuca rubra illa & pinguis; coque folia lactucæ & codiuiæ cum acetosa & pauco cichoreo, cum butyro & momento aceti. radices buglossi, semen althææ. Cerebrum suis commendat Galenus ad Glauconem philosophum scribens; & Auicenna hœdi cerebrum laudat: Montanus existimat Galeni textum vitium habere: sed profectò cerebrum suis, suo madore bilis ferociam frenare potent.

Pulticula. Iuscula pulli alterata foliis lactucæ, & acetosæ; ptisana cum oui vitello: panatella, serum lactis, lac asinarum, ius galli iunioris, ptisana & cibus liquidus & forbilis: aqua hordei, cereuisia tenuis: humidior cibus feruorem mitigat. Passulæ, iuiubæ, fructus autumnales maturi, non mangonio sed natura. Gloriatur Trallianus sese domuisse fructuum pomaceorum vsu ferocissimas tertianas febres.

Fructuum coctio. Obseruatione dignum, veteres (vt elucet ex Tralliano) aliter quàm nos fructus coxisse: Persica inquit (vbi de Tertiana agit febre) in vaporem suspensa, & ab eo solo cocta, velutique condita: Galenus, vbi recenset scripta Apollonij ad dolorem capitis, scribit fructus debere coqui ad vaporem. Hæc Coctio ita peragebatur: aram & aquæ semiplenam ollam accipiebant; illi craterem pro operculo imponebant, cui fructus pomaceos committebant, ac blandè coquebant. Scripsit Diuus Hieronymus epistola octogesima tertia, consueuisse coquos etiam phasianos hoc modo suauissimè coquere & parare gulæ. Nos diuisa poma patinæ imponimus, mox aliam superaddimus pro tegmine; ac ollæ plenæ aquâ bulliente imponimus. ita blandè coquitur fructus. Melones vehementer commendat Trallianus, & cauliculos lactucarum, cucurbitas, & cucumeres.

Syrupi. Syrupus violarum, nenupharis, de iuiubis, de liquiritia, capillorum Veneris, boraginis, syrupus de pomis. Ouum concussum lacti feruenti, ac ab igne remoto inditum.

Quies adsit & tranquillitas; nam scripsit Hippocrates, calidis naturis deberi ocium & aquæ potum. Somnus protractior.

Quæ spiritus in hepate naturales temperie quadam nutriunt.

Nàm est bilis alimentalis quæ vitium contraxit, non autem excrementitia: quare pleniùs semper alendi sunt ægri huius calamitate qui pressi iacent: Quare & vinum concedendum.

Saccharum veterum. Saccharum: id in eo notandum, quod sitiferum sit, quamuis soboles sit eiusdem arundinis, ex qua Greci sacchar suum hausere: & terrestre; ex arundinibus longa tritura & coctione paratum: Ast Græcorum istud est, quod arundines vltrò exsudant, seu succulentà pinguedo, quam fractæ arundines fundunt, ilicoque concrescens in pellucidum succum; tale fere crystallinum candum saccharum nostrum est. Dulciarij panes, vt marsici, poma suauia, passulæ, nuclei pinei.

Lac humanum & capillum, vinum aquosum. ptisanæ cremor, hydromel, ius pulli cum acetosa, endiuia, & aceto. Pisces saxatiles & squamosi, panis triticeus recens; carnes temperatæ, alæ auium. Veneris abstinentia. Conseruæ florum cordialium. De his vberiùs, initio huius, vbi De alterantibus hepar.

Quæ domane eius ferociam, & vritas vnà mouent.

Salsa, acria, dulcia, omnia vitentur. Succus baccarum crespini cum iulepo rosato: vnæ crispæ succus in iusculis coctus, ribes, cerasa acida. Apozema: *Apozema.* Radicum graminis & oxalidis, vtriusque binæ vnciæ: foliorum endiuiæ, scariolæ, cichorei, acetosæ. portulacæ, lactucæ, sonchi, singuli manipuli: quatuor seminum frigidorum maiorum, & minorum, cuiusque drahmę

duæ: apij & petroselini, vtriusque drachma: florum violæ & cichorei, boraginis & nymphææ, singuli pugilli: fiat coctio ex aqua hordei, ad sesquilibram: colaturæ adde sacchari quod sufficit: aceti acerrimi, aut vini granatorum vncias tres: aromatisetur ex drachma cinnamomi, & scriptulo vno spicæ nardi: addi possunt succi cucurbitæ vnciæ tres. Si leniendi vim vnà inferre velis, adde pruna viginti, vel tamarindorum vnciam: aut syrupi violati solutiui, aut rosati vncias quatuor: aut syrupi de cichorio cum rhabarbaro vncias tres: & vltimæ dosi infunde drachmas duas rhabarbari, vel vnciam mytobalanorum: detur expressio. Elegans hoc est

Elegans in febrium. in magnis febribus: Accipe aquæ cardui benedicti, & cichorei, cuiusque selibram: aquæ papaueris rhœados vncias quatuor: seminis lactucæ & cichorei, contusi, singulorum sesquidrachmam: macerentur tepidè: colaturæ adde syrupi violati vncias tres: vel de duabus radicibus, vel de endiuia compositi: parum olei vitrioli, quo acescat.

Obseruatio. Diuretica. Diuretica sunt duplicia; nam quædam sunt exactè diuretica, vt calida & sicca, tenuium partium: hæc sanguinem funduut ac attenuant, & ichores à sanguine segregant, qui propterea tunc facilè effluunt: talia sunt, dictamnum, calamintha, semen dauci, ammeos, &c. Alia sunt & diuretica non exactè, quæ potius ob tenuem substantiam cient vrinam, quàm ob calorem: vt ceteracha, semina frigida maiora, capillus Veneris: hæc vtiliora sūt febribus, ob eorum frigus. Galenus vndecimo Methodi vtitur diureticis propriis & non propriis: hinc Mesuè cùm describit syrupum de duabus radicibus, miscet calida frigidis, vt vnà cùm materia morbifica, & febri pugnet. At si materia crassa fuerit, nihil frigidis diureticis promouebimus: Hinc Galenus ad Glauconem, in tertiana notha, vtitur aqua in qua maduit petroselinum.

Ad febres. Diureticum in omni febri: Capillorum Veneris viridium, ceterachi singuli pugilli: aquæ hordei feruentis vnciæ decem: fiat infusio, & à sex horis addatur vncia radicum petroselini, madescant horis quatuor: colaturæ adde emulsionis seminum melonum sescunciam: syrupi acetosi simplicis vnciam; misce: sumat ad vncias decem: quia mole opus est in diureticis. Aliud: emulsi quatuor seminum frigidorum maiorum vnciæ duæ, aquæ endiuiæ quod sufficit.

Quæ autem bilem alicui parti infusam placant, scripsimus in singularum partiū alteratione, & roboratione.

Composita quæ sunt in vsu, ad alterandam bilem tenuem vel crassam, intra, vel extra venas.

Tenuem bilem alterant, incrassant, & cius mobilis sit, cohibent.

Syrupi. Syrupi, de cichoreo, de soncho, de succo acetosæ, de agresta, acetosus simplex, de cydoniis, de portulaca, de rosis siccis, de berberis, myrtinus, nymphææ, violatus, de granatis acidis, de endiuia, de ribes, syrupus maluæ, de iuiubis, de pomis simplex: iulep rosatum & violatum. Diamorum, miua cydoniotum, & de ribes, & berberis: syrupus papaueris. Dantur ad sescunciam. De-

Decocta & aquæ. cocta & Aquæ, acetosæ, rosarum, buglossi, cirsij, solatri, portulacæ, endiuiæ, nymphææ, lactucæ, melissæ, plantaginis, violarum, succus cucurbitæ, aqua cochlearū, aqua vitulata. Aromatizentur drachmis duabus santalorum alborum.

Crassam bilem alterant.

Syrupi. Syrupi de acredine citreorum de liquiritia, de lupulis, de endiuia compositus, Byzantinus, acetosus, de limonibus maturis: oxysaccharum simplex, si non adsit alui fluor. Omnes syrupi acetosi edomant bilem: syrupus capillorum Veneris. In vitellina bile, syrupi sint maxi-

Decocta. mè tenuantes. Aquæ & Decocta: cichorei, endiuiæ, agrimoniæ, hepaticæ, buglossi, lupulorum, acetosæ, alkekengi, fumariæ, eaffithæ, adianthi, scabiosæ. Electaria: Triū

Species. santalorum, diatragacanthum frigidum, diapenidion sine speciebus, diarrhodon abbatis, diacydonite sine speciebus, electarium resumptiuum.

Electariorū dosis surgit ad drachmas tres. Vtendi ratio hæc est: Accipe specierum drachmam, sacchari albissimi, in aqua quæ bilem alterat resoluti vnciam: coque in tabulati formam; sumat drachmas duas, vel tres. Con-

Conserua. seruæ violarum, & rosarum, nenupharis, boraginis, buglossi, acetosæ, acetositatis mali citrij conserua: cerasorum acidorum: de berberis.

Cautio. Fluxus alui. Si alui fluxus à morsu acerrimæ bilis non adsit, sed si febrilis feruor æstu incanduerit, ab vsu astringentium erit temperandum: quare tunc conferent remixta ex endiuia, portulaca, viola, nymphæa, capillis Veneris. Si verò constet maiori Frigore opus esse, vtque arceatur fœlicius putredinis Fœditas, vtemur syrupis acetosis frigidis: qualis acetosus simplex, quo vtimur in vtroque malo, calido, & frigido: maximè qui de limonibus commēdantur. Sic ab humore mordaci alui fluor obortus fuerit, ab acetosis temperandum: nam intestina mordent, quæ aphthis obsita sunt. Attameo syrupus de ribes, & de berberis, de granatis, & cydoniorum admittuntur, nam lenem acorem ferunt.

Apozema. Apozema *domans bilem*: Endiuiæ nouellæ non lotæ, adianthi, capillorum Veneris, cichorei, portulacę, lactucæ, scariolæ, lentis aquatilis, semperuiui, omnium, vel aliquorum, duorum, vel trium manipuli tres: quatuor seminum frigidorum maiorum, cuiusque drachma: radicum cichorei, acetosæ & graminis, singulæ semunciæ possunt addi iuiubæ, passulæ, hordeum, flores cordiales, succus boraginis: fiat decoctio ad libram, sacchari adde vncias tres, ac vini granatorum vncias duas, vel aceti vnciam: aromatisetur scriptulis duobus santali albi.

CAPVT. XIX.

Melancholiam alterantia intra venas contentam, quæ est purior quatuor succorum nutritioni dicatorum pars. Febribus Melancholicis dicata remedia.

Melancholia varia. Melancholiam alteramus vel in venis existentem, quæ est fæx quodammodo sanguinis, & quarta eius pars, qua crassiores partes corporis pro nutricatu fruuntur: vel extra venas existentem melancholiam ad natiuam synceritatem retrahimus, vt quæ effusa in aliquam peculiarem partem, ibi virium facit; de quâ

Quo modo. egimus antè. Quæ est cum sanguine, ab eo Melancholicus Sanguis dicitur: hanc alterabimus expediendo infarctus venarum hepatis & lienis: secundò, humectando: & tertiò, calfaciendo modestè iecur & lienem; ne melancholiæ materia ac siccior reddita, in his visceribus restagnet, ac eorum vias mcabiles infarciat: nec tamen ita madescat, vt per vasa vaga fluctuet.

Succus Melancholicus admodum contumax est, nec facilè cedit: Hinc Plato in Timæo, asserit morbos omnes terminos suos certos sortitos esse, ad quos antequam perueniant, si medicamentis irritentur, acerbiores fiunt. Hác sententiā de melācholicis morbis prolatā esse, grauissimus Platonis interpres Ficinus docuit.

Cautio De aceto. Vbique cautio sit, ne liberaliùs aceto vtamur. scripsit Hippocrates tertio De morbis acutis: Omnis quæ ab aceto in oxymelite vis micat, biliosis potiùs quàm pituitosis prodest; etenim amara resoluit & pituitescere efficit, diluitoraque reddit: nigra verò fermentantur, & maiorem acquirunt molem, & quasi accessione incrementisque augescunt; nam nigra acetum mouet.

Obseruatio. Duplex melancholia. Notandum non sit succus melancholicus qui in vitio est; vel non sit atra bilis; hæc enim squallida est, vt vrediosa: illa verò, est fæx sanguinis. Atræ enim bili

Atra bilis remedia. debērur talia quæ ferociā eius placare possunt, vt viola, poma, borago, endiuia, capillares harbæ: qualia plurim-

ad

ad bilem ferocientem descripsimus. Verum dum ad melãcholiam præscribimus remedia, quæ est ex fæce sanguinis nata, modeste calorem afflare debent, spleoem aperire, & incidere crassa, non sine quodam madore, vt cortices capparorum, cum radicibus aperientibus: tamariscus: (refert Columella, hippiatros lienosis bubus alueos ex tamarisco parare:) fraxinus, genista. Semper quædam humida iungantur, quæ ad temperiem squalentem melancholiam reuocent: vt passulæ, semina frigida maiora, glycyrrhiza, buglossum, viola, poma, cucurbita, maxime si aridiora syrupis ingesta fuerint. Omnium succorum hic maximè præparatione eget, ac diuturna, ob contumaciam, qua vix naturæ ac validissimis remediis cedit: quare hinc ortos morbos Saturni filias vocasse antiquitatem, testis est Theodorus Priscianus.

Melancholiæ medela.

Quæ hepatis & lienis obstructiones adimant.

Qualia. Sint talia quæ lienem aperiant, & emolliant, & quodammodò liquent, attenuent, abstergeant, sine magna astrictione: quò fluxa materia reddita, in aluum expeditiùs excidat. *Ipsa bilis.* Quædam illorum vitæ bili dicata fuere, vt viola, buglossum, pomorum succus, syrupus cucurbitæ, conserua foliorum lactucæ. Syrupus de cichoreo cum rhabarbaro, de pomis compositus, de endiuia, violatus, boraginis, de epithymo, de fumo terræ compositus: cum decocto violarum, lactucæ, melissæ, fumariæ, & epithymi. *Simplicia.* Quæ ad succum melancholicum, sint talia quæ cum leni calore leptomeriam quandam gerunt, vt lupulus, cassutha, melissa. raphanus lienem absumit. apij radix, tumores lienis abigit. galanga, tenuium est partium, adeò vt eius decoctum, fotu admotum, duritiem absumat: scilla resoluit & tenuat, quartanas curat. lapathum ex aceto vel vino. rubiæ semen ex oxymelite; ita & iris, & raphanus: aristolochia laterum dolores quoque adimit. Ruta, centaurium minus, asarum, nasturtium, morsus diaboli, hederæ tenella folia, pulegium, bryoniæ viticulæ primæ, saluia, veronica, agrimonia: fumaria liberat obstructa, & roborat: trichomanes, adianthum, chamædrys, stœchas, rosmarinum, artemisia, epithymum cum violis, vel passulis: ceterachum, hoc est, asplenium vel scolopendrium, petroselinum: anethum, apium, fœniculum, calamintha, eupatorium, cichoracea, dictamnum, betonica, teucrium, tanacetum, scordium, lauendula, volubilis flore albo, flores sambuci, chamæmeli, genistæ, meliloti, mercurialis, nepita. In naturali melancholia adusta commendatur syrupus de betonica, stœchados, de epithymo, de pomis Sabor, de fumo terræ compositus: cum decocto stœchados, betonicæ, lactucæ, violarum, polypodij, seuæ.

Absinthium. Absinthium potum confert, graui testimonio Aretæi, qui capite de Melancholia scribit, eius succum efficere vt melancholia non generetur. Ruffus etiã Ephesius commendat apud Aëtium absinthij cremorem, cò quia absterget succos ventriculi, & coctioni auxiliatur; quia qui vtuntur absinthio, minus saliuæ ex ore emittunt: & cremor phlogoses hepatis & lienis mitigat. Cyclamini radix, filicis radices, fraxini radices: tamarisci, virentis succus maximè, hinc cortex, & florum conserua. Radices aperitiuæ, asparagi, graminis; polypodium, enula, carduus benedictus, verbascum fæmina, cyperus.

Cappares Alexandrini, capparum cortices ex oxymelite. Semina dauci, fœniculi, ammeos, anisi, anethi, citriorum, cardui benedicti, sileris montani: viticis semen, flatus & duritiem excutit. Aliqua horum veteres hydromeliti incoxere. Antidota incidentia, attenuantia, quæ cruditates tollunt, & flatus discutiunt, vt diaspoliticum.

Syrupi. Syrupus capillorum Veneris, syrupus de thymo, de epithymo, de stœchade, de fumaria maiore, absterget ichorosa recrementa, calet tamen primo ordine, sanguinem puriorem reddit: syrupus de lupulis, de scolopendria, syrupi acetosi, syrupus de polypodio compositus, in Antidotario Florentino: syrupus endiuiæ compositus: oxymel cum floribus genistæ, nisi vomat ex facili: syrupus Byzantinus absque aceto, syrupus de radicibus, syrupus de artemisia. oxymel scylliticum compositum. Accipe vncias tres horum syruporum, vt boraginis, buglossæ, agrestæ, eupatorij, fumariæ, byzantini, calaminthæ, scolopendrij, lupulorum, tamaricis: cum libra vna aquæ boraginis, buglossæ, tamaricis, fraxini, lupulorum, genistæ, fumariæ, melissæ, calaminthæ, scolopendrij, rosarum. & aromatisetur semidrachma santalorum alborum, & cinnamomi.

Apozema. Apozema: Foliorum melissæ, boraginis, scolopendriæ, fumariæ, singuli pugilli: fiat decoctio: Accipe vncias quatuor syrupi de fumo terræ, de epithymo, singulas vncias: misce.

Efficacius: Absinthij, radicum capparum, foliorum tamarisci, asplenij, ceterachi, cichorei, singuli pugilli: fiat decoctio, & eius cape vncias quatuor: syrupi Byzantini, & de quinque radicibus, singulas vncias misce.

Obseruatio. Quales hepati, quales lieni conueniant. Syrupi Hepati dicati minùs aperiant, & magis astringant: lieni verò qui student, minus astringant, sed validiùs aperiant: id fit maximè in iis qui acetum accipiunt, ac qui calent: vi enim quadam opus est ad succi domandam contumaciam.

Oxysaccharum compositum, syrupus Byzantinus, de duabus radicibus, syrupus acetosus compositus.

Cautio. Acetum melancholiæ inimicum. Ab immodico vsu aceti temperandum, maximè si materia hæc feruentior fuerit: nam, inquit Hippocrates, ab aceto τὰ μέλανα ζυμοῦται, καὶ μετεωρίζεται, καὶ πολυπλασιοῦται, hoc est, nigra ab aceto fermentantur, ac maiorem acquirunt molem, ac quasi accessione augescunt incrementis: ἀναγωγὸν γὰρ μελαίνων τὸ ὄξος. Ita Quartana vsu aceti producitur; nam frigore, siccitate & adstrictione ei studet: & in humore hoc frigido, facilè viscera ferit acetum. Quare si eius vi vtendum sit, offeratur cum decocto corticum citriorum. Optimum remedium est oxymel, cum æquali parte mellis rosati; Passulatum acetum confert.

Trochisci. Trochisci de capparibus, vel de myrrha, drachma: fiant pilulæ duodecim cum oxymelite; sumat ex cochleari cum syrupo acetoso; & superbibat aquæ graminis, portulacæ, cuiusque vncias binas.

Decocta. Decoctum radicum chinæ, & cicerum rubrorum, pulegij, centaurij minoris, absinthij, & saluiæ. Decoctorum libræ interdum additur aquæ cinnamomi vncia.

Balnea. Balnea ex aqua dulci, in qua decocta sint folia maluę, violarum, rosarum, nymphææ, capita veruecum; semina, lini, fœnugræci, flores buglossi, chamæmeli, meliloti. Aristoteles primo Problematum quinquagesimo septimò, monstrat antiquos medicos Balneo vsos fuisse in febribus, die paroxysmi, & curasse vt loti non dormitent, inquit, ἡ δὲ ἡμέρα ἡ λοῦσις, καθάρσιν, ὕπνον μὴ ζητεῖν. Sed mollia hæc debent esse balnea: fortiora, cocta materia, iamque progresso morbo, ex melissa, calamintha.

Aluus cottidie respondeat. id enim omnem infarctum subducit corpori.

Cautio. In victu abstineant à multo sale, si materia ardentior fuerit, & fumo condita carne, caseo veteri, & oleribus siccis, qualis est Brassica, quæ quamuis veteribus olus *Brassica.* dicta fuerit, ac Plinius scripserit, Romam annis sexcentis ea solùm medicina vsam fuisse, & Varro ea suam familiam tutatus à peste dicatur; Græci tamen Cramben vocant, quasi Coramblen, quòd oculis officiat, *core* enim pupilla illis est: iniqui enim ac sicci est succi, & graueolentis; aqua eius humi effusa fœtet: sumta, animæ grauitatem facit. Quod in eius laudes Varro; frugali vitæ potiùs debetur, quàm putido succo: vel cùm lætis agris quibusdam pinguior luxuriet, promptè aluum moueat comesta; hoc enim maximè ad sanitatem facit.

Quę madefaciunt modestè hepar & lienem.

Simplicia. Poma cocta cum aniso,& succus pomorum dulcium: cichoracea, endinia, lactuca, malua, spinachia,thapsus barbatus ,adianthum , borago, buglossa, viola , portulaca, liquiritia, acanthi folia,hordeum, semina frigida: limaces,ranarum coxæ.radices pastinacæ satiuæ.

Potulenta. Serum lactis : iuscula moderatæ carnia cum herbis, loco apozematum:lac recens ; mulsa : ptisana : apomel, vinum dulce : lac amygdalinum dulce : oleum amygdalinum : vinum passulatum. Syrupus de pomis,buglossi, cyrsij, fumariæ.mel rosatum, & passulatum:& acetum passulatum. *Fructus.* Cerasa dulcia. passulæ , pruna cum saccharo, ficus, dactyli,pinci,cucurbita cum pipere cocta.

Species. Diabuglossatum,diaboraginatum, conserua satyrionis,& violarum.

Iulapium. Iulapium:aquæ violarum vel buglossi, fumariæ,melissæ , cuiusque selibra : succi pomorum redolentium, sacchari albi , singulæ vnciæ quatuor : coque dum spumam euomuerint. Vel ex aqua hordei macerabuntur horis duodecim violæ,buglossum,flores pomorum suaue redolentes , & melissæ : & cum sacchato coquentur leni tepore. Vtilia hæc sunt ad hypochondriacam melancholiam,maniam,ac tremorem cordis.

Diæta. Victus ratio : Oua laudantur sorbilia, carnes vitulinæ, gallinarum, caponum,pullorum, perdicum : pisces molli carne prædití fluuiatiles: & reliqui cibi boni succi , & facilis digestionis, ac flatus expertes. Elixa potiùs quàm assa conueniunt. Caueat à fame, siti,& furfuraceo pane: vitet potum sine cibo. Brassicam fugiat,absit caro sale diu condita ; caseus vetus,castanea , faba & lenticula; inquit Rhases:nam fœta sunt in melancholiam: Somnus sit productior,aceti vsus vitetur.

Quid agat madet. Bona est Humectatio , inquit Aretæus , raræ enim carnes ad amotionem morbi faciunt : nam densæ sunt carnes vbi succi melancholici est copia: hæc Aretæus. Scripsit idem auctor, ab acidis , & mordacibus esse abstinendum,& ab acribus aromatibus.

Quæ viscera calfaciunt moderatè,referta humore melancholico.

Tristitia. Metus & Moestitia summè fugienda,quæ hic maximè depascuntur viscerum calorem, ac naturæ prædium absumunt. Huic enim succo illud peculiare est, vt mentem tenebris inuoluat , vnde omnia sub horrida tenebricosaque tristitia menti offeruntur simulacra ; hinc *Qualia.* metus & mœror. Stomacho & visceribus semper hoc in succo consulatur : & , inquit Aretæus flatus discutiant , vt hyssopum ex mulsa , dictamnum , origanum, adianthum : Et quæ diuretica , hoc est , quæ vrinalia *Simplicia.* sunt, vt interpretatur Aurelianus:& quæ incidunt crassa, betonica,thymus, iua, saluia, scolopendrium , stœchas, lauendula, mentha , petroselinum , glycyrrhiza, asparagus, ocimum, caryophyllatum,absinthium , helenium cum violis, filicis radices, tamariscus, melissa, lupulus Mizaldus vbi refert historiam solseqoij herbæ, scribit à Monacho quodam Quartanas febres curari, propinato vino albo ante paroxysmum, in quo septem grana calendulæ trita fuerant:repetito dies aliquot haustu. Aqua distillata ex gentiana:imperatoriæ radix:verbenaca.

Conserua & Species. Conserua enulæ campanæ , conserua de scolopendrio, de rosemarino : electarium lætificans Galeni , & Rhasis, quod accipit pro tribus partibus mellis, vnam puluerum aromaticorum : electarium de gemmis, diamargaritum frigidum, dianthos,diambra, diamoscum, electarium Conciliatoris,& cætera quæ cor recreant, ac mærorem abstergent : mithridarium : electarium ex Lasere Mesuæ : diacyminum Nicolai. Auerrhoës libro de Theriaca,non ausus est negare hic Theriacam conferre : qui alioqui multa bona illi abstulit.

Quartanæ remedium. Ad rigorem quartanæ : Aquæ vitæ drachmæ duæ, caryophyllorum grana quinque :sumat quatuor horis ante accessionem febrilem. Pro Tenellulis : Succi calaminthæ semuncia:pulueris caryophyllorum semiscriptulus. Myrrhæ drachma , ex vino maluatico. Pilulæ ex myrrha cum theriaca.

Syrupi. Syrupus de Eupatorio,& de stœchade.mel violatum. aqua distillata ex tenerrimis foliis eryngij. Vbi niger *à Calore.* succus est ex fæce sanguinis adusta, vtemur calidis,humidis,tenuantibus.

Diæta. In Victu admittit Galenus,salsamenta, sinapi & piper. Hine orta fuit Quæstio grauissima inter Trallianum & Galenum ; Nam Galenus primo libro ad Glau- *Quæstio.* conem scribens, à frigidis & humidis ægros arcet : id grauiter mordet Alexander,& vnicè eorum vsum commendat. Leonicenus , vt altercationem tolleret , putauit Galeni commentarium vitium traxisse. Sed Oribasius, Aetius,& Ægineta,eadem verba reponunt:quanquam Andernacus apud Æginetam Leoniceni sententia abductus fuerit ; at Cornarius aliter. Hic rationis Suada opus est. Quare dicimus,quòd ea quæ refrigerant & humectant,humores crassiores ac crudiores reddunt, ac fœculenta sunt : propterea Galenus calida , tenuantia, & salita laudat: hæc sunt calida & sicca, nam talibus opus erat, quæ enim frigido sicco congelantur,dissoluuntur tum à calido humido , tum à calido sicco, vt glacies. Hinc scripsit Aristoteles primo Problematum, corporibus quartanariis multum ignem esse immittendum. Vinum sit album tenue , & interdum Cretico vtantur:vinum rosmarinites : exercitium sit mediocre: somnus productior.

Composita , quæ sunt in vsu , ad frenandam Melancholiam, intra & extra venas positam.

Syrupi. Syrupi : syrupus de pomis compositus, de buglossa, de fumaria simplex,& compositus : Byzantinos, syrupus de eupatorio ; mel rosatum & violatum : syrupus de epithymo ; de scolopendrio , aperit lienem : syrupus violatus , potenter humectat ariditatem melancholiæ: syrupus de lupulis. Exhibetur sescuncia syruporum. Notandum, Syrupum de fumo terræ duobus modis parari ; vno, ex solo decocto, vel ex succo fumiterræ , & dicitur Syrupus de fumo terræ simplex:altero , ex descriptione Mesuæ , cum myrobalanis & cassia, & dicitur Compositus.

Aquæ & decocta. Aquæ vel Decocta. betonicæ, scolopendrij , florum genistæ,fumariæ, cassuthæ,tamarisci, lupulorum,agrimoniæ, fœniculi,asparagi, lapathij acuti , enulæ campanæ,frasini,scabiosæ,melissæ,calaminthæ.

Species. Opiata. Philonium : Requies magna. Electaria:pleres cum musco, electarium de gemmis,lætificans Galeni, & Conciliatoris : diamargaritum calidum,diarrhodon abbatis : Dantur ad semunciam.

Conserua. Conseruæ, violarum, boraginis; capillorum Veneris,rosarum, buglossi, foliorum tanaceti , florum rorismarini. Præbentur ad semunciæ pondus.

Iulapium : Serapij de buglosso,de epithymo, de boragine, singulæ vnciæ duæ:aquarum lupuli,fumi terræ, buglossi & melissæ, singulæ vnciæ tres , misce : trahat aroma ex semuncia cinnamomi:sumat semicyathum diu antequam pastum ineat.

Obseruatio. Si peculiari aliqua parte morbifica materia concepta fuerit,quæ parti studet,pleniore manu affundēda erunt.

Ex simplicibus quoque præscriptis fabricantur Syrupi varij, apozemata.iulapia, decocta, & cæteræ formæ quibus hæc ætas delectatur.

Multos humores præparantia.

Quomodo. Plurimi succi si in vitio fuerint,eos alterabimus pręscriptis medicaminibus, ea lege , vt qui maximè vim suam exerunt ,cum his maximè pugnemus : qua enim parte natura maximè est opis indigens , hac potissimum illi est succurrendum, attamen aliis non omnino neglectis; siue hi intra siue extra venas fuerint. Succos omnes facilè hoc euentu alterabimus,si venæ immunes fuerint ab omni obstructione,corporisq; ductus omnes pateāt ex naturæ lege,nec vlla solēnis vacuatio fuerint suppressa.

suppressa. Facilis futura quoque mutatio, cum humores non longè à natiua symmetria recessere: modò causæ quæ extra naiuræ lineam eos traxere, languidæ fuerint, & iam nunc enanuerint: maximè cùm viscera nobilia germen morbosum non conceperint. Tandem si integra vis calidi natiui emicat, nec pessundata iacuerit, hostilibus succis impressa vis facilè domabitur. Hæc obtinebimus, cauendo, ne vlla fiat obstructio nobilis visceris, ac nutricatu facili vt fruantur si curauerimus. Ad omnes humores; Accipe syrupi de radicibus, syrupi bissopi, cuiusque semunciam: syrupi fumariæ & endiuiæ, cuiusque vnciam: aquæ melissæ, acetosæ, boraginis, buglossæ, singularum vncias tres: misce; & aromatisetur drachma cinnamomi.

Serapium hepaticum. Serapium ad humores mixtos, & viscerum infarctus; pro iis qui susque deque victus ratione vtuntur, vnde varia succorum succrescit fœditas, auctor febrium spuriarum: vtile remedium Germanis ac Gallis. Saoguinem impurum absterget, maximè tamen vbi bilis superat cæteros succos: ac hepar recreat. Quare nobis dicitur Syrupus hepaticus. Accipe Hepaticæ nobilis, acidulæ, cichorei, dentis leonis, endiuiæ, sonchi læuis, singulos manipulos, (hæc sine stricto frigore bepar refrigerant, ac firmaot, nec ventriculo iniuria sunt) capillorum Veneris, eupatorij vulgi, linguæ ceruiuæ, lupulorum, fumi terræ, singulos semimanipulos, (addi potest cassutba, asarum, anisum) florum cordi studentium, singulos pugillos: radicum aperitiuarum, cuiusque semunciam: fructuum alkekengi, tantumdem: polypodij quercini recentis vnciam: glycyrrbizæ rasæ drachmas sex: seminis carthami vncias duas: seminum quatuor frigidorum maiorum, singulas drachmas duas: hordei pugillos duos: seminis endiuiæ, cichorei, cuiusque sesquidrachmam & passularum sescunciam: pruna duodecim: myrobalanorum citrinorum, & chebulorum, singulas semuncias: coque ex aqua ad tertias; in colati iuris sesquilibra, macerentur. Rhabarbari vnciæ tres, agarici recenter trochiscati vncia: foliorum senæ mundatorum à puluere & stipitibus, sescuncia: xinziberis, cinnamomi, vtriusq; drachma. Iterum expressis, adde sacchari libram: syrupi rosati solutorij vncias tres: iterum igni reddantur, dum lentescat succus. Datur semuncia pueris, cum aqua hordei cui cinnammomum incoxit, in ictero & viscerum infarctu, ac eorum duritie. prooectioribus propinabimus vnciam, cum duabus vnciis syrupi violati; aut rosati solutorij: adiecto liquore intybi, aut aqua hordei. Robustioribus præscribemus vncias duas, cum vna syrupi rosati. quòd si febri implicitus æger non sit, cum vncia aquæ cinnamomi sumi poterit.

Hoc modo transigendum vbi succus biliosus cæteros præcedit. cùm enim pituita in bac à natura secessione primas obtinet, fiet Decoctum ex hyssopo, adiantho, *Decoctum.* thymo, origano, chamædry, chamæpity, angelica, seminibus flatus excutientibus, & ex seminis carthami vnciis quinque vel quatuor: reliquis tamen non neglectis, vt pro melancholia, buglosso, scolopendrio, liquiritia, cassutha, tamarice, passulis, sena, rhabarbaro vtemur.

CAPVT XX.

De Lenientibus remediis.

SECVNDA PARS LIBRI SECVNDI.

CORPUS bumanum vt à summo Deo distinctum fuit in triplicem regionem, nempe aluinam, venosam, & habitus corporis; ita & tria pharmacorum genera viribus distincta, notauit vsus: nam lenientia, aluinæ regioni ascripsit: modestè purgantia, venosæ dicauit sedi: at elleborum, hoc est, seuere valideque educentia plarmaca, habitui corporis peculiaria esse voluit. Quare primò hìc agemus de Lenientibus, quo nempe debeant exhiberi modo, & quæ sit ratio compositionis eorum & correctionis, qua copia præscribi debeant, quænam qualitas illis peculiaris sit, & quænam sint lenientia remedia iam vsu salutari inuenta.

Modus exhibendi lenientia, & tempus.

Propinaotur per os; vel per sedem iniiciuntur. Quæ *Tempus.* per os, banc Cautionem postulant, vt præbeantur dum ventriculus suo coquendi munere functus est: vel paulum ante pastum vorari debent; alioqui pro nutricatu eis natura abutitur: sunt enim naturæ amica, facileque ab ea in escam abducuntur. Id quoque cauendum, ne succedant validæ exhaustioni: quare si corpus sese effuderit in aliqoam vacuationem validam, pax illi à lenieotibos sit. Præterea si febri implicitus æger fuerit, à paroxysmi vacuitate horum vsus ineatur. Tandem si fieri poterit, præbeantur ante primum pastum. Infima aluo si leniendum fuerit, id quocumque tempore fiat, commodè fiet, maximè à prima coctione, quæ ventriculi est: & longè meliùs à secunda, quæ io iecore: & tempore à paroxysmi vi remoto; eoque tempore, quo ex assuetudine excernere solet æger.

Modus componendi lenientia.

Cùm per os præbetur leniens remedium, quia vi va- *Ius gallinæ.* lida naturam non concutit, exstimulanda eius vis erit iusculo gallinæ; quod, dicit Abiucenna, omnes succos corporis temperat, Vel veruecino ex iure dabimus quid mellis rosati, si ventriculus languet: vel quid sacchari, si hypocbondriis tumidis metus sit à melle.

Lenientia, offeruntur vel ea consistentia qua enata *Modus.* fuere, vt cassia ex fistulis: vel in boli forma, vt cassia in cribo frictione eliquata: aut potu, ex decocto aut ex liquore stillatitio: vel dautur lenieotia in puluere, pilulis & tabulis: præbentur & ex melle electarij forma. Cùm itaque materia morbifica superioribus in alui partibus hæret, sumpto remedio per os excludatur: vt Accipe cassiæ drachmas sex; anisorum scriptulum. Sin in inferiore aluo resederit materia, clysmis emollieotibus euocatur. Hos libro primo descripsimus.

Correctio Lenientium.

Tribus corriguntur modis: nam vel vitium hæret in *Correctio.* lenientis remedij substantia, qualitate, vel ætate.

Substantia, vt cùm illa fuerit nimis crassa vel tenuis; dura vel mollis, tunc contrario adiecto remedio, io pristinam consistentiam temperabitur.

Qualitate, prima, secunda vel tertia. Prima, vt si leniens valido frigore algeat, remiscebimus aliquid quod calida vi emicat: si lubricitas exundat, vt in quadam cassia, adiicietur aliqoid corticom myrobalanorum. Quidam in tantum dolorem à cassiæ vsu abripiuntur, vt syncopes calamitosæ metus inde adferatur: vt his euenit qui inoalidis intestinis præditi sunt. Quare vel semidrachmam berberis addemus, aut sacchari rosati, aut aliquid electarij laxatiui, ne diu cunctando vim suam intestinis inferat cassia. Aut si lentior fuerit lenientis vis, incidentis remedij aliquid adiiciemus; quales sunt Hieræ species. Sed tamen ea Cautione hæc misceri debent, ne leniendi vim expugnent. Eodem modo, in Odore & sapore si quod vitium hæserit, aduersa potestate eluendum erit.

Ab ætate quod cœnum fecit, repudiandum: sin nooitate in vitio fuerit, coctione, quæ aëris inest maligna vis euanescet; atque vnà roscidus & pluuiosus mador exspirabit. Ita cassiam eoquimus cum succo endiuiæ, vbi febris ardentior per æstatem fatigarit. Quæ per Se- *Cassia cocti.* dem infunduntur, si corrigenda sint, id fiet ob eorum nimiam acrimoniam, aut lubricitatem: quæ diluentur accessione contrariæ potentiæ.

Copia augenda vel detrahenda Lenientium. & de Qualitate Lenientium corrigenda: & quæ sint vsu probata Lenientia.

Copia. Varia præſcribĩtur copia, ratione magnitudinis morbi, peculiaris naturæ, loci affecti, vicini aut remoti, aut nobilis ignobiliſve partis naturæ: vel quod hîc agimus, ipſius remedij ratione. Quibus calidius eſt hepar, his aluus eſt aſtrictior, nam iſtud exſugit à chylo madorem. Nam etiamſi bilis feratur ad inteſtina ab hepate; tamen indureſcentibus excrementis, ſtimulus qui ineſt bili, ad excluſionem ſatis non eſt; verùm humiditas aliqua quæritur. Quæ itaque ſumta per os leniunt, vel valido madore perfuſa ſunt, aut modeſtè humeſcunt: alia nimia dulcedine nauſeant, rurſumq́ue nonnulla moderatum blandumq́ue dulcorem fundunt: quædam comprimendo leniunt: at contraria vi alia, lubricitate mera *Potulenta.* ſoluunt: ſuntq́ue hæc poſtrema verè lenientia. Vehementer Humida, vt Serum lactis, aqua hordei, hydromel, rhodomel, poſca aquoſa, vinum moderatum copiosè hauſtum, lac, liquores ſtillaritij, decocta, ſucci, *Aqua dulcis.* iuſcula, thermarum quædam aquæ. Aqua ſontana vel fluuiatilis, frigidè pota aluum quibuſdam ducit, dum geminata copia, qua potus hauriri ſolebat, admittitur: illudq́ue commodum interdum adſert (niſi viſcera obſtructa fuerint) vt corpore in ſudorem ſoluto, morbificam cauſam omnem extrudat.

Quin ad Vomitum facit aquæ tepidæ libra: etenim hæc eius copia nec ſaturat, nec aluum eluit; ſed ex tepore flatus concipiens natat, reſolutaq; retentrice ven- *Minerales aqua.* triculi vi, vomitum concitat. Aqua mineralis, vt ferrea & bituminoſa, aluum officij admonet, & intemperiem *Serum.* corrigit. Serum Lactis ouillum, bubulum, humanum, aſininum & ouillum, à libra vna, ad tres cõceditur; paulatim facta acceſſione, ad ſummum incrementum iſtud dum venerit.

Hordei aqua. Aqua hordei præſcribitur vel ad nutritionem, alterationem, aut ad mouendam aluum. Nutricatui ſtudet, dum ea copia adfertur, quam conſuetudo potandi & ingeſti cibi copia efflagitat. Alterationi ſuam operam præbet, cùm eius libra potatur, modò ritè decocta fuerit, ne flatus inferat. Ad aluum eliquandam datur quibuſdam ad libras duas: & ex Abincênæ decreto ſuperbibat vncias duas ſyrupi acetoſi, vel mellis roſati ſimplicis.

Apomel. Apomel fit ex aqua ſuaui & fauis non vitioſis, coquitur dum nulla inde ſpuma exiſtat: quaternę aquę partes, ad mellis ſingulas adiiciuntur: coctione, totius octaua pars abſumitur. Ad alterandum, eius libra ſufficit: ad aluum ſubducendam, propinatur ad geminas libras; & ne viſcera flatu extullat, ſuperbibuntur vnciæ duæ ſyrupi de pomis.

Rhodomel. Rhodomel eſt duplex, ſimplex & ſolutiuũ: ſimplex, plena manu hauriri poteſt, ad ſelibram: ſolutium, ab vnciis duabus ad quatuor conceditur. Callidiores pragmatici, quò eius vim exſtimulent, granum ſcammonij clam miſcent.

Poſca vel oxyeratum, ab vnciis quatuor ad octo datur, vt vel ventrem leniat, vel vomitum excitet. Atta- *Acetum.* men hanc vim ab aceto non videtur induiſſe: etenim ſcripſit Gal. octauo Simplicium, id ſiccare in tertio ordine; quare nec vim ventriculi laxare poteſt, nec fundere humores in ventriculo contentos. Dioſcorides libro ſuo quinto, ſcribit ab aceto ſtomachum recreari, & appetentiã promoueri, & ſanguinem vndecumq; fluentem cohiberi, ac alui fluxum ſiſti. Niſi dicere cum Aëtio velimus, Poſcam, fluctuoſum ſpiritum cteare, & propterea his, quibus facilè turbatur aluus, vomitum moueri. Quare ſyrupum acetoſum non lubenter ad vomitum concitandum propinamus.

Vinum. Vinum medicatum nutrit, alterat corpus, aut purgat. Quod nutritionis cauſa hauritur, ex ratione aſſueti potus cuiuſque præſcribi debet, & ex copia ſumpti cibi. Quod alterationis cauſa, propinatur ab vnciis quinque, ad ſeptem: vt ex euphragia, guaiaco, abſinthio. quod ratione purgationis, vt ex elleboro & colocynthide, ad vncias tres præſcribitur.

Lac ſępiſſimè in vſum vocatur ad nutritionem; inter- *Lac.* dum & ad alterationem, & vt cedat aluus præſetibi poterit. Cùm ad nutricatum præſcribitur, ea id fiat cautione, ne copioſiùs ingeratur quàm cùm ſanus eſſet vti ſolebat: ſecundo, ne difficultatem ſpirandi adſerat: tertiò, ne ab eius vſu pulſus frequentior, aut lotium inflammatius reddatur. Cùm verò alterationis cauſa offertur, nēpe vt eius vi partes extabeſcentes genioq; ſuo fraudatæ madeſcant, vt in maraſmo implicito corpore. Herodotus, Prodicus, & Errhyphõ (vt prodidit Galenus ſeptimo methodi) muliebre, vel aſininum, aut caprillum commendabant. ab vnciis quinque ad ſeptem ingeritur, addito modico ſacchari, vel ſalis, vel mellis, vt putredo arceatur, & à coagulo prohibeatur. Humanum lac primas laudes habet ad arcendam tabem, cùm ex mammis prolectatur: ſed, inquit Galenus, quia homines vt pueri mamma frui nolunt, vt aſini, ad aſinina vbera vocari debent. Veteribus perſuaſum fuit lac purgare, ob varia purgantium pabula. Sit recens mulctum, ſumatur manè, aluo libera ab omni cibo: dein quieſcat; aut leniter ambulet.

Aqua diſtillata cochlearum & teſtudinis, datur iam *Cochlearum aqua.* exhauſtis ac fractis viribus ad vncias octo. ita in ventriculi inflammatione haurienda prębetur aqua vinlarũ.

Iuſcula leniunt ex malua, mercuriali, cũ paſſulis recẽtibus, dactylis, iuiubis, & cum manna, & caſſia. Talia Iuſcula præſcribuntur ab vnciis quatuor ad decem. Hęc leniunt ex humore vberrimoque madore, quo perfuſa à natura fuere.

Alia leniunt ob Viſcoſitatem, vt caſſia, pulpa iuiu- *Viſcoſa.* barum, paſſularum, prunorum. Corriguntur hæc tenuantibus & calidis, vt aniſo craſsè pulueriſato: ne petat hepar, ac abducat remedium in vrinas: ita ſpecies hieræ, vel hyſſopi ſiccati puluis, aut diambræ aromata miſcentur. Pro quaque vncia caſſiæ, puluerem corrigentium drachma ferè adiicitur. Nonnulla moderatam viſcoſitatem ſortita fuere, vt mel, ſyrupus roſatus & violatus: offeruntur ex decocto, moderato calore prædito, vt mercurialis, ſebeſten, paſſularum, ſenæ.

Lenientia valdè Dulcia, vt manna, mel, ſaccharum. *Dulcia.* Manna: ab vncia ad tres vncias præſcribitur; ex iuſculo datur pulli. Mel, in decocto endiuiæ vel violarum propinatur. Quædam leniunt comprimendo, vt tamarindi, myrobalani: hæc cum caſſia & manna præberi debent.

Qualitas lenientium ex emicante in his madore per- *Qualitas.* petuò accipitur, vt in pulpa fructuum, gummis, liquoribus, ſuccis, decoctis, diſtillatis, & oleis. In pulpa, vt *Caſſia.* in caſſia, cum madidior eius humiditas fuerit, corrigitur myrobalanorum adiecto puluere: ſin eius mador aruerit, augeatur lubricitas, adiectis decoctis pinguioribus. Gummi, vt manna: ſi ea acrior ſicciorq́ue enata *Gummi.* fuerit, diluatur cum iuſculis: alioqui commodè præbetur ex decocto endiuiæ, vel boraginis & bugloſſi. Li- *Liquoris.* quor, vt mel, ſaccharum: ſi acriora fuerint hæc, coctione & deſpumatione miteſcent. Succi, vt aloë: ſi acrior, inſolatu & coctura corrigetur, ac lotione abſtergebitur. Affunditur aloë ſero lactis, quo exhauſto ab ardore ſo- *Aloë.* lis æſtiui, ſucco roſarum iterum diluitur, vel endiuiæ liquore, idq́ue ſæpiùs. Si condenſati, ariditateq́ue exſucci fuerint, remiſcebuntur cum melle vel ſaccharo. Decoctum leniens ſi nimium humeat, coctione id vi- *Decocta.* tium abſtergebitur: ſin viſcidum fuerit nimis, melle attenuabitur. Ita aqua diſtillatione eliquata, præbetur *Diſtillata.* ad leniendam aluum cum melle vel ſaccharo.

Vſu probata lenientia remedia.

Verè lenientia ſunt, quæ emolliendo aluum mouent. *Lenientia qualia.* Græcis μαλακτικὰ, vel ὑπακτικὰ γαστρὸς, vel ἐκκοπρωτικὰ vocantur, partim cibi, partim medicamenta.

Paſſulæ acinis exemtis, è vino aut aqua lotæ, duarum vnciarum pondere ſumtæ: vel coctæ ex iuſculo, & ſaccharo. Elegans compoſitio paſſularum: Foliorum *Paſſulatum.* ſenæ

pitens nobile. ſenæ mundatorum vnciæ tres : aniſi drachmæ ſex:aquæ vnciæ nouem:infundantur per diem & noctem:& bulliant vnica ebullitione,fiatque fortis expreſſio, cui inde paſſularum Corinthiacarum vncias ſex : bulliant ad exhauſtionem decocti : & in fine adde ſacchari rubri vncias quatuor:cinnamomi, drachmam vnam & ſemiſſem : Serapij æmulam in ideam coquatur dum abeat ſaccharum. Accipiat vncias duas antequam paſtum ineat:affundi poterit aliquid Serapij roſati ſolutiui, quo vberius madeſcat.

Aliud. Aliud paſſulatum leniens elegantiſſimum:Radicum polypodij quercini vnciæ tres: foliorum ſenæ, radicum althææ recentium, ſingulæ vnciæ duæ : aniſi, drachmæ duæ : omnia infundantur in vaſe vitreato, & coquantur ſecundùm artem; fiat expreſſio : adde pulpæ paſſularum per ſetaceum tranſmiſſarum, ſemilibram; ſacchari albi, vncias duas : coquantur rurſus ad cydoniati craſſitudinem : parum ante prandium accipiat drachmas ſex, vel vnciam. Obſeruatio hæc adſit in horum remediorum vſu, vt ſemper iamiam ſumendis cibis præponantur cum aluus officij fuerit immemor.

Terebinthina:vnà renes & vrinæ ductus ab infarctu liberat.

Maſtichis drachmas tres præſcribit Aëtius pleuriticis,ex ſero lactis,ad excluſionem alui.

Pruna. Pruna dulcia, eorumque iuſculum : ſi violis aut roſis puniceis aſperſa, imò recta, ac ſaccharo ſuperiniecto, Caniculæ ardoribus exponantur : in liquorem enim abiens ſaccharum, florum vim tranſuehit in pruna,quæ auidè bibunt hunc lentorem. vel caro coquitur cum infuſione roſarum & ſaccharo.& Ficus quoque eo modo coctæ. Pruna duodecim quidam coquunt ex iure ſenarum,quod drachmas duas vel tres ſenatum imbibit. Priſanæ cremor nonnullis ſatis fuit;aliis coliculi aſparagorum. olus ex ſpinachia,beta candida: coquuntur cum iuſculo & butyro. Leuiſſimum, ingrauidatis,puerperis,tenellulis, eximie conferens,fabricatur ex vitellis duobus ouorum recentium, & iuris piſorum modicè coctorum vnciis quatuor aut quinque,cum ſalis & ſacchari momento exhibetur. Efficacior eſt in id mercurialis cocta cum ſale, & eius ius cum vino dilutum.Ita & Maluæ & Braſſicæ ſemicoctæ ius, aut ſuccus eius cum ſacchari modico. Sic etiam ſerum lactis, cum ſaccharo & ſale. Similiter cucurbita cocta cum ſaccharo, ſale, & butyro. Vinum quod in cruda cucurbita & excauata per noctem ſubſtiterit. Oleum in quo maduit aliquoties cruſta panis aduſta:ita minus ventriculum ſubuertit. butyrum ; nam quibuſdam ſatis fuit butyrum cortice nucis exceptum,ac vmbilico ſuperligatum. pſyllium : iuiubæ. Ficus maceratæ in decocto leniente. Galenus ſexto De ſanitate tuenda, docet quo modò ſenibus aluus lubrica ſeruanda ſit;accipit quinque vel ſex caricas pingues : cum ſeminis carthami ſeſquidrachma, aut binis drachmis,deglutiantur. Noui quibus ſatisfaciebat ius carnis pingue,cui admiſcebatur ſaccharum & oui vitellus crudus : Saccarum lenit & ſtimulat:eo fortius eſt mel:& id ſuperatur à ſale.

Grauida. Grauidis, imbecillis & pueris tutò datur pulueris violarum purpurearum, drachma : ex iure piſorum rubrorum,modicè coctorum. ſi vim auctiorem velis, adde fæcularum ex vino albo ſcriptulum : & aliquid foliorum ſenæ,cum cinnamomo.

Nobile. Ego feliciter in puerperis hoc vtor electario : Accipe mannæ, electarij lenitiui, cuiuſque vnciam : caſſiæ recenter extractæ ſemunciam : diacatholici drachmas duas:cum ſyrupo roſato laxatiuo ducat ideam opiati.ſumat interdum paruum cochleatium.ante paſtum.

Caſſia. Caſſia tenuia & craſſa educit:& diacaſſia magiſtralis; diacaſſia Nicolai, hoc eſt, caſſia condita : caſſia communis. hæc omnia deſcribuntur in Antidotario Florentino. Diaprunum ſimplex Nicolai : caſſia extracta ſine foliis ſenæ : Electarium lenitiuum. In Caſſiæ vſu notandum, ne inimicitiam gerat cum illius qui ea vtetur peculiari natura:alioqui in ſyncopen homines abripit. Si homo obnoxius ſit flatibus, præparari caſſia debet, ne flatu noceat;quam & ea ratione hordeum diu coquitur. Accipe ſucci endiuiæ,vel acetoſæ, vel cichorei vnciam;(ſit depuratus:)caſſiæ vncias duas : ambo traiiciantur per cribrum:hinc coquantur lento igne,deſpumando.hæc coctione non amittit ſoluendi vim. Aliud Leniens,pomorum dulcium maturorum caro, cocta cũ infuſo roſarum,vel ſolutiuo iure violarum.

Quæ hactenus enarrauimus, molliendo & leniendo aluum mouent : & propriè lenientia dici poſſunt. Sunt alia,quæ aluum, benignè laxando etiam humores ducunt.

In horum vſu Obſeruandum.hæc maximè ad primæ alui excrementa præſcribi, hoc eſt,ad eas ſuperfluitates quæ in hypochondriis hærent, & inteſtinis quæ inſederunt. *Obſeruatio.*

Hæ ſuperfluitates ſunt vel craſſæ, vel tenues. Si tenues, vt ritè excludantur, in vſum euocabimus Syrupum roſatum ſolutiuum, maximè ſi ſtrictior vis fuerit ventriculi. Sin excrementa acria & mordacia fuerint, ſyrupus violatus ſolutiuus melior erit. In his ſyrupis antiquatis, vt media hyeme, vis florum effœta languet: quare tunc vnciarum ſex copiam in his non reformidabis. *Syrupus roſatus.*

Pulpa tamarindi non ita aſtringit vt Syrupus roſatus ſolutiuus : etenim ſcripſit Meſ..es capite de Myrobalanis, eluendam illam vim ac temperandam ſtrictoriam quæ Myrobalanis inſedit, adiectis amygdalis, violis, caſſia & tamarindis. Sint igitur tamarindi maturi, cum ſuauitate quadam aceſcentes,non auſteri:eleganter refrigerant, ſuperuacua excludunt, & bilem obtundunt, nec naturæ negocium faciunt. *Tamarindi.*

Manna tenues excludit ſuccos ab aluo. mulieribus & frigida temperie præditis hominibus confert. *Manna.*

Potio : Syrupi roſati ſolutiui;maximè ſi laxo fuerint ventriculo,alioqui ſyrupi violati ſolutiui vncias tres accipiemus,cum manna.ſi frigidius ſit corpus:cum decocto acetoſæ & endiuiæ,ſi adſit febris. *Potio.*

Sin excrementa illa fuerint Craſſa & pituiteſcentia, dabimus mel violatum ſolutiuum,& roſatum:nam non conficiuntur cum aqua,vt ſyrupi. Accipe folia mercurialis & maluæ:infunde melli, eo modo quo roſæ:vtantur cum decocto acetoſæ, endiuiæ, & hordei. Scripſit Galenus,ſuo æuo vſum mercurialis ſolemnem fuiſſe. *In craſſa materia.* *Mel mercurialis.*

Hiera Picra:nam ea vtitur Galenus in pauca copia pro eccoprotico,cum aluus officij ſui fuerit immemor. & aſſiduò eo remedio vtitur Galenus,pro ducenda aluo tantùm, ſecundo libro κατὰ τόπ. in fine capitis noni. Eius ſeſquidrachma ſuffecerit ſi febricitarit æger, cùm alioqui ad quinque drachmas ſurgere liceat:Sed quia calet,nec ſatis lenit,caſſiam illi miſcebimus. Accipe ſpecierum hieræ ſcriptulos quatuor;cum ſyrupo roſato ſolutiuo fiant Boli quinque;& ſuperbibat ilico hunc Potum;Syrupi roſati ſolutiui vnciæ quatuor;decocti endiuiæ.parum:fiat potio breuis:aperit menſes, & hæmorrhoides. Sed obiiciet quis, Igitur ſuperat hepar,nec erit leniens remedium:Reſpondeo,id facit alterando,& non euacuando. Ita iucundè ſumitur Hiera, quia ob amarorem illa potari non debet. Aloe, hæc & cibis interpoſita non nocet:nam à putredine humores vindicat,& vnà cum parte aliqua ſui ſeſe in venas traiicit. *Hiera.*

Obiiciet quis, Si lenientia non trahendo purgãt, quo modo igitur quædam educunt tenuem,alia craſſam materiam? Reſpondeo, Cruditates conſiderantur quatenus vel ægrè vel facilè extruduntur:hoc autem eis euenit ex craſſitie vel tenuitate. *Quæſtio.*

Electario hoc commodè vtor in bilioſis, cùm aluus non ex officio reſpondet:Caſſiæ recenter extractæ,electarij lenitiui,mannæ,cuiuſque vncia : ſyrupi roſati ſolutiui, quod ſatis ſit ad Opiatæ formã vt redigi poſſet. *Compoſitiones vtiles.*

Aliud

Aliud, vbi pituitosa excrementa molesta fuerint: Cassia extracta ad vaporem illarum herbarum quæ affectui student: diacarthami, drachmæ tres: conseruæ violarum, penidiorum, singulæ semunciæ: cum syrupo violato. Si pilulas mallet, imbecillo ventriculo: aloës semuncia; rhabarbari, drachma; agarici, scripulus: zinziberis, myrrhæ, mastichis, cuiusque semiscripulus: cum melle rosato fiat massa. Diacassia vtilissimè quoque præscribitur. Bolus sanguinem mundans in pectore, qui cæteris facilè accommodari potest: polypodij recentis vnciæ tres; glycyrrhizæ vncia; passularum, ficuum, singula paria viginti; dactylorum macератorum aqua vel vino decem: anisi, fœniculi, singulorum sesquidrachma: seminis maluæ, drachmæ duæ; alihæ semuncia; violarum pugilli duo: eoque in aqua dum emollescant: fructus contundantur, & per setaceum traijciantur: iuri sacchatum addito: cinnamomi, drachmam semissem: fiat Opiatum. Sumi poterit cum agarici decocto, vel sennæ. Pectori & capiti confert. Si ad bilem id formare velis, adde pruna, tamarindos, berberim, semina frigida, passulas, violas, cassiam, rhabarbarum, boraginem, syrupum rosatum solutiuum.

In pectore.

Diamanna Nicolai Alexandrini, quam descripsimus vbi egimus de his quæ leniter bilem purgant. Nam in purgantium seriem copiosiùs hæc pharmaca quæ leniter eruditates pituitosas, biliosas, & melancholicas educunt, referre voluimus.

Hortilitia remedia Lenientia.

Cum quædam hodie Naturæ Tenellulæ ad omne remedium nauseent, desudent & quasi expallescant, vsus blando quodam fuco remedium inuenit, absque rusticitate rusticum. Arbusculam eliges nobili fructu celebrem, bimatum aut trimatum excedat, læto solo & cœlo prognatam. Hanc ineunte anno, cùm turgere nouo succo solent gramina, nonnihil supra radicem findes, cortice clementer violato, nec iniuria disrupto: hinc cuneolis arborem aperies, caudicem emedullabis, pharmaco valido implebis, quod ramen primùm maceratum fuit, vt elleboro; aut colocynthide. Sed detur locus nutricatui, nec via, nimio infarcto, alimento intercipiatur, argilla & fimo bubulo vulnus obligetur, & ne frigus aut pluuia noceant, pice vestitum corticem tenerum apponemus. Alij, cùm arbuscula carbunculos florum rudimenta pandere satagit, conspeliunt & infodiunt fimo ritè temperata medicamina. Alij insignem ramum radicis medium secant, ac vasi refertо medicatis rebus inserunt; arctè ne quid diffari possit, obstruunt: quotannis ineunte Vere id opus renouant. Nonnulli medicatis succis rigant radicum alimenta. quidam perforant vitra medullam ingentis arboris ramum, ac pharmaca inserunt. Alij herbis quoque vim purgatricem inferunt, maceratis seminibus (vnde illæ nascentur) in diluto vi purgandi imbuto, ac hinc lactescentes herbas eodem succo rigant; aut nudatis modestè radicibus aspergunt. Sint herbæ hoc mangonio tingendæ, natura lubricæ; qualis lactuca, malua crispa, violæ, spinachia, brassica, beta, portulaca, pepones, cucumeres. Ita Vites quoque medicatos fructus proment: radices circumsarrito & purgato, ac contusas veratri radices apponito: his stercus vetus, & veterem cinerem, ac duas partes terræ affundunt. ita Romanus Cato. Geoponici Græcorum aperiunt vitem, medullam eximunt, & elleborum inserunt, ac emplastro, ne quid effluat, tegunt. Iam, cùm noua de grauido palmite gemma tumet, radices porant succo purgante, cauendo Aquilonem, idque per dies aliquot. Nonnulli sarmentum vitis in vas demergunt medicatis succis semiplenum; à maceratione longa, illis terra misceтur, detinetur dum flagellorum oculi nituntur exire: nam ex auctoritate Dioscoridis, vbi de vino agit Phthorio, libro quinto, capite quadragesimo quinto, si somniferis herbis eo modo vites aspergantur, fient somniferæ earum vuæ. Quidam foramine medicamina viti etiam inferunt, vt theriacam & mithridatium, quò pestifugas vuas procreet: sed noua affusione iuterdum senescens vis excitanda erit.

Animalium præterea pulpa, Lac, & oua purgatoria euadunt, dum horum parentes medicatis pabulis fruuntur; nam de Caprino lacte id olim asseruit Galenus, & de mulieribus Hippocrates. Et vsu videmus vim medicatam per matrem in lactentem infantem traduci. Quare triticum coquunt cum elleboro aut tithymalo, & agarico: siccato tritico hoc nutriuntur diu aues, hœdi, cuniculi gallinæ, porcelli. Alij ventri animalium medicamenta indunt, ac igni lento torrenda exponunt; ita insuccatur medicata vi assata caro. Vinum auidissimè bibit iniectas sibi medicatas vires.

Animalia.

OBSERVATIO.

In vsu remediorum notandum, quid ferat cuiusque peculiaris natura: nam non omnes eadem vi remedium ferit: quædam enim corpora, præpotentium quoque medicaminum potentiam contemnunt: alia quæuis percipiunt. Propterea semper à mollioribus auspicanda curatio, quo & assuescat remediis natura, & laborantis sensus exploretur.

CAPVT XXI.

De Purgantibus Pharmacis.

Pharmaca quæ peculiari quadam vi peculiarem succum ex corpore proliciunt, triplici serie continentur. Primam occupant medicamina lenientia, leuissima remedia: quæ aluum duntaxat emolliunt, lubricamque reddunt, & excrementa eius subducunt: μαλακτικὰ Græcis, vel ὑπακτικὰ γαστρὸς, vel ἐκκοπρωτικά: partim cibi, partim medicamenta. De his præcedenti capite abundè egimus. Verumtamen ad horum classem pertinent & ea pharmaca, quæ his non multò efficaciora sunt, quæ aluum eliquando etiam succos peculiares in ventriculo ac mesenterio contentos euehunt, alia quidem sunt χολάγωγα, hoc est, biliosum succum ducentia: alia φλεγμάγωγα, pituitosum: alia μελανάγωγα, melancholicum: alia mixtum humorem euacuant. nam quæ hodie αἱμάγωγα dicuntur, tantùm reddunt sanguinem fluxiliorem, apertis ac reclusis ani aut vteri venis. Secunda serie continentur ea pharmaca quæ mediocri vi trahendi prædita, è venis succos prolectant. Tertia, acerrima continet, quæ totum corpus validè inaniunt, ac contumaces affectus demoliuntur: hæc ob efficaciam dicuntur Græcis δραστικά, vulgò Eradicatina. Qui susque deque his vtuntur, contemptis his ordinibus, maximis damnis ægros augere solebant: quod hoc tempore nimis frequenter euenire solet.

Species purgantium.

Purgantia *itaque medicamina dicuntur quæ certum humorem è corpore proliciunt, aut plurimos euehunt, excepto sanguine.* Hæc autem pharmaca, vel sunt simplicia vel composita; eaque vel leniter vel validè, vt iam diximus, purgant: quare certo ordine illa distinguemus, in cuiusque humoris educendi serie. Hoc tempore pharmacopolis quintuplex est Solutiuorum forma parata: Syrupi, electarij mollis, solidi electarij, pulnerum, & pilularum, quas Græci Catapotia vocant.

Purgantia.

Forma officina.

Obseruatio. Quòd si pharmaca velimus ita comparata habere, vt ex peculiari aliqua parte corporis humores eximant, addemus remedia illi parti studentia: hæc prodita sunt à nobis antè. Præterea pilulæ ex capite validè prolectant, nam diu hærent in intestinis: ex ventriculo, aloë: ex liene, sennæ: è iecore, rhabarbarum: ab intestinis & mesenterio, agaricum.

A parte trahant.

Quamuis ea quæ fœdis ab humoribus corpus vindicant purgando, cordis sanguinem ac spiritus viuidiores reddant; tamen parcè his vtendum, ni necessitas per morbos eorum vsum nobis extorserit: Etenim in exclusione

Cautio. Parcè purgandum.

ſione materiæ morbificæ, vnà ferè quid exhauritur, in quo naturæ vis inſedir: tum quòd Natura, cùm in ſuo munere verſatur, in babitum corporis traiicit alimentum(quo cotidie fruimur)quaſi;ad petipherιã: at pharmacum à peripheria in centrum ſuccos & ſpiritus abducit. His itaque duobus aduerſis motibus mirum in modum ſatigatur Natuta: Nil enim ægriùs natura ferre poteſt, quàm duos contratios motus vno eodemq́ue tempore. Hinc reuerendus ille ſenex Hippoerates dicebat, Pharmacum mundum reddit corpus, & crebro vſu maturam infert ſenectam. &, graue eſt hos purgare, qui ſecura ſanitate fruuntur; nam vires franguntur reſolutione partium ſolidarũ, ab hypercatharſi ſucci alibilis.

Cautio. Ea cautione ſempet opus erit, ne vnquam dum purgare conſilium eſt, in ipſa purgatione theriaca vtamur, niſi frenare vim pharmaci velimus: etenim ilicò reſtagnat à theriaca laxior alui effuſio; nam domat illam purgatricem remediorum vim theriaca. Eſt enim purgatrix vis vehementior, media quædam poteutia, inter alimenta & venena, hanc dico vincit ac eluit theriaca.

Obſeruatio. Clyſma e nõ tuendum. In purgantiũ remediorum vſu, cum illa ſuum officiũ non faciunt, Pragmatici clyſma iniiciunt, non dextrè, nec turò, inquit Oribaſius: nam diſtentis inteſtinis pharmaco, ac tuentibus ſuccis, aditu prohibetur remedium. quare hoc auctore, glandem impoſuiſſe præſtiterit ex melle, cum ſemidrachma ſalis, fellis bubuli, & ſucci cyclamini: ſin flatus in vitio fuerint, remiſcebimus cymini ſemen. Vel, Clyſma acrius exigua mole infundatur; vt ad vncias octo: aut ſorbeat potiùs ius pulli cum ſale, vel melle, aut ſaccharo, hoc enim mitiſſimum eſt.

In inflammatis. Præterea ſtudioſè ſeruandum in morbis ab inflammatione obortis, lenientia pharmaca commodiora eſſe quàm validè trahentia: vt antecedens cauſa abſcindatur, quæ in prima aluo coaceruata fuit. Quæ enim fundunt ac agitant ſuccos, fluxum excitant, nec quicquam à parte inflammata exhauriunt. Rhabarbarum autem & ſyrupus roſatus ſtrictione fluentem ac furentem materiam intercipiunt: quare ineunte morbo horum vtilis erit vſus.

Notandum. Notandum, vt ſemper grata quædam pharmacis aſpergantur; & ea quæ humorum craſſitiem incidunt, & tranſitum præbent, interdum iniiciantur.

Tempus exhibendi.

Propinantur pharmaca purgantia quinque vel ſex horis ante prandium, ne aliena permiſtione fracta è ventriculo excidant: ſed vt minimè impedita venis ante paſtum ſeſe inſerant. interdum tamen ilicò cibum excipere debet pharmacum, proſtratis viribus cum languet corpus, ne fariſcat: quamuis enim fœdior illuuies è corpore purgationum vi eluatur, vnà tamen benigni quid exhauritur, in quo vires domicilium ſuum habebant: vt luce clarius appatet in bis qui hydropi immerſi, ſe ſecandos exhibent: his cùm confertim aqua effluit, moriuntur. Si medicamen bæſerit in ventriculi ore, Hippocrates id eluebat ptiſana. Hauſto remedio, ſomnum ineat ſeſquihoræ ſpacio; quò faciliùs natiuus calor in opus id efferat. Sed quò vẽtriculus validior fuerit, hoc minùs dormiendum: alioqui ſomnus maximè prodeſt. Pragmatici duabus aut tribus horis à cena exhibent pilulas, totaq́ue nocte ſomnum indicunt: hoc illi ex Auicennæ ſcripto. ſed eius erat ſententia, vt rantum pharmaci ſopita vis excitaretur calidi natiui viuida vi, vtq́ue potentia quod valebat, in actum effloreſceret. hoc facilè fit per ſomnum, cùm commodiſſimè tunc cuncta amplectatur qui in ſtomacho reſedit naturæ feruor; etenim huius vi per ſomnum coctiones ſuum pulcberrimè officium faciunt. Quare poſt octo vel nouem horas à cœna illas ſumant, & per ſeſquihoram ſuperdormiant. Pharmacum tamen ſuum munus exigit cùm diſtribuitur: hoc autem fit per vigilias. Hæc accipienda de illis, quæ in ſubſtantiam corporis verti nequeunt; nam Caſſiæ ilico cibus iungi debet: quare cùm cibus exhibetur vnà cum caſſia, tunc bene ſomnus præſcribitur à Medicis; alioqui eius facilitate pro nutricatu Natura abutitur.

Quantitatis ratio in Purgantium Simplicium vſu.

Gradus qualitatum in remediis. Symmetrũ quid. Gal. 5. ſimplic. in fine. Simplicium pharmacorum copia primò ex qualitatibus manifeſtis initur, quæ varia ſerie à clariſſimis Medicis diſtinctæ fuere. Symmetrum remedium vel temperatum vocamus, in quo nulla vis caloris, frigoris, humiditatis, vel ſiccitatis ſentitur. In his autem quæ hanc moderationem ſuperant, quatuor ponimus ordines; nam hi ad vſum ſufficiunt. Calidumque nominamus primi ordinis, quod nos calfacit, non tamen euidenter, verùm ita vt rationis ſubſidio opus ſit: ita frigidum, humidum, & ſiccum, quod, nondum emicans viuida vi, demonſtrationem rationis exigit. Quæ autem manifeſtè calfacere, refrigerare, humectare, ſiccare poſſunt, ea Secundi gradus eſſe dicuntur. Sed quæ validè, non tamen ſummè ſuas vires exſerunt, Tertio ordini adſcribemus. Quæ verò adeò vrunt vt eſcharam inferant, Quarti ordinis eſſe affirmabimus. Nec vllum natura dedit, quod quarto gradu ſiccans, non etiam vrat: quamuis tertio in numero quædam ſine vredine ſiccare poſſunt; qualia ſunt adſtringentia, agreſta, rhoë, alumen, balauſtia, galla immatura. Quæ vehementiùs refrigerant vſque ad internecionem, quarti ſunt ordinis. Quilibet horum graduum ſuum habet ambitum ac latitudinem, in quibus coërcetur. Hunc cuiuſuis numeri ambitum in tres ordines Pragmatici diſtinxere, vt nempe paulatim (triplici ſerie) auctior vis increſcat ad vlteriorem gradum. Vt, in ſiccis, vicina vrentibus ſunt ſquama æris, æs vſtum; dubia nempe inter tertium & quartum ordinem; in medio tertij gradus eſt æs vſtum & lotum; in principio tertij numeri hypociſthus. Ita triplices & Græci conſtituere graduum ideas: Nec enim perinde vrit ſinapi, vt cauterium, licet ambo ſint quarti ordinis.

Lenientium ex qualitate actio. Moderatiora lenientia dantur ad vnciarum duarum pondus, & minima eorum moles ſit ſcriptulorum duorum aut drachmæ vnius. Cùm ad potentiora aſſurgimus pharmaca, ex qualitatum intemperie eorum copiam accidimus: vnus enim intemperiei gradus mediam temperati remedij quantitatem abdicat: hoc exemplis meliùs elucebit.

Caſſia. Caſſia, quia calore nec frigore temperiem fugit, exhiberi deberet ad vncias duas, modò eadem temperie humor eius imbutus eſſet: ſed quia madet ordine primo, debebitur ei copia vnciæ vnius: aſt cùm tanta moderatione prædita ſit, vt naturæ familiaritate quadam facillimè ſeſe ſociet, hanc molem ſuperabit (qua alimentum) & offeretur ad drachmas decem, pro moderata copia; vſque ad vncias duas: hæc enim cum natura noſtra amicitia ſemper maiorem quantitatem ſuggerit. Quoq; maior copia caſſiæ exhibebitur, eò grandior acceſſio fiat eam corrigentium.

Pruna. Ita pruna quòd madent numero ſecundo, offerenda eſſent ad ſemunciam: ſed quòd malignitate cuncta ſpoliata ſunt, ad medullæ eorum ſeſcunciam veniunt.

Tamarindi. Similiter tamarindi frigidi & ſicci in ſecundo ambitu. ſuperant igitur quod temperie emicat medicamentum; quare exhibendi erunt ad ſemunciam: ſed quia ſubſtantiæ benignitate præclarè dotati ſunt, offeruntur ad ſex drachmas.

Manna. Mannam, quia ferè temperiem attigit, damus ad vncias duas, & ob naturæ quam colit familiaritatem, ad tres vel quatuor vncias tutò ingeritur, nam & nutrit.

Viola. Violarum ſuccus friget & humet ſecundo ordine: propinatur à ſemuncia, ad vnciæ molem.

Fumaria. Fumaria calet numero primo: conuenit ei doſis media temperati medicaminis, quæ eſt vnciæ: ratione verò ſiccitatis, qua aret numero ſecundo, debebitur ei doſis ſemunciæ: ita ſimul ſurgunt drachmæ duodecim: & minor ei doſis ſeſe eriget à ſemuncia.

Myrobalani citrinæ, quia frigent primo receſſu,

vnius

vnius vnciæ copia admitterentur: sed ob siccitatis quam gerunt duorum graduum intemperiem; semunciæ pondus his conneniet: quare ad duodecim drachmas in vsum medieum trahentur: hæc maxima earum copia erit: media autem dosis erit drachmarum sex: Sed quòd his vtamur cum lenientibus, nempe remixtis cum cassia vel sero lactis, copiosè præscribi poterunt: at cùm rhabarbaro iunguntur, tres drachmæ suffecerint.

Scammonium. Scammonium præparatum calet & siccat tertio numero, quare eius semuncia offerenda esset; sed cùm caloris & siccitatis efflorescentia, viuida efficacia vires suas egerat ac discrimen inteutet, cùm non longè à veneno absit, veteres talium vim accidendo castigarunt, non aliter ac si frigore & madore vitium fecissent vsque in tertium ordinem à moderato declinantia: quare grana septem & semissem Scammonij iam dosim constituunt.

Melior ratio. Sed præstat vsu iam compertas medicaminum doses certas constituere, quàm subtili ratione non satis compertas indagare: quamuis & hæc nonnihil conferre possit ad horum vsum rectè ineundum. Quæ larga manu exhibeotur pharmaca, lenia sunt; nam quæ exigua mole daotur, magnam vim gerunt, & ni ritè parentur, iactatiooe mirum in modum corpus fatigant.

CAVTIO.

Si qui succi purgandi mixti fuerint sanguini, pharmaco opus erit leni & placido, nec voquam transeatur manna, syrupus violatus solutiuus, aut rosatus solutiuus.

De compositis purgantibus.

Compositorũ vtilitas. Antiqui commisere varia inter sese pharmaca, quò plures succos simul euehere ex corpore liceret, & à diuersis partibus conceptos elicere humores. quin interdum, solitariom vt pleniùs educamus qui in vitio est succum. accedit & illud, quòd fermentationis velitatione iuncta pharmaca malignitatem exuunt, faciliusque peruadunt sine noxa corpus. Eo modo noxiæ medicaminum qualitates leniuntur, temperie contraria domitæ. Experientia hæc probat, ac ratio annuit: traiiciunt enim sese mutuò mixtorum qualitates, ac totæ totis miscentur: vt cùm elleborum in diluto polypodij ex mulsa miscetur, præscripto ex Hippocratis, cum aniso, cymino, danco, vel silere; horum aromatum qualitas sese miscet cum qualitate quæ ex elleboro manat, ac ita hebescit & retunditur eius noxa Cùm autem sint innumera pharmaca composita, ex his optima & pauca erunt eligenda, maximè quæ vsu fidem inueoere.

Vnde inuenta remedia. Veteres tribus modis composuere pharmaca: primò, experientia tantùm: secundò, rationis ductu: tertiò, ratione & experientia iunctis. Primo modo inuenta remedia non tutò in vsum ducuntur, auctore enata cæca fortuna Secundo modo deprehensa, Rationis soboles sunt: hæc ex regulis componendi pharmaca enata fuere, nempe ex mistione qualitatum diuersarum, vnde vna ex iunctis qualitas surgit. *Componendi pharmaca Regula.* Sed Ratio nimis latè se fundit, ni castigetur rationali quadam experientia. ideò vt ritè mixtionem inferamus pharmacis, ratione & experientia iunctis id optimè consequemur: hoc vt fiat, miscenda remedia optimè cognita, ac eorum vires apertæ nobis esse debent. Noscenda itaque remedij substantia, & qualitas, siue ea fuerit prima, siue secunda, aut tertia.

Substantia. Substantia, num medicamen graue, leue; rarum, densum; crassum, tenue; lentum, friabile; vacuum, plenum; purum, impurum.

Qualitates. Qualitate, num calidum, frigidum, humidum, aut siccum. Calidum si fuerit, Caloris est calfacere, subtilia reddere, rarefacere, maturare, aperire, mordicare, inflammare, vesicas inurere, attrahere, consumere, rubrificare, in crustam vrere. Frigoris est inspissare, coctioni nocere, obstruere, congelare, enecare. Humoris, humectare, lenire, glutinare, obstruere, flatus mouere. Sicci, siccare, arefacere, emaciare, coarctare, attenuare, corrugare, scindere, squamis fœdare.

Et Sapores internuncij sunt qualitatum primarum. *Sapores.* Acutus sapor vel acer, facilè inflammat, aperit & attenuat, si citra tertium ordinem subsistat; vt hyssopum, thymus: nam alioqui vrunt, vt pyrethrum: natura huius est tenuis & ignea: in materia friabili consistit, & citò in opus efflorescit. Amarus sapor siccat, arcet putredinem, flatus excutit, in terrestri resedit substantia adusta. Salsus incidit, mordicat, siccat, & modicè penetrat & adstringit, calet, minùs terrestris quàm amarus, deterget, & digerit aut absorbet humida. Dulcis lenit, obstruit magis quàm pingue, maturat, coquit, dolorem placat; putredinis est auctor; soboles est moderati calidi ritè coquentis, materiam sortitur calidiorem & tenuiorem quàm insipidus sapor; sed paulò crassiorem quàm oleosus: calidæ, aëreæ, & temperatæ est naturæ, quare & doloris euincit ferociam. Insipidus densat, lubricat, obstruit emplastica vi, magis friget quàm dulcis sapor, aquosa eius substantia est & crassa. Acerbus, cogit, repellit, roborat, vnit, refrigerat, siccat; terreus est, & crassæ planè essentiæ. Austerus, lenior est, immaturis fructibus proprius; qui, si caloris vi mitescant, dulcescunt; sin succus eorum crassescat, austeri omnino perseuerant: quod si perdurante eadem in fructibus frigiditate, tenui quadam humiditate perfundantur, acidi erunt: at caloris ac humiditatis aqueæ accessione dulcescunt; aut olei æmulam vim induunt, si aëreo madore rigati fuerint, non sine calore. Acidus penetrat, aperit, incidit, diuidit, attenuat citra calorem, ex tenui siccaque materia constat. Pinguis ex tenui aërea materia & temperata constat; laxat, humectat, & mollit.

Variæ remediorum vires aucupantur quoque ex Odore: sed odor imitatur saporem: quare de his supersedeo,

Vt autem primùm in qualitatibus quatuor series posuimus, ita & in Substantiæ Modo graduum excessum ponimus: vt si quid tenuius incipiat esse quàm temperatum, id in primo gradu tenue dicimus, ita vt tenuissima in tertium gradum excurrant: & illa sese in humores & corpus promptè inserunt & insinuant. nam quartus tenuitatis numerus ad ignem aut aërem abit. *Gradus.* Similiter quæ crassescunt ad ordinem tertium, dicuntur crassissima: nam quarta in serie terræ naturam redolent. Ita & de Saporibus constituendum.

Ex his iam facilè componi poterunt Lenientia, Præparantia, & Purgantia, & ratio compositionis reddi: verùm securius esse existimo, vt iam vsu probatis vtamur, quàm ad exempla eorum noua in vsum accersere. Nota iam est quantitas catholici, ad drachmas decem quod securè datur, confectionis hamech ad semunciam; & ita optima quæque vsu notata fuere. His vtemur tutiùs, quàm nouis. Hoc tempore de paulo validioribus drachmæ sex, aut paulo plus minúsve, pro ætatis, sexus, & anni, temporumque ratione, & pro sumentis viribus exhibentur. De mitioribus, quæque sine tumultu mouent aluum, vnciam integram præbemus.

Trochisci purgantes, de rhabarbaro, de eupatorio, de agarico, de violis cum scammonio, de miserio, scillitici, & alhandel.

Pharmaca purgantia morbificum succum excludunt per vomitum vel per sedem: de his seriatim iam nobis agendum erit.

Vomitu Purgantia.

Vomitoria. Per vomitum excluduntur quæ superiore parte ventriculi natant: hâc commodè exhauriuntur ob viæ breuitatem. Quædam id leniter possunt, hisque maximè vtimur vbi nausea fatigat, & cùm os amarum est, cum præcordiorum dolore. Horum nonnulla soluendo os ventriculi concitant in vomitum; vt olea, & aqua tepida,

tepida : ficuum decoctum, & sua leuitate agaricum. Alia fortiora vomitum citant turbando, vt asarum, raphanus, atriplex, elleborus. de his seriatim agemus.

Illud obseruabile, ne erremus, duplicem esse vomitum: generalis vnus, & alter particularis. Generalis, cùm totius corporis compages, si quid mali conceperit, effundit per vomitum. Ita sapientissimus senex quarto Aphorismorum sexto, scribit hyemem cauendam esse in vomitu. At de particulari loquitur libro De salubri diæta, vbi ait, sex menses hybernos vomendum esse, hoc enim tempus inquit in pituitam fœcundius esse: nam hîc pars, nempe ventriculus, tantùm euacuatur. quemadmodum eleganter demonstrauit Galenus quinti De vsu partium, quarto capite. Ita etiam Herodotus scripsit in Euterpe, vbi narrat Ægyptios singulis mensibus solere vomere.

Cautio in vniuersali vomitu.

4. Aphorismorum 6. *Purgabimus per vomitum*, inquit Hippocrates, *graciles temperamento & habitu* (non morbo,) qui nempe distentas habent sanguine venas, ac carnes macilentas, *modò*, inquit, *vomant ex facili*, vt qui sunt amplo pectore, capite firmo, nec obnoxij cephalalgiæ, hæmorrhagiæ, aphthis, veterno, aut pulmonum morbis. *Cauendo*, inquit, *hyemem*: quasi dicat, plus tribuendum inclinationi humoris hyberni, quàm temperamento & habitui. *At*, dicit, *nunquam tabidi* (vt qui collo sunt exili) *vomant*, ob grauiorum symptomatum metum. *A morbi vehementia.* Vtilis est vomitus, in profluuiis alui, ani, vesicæ & renum morbis: quin & in orthopnœa cõuenit. Sed quò vehementior fuerit morbus acutus, eò lenioribus erit vtendum: longis enim & obfirmatis affectibus tantùm confert vehemens vomitus, qualis est epilepsia à stomacho, melancholia, podagra, elephantiasis, paralysis, sideratio. Verùm mulsæ cum hyssopo coctę vsus præcesserit oportet, & cibi humidi, & ocium, vbi grauius est Vomitorium. *Cautio.* Abstinendum vbi caput dolet, aut phlegmone interna obsidet, hæmoptysis vbi molesta; nec confert tabidis aut morbo exhaustis, nec suffusioni oculorum obnoxiis, lipothymiæ & vterinæ affectioni expositis incommodat: quique fracto nauseabundoque sunt stomacho, ab his abstineant.

Vomitoria Leniora.

Vbi à tenuibus succis nausearit quis, ante cibum vomat: vbi verò à pituita crassa, post cibum: in febribus, vbi (qui facilè vomit) nauseat.

Vt si materia fluctuarit in ventriculo Biliosa, lenissimum medicamen præscribendum erit: aquæ hordei tepidæ, vel iuris pulli tepidi vnciæ decem vel duodecim, syrupi acetosi simplicis sescuncia: pro vomitorio. Non misceo oleum cùm febris adest: nam ventriculum nimis laxat, cuius robur in febribus est seruandum.

Aliud fortius: iuris pulli tepidi, vnciæ decem, succi raphani, oxymellis simplicis, singulæ sescunciæ.

Quæstio. Dicet quis, qui per febres vomunt initio paroxysmi, his lenior illa euenit; semper igitur vomendum. Respondemus, interdum metum syncopes incumbere, cùm prauior materia stomachũ vellicat, id sentit cor. Quare ita hæc res tractanda, si mitescat à vomitu febris, vomat: quod si antè in syncopen inciderit cùm vomeret ante paroxysmum, clysmis potiùs subducatur materia morbifica: ac roborantia ventriculo admouebimus, ne ruentem à iecore accipiat materiam. In tertiana verò ineunte accessione vomat: in cottidiana signis coctionis apparentibus.

Vomitoria. In officinis nullum compositum vomitorium exstat. Vomitorium, Electarium Diasarum, & tutum & laudatum Fernelio, libro septimo suæ Methodi. Radix asari datur à drachma. ad scriptulos quatuor: in infuso à sesquidrachma drachmas ad tres. Aliud: Succi raphani, vnciæ duæ: sit cum mulsa expressus: vel seminis semuncia ex mulsa, sero lactis, vel aqua hordei: alij addunt olei sescunciam. Aliud: Succi raphani sescuncia, oxysacchari simplicis vncia, iuris pinguis pulli, & tepidi vnciæ decem. Aliud: Peponis radix: mite est remedium, à scriptulis duobus ad drachmam propinatur ex mulsa: Ita vrticæ semen ex iusculo leniente cum saccharo, à semidrachma ad drachmam præscribendum. Gesnerus vir doctissimus secundo libro Epistolarum, epist. vndecima, fol 63. ita refert: Eupatorij aquatici, vel Auicennæ, radicis fibras in vino nuper decoxi, bibi colatum, vnde per horam pòst, aluus & vrina copiosè motæ sunt, & vomitus post horam duodecies ferè, pituita plurima euacuata, facilius & tutius quàm ab elleboro. *Eupatorij vis* Aliud: Cortex medius iuglandis arboris, cùm succo turget, siccatus: & maximè eius iuli, qui florem præcedunt, ac decidunt frondescente arbore: hi furno siccati & tusi ad drachmæ pondus præscribuntur, ex leniente liquore vel vino albo: vomitum ciunt, ac colicos nephriticosque dolores tollunt. Vxor Theotimi, apud Hippocratem, vomebat ex succo granatorum mulso: & à febre curata fuit. Leniter vomitum mouet hoc medicamentum: Radicis vel seminis raphani vnciæ duæ, seminis atriplicis, anethi, cuiusque semuncia; asari drachmæ duæ: fiat Decoctio: in iuris colati vnciis octo vel decem dissoluo olei rancidi, vel butyri, vel syrupi violati vncias duas vel tres: bibatur tepidum confestim: & ilico corpus exerceat. Balanus myrepsica calet tertio recessu, lenta mouet & crassa; medulla eximitur & siccatur, igneque torretur: datur cum fœniculo, cinnamomo, & saccharo, subacta coquitur in massa; dosis à semidrachma ad drachmam.

Olei liui, & nucis, & amygdalorum amarorum cochlear, cum aqua tepida. Asarum cum oxymelite. Agaricum cum oleo anethi. Oleũ Scorpionum, plumâ gulę illitum. Rasura proprij vnguis hausta ex vino, ilico vomitum mouet.

Vomitum validè mouentia.

Vomitoria valida. Succus è cortice radicis sambuci, & ebuli; puluis eupatorij Mesuæ, vulgo gratiola vocata. Vitriolum Romanum exsiccatum, vel chalcanthum, dissolue in aqua; depuretur per residentiam, depuratam euapora: quod in fundo erit propinabis ad grana duo, cum conseruæ rosatæ, rorismarini, vel buglossi drachma. *A vomitu.* A vomitu nutriatur æger aqua carnis; hinc dabimus quid carnium cydoniorum, cum cortice citri; vel vinum frigidum, ribes, aut decoctum menthæ & pulegij. Matthiolus laudat antimonium, si rusticus pinguior fuerit.

Præstans remedium: Bryoniæ, cyclamini, cuiusque vnciæ tres, ellebori albi vnciæ sex: purgentur accuratè, ac redigantur in puluerem: leniter siccentur in aëre: his affunde aquam vitæ, dum duobus digitis supereminceat: digeratur aliquot diebus in balneo: hinc lentè distilletur, dum nil vltrà elabatur: quod restibile fuerit iterum in puluerem redige, ac huic nuper extractam aquam iterum committe: id repetatur ter. *Elegans.* Plumæ apicem huic liquori immerges, ac vino maluatico elues; quod propinatum, ilicò vomitum irritabit.

Hæc vis ab elleboro micat. Quæ purgationes ex Elleboro albo instituuntur, inquit Hippocrates in epistolis ad Crateuam, stabiliores & firmiores sunt. hoc, ait, Anticyreus in Hercule vsus est, & Melampus (vt testatur Dioscorides) in Prœti filiabus insanientibus. Vnde olim Melampodium dictum fuit Elleborum. *Elleborismi Termarsis.* Scribit Dioscorides libro quarto, præparationem corporis ac victus rationem quæ antecedere Ellebori vsum debet, diligenter olim descriptam fuisse à Philonide Siculo Ennensi. Elleborum itaque album robustis ritè paratis, in pertinacia morbi conuenit. Fibræ eius ad scriptulos duos in raphano figuntur, qui tandem in iure pingui cum aniso & cinnamomo maceratur; expressio cum saccharo propinatur. Verum non sine summa CAVTIONE hoc remedio vtemur, est enim valentissimum, & *cùm Antimonij vires contemnit morbus, in*

auxilium euocatur, modò validæ vires efflorescant. Herophilus antiquus medicus Elleborum fortissimo duci æquabat: concitatis enim intus omnibus, ipsum in primis exire dicebat. Ideò erraſſe antiquos, parciùs illud præbẽdo, cùm celeriùs erumperet quod daretur largiùs. Hoc remedio opus eſt in inuictis morbis: & ob id Abincenna eo vtebatur in Melancbolia hypochondriaca. Sed dico accurate illud præparandum eſſe. Etenim Oribaſius libro ſeptimo capite pen. & libro octauo, ſcribit veteres ſæpe ab vſu eius interiiſſe, quòd mos præparandi eos lateret. Subdit Oribaſius, & id tamen valere aſſerit ad morbos contumaces, qualis eſt dolor diu multumque fatigans, Epilepſia, Incubus, vertigo, apoplexia, & melancholia.

Vis eius.

Quare vt rectè vſus eius ineatur, quædam notanda in ipſo elleboro, quo modo illud parari debeat: & quædã notanda in corpore cui exhibebitur. Cùm enim præcellens remedium ſit, & ſatis tutum, modò commodè propinetur, eius vſus exactè noſcendus erit. Quare in Ellebori albi vſu Cautiones quędam obſeruandæ veniũt.

Cautiones.

Prima, ſit corpus immune ab omni febre; maximè à continua: etenim in febribus continuis, nunquam exhibuit Hippocrates elleborum album: Galenus in quartana id propinauit.

Secunda, antequàm vſus eius ineatur, paretur corpus ad vomitum, ac quaſi aſſueſcat vomere. A cœna igitur crebrò vomendum, & etiam ieiuno ſtomacho: hinc intermittant duos vel tres dies, ac mox elleborum exhibe. Qui autem difficilè vomunt, ad viginti dies, inquit Oribaſius, id agant; & vigeſimo primo vtamur enemate & balneo aquæ dulcis, vt facilè laxum corpus euomat: poſtridie leniter fricetur oleo ſuaui oliuæ, aut amygdalino; corpore ita vncto, exhibe elleborum album. Vt autem rectè paretur corpus ad vomitum, vtantur in cœna raphano, inquit Oribaſius. Sit corpus non cibo onuſtum (nam id deprimit ventriculum) paulò tamen liberaliùs comedant. In cœna, prima alimenta non ſint acria, non pinguia, non dulcia: nam his locus erit à primo cibo. Quare accipiat primò vitulinam & pulli carnem; hinc caricas, paſſulas, & vinum dulce (minimè ad ebrietatem) lentè bibant: poſt cœnam ſit quies ſine ſomno: à duabus horis ambulent; vomant. Sed ſi quis difficilè in vomitum ſoluatur, ante cœnam balneum ineat; exhibe raphanum & cibos oxymelite perfuſos, quieſcant horas duas, dein ambulent, ac vomant: à vomitu ocium agant, hinc dormiant. A ſomno parum ambulent, mox in balneum ſe conferant aquæ dulcis: dein edant auiculas cum aromatibus: & tunc propina elleborum.

Sumpto elleboro, os abluat aqua frigida; & aromata naribus affundantur, quò ſpiritus viuidiores emicent. Si viribus ſit firmis, ſedeat à ſumpto elleboro horas tres: ſi debilis, iaceat: & ne decumbens enomat, manus & pedes fricentur; ita non iuſto citiùs remedium abiiciet. Quare ſpaciis quibuſdam interpoſitis, liganda erunt extremæ corporis partes & fricandæ: deinde liberè enomat per horas tres.

Singultus.

Notandum, media in purgatione oboriri ſingultum: illum placabimus data mulſa cum ruta. In fine purgationis, ad mitigandum remedij acrimoniam, & vt faciliùs ſe à pharmaco expediat, dabimus aquam tepidam, & poſt horæ quadrantem euomat.

A Vomitu.

A Vomitu vniuerſum corpus oleo amygdalino illinemus, eum adipe gallinæ. Si fortè incurrat metus ſuffocationis, quod euenit eùm non euomunt hauſtum remedium, clyſma iniiciemos. Sed quo tempore propinabitur elleborum, qua Quantitate, & quo Modo?

Tempus.

Tempus. Non vomat ab elleboro niſi coctâ materia morbifica. Scribit tamen Oribaſius non procraſtinandum; nam die inuicti euadunt morbi. & inquit, non detur elleborum ante cibum, ſed à paſtu, nam ita promptiùs euomunt.

Copia.

Quantitas hæc, inquit Oribaſius, triplex eſt: maxima, duarum drachmarum: minima, ſcriptulorum quatuor: mediocris, decem obolorum, ſeu ſcriptulorum quinque. Et, inquit, maior data copia copioſiùs euacuat: minor difficiliorem purgationem facit; nam agitat ſuccos, & naturæ negocium faceſſit: mediocris, mediocrem efficit purgationem, & facilem.

Modus.

Modus. Sit Elleborum album optimum, non viride ſed ſiccum, incidatur, cum aliis remiſceatur: non ilicò propinetur, ſed dies quindecim fermentetur. Si incidatur elleborum in grandiores partes, non ita difficilè purgabit, ſed modica erit, non copioſa purgatio: in minores partes comminutum, copioſiùs vacuat, ſed difficiliùs. cauſa eſt, quòd Ellebori radix, ſi qua alia, validiſſimas habet vires, non in ſuperficie tantùm, ſed in tota ſubſtantia vehementer ac tenaciter impreſſas: quãobrem etiam diutiſſimè ſeruari poteſt, imò poſt decennium. In puluerem comminutum nunquam Elleborum exhiberi debet, nam ſuffocat ægros: quare qui grana quatuor vel quinque propinant pulueris, maximis damnis augent ægros.

Cauſa cur à minoribus partibus remedij perpetio difficilior.

Modi exhibendi Elleborum ſunt plurimi: datur enim ex placentulis fabricatis ea farina, melle vel ſaccharo, cum butyro: quidam allium remiſcent, quò vis ellebori ſumentem lateat, ſed tunc copioſius eſt addendum: & Oribaſius ſurgit ad ſemunciam ellebori.

Optimum Ellebori præparatio.

Tutius eſt Electarium: Ellebori albi ſicci, & inciſi libra: aquæ, libræ duodecim, vel quatuordecim: fiat infuſio per tres dies naturales; hinc fiat decoctio ad medietatis exhalationem: factaque diligenti expreſſione, abiiciatur elleborum, adde mellis libras tres: repetatur coctio tam diu dum mellis ideam & conſiſtentiam induat. hoc electarium vitreo vaſe exceptum, vſui reponatur. Doſis huius Electarij eſt à ſeſcuncia, (& interioribus à drachmis duabus, vel ſemuncia) ad vncias duas: exhibetur ex mulſa, vel aqua ſaccharata: & omnium optimè cum decocto aniſi. Grauiſſimi morbi hoc medicamine debellari poſſunt, vt comitialis, vertigo, inſania, hydrops, coxarum dolor, conuulſio, elephantiaſis. Si quis boli conſiſtentiam malit, coquatur prunis ardentibus in Bolum. Quod ſi decipiendi ſint ægri, placentulis aut paſtillis illud includemus.

Vires.

Modus tutus.

Modus vtendi Tutus in ſenibus, pueris, effœminatis, ac mollibus: Accipe veratri albi, ſicci & inciſi, drachmas quinque, aquæ ſemilibram: tres dies macerentur facta expreſſione, abiectoque elleboro, inaleſcat aqua in diplomate: paſſulas addere licet, nam quidam oliuas miſcent.

Aliud: Accipe ſemunciam radicum ellebori albi craſſo modo contuſarum, infunde vino Hiſpanico quod appellatur Petrus Simenes: huius libræ iniice radicum ſemunciam, & ſolibus æſtiuis expone. cochlearij menſura vomitum prouocat. Sin aluum duci velis, huius vini ſemicochlear miſce aluiducis remediis. Linctibus ſi remiſceatur, in empyemate mirè ad puris expectorationem facit.

Alius modus: Accipe ellebori albi ſemidrachmam, aquæ vitæ vncias duas; immacera dies quatuordecim, exprime per filtrum: propina drachmas duas, eum vino.

Meſuës exhibet raphanum, cui infixum hæſit elleborum ad drachmas tres: ſub dio ponuntur: abiecto elleboro, taleolas ea oxymelite macerabimus horis tribus: comedat, ac oxymel ſuperbibat.

Verùm vix tutiùs dabitur elleborum quàm ex præſcripto electario: nam domita, fermentationis velitatione, effrenis eius vis, corpus non ita iactat: etenim mel nunquam ocium agit his remixtum, ſed efficit perpetuo illo motionis incurſu, vt noxam omnem euomat.

Cùm ægri vſum ellebori per os reformident, electarium præſcriptum enematis indi poterit, cum mulſæ aut aquæ vnciis octo, aut decem: vt, exigua cum infunditur copia, diu retineri poſſit.

Qui

Qui præclara quædam de ellebori apud veteres vſu cognoſcere velit, legat Plinium libro 25. capite 5. Et Theophraſtum de hiſtoria Plantarum lib. 9. cap. 11. Et Agellium 17. 15.

Hactenus de pharmacis quæ per os excludunt materiam morbificam: iam ad ea veniendum quæ per ſedem purgant.

CAPVT XXII.

De purgantibus Bilem, quæ χολάγωγα Græcis.

Noua remedia periculoſa.

Bilem purgantia quædam ſunt mitiora; alia efficaciora, Græcis δραστικὰ, vulgo Eradicatiua. Et quæque horum aut Simplicia, vel Compoſita. Quæ certa iam ſerie proſequemur, ac ſelectiſſima vſuque longo comperta præſcribemus; longè meliora, nuper natis remediis, quæ vſus nondum ſtabiliuit: quamuis illa, noua iuuenta blandaque facie arrideant; attamen dies ſæpe venenum oſtendit, magna naturæ humanæ calamitate. Quare prudentia remedia, hoc eſt, ſeneſcentia, quæ ætatis temporisque ignem ac iniuriam ſuſtinere potuere, imo quæ inde vnde alia cecidere, gloriam retulere, amplectamur. nam vt quidam cecinit:

Tempora Naturam vertere nulla queunt.

Simplicia leniter Bilem purgantia, & aluum benignè laxantia.

Caſſia. Caſſia fiſtularis, quæ Actuario Fiſtula nigra ab aliis Siliqua Ægyptia dicitur. Optima eſt craſſa & grauis: quæ cùm quatitur, nullum internum ſonum edit: quæ fracta, pleno pulpamento nigro ſplendet. Humida eſt primo ordine, cæteris temperata. nocet languido ventriculo ac aluo lubricæ: propterea cortigitur aſperſo puluere Ducis, vel granis quinque piperis, & ſcriptulo maſtichis, aut puluere corticum myrobalanorum, rhabarbaro, ſeminibus aniſi, vel ſpeciebus hieræ ſimplicis, diatrhodonis abbatis, ſcordio, hyſſopo, craſſo modo contuſis, cinnamomo, berberi, tamarindis. *Correctio.*

Vires. Educit ex ſtomacho, pulmonibus, nam pectori omnino eſt dicata: pleuriticis vtilis, nam lenit: elicit ex hepate: febriles æſtus obtundit; placat ſitim, & ſqualenti corpori confert: ſanguinem purum reddit, ac flauæ bilis æſtum frangit: renes æſtu flagrantes recreat ex glycyrrhizæ decocto, & calculo reſiſtit: vrinæ difficultatibus prodeſt. Quouis Tempore commodè ſumitur etiam ineunte paſtu: tutò datur pueris & prægnantibus. Cautio: In Arthritide non temerè danda illa: nam pars eius in nutricatum abit, & ita laxas partes reddit, & fluxionibus obnoxias. Si itaque hoc in malo danda fuerit, eius vnciæ remiſce tamarindorum drachmas tres: aut maſtichis ſcriptulos duos, vel drachmam.

Modus. Interdũ adduntur Diapruni laxatiui, vel electarij de ſucco roſarum drachmæ duæ, vel tres; ne diu cunctetur in corpore. Si acuenda eius vis ſit, ſuperbibatur à ſumptione iuſculum, in quo hyſſopum aut thymus maduit; maximè ſi corpus pituiteſcat. Coquitur interdum cum ſucco endiuiæ, nec coctio eius vires exuit; ita flatus deponit & febribus reſiſtit. Eius vis primas venas non tranſit: quare & ineuntibus morbis tutò datur. Sed illico ſequatur hanc cibus, alioqui pro nutricatu ea abutitur Natura. Strictiore aluo, viribus eius acceſſio hoc modo fit, addito oleo dulci amygdalino, aut pſyllij muccagine, hyſſopo, vel ſero caprino. Accipitur in forma boli vel aqua diſtillata, decoctis, & ex iuſculis temperatæ carnis, aut ex decocto communi. Datur plerumq; ad drachmas decem: quamuis cum purgationis cauſa exhibetur, dari poſſit ad vncias duas. Pueris ſufficiunt binæ drachmæ, cum ſemine dauci. *Coquitur.* *Doſis.*

Cautio. Non detur his qui ex ventriculi imbecillitate laborant, aut inteſtinorum læuitate, aut flatibus, nec propinetur his quibus vlcus eſt in renibus & veſica: niſi pulpa iuiubarum vel tamarindorum, vel muccago pſyllij iungatur. calculoſis tamen conuenit, nam perenui vſu arenularum focum ſubducit. *Calculoſi.*

Pruna. Prunodactyla, hoc eſt, pruna Damaſcena dulcia, madent ſecundo numero, reliquis temperata: ventriculum patum lædunt laxando, id corrigitur adiectis tamarindis, aut ſucco roſarum, vel melle. Præbentur interdum cum manna, caſſia, & tamarindis. In bolo exhibentur, vel in potu ex hydromelite ab vncia ad ſeſcunciam. Nos, torrido Caniculæ æſtu, pruna tegimus foliis roſarum pallidarum; inſpergimus ſaccharum, quod eliquatum infert roſarum purgatricem vim pruuis: tenellulis naturis gratiſſimum medicamen. *Lene.*

Armeni, inquit Meſues, truncum pruni arboris, locis duobus vel tribus palmæ vnius interuallo, tenuiter perforant, immiſſoque ſcammonio lutant; pruna ob id purgatoria euadunt.

Tamarindi. Tamarindi: Tamar Barbaris dactylus eſt, vt ſint dactyli Indici, eorum ſucco, loco aceti vtuntur Arabes & Indi: quare ὀξυφοίνικας quidam ea vocarunt: Græcis tamen ignoti. Optimi ſunt pingues, ex obſcuro rubentes, & acidi. Frigent & ſicci ſunt ordine ſecundo; quare ventriculo frigido nocent. propterea his additur mace, maſtix, cinnamomum, vel ſpica. Hyeme cauendum à Tamarindorum vſu.

Modus. Tardè aluum eliquant, quia comprimunt; quare acuuntur cùm ſero caprino, aut ſucco fumariæ, vel lupulorum, manna, vel caſſia. Macerantur interdum in aqua endiuiæ horis tribus, & cum ſaccharo exhibetur colatura. Et cum ſaccharo fit ex eis conſerua, æſtiuis ſolibus. Doſis à ſemũcia ad ſex drachmas in iuſculo, ad vncias tres. *Doſis.*

Vires & formula. Bilis feruorem compeſcunt, ſitim extinguunt, vomitum ſiſtunt: præaſſatam bilem leniunt, ac eius furorem mulcent. Accipimus vncias duas tamarindorum, piſtillo ſubigimus, & per cribrum eliquamus, & ex ſaccharo in bolum redigimus. vel vncia in ſeri lactis vnciis decem, ad vnciarum duarum ſeri exhauſtionem bulliat, nam nimia coctura eorum vim aufert: per linteum denſum cola. & cum ſaccharo potet. Poterunt eoqui & in iure alterato lupulo, vel fumaria ad vncias tres: imò interdum ad vncias quatuor. Bolus: Pulpæ tamarindorum ſemuncia, ſucci fumariæ denſati ſeſquidrachma, caſſiæ vncia: fit Bolus. purgat modeſtè, ac ſanguinem puriorem ſiſtit. *Bolus.*

Manna. Manna. Galeno eſt Mel roridum, mel aërium, eſt ros mixtus gummoſis vaporibus, ex reſiniferis arboribus qui exſpirauit: propterea quæ ſuper folia laricis concreuit, optima eſt Ætatem non fert. recentiſſima, optima. Humore & ſiccitate ferè attingit temperiem; leuiter tamen calet: quare per febres frigidis corporibus vtilior eſt, quàm ſyrupus roſatus laxatiuus. Tardè ſoluit; quare eius vis irritatur affuſo ſyrupo roſato ſolutiuo, & ſucco roſatum. Quidam iniiciunt illi grana duo ſcammonij, vbi æger par eſt. alij dulce pomum cauant, mannamq; ei includunt; coctum vorant.

Doſis. Doſis eius ad vncias quatuor excurrit: datur ſine offenſione & pueris bimulis, & iunioribus ad drachmas tres ex iuſculo: grauidis ſeſcuncia. Pectus lenit, hecticis confert.

In ardentioribus febribus ob dulcorem non ita prodeſt: In colicis datur cum oleo amygdalino: maluatici vini quid additur interdum.

Viola. Viola friget & humet primo ordine: recentior ad ſecundum numerum vſque madeſcit. Succus eius datur ad vncias duas à ſemuncia, cum caſſia vel manna, nam alioqui aluum non ſoluit. Fit ex eis infuſio ex aqua vel oxymelite; datur cum caſſia vel manna. Omnes dolores à calore placat, & pectus purgat viola. Melior eſt viola matutina, cuius vim nec Solis calor reſoluit, neq; pluuia diſſipauit: carpantur, cũ maximè odore flagrant.

Trochisci. Trochisci de violis fiunt sine scammonio, dantur ad drachmas quinque: sed qui scammonium habent, ad drachmas præbentur duas. *Syrupus.* Syrupus violatus solutiuus, humet ferie secunda, cæteris temperatus: Dosis eius ab vnciis duabus surgit in quatuor; & cùm elanguescit vetustate, ad vncias propinatur sex.

Rosa. Rosa frigida est in primo numero, & sicca in secundo. Rosa Persica soluit ventrem: succus vnciarum instar duarum pondere datur, cum aqua saccharata: & Syrupus rosatus solutiuus, ad vncias præbetur duas. Id peculiare habet, quòd à purgandi munere robur affert visceribus: Mel rosarum solutiuum debetur frigidioribus. *Syrupus & Mel.* Infusio rosarum sorbetur ab vnciis duabus ad quatuor. Rosæ siccitatem corrigit aqua, & serum lactis: saccharum & mel, eius frigus mitigant.

Hepati confert obstructo, ictero, & cachexiæ; tenuem bilem educit.

Cautio. Ingrauidata. Prægnanti non detur succus rosarum, quòd grato odore ab vtero captus, venas eius plerumque aperiat.

Fumaria. Fumaria siccat in secundo & calefacit in primo ordine. Vstam bilem educit. Eius succus vel infusio propinatur, vis crescit affuso sero lactis, vel hydromelite, & additis myrobalanis, & ab infuso senæ. A drachmis nouem exhibetur, ad sesunciam. Hepar, venas, & stomachum mundat.

Serum lactis. Serum Lactis, retorridam bilem eluit: eget correctione & stimulo; etenim madore nimio humet ex pascuis irriguis. Lac calet primo recessu, & madet secundo. *Varius eius vsus.* Alterabimus serum ad sanguinis purificationem, lupulis: ad bilis abstersionem, myrobalanis, vel rhabarbaro, si ex mesenterio bilis elici debet: vel cùm succo rosarum, quò illa à capite abducatur: cum tamarindis, si è iecore bilis euocanda: cum cassia, quando residit bilis in ventriculo: cum agarico præparato, vbi bilis cum pituita dulci è pectore prolectari debet: cum epithymo; quando bilis vsta ex corporis habitu (vt in scabie) euocabitur: cum polypodio, vt bilis in cineres vsta, ex liene & hepate proiiciatur: cum stœchade, vt à iuncturis ablegetur in podagra calida: cum asaro, aut iride, in hydrope cum bile: cum succo endiuiæ, aut cassutha, vt ferocia splendentis bilis exstinguatur: cum spica & absinthio; cùm eluenda bilis è ventriculo. Propinatur interdum cum eupatorio, fumaria, apio, fœniculo, amygdalis amaris, vt à melancholia mixtio eius arceatur: cum seminibus frigidis, quò bilis facilè è pulmonibus & renibus effluat: cum ceteracho abducit bilem assatam ex mesenterio. *Dosis.* Per se datur ad vncias octodecim: cum aliis coctum ab vnciis duabus ad quatuor. Accipe seri lactis caprilli vncias tres, vel quatuor, succi fumariæ vel rosarum sescunciam, vel tantundem syrupi, aut mellis rosati: sumat in aurora:

Aloë. Aloë Socotorina, ex Socotora Indiæ insula, calet ordine secundo: & siccat tertio, si non abluatur, aperit orificia venarum, bilem & pituitam absterget ab aluo, inquit Mesues: pallidis medetur, intellectum acuit, & oculis confert, infarctus iecoris expedit. Cotridianus eius vsus à lethalibus morbis tuetur, & myrrha addita, cum croco & vino, cadauera, & vita quæ fruuntur à *Vlcus renum.* putredine tuetur. Indi eius puluerem propinant ex lacte, his qui renum aut vesicæ vlcere laborant, aut qui purulentas vrinas profundunt, ad vlcera valet, adiecto sanguine draconis, & myrrha.

Non detur in potu, ob amaritudinem: sed dentur *Dosis.* potius species Hieræ simplicis. Dosis eius est à drachma ad semunciam, cùm purgandi consilium est: nam aluum eliquat, à scrupuli ad drachmæ pondus. Exhibetur interdum ex terebinthina Veneta, aut melle cocto: vel cum succo brassicæ, aut absinthij. Reliqua medicamenta quibus remiscetur aloë, reddit innocentiora: est enim remedium ventriculo & intestinis dicatum.

Elegans. Aloën parant magni quidam viri, ita vt omnem noxam exuat, hoc modo: Cùm Sirius æstiuo solstitio flagrat, pulueri aloës remiscent serum lactis, dum pultis characterem trahat: soli exponunt dum indurescat: Iterum in puluerem comminuunt, & succum endiuiæ affundunt, denuoque siccant: tandem in pollinem vertunt, ac rosarum Persicarum succo imbuunt: & sæpiùs eandem historiam peragunt: vltimò siccatam in vsum reponunt. *Vtilitas aloës.* Scripsit Ruffus Ephesius bonum esse si cottidie à prandio sumatur, nam succos subducit, ait, nec alimenti digestionem abolet: nec sitifera est, verùm famelica. Præbet Ruffus duas vel tres pilulas eius, combinatas cum succo brassicæ, vel lapathij. Optimum pueris futurum remedium, ait, nisi amaror obstaret.

Cautio. Hectici. *Est aduersissima his qui hæmorrhagiæ obnoxij sunt; ex ore, aluo, vtero: & prægnanti non tuta, nec hecticis*

Terebinthina. Terebinthina purgat ventrem, splenem, hepar, vesicam. Magna vis sacchari ei remiscetur: interdum & rhabarbari momentum accipit. datur mole instar oliuæ.

Rhabarbari vires. Rhabarbarum calet & siccat recessu secundo: est medium remedium inter mitia & fortia, attamen benignum, familiare, & tutum: nam infantibus & senibus, & prægnantibus omni tempore exhiberi potest, ac ex morbo sese colligentibus. Fernelius lactenti puero drachmæ pódere præbet. Iecori dicatum remedium, omnium febrium focum depopulatur: primam aluum purgat; ictero, vomitioni, lienteriæ, dysenteriæ, sputo cruento, ruptis & contusis confert. Id in eo notandum, quòd substantia eius trahit bilem tenuem & crassam: *Rhabarbarum vnum, varium.* sed dilutum eius, tenuem bilem abducit: habet enim Rhabarbarum varias in se partes, aëreas, igneas, aqueas, terreas: terrenis adstringit. *Vbi vtile.* Quare vbi purgandum est, & metus est ne in nimium fluxum se effundant humores, integrum offertur ex iusculis, vel cum syrupo rosato solutiuo Ineuntibus inflammationibus dextrè propinatur cum syrupo rosato solutiuo; vt in Pleuritide ineunte, datur cum cassia vel manna: sed progressis morbis, cum iam hæret medullis infixa materia morbifica, Rhabarbarum inutile erit. *Pro pueris & senibus.* Pro pueris in placentulis melle subactis coquitur. Senibus præbemus aquam vitæ, in qua Rhabarbarum & cinnamomum macerata fuere. *Dysenteria.* Dysentericis puluis eius ex succo rosarum sole fermentatus, cum sacchato confert. vbi vitare substantiam eius terream volumus, maceramus id vino albo & aqua endiuiæ; vel diacatholico excipimus aut electario lenitiuo, & sero lactis. Vis eius coctione perit: quare in tenui liquore infunditur, ac ei iungitur leniens syrupus, vt tamen varij affectus fuerint, ita interdum offertur in substantia, pilulis, infusione, puluere, vstum, non vstum. *Elegans.* & iucunda est ἐκχύλωσις seu extractum Rhabarbari. Nos syrupo rosato solutiuo puluerem Rhabarbari infundimus, cum pauco cinnamomo, dum boli ferè crassamentum ducat: solibus æstiuis exponimus, vt fermentationis velitationem subeat.

Correctio. Correctione modica eget ex cinnamomo, schœnantho, vino generoso, si obstructio adest, vt facilè spargi per venas possit. sociatur plerumque Spica; sed in iis qui vomunt ex facili, & in grauidis, aut vbi febrilis calor inæstuat, ab ea abstinendum. mastix à quibusdam ei iungitur. Præstat Rhabarbarum primùm irrorare aqua vitæ, & posteà infundere liquoribus, vt aquæ boraginis, &c. Datur ad drachmas duas. *Delectus.* Optimum est nouum, ponderosum, amarum, foris nigrum, intùs ex rubro flauescens, odoratum, manducatum tingens. perennat cera oblitum, aut in seminibus lini, vel milij, aut melle sepultum.

Praeclarum remedium. Innoxium remedium. Dum cydonia mala cum cuticula externa cum saccharo coquantur in Cydoniatum, misceatur Rhabarbarum. Hoc hepat & ventrem firmat. Aliud: diuidatur cydonium malum, & interaneis sublatis folliculis, loculamentis nempe seminum, ac cellulis; puluere rhabarbari, vel senæ, aut carthami, vel agarico, epithymo impleantur cauitates: Deinde vniãtur partes,

&

& papyro inuoluantur, coquantur ad tabem in clibano vel foco: Hinc soluatur, & abiectis medicamentis, pulpa manducetur. Sine noxa purgat, & visceribus robur afflat. Sit minus pomum, vt totum vorari possit. Infunde rhabarbari puluerem aquæ vitæ, ita vt aqua hæc supernatet quatuor digitis: balneo tepescat dies quatuor, coloratum vinum effunde, & nouum infunde: id repete, dũ color nullus reddatur: adiice aliquid cinnamomi: detur cum vino hæc aqua vitæ. Alij exstillant aquam vitæ, & restibili, in fundo, succo addunt olei cinnamomi scriptulos duos, ad vnciam succi. Dosis est scriptuli pondus, cum vini albi cochleari: infanti, & prægnanti innoxium. Puluis datur fluxæ aluo.

Myrobalani. Myrobalani Græcis veteribus incognitæ. Luteæ vel Citrinæ ordine primo refrigerant, & secundo siccant. Nulla molestia afficiunt, ac bilem excludunt; imò cor, hepat & ventrem roborant. Sed non dandæ vbi obstructio adest: vel præbeantur ex sero lactis maceratæ, ad vnciæ molem: vel ex medulla cassiæ exhibeantur drachmæ tres: vel cum vrinalibus misceantur remediis, vt cũ succo absinthij, & spica, & hydromelite, fummariæ succo, cum agarico, (fricatæ oleo amygdalino) vel cum mãna datæ, & ex aqua fumariæ, aut ex aqua cinnamomi maceratæ. Pueris ex placentulis mellitis offeruntur. Hepati & stomacho student: vsus earum senectutem remoratur, colorem emendat, hilaritatem adfert, & hæmorrhoidibus studet.

Dosis. Dosis earum in infuso est à drachmis sex, ad sescunciam: sed quia lenientibus aliis has remiscemus, earum dosis erit sex drachmarum, vt quando cum sero lactis, vel cum cassia offeruntur. Sin cum Rhabarbaro & spica exhibendæ fuerint in substantia, trium drachmarum copiam non superamus. Pragmatici ex infuso, vtuntur à drachmis duabus ad sex: puluere, à drachma vna ad duas.

Aqua vinosa. Aqua Vinosa ex conseruatione vuarum: Nam, vt scribit Cassius Dionysius Geoponicôn tertio, Vuæ in hyemem seruantur, in decocta pluuiali aqua, dum tertia pars reliqua fuerit: huic vuas immittunt, ac loco frigido reponunt; hæc, inquit, aqua tandem infirmis aluum ducit.

Herba quadam. Eupatorium, secundum siccandi ordinem attingit, cæteris temperatum: datur ad semunciam.

Absinthium, quod Abensoar vnà phlegmagogum censuit, intestina purgat & stomachum: & Sal eius. Vis eius crescit ex sero lactis, cum fumaria & passulis vuis. Huc refertur Capillus Veneris recens, cum violis, cassia, & sero lactis: rumex maior: chamæpitys: lactuca siluestris: lupulus retorridam bilem euacuat; vt & brassica semicocta, & pulegium. *Cerasi Syrupus.* Cerasi arboris quæ dulcia cerasa profert, florum dilutum; & ex his serapium: quod fit eodẽ modo vt ex rosis. *Syrupus Persici.* Persici flores & folia in aqua macerata, in iulapium, vel serapium: dantur vnciæ duæ.

Composita Leniter Bilem purgantia & aluum benignè laxantia.

Serapium. Serapion: radicum apij, fœniculi, in aceto per noctem maceraratum, cuiusque semuncia: capillorum Veneris, adianthi, polytrichi, scolopendrij, endiuiæ, cichorij singulorum semimanipulus; aut quorundam manipulus: quatuor seminum frigidorum maiorum contusorum, cuiusque drachmæ duæ, vel tres: anisi, glycyrrhizæ rasæ, singulæ drachmæ tres, passularum mundatarum semuncia, trium florum cordialium, singuli pugilli: fiat coctio, ac infunde Agarici recenter trochiscati drachmas sex, foliorum senę vnciam: In colaturę dissolue syrupi capillorum Veneris, & violati singulas vncias tres, *Febri spuria vtilis.* sacchari albi vncias quatuor: fiat syrupus perfectè coctus, sine fumo, lętissimo igne: & in fine adde rhabarbari vnciam. Dosis est ad duas vncias: cum duplo decocti endiuiæ, vel cichorij, aut liquiritiæ, aut sero lactis caprilli. Addi poterit cassiæ semũcia: vel Diapruni laxatiui, aut Electarij de succo rosarum, drachma vna, aut altera: quin & rhabarbari quid ampliùs adiici poterit. Tamarindi & pruna interdum adduntur, carthamum, polypodium, semina endiuiæ.

Accipe syrupi præscripti, vncias duas, seri lactis in quo scriptuli duo aut drachma Rhabarbari macerata fuit. Ægyptij hoc tempore accipiunt succi granatorum dulcium sesquilibram: coquunt ad tertiæ partis exhaustionem. addunt mannæ mastichinæ semilibram, iulepĩ violati vncias quatuor: fit syrupus, dant vncias tres. In *Officinarum* Officinis exstat Syrupus rosarum pallidarum: sed vterum aperit. & Syrupus de cichorio cum rhabarbaro. dantur ad vncias tres vel quatuor. Componimus & Syrupum florum persicæ arboris.

Pro pueris. Pro Pueris Rhabarbarum in taleolas scinde, ac madescant vapore albi vini: dein si æstas fuerit, infunde cum pauco cinnamomo in aqua rosata; hyeme, vino: cùm induit colorem Rhabarbari liquor, effundes; & nouum liquorem infundes: hoc repetes, dum nullum à Rhabarbaro ampliùs colorem ducit liquor. Hunc liquorem molliter coq;, dum media pars exhalarit: adiice saccharum, vel mel: & rursus coque dum syrupi ideam induit. taleolas Rhabarbari sub finem coctionis illi reddes. Dosis. Pueris duorum vel trium annorum, offeres cochlearia duo vel tria: prouectiores taleolam accipiant vnà cum Syrupo: ita vermes quoque excutit.

Alius Modus: Accipe taleolas Rhabarbari: coq; eas in Syrupo rosato, vel cichorij cum syrupo, aut violato: adde cinnamomum, & caryophyllos: Da quatuor vel quinq; taleolas Rhabarbari, cum duobus cochearibus Syrupi.

Potus. Potus: Tamarindorum pinguium vncia: trium florum cordialium, scariolæ, endiuiæ, singuli pugilli; myrobalanorum citrinarum drachmæ duæ: anisi, liquiritiæ rasæ, cuiusque drachma: pruna sex: fiat coctio ex parua copia aquæ, & valide exprimantur tamarindi: colaturæ adde cassiæ vnciam, vel drachmas sex: serapij violati vnciam: fiat haustus. Confert febribus vbi metus est delirij: nam diadosin facit, & refrigerat materiam per febrium initia. Alius: Diapruni simplicis drachmæ sex, vel semuncia; dissoluantur in eodem decocto cum drachma vna aut altera diapruni laxatiui: vel horum loco adiice rhabarbari drachmam, ditiore ægro: aut quid syrupi rosati laxatiui. Sin res moram abnuat, eliquescant iam dicta pharmaca in sero lactis, aut in decocto liquiritiæ, vel in aqua endiuiæ, cichorij, lupuli, aut in decocto pulli. Vtilis est hic potus tertianis febribus ineuntibus, cùm sex horis ante cibum propinatur: eoque die hauriri debet, quo minùs ægrum concutit febris.

Occasio exhibendi. Obseruandum, quòd vbi potionibus Rhabarbarum additur, remisceri solebant atque addi tria vel quatuor grana spicæ nardi: sed abstinendum ab ea in ingrauidata muliere, & cùm æger vomit ex facili.

Alius: Myrobalanorum citrinarum drachmæ duæ, pruna quinque, tamarindorum semuncia: fiat coctio ad vncias tres: adde sacchari semunciam: fiat potus.

Alius: Myrobalanorum omnium, cuiusque drachma: passularum semuncia, pruna decem: fiat infusio in sero caprino, vel in aqua fumi terræ; facta expressione, vnciis quinque huius infusi addes florum cassiæ semunciam, mannæ electæ vncias duas: misce, fiat potus.

Alius: Tamarindorum semuncia; fiat coctio ex aqua, & adde syrupi rosati solutiui, vncias tres: mannæ electæ sescunciam.

Venenata Bilis. Vbi venenata Bilis in vitio est, propinamus mannam, cum decocto acetosæ, pentaphylli, tamarindorum, seminum citreorum, vel ex decocto florum & fructuum. vel cassiæ drachmas sex: cum tamarindorum semuncia: & seminis citri semidrachma.

Alius: Rhabarbari sesquidrachma; infundatur in decocto trium drachmarum tamarindorum: expressioni adde syrupi violacei solutiui vncias tres: vel si venter sit imbecillis, huic succedat syrupus rosatus solutiuus,

vel manna: declinante morbo, adde pulueris Rhabarbari semidrachmam: nam ita membra firmantur: Interdū adiicimus electarij de succo rosarum drachmas duas.

Alius: Myrobalanorum citrinarum, & Indarum drachmæ duæ, tamarindorum semuncia; florum cordi dicatorum pugillus: fiat coctio. colaturæ accipe vncias quatuor cum semisse, cui infunde Rhabarbari scriptulos quatuor, spicæ grana duo, vini drachmas tres: expressioni adde mannæ, syrupi rosati solutiui, cuiusque vnciam.

Obseruandū. Obseruatio de Rhabarbaro: In morbo squalido, ab vsu Rhabarbari ilicò frigida & humida subnecti debent: vt accipe conseruæ cichorij, endiuiæ, cuiusque vnciam: & superbibat decoctum acetosæ & endiuiæ; ne fiat marasmus. Et plerumque aliis adiicitur syrupus rosatus vel violatus, ad squalorem bilis.

Alius; Tamarindorum, vnciam semissem, myrobalanorum drachmam: coque ex aqua endiuiæ ad vncias tres: colaturæ adde Rhabarbari drachmas duas; & expressioni adiice catholici, syrupi violati, cuiusque semunciam. Interdum remiscemus senæ drachmas duas; & loco catholici, diaphœnici drachmas tres. Decoctum adianthi, seu capillorum Veneris Mesuæ, in Antidotario. Et quoque aqua fructuum Mesuæ: & eiusdem decoctum fumariæ. Infusio seri lactis, seu aquæ casei Mesuæ. Varia purgantia decocta & Infusa describunt Mesue & Andernacus.

Bolus. Bolus: Pulueris Rhabarbari sesquidrachma: pulpæ tamarindorum, cassiæ, cuiusque semuncia: misce cum sacchato. Alius: Electarij lenitiui vncia, rhabarbari drachma, electarij de sebesten drachmæ tres: misce.

Opiata: Succorum endiuiæ, cichorij, lactucæ, violarum, cuiusque vnciæ tres: coctione depurentur: his infunde seminis psyllij semunciam, & extrahatur muccago: huic adde cassiæ iamiam extractæ sub fumo præscriptorum vncias duas, pulpæ tamarindorum sescunciam, anisi drachmam, diacrydij scriptulos duos: syrupi violati ex multis infusionibus, quantum sufficit: fiat opiata: ex vncia, fiat bolus cum saccharo. vel ex decocto quatuor seminum frigidorum, in potum solui poterit.

Elegans. Alia: Accipe herbarum morbo dicatarum manipulos sex: nam eo modo absinthium sumere licet, agrimoniam, & mentham, vbi in pestifera febre vermes negocium facessunt: anisi semunciam, senæ vncias duas; fiat decoctio ex aqua per horas quatuor: expressioni forti adde sacchari vnciam, cassiæ vncias duas: coque ad opiatæ consistentiam.

Alia: Mannam misce cum syrupo rosato ad formam opiatæ. lenissimè purgat. Addo interdum cassiam, aut electarium lenitiuum: iubeo vt primo pastu sumant cochlearia duo.

Officinarum. Officinarum: Tryphera Saracenica: diasebesten simplex: hiera simplex: diaprunum simplex, datur ad sescunciam. electarium leniens, diacatholicum: quidam in Italia medicus, nulli medicinam facere volebat; ni primùm catholicum bibisset. diaprunum compositum non laxatiuum Nicolai.

Elegans compositio.

Diamannæ Nicolai Alexandrini, Capilli Veneris, scolopendrij, lichenis vulgo hepaticæ, singulæ drachmæ tres: seminum frigidorum maiorum, violarum, singulæ vnciæ; prunorum viginti. Coquantur in aqua ad dimidias: colentur; adde mannæ, conseruæ violatæ, cassiæ, singulas vncias: sacchari albissimi, libras quatuor: ad spissitudinem incoquantur: postremò iniice seminum cucumeris, cucurbitæ, citreoli, lactucæ, seriolæ, portulacæ; florum violarum, nymphææ, rhabarbari, foliorum senæ, singulorum vnciam: fiat Electarium: sanguinem & vtramque bilem purgat; molle est remedium, & febricitantibus commodum.

Pilulæ. Pilulæ Assaieret, pilulæ de hiera simplici. pilulæ mastichinæ: stomachicæ, pilulæ de aloë, dantur ad drachmas tres. Pilulæ de Rhabarbaro, in longis febribus vtiles: Pilulæ Ruffi, quæ & pestilentiales dicuntur; insignes ad cauendam omnis putredinis iniuriam, & è capite proliciunt: Pilulæ de eupatorio maiores Mesuæ, iecori auxiliantur, lieni & ictero, diuturnas febres eiiciunt. Pilulæ imperiales. pilulæ de tribus. Aliæ: Accipe Rhabarbari & aloës partes æquales: cum syrupo rosato, fiant pilulæ. Aliæ: Rhabarbari sesquidrachma, cinnamomi, zinziberis, cuiusque scriptulus, pulueris cottidiani myrobalanorum citrinarum drachma: infunde in succum rosarum Persicarum per noctem: manè fiat leuis feruor, & fortis expressio, cui adiice rhabarbari sesquidrachmam, pulueris hieræ simplicis semidrachmam: fiat massa: interdum & agaricum ita affundi poterit. Dolorem capiti eximunt. *Ad capitis dolorem.*

Dosis. Pilulæ præbentur à drachma, ad scriptulos quatuor. Puluis diasenæ Montagnanæ, datur ad semunciam ex iusculo: puerperis est vtilis. adustos & serosos succos ducit. *Dosis. Puluis.*

Clyster: Herbarum quatuor emollientium, parietariæ, cichorij, endiuiæ, singuli semimanipuli, seminum quatuor frigidorum maiorum, singulæ sesquidrachmæ, hordei pugillus. Fiat coctio. & colaturæ adde cassiæ vnciam, olei & mellis violati, singulas binas vncias. Ita addi poterit lactuca, portulaca, oleū rosatū, vel cōmune. *Clyster.*

Simplicia Fortius Bilem Purgantia.

Scammonium vel potius dacrydium est calidum & siccum in tertio ordine: efferam & tenuem bilem purgat. Corrigitur vehemens eius vis cum succo cydoniorum: nam inde strictiorem naturam induit, & hepati gratius fit: & quoque mitescit muccagine seminis psyllij, nam tenuem eius ferociam edomat; alij cum aloë vel melle miscent: & catapotiis cum gummi. Præterea ferociam deponit si committatur myrobalanis flauis: aut violaceo & rosaceo oleo maceratum si fuerit, antequam coquatur in succo cydoniorum vel rosarum aut violarum. Optimè correctum est scammonium in electario de succo rosarum, quo ego plerumque vtor, cùm scammonij necessitas incidit. Vbi fluxus biliosus morbum facit, vt Arthritidem, iucundè hoc modo vtemur scammonio; coquimus pulpam cotoneorum cum infusione rosarum pallidarum: & in fine coctionis immittimus scammonium: ita vt vncia vna coronei, accipiat grana quinque vel sex scammonei. ventriculus si friget, adde piper, est iucundissimum remedium. Maximè ex venis omnibus prolectat bilem. *Dacrydium. Correctio eius. Elegans.*

Dosis est pondus granorum septem cum semisse. Nam antiquorum scammonium mitius erat, nec vt hoc tempore succo tithymali adulteratum: propterea Dioscorides duos scriptulos permittebat. *Dosis.*

Nunquam solo scammonio vtendum, sed in compositis; vt cum manna, rosis, electariis, & pilulis. nam turbat omnia scammonium, & peculiari vi incommodat ventriculo, cordi, & hepati: & nimia aerimonia, spiritus corporis inflammat; hinc febres facilè incandescunt, maximè visceribus infarctis, & putridis succis fatigatis. dicitur enim scammonium παρὰ τὸ σκάπτειν, à fodiendo. & exspirat mordacem ventum, & rodit: quare aniso etiam aut apio castigatur eius flatus. A sumto pharmaco scammoniato, ilico iusculum hordei superbibat. cauendum, quamuis optimè fuerit paratum, ne vnquam detur in ventriculo languente, nec vomibundis, nec in febre continua, nec flagrante canicula, aut viribus languidis. Nunquam detur in iusculis, id enim perniciosum. Quidam id ita castigant: extrahunt masti-chis vim in aqua vitæ: huic tunc indunt scammonium: aquā medicata hac vi tinctam effundūt, & nouam vitæ aquam coralli vi tinctam affundunt, vt quatuor digitis superet scammonij molem; & macerant in balneo dies decem: & iterum effundunt, & addunt essentiæ corallorum & margaritarum, cuiusque scriptulum: essentiæ croci, *Cautio.*

croci, semiscriptulum : olei anisi & cinoamomi, cuiusque semidrachmam; miscent cum essentia aloës & myrobal. Dant ℈ ß. cum ℥ ij. olei amygd.dulcis.

De Elaterio agemus vbi De aquam purgantibus.

Ceutaurium Minus calet & siccat secundo nomero, purgat bilem mixtam pituitæ:hoc est, viscosam bilem, & pituitam salsam. longis febribus optimum est remedium. Εἰχύλωσιν eius docet elegantem Dioscorides.vnde constat non nuper natas esse Extractorum formulas Datur à duabus drachmis ad semunciam. *Extractum antiquorum veterum.*

Asarum. Asarum calidum est ordine secundo, , & siccum tertio. Datur cum sero lactis vel mulsa , aut vioo. Si largiùs coquatur, vim suam exuit. Si curiosius tritum potui detur , vomitum potiùs ciebit quàm aluum. Vtile est hydropicis , & splenicis , ad bilis & pituitæ purgationem : *Dosis.* Dosis à drachmis duabus ad semunciam. Radices senis drachmis ex hydromelite potæ , alib Elleborì modo, purgant , inquit Dioscorides , & illi subscribir Galenus. Radices siccari debeot in sole,cùm folia effundere incipiunt.

Psyllium Galeno humidum est ordine secundo , reliquis temperatum, mite remediū.Dosis eius est à drachmis duabus ad semunciam. Veteres mirum in modum de Psyllio conflixere : dum alij id venenum , alij contra saluberrimum medicamen asserunt. Existimo ad *De psyllio certamen.* Atabas semen eadem idea Psyllium mentiens allatum fuisse , quod acri vi enecaret : aut confusis seminibus, dum merces importantur, allatum ac mixtum fuisse virulentum semen psyllio : vnde existimarunt Psyllium veneno contamioatum à natura fuisse.

COMPOSITA
Fortius bilem purgantia.

Electaria. Electaria : Diasebesten cum scammonio. Electarium rosatum Mesuës; datur à drachmis tribus ad sex. electarium de succo rosarum Nicolai : optimè in eo scammooium paratum est. Diaprunum compositum laxatiuum : præbetur à drachmis tribus ad sex : diarhabarbarum : rarior eius est vsus.diaturbith cum Rhabarbaro , ichorosam bilem prolectat. tryphera Saracenica Nicolai. Catharticum imperiale ; dator semuociæ pondere : oon est in vso hodierno. electarium de psyllio, capiti auxiliatur, vertigini, ictero, & hepati calido.diacassia cum manna. diamanna Galeni ex Mesuë , apud Antidotarium Florentinom.

Opiata. Accipe mercurialis manipulos duos , prunorum, sebesten , ficuum, siogulorum triginta numero , anisorum drachmas tres , florum violarum pugillum : extracta fructuum pulpa , & addita cassia , syrupoque rosato laxatiuo & saccharo , fit Opiata : huic fortia includi pharmaca poterunt.

Tessellæ. Accipe manoæ vncias duas , succi rosarum rubrarum libram : conseruæ buglossi,cyrsij, siogulas vncias: electarij de succo rusarum vncias duas : sacchari albi, quantum satis erit vt fiant Tessellæ,singulæ semunciam pendentes.

Pilulæ. Pilulæ aggregatiuæ à toto corpote purgant. pilulæ lucis. pilulæ sine quibus, clementer agunt, à capite eliciunt. Pilulæ aureæ , oculos & capot purgant : aliquid quoque pituitæ prolectant:harum freqoentissimus vsus est. pilolæ de rhabarbaro. pilulæ ante cibum. pilulæ cocciæ simplices, absque elleboro.pilulæ de hiera simplici , mites sunt , nisi scammonium inseratur. pilulæ de tribus cum rhabarbaro. pilulæ Arabicæ , visui , auditui , & stomacho conferunt. pilulæ de fumo terræ; biliosos, salsos,& acres succos deturbant, & cutis vitia *Modus pilulis vtendi.* emendant, Accipe pilularum aurearum scriptulos duos, dacrydij grana duo, vel tria : misce, fiant pilulæ quinque : Ita exigua mole eleganter purgant, & satis copiosè. *Galeni pilulæ.* Catapotia ex aloë , descripta à Paulo,libro septimo, capite quinto : quæ exscripta fuere ex Galeno 1.κατὰ τόπους capite 1. Quintus Galeni præceptor , cum mastiche & bdellio , ea parabat:sed hæc detraxit Galenus. Hodie ita commodè parari poterunt: Accipe aloës , & scammonij præparati , cuiusque drachmas duas : trochiscorum alhandel , socci sicci ex absinthio , singulorum drachmam : cum succo cydoniorum, vt vult Trallianus,vel succo brassicæ,vt describit Galenus , 1.κατὰ τόπους, vltimo. fiant pilulæ ciceris vel orobi magoitudine : dentur ex his numero vndecim. Pilulæ dantur à scriptulis duobus ad quatuor : combinantur cum syrupo endiuiæ,vel violato. *Dosis.*

Observatio.

Superbibant ab hausto remedio vnciam syrupi violati , ex aqua violarum, vel buglossi : qui squalor remedij leniatur.

Cautio.

In morbis à defluxione concitatis , addantur pilulis, mastichis & myrobalanorum semiscriptulus , vel scriptulus.

CAPVT. XXIII.

De purgantibus Pituitam, quæ φλεγμάγωγα Græcis.

Pituitam purgantia , quædam sunt molliora , alia fortia , quæ Græcis δραστικά,vulgò eradicatiua. Et quæque horum vel simplicia , vel remixta. Sed vt varia est pituita , lenta , aquosa , salsa , dulcis : ita variè parari & educi debet. Vsu quæ optima sunt deprehensa,iam enarrabimus.

Simplicia leniter pituitam purgantia, & aluum placidè effundentia.

Myrobalani chebulæ , dicatæ sunt hepati , & cerebro. Emblicæ quoque phlegmagogæ sunt; cor.hepar,& splenem recreant. Macerantur in iusculo pulli , ad vnciam vsque : vel iusculi incoquuntur cum saluia , maiorana , hyssopo , vel cum vino Aruisio , id est , maluatico. Puluis præbetur ad semunciæ copiam.Bellericæ myrobalani idem possunt. *Myrobalani.*

Vbi ab obstructione vitium est,non bene offeruntur mytobalani : sed in fluxibus omnibus vtiles sunt, vt alui, cerebri,& aliarum partium. Cùm pituita intestinis infixa resedit , non bene dantur : sed eùm illa fluxa fuerit, præstantior harum vsus erit,reliqois renuantibus. *Cautio.*

Cassia. primò purgat bilem , secundò pituitam. De hac priùs.

Cnici , siue Carthami semen , Mesuæ primo ordine calfacit , secundo autem siccat. Vomitum quia mouet, corrigitur galanga, mastiche, aniso , zinzibere. In decoctis & clysmis exhibetur. Ex iure galli coquitor , & sorbetur ius. Dosis eius à semuncia ad sescunciam. Educit aquam crudam & pituitam , flatus excutit : est remedium aluinum , mite ac innocens. Colicis & anasarcæ confert,si medulla contusa spiritu vini maceretur, & cū iusculis drachma detur.Galenus medullam cnici vnà cum caricis æquali pondere, nempe, quantom harum duæ vel tres pendent, offerri iubet. *Carthamus.*

Ficus & passulæ leniunt & abstergent pituitam. Ita & Mercurialis,nitrosa vi,qua prædita est,aluum sui officij immemorem excitat,ac pituitam eluit.

Cineres tartari vini albi, detergendo laxant aloum, ac siccant intestina. Cum saccharo & pauco cinnamomo exhibentur.

Decoctum galli antiqui, ob salsedinem nitrosam, absterget intestinorum pituitam.

Mel rosatum cum oleo chalcanthi modico subactū, si non loogè ante cibum propinetur , pituitosos succos è ventriculo subducit. Ita Saccharum & Sal iusculis remixta.

Stœchas stimulo eget ex sale, balanis, sero lactis. Deterget & tenuat pituitam, obstructa viscera infarctu liberat, cerebro & neruis confert: sed biliosis bellum indixit. Eius puluis datur drachmarum quinque copia.

Hyssopum crassam & putrem pituitam absterget: pectori studet. Datur cum manna & melle. Puluis ad drachmas septem porrigitur.

Vt vires ignauæ excitandæ, & quæ termarsi. Præterea blandè pituitam eluunt, Polypodium, Centaurium minus, de quo, vbi de Bile: Scylla, nam vehementer tenuat & absterget: Aristolochia: Thlaspi: Lanaria, id est, Strutium: Dracuntium. Sed in his regionibus, horum vis expultrix languet: quare excitanda est aliorum accessione, eiusdem potentiæ. Attamen exigua mole adiicienda sunt ea quæ aliorum vires acuunt. Nam veteres Medici & cholagoga addunt interdum phlegmagogis ignauioribus, sed parua copia, & tantùm loco stimuli: lenta enim pituita, non facilè nisi mota bile (qua pro cuehiculo vtitur) è corpore præcipitatur. hinc scammonij quædam grana, pilulis phlegmagogis interdum adiiciunt.

Terebinthina citra incommodum purgat ventrem, splenem, hepar, & vesicam. Huic interdum miscetur Styracis sesquidrachma, vt pituitam sine molestia subducat. Tussi, distillationibus in fauces, & grauedini vtile remedium.

Sal absinthij ventriculum eluit, & intestina absterget. Sarcocolla, phlegma lentum ab articulis abducit: caput & pulmones euacuat, anhelosis confert senibus. Corrigitur zinzibere, myrobalanis, aloë, semine apij & ammeos. Drachmæ instar præbetur. Nocet picrocholis. Id agit & Ammoniacum.

Composita leniter pituitam purgantia, & aluum benignè laxantia.

Decoctum Thymi Mesuæ, ventrem roborat, flatus ab hypochondriis excutit. Decoctum commune ad medicamenta maceranda, descriptum in Antidotario Florentino. Decocti galli annosi, vnciæ tres; in his infunde seminis carthami drachmas duas. Fiat haustus.

Modus quo Galli vtuntur. Apozema, vbi vtendum epicrasi: quinque radicum aperitiuarum; seminis carthami, singulæ drachmæ sex: radicum ireos, acori, cuiusque drachmæ tres, (his tantùm vtemur si non magnus fuerit calor febrilis accensus) agrimoniæ, cassuthæ, betonicæ, hyssopi, maioranæ, summitatum absinthij, chamædrios, chamæpityos, singuli semimanipuli: seminum melonum, cucurbitæ anisi, cardui benedicti, citrij, coriandri, singulæ drachmæ duæ: florum cordialium, singuli pugilli: fiat coctio ad libram: Colaturæ infunde foliorum senæ mundatæ vnciam; agarici trochiscati, semunciam; cinnamomi drachmam: In expressione colata, dissolue syrupi rosati laxatiui (si febris adsit) oxymelitis simplicis, cuiusque vncias duas: fiat apozema, pro quatuor dosibus. Si maiorem purgandi vim inferere velis, adiice quid diacarthami. Hoc modo doctissimi Medici in Gallia iam medicinam faciunt: simul obstructa aperientes, ac quod fluxum est euocantes.

Potio. Potio: Trinm florum cordialium, cuiusque pugillus: prunorum, iuiubarum, sebesten, singulorum quatuor: liquiritiæ rasæ, anisi, cuiusque sesquidrachma: fiat coctio, & colatura pro vna dosi: in qua dissolue diaphœnici semunciam, syrupi violati vnciam; aut diaphœnici & diacatholici cuiusque drachmas tres: vel in colatura infunde agarici trochiscati, drachmam: Expressioni inde diacarthami, drachmas duas: fiat haustus.

Alia: Passularum mundatarum semuncia: seminis carthami, polypodij drachmæ sex: anisi, fœniculi, liquiritiæ rasæ, singulæ sesquidrachmæ: foliorum hyssopi drachma: fiat coctio, & in fine infunde Agarici recenter trochiscati, à drachma vel scriptulis quatuor ad sesquidrachmam: Colaturæ adde diacarthami, aut diaphœnici, vel benedictæ laxatiuæ drachmas tres: syrupi violati semunciam: fiat haustus.

Alia: Quinque radicum aperitiuarum, in aceto maceratarum, singulæ semunciæ: capillorum Veneris, pimpinellæ, cassuthę, pentaphylli, filipendulę, absinthij, singuli semimanipuli, buglossi cum radicibus manipulus, passularum vncia: seminis apij, fœniculi, anisi, singulæ drachmæ duæ, seminum frigidorum maiorum drachmæ duæ, cicerum rubrorum semimanipulus, florum cordialium singuli pugilli: cnici, agarici trochiscati, vtriusque semuncia: turpeti semuncia, zinziberis drachma, polypodij vncia, foliorum senæ semuncia: coque ad libras duas; cum saccharo & melle: adde cinnamomi drachmas tres.

Serapion: Radicum apij, fœniculi, petroselini, cuiusque drachmæ tres, hyssopi, origani, calaminthæ, singulorum semimanipulus, seminis carthami vnciæ tres, polypodij vnciæ duæ: seminis anisi, fœniculi, anethi, cuiusque sesquidrachma, liquiritiæ rasæ drachmæ duæ: betonicæ, stœchados, trium florum cordialium, omnium pugillus: fiat coctio colata ad sesquilibram, vel ad libram: in qua infunde agarici recenter trochiscati semunciam, foliorum senæ mundatorum vncias duas: post decem horas fiat colatura & fortis expressio: cui adde serapij violati, serapij de Byzantiis, & sacchari albi, singulorum vncias tres. fiat Serapion perfectè coctum; & aroma illi afflletur cinnamomi drachma vna, & scriptulo xyloaloes. In vsum reponatur, ac interdum quarto vel quinto die detur sescuncia. Insigne istud remedium est nothis febribus, vbi pituita copiosiùs remissa fuerit. Propinatur cum hydromelitis duplo, aut aliarum rerum cum decocto. Serapion de Polypodio compositum, in Antidotario Florentino describitur. Tales syrupi præscribuntur ad vnciarum duarum copiam, cum aquæ distillatæ, & aquæ cinnamomi vncia. Mel rosatum solutiuum. Syrupus de hermodactylis Nicolai, in Antidotario Florentino. Syrupus de Bryonia. Varia decocta & Apozemata purgantia describunt Mesue & Andernacus, & ex illis VVeckerus.

Serapion. *Febres nothæ.*

OBSERVATIO.

In pituitæ speciebus quæ lentore, crassitie vel viscositate in vitio sunt, lentè vacuabimus, à leni præparatione: qualis hæc, oxymelitis simplicis, mellis rosati simplicis, cuiusque vncia, decocti apij, hyssopi, cichorij, vnciæ quatuor. Metiaris semper dum febris adest, quodnam historiæ tempus percurrat iam morbus: nam in augmento efficacioribus erit præparanda materia morbifica; vt capillorum Veneris, ceterach, radicum fœniculi, asparagi, singulorum fiat coctio: Accipe huius decocti vncias quatuor, syrupi menthæ, vel cichorij, syrupi de duabus radicibus compositi, singulas semuncias. Hinc valentioribus purga, myrobalanorum chebularum, citrinarum, Indarum, singulæ drachmæ, passularum vncia: fiat coctio ex aqua menthæ: Accipe huius decocti vncias quinque, agarici trochiscati drachmam: fiat infusio per duodecim horas: Colaturæ adde trochiscorum de rosis sesquidrachmam, syrupi rosati laxatiui vncias duas: misce. Bolus trochiscorum de violis scriptuli duo, hieræ simplicis sesquidrachma, agarici drachma, diacatholici drachmæ sex: fiant Boli. In Statu efficacius præparandi & educendi succi: syrupi Byzantini (is enim omnium maximè aperit, incidit, attenuat) syrupi de radicibus, singulæ vnciæ duæ; decocti artemisiæ, radicum asparagi, fœniculi, corticum capparorum, vnciæ quatuor. Deinde ea quæ colocynthidem & scammonium habent, vt pilulas lucis. & superdormiat: nam substantia pilularum exactè debet comminui & atteri in ventriculo. Obseruandum quoque, vt semper ea addantur quæ student parti vnde prolectandus erit succus morbificus.

Tormarsi. *Efficax.* *Efficacissima.* *Notandum de pilulis.*

Electarium ad morbos chronicos ex lentis succis: Cassiæ,

Electaria.

Cassiæ, vnciæ duæ cum semisse; diacarthami drachmæ sex; penidiorum recentium, diaireos simplicis, singulæ semunciæ: conseruæ violarum vnciæ tres, anisi, liquiritiæ, cuiusque semidrachma: syrupi violati quantum sufficit, vt fiat electarium, ad modum Opiatæ: sumat ante pastum vnciæ copiam, ex iusculo pulli. Diacatholicon. Electarium lenitiuum. Omnia electaria sunt mali gustus, excepto electario lenitiuo & diacatholico: quare his solis ferè in potu vtimur, aliis potiùs in bolis. Hiera picra, quia liquefacit, & attenuandi vi absterget & educit mediocrem pituitam, si Galeno credimus, qui asseruit scammonium pituitam purgare adiecto castorio: nam calore suo fundit pituitam, si autem aliquid agarici trochiscati miscuerimus, abducet pituitam; inquit Actuarius, 5. libro, 19. & Galenus, 8. κατὰ τόπ. 2. & 3. Pituita non facilè educitur nisi commota bile: cum autem hiera vnà incidat & attenuet, magnam pituitæ vim eduxisse eam sæpè obseruauimus: Aloës maximam copiam accipit hiera: calida & sicca est Aloë secundo ordine, extergit illa crassam pituitam, adeò vt crebriore vsu oscula venarum aperiat. Aloë, inquit Mesue, purgat bilem & pituitam: quamuis scripserit Galenus, crassos succos ab ea non purgari, quòd hos ob imbecillitatem purgatoriæ facultatis trahere nequeat. Veruntamen obseruauit Fernelius, pituitam ac crassam bilem ab ea purgari ex ventriculo & intestinis: nam & crudos humores ex ventriculo & præcordiis educit. Datur ad semunciæ copiam. Vnguentum Agrippæ ventri illitum, purgationem promouet.

Quæ electaria potui danda.

Hiera quo modo pituitam purget.

Pilulæ.

Pilulæ, dantur ferè drachmæ pondere. Pilulæ de aloë lota, hepati & cerebro student, & mesenterij fœdam cloacam ab omni illuuie vindicant: Quare studiosorum sanitati dicatæ sunt à Musis; sæpè, & pauca si sumantur copia. cùm enim hi solennibus exercitiis corporis vacent, in mesenterio focum quendam vberrimum plurimorum morborum congerunt: ea enim pars sedes est brutæ partis animæ, quæ ad præsepe continnò sese explet. Pilulæ de agarico tenuem pituitam abstergent, à ventriculo, & intestinis: cum hiera, bonis ægrorum rebus, exhibentur. Pilulæ Assairet. Pilulæ mastichinæ, stomachu omnem ægritudinem eximunt, robur illi afflant, ac à putredine vindicant, tristitiam extergent. Pilulæ de hiera simplici cum agarico: à pectore prolectant. Pilulæ de Eupatorio. Pilulæ stomachicæ. Pilulæ imperiales, roborant, ac sanguinem mundant. Pilulæ alephanginæ, stomacho student & capiti.

[illegible] studiosis dicata pilula [illegible]

OBSERVATIO.

Miscendi ratio.

Sæpe accipiunt Pilulæ aliquid dacrydij, non vt purgent bilem, sed quo faciliùs aliorum cunctantior vis exciterur: alioqui præcipitanter purgantia misceri non debent imbellibus. Quare tum non ea copia adiicimus dacrydiũ, qua purgari posset corpus, sed solùm moueri.

Clysma.

Clyster: Saluiæ, origani, abrotani, chamæmeli, meliloti, singuli manipuli semisses: seminum anisi, fœniculi, cymini, cuiusque drachmæ duæ: seminis carthami drachmæ tres: fiat coctio ea aqua. colaturæ adde diaphœnici, & hieræ simplicis, singulas semuncias: olei anethini, chamæmelini, singulas sescuncias: mellis anthosati, sacchari rubri, cuiusque vnciam: fiat clyster. Et quia clyster est, addi poterunt emollientia, & quoque anethum; semina cari, ammeos, sileris, baccæ lauri, semen rutæ, benedicta laxatiua, oleum rutæ & liliorum.

Simplicia fortius Pituitam purgantia.

Medicere.

Agaricum calet primo ordine & siccat secundo. laudatur album, leue, rarum, laxum, & fragile. Constat substantia: aërea, & terrea, attenuata; & pauca aquea: aperit, discutit, & calfacit. Purgat pituitam tenuem & aquosam, non autem viscosam & lentam: sed exhaustis tenuioribus partibus hanc difficiliorem reddit: Quare rectè ei iunguntur incidentia, vt zinziber, galanga, hyssopus, enula, & ex Galeni sententia cum oxymelite, vel melicrato exhibetur paratum. Hodie cum vino corrigitur; in quo zinziber & caryophylli maduere. Vtimur ferè trochiscato agarico: nam id correctum est. Datur in infuso, vel pilulis cum aloë: aut ex diaphœnico, & quoque cum melle rosato, aut maceratur in iusculo in quo hyssopum, thymus, vel cyclaminus coacte. Peculiariter cerebri & pulmonum excrementa euacuat, & viscera exonerat: nam eius vis ad neruos & articulos via peruadit, obstructa viscera expedit: acidum ructantibus vtile, inquit Ruffus. Tutum est remedium omni ętati: attamen ventriculo nocet. Præbetur à drachma ad drachmas duas: minima dosis est semidrachmæ: pueris dantur scriptuli duo. Paratur eius essentia vt rhabarbari, corrigitur cum oleo zinziberis & spicæ. dantur scriptuli duo. Ita & mechoacan.

Vis.

Turpetum.

Turbith, vel turpetum optimum est gummosum & candidum: calet ordine tertio, & siccat secundo; vltimo tamen ambitu, ita vt nutet ad tertium siccitatis numerum. Nocet ventriculo; & in nauseam & vomitum concitat. Corrigitur zinzibere, mastiche, pipere, spica, cinnamomo, sero lactis, trochiscis de violis, & syrupo violato, passulis, psyllij cremore, oleo amygdalino. Datur in decoctis, vel in pilulis; aut in iure galli cum dactylis, & passulis, aut pulueribus remixtum: cum saccharo; nam hoc squalorem eius mitigat: porrigitur & in tabulis: interdum cum rhabarbaro offertur. Datur eius substantia pondere granorum septem cum semisse: Decoctis inditur à drachma ad drachmas tres. Trahit crassos viscidosque succos, & crudos humores elicit ex iuncturis & remotis partibus: diuturnis febribus studet, hydropicis, insanis, elephantiacis succurrit. Confert frigidis & diuturnis morbis. Quam pituitam Agaricum non educit, hanc trahit Turpetum: & quam elidere Turpetum nequit, exturbat Colocynthis. Non dandum puero, seni nec grauidæ: ab eius vsu cauendum ab esu piscium, & flato Austri.

Dosis.

Ordo pharmacia in pituita.

Cautio.

Colocynthis.

Colocynthis, hoc est cucurbitæ siluestris fructus, calet & siccat tertio numero. Nocet valdè ventriculo & intestinis, nam villis internis adhæret; inde vomitus. Corrigitur hepaticis, cardiacis, stomachicis, & rebus lenis, vt tragacantho, oleo amygdalino, zinziberis aut mastiches granis quinque, & aqua vitæ, aut iuri pingui. Ruffus vinum in eius fructu macerat. Accipitur aptè in pilulis, & inditur quoque opiatis laxantibus, vt hieris. Ego suadeo nonquam vtendum pura colocynthide, nisi redacta fuerit in trochiscos, quos vocant de alhandel. Quidam pulueri eius affundunt spiritum vini, ita vt superet sex digitis; digerunt dies viginti: nam quò id fiat diutiùs, eo suauius remedium euadet. Posteà inclinando effundunt, vtque exhalet curant. corrigunt cum oleo mastichino, vel ex nuce myristica, aut ex cinnamomo: & pro vncia succi, inferunt olei drachmam. Dant semiscriptulum cum syrupo rosato, vel myrtillorum. vtiliter datur apoplecticis, epilepticis, vertiginosis, hemicranicis. Quanquam Actuarius propinarit scriptuli pondus, & Dioscorides obolos quatuor, nos tamen Dosin ei ponimus à granis septem cum semisse, ad grana quindecim: sed geminata dosi in clysmis, nempe ad semidrachmam vsque, peciæ illigata inditur. Est enim inter cuncta remedia leuissima colocynthis, paruoque pondere magnam molem gerit: quare parciùs ponderi indulgẽdum. Suppositoriis etiam inditur. Crassa & lenta abducit à remotis partibus, à cerebro, neruis, & pulmone. Quos turpetum non soluit, hos curat colocynthis.

Dosis.

Pueris, senibus, & prægnantibus est inimica: & sine aliorum mistione malè tutus est eius vsus.

Cautio.

Hermodactylus, sit albus & compactus; calet & siccat secundo numero. Nocet ventriculo, nam flatus quosdam exspirat fœdos. Artubus dicatus est: purgat crassam

hermodactylus.

crassam materiam. Corrigitur tenuantibus, vt cinnamomo, mastiche, pipere, spica, zinzibere, menthastro, chamæpity, enula, semine rutæ: vt quæ ad articulos protrahant vim pharmaci. Offertur ex pilulis, decoctis, trochiscis, & pulueribus. Dosis eius est à granis quindecim ad drachmas duas.

Iris. Iris calet & siccat ad tertium gradum. datur cum mulsa pro purgatione pituitæ à ventriculo: cum spica, à pectore & pulmone prolectat: in empyemate, cum sero lactis & melle propinatur: in flatu intestinorum, cum mastiche: in arthritide, cum castoreo: in hydrope, cum melle rosato. Vtimur radicis succo, & decocto: ex insulis interdum datur: ego ex ouo mollitet cocto, ademto albumine vtor, cum pauco aromate. Purgat crassam pituitam, & aquam citrinam. Confert maximè hepati & pectori. Dosis succi est à semidrachma ad semunciā.

vas vis. Radicem præbet Ruffus ad drachmas septem. Parciùs & religiosè vsus eius est ineundus; nam scripsit Ruffus Ephesius, eam sanguinem effundere, si præter modum stomacho est ingrata.

Euphorbium. Euphorbium quarto ordine calet & siccat. Molestiam anxiam præbet hætendo. Corrigitur cordialibus & stomachicis, vt oleo amygdalino dulci, acredine citrei, mastiche, croco, datur cum aqua aut succo endiuiæ. A quibusdam traiicitur ter per setaceū, resolutum cum aceto distillato: dein affunditur spiritu vini: inclinando effundunt, & adiecto sacchaꝛo, digerunt: & dein coagulant cineribus: in fine adiiciunt olei mastichis anisi, drachmam, pro vncia essentiæ euphorbij. vel olei mastichis scriptulos duos, olei anisi scriptulum, essentiæ corallorum semiscriptulum: misce cum vncia essentiæ purgantis remedij. Ita paratur etiam sarcocolla, & sagapenum: viscosam purgant pituitam, à neruis, articulis, & thorace. Cùm dico essentias, nihil aliud intelligo, quàm aquam vitæ, quæ extraxit ab infusis sibi rebus, præcipuam vim: ita tamen vt euanescat maxima spiritus vini pars posteà, & restibilis maneat vis extracti remedij. Datur his quibus aluus friget, quare colico obnoxiis vtile. Præbetur ab vno grano ad octo cum semisse. Datur in pilulis, quas de Euphorbio vocant. quæ fiunt ad granorum piperis ideam rotundæ, & paulo minores, cum sibi dicatis corrigentibus. Crassam & lentam ducit

Qualem pituitam purget. è neruis & cauitatibus pituitam: sed valentiùs aquam. Quidam cum mastiche ad pestem eo vtuntur.

Opopanax. Opopanax tertio ordine calfacit, & siccat secundo. Paratur cum hydromelite, & decocto rutæ, vel ex vino: vt nempe calor eluatur, ex hydromelite: sed ruta abstergit venenum, facilemque distributionem præbet per venas, vt traducatur ad neruos vsque in paralysi. Mollit, digerit, crassam pituitā ab articulis & pectore elicit, caput purgat, & colicis medetur. Datur in pilulis. Dosis surgit ad drachmæ molem.

Ciclaminus. Cyclaminus calet & siccat tertio numero. Eius succus ventri illitus, aluum subducit, sed fœtum interimit. Succo eius vtimur cum Agarico, partibus æqualibus remixtis. Dosis eius est ad drachmæ pondus. Radix datur ex mulsa, aut passo, duarum aut trium drachmarum copia. Pituitam viscosam & aquam educit.

Ita & Scylla pituitam elicit crassam: & Bryonia: & Aristolochia rotunda, ex aqua drachmæ instar pota, pectus à succis lentis expurgat. Asari infusum ex sero caprillo, & oxymelite. Radices primùm præparari debent.

Observatio.

In his quæ immaniter vrunt ferozæstu, eleganter pro vehiculo vtimur cichorio.

Composita, Fortiter pituitam purgantia.

Sæpiùs purgari debet hic humor, quòd contumax sit, nec naturæ expelleēti, nec remedio trahenti facilè cedat. Quare & initio lenioribus erit parādus, & purgandus.

Potio: Myrobalanorum omnium, cuiusque drachma

fiat decoctio ex aqua menthæ: huius vnciis quinque adde agarici trochiscati drachmam: fiat maceratio horis xij. Colaturæ adde trochiscorum de rosis solutiuorum sesquidrachmam; syrupi rosati solutiui (si febris adsit) vncias duas cum semisse: fiat potio. Alia: Turpeti semidrachma: zinziberis grana sex, sacchari drachmæ duæ: cum aqua buglossi fiat potio. Hoc est remedium debile-forte, vt loquuntur Practici. Alia: Agarici præparati scriptuli quatuor, turpeti scriptuli duo: cinnamomi, schœnanthi, singuli semiscriptuli: fiat infusio in aqua menthæ: expressioni adde syrupi rosati solutiui, vncias duas cum semisse, decocti cordialis quantum sufficit, vt fiat potio. Alia: Diaphœnici semuncia, vel ℥ vj. modò æger fuerit firmus, cum aqua decoctionis liquiritiæ, passularum, & anisorum quod sufficit: fiat haustus. Vel detur cum mulsa, aut sero lactis, vel iusculo carnis, aut cum aqua distillata, vt lupulorum, boraginis, cichorij; vel in decocto communi, aut pectorali decocto, & cordiali: & addatur vncia serapij violati: Vt, trium florum cordialium, singuli pugilli: prunorum, iniubarum, sebesten, singulorum quatuor numero; liquiritiæ rasæ sesquidrachma. anisi drachma: fiat coctio colata pro vna *Haustus.* dosi, in qua dissolue diaphœnici, diacarthami, cuiusque drachmas tres, syrupi violati drachmas sex: fiat haustus. Plurima infusa & decocta purgantia describit Mesue & Andernacus, & ex illis Weckerus.

Electaria; Hiera Ruffi, quæ nobilitatur ab Aëtio, 2, 2, 14. habet enim colocynthidem & agaricum. Præbet *De Hiera.* eam bis in mense semunciæ copia. Exhibetur quoque eius scriptulus cottidie, ad flatus excutiendos, & ad robur ventriculi: quare roboris cùm propinatur causa, eius copia non superabit drachmæ molem. Hinc colligimus, in affectibus ventriculi frigidis, maximè conferre vsum pharmacorum frequentem; non solùm roborantium, sed & primas fœditates alui eluentium. Hiera *Obseruandū in cottidiano victu.* pachij, & hiera diacolocynthidos: Sed ego auctor sum vt non vtamini; quin potiùs adiicite aliis electariis aliquot grana trochiscorum alhandel: nam in iis optimè castigata est colocynthis: poterit addi & Turpetum. Inter hieras magnas, est fortissima hiera Hermetis. Hiera logndij præstantior est cæteris, & menses euocat. Paulus has propinat ad molem duarum drachmarum: sed Aëtius ad semunciæ pondus surgit. Quare vt res fuerit, modò pateiùs, modò liberaliùs præscribi debet. Hiera piera composita, descriptione Nicolai. Accipe hieræ picræ simplicis mellitæ semunciam, trochiscorum alhandel grana quinque: misce, vtatur sæpe castaneæ mole; tribus vel quatuor diebus elapsis, iterum repetat. His re- *His regionibus vtile.* gionibus istud remedium vtile; etenim pedetentim abscindit omnem contaminatam pituitam, & bilem, vnde alioqui maxima moles morborum efflorescit. Bolus: ca- *Bolus.* tholici drachmæ sex, agarici drachma, electarij de succo rosatum sesquidrachma: misce. Alius: Trochiscorum de violis scriptuli duo, hieræ simplicis sesquidrachma, catholici drachmæ sex: misce. febribus hi conferunt, parata iam materia morbifica. Opiata: Absintbij pulnerisati, specierum hieræ pictæ singulæ binæ drachmę, *Opiata.* euphorbij semidrachma: cum melle rosato solutiuo fiat confectio, ad ideam opiatæ. Sumat interdum sesquidrachmam. Vermes educit, ac materiam in vermes fœcundam abscindit.

In Officinis hæ exstant: Electarium de Psyllio, quod *Electaria officinarum.* tamen magis bilem eucherc videtur, quàm pituitam. Electarium Elescoph vel episcopi, flatus pellit, doloribus articulorum, lateris & renum auxiliatur: colicis ac vesicæ humoribus confert: datur ad drachmas sex: studet articulis, colicis & renibus. Diaphœnicum, materiam educit crassam, maximè si quid bilis remixtum fuerit. delicatulis dantur drachmæ duæ, cæteris semuncia. est tritissimum Pragmaticis remedium. Electarium Indum, ad putridam pituitam vtile, flatus eiicit, & aluo dicatum est medicamen, & renibus studet.

Exhi

Exhibetur à drachmis tribus ad quinque. Confectio Hamech, pituitam euehit salsam & adustam, vnde scabies alioqui surgit. Diaturbith cum Rhabarbaro. exhibetur eius semuncia: at puluis ad sesquidrachmam, cum triplo, vel quadruplo sacchari. Ita turpetum aliis medicaminibus remixtum, non tam vehementer corpus concutit. de eo enim non fracto aliorum accessu, dicebat quidam, Nolo damnosum turbith mea viscera turbet. Benedicta laxatiua. dosis eius exsurgit ad semunciam. educit pituitam ab articulis, renibus & vesica. calculosis auxiliatur.

Diacarthamum, quod & diacnicum: huius dosis est semunciæ, vel drachmarum sex. datur in forma tabulata. ex idea huius compositionis, & ex aliis, tabulæ effingi poterunt. Hoc modo: Accipe sacchari soluti vncias quatuor, specierum diacarthami drachmas duas. sumat semunciam.

Elegans. Elegans hoc erit remedium: Seminis cnici vnciæ quatuor: turpeti gummosi, foliorum senæ, cuiusque sescuncia: dacrydij drachmæ quinque, rhabarbari vncia, agarici trochiscati drachmæ sex, mannæ vnciæ duæ semis, myrobalanorum chebularum vnciæ tres, polypodij vnciæ duæ, zinziberis drachmæ duæ. crassiùs conterantur: & affundatur aquæ vitæ, in qua diambræ vncia per octo dies macerata fuerit: macerentur tepidè dies quatuordecim, hinc prælo exprimantur: & ex liquore aqua vitæ exstilletur, donec ad melleam crassitiem subsidat. drachma, adultis: dimidia, iunioribus. ex iure, cum syrupi rosati vel violati laxatiui semuncia diluitur, potuíque datur. Electarium de citro, ad semunciam exhibetur.

Pilulæ. Pilulæ hîc vtiliores quàm Electaria, cùm ob madorem succi, tum quòd pleniùs euacuent. Accipe hieræ simplicis, agarici, singulas drachmas: seminis carthami & vrticæ, cuiusque semidrachmã: mastichis. caryophyllorum, cinnamomi, rosarum, galangæ, singulorum grana sex: interdum addimus trochiscorum alhandel scriptulum: cum oxymelite fiat massa. *Officinarum.* Pilulæ de Agarico Mesue, pectori & iuncturis dicatæ: in crassæ pituitæ purgatione hîs iungi debet turbith, vel colocynthis. Pilulæ Aggregatiuæ, vsitatæ pragmaticis, totum corpus purgant: Pilulæ Cochiæ vel Cocciæ, dicuntur à grani magnitudine, quod κόκκον Græci vocant: frequens harum est vsus; bilem quoque euacuant, capiti auxiliantur. Pilulæ Benedictæ laxatiuæ. Pilulæ Fœtidæ, crassam & crudam eiiciunt pituitam; auxiliantur arthriticis, colicis, & elephanticis. Pilulæ Sine quibus, vsu celebres sunt. Pilulæ ex turbith Mesuæ, apud Antidotarium Florentinum, putrem & aquosam pituitam à ventriculo & cerebro eximunt. Pilulæ de Hermodactylis maiores & minores; serosa excrementa ab articulis euellunt, neruos à pituitoso sero liberant. & pilulæ arthriticæ maiores. Pilulæ Lucis vel ante lucem, maiores & minores: notæ sunt vsu. Pilulæ polychrestæ Fernelij. pilulæ de octo rebus, crassos succos eximunt ex capite & oculis. Pilulæ de Mesereo, eo modo quo eas describit Altimarus, capite de Hydrope. Pilulæ de Opopanaco, ad pituitæ crassæ fusionem; cum mastiche, nam emollit & astringit simul: valent ad paralysin & spasmum Cynicum, & ad arthritidem præscribuntur. Pilulæ de Sagapeno ad crassam pituitam conferunt. Pilulæ de Euphorbio Mesuæ. Nos insignes describemus, Deo opt. Max. ocium & vitam dante, vbi agemus de notha Pleuritide, inter Thoracis morbos.

Hystericis. Pilulæ quæ ex gummis constant, fœtidis succis dicatæ sunt, & vtero, & artubus. Pilulæ dosi vnius drachmæ exhibentur. Pilulæ de Colocynthide fiunt exiguæ, ad formam granorum piperis: præscribuntur ad pituitam melancholescentem, & ad alphos: Ad fluentem pituitam his addunt mastichen, & myrobalanos, vt in catarrhis, & arthritide. Pilulæ Alhandel Mesuæ, apud Antidotarium Florentinum: ad hemicraniam difficilem, & ad affectus neruorum & artuum porriguntur.

Accipe pilularum fœtidarum, pilularum aleubanginarum, & cocciarum, singulos scriptulos: misce. Aliæ: Turbethi albi & gummosi lacte muliebri macerati, agarici trochiscati, cuiusque drachma, trochiscorum alhandel scriptulus, specierum hieræ drachmæ duæ: cum melle rosato fiat massa. Nobis frequentes sunt hæ, mole exiguæ, & fœlices euentu: Accipimus pilularum cochiarum semidrachmam, trochiscorum alhandel grana tria, vel scammonij grana duo vel tria: fiant pilulæ quinque. deaurentur.

CAPVT X'XIV.

De purgantibus melancholiam: quæ Melanophyga Græcis.

MElancholiam trahentia, alia leniora sunt; alia, vehementiora. Quælibet horum sunt aut simplicia, vel composita: inter quæ, hæc tutissima ac efficacia esse vsus deprehendit: quæ mox referam. Lentus ac restagnans hic humor, lenè purgari debet, alioqui crudior cùm sit, medicamento non cedit. Quare Rhases, vsu doctus (nam annos centum is mediciuam fecit) scripsit, hebdomadas tres interdum quiescendum esse. Et Aretæus dicebat: Cedit melancholicus morbus cedentibus medicis.

Simplicia, leniter melancholiam purgantia.

Myrobalani Indæ, frigent ordine primo, & siccant secundo. Vtimur his cum sero lactis. & cum aqua fumariæ, aut eius succo: & cum hydromelite, vel cum infuso senæ. Earum etiam essentia paratur, eo modo quo ex rhabarbaro. Infunduntur ad drachmas sex à semuncia: in puluere exhibentur à drachma ad binas drachmas. Vsus illarum est, cum volumus alui fusionem excipi à strictiore vi. *Vsus.* Cor, hepar, & lienem recreant. Vstam bilem educunt; quare vtilissimè dantur quartanariis: colorem emendant fœdum, & mœrores fugant: præbentur cum cassia, vel rhabarbaro, si adstrictione opus fuerit à purgatione. Interdum vtimur drachmis duabus ex diacatholico.

Stœchas calet gradu primo, & siccat secundo: torpet admodum eius vis soluendi, quia euaporat. *Stœchas.* Augetur stupens illius vis ex sero lactis. Datur à semunciæ pondere ad vnciæ molem. Dicata pectori & visceribus, & habitui corporis: Attamen bellum indixit biliosis.

Epithimum vstam melancholiam purgat: siccum *Epithymum.* est & calidum tertio ordine. Infusio eius sæpe rhabarbarum excipit. Corrigitur pipere; datur ex sero lactis, aut ex hydromelite, vel passo cum pauco sale, vel cum oxymelite, & ex iure gallinaceo, aqua violarum aut cremore hordei. Dosis est semunciæ: ita Galenus 14. Methodi: sed hoc tempore plus damus, quia Cretensi caremus: etenim tutò iam vncias duas infundimus.

In caput, cor, lienem & renes peculiari vi fertur: conducit animi tremoribus & deliquiis, hypochondriacis, quartanariis, leprosis: Abincenna libro De cordis medicamentis, scribit, ab eo cor purgari. Vsus eius tutior est hyeme quàm æstate. Accipe epithymi, vel polypodij vnciam, vini selibram: contundantur modicè, & leniter ferueant. *Thymus.* Thymus, inquit Ruffus Ephesius, detrahit melancholiam & pituitam affluenter.

Polypodium. Polypodium assatam bilem eluit, & pituitam: colicis opitulatur, lieni prodest mira vi: etenim de eo scripsit Dioscorides hanc laudem: ποιεῖ δὲ πρὸς ἀποκατάστασιν σπληνικῶν, id est, laborantes lienis incremento recreat: *Splenitis.* hoc est, restituit lienosos, vt propriè dicam. cùm epithymo & sale Indico, hæc maximè præstabit. Variè exhibetur, vt in decoctis, vel mulsa, aut in iure galli, ex Ruffi sententia, maximè asthmaticis: *Modus vtendi.* Cum epithymo,

in

in hypochondriacis : cum aqua hordei, in febribus antiquis, quales sunt quartanæ : in obstructione hepatis & lienis, cum passulis : in scabie ab vsta bile, cum sero lactis : in flatibus, cum dauco, aniso, fœniculo, zinzibere, caryophyllis, & cinnamomo. Siccat polypodium tertio ordine, quare benè datur ex decoctis. Inueteratos laterum dolores soluit : maximè oleum quod ex eo

Dosis. paratur. & sal, cum aqua polypodij distillata. Dosis, in decoctis præbetur à semuncia, ad vncias duas. Pulueris drachmas duas præscribit Ruffus Ephesius. Sit nouum; nam inueteratum stringit ventrem. Eius essentia eo modo eliditur vt ex rhabarbaro.

Fumaria. Fumaria & eius succus retorridam effundit bilem: dicata est omnibus venis : dilutum eius ex vino, studet hepati & stomacho. Succi dosis est ad semunciam : pulueris datur ex mulsa ad drachmas duas. De hac egimus vbi De bile. Coquitur cum myrobalanis, sena, & vuis passis. Sena media est inter magna & parua remedia: de hac, in sequenti serie.

Cassutha. Cassutha calfacit primo numero, siccat secundo: abstergit, & astrictione quadam roborat, hepatis & lienis infarctus expedit : vstam ex bile melancholiam eluit, puerorum febribus succurrit. Corrigitur aniso, & bibitur decocta cum absinthio, ad vncias sex, cum sacchari sescuncia.

Mercurialis. Mercurialis; & ex ea mel mercurialatum, confectum ad imitationem syrupi rosati laxatiui.

Cortex radicis Capparis.

Sambucus. Sambuci ex corticibus mediis syrupus.

Genista incidit & attenuat; obest cordi : noxa tollitur rhodomelite, mastiche, dauco, aniso. Fit oxymel ex eius floribus, quod lienes duros soluit. Ex genista purgatio podagram curat.

Pulegium vstam bilem deiicit, vt & brassica semicocta.

Scylla. Scylla, calet & siccat tertio recessu. Paratur cum asaro, vel aceto : ita enim Pythagoras parabat, vt auctor est Galenus, libro tertio Euporistôn. Verùm ex sententia Galeni, eleganter insolatu succus eius educitur, remixto melle : quemadmodum prodidit in consilio pro puero epileptico. Sed cùm præbetur cum aceto, tentat neruos & intestina.

Composita, leniter melancholiam purgantia.

Potio. Potio : myrobalanorum omnium semuncia : crassè contusæ fricentur oleo amygdalorum dulcium, fiat infusio in aqua fumariæ, hæreant ibi septem dies : glycyrrhizæ, polypodij, epithymi, foliorum senæ, singulæ vnciæ : seminis citriorum, caryophyllorum, cuiusque drachma : adde hæc infusioni, & bulliant, dum tertia pars exhausta fuerit à foco. accipe huius decocti vncias sex; serapij de corticibus citriorum, sescunciam: fiat haustus. præclarè facit hæc potio ad melancholiam hypochondriacam.

Alia : Accipe passularum minorum vnciam; florum boraginis & violarum, cuiusqoe pugillum : ceterachi, epithymi, singulorum drachmas tres : foliorum senæ semunciam : coque ex aqua, & colaturæ adde syrupi violati laxatiui vnciam; mannæ drachmas sex, syrupi conseruationis zinziberis parum misce.

Alia : Coque myrobalanos, folia senæ, & epithymum ex aqua : cui decocto infunde toties rosas, vt has totas redoleat. Et libra huius decocti accipiat quatuor vel quinque drachmas rhabarbari : atque facta maceratione & colatura fiat syrupus. Euacuat crassa adusta, & refrigerat hepar. Sumat vncias quatuor singulis septimanis. artus roborant myrobalani, vt rhabarbarũ hepar.

Alia: Foliorum senæ drachmę duæ: fumariæ, absinthij, singuli pugilli duo, cinnamomi drachma : infunde in aqua cichorij, & pauco vino : à maceratione exprime, & iterum infunde rhabarbari sesquidrachmam : tandem colaturæ adiice catholici semunciam : fiat haustus.

Alia potio : Fumariæ, summitatum lupulorum, cuiusque sesquimanipulus, passularum mundatarum semuncia, polypodij recentis sescuncia : cassuthæ, epithymi, cuiusque drachmæ tres : anisi, liquiritiæ rasæ, singulæ sesquidrachmæ. fiat decoctio, in qua infunde foliorum senæ duas vel tres drachmas; in colata expressione dissolue catholici, & serapij violati, cuiusque vnciam. addo violatum syrupum ob senæ siccitatem.

Alia : Foliorum senæ semuncia, anisorum, cinnamomi, cuiusque semidrachma; florum cordialium, cuiusque pugillus : fiat infusio in sero, vel iusculo galli decrepiti. Vel accipe foliorum senæ drachmas duas cum semisse : epithymi, rhabarbari, cuiusque sesquidrachmam : infunde hydromeliti, & colaturæ adde catholici semunciam.

Alia : Foliorum senæ drachmæ duæ, cinnamomi drachma, seri lactis vnciæ decem: infunde per noctem, in vase angusti oris, manè bibatur. vel lactis sesquilibra bulliat cum oxymelitis vnciis tribus : diu inter coquendum agitetur baculo ficulneo fisso : dein adde pulueris senæ in pecia ligati drachmas sex : sequenti die bibat expressum liquorem. vel harum potionum accipe vncias quatuor : cum syrupi rosati solutiui, vncia; & violati semuncia : potui exhibe.

Alia : Foliorum senæ, epithymi, origani, cuiusque drachmæ duæ, cicerum rubrorum pugilli duo : fiat coctio ex lege artis : in hac infunde agarici trochiscati, si pituitescat melancholia, drachmam; vel rhabarbari, si ex bile illa nata fuerit, sesquidrachmam; cinnamomi semidrachmam : à maceratione & expressione, adde confectionis Hamech drachmas duas.

Alia: Passularum mundatarum semuncia, senæ drachmæ duæ; cinnamomi ℈ ß : fiat coctio : colaturæ adde catholici, vel medullæ cassiæ, semonciam. Hæc coqui poterunt interdum ex iure capi vel galli, alterato cum buglosso, apio, & aniso. vel foliorum senæ ʒ ij. ex iuris galli ℥ iij. expressæ.

Quæ remedia educunt melancholiam, vtiliter soluuntur in sero lactis, & decoctis, aut liquoribus eliquaris ex rebus quæ parant melancholiam. vel ex sero lactis coquantur præparantia melancholiam, & colaturæ infundantur folia senæ; remixtisque electariis, fiat haustus. Accipe foliorum senæ à stipulis mundatorum drachmas tres : infundantur sero lactis, macerentur per noctem : expressioni adde vnciam catholici. vel accipe epithymi vnciam, bulliat in sero lactis (nam epithymũ fert coctionem) coletur forti expressione, adde syrupi violati vnciam : & propinetur. poterit interdum catholici aliquid remisceri. elephantiasin futuram arcet hæc potio. Hæc decoctio vtilis est admodum : Accipe florum boraginis, buglossi, fumariæ, epithymi, cuiusque semimanipulum, polypodij drachmas sex, fœniculi drachmas binas, senæ semunciam, seri lactis libras tres: fiat decoctio ad tertiæ partis exhaustionem : adde mellis rosati vncias duas. *Decocta, & serum lactis.*

Vtile est & dilutum foliorum senæ, & epithymi, ex sero, vel mulsa. *Vtile.*

Celebratur galli decrepiti decoctum, vt in colicis doloribus à pituita flatulenta, & ad asthma, ad dyspnœam, ac arthritidem. Fiat hoc modo: Accipe hyssopi, calaminthæ, singulos manipulos: passularum mundatarum sescunciam: anisi, fœniculi, cari, cuiusque drachmas sex : seminis carthami vncias duas : polypodij quercini recentis sescunciam, trium florum cordi dicatorum, singulos pugillos: florum chamæmeli, meliloti, singulos semipugillos: includantur omnia in ventre galli decrepiti, præparati vt decet: in fine coctionis adde foliorum senę vncias duas; agarici trochiscati, drachmas decem : fiat colatura ad libras duas, ac reponantur. Accipiemus præscripti decocti vncias quatuor, serapij violati vnciam vnam : fiat haustus. Si robustior fuerit æger, adde drachmas duas diaphœnici, aut benedictæ laxatiuæ. Cautio, *Galli decoctum.*

vbi

vbi colicus dolor molestus est, ab agarico erit abstinendum: nam intestinorum villis adhæret, ex remotioribus partibus eò succos euocat. Si pareatur ad alios affectus, partibus quæ student remedia adiungantur: vt si asthma fatiget, cum helenij radice, vel cum satureia; tussilagine, radice ireos, ficubus, dactylis, iuiubis, agarico, botryde, pulmonaria. Coquatur gallus in aquæ libris sedecim, dum exossetur: dein cola: exprime: amoue pinguedinem: adiice ireos drachmas tres, cinnamomi drachmas duas, sacchari vncias quatuor: iterum parum bulliant. sumat manè, & vesperi.

Decoctum commune ad medicamenta maceranda; quod describitur in Antidotario Florentino, hic vtile erit. Et hoc: Accipe folliculorum senæ sescunciam, foliorum senæ vnciam, zinziberis drachmam, florum cordi dicatorum manipulum. polypodij vncias tres, passularum vncias duas; sebesten, prunorum, singulorum x11. aquæ libras quatuor: fiat decoctio secundùm legem artis. sena parum bulliat. hoc quartanas fugat, cancros, melancholiam.

Syrupi. Serapion: Polypodij quercini vnciæ quatuor: mercurialis, betæ, boraginis, tutionum maluæ, singuli manipuli duo: origani, Capillorum Veneris, ceterachi, cuiusque manipulus, pruna triginta, pulpæ passularum vncia, pulpæ tamarindorum sescuncia: anisi, fœniculi, vtriusque drachmæ tres; cassiæ semuncia, medullæ carthami, foliorum senæ, cuiusque vnciæ duæ: epithymi recentis sescuncia, florum cordialium, & genistæ, cuiusque pugillus, florum centaurij minoris vncia: coque in sero lactis: & in colaturæ libris duabus, dissolue cassiæ vncias tres, mannæ vncias quatuor, sacchari quantum sufficit: fiat syrupus perfectè coctus. Accipiat vncias duas interdum æger ex hoc syrupo, cum iure pulli, vel ex decocto boraginis & myrobalanorum Indarum.

Aliud Serapion: Succi lupulorum, buglossi, fumariæ, pomorum dulcium, cuiusque vnciæ tres: depurentur: polypodij quercini recentis vnciæ duæ, vel tres, tamarindorum pinguium vncia: epithymi vnciæ duæ: id, in fine dum coquuntur immittatur: scolopendrij, trium florum cordialium, singuli pugilli: fiat coctio colata ad vncias nouem: his infunde foliorum senæ vncias tres: à maceratione fiat expressio, cui affunde serapij violati, & serapij de buglosso, sacchari albi, cuiusque vncias tres: fiat Serapion perfectè coctum, quod aromatisetur drachma cinnamomi, & scrupulo zinziberis. Dosis est duarum vnciarum pondus: propinahitur cum aqua buglossi, lupulorum, fumiterræ, vel cum sero lactis. Remisceri poterunt huic serapio dum coquitur succi cichoracei, si adustus fuerit humor qui in vitio est: & thymus, & polypodium inecoquuntur nonnunquam, ad consumtionem mediæ partis: & in fine adiiciuntur folia senæ, agaricum: expressionique colatæ immittuntur syrupi de scolopendrio, de artemisia, de hyssopo, de fumaria compositi, singulorum vnciæ duæ: cum selibra sacchari. Propinabimus huius syrupi vncias binas cum sero lactis, bis aut ter in hebdomade. Liceret interdum addere cortices tamarisci & fraxini interiores, absinthij summitates, & semen carthami.

Officinarum. Officinarum syrupus de pomis apud Antidotarium Florentinum. Syrupus de fumaria compositus. mel violatum. syrupus de epithymo: oxymel scylliticum: syrupus de polypodio compositus, in Antidotario Florentino descriptus. Præclara syrupi de polypodio ita fabrica-*Syrupus de Polypodio nostro.* bitur compositio. polypodij quercini recentis selibra: atteratur crassiusculè; & bulliat in aquæ libris sex, dum media pars exhausta fuerit: mox ioiice calami aromatici crasè comminuti semunciam: & iterum parum bulliant: postea adde fœniculi crasè contusi, sesquidrachmam, & leniter rursus efferuescant à foco: his adde myrobalanorum chebularum & Indarum, cuiusque sescunciam: succi boraginis & rosarum, singulas vncias octo, medullæ passularum vncias duas: per diem macerentur: hinc bulliant lento igne; & in fine coctionis adiice foliorum senæ sescunciam: obturata, ferè frigescant, ac mox validè exprimantur: & his clarificatis inuatur sacchari albi sesquilibra, & bulliant ad mellis spissitudinem. Datur ad vncias tres vel quatuor. Sumi poterit ex decocto florum & fructuum cordialium. Descripsit quoque elegans serapium de polypodio Andernacus, tomo secundo, vbi de noua & veteri medicina agit fol. 457.

Electaria. Dicassia: cassia extractis cum foliis senæ: *Electaria.* Electarium lenitiuum, hoc est, diasena recens Rhasis: diasena lenitiua: tryphera Saracenica: catholicum: hiera ità parata vt scripsit Actuarius lib. 5. cap. 9. Hæc ad vnciæ pondus præscribantur: diacatholicum in decem drachmarum pondus exeurrit. Vstam bilem excludit electarium de psyllio, confectio Hamech & syrupus de polypodio.

Pilulæ: Pilulæ de aloë non lota, pilulæ de fumo ter-*Pilulæ.* ræ, ab hepate, & liene educuntur: pilulæ assairet, pilulæ sine quibus, pilulæ Indæ. Puluis senæ præparatæ Montagnanæ, apud Cordum descriptus. Trochisci scylliticí, præbentur drachmæ pondere.

Vbi melancholia in vitio est, potiùs vtendum potio-*Cautio.* nibus, quàm pilulis aut solidis remediis, ob siccitatem melancholiæ. Quamuis interdum contumacia materiæ ad eas nos reducet. nam robustius agunt combinata vi, diutiusque in ventriculo hærent, ac vehementiùs è capite proleclant.

Clyster: Fumiterræ, centaurij minoris, mercurialis, *Clysma.* singuli manipuli: polypodij quercini, foliorum senæ, cuiusque drachmæ tres: thymi, seminis agni casti, singulorum drachmæ duæ: fiat decoctio, in qua dissolue confectionis hamech semunciam, cassiæ recenter extractæ drachmas duas; olei violati, & liliorum, cuiusque semunciam: sacchari rubri, & mellis violati, singulas sescuncias, salis drachmam: fiat enema. Interdum emollientia addimus, & folia boraginis, buglossi, & quoque lupulos, melilotum, chamæmelon, anethum, semen enici, anisi, fœniculi: catholicum: hieram Ruffi, quæ non est in vsu: oleum anethi.

Simplicia valde melancholiam purgantia.

Sena calet ordine secundo, siccat primo. Græci an-*Sena, mediocre remedium.* tiquiores huius non meminere. Bilem crassam educit ex hypochondriis & mesenterio, ac omnem sentinam *Vis eius.* primæ alui eluit; biliosa, pituitosa, & serosa quoque recrementa elicit: adhæc nec vnquam intestina corrodit. diuturnis omnibus morbis prodest, caput, cor, iecur, lienem, pulmones excrementitiis succis liberat, sanguinem mundat, spiritus illustrat, senium retardat, ac tristitiam excutit. Mauri zinzibere eam castigant: nos, *Castigatio eius.* cùm acrior sit & siccior quæ his regionibus importatur, iure pingui maceramus, ex iusculo veteris galli, cum aniso; maximè cùm adulti succi purgandi venerint: datur & commodè cum decocto prunorum, passularum, liquiritiæ, iuiubarum, violarum, althææ, pisorum modicè coctorum, & anisorum, & quoque cum cassia, syrupo de pomis, polypodio, & epithymo. Dilutum eius vtilissimè ex sero lactis, ad vncias decem propinatur maximè retorrida bilis si molesta fuerit: est enim Se-*Serum lactis. Elegans.* rum lactis quasi vehiculum eorum, quæ purgant atram bilem. Folia senarum vino infusa abundè corriguntur: nam vinum illud innoxiè purgat, nec ventriculo grate est: quamuis drachmis tribus senæ ita maceratæ, adiici posset semuncia syrupi rosati solutiui: & vini vis aromate perfundi potuisset, adiecta semidrachma cinnamomi, aut zinziberis; & ne fecius euadat, passularum sescuncia inferri posset: quin si epithymi vim iungi velimus, illud non sine Venere admittet vnà vinum. Macerantur loco calido foliorum senæ drachmæ duæ, in vino, cum momento zinziberis: si non exprimantur, lenior futura erit purgatio.

Dosis. Dosis à drachmis tribus in semunciam excurrit, cùm in diluto propinantur: in puluere præbentur à pondere drachmæ vnius, ad binas drachmas Hora ante cibum, vel citiùs rectè datur sena. *Tempus vtendi.* Essentia eius extrahitur, vt ex Rhabarbaro.

Armenius lapis. Lapis Armenius optimus ex cæruleo viret, inuenitur in argenti fodinis; calet in primo, siccat io secuodo gradu. Si aluus ducenda est, ille contereretur, lauabiturque cardiacis aquis, vt rosarum, buglossi, cichorij, portulacę. toties lauari debet, donec aqua non ampliùs inquinetur, imò ad quinquagenas vices: nam illotus, vomitum mouet. Hunc, sanguinem cordis purgare perhibet Abincenna lib. de Medicamentis cordis, tractatu secundo: vapores absterget à vitalibus spiritibus. Vetustiores Græci de eo nihil memoriæ prodiderunt; Alexander Trallianus primus inter recẽtiores, & deinde Aëtius & Actuarius eius meminere. Miras de eo epangelias prodidit Trallianus, capite de Melãcholia. Mesuë prębet à drachma semisse, ad sesquidrachmam: potum verò à drachma vna, ad duas: Aëtius eius scriptulum exhiber sit eius *Dosis.* Dosis drachma. Datur cum hiera, vt dicit Trallianus, & cùm aliis iungitur laxantibus: quidam ex vino, & aqua boraginis eum offerunt: Cùm eius vis solutoria obliteranda est, comburi debebit: nam id aeres tenuesque partes exhaurit, sed empyreuma tandem eluatur.

Lazulus. Lapis Lazulus vel cyaneus, calet in secundo numero, & siccat ordine tertio: easdem vires quas Armenios, sed inualidiores habet. Quartanis præscribitur; purgat sanguinem cordis, inquit Auicenna, libro De cordis medicinis. Paratur vt Armenius: datur ad grana quindecim. Quidã hos lapides, ab igne candentes, sexies extinguunt in aqua vitæ: dein in puluerem eos vertunt tenuissimum, qui abluitur aqua: abiiciunt sæpiùs ea quæ supernatant. Siccant dein puluerem, & eum lauant aqua melissæ, vel buglossi; euaporant aquam: & digerunt cum spiritu vini in balneo viginti dies. Dein exhauriunt ferè hanc aquam lento igne: correctionem affundunt, essentiam margaritarum, corallorum, croci, & oleum cinnamomi & caryophyllorum. Dosis est semidrachmæ: cum aqua melissæ, vel buglossi.

Laureola. Laureola vel Mesereon calet & siccat in quarto gradu: valet ad melancholiam & ad hydropem. Praua eius vis castigatur, sociis rebus frigidis & humidis: talis est succus portulacæ, endiuiæ, succago psyllij, & tamarindi. Pondere septem granorum cum semisse propinatur.

Veratrum. Elleborum nigrum est innocens medicamen, modò ritè paretur. Veteres Ellebori succo, alij foliis, alij semine, alij radicibus vtebantur: tandem ratione & experientia edocti, tantùm radicibus vtimur. *Antiquorum Elleborismus.* Quare Plinius scripsit Elleborum quondam terribile, postea tam promiscuum effectum, vt plerique studiorum gratia, ad peruidenda acriùs quæ commentabantur, sumtitarent. Verùm, vt prodidit Oribasius, accuratè Elleborum castigabant; & tutis quoque tutò admouebant: hæc ratio ferè nos latet, cum antiquorum scripta de parando elleboro interciderint. Scripsit olim eius tecmarsin Philonides Siculus Ennensis, cuius meminit Dioscorides libro quarto; & Hippocrates, cuius scripti de Elleboro initium adhuc superest. *Vires.* Elleborum calet & siccat tertio recessu. Castigatur eius noxa ab Hippocrate, libro secundo de Morbis acutis, & à Mesue, rebus suaueolentibus. nus extracto Ellebori vtimur, quod mox describemus.

Elegans. Pomum radicibus Ellebori nigri & caryophyllis transfigemus, foculo sub cineribus coquimus; elleboroque abiecto, pomum offerimus quartanariis, aliisq, contumacibus morbis implicitis, à materiæ morbificæ mitigatione, temporeqoe frigido, & humido. Idem in cydonio malo, pastæ inuoluto, fieri poterit.

Dosis. Quidam eruditus Medicus exhibuit diluti radicis, ad drachmæ vnius pondus, cumque nihil excerneret æger, tandem venit ad semunciam, & feliciter ægrum liberauit. Propinatur ex infuso, à drachma, ad semunciam: infunditur hydromeliti, vel decocto polypodij, vel ex iure pingui, aut aqua hordei, vel syrupo leniente, cum anisu, cymino, cinnamomo. Quidam substantiam radicum præbent, à granis quindecim, ad semidrachmam: sed à substantia est metus conuulsionis.

Facultas Ellebori nigri. Valet ad omnes morbos melancholicus, febres quartanas, flatus, aurium tinnitus, ad iuuenilem tuendam ætatem, & pituitosos morbos frangit: febres diuturnas & repetentes abigit, prodest insanis & hemicranicis. Adhibendum cùm peruicacioris morbi contumacia id postulat, nec aliis remediis euelli potuit.

Vsus eius quando. Nec puero, nec seni, aut ingrauidatæ detur: sed robustis, & animosis, elephantiacis, cancro obnoxiis, herpeti, melancholiæ, epilepsiæ, vertigini.

De elleboro albo egimus, vbi de vomitoriis. Ambo tertio numero calent, & siccant. Albo vtebantur antiqui ad vomitum prouocandum: nigro, ad purgationem infernam. Verùm ab hinc trecentis annis, formidabilis ellebori albi vsus, & funestus habitus fuit.

Nigrum in decocto minus periculi habet. cum dacrydio, aut colocynthide non ita strangulat; absit agaricum: nam vnà strangularent. Radicum fibræ, aqua macerantur. cortex exemtus extra solem arescat; tenui medulla proiecta. Paratur à quibusdam cum aqua vini; & corrigitur cum oleo anisi, ita vt teneilulis etiam dari possit. Aquam anisi separant balneo à radicibus: dein aquam vitæ affundunt ad quatuor digitorum altitudinem: digerunt in balneo dies tres; hanc aquam vi ellebori delibutam effundunt, & eius aliam affundunt, quæ habet vim maceria. tandem exstillant aquam vitę: & eius quod in fundo est accipiunt scriptulum, cum gutta olei anisi, aut menthæ: dant ex aqua betonicæ epilepticis, hydropicis cum aqua lumbricorum, clementer & sine vomitu agit.

Composita, Valide melancholiam purgantia.

Sytupus de polypodio fortis: Accipe polypodij recentis libram; corticum ellebori nigri præparatorum semunciam: foliorum senæ semilibram: epithymi, radicum buglossę; florum boraginis, stœchados, passularum, prunorum, cuiusque vnciam: liquiritiæ ralæ, seminis fœniculi, turbith, agarici, cuiusque semunciam: fumariæ, melissæ, betonicæ, singulorum manipulum: cinnamomi, nucis myristicæ; cuiusque drachmam: croci scriptulum: fiat decoctio ex aqua: macerentur horis duodecim: colaturæ adde succi fumariæ libras decem: succi lupulorum, betonicæ, cuiusque semilibram; succi pomorum libram, sacchari optimi quod satis sit: fiat syrupus. capiat vncias quatuor bis aut ter mense. Syrupus de elleboro: Accipe ellebori nigri semunciam, succi pomorum dulcium vncias decem: radicum buglossæ, boraginis, polydodij, epithymi, singulorum vnciam: folliculorum & foliorum senæ, chamæpityos, stœchados, singulorum drachmas sex: florum boraginis, buglossæ, fumariæ, lupulorum, cuiusque pugillum: capillorum Veneris, agrimoniæ, chamædryos singulos manipulos; schœnanthi semunciam: fiat decoctio ad libras duas: huic decocto adde succum pomorum, sacchari albi libras duas: fiat syrupus. Dosis est quantitas duarum vnciarum.

Decocta. Decoctum: Myrobalanorum omnium, singulæ semunciæ comminuantur crassè, & macerentur per diem & noctem in aquæ fumariæ libris septem: & adde polypodij, epithymi, & senæ, singulas vncias, hermodactylorum semunciam: glycyrrhizæ, seminum citrij, caryophyllorum, cuiusque drachmas duas: corticum præparatorum ellebori nigri semunciam: coquantur ad medietatis exhaustioné, cũ tenui expressione. Accipe huius decocti partem sextam; syrupi de fumaria compositi, syrupi rosari solutiui, singulas vncias; syrupi de corticibus

cibua

cibus citriorum ſemunciam: miſce; & bibat. Medetur bypochoudriacis, & laborantibus ex morbo Venereo. Decoctum de epithymo Meſuæ, deſcriptum in Antidotario Florentino, confert cancro, & melancholiæ.

Oxymel. Oxymel Geſneri compoſitum. cuius deſcriptio epiſtolis eius annecti ſolet. Accipe epithymi drachmas decem, polypodij drachmas ſex, bugloſſi drachmas quindecim: thymi, hyſſopi, chamæpithyos, ſingulas ſemuncias: capillorum Veneris drachmas quinque, turbith drachmas ſex; ocimi, meliſſæ, caryophyllorum, ſpicæ nardi, malabathri, cardamomi, cuiuſque drachmas tres: radicis & ſeminis endiuiæ, ſeminis caſſuthæ, ſingulas drachmas duodecim: conſeruæ roſatæ, ad pondus omnium: infunde hæc in aceto puro, horis XXIV: (ſit copia aceti, qua obruantur cuncta) poſtridie adde aquæ libras quinque: leniter excoquantur, dum redeat ad aceti primam copiam: fiat colatura, & adiecto ſacchato coquatur, datur ad vncias duas cum ſemiſſe. Huic quælibet vires purgatrices includi poſſunt.

Potio. Potio. Corticum ellebori nigri ſeſquidrachma: ſeminis aniſi, fœniculi, citrij, cuiuſque ſemidrachma: cinnamomi, zinziberis, cuiuſque grana ſeptem: paſſularum ſemuncia, ſeri caprilli vnciæ octo. fiat infuſio: expreſſio bibatur cum cum manna, vel ſyrupo roſato ſolutiuo.

Alia: Epithymi, ſenæ, cuiuſque ſeſquidrachma: foliorum lupuli, aſpleuij, ſinguli pugilli, pruna decem: infunde ſero; factaque forti expreſſione, adde confectionis hamech drachmas tres; ſyrupi de polypodio vncias duas. Infuſa & decocta, & vina purgantia multa deſcribit Meſue, Andernacus, & ex illis VVeekerus.

Antiqui parabant Elleborum. Extractum Ellebori. Antiqui cura quàm maxima parabant elleborum, quare & tutum illis medicamen erat. Scribit Theophraſtus, libro nono de Hiſtoria plantarum capite decimo octauo, Eudemum Chium viginti duas ellebori potiones in foro vno die hauſiſſe, nec quicquam purgatum eſſe: cùm poſt ſeptimam potionem, pumicis puluerem aceto ſubactum bibiſſet. Sed quo modo illi caſtigarint, nos latet: nam monumenta veterum de elleboro intercidere. quàm religioſè tamen elleborum habuerint, clarum eſt ex epiſtola Hippocratis ad Cratenam miſſa. Certè antiquiſſima ex Elleboro purgatio eſt; Anticyræus, inquit Hippocrates, in Hercule vſus eſt elleboro: vt in Prœti filiabus inſanis, Melampus; nam ſcribit Dioſcorides, veteres hinc elleborum vocaſſe Melampodium.

Extractum Ellebori. Fiat eius extractum hac arte: Succi fœniculi, vel aquæ quæ reliqua fuit ab olei aniſi diſtillatione, libræ tres: his infunde cinnamomi vncias duas, ſeminis aniſorum vncias tres, maſtiches ſemunciam, flauedinis corticum citriorum drachmas tres: macerentur tepidè per plures dies, dum omnis vis tranſiiſſe in liquorem videatur: hinc fiat colatura, quæ effundatur ſuper cortices radicum ellebori nigri, exempta priùs medulla: & iterum quàm diutiſſimè macerentur, quò eorum vis tota ferè fuerit eliquata: deinde bulliant dum ſuccus ferè conſumatur; & cortices iam tum fortiter prælo exprimantur, & colatura iterum coquatur, adiecto pauco ſyrupo roſato ſolutiuo, dum opiatæ ideam induat, vel priuſquàm ita coquatur, nouæ contuſæ radices iniici poterunt, cum manipulo roſarum rubrarum, & quid vini rubri; ac repeti eadem hiſtoria.

Nouum. Noua, & occulta ratio eſt, ſed elegans, hæc: Accipe radicum veratri nigri, effoſſarum ſub ortum ſolis, incrementa ducente luna, ac peragente dodecatemorion capricorni, leonis, aut ſagittarij (opportunè euelluntur mox dum flores exuerunt) in pulpam contundantur, & diſtillentur, dum nil amplius liquoris fundant: hoc fiet vi validi caloris, in arena. hic cinis cum vino liqueſcat in lixiuiam: mox balneo exhauſto liquore, ſalem fundus abit; qui omne vitium humani corporis anti quatum in auſatus abigit, ac in floridam iuuentam effœtum corpus reuocat. ſoluitur cum vino, croco & ambra. Quidam coquunt toto die ex aqua virentes ellebori radices, attamen parum ſiccatas, & contuſas; ſine effuſione id agunt: ſubinde nouam affundunt aquam calentem, qua quod perpetuo foco exhauritur, reparetur. Prima coctio efflat teterrimum halitum, plenum virulenti horroris: quare eò protrahatur coctio, dum gratus odor exſpiret: ac adiiciantur florum nymphææ manipuli duo, & aniſi binæ vnciæ. Coletur purè, ſine fæcibus; & vitreata patina exhauriatur liquor. Doſis extracti elleborati eſt à ſcripulo, ad drachmam. Datur cum vino albo, aut ex iure aliquo.

Cautio. Cauendum ne dum exprimitur aliquid pulueris elabatur. Sit veratrum optimum, non viride, ſed ſiccum; nec comminuatur in exiguas partes: id enim periculi plenum. Fermentari debet dies viginti, antequam vſus eius iniri ritè poſſit.

Hamech. Confectio hamech datur ad drachmas tres, vel ad ſemunciam: frequens eſt eius vſus, ſed vehementer amareſcit à copia quam excipit colocynthidis. Accipe confectionis hamech drachmas duas cum ſemiſſe, electarij de ſucco roſarum drachmas duas, catholici drachmas tres, ſyrupi violarum vnciam, aquæ violarum & bugloſſi, cuiuſque ſeſcunciam: fiat hauſtus.

Bolus. Bolus: Catholici drachmæ quinque, confectionis hamech drachmæ duæ, lapidis Armenij præparati ſcriptuli duo. Electarium Indum. Electarium de epithymo; præbetur ad drachmas ſex, Catharcticum imperiale, ad ſemunciæ copiam. Diaſebeſten cum ſcammonio.

Hiera. Hiera Ruffi laudatur ab Aëtio, a a, 23. Et affirmat ex ore Ruffi, hanc, materias prauas ſolùm expurgare, roborare ventriculum, excitare appetentiam, diſcutere flatus, à capite trahere & aliis partibus citra violentiam ſine dolore, ardore; & ſitis eſt expers, inquit. Bis in menſe dat ſemunciam, ratione purgationis: nam alioqui cottidie præbet eius ſcriptulum, ad flatus excutiendos, & ad ventriculi robur: vt nempe maxima eius doſis ſit drachmæ pondus, in pituitoſa materia. Nobile hoc remedium eſt: nam accipit colocynthidem, agaricum, elleborum, & aromata.

Ventriculo debili. Quare ex hoc colligimus, in affectibus ventriculi frigidis, frequentem vſum pharmacorum conferre, maximè eorum, quæ eximunt primæ alui illuuiem. Hiera logadion. Sed periculoſus eſt hierarum magnarum vſus, ob colocynthidem, quam non rectè caſtigatam accipiunt. Auctor ſum, vt trochiſcis alhandel aliis remediis remixtis potiùs vtamur: nam in his optimè frenata eſt vis indomita colocynthidis.

Pilulæ. Pilulæ aſſairet, cum elleboro nigro, & lapide Armenio. pilulæ aggregatiuæ. pilulæ de epithymo. pilulæ Indæ Meſuæ, deſcriptæ in Antidotario Florentino: ad cancrum, alphos, melancholiam, quartanam, & ceteros lienis morbos, pilulæ de bdellio. pilulæ ſine quibus eſſe nolo. pilulæ de fumaria, mediocres ſunt, pilulæ de lapide lazuli. pilulæ cochiæ cum elleboro. pilulæ Arabicæ. pilulæ fœtidæ. pilulæ de quinque generibus myrobalanorum. Pilulæ quibus & in pituitoſa pleuritide vtebatur Rondeletius, ad ophthalmiam, & icterum: Accipe ellebori nigri ſine medulla contuſi, triduo macerati lacte caprino cottidie recenti ſemunciam; dacrydij, gummi Arabici, ſingulorum drachmam: excipe ſucco braſſicæ; fiant pilulæ ad ciceris molem. Dabat pueris quinque ex his pilulas: mulieribus vndecim: viris quindecim. dantur à cibo.

CAVTIO.

Pilulis raro vtendum in melācholicis. Rarò vtēdū pil. vbi melācholia in vitio eſt: nā ſqualid. hic ſuccus à ſicco remedio ęgrè trahitur; niſi tamē fuerit robuſtus homo, & ex capite laborarit; & tūc ab earū vſu humectās quid ilicò erit propinandū. Quia hic humor natura cunctator eſt, nec facilè excidit, ob ariditatē quę illi ineſt, propterea ſēper huic dicata pharmaca, cū reb. humectantibus cōmittantur: & ſi in parte principe cōceptus fuerit, addantur quæ viſcera & ſpiritus recreant.

CAPVT XXV.

De Varios Succos ducentibus pharmacis : & de quibusdam in eorum vsu obseruandis cautionibus.

EX enatratis remediis simplicioribus variè mixtis, composita varia surgunt, eaque leniora, vehementiora, aut moderatione quadam mediocria. Quin & simplicia pharmaca, mixtos succos prolectant.

Phlegmachoophyga. Bilem & Pituitam euocat rhabarbarum, aloë, cassia, scammonium: hęc primò bilem, hinc iptuitam educunt. Agaricum primò pituitam, deinde bilem prolicit.

Istud in remixtis, iamque vsu tritis remediis obseruari studiosè debet, cuiusnam pharmaci potentia maximè emicet.

Officinarum. Composita hæc in officinis prostant. Diapbœnicum: Indum maius & minus: Benedicta laxatiua: Diacartbamum: Pilulæ cochiæ: pilulæ artbriticæ: pilulæ aggregatiuæ: pilulæ sine quibus: pilulæ aureæ.

Serapion. Serapion: Endiuiæ nouæ, cichorei, adianthi, scolopendriæ, cuiusque manipulus: quatuor seminum frigidorum maiorum, singulorum drachmę tres: semiois carthami sescuncia, polypodij quercini vnciæ duæ, tamarindorum pinguium sescuncia, seminis endiuiæ, cichorei, liquiritiæ rasæ, omnium duæ drachmæ, passularum mundatarum sescuncia: pruna quindecim: trium florum cordialium, singulorum pugillus: fiat coctio ad libram: cui infunde foliorum senæ sescenciam, agarici recenter trochiscati vnciam: In expressione colata dissolue syrupi violari, & capillorum Veneris, vtriusque vncias tres, sacchari albissimi vncias duas: fiat syrupus coctus lenissimo soco. Expressioni inde rbabarbari electi drachmas sex: fiat serapion perfectè coctum; & aroma illi affletur ex sesquidrachma cinnamomi, & drachma santalorum: vsui reponatur. Vtile est istud serapion

Febribus. febribus omnibus, quæ ortus sui principium agnoscunt bilem pituitæ remixtam. Accipiant binas vncias cum sero lactia, vel cum aqua aut decocto endiuiæ. si segniùs aluum euocarit, adiicies diluti rhabarbari, vel agarici drachmam.

Cautio. Vbi pituita remixta bili maximè vitium fecit, non repetatur huius serapij vsus tertio aut quarto die, sed plurimis diebus interpositis: nō enim facilè pituita mitescit: sed vt sunt gradus coctionia, ita & purgationis esse debent. Ita voluit Abincenna, vbi de curatione febrium tertianarum notharum egit.

Lenissimum remedium. Si quis mitios remedium tenellulis præscribere velit, vbi metus adest ne se in floxom effundat aluus, accipiemus malum cydonium, & sublatis interaneis, nempe seminibus, cum intestinis foliculis; infarciator insculptum illud inane rbabarbaro in pollinem comminuto, & carthami semine, agarico trochiscato (idem fieri possit à sena, & epithymo, vbi melancholia crimen habet) vnianturque partes, & papyro inuolutum ac illigarum pomum, coquatur in clibano vel foculo ad tabem: tandem abiectis puraminibus, pulpa manducetur: innoxiè purga, ac stabilit partes nutritioni dicatas. Opus est exiguo pomo, vt totum deuorari possit.

Potio. Potio: Hordei integri pugillus: lupulorum, absintbij, cichorij, eupatorij, singuli pugilli: seminum maiorum drachma: hyssopi pugillus: foliorum senæ drachmæ tres, anisorum semidrachma: fiat coctio ad vncias quatuor: colaturæ immacera rhabarbari, & agarici, singulas drachmas: cinnamomi, santali, & interdum zinziberis, cuiusque semiscriptulum: expressiooi adde saccbari semunciam.

Bolus. Bolus: Catholici semuncia, agarici trochiscati scriptuli duo, electarij de succo rosatum sesquidrachma: misce, fiat Bolos.

Alius: Trochiscorum de violis dracbma: hieræ simplicis, sesquidrachma: agarici, dracbma: catholici, drachmæ sex.

OBSARVATIO.

Non eadem copia (nisi vterque humor æquè in vitio fuerit) hæc remedia remisceri debent, sed pleniùs indendum quod luxuriantem succum excludere potest. Cùm enim extra naturæ lineam & pituita & bilis abierε, ounquam validè bilis, neglecta pituita, elidi debet: nam ab ardore bilis tepescit pituita. Nouimus quibus tota corporis œconomia ad phlegma nutabat; à diuturno multoque vsu rhabarbari & mannæ, apoplexia obiisse: nam sese motuò succi frenant. Cuncta in magno hoc mundi theatro stricto gelu rigescetent, ni calore, ignis fouerentur. quod autem ignis in muodo, id in corpore bilis. Quare Auicenna vbi agit de vena secanda, refugit venæ apertionem, cùm metus adest, ne cruditate indomiti socci validè frigescant. Propterea quando vna rhabarbaro & agarico opus fuerit, boc modo transigatur. *Notandum cùm bilis & pituita purgantur.* *Vsus praecep- torum.*

Potio. Accipe rhabarbari sesquidrachmam, schœnanthi semiscriptulum: agatici trochiscati drachmam, ainaiberis semiscriptulum, decocti florum & fructuum cordi dicatorum, cum pauco oxymelite, quod sufficit: fiat infusio: expressioni colatæ adiice syrupi rosati solutiui vneias duas, mellis rosati solutiui vnciam: misce; fiat Potio. Hic ineunte horum vsu, æqualem ferè posui copiam rhabarbari, & agarici: sed io repetita secundò purgatione, vberiorem indemus quantiratem phlegmagogi pbarmaci. etenim cùm vnà à naturæ lege abiere humor crassus & tenuia, longè faciliùs effluit qui tennior.

Bolus. Quare secundò bac forma vtemur: Accipe rhabarbari scriptulos duos, vel drachmam; agarici trochiscati, sesquidrachmam; catholici drachmas quinque: cum saccbaro fiat Bolus: Ita cum hiera & melle rosato colligi in bolum poterunt. Quin variè ad bos succos medicamina effingi poterunt.

Potus. Potus: myrobalanorum Indarum, & citrinarum, singularum drachma: fricentur amygdalino oleo, vt earum vis (nam ita patent & se pandunt) faciliùs elici ab aqua possit: passularum, numero sex: florum cordialium, pugillus; fiat decoctio ex aqua cichorij: buius vnciis quinque infunde agarici, & rhabarbari, singulos binos scriptulos, spicæ grana duo, ainaibetis grana quinque, vini drachmas tres: macerentur tota oocte, & expressioni adde catholici semunciam; syrupi rosati solutiui, vncias duas: misce: fiat potus. vel vtemur decocto myrobalanorum Mesuës.

Iterum purga, sed cocta ac mitificata priùs pituita validioribus incidentibus & aperientibus, vt syrupo acetoso composito: syrupo Byxantino: syrupo de cichorio Nicolai: syrupo de eupatorio: vt eupatorij, polij, singuli semipugilli: radicum apij, fœniculi, eicerum rubrorum, singuli pugilli: fiat coctio ex lege artis. accipe huius decocti vncias quatuor, syrupi de cichorio compositi, syrupi de quinque radicibus, singulas vocias. si hyems fuerit, vtemur potius syrupo Byzantino.

Deinde infundemus rbabarbarum & agaricum, in decocto communi (cum polypodio & sena. si vitellina fuerit bilis) & in expressione resoluemus electarium de succo rosarum Mesuæ, vel diaphœnicum, aut diaprunum solutiuum, & Indum. Accipe decocti communis vncias quatuor, diaphœnici drachmas duas, electarij de succo rosarum drachmam; catholici, serapij violati, cuiusque semunciam: fiat Potus.

Bilem & atram bilem ducentia. Bilem & atram bilem quæ subducant remedia, pauca vsus ootauit. Ex Dioscoridis sententia tale est serum lactis, & succus fumariæ, qui propinatur ad duarum vnciarum copiam: dilutum quoque fumariæ id præstat. Composita: electarium de psyllio; quod offertur ad drachmas decem: & puluis diasenæ.

Accipe

Accipe rhabarbari drachmam, senæ drachmas tres, passularum semunciam, decocti tamarindorum & acetosæ quantum sufficit: fiat infusio, & adiectis tribus vnciis syrupi rosati solutiui, fiat haustus.

Accipe passularum semunciam, galangæ incisæ drachmam: florum boraginis, violarum, cuiusque drachmam: senæ drachmas sex, summitatum fumariæ semimanipulum. ab igne cùm incaluerint, tepidis cineribus hæreant de nocte: & manè ebulliant, & exprimantur valdè. accipe expressi vncias quatuor, syrupi rosati laxatiui, mãnæ, cuiusque vnciam; syrupi conseruationis zinziberis drachmam, aquæ cinnamomi cochlearium, misce: fiat Potus.

Melanophlegmaphyga. Pituitam atræ bili mixtam purgant myrobalani chebulæ, , inquit Serapio: nam primò extrudunt pituitam; secundò, atram bilem. dantur in infusis, ex sero lactis, vel oxymelite: immittuntur liquoribus, ad sex drachmarum molem. Electarium lenitiuum, quod est diasena Rhasis: datur ad sex drachmarum pondus: Pilulæ Indæ Hali. *Apozema.* Si progressus fuerit morbus, Accipies quinque radicum aperitiuarum, maceratarum in vino albo, singulas semuncias: capillorum Veneris, pimpinellæ, endiuiæ, buglossi, eupatorij, cuiusque manipulum: quatuor seminum frigidorum maiorum, seminum anisi, apij, fœniculi, frigidorum sesquidrachmam: cicerum rubrorum semimanipulum, passularum semunciam: polypodij, foliorum senæ, cuiusque vnciam, agarici, medullæ seminis carthami, singulas semuncias: florum cordi dicatorum, cuiusque pugillum. Coque ex aqua, dum supersit sesquilibra: huic inde rhabarbari drachmas binas, spicæ, & cinnamomi, singulas semidrachmas. post horas duodecim exprime; & adiecto saccharo vtatur. Et decoctum eupatorij Mesues.

Catholica. Bilem, pituitam, & melancholiam simul purgat elleborum nigrum: epithymum primò elicit atram bilem, secundò flauam, tertiò pituitam purgat. Sena, Græcis bilem & pituitam. Arabibus quoque melancholiam educit. *Composita.* Medicamenta quædam ea lege mixta fuere, vt plurimos contaminatos humores æquè purgarent: talis est apud Fernelium syrupus catharcticus maior, & minor: & catholicum liquidum, & solidum. Syrupus ex fumaria compositus, qui præscribitur ad vncias quatuor, quemadmodum & syrupus de epithymo. Potus: Accipe absinthij, centaurei, cardui benedicti, quinque folij, cuiusque semimanipulum: radicum gentianæ sescunciam, senæ, vncias duas, rhabarbari drachmas sex, agarici semunciam, radicum Mechoacanum vnciam, spicæ Indicæ semidrachmam, zinziberis sesquidrachmam: sacculo lineo include, & vini albi affunde libras 20. sumat stomacho ieiuno. tertianas spurias debellat. Electarium de citro, ad drachmas datur sex: tryphera Persica, quæ exhibetur ad drachmas decem: confectio hamech: diaturbith cum rhabarbaro: tragea laxatiua apud Cordum. Pilulæ aggregatiuæ: pilulæ cochiæ cum elleboro: pilulæ imperiales: pilulæ lucis: pilulæ de lapide lazuli: pilulæ sine quibus: pilulæ polychrestæ Fernelij: pilulæ de quinque generibus myrobalanorum. *Vomitu.* Et vomitu purgat diasarum electarium, apud Fernelium, lib. VII. Methodi.

Ecchylosis, Holagogum extractum solutorium. Extractum; Foliorum senæ libra, colocynthidis trochiscatæ vnciæ tres, aloës vnciæ duæ: agarici, turbith albi, rhabarbari, cuiusque vnciæ quatuor: radicum ellebori nigri, esulæ minoris, singulæ vnciæ duæ: dacrydij vncia: attritis cunctis affunde aquam vitæ; adiice cinnamomi vncias tres; & anisi, mastichis, spicæ, cuiusque drachmam; rosarum rubrarum manipulos duos; specierum diambræ, & diatrhodonis, cuiusque vnciam. Macerentur dies XIIII. vel diutius, prælo exprimantur: balneo exhauriatur tenuior liquor, vt characterem mellis induat. datur scriptulus. Pari modo ex quaque massa p'ularum succus abducitur. Infunde pilulas aquæ cinnamomi: macera, exprime, euapora; fiat ecchyloma cum puluere liquiritiæ, si massa sit liquidior. Nouo hoc nostro modo extrahi possunt purgantia, narcotica, & alterantia. Accipe herbarum vel radicum libram vnam, aquæ distillatæ (nam simplex putresceret) quæ vel corrigit extrahendorum vim, vel quæ eam promouet, libras decem: in poculo ad focum macera dies quatuordecim vel viginti, vt res duriores vel molliores fuerint. Dein per setaceum cola. Hanc colaturam, per impositam filtri partem aut partes distilla in vitrum angusti oris. Distillatum liquorem testæ inditum, ac tenui linteo obducta testa, euapora. Semper quod margini adhærescit abstetge, ac cum sidente succo id remisce. Tenui foco exhauriatur. Vel testa cum liquore ollæ imponitur, quæ duos vel tres carbones ignitos habet. Tandem cùm ad succi liquiritiæ crassamentum deuentum est, reconditur. Dantur grana tria vel quinque, vel plura, vt rerum extractarum vis fuerit.

Hiera logadion, offertur à drachma, ad duas. *Hierà.* Præstaret vt speciebus hieræ simplicis (hæ enim validè eluũt pharmacorum tædia) fortissima medicamina includerẽtur: qualia sunt trochisci alhandel, lapis Armenius, elleborum, turbith: qualis scilicet fuerit succus qui vitium fecit, tale vt remedium sortiatur. quin hæc pilulæ dextrè includi poterunt. Quare hieram cui que succo dicare hac arte licebit: quemadmodum & diacatholicum medicamen, cum peculiari iunctum decocto.

Annotatio pragmaticis necessaria.

Praxis hulas Qui sese ad medicinam faciendam conferunt, id velim obseruent: Medicos qui per totas Gallias (loquor & de Belgis) ad exercitationem medicam se conferunt, maximam facere pecuniam ex his remediis, quæ vno ductu varios humores prolectant; & bonis ægrorum rebus id plerumque faciunt: quare & tota ferè eorum ars in horum vsu consistit. Propterea auctor sum, vt selecta medicamina, quæ præclarè hac potentia dotata sunt, quisque promptè ad manum habeat, summo studio nitatur. Hæc optima erunt, & certò omnem illuuiem humorum eluent: *Potus.* Accipe endiuiæ, lupulorum, betonicæ, cuiusque manipulum: florum cordialium, singulos pugillos: foliorum senæ drachmas tres: coque ex lege artis, ad vncias quatuor: colaturæ infunde rhabarbari puluerisati sesquidrachmam: agarici trochiscati drachmam, cinnamomi semidrachmam: expressioni adde syrupi cichorei, vel sacchari, semunciam: fiat haustus. *Hyeme.* Hyeme, cùm herbæ nullæ præsto sunt, fiat coctio ex polypodio, semine carthami, passulis, prunis, ex radicibus cichorei, acetosæ, graminis, fœniculi, asparagi. *Promptum remedium.* Si casus moram non admittat, Accipies catholici vnciam: ex hydromelite, vel iusculo bibatur: aut ex decocto drachmarum trium foliorum senæ: & agarici drachmæ vnius; cum semuncia syrupi de cichorio.

Apozema. Cum verò contumacius malum vident, nec vni purgationi cessurum, vincere student apozemate. Accipe radicum graminis, fœniculi, petroselini, polypodij, seminis carthami, passularum mundatarum, singulas semuncias: seminis anisi, fœniculi, singulas drachmas: lupulorum, hyssopi, ceterachi, eupatorij, cuiusque semimanipulum: foliorum senæ, sescunciam: coque ex aqua ad libram vnam: colaturæ infunde agarici recenter trochiscati semunciam: cinnamomi drachmas duas: expresso adde syrupi cichorei, aut rosati solutiui, vel sacchari vncias tres: fiat apozema, pro quinque aut sex vicibus. *Commodum regioni huic.* Iubere solebam, vbi pituita molesta esset (quod his regionibus non insolens) vt in fine coctionis adderentur mellis optimi, & aceti acerrimi, cuiusque vnciæ tres: sed si hysterica mulier his vteretur, vinum aceti loco infundebatur. Ita iuuantius erit, & vilius væniet remedium, & oxymelitis vis in eo micabit. Varia remedia apozematis inserri poterunt, fumaria, agrimo

agrimonia, ſemina melonum, aniſi: liquiritia, tamaria, polydædala varietas ex ſeriebus remediorum antè proditis aucupari poteris, vt morbificus fuerit ſuccus, qui præparandus & purgandus ſe offert: nam apozemata viſcera & meſenterium ab omni fœditate eluunt; quemadmodum pilulæ feliciùs remotis partibus ſubducunt ſuccos.

Nota. Hodie plurimi ſibi nomen comparant vſu remediorum quæ ἐκχυλώματα, id eſt, ſucci extracti dicuntur: etenim pulcherrima hac arte tenuiſſimæ partes rerum, ad vſum humanum abducuntur: exigua quidem mole illæ, attamen validam vim ſpirantes; ſuauiter propinantur, & ſine tædio purgationem peragunt.

Observatio.

In vſu cõmixtorum variè remediorum, id notandum, omnia electaria mali ſaporis eſſe, excepto catholico, & electario lenitiuo: propterea bolis reliqua non facilè miſcemus.

Ordo qui ſeruandus in formulis ſcribendis. In variorum medicaminum præſcriptionibus, hac methodo vtemur: Primò cogitabimus de forma quam ducere debet præſcribendum remedium; & quo modo velimus commixta iungi remedia. Deinde radices, herbas, flores, fructus, ſemina, flatus euocantia, & purgantia ſeriatim ponemus: & ſi qua opus erit correctione acrioris vel ſtupentis remedij, id tunc inferemus. Ea cautione hæc hiſtoria peragenda, vt in ſingulis ſcribendis cogitemus de morbi cauſſa, & parte affecta; vt his aſſcribamus auxilia peculiariter conferentia; & quid reliquæ indicationes admittant, & renuant. Cum ad purgantium ſeriem ventum fuerit, perluſtrabimus qui ſucci educendi ſint: num valido, leui, vel mediocri medicamine opus ſit: & quodnam pharmacum ex tali parte conceptam materiam peculiariter prolectet. Vltimò, num à purgatione adſtrictione opus ſit, vel lubricitate.

Tecmarſis purgatoria. Præterea (vt per anacephalæoſin tecmarſim indigitem) in artificioſa purgationis molitione, ſemper notabimus num purgandum ſit à toto corpore, vel ab aliqua peculiari parte: & num ſimplex ſit humor qui in vitio eſt, an cum alio ſit ſociatus. Et cùm iuncti humores fuerint, indagabimus quiſnam ille ſit, qui alium mole vel vi ſuperat; & num æqualiter peccent, obſeruabimus. Quantùm alter alterum exceſſerit, tantò vberiùs miſcebitur remedium exuberanti ſucco dicatum: nec vnquam pharmacum propinabimus, priuſquam tecmiriis ſignis ſcienter collegerimus, quanta ſit vis & moles mixtorum humorum: quò ex analogia ſuccorum, cuiuſque pharmaci miſcendi copiam intelligamus.

Secundo: animaduertemus quænam ſit potentia eius pharmaci, quod in vſum ducere conſilium eſt: ſi enim leni ductu bilis elicienda fuerit, myrobalanis luteis id aptè perficiemus: ſin mediocri vi eam elicere decretum fuerit, rhabarbaro vtemur: quod ſi vehementer effundi eam voluerimus, ſcammonij vſu id obtinebimus. Ita pituitam ignauo quodam motu exprimunt myrobalani chebulæ: vehementiùs agaricum: vehementiſſimè turbith, & colocynthis. Atra bilis, modeſtè purgatur myrobalanis Indis: mediocriter, à ſena vel epithymo: at violenter eam excutit elleborum nigrum, & lapis lazuli.

Tertio, perluſtrabimus quinam humores facilè purganti ac trahenti remedio cedant & ilicò effluant, vt bilis: & quinam difficilè euellantur.

Quartò notabimus, num humores purgandi reſpondeant propriæ hominis naturæ ac temperamento; an non: nam ex proprio temperamento ægriùs abducitur humor; vt bilis, ex bilioſo corpore maiori negocio elabitur.

Quintò, ſitum humoris indagabimus, num in aluo prima reſederit; num in venoſo genere; aut num in habitum corporis ſeſe immiſcuerit: quò enim propiùs ad habitum receſſit, eò validiore vi exſcindi debet. Demum colluſtrabimus quiſnam affectus præter naturam ſe iunxerit: & num ſuccus à peculiari aliqua parte euocari debeat.

Cautio.

Gratiis ſtudendum. Summa cautio adeſſe debet in remixtis medelis, vt ſapore, colore, odore quantum fieri poterit adblandiantur ęgris: vt nullo horrore ea inſpiciant, nares ſine deſpectu olfaciant, lingua abſque nauſea guſtet, & ventriculus iucundè amplectatur: ne nauſea in ventre fluctuent. Tamen præſtabit ſemper non farciminatim & *Simplicia potiora & vtiliora.* variegatim plurima miſcere, ne (quod hoc æuo malè à pragmaticis fit) ſurgat rudis indigeſtaque moles, nec quicquam niſi pondus iners, congeſtis eodem & non bene iunctis diſcordibus remediorum viribus. Dicebat Villanouanus, *Qui poteſt mederi ſimplicibus, doloſè, aut fruſtra quærit compoſita. verùm*, inquit, *tantum abeſt vt perpetuo remediis inſiſtat medicus fidelis & pius, vt potius his relictis, medicatis cibis tentet edomare, ac tandem excutere morbum.*

CAPVT XXVI.

De Hydragogis, id eſt aquæducis Pharmacis, Sudoriferis, Diureticis, id eſt vrinalibus, & Flatus purgantibus.

Hydragoga pharmaca ferè infinita ſunt, & periculi plena: natiua enim fœditate quadam iecori partibuſque principibus bellum indixere: Propterea nunquam bonis ægrorum rebus offerentur; ni talia remixta illis fuerint qualia fœdam hanc iniuriam eluere, ac nobilibus viſceribus robur aſpirare poſſunt: languet enim hepar ferè, vbi ab aquæ incurſu madeſcit. *Cum quibus danda.* Quare ſuadet ratio, ac vſus id docet, cum ſyrupo de eupatorio Meſuæ, hydragoga propinanda eſſe. Quod dextrè etiam fiet cum ſyrupo de endiuia, vel cum ſyrupo de cichorio cum rhabarbaro, vel remixto ſyrupo Byzantino, & cum ſyrupo de duabus radicibus: interdum & cum decoctis roborantibus, ex ſpica, marrubio, paſſulis, cæteriſque rebus quæ hepar, lienem, & ventriculum peculiari vi ſtabilire poſſunt.

Extracta. Quidam ex Lactariis, vt turpeto, hermodactylis, thymelæa, chamelęa, eſula, puluerem faciunt, cui affundunt ſpiritum vini ea copia vt quatuor digitos ſupernatet: macerant tres dies in balneo: effundunt vinum, & aliud affundunt: tandem euocant ſpiritum vini, & pro vncia reſtibilis eſſentiæ addunt olei nucis myriſticæ, & zinziberis, cuiuſque ſcriptulum: Euocat viſcoſa ex habitu corporis, nec malè turbat. Datur ſcriptulus cum vino rubro, aut decocto pectorali. Hermodactyli corrigantur cum cinnamomi oleo, & caryophyllorum: ſed eſula, chamelæa, thymelęa, & thapſiæ eſſentia caſtigatur extracto myrobalanorum. datur ex his ſcriptulus, cum vncia olei amygdalini dulcis. Lathyridis eſſentiæ iunge oleum maſtichis, & nucis moſchatæ.

Cautio.

Leniora. Leniora quæ ſunt hydragoga hominibus mollibus dabuntur, & prægnantibus interdum, ſed non temerè.

Grauiora. Validiora nec pueris, nec ſenibus, aut prægnantibus offerenda: nam menſes euocant, & plerumque fœtum præcipitant. Nec extenuatis aut bilioſis præſcribenda, nec febre aut acuto morbo correptis, & flagrante ab æſtu cælo non conferunt: hæc enim robuſtis hominibus dicari debent, qui diu frigidis morbis impliciti fuere; idque temperato frigidioreque aëre.

Series remediorum. Aquæduca medicamina quædam ſunt moderatiora; alia ſunt ferociora: & quæque horum aut Simplicia, aut Compoſita.

Simplicia

Simplicia aquam purgantia.

Rosa. Rosarum pallidiarum succus, citrinas aquas dicit Fernelius, manifestò ducit: & tenuem euocat cholerem. Sed menses aperit: quare religiosè ab eius vsu *Grauida.* cauendum in grauidis.

Soldanella. Soldanellæ puluis datur ad pondus drachmæ: succus ad semunciæ molem præscribitur, cum rhabarbaro, nos coctis foliis in acetariis vtimur, aut ea cruda aceto condimus, in vsum acetarij. Nicotianæ aqua.

Iris. Iris siccat & calfacit fere tertio numero: obstructa aperit, tenuem choleram & aquam citrinam excludit. Radicis succum (maximè illius quæ albo efflorescit flore) miscemus cum vitello oui, & eius intesta vnà coquitur, dum sorbilis fiat: sumitur cum pauco vino, & cinnamomo. Fernelius laudat iridem, purpureum quę profert florem.

Syrupus. Extunditur succus ex radice depuratus cum saccharo coquitur, fit syrupus. Huius vnciis duabus committimus drachmam trochiscorum de rhabarbaro: sed hoc modo dato remedio (quia magis ad roborandum, quàm purgandum faceret) affundimus crudi succi ireos, cochlearia duo; cùm absque succo præscribitur cum trochiscis, alternis diebus repeti eius vsus poterit.

Potus: Succi radicis ireos vncia: detur cum iusculo in quo coxere passulæ, spica, & cinnamomum: nam coctione vim purgatricem exuit. Ireos radix in taleolas concisa, vinoque albo macerata horis viginti quatuor: exprimatur: colatura bibatur cum melle, mulso, vel spica offerri debet.

Bolus: Ireos puluerisatæ drachmæ duæ, mellis rosati solutiui semuncia: misce, fiant boli. Nam puluis eius exhibetur à drachma, ad drachmas duas.

Cautio: Puero, seni, prægnanti malè tuta; nam menses mouet bis, illos autem fatigat validiore vi. Gallica Iris à Galeno commendatur, libris de Compositione medicamentorum. de hac egimus, vbi de pituita.

Ebulus. Ebulus: Sed ventriculo molestus. Vncia succi ex radice, cum decocto hordei, passularum, cinnamomi, nucis myristicæ, & sacchari: nam purgatria eius vis, coctione euanescit. Addatur aqua cinnamomi. Succus radicis ebuli siccatus in sole; & semen baccarum per diuturnas & multas aquæ lotiones à nigro circumstante succo abstersum, datur vtiliter ea decocto chamæpi-*Semen.* tyos podagricis, & Venereà lue tentatis. Fructus côditur duplo sacchari, & cinnamomi parte octaua: datur vncia ea vino, vel aqua mulsa.

Vinum. Vinum ebulatum fit ex baccis ebuli maturis, quæ parum calcatæ in musto, ferueant leuissimo igne, ac despumentur; coctio tertiam exhauriat liquoris partem: noctu aëri expone, manè filtro colentur, & remisce cum alio musto, dum sapor placet, & deferuescat. Ita VVeckerus libro secundo, fol. 198. describit quædam aquæducta vina.

Aqua. Stillatitiæ aquæ radicum sambuci, ebuli, & florum ireos, vnciæ sex: bibantur per dies triginta. Vel accipe aquæ radicum sambuci vncias quatuor, aquæ radicum ebuli, vncias duas: misce: bibat spacio menstruo. hoc, ea hauriet ac soluit tympanitem: Aqua distillata corticis sambuci, & florum iridis.

Bacca. Baccæ coquuntur, & saccharo condiuntur: exhibentur ad drachmarum duarum pondus, cum aqua cinnamomi. cum chamæpityos decocto præclarè facit ad coxendicis & podagræ dolores.

Ricinus. Ricinus calet tertio ordine: ea artubus aquam euocat. Dantur eius grana quinque, vel quod maximum, octo. Siccantur igne: interdum in massa coquuntur. Potantur ex decocto passularum, & fœniculi, adiecto saccharo & cinnamomo. Cauendum à granis crudis, quæ dantur ea vino: laudarem ea succo cichorij, portulacæ, aut lactucę si grana primò macerarentur. Cataputia, Lathyris officinarum, calet tertio, humet secundo ordine: cum ficuum & palmularum decocto frigido propinatur.

Daphnoides. Daphnoides calet quarto numero; citrinas exhaurit aquas. Folia macerantur aceto, & succo oxyacanthæ, aut ex succo mali Punici, vel cydoniorum, aspersa puluere myrobalanorum: postea exempta folia siccantur, & ad pondus drachmæ infunduntur, aut ad binos scrupulos incoquuntur iusculo pingui, cum saccharo & cinnamomo. Conceditur puluis à granis quinque ad decem, cum tamarindis, mastiche & spica. Tenellulæ naturæ huius vsum fugiunt.

Euphorbium. Euphorbium quarto recessu calet, ad se rapit succos ex peripheria corporis. Maceretur horis viginti quatuor ex oleo amygdalino dulci; hinc acido pomo citrio, quod massa obuolutum sit, coquatur. Datur à granis sex, ad decem, cum mastiche, cinnamomo, spica. Si ab eius vsu turbetur corpus, leniens ac refrigerans potio subinde haurietur.

Elaterij excellentia paucis concessa. Elaterium, hoc est, succus cucumeris agrestis, calore ac ariditate tertium ordinem inuasit. cùm aqua bilem ex visceribus ducit: nam nullum aquæductum æquè valet ad exhaustionem aquæ, ac hoc nobile remedium. Hoc elicit aquam eam quæ in abdomen effluxit, quæque extra venosum genus elapsa, intra omentum & intestina natat. Reliqua ferè eam aquam prolectant, quæ venis adhuc contenta, paruo negotio elabi potest: sed difficile est hanc resorbere, ac ad intestina reuehere iam semel effusam.

Correctio. Exhibetur cum spica, cinnamomo, tragacantha, & bdellio, cum speciebus diarrhodonis abbatis, & cum speciebus cordialibus. Cùm à iecore vitiom est, addemus illi species trium santalorum: si ab vtero, offeremus cum capillo Veneris, vel artemisia: sin ea artubus abduci debeat aqua, propinabimus illud cum terebinthina, aut amygdalis amaris, & cum trochiscis amaris Eginetæ, qui scribuntur ab eo libro VII. capite XII. Mesue dat cum tragacantha vel lacte. Nos damus elaterium cum pilulis alephanginis, vel cum pilulis de hiera: ita enim indomita eius vis aliquo modo frenatur: vt Accipe pilularum alephanginarum semidrachmam, elaterij grana quinque: fiant pilulæ quinque. Augenda erit aut minuenda hæc quantitas, vt corpus & vires fuerint laborantis hominis: vt accipe pilularum alephanginarum scrupulum, elaterij grana duo, vel tria. datur & ex hydromelite.

Dosis. Dosis præscribitur ad pauca grana, gerit enim veneni æmulam vim: quare datur ad grana septem cum semisse. Dioscorides non præbet vltra semiscriptulum, attamen Ægineta libro VII. trioboli pondo: scriptulus autem continet obolos duos: quare propinat illesesquiscriptulum elaterij.

Cautio. Sed auctor sum vt religiosè hic agamus, nec temerè vltra pondus quinque granorum assurgamus: nam duo, vel tria grana ferè suffecerint.

Aëtius in corporibus tenellulis, radices cucumeris agrestis reponit loco elaterij. Drachmam radicum contundit, & macerat per tres dies ea vino adstringente: propinabat hoc vinum per tres dies: & postquam supersedisset ab eius vsu dies octo, iterum repetebat per tres continuos dies. Hac arte Rhases singulis decem diebus curabat hydropicos, qui præter spem sepè euadebant, & cunctando morbi vim eludebant.

Quidam eatrahunt radices cucumeris agrestis in Maio, contundunt, exprimunt, depurant, affundunt spiritum vini santalatum, macerant in balneo dies tres: transfundunt, repetunt: tandem euocant spiritum vini, & in cineribus congelant restibilem succum: & eius affundunt vnciæ, scriptulum olei cinnamomi, & essentiæ croci semiscriptulum: propinatur scriptulus, cum vino albo. aperit hepar & lienem.

Ita & ea Elaterio essentia eliditur, cum spiritu vini diamargaritato: & castigatur oleo nucis myristicæ, & cinnamomi:

cinnamomi: vt vncia essentiæ, accipiat duos scriptulos oleorum. arthritidi etiam opitulantur, cephalalgiæ, veteri epilepsiæ. Dosis est semiscriptulus: Ita etiam fit extractio ex ebulo, sambuco.

Dacrydium. Scammonium, inquit Fernelius, flauam aquam prolectat. Imbecillis non conuenit, nec puero, nec seni, aut ingrauidatæ, nec æstuanti morbo implicito: nam visceribus inimica vi bellum indixit. Datur à granis vj. ad duodecim: sed præparatur primò. Cortex myrobalani citrinæ, spica & cinnamomum coquuntur ex aqua rosata; in hac maceratur horis xxiiij. ac siccatur: hinc diluitur oleo amygdalino dulci, cum pauca tragacantha. dein coquitur in cydonio malo, massa oblito. Dacrydion vocant.

Gratiola. Gratiola per contrarium, nomen sortita, quod Gratiis nunquam grata, ob amarorem. calet & aret. Moles vnius scriptuli, validè purgationibus corpus agitat. Quare indomita eius ferocia castiganda, adiecto cinnamomo, semine anisi, liquiritia, melle vel saccharo, in decocto cicerum. Potens ad hydropem remedium. Sal gratiolæ describitur à VVeckero in Antidotario suo.

Tithymali. Tithymali radix in vmbra siccatur: tempore vsus cortex tunditur, & eius drachma diem noctemve in vino dulci maceratur, colatura tepida bibitur. Corrigitur spica, cinnamomo, nuce moschata, ne principibus partibus noceat: & ne exurat interna, ei iungitur tragacantha, aut muccago psyllij: & ne siccet nimium, cum cichoraceis propinatur, aut cum portulaca, aut seminibus cydoniorum. Scribit Ruffus Ephesius, helioscopium omnium imbecillimum esse: succus est efficacior, secundo loco semen, tertio folia. Cyparissias cum maiori efficacia agit.

Composita hydragoga lenia, quæ modeste aquam purgant.

Hæc interdum plus commodi inferunt, quàm valentissima quæque pharmaca: quòd Natura aliquantulum ab onere recreata, facilè reliqua excutiat. Quæ pituitam educunt, eadem ferè & aquam euacuant.

Decocta. Decocta ex aperientibus, tenuantibus, purgantibus: vt ea sunt quæ parant pituitam, adiectis seminibus carthami, brassica marina; cum propinantur adiicitur vncia aquæ cinnamomi. His interdum adduntur folia chamelææ & thymelææ, ad pondus vnciæ singula: sed tunc ad syrupi perfectè cocti ideam redigi præstat, & aroma ei adflari ex diagalanga & aromarico rosato.

Potus. Accipe brassicæ marinæ manipulum, passularum mundatarum vnciam, anisi drachmam: fiat decoctio in iusculo galli; colaturæ adde syrupi de fumaria vnciam, diaturbith cum rhabarbaro drachmas duas: fiat Potus. *Cum scirrho.* Si fuerit hydrops cum scirrho splenis, addemus huic potui cortices radicum capparorum, sambuci, vel fraxini, populi aut tamarisci; sed aceto primò macerentur.

Decoctum radicum ebuli, aut sambuci ex vino. serum laudatur caprillum, in quo infundantur horis aliquot grana alkekengi, folia fumariæ, cassuthæ, absinthij. semina anisi, fœniculi. Accipe specierum diaturbith cum rhabarbaro sesquidrachmam; infunde vino albo. bibat manè.

Lixiuium. Leuiathan Rabbi id commendat lixiuium. Accipe cinerum genistæ virgineæ, stipularum fabarum, vitis albas vuas proferentis, cuiusque manipulum (addi possunt cineres caprifolij) vini Renensis libras quatuor: ter cola per cineres; fiat lixiuium: adiice nucem vnam myristicam: & ad eius pondus cinnamomum, baccarum lauri numero sex, cymini drachmas duas, anisi & fœniculi tantundem: crassè contusa sint semina: & adiice sacchari vncias quatuor: ter die de hoc lixiuio bibat, spacio menstruo.

Tenellæ summitates fraxini, coctæ ad dimidias: bibatur hæc aqua per aliquot dies. Syrupus de lupulis, bene iungitur decoctis aquæducis

Electaria. Electaria: Hiera picra, cum speciebus diaturbith cum rhabarbaro, plurimos summi Dei beneficio ab hydropis rudimẽtis vindicauit: alternis diebus copia nucis auellanę ingeritur. Electarium hydragogum minus, apud Fernelium: aquam effundit citrinam.

Pilulæ. Pilulæ de rhabarbaro: pilulæ de eupatorio, cum succo ireos: pilulæ de agarico: pilulæ de sagapeno.

Vnguenta. Vnguentum Agrippæ illitum: & vnguentum de arthanita maius, aluo inunctum: hæc ventrem soluunt. Cautio. In vnguentorum admotione diligenter cauendum, ne iecoris regionem perstringamus.

Composita hydragoga fortiora.

Potio. Potio: Gratiolæ manipulus; radicum ebuli siccatarum, ac præparatarum, sescuncia: addo aperientia, qualia sunt cichoracea, betonica, radices aperitiuæ: quòd si ex liene vitium prodierit, infero splenetica: radicum bryoniæ, & granorum iuniperi, singulæ semunciæ; seminis fœniculi drachmæ duæ, seminis carthami drachmæ sex, agarici præparati semuncia: coquuntur ex mulsa ad libram vnam: colaturæ addo diaphœnici & electarij lenitiui, singulas semuncias: specierum diaturbith cum rhabarbaro drachmas tres: alternis diebus bibant cyathij mensuram. Cùm cuidam hoc remedium præscripsissem, vnà cum aquis protrusit latum lumbricum, qui vlnæ ferè longitudinem æquabat. Alia: Gratiolæ semũcia, soldanellæ, anisi, singulæ drachmæ duæ, passularum semuncia: coque ex vino: bibat.

Syrupus: Radicum valerianæ, quinque radicum aperitiuarum, cuiusque binæ vnciæ: endiuiæ, cichorij, adiãthi, eupatorij, cuiusque manipulus: seminis hederæ vncia, brassicę marinę manipulus: foliorum daphnoidis rectè præparatorum sescuncia, passularum mundatarum vnciæ tres, anisi semuncia: Fiat decoctio ad sesquilibrã: asperge sacchari quantum opus erit vt fiat syrupus: aromatisetur drachmis tribus spicæ Celticæ, vel cinnamomi semuncia: Propinantur vnciæ quatuor huius syrupi.

Pauperes coquant succum baccarum nigrarum sambuci cum saccharo, vt fiat syrupus: & in fine coctionis adiiciant aliquid cinnamomi, zinziberis, vel nucis myristicæ: sumant duo vel tria cochlearia, ex decocto gratiolæ, anisi, & caryophyllorum.

Pilulæ. Pilulæ ex daphnoide, descriptæ ab Altimaro, contra hydropem. Pilulæ ex thymelæa apud Fernelium. Verũtamen hæ pilulæ, vt & illæ quæ ex chamelæa instruuntur, tædij plenæ sunt, nec absque periculo exhibentur, *Obseruatio.* cùm pleraque his remixta naturæ bellum indixerint; aut strictoria vi, altiùs inurant remedij potentiam: feliciùs enim cum pinguibus soluentibus ingererentur. Pilulæ ex esula Fernelij: pilulæ de euphorbio Arabum, apud Mesuem descriptæ, aquam flauam exhauriunt. Accipe pilularum de laureola scriptulum, pulueris hieræ simplicis drachmam, elaterij grana tria, vsque ad quinque: misce; fiant pilulæ.

Pilulæ his temporibus aptæ. Pilulæ his temporibus & corporibus commodæ. Hieræ simplicis cum agarico semuncia, rhabarbari, myrobalanorum chebularum, singulæ drachmæ, foliorum chamelææ infusorum in aceto vini, cui incoxere mala cydonia, & exemta, extra solem arescant, repetitaque infusione à recentato aceto, & maceratione facta per horas vigintiquatuor, & deinde exsiccatorum semuncia, trochiscorum alhandel semidrachma, myristicæ nucis, caryophyllorum, singuli semiscriptuli: fiat massa cum succo radicum iridis: Datur scriptulus: superdormiat, & mox iusculum pisorum sorbeat.

Puluis. Accipe elaterij semiscriptulum, pulueris soldanellæ, zinziberis, cuiusque scriptulum: galangæ, caryophyllorum, cinnamomi, singulorum semiscriptulum: fiat puluis pro tribus vicibus. sed primùm

mùm teddatut corpus ἱδρῶν: hoc fiet vſu apozematis.

Ebllaria. Electarium hydragogum maius, apud Fernelium libro ſeptimo, trahit aquam citrinam. Aliud: Succi ireos, violarum, roſarum, mercurialis, ſingulæ vnciæ duæ: ſucci ebuli, pulpæ prunorum, diacydonitis ſimplicis, cuiuſque vnciæ tres: polypodij quercini, angelicæ, ſeminis vrticæ, lathridis, cucurbitæ, ſingulæ ſemunciæ; pulueris gratiolæ ad pondus omnium, mellis deſpumati, libræ quatuor, miſce, & fermentationis velitatione ſeſe peruadant.

Vnguentum è lathyride, deſcriptum à Fernelio, vnctione vmbilici purgat.

SVDORIFICA.

Sudorifica. Si vetuſtior & contumacior fuerit interiorum viſcerum obſtructio, minimè ciendi erunt ſudores: ſin vitium ſuperficiei corporis inſederit, à purgatione vtiliter illi effundi poterunt.

Obſeruatio. Obſeruandum, vt non niſi elapſa ſemihora ab hauſto remedio, eliciantur ſudores: tunc enim lateres igniti, aceto ad teporem exſtincti, linteiſque aceto madentibus inuoluti, femoribus, pedibus, & axillis apponantur: cutis fricetur linteis, ita ſudor ſudori cedet. Paulus calidum clyſma infundi iubet, quod vi diaphoretica ac peruadenti præditum fuit.

Lachryma cerui. Cerui lachryma tanta cietur copia ſudoris, vt pænè totum corpus ſolui credas: Datur eum vini momento. Theomneſtus hippiatros ſcribit, ceruos, vermes inteſtinis conceptos, ſerpentium eſu excludere, quos ex antris ducto ſpiritu eliciunt, ſed ne virus illorum ſentiant, mox ad fontes pergunt, quibus ad labra ſe demergunt, dum oculi lachrymis ſtillent, quæ in canthis oculorum teſtagnantes, in iglandis molem accreſcunt. Cùm venenum excluſiſſe ſe ſentiunt, ad latebras diuertunt, ac oculos arboribus affricant, vt viſus impedimentum abſtergeant: hoc in Aſia magno vænit. Hæc Abenſoar libro primo, tractatu 13. capite 6. qui addit, ſe tria grana in lacte, vel aqua cocurbitæ, vel roſatæ exhibuiſſe Azit, filio regij magiſtri equitum, quem à virulento ictero liberauit. Scribonius Largus capite 163. *Ne ſerpentes noceant*, inquit, *habere incinctũ oportet id quod in cerui cùm captus eſt oculi angulo, qui ad nares vergit, ſordeſcit, viroſo odore. Has ſordes*, inquit, *Sicilia venatores diligenter colligunt, & habent in cinctlo, vt tuti ſint à ſerpentum morſibus & ictibus. Ante cẽteſimum annum*, inquit Iulius Cæſar Scaliger, *in cerno nulla eſt. Poſt eam ætatem accreſcit ad oculi canthum, ipſis oſſibus atque in os protuberans concreſcit, ea duritia, qua cornu ſuperet.* Qua parte promioet rotunda eſt, inſigni nitore coloris fului, nõ ſine veſtigiis atriorum venularum, tanta læuitate, vt penè tactum effugiat: ita enim ſeſe ſubtrahit, vt propemodum ſeipſam mouere videatur.

Aduerſus venena remedium præſentiſſimum. Antidotus Saxonica Meobani, deſcripta à nobis vbi de cot alterantibus egimus.

Sales arte confecti, & medici. Sal abſinthij, & ſcabioſæ: hi ſales incidunt, attenuant, & putredini obſiſtunt. Abſinthium ſiccum & ſcabioſam combure, cineribus affunde aquam, coque ſeſquihoræ ſpacio: qua effuſa, iterum nouam aquam infer; idque toties dum inſipidam aqoã demittant: Hinc aquam depura per cilicium, vel inclinato vaſe effluat, & exhauriatur igne lento. Propinabimus huius ſalis grana decem, aqua bugloſſi, cum vino albo, vel ex conſerua boraginis. Eadem arte prolici poterit ſal ex angelica, zedoaria, guaiaco. Accipe grana XII. ſalis fraxini, cum aqua cardui benedicti, vel ſcabioſæ: videbitis mox totum corpus ſudore diffluere.

Potiones. Potio: Accipe decocti milij, dum glumam deponit collecti, vncias tres; vini ſeſcunciam.

Alia nobilis Potio: Radicum chinæ recentis, in taleolas diuiſæ, ſeſcuncia; aquæ libræ ſex: macerentur horis duodecim: coque fumi experte igne, ad dimidias: colaturæ adde ſacchari albi quod ſufficit: atoma afflet cinnamomi drachmis duabus: ſumat vncias ſex; & à ſemilibra, arte euocetur ſudor. Si peſtiferæ cõtagionis ſuſpicio adfuerit, dabimus has potiones cum aqua theriacali, & cum ſyrupo de acredine citreorum. *In peſte.*

Alia: Scobis ligni guaiaci libra, aquę libræ duodecim: à maceratione vigiuti quatuor horarum, coquantur lẽto igne. ita & ſarſæparillæ vnciæ tres decoquantur. Decoctum petaſitis, tormentillæ, pimpinellæ, angelicæ, dictamni, calendulæ, granorũ iuniperi, cardui benedicti, ſcabioſæ, hyperici, gentianę, euphragię, oſtrutij, ſcordij, baccarum lauri, dracontij, vincæ peruincæ.

Aqua theriacalis caphurata, ſi febris ſuſpicio adſit malignæ, proderit: ſin cum ardore illa flagrarit, attamen ſi effera vis abſit, eo conferet ſerapium acetatum ſimplex, vel ſerapium capillorum Veneris, cum decocto radicum fœniculi, graminis, vel hordei: admotis lateribus calidis ad emunctoria & pedes. Aqua angelicæ: ſcobis buai libra, in aquæ libris ſeptem vel duodecim maceratur; coquitur dum media pars exhauſta fuerit, interdum dum tertia ſuperſit: datur ad vncias decem. Aqua florum auranciorum malorum, valdè confert peſtiferis malis, vbi peſtigia effloreſcunt: propinantur vnciæ ſex. Ex malorum eorum flauedine, efficax liquor eaſtillatur: cordi auxiliare remediũ. Aqua exſtillata ex putaminibus nucum iuglandiũ. Quidam offerunt vncias duas ſocci calendulæ: alij laudant drachmas duas tuſſilaginis maioris hauſtas ex vino albo. Nonnulli à mulomedicis docti, excipiunt recens ouum vnũ, aut alterum equi auena paſti, macerant id ex vino & aqua endiuiæ, per ſindonem colant, bibunt, vaſa interna refrigerari ab eius vſu aſſerunt: noui qui & colicis, & pleuriticis exhiberent. Diſtillatorias quaſdam aquas, in ſudoris euocationem prõptas, deſcribit Andernacus de veteri & noua medicina, commentarij ſecundi dialogo ſeptimo, fol. 658.

In peſte, cæpa eacauatur, theriaca impletur, coquitur ſub cineribus, extunditur ſuccus cũ aceto & aqua acetoſæ, potui datur; ac moa lateres calentes admouentur. *In peſte.*

Aliud: Panem ex furno calentem effodies, foſſam theriaca implebis, cum aceto: vmbilicus foſſæ indatur: hinc panis in aquam abiiciatur.

Potio: Pulueris Meobani, theriacæ, cuiuſque drachma, aquæ acetoſæ vnciæ tres, aceti vncia: miſce.

Alia: Pulueris radicis angelicæ drachma, theriacæ tãtundem, aquæ angelicæ vnciæ tres, aceti ſemuncia.

Species liberantes: caphura; crocum cum mulſa. In officinis compoſitum ſudorificum exſtat nullũ. Pulueres in tenuiſſimũ pollinẽ atteri debent. Accipe radicum ariſtolochiæ, ſerpentariæ, cuiuſque ſemunciã: tormentillæ, dictamni, gentianæ, ſingulas vncias binas: comminuantur in puluerem, & ſindoni illigentur: Hinc accipe alliũ, & cæpam, ſcindantur in tenues partes; adiice croci ſeſquidrachmã, aquę cõmunis quod ſufficit; huic incoquãtur illa per ſemihoram: Deinde remotæ à foco ollæ, dicta inferatur puluerum colligatio, dũ tecta frigeſcat olla: tandem extractũ linteum ab vmbra ſiccetur, & vſui ſeruetur: dantur drachmæ duæ ex decocto. *Pulueres.*

In febribus, cùm cutis iam ea inclinaore madere incipit, potandũ damus oxymel liquidum, io qoo inferbuit manipulus florũ chamæmeli, vel ſummitatũ nepithæ. optimũ eſt, vinum guaiaco imbutũ, vt illud ex Matthiolo refert VVeckerus. Semper calidioribus vtimur, niſi magnitudo febris obſtiterit: quare vbi febris moleſta eſſe pergit, diureticis, ſi fieri poterit, ſudorem euocabimus, nam & hæc leptomeria præcellunt, ſanguinem fundũt, & attenuant, & ſeroſam partem ſanguinis ſeparant à craſſiore Sed copioſè talia hauriri debent. De his primò egimus, vbi de Pituitæ præparatione. *In febre.*

Quidam inuoluunt ægros linteis madefactis in decocto ligni guaiaci, ebuli, bardanæ, tormentillæ, & in eo ſoluunt quid ſublimati. Oleum amygdalinum, chamæmelinum, cum aqua dulci, vt laxetur cutis: adiicimus aliquid vini tenuis, quo faciliùs peruadat remedium. *Forìs.*

Accipe

Accipe olei amygdalini dulcis, aquæ dulcis, singulas binas, uncias vini albi tenuis semunciã: misce. vbi tamen febris torret, ab his abstinebimus. Oleum scorpionum Matthioli, quod ab eo describitur cōmẽtario ad sextum librum Dioscoridis, sub finem præfationis: hoc habet omnem veneni antidotum. Oleum hyperici, à Montagnana descriptum in Antidotario suo.

OBSERVATIO.

In peste. In pestiferis morbis feliciter promouetur sudor, nam à corde venenum excludit & abducit. Sed cùm febrilis calor exardescit, ab æstu flagrantibus remediis etir abstinendum: absit igitur aqua ardens, piper, sulphur, & quęcumque eadem vi emicant. Sudor vltra tres horas non protrahatur.

Diuretica, id est, vrinalia remedia.

De his abundè egimus vbi de Alteratione Pituitæ quæ est alimentarius humor: & vbi docuimus quo modo pituita in renibus & vesica fit ad aliam qualitatem trahenda: & vbi de melancholia coaceruata in renibus, & vesica. Netamen hic locus asymbolus sit, Accipe radicum graminis, rusci, asparagi, cuiusque vnciam: petroselini semunciam, foliorum endiuiæ (si calor æstuat.) capillorum Veneris, betonicæ, senecionis aquaticæ, singulos manipulos: quatuor seminum frigidorum maiorũ vnciam: apij, dauci, cuiusque drachmas duas: cicerum rubrorum pugillum: fiat coctio ex aqua hordei: sumatur ad vncias octo. Optimum est hoc, & vsu compertum: Accipe florum cyani, macis, cuiusque manipulos binos, vini albi libras quatuor: misce & fodiantur terra ad dies nouem: & effossi liquoris detur eyathus.

Cantharides. Tandem, cæteris non ex sententia euocantibus lotium, & vbi extremum periculum est ab vrina intercepta, ad cantharides veniendum, vt in Hydrope. Ita Galenus 3. de Temperamentis 7. & 11. Simplicium medelam è cantharidibus prodesse ait. Dicet quis, at Galenus 2. de Antid. 6 improbare videtur harum vsum: & Dioscorides recenset has inter venena, nam vlcerosæ sunt vesicæ: & Auicenna de cantharidibus agens, dicit magno errore eas propinari. Respondemus: ad harum felicem vsum quibusdam cautionibus opus esse: vt sit suppressum lotium, & si nulla vreticorum vi exprimi vrina queat: nam certò homo interibit non euocato lotio: & nil potentius euocat hoc cantharidibus. Secundò, vt dẽtur integræ cantharides: ea 11. Simplicium, & 4. acutorum 121. Tertiò dentur exigua copia, remixtæ mitioribus. Da vnam integram puluerisatam: nec supera secundam: misce cum pinguibus, vt cum iusculo pingui, in quo coxit malua, althæa.

Officinarum. In officinis hæc vretica sunt. lithontribon species. Pulvis Iustini: dantur binarum drachmarum mole. Syrupus de Artemisia: sed eo validius est oxymel diureticũ. Sint hæc medicamina serosa, & non dulcia: nam hæc rapit in mulieribus vrenis. Menses mouentia à nobis prodita sunt, vbi de vteri alteratione frigidi scripsimus.

AD FLATVS.

Ad flatus Radices. Radices: Gentiana, galanga, angelica, calamus aromaticus, aristolochia rotunda, enula, eryngij radix, valeriana, petroselinum, spica, porrum, zedoaria, dictamnus, asarum, angelica, cyclaminus, iris, sarsa, china, liliom, sãbucus, cucumeris agrestis radia fotis admota, zinziber conditum.

Herba. Herbæ & Flores; Summitates anethi, pulegium, ruta, calamintha, folia lauri, (eius fructus est acrior,) betonica, dictamnus, rosmarinus, scordium, hyssopum, marrubium, sabina, polium, melilotus, chamæmelum, stœchas, mentha, centaurium minus, agnus castus, abrotanum, amomum, origanum, absinthium, thymus, verbenaca, maiorana, chamædrys, œnanthe, id est, filipendula, ericæ flores, genistæ flores, schœnanthos, iasmini flores, iua, viola lutea, cortea malorum aranciorum. Et ea ferè quæ ad pituitę præparationem scribuntur. coquuntur in media parte aquæ & vini.

Species. Aromata: Crocum, cinnamomum, castoreum, myrrha, moscus, oux moschata, mace, piper, zinziber. Cùm vrgent flatus, iocide minutim zedoariam, & sume cum vino scriptulum vnum. nolo puluerisari.

Semina. Semina: Anisi, fœniculi, cari, ameos, cymini, vrticæ, anethi, rutæ, petroselini, apij, liuistici, dauci, sileria montani, nasturtij, melanthij, agni casti, baccæ lauri, & iuniperi. Vsu comperi, à seminis anisi scriptulo crassè comminuto, iam recens natos pueruloscommodissimè à viridi hile, & fœda pituita purgari, cùm pultem saccharatam sumunt, primo cochleari indirur, ac illis eahibetur: clamosos ventris dolores quoque sedat. *Notandum de Anisa.*

Alia quædam: Sulphur, pyrites seu marchasita, vaccinum stercus cum lauendula.

COMPOSITA.

Composita. Dianisum, diagalanga, diacyminum, diacalaminthes, electarium de baccis lauri, benedicta laxatiua: puluis ad flatus, descriptus in Antidotario Florentioo: aromaticum rosatum: theriaca, mithridatium, vinum Hippocraticum, vina medicata, vt fœniculi.

Foris. Foris: Oleum chamæmelinum, anethinum, laurioum, rutaceum: oleum in quo absinthium, cyminum, ruta, anisum decocta fuerę. Accipe olei anethini, chamæmelinum, liliorum, aut amygdalorum, sambucini (hæc moderatissima sunt) cuiusque sescuociam: coquantur in iia thymi, hyssopi, & serpilli aliqnid, aut seminum iam descriptorum aliqua: colaturæ adiice castorei sesquiscriptulum, vel aquæ vitæ semunciam.

Atque hæc de totius corporis remediis satis esse poterunt. Qui vsu plura observarit, aut efficaci vi prædita esse quædam animaduerterit, longáve lectione selecta quædam decerpserit, his nostris thecis inseret, vnde cùm vsus exigit, facili negotio euocet: Hi enim loci, & morbificæ caussæ, & affectæ parti remedia eadem suppeditant in variis morbis, vno quasi intuitu. His amici feliciter fruimini. ** Hoc est, in nidis suo vero puniuntur.*

* φέρετρά δ' ἀμαύρτας ἄτε.

VERA MEDENDI METHODVS:

Quæ breuiter docet Tecmarsin Remedia cuncta tutò ac dextrè in vsum ducendi;

LIBER METHODI AD PRAXIN TERTIVS.

CAPVT I.

Vtilitas Methodi. quid Methodi nomen. & in quibus versetur Methodi medendi officium.

Vtilitas Methodi. QVEMADMODVM his qui totum vitæ suæ curriculum in marinis negotiis sibi transigendum constituere, non tantùm opus est naui optimè instructa velis, remis, armentis, verùm optimo moderatore, qui rectè gubernaculum trahat, maleasque vitet; ne in re adeò periculosa ac difficili, & vitę & bonorum

discrimen

discrimen incurrant: ita in Medicina facienda, siue eã in proprium vsum, seu alienum vertere quis velit, summoperè anniti debet, vt recta encheiresi remedia tractet: tractet remedia, dico, quæ Herophilus antiquus medicus, *& nihil esse dicebat, & manum* Dei. Idem remediũ eidem homini salutare & calamitosum est, vt εὐκαιρίᾳ aut intempestiuè vsus eius initur. Quare ne cæcorum more huc atque illuc, in tãto remediorum Oceano, quo Deus optimus maximus totum hoc mundi theatrũ impleuit, incerto raptu fluctuemus, ductore opus est certo, quo indice quid remedium cuique dicatum sit intelligamus: ne nobilem illam Dei fabricam, imò Spiritus sancti domicilium, hominem dico, in vitę periculum temeritate trudamus. Teoerrima, facilisque auulsu apud homines habitat sanitas: & sępe leuissimi morbi sese altiùs ioferunt, ac non tempestiua curatione ex curabilibus fiunt incurabiles: accedit & iudicij difficultas ex necessaria distinctione causarum, siguorum, & remediorum: ad cognoscendum, prædicendum, & curandum; ac similitudines sæpè bonis Medicis imponunt. Propterea Methodo vtemur certa, quæ tanquàm Cynosura; nobis in morborum pelago versantibus, vt expeditè ad certa remedia deueniamus; opem feret: cùm quid facto opus sit ὑπὸ μίαν σύνοψιν ἄγειν, vt Polybius loquitur, καὶ σωματοποιεῖν quasi vno iotuitu, in vnum corpus redactam morbi historiam, hęc complecti doceat. Nam talem methodum se sibi fecisse narrat Galenus, initio libri septimi suæ Methodi. Quare qui Methodo curandi fraudati, medicinam faciunt, maximam calamitatem vitæ inferunt.

Scio plurimos esse, qui, abditis qoibusdam remediis, efficaci vi præcellentibus, aut oomerosa sylua medicaminum sese venditent: sed vt non ille faber auri, optimus est, qui elegantissima & polydædala instrumenta, quamuis argentea aut acutissima nactus est, sed qui docta manu opus tractat: ita nec medici illi optimi censendi, qui quàm plurima & optima remedia norunt; sed is salutiferam manum adferet ægris, qui doctè, aptè, & accommodatè his vti norit.

Noscet rectum medendi vsum is, qui compertum habuerit quod cuique remedium optimum sit, & qua copia, qualitate, quo tempore, & vtẽdi modo in vsum ducendum sit. At hæc obscura & sensibus incomperta sunt, ni certa ratio accedat, quæ indigitet vndenam in horum agnitionem veniendum. Hæc autem est Methodus medendi, quæ affirmat nullum morbum omnibus esse eundem; nec vllum remedij genus esse, quod habet eandem vim in singulis. Ac asserit temperierum variarum rationem habendam esse: non eadem fidelia, macie atrum corpus, ac carne turgidum abstergendum esse: nobile viscus si morbo oppressum langueat, aliter quàm ignobilis pars, cuius officium sese non fundit per totum corpus, habendum esse: vires etiam affirmat in examen debere euocari, aërem ambientem insuper notandum, num vires frangat, aut stabiliat. Omitto iam ætatis examen, coosuetudioem, peculiarem cuiusque naturam, num mas, num fœmina; vitæ exercitium, longitudinem & breuitatem morbi; paroxysmos ægritudinum, naturæ ordinem, ac syderum syzygias: sine quorum recta perceptione fluxam ac vanam remediorum admotionem omnem esse existimat.

Quare cùm sine his rationibus expugnari morbi nequeant, nec vnquam felicem curationis euentum sortiantur, quo modo hæc in vsum euocet Methodus medendi, perlustrare summa cura debemus: Nam, vt scribit Plato in Philebo, qui artem sine Methodo se acquisiuisse arbitratur, sciat se vmbram artis, non artem ipsam habere. Omnis Methodus viam facit non sine certa ratione per difficultates artium, per rerum confusiones sese expediens, res obscuras in lucem producens: vnde Galenus vocat eam φῶς καταλαμπόμενον, *quasi faculam collustrantem artium intima.*

Quid methodi nomen. Dicitur à μετὰ & ὁδὸς quasi ὁδὸς μετά τινων τινά, hoc est: via recta ad locum aliquem. μέθοδός ἐστιν ἕξις ὁδοποιητικὴ μετὰ λόγου: hoc est, *est habitus, scientia, ars, viam faciens certa ratione.* Hoc est, artis pars per loca inuia; labyrinthea, sentibus, & vepribus obsita viam aperiens, ac res ordioe promens quæ eò pertinent. sed non satis est nouisse viam quæ ad metam collimatam deducat, sed longè præstat rectissimam & breuissimam semitam scire, quæ ad hanc metam sine polydædalis labyrinthis; gyris; ac fastidiosis anfractibus ferat. Vt viator commodè peregrinaturus, itineris metam; iter ipsum, nec * λεωφόρον cognita habere debet, sed semitæ & breuissimi aditus explorati esse debent: ita io Medicinæ curriculo & peregrinatione, itinera tuta, hoc est, methodus cognita esse debet. Etiámsi quidam sint morbi curatu faciles, qui plana quasi via ad sanitatem ferantur; non tameo vbique omnium eadem & par est bonitas; sæpe magnæ angustiæ in re dubia, vt nescias quo te vertas, ni magistra Methodos accesserit.

** Id est vehiculorum viam via regia.*

Nos itaque agemus de medendi methodo in vniuersum: hoc est de ea medicinæ parte quam Græci θεραπευτικὴν, Latini curatricem nominant. Quæ methodos, vt est omnium medicinæ partium postrema; ita omniom aliarum est finis. finis medicinæ etenim est sanitas, at ea paratur præsidiis methodi medendi: quare & hæc meta erit reliquarum Medicinæ partium. Hæc enim illa est; cuius gratia naturæ totam historiam, maximas (attamen iucundissimis) laboribus addiscimus: morborum discrimina varia, mores, & motus ex symptomatum variis ideis indefessis curis distinguimus.

Officium methodi medendi. Hæc enim propria medicorum officia sunt; *sanitatem ab omni languore tueri; curare agros reficere conualescentes; mitigare symptomata; fouere senes.* In his officiis methodus breuiter has cautiones proponit: primò, vt tutò curemus: secundò, vt celeriter: tertiò, vt iucundè.

Tutò. Tutò peragetur curatio: cùm integrè excutitur morbus, sine vllo recidiuæ metu: & cùm toto genere morbus incurabilis fuerit, ne lædas, aut irrites silentem morbum. quod sæpe euenit his, qui melancholicis remedia præbent non satis valida: vt enim rabidus canis nisi lacessitus noo sæuit; ita ocio fruens melancholia sese continet.

Morbi non omnes curabiles. Existimare hinc aliquis possit, methodum omnium morborum ferè curationes polliceri. à qua temeritate illa longè abest: etenim absolutè curare morbum illi sæpè negatur, ob naturæ fractæ languorem, cuios fauore fraudata; cespitat omnis curatio: sunt enim naturæ, morborum medici; dicebat Hippocrates. Quin & morbi, & symptomatum vehementia, quæ iouterdum natura sunt superiora, eius vim opprimunt, vt inutilis euadat omnis opera medica his addite familiares & inquilinos naturæ hostes; qui aliquid frequenter addunt morbo; vt error ægrorum, in agendis, admouendis, sumendis. qoin & astantes officium suum non faciunt. & res eæ quæ foris sunt, naturam aliò euocant. *Non lædant.* Summè illud studium omnibus adesse debet, ne lædant: quare peculiaris cuiusque natura est discenda ab ipsis ægris; quidam enim horrent cassiam; qui rhabarbari vsum leoiter ferunt.

Recidiuà. Quin vt tutò curatio transigatur, cura adsit; ne recidiua molesta sit; cui solemne est, tædij adferre plus, primario morbo. Recidiuam autem declinabimus, si animaduerterimus aliquid à morbo superesse quod adimendum est: nam inde, vt scripsit Hippocrates, recidiuæ fiunt: cùm inquit, recidiuas adferunt morborum reliquiæ à crisi imperfecta, & iochoata, & impedita tum propter materiæ contumaciam, meatuum obstructionem, tum naturæ infirmitatem: hoc ferè fit, exactis iam morbi viginti diebus; & io morbis dioturnis, quorum difficultas in pepasmi difficultate consistit: pepasmi

pepasmi difficultas, in materiæ morbificæ contumacia. Quòd si igitur superstes fuerit empyreuma, sitis, oris amaror, recurret morbus. Quare vt tutò curatio peragatur, iam tum quamuis recreatus à morbo videatur æger esse, pharmaciæ locus erit.

Citò. Citò curare ad officium quoque medici pertinet; sed probè curandũ, ne quid fiat temerè: nec tamen temerè cũctandum, sed lentè festinãdum. Hanc occasionem loquetur ipse morbus; vnde Hippocrates dicebat: *Concocta medicamento purgare oportet, ne in principiis quidem, nisi materia turgeat: plurimùm verò non turget.* Vbi igitur materia turget, quod interdum fit ineunte morbo, cùm natura morbificis caussis opprimitur; & frequens tum incidit mutatio symptomatum, & quiescere ægrum non sinunt, excludenda est materia œstro percita furoris quamprimùm pharmacο: ne febrilis calor augeatur, symptomata immania euadant, & pessundetur æger. At si succi firmati fuerint parte aliqua, primò æmulatione naturæ (quæ nihil incocti excernit) coqui debent: alioqui neque medicamento trahenti nec naturæ expellenti cruda materia cedet, & æger damnia augebitur, conuulsionibus & torminibus conflictabitur.

Ægyptiorum priscorum cautela in purgationibus. Veneranda antiquitas summa religione cauebat, ne cita curatione læderet. Quòd enim Ægyptiorum medici valida remedia ineuntibus morbis vitarent, abundè testatur Aristoteles, tertio Politicôn, capite tertio, vbi ita scripsit, ϗ ἐν Αἰγύπτῳ μετὰ τὴν τετρήμερον κινεῖν ἔξεστι τοῖς ἰατροῖς. ἐὰν δὲ πρότερον, ἐπὶ τῷ αὐτῶν κινδύνῳ: dicit *Ægyptios noluisse quicquam in ægrotis innouari, nisi peracta quarta die; alioqui, suo periculo agebant.*

Cautiones. His itaque cautionibus satis citò curationem peragemus: si animaduerterimus naturam languidiùs suum officium facere, illam erigemus: si quid ad exclusionem paratum sit materiæ morbificæ, id dato pharmaco extrahemus: vt enim sunt gradus coctionis, ita & purgationis esse debent: quare non nimis citò ea institui debet. *Tria* enim *requiruntur ad legitimam purgationem,* vt rectè peragatur; *meatuum libertas, materiæ præparatio, & naturæ vis:* & ita, vt decet, Citò curabimus.

Iucundè. Iucundè autem curamus, cùm ægrum nullis molestiis, quantùm fieri potest commodis illius rebus afficimus: quod facilè à nobis fiet, si exhibuerimus remedia quàm paucissima. Frustra fatigant remediis ægros qui moderata victus ratione curari possunt: magno olim tædio diatriton, id est, trium dierum inediam præscribebat Asclepiades illis qui soluta vena curari poterant. Ex aduerso hodie; cùm non tam quid conducat, quàm quid placeat habeatur ratio; vt ex obsequio gratia illis accedat. hæc impostura? pestis. Attamen naturæ bellum infert ille, qui paucis contentam remediorum mole onerat. Quare quod mundum & volupe est exhibeatur, & quàm mollissima remedia adhibeantur, & suauissima; ne, perterrita natura, eorum insuauitatem auersetur; suauia enim altiùs imprimit: præterea, molesta symptomata nulla cum noxa mitigent.

Narcotica. Attamen in remediorum stupefacientium vsum, quale est philonium & recentiorum laudanum, non præcipites ruemus: cùm enim perceptionem auferant rei naturæ tristis, caussam tamen doloris non abscindunt, imò sæpè ad caussam morbificam faciunt. Quamuis nonnunquam summa Necessitas in his auxilium non sine magna gloria quæsierit & reportarit. Et quamuis noxa immittatur naturæ horum vsu, necessarium tamen hîc Thucydidis est consilium, δράσαντάς τε ϗ κινδυνεῦσαι, id est, *agentes aliquid, vel periclitari.* Quibus enim alia ad salutem via præclusa est omnia, excepta vna, eaque dubia & periculi plena, necessarium esse arbitror hac aduersos periculis ire. Quantò itaque satius est aliquid nonnulla fiducia vel cum periculo facere, quàm spe adempta certò perire: tantò profectò satius est potentibus præsidiis pugnare, quàm nihil agere. Quare non nimis animosè renuemus horum vsum cùm vires doloribus ac vigiliis prosternuntur, sed horum meta sit virium robur: vt cessantibus doloribus, robur recolligant ægri, vtque morbo fiant pares, & sufficere curationis spatio valeant. Alioqui, vrgente etiam symptomate, quamdiu virium robori fidimus, methodus tenenda, nec in ægri gratiam soli symptomati vacandum. Sed labentibus viribus, morbo omisso tantisper symptomati occurrendum, quò vires firmentur. Crudelis enim medici est ægrum doloribus conficiendum propinare: vt & adulatoris medici est, ad quemuis leuissimum incursum dolorum, præscriptis stupefacientibus voluptati ægrotum subscribere: nam à molli medicina quæ consenuisse videbantur, recrudescunt. quare semper nequid nimis. Olim & his remediis suus vsus erat in magnis doloribus oculorum, catarrhis tenuibus, tussi contumaci, & aurium cruciatibus: etenim macula corpori inusta, melior morte.

Hoc itaque modo Tutò, Citò, & Iucundè, curare docet Methodus.

CAPVT II.

Vnde nata Methodus, Quid sit, & quibus ducibus absoluatur.

Medici. Cum itaque maximum officium Medici sit tutò curare, id nunquam obtinere poterit, nisi Methodus aliqua illi comperta sit, cuius opera tuta remedia inuenire poterit. Vt sunt duo cunctæ inuentionis apud homines instrumenta, Experientia, & Ratio: ita & in Medicina. *Ratio.* etenim ad eum qui interrogarit, Cur huic ægrotanti ex causo frigidæ bibendæ potestatem feceris, duplex est responsio: altera, quæ caussam & naturam aperit febris, ac de morborum temporibus disserit, & vnà frigidæ aquæ naturam enarrat: Vbi hæc demonstrarit, conatur & illud docere, in hoc tempore morbi, aquam gelidam commodum remedium esse. Altera, nempe Experientia, de horum natura non sollicita, dicit, in tali morbo ac tempore sæpè frigidam profuisse.

Experientia. Est autem Experientia duplex: vna, temeraria & præceps, sine ratione, & stultorum magistra: altera, ratione vtitur, & rerum est magistra. Hanc Hippocrates amplectitur iuncta ratione: sed ea lege, vt malit iudicio absque experientia fidere, quàm experientiæ ratione carenti.

Iudicium. Etenim iudicium quamuis sit difficile, quòd corpora, caussæ, atque signa similitudine sæpe bonis medicis imponant (vt vrina alba, quæ soboles est & acutissimæ phrenitidis, & frigidissimi hepatis & ventriculi) attamen tutum est iudicium: at experientia temeraria, est periculi plena. Iudicium certè est difficile apud medicos, quòd multa putantur fieri lege naturæ, quæ sunt à vi morbi profecta: accedit, quòd morbi diuersos mores induant, modò δύσκολοι, modò εὔποροι: quare optimè sese iungunt ac comitãtur Ratio & Experiẽtia: cũ nec ratio, nec experientia inuicẽ diuulsæ, omnia inuenire possunt.

Rationalis itaque medicina methodo vtitur, quæ versatur in vniuersalibus: vt exercitatio in particularibus. Finis autem methodi est, remedia cuique morbo dicata inuenire, & recta tecmarsi vti. Hinc Galenus dicebat, id pro comperto habeatis, non licere vllius artis scientiam nancisci, nisi & methodum quandam habueris per vniuersalia theoremata, & particularibus exemplis te exercueris in ægris singolatim curandis.

Methodus medendi quid sit. *Est igitur Methodus medendi via generalis, omnibus particularibus communis, & artificiosa, certa & exacta, inueniendi per indicationes & intentiones quo remedij genere in qualitate, quantitate, tempore, & vtendi modo, morbo cuique sit medendum.* Dixi viam esse generalem: etenim ex æquo omnibus morbis conuenit. Cùm enim vinculo quodã inter se iuncti sint communi morbi, necesse est vt & aliquid sit his commune, quod è corpore

pore

pore abigi possent: conuenit autem inter ipsos, vt actionem partis corporis suo officio spolient, & præter naturam esse: quare & omnibus conueniet ablatio, quæ fiet contrario remedio, vt auctor est Hippocrates libro De flatibus: τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰήματα: nam vt Plato demonstrauit in Alciabiade ij°. Ea contrariorum ratio est vt vnà habitare nequeant, ac sese mutuò necent ac depellant: quare & contrariis rebus morbi depellentur.

Instrumenta medendi.

Videri tamen posset non rectè in rerum cognitione versatis, instabile illud axioma, contrariis remediis morbum pelli, cùm Hippocrates scripserit, *tetanum morbum natura frigidum curari à perfusione frigida aquæ*: sed id euenire affirmamus per reuocationem caloris qui vi frigoris cogitur, ac efflorescit iterum in superficie, materiamque neruis conceptam tetani auctorem depellit. Verùm dicet quis, vomitus vomitum curat, dolor dolorem placat: respondemus, dolorem minimè doloris curatorem esse, sed remedium, quod non sine dolore interdum affectum doloris parentem adimit: ita & vomitus causam, vomitus exhaurit. Quare fit quidem curatio similibus, sed κατὰ συμβεβηκὸς, per media illa quæ primario contraria sunt.

Similibus fit curatio.

Hæc itaque Methodus, artificiosa & certa via est, quæ certa fit tecmarsi; tecmarsi dico, quòd signis tecmiriis, hoc est syllogisticis (quibus positis, aliquid necessariò sequitur) viritim & singulatim curandi rationem ineat.

Indicationes.

Init autem methodus omnem curandi rationem ducibus quibusdam, hi sunt Indicationes, quæ in vniuersum sedecim numero ex Hippocrate colligi possunt.

Est autem indicatio rei agenda insinuatio, vel comprehensio rei iuuantis, cum comprehensione rei nocentis. Est enim scopus terminus in quem dirigitur actio. Indicatio autem est ratio agendi, quam ostendit speculatio scopi: Vel est cognitio eius quod conferre potest vel nocere.

Sed coindicatio est illud quod non primò, sed per aliud ostendit quod monstrat ipsum Indicans. Ita vires indicant victũ, & missionẽ sanguinis; ita ætas, sexus, cõsuetudo.

Cõtraindicatio est quod impedit primò, quod ab Indicãte suggeritur, vt fracta virtus cùm euacuationi reclamat.

Correpugnantia autem, quæ secundò indicantibus, sese opponunt: vt in vacuando ætas, sexus, habitus, anni tempus, &c. quæ, cùm vires fractas monstrent, ideò vacuationem arcent, aut moderantur.

Igitur quæ hortantur vt scopus perficiatur, sunt Indicantia: quæ reluctantur, contraindicantia: quæ illud per accidens, coindicantia: quæ hoc, correpugnantia. Exemplum sit victus, qui indicatur à viribus: contraindicatur à morbo; coindicatur à temperamento, ætate &c. quæ quotæ sint vires ostendunt: illis verò correpugnant, quæ morbos declarant. Sed oro meos Dogmaticos vt singula hæc mihi iam mutuò dent, nomine Indicationum: quò lucidè in opus flectam medicinam. Quorum

1 *Indicatio sumitur ab affectu ipso: hoc est, à morbo, morbi causa, vel symptomate vrgente.*
2 *Indicatio ducitur à temperie totius corporis ægri.*
3 *Indicatio initur à parte morbo oppressa.*
4 *Indicatio ex viribus decumbentis ægri accipitur.*
5 *Ab aëre ambiente capitur.*
6 *Indicatio ab ætate fluit.*
7 *Indicatio à consuetudine sumitur.*
8 *Indicatio à peculiari cuiusque natura aucupatur.*
9 *Indicatio à sexu (nũ mas, nũ fœmina ægrotet) ducitur.*
10 *Indicatio ab exercitio initur.*
11 *A longitudine vel breuitate morbi captatur.*
12 *A quatuor morborum temporibus indicatur: num scilicet morbus sit in principio, augmento, statu, aut declinatione.*
13 *Indicatio trahitur à particularibus paroxysmis morborum.*
14 *Ab ordinatis naturæ functionibus sumitur.*
15 *Ex medicamentorum viribus.*
16 *Ab influxu siderum.*

His ducibus absoluitur in omnibus morbis curatio. quod si extra hanc lineã abierit, quò latius, eò ignauiùs curabit: quò verò propriùs se iunxerit, eò facilius excutietur morbus. quare tantum medicos fallet conatus curandi, quantum ab his Indicationibus curatiuis abierit.

Vsus.

Prima etenim Indicatio, ex ritè percepta morbi natura contrarium decernit remediũ, mole & vi. inde vertit sese medici mens ad secundam indicationẽ, ac accuratè perlustrat nũ decretũ illud remediũ à morbo, eiúsve causa, perferre ægri temperies possit: quare vel admittit id, aut atterit aliquid ab eius vi. Deinde eadẽ prudẽtia tertiã Indicationem perpendit, num quod pharmacũ postulat morbus, & cui superscripsit aut aliquid abstersit totius corporis tẽperies, cõmodè huic parti admoueri possit. si enim hepar laborauerit, pars cùm sit cuius officio vita carere nequit, aliter transigendũ quàm si crus affectũ eodẽ ex morbo langueret. Tandẽ eadẽ serie ac diligentia reliquas captat Indicationũ vires: & quæ indicationes coindicẽt & quę contraindicent perpẽdit, vt tandem rectè limato remedio curationem instituat. Has itaque si rectè Indicationes admouerimus in quærendo remedij genere, eiúsque qualitate, quantitate, tempore vtẽdi, & modo adhibendi, aptè & ex lege methodi medicinam faciemus.

Sed vt hæc numerosa rerum series altiùs reposità maneat, hoc programma menti infigendum effinxi, barbarum quidem, at vsibus commodum.

Affectus contra naturam, hoc est, morbus, causa morbi, & symptomata.
Pars morbo obsessa.
Temperies ægri.
Vires: aer: ætas: solitum: naturaque: sexus:
Ars: breuis: vt tempus: venit: ordo: remedia: cæli.

Hi sunt omnis curationis in omnibus morbis auctores atque duces.

Non tamen eo quo scripsimus ordine in opus trahẽdæ sunt Indicationes; nam euenit interdũ vt id quod à morbo indicatũ fuit, tertio, vel postremo loco habeatur: vt si languet pessundata virtus corporis, omnem curam vt erigatur, illi adhibebimus, neglecto interim morbo.

Vsus Indicationum.

Hæ Indicationes, prout omnes in aliquo remedio adhibendo cõsentiunt, ita id aut validũ, mediocre, aut lene præscribi debet. sin autem ex æquo hæc valẽs, illa imbecillũ postulent, mediocre offeratur. At in his non solius numeri, sed præstantiæ potissimũ habenda est ratio.

CAPVT III.

Quomodo in cognitionem morbi, eius causæ, & partis affectæ deueniendum.

PRima Indicatio curandi, ab affectu præter naturam sumitur. Sed antequam eius præcepta tradere possimus, rectè exploratus esse debet affectus præter naturã, hoc est, morbus, causa morbi, & pars ægra rectè cognita esse debent: etenim ignorato affectu, omnis curationis ratio, & spes tollitur. finis enim methodi medendi, est apta curationi inuenire remedia; eius autem initium morbi cognitio.

Morbum autem, morbi causam, & partem affectam nobis indicabunt symptomata, hoc est, corporis accidẽtia aliqua præter naturam mutata, vel excrementa quæ aliam quam decet ideã præ se ferunt, & actiones læsæ.

Accidentia plerumque ægris notiora esse solent: quare de illis primo occursu sunt interrogandi: primoque de iis quæ tactu percipiuntur: & ilico rogabimus ex illis, num molesta sit prima aliqua mutata qualitas, num caliditas, aut frigus, mador aut squalor infestent. & explorandũ nũ toti corpori impressa sit hæc

Accidentia.

Prima qualitas.

Exemplum. hæc dyscrasia, an peculiari alicui parti. Vt si affirmet æger flammeum calorem se sentire circa os ventriculi, suspicio erit calidi affectus ventriculi: sed quia vicinæ ventriculo partes nos fallere possunt, & calida intemperie laborantes, hic nō subsistemus, sed & alia symptomata quæ sunt in excrementis, & actionibus læsis, examinanda erunt, num eandem intemperiem indicent. vt si nidorosum ructum, vel ouorum friatorum easpiret, & prostratus appetitus langueat, inexplebili autem bibendi ea desiderio laboret, ac sentiat se lædi rerum calidarum vsu, frigidis verò leuari: indicia hæc certò loquentur calidam intemperiem morbum hunc esse. Sin his accedat oris amaror, nausea, vel vomitus, significatio adfereture non solam simplicem intemperiem molestam esse, sed & materiam calidam in vitio esse. Ita si feruor præter morem exardescat in hypochondrio dextro, qui toti corpori citra febrem affletur, maximeque squaleant volæ manuum ac pedum, certa res erit hunc ex hepate profectum calorem qui in volis efflorescit: quòd sint temperatissimæ, quodque venas habeant confertissimas, eò sese abrumpentes. Ita & in aliis intemperiebus transigendum: rogandumque semper, num causa aliqua externa malum impresserit: vt ea quæ aguntur, assumuntur, & admouentur corpori.

Secunda qualitas mutata. Sin nullum signum in ægro se prodat ea primis qualitatibus profectum, indagabimus num secundam qualitatem mutatam sentiat: num mollitiem præter morem, *Tactu percepta.* aut duritiem, vel tumorem percipiat, & an asperitate, leuitate, grauitate, leuitate, densitate, raritate, eo in *Exemplum.* loco afficiatur, quo minimè ex naturæ lege decet. Vt si tumor adsit, de magnitudine & eius paruitate solliciti esse debemus: & rogandum, sit ne vnus an plures: cum dolore, vel sine dolore; affatim, an sensim magnus euaserit; durus & tensus, vel mollis; cum pulsu aut pulsus expers. Si enim magnus fuerit tumor vnicus, & cōfestim enatus cum dolore, inflāmationem esse suspicabimur. quare, vt id exactiùs percipiamus, rogabimus num caleat tumoris locus, nū rubeat, renitatur & pulset: nam hæc certò inflammationis significationē adferent.

Ita omnes affectiones, quæ sese facilè secundis qualitatibus iungunt, perlustrandæ sunt: eodem modo in prima qualitate perpendenda, imò & in excrementis examinandis & perlustrandis actionibus læsis, eadem prudentia transigendum erit. Nam singula ita exacta, non modò affectum contra naturam aperiēt, verùm & partem afflictam, morboque obsessam palam dabunt: etenim in omni parte, omnia euenire nequeunt.

Doloris ex proprietate. Tertiò interrogabimus, num aliquis dolor, molestus sit in parte aliqua, vel toto corpore num sit fusus: nam vbi dolor, ibi plerumque habitat morbus. Dolor varius *Partium dolores.* est vel ratione partis dolentis, aut materiæ variantis: & interdum doloris idea est ea his vtrisque remiata. Partibus sui sunt dolores: ve membranis euenit punctilis dolor; quòd dilatari nequeant, dicitur & sodicus dolor. neruis tractiuus, ab madotis inopia vel copia. membranis quæ carni remiscentur laceratiuus est familiaris dolor, in quo videntur membranæ à carne diuelli. crassis membris perforatiuus dolor, proprius est. qualis colo ac longanoni intestino euenit. ægrè sentientibus partibus grauatiuus dolor molestus est, vt hepati, pulmoni, lieni: quare rogandum num pondus circa has sentiant partes. at arteriis vicinis locis, hoc est carnibus, bellum mouet dolor pulsatilis: hic cùm mollitet premitur locus doloris, ille mitescit ac demulcetur. venæ extensiuum dolorem sortiuntur. membranæ ossium, contundentem & profundum: laxum habent carnes.

Materia dolores. Et quæque materia morbifica peculiarem characterem doloris præfert, vnde innotescit: nam materia vehementer frigida aut calida, mordentem dolorem præbet: vt enim calor solutionis continui auctor est pandendo & dilatando, ita frigus comprimendo. verùm il*Notandum.* lud discrimen notandum, quòd mordax dolor tunc fit à frigore, dum in parte calor conceptus fuerit qui vehementer renititur: sin nulla adsit obluctatio, stupefactiuus dolor erit; qui in paralysim se effundit plerumque. Materia igitur frigida parti impressa frigidæ, quæ spiritibus spoliata torpet, stupefactiuum dolorem profert, qualis proprius est ille dentium dolor hæmodia: in reliquis membris, hic paralysis futuræ præludium est. Sicca materia exasperantem dolorem præbet, qualis in raucedine animaduertitur, exasperata larynge: dolor acerrimus & stimulans, est à bile: stupet & hebescit à melancholia: ita & à pituita & flatu, nisi vehementer distendant. Aut oritur dolor materiæ & partis simul iunctarum ratione: vt materiæ copia in loco angusto concepta, compressiuum dolorem ingerit: materia autem dura angustis spaciis coërcita, contusiuum dolorem eabibet, qualis calculi est dolor. Flatus, vel materiæ copia musculorum cauitatibus concepta, extensiuum dolorem accersunt. Materia acris in loco exactè sensu ornato, vlcerosum dolorem effingit.

Sin æger dicat se nulla parte dolere, sed toto corpore fusum dolorem esse, sciendum, hos dolores à medi- *Lassitudo.* cis lassitudines vocari, de quibus prodidit illud oraculum Hippocrates, *Lassitudines vltrò obortæ morbos arguunt.* *Sunt* autem *lassitudines affectus corporis, in quibus, si vel minimum quis moueatur, sensio quadam excitatur phlegmonosa, vlcerosa, vel tensiua.* duplices sunt hæ lassitudines, laboriosæ, & vltrò obortæ; de his vltimis loquitur Hippocrates. *Laboriosa* enim *est, cùm quis se ab ocio ad exercitationem transfert*: qualis in *3. Epid. sect. 3* illo adolescente describitur apud Hippocratem, qui decumbebat in Mendaeij foro. *Vltrò* autem *oborta* lassitudo *triplex est*, vlcerosa, tensiua & phlegmonosa. *Vlcerosa ea est, quæ vlceris dolorem imitatur*: cuius causa est succus contaminatus, & cruditas; cacochymiam vocant. *Tensiua, qua corpus tenditur*: huius origo est plethora, quæ ea venis, arteriis, ac musculis sanguine distentis molestiam præbet. *Phlegmonosa ortus est plethora, vberrimè fœdis succis contaminata.* Ea quibus morbi ferè omnes principia ducunt.

Situs doloris. Situs doloris, partis affectæ etiam est index: nam si dolor insidet penitùs dextro hypocbondrio, hepar, non lien: si sinistro, lien non iecur afficitur. Si deatri hypochondrij tumor per costarum extrema trahatur, ac subiectæ partes lunæ figuram exprimant; in iecore est. sin circumscriptus in ventris longum excurrat, in rectia consedit musculis abdominis, dolor profundus, & sublimis. Hæc de symptomatum indiciis, quæ sensu tactus percipiuntur.

Si ea his indiciis in cognitionē deuenire non poterimus affectus præter naturam & partis ægrotantis, tum quartò, num sit qualitas aliqua, notanda visu, mutata in corpore inuestigabimus. Quare num color to- *Visu percepto* tius corporis vel partis mutatus sit explorabimus. maximè legitur humoris vitium in facie: nam efflorescit in ea luxuriantis succi color, nisi ab animi pathemate aut ab aëre reflui fuerint: hinc patescet num sit hepaticus, splenetticus, ictericus, num hydropicus. Et an pars rubeat sāguine, albescat pituita, liueat à melācholia, vel nū flauescat bile: num facies mutata in eharactere, mole & colore: num oculi concaui, adunei vngues, nares acutæ.

Atque ita de aliis qualitatibus, quæ gustu, auditu & olfactu percipiuntur. sapor enim amarus bilem effusam in ventriculum purgatione egere significat. Sapor salsus *Sapore visa.* pituitam salsam denotat. Ita indagandum num odorem fœdum spirantem sentiat ex toto corpore, eùm totus sudore madet: vel parte, vt acidus à ventriculo si sentiatur *Ex odore.* nidor, eius cruditatem aut splenis affectum denotat; & si Paulo credimus, in pueris vermium præsentiam, modò reliqua signa consentiant.

Si nullum symptoma elucеat in mutata qualitate, *Excrementa.* ad secundum genus symptomatum deueniemus, ac interrogabimus de excrementis: num solemnis ac consueta vacuatio aliqua sit suppressa, siue vrina, siue alui fæces, aut fluxus menstrui, vel fluere suetæ hæmorrhoides,

ac

ac muccus narium, & num sudor solemnis stagnet.

Substantia. Sin aliquid præter naturæ legem efferatur quod excerni non consueuit, erit eius examinanda substantia, num sit sanguine commaculata, num pure ac tabo fœdata, an caruncula, membrana, adeps; nam pars corporis excreta vlcus denotat: num vrina, chylus, bilis, pituita, melancholia, saliua, sudor, lachrymæ, semen. Cartilago tussi reiecta arteriam; caruncula in vrinis, renes; ramentum in alui fæcibus tenue, intestina superiora; crassum, longanonem exulcerari demonstrant.

Qualitas. Deinde cogitandum quanam qualitate sint imbuta, vt colore, figura, aspredine: hæc enim vnà partem prodent morbo affectam: cum excrementum semper ideam gerat partis vnde dimanauit.

Quantitas. Deinde qua copia efferatur excrementum, perpendendum, num immodicè effluat.

Tempus. Et quo tempore elabatur; vt si statis periodis fluere assueta excrements (vt menses) continuò efferantur.

Modus excernendi. Excernendi præterea modus obseruandus excrementorum, vt ex vulnere sanguis quasi saltu prosiliens, apertam arteriam denotat: Ita num vomitu, tussi, screatu eiiciatur excrementum. Et portio partis si solitaria efferatur, è proximis sedibus dimanare significatio adfertur: quod si exactè permixta fuerint, ex remotis elabi indicium erit. Vt si paucus sanguis mucco mixtus per sedem excludatur, cum frequenti desiderio deiiciendi, à longanone erit: sin absque crebra desidendi cupiditate, sed cum dolore, non exactè excretis remixtus effundatur, & mox à dolore excernat, & dolor ab osse pubis sursum per latera repat, ad ventriculi regionem in colo vlcus esse argumento erit. nam plenitudo, sine dolore erumpit. Quòd si sanguis exactè fæcibus commixtus fuerit, & dolor circa vmbilicum fatiget, nec mox à dolore secedat, vlcus impressum esse superioribus intestinis indicabit. Ita vulnus cùm venter excepit, effluuij modus partem vulneratam loquetur; nam si cum sãguine chylus efferatur, pertusus ventriculus erit: sin flauescat chylus, ieiunum intestinum vulnus habet: quod si fæces reddat, intestini crassi læsi indicium erit.

Itaque vt morbus, ita & pars ex morbo laborans ab excrementis elucet: aliæ siquidem partes aliis gignendis coaceruandisque extrementis dicatæ sunt: renes & vesica calculo; intestina lumbricis fatigantur. Optimè hæc obseruant ægri ac referunt, cùm his terreantur.

Excrementa autem cuncta qua ex corpore manãt vel sunt portiones quadam affecta sedis, vt caruncula iñ vrina à læsis renibus: *vel sunt adharescentia parti*, vt adeps: *vel talia qua pars amplectitur*, vt vesica vrinam.

Actio læsa. Si ex his indiciis in morbi eiusque causæ & partis affectæ cognitionem non deuenerimus, ad tertium genus symptomatum nos vertemus: quare de actionibus læsis rogandi erunt, de animalibus functionibus, vitalibus, & naturalibus. *Animalis.* De animalibus, num sensus vel motus stupescat: deinde num aliqua princeps facultas officium non faciat: num labefactata sit imaginatio, cogitatio, vel memoria. De his omnibus exquiremus num sint tantùm imminutæ, an deprauatæ, an omninò ablatæ. Quare omnium partium vsum exploratum habere debemus: nam hunc edunt, dum ex lege naturæ sunt temperatæ, formatæ; & nec numero, mole, vel situ in vitio.

Cùm verò plura instrumenta ad eandem actionem edendam conueniunt, explorabimus vitij magnitudinem, & num ab omnibus illis partibus enatum fuerit vitium, vel à quibusdam. vt si non mingat quis, videndum, num à vesica, vel eius à resoluto neruo, vel à renibus id vitium obnatum fuerit.

Confusa symptomata. Si igitur plurima symptomata congruant in vnius partis, morbi, vel causæ morbificæ significationem, firma hæc erunt: sin dissident, ad alterius partis inuestigationem diuertendum, dum omnium symptomatum testimoniis, talem partem affectam esse exploratum fuerit. eadem ratione in morbi & morbificæ causæ inquisitione transigendum.

In confusis itaque symptomatis (vbi vulgus nouum morbum stupet) cùm multa & varia symptomata sese exhibeant (vt fit sedibus in vicinis ac eisdem vsibus dicatis) singulorum naturis perpensis, quotquot conspirant in eiusdem partis significationem, seorsum constituenda sunt: vt scire possimus, quot partes affectæ sint primariò. Interdum magna obscuritas in symptomatis est, vbi symptomata ferocia, quædam minora secum trahunt symptomata: vt si quis cottidie puris synceri selibram ter quaterve excernat, interdum fæcibus remixtum pus, nec dolor vnquam fatigat, nec sitis premit, nec satiscit appetentia, non febris valida, sed ignaua, nec solita munia cogitur intermittere æger: id vnde emanat? ex abscessu, rupto mesenterio. Non enim à ventriculo aut intestinis, quæ doloris expertia non forent. non ex renibus ac vesica, quæ ad vrinas abirent: non iecore aut liene, vbi sine febre, siti, & iactatione non hærerent: Igitur in Mesenterij regione, parte ignobili, consedit huius morbi focus.

Parte itaque affecta deprehensa, ex læsa actione, excrementis, dolore, & qualitate mutata, videndum, num illa pars laboret per se, vel ex alterius partis consensu. *Num per se, vel per consensum laboret pars.*

Cùm consensu affligitur pars, δευτεροπάθεια ab Hippocrate dicitur: quæ illi fit duobus modis, vno, *per Sympathiam, id est per contagionem, vel vt Plinius interpretatur, per cõcordiam*: altero *per Diadosin, id est, per communicationem* materiæ morbosæ & morbi. *Deuteropathia.*

Per Sympathiam tribus modis quid afficitur, generis similitudine, operis societate, & vasorum communione. Generis similitudine fit vomitus biliosus, vulnerato capite: quia menynx detecta aërique exposita, & ab ipso immutata, trahit in consensum suæ affectionis omnes membranas, ita pulso in testitudine neruo, & alter mouetur. Operis societate, vt in brachio si os rumpatur, vel musculus secetur, vel neruus contrahatur, reliquæ brachij partes suo munere spoliantur. Vasorum communione, vt in fractura calcis, apud Hippocratem libro secundo De fracturis, aphorismo decimosexto: quòd illa, sine contusione cutis aut carnis fieri nequit, (eò quòd fiat tantùm casu) vnde chorda maxima trium musculorum suræ conuellitur, & per venam & arteriam insignem, transfunditur materia in cor, vnde febris: & postremò, per neruum in cerebro fit delirium.

Deuteropathia per Diadosin, fit duobus modis; vno, *lege Critica*: altero: *Symptomaticos*. Criticè, vt cùm materia pulmonibus concepta, in testes vel in crura decumbit. Symptomaticè fluit materia, cùm ex cruribus ad pulmones viam affectat; hæc Palindrome, propriè Metastasis dicitur. Hoc enim differt metastasis à diadosi, quòd metastasis semper ferè ab Hippocrate in malam partem accipitur: semel tamen in bonam, quinto Aphorismorum, septimo. nam *Metastasis est mutatio morbi in morbum, per translationem materia morbifica, à parte ignobiliori ad nobiliorem: ab exteriore ad interiorem: à parte qua continetur, in eam qua continet.* *Metastasis.* *Diadosis verò, cùm sit translatio à parte nobiliore ad ignobiliorem: à superiore ad inferiorem: à continente in eam qua continetur; ab interiore ad exteriorem.* *Diadosis.*

Et cùm multæ sedes affectæ sunt, explorandum erit, num vna alteri affectionem importet, hoc est, num eius morbi causa sit: id elucet ex primo morbo prehensa parte; & ex eo, quòd graue symptoma posteriori incommodarit: id trifariam fit; partium societate, situ, & robore: vt cùm ventriculo refecto distentoque nidoribus caput hos excipit, ac dolet à ventriculo.

Hæc ita animaduertuntur: nam *cùm pars primario affectu laborat, affectio nihil intermittit, nec increscente alterius partis affectu angetur, sed quouis alio mitescente perseuerat*: ac illi accommodata præsidia conferunt. *Nota cum ex sympathia laborat pars.*

Moa ipſam partem examina, ſi quid eatra naturæ lineam abierit, quod ad illam pertinet deprehendas: vt intemperiem, tumorem, colorem. Si nil tale eluceat, alia pars crimen habebit. Nam ſi ex alia parte morbum accipit, cuncta contrario modo euenient.

Præterea illud ad ſuſpicionem facit, ea alia parte tranſlatum malum eſſe, quòd ei vicina pars laborarit, & eidem vſui inſeruiens: vel quòd maxima inter ſe ſocietate iungantur, ob vaſorum communionem, aut generis ſimilitudinem.

Concordia cum laborat, triplici obſeruatione innoteſcit. Sympathia itaque alterius partis, impreſſum malum eſſe, triplici ferè ratione agnoſcimus. Primo, cùm ex alia parte ſiue vapor, ſiue materia effertur, quæ iamiam morbum eacitat: Secundo, quando materia quæ aliunde fluere conſueuerat, intercipitur: Tertiò, cùm aditu prohibetur facultas.

Obſeruanda. Quatuor autem in his interrogationibus, cùm ab ægro ſymptomata eaquirimus, obſeruabimus: Primò, vt proficiſcatur inquiſitio de illo ſymptomate, quod ægro aut aſtantibus notius eſſe eaiſtimabimus. Secundò, vt incipiamus interrogationem ab eo, quod, ratione præſentis temporis, regionis, ætatis, & temperiei, ſuſpicabimur quàm maximè moleſtũ eſſe. Tertiò, vt ab illo, cuius, præteriti temporis conſtitutio & rerum aliarum conditio, ſuſpicionem nobis iniicit. Quartò, vt ſi primò morbo laborarit aliquo, nos vel de eodem morbo, aut alio ei cognato ſuſpicionem induemus. Quare nihil non agemus vt morbi eiusque cauſæ, & partis in cognitionem deueniamus.

Alia notanda. Quod ſine his quidem ſubſidiis rerum contra naturam, accuratè horum natura nobis comperta fuerit, non quieſcendum, ſed & res nobis annatas (quas naturales vocant) & non naturales, (ita non annatas nobis vocant, ſine quibus tamen vita non perſeuerat) in inſignia & notas euocabimus.

Temperamentum. Propterea inter natiuas res, corporis habitum & temperiem eaaminabimus: etenim hæc iecoris ac cordis naturam ferè imitantur: cuncti enim muſculi è iecore alimentum, è corde calorem & ſpiritum ſumunt, & ea his quodammodo conſtant. Temperamenti autem notæ interdum fallunt, ob aſcititiam temperiem: vt qui natura graciles, in ocij vmbra ac vberrimo victu craſſeſcunt. *Parentes.* tunc parentum temperies conſulenda, qua præditi eſſent cùm generarent, & quibus de partibus & morbis querela illis fuerit: ita conſpectior erit prolis omnis natura; & quas partes imbecillas, quibusque cumulandis humoribus aptas ſortiti fuerint, deprehendemus. Etenim parentum ſemina (quæ ex partibus omnibus dimanant) atque prægnantis victus, principum partium & totius corporis naturam conſtituunt.

Temperamentum animaduertimus *ex pulſu, animi moribus, calore, colore, reſpiratione, mole, pilo, habitu corporis.* *Color.* Faciei ex colore: nam in facie abundans in corpore ſuccus effloreſcit inſtar florum, præſertim ſi humores non frigore aut triſtitia in altum compulſi ſint, nec in cutem violentiùs irruerunt ab æſtu & ira. *Faciei.* Nam faciei cutis, cùm minimè à carne diuulſa ſit, ſitque extima carnis pars exſiccata, ſi quod animi pathema premat, quot animi inde motus, tot commutationes eorum in facie eluceſcẽt. ita in ictero primò facies flaueſcit: ſin pulmones inflammentur, rubet: ſi elephantiacus fuerit, linet: cùm lien & iecur obſtructiune tentantur, faciea cutis obſcuro colore marceſcit: in tabe, cadaueroſa euadit: quare & corporis temperiem explicat.

Oculi. Maximè autem corporis res elucent in oculis, qui humoribus mollibus repleti ac ſpiritibus, facilè iniurias quaſlibet corporis exprimunt: cùm leuem ob cauſam exhauriri eorum poterit pars, tum quòd iterum ſuccis & ſpiritibus rigati oculi, lætiorem corporis ſtatum, viuido ſplendore, teſtari poſſunt. Quare *oculus qualis fuerit, tale totum erit corpus.*

Animi mores. Quin & *animi mores* in apertum proferunt quonam temperamento corpus præditum ſit. morum certè obſeruatio ſæpe morbos detegit, alus ſignis incomprehenſos. Sub longa inedia maximè conſpicui fiunt mores, cùm ſuccus impermiſtus exſultat, qui in cuiuſque peculiari natura redundare conſueuit: tunc enim nondum alimenti benignitate repreſſus, ſincerè ſuos mores proferre ſolet. Quare, cùm morum quædam ſemina nobis inſerantur à natiuitate, illa primordiis naturæ conſentanea erunt. Primordia naturæ ſunt temperamentum, & præſtantior ea vis quæ nos conformauit; quæ tamen ſine moderatione certa corporis, ſuum officium facere nequit.

His adde, vt rectè temperamentum innoteſcat, *quæ aguntur, admouentur, & ſumuntur.* *Res nonnaturales. Inſomnia.* Quin & Inſomnia temperiem corporis explicant: vt enim deliria conſtitutioni corporis conſentanea homines inuadunt, ita & ſomnia varia ludunt; vt tacita corporis fuerit temperies: & quicquid corpus vehementer premit, quandam de ſe animo imaginem exhibet, & inſomnium facit & ea animi pathematis, ira, mærore, gaudio.

Quare, vt breuiter dicam, noſcetur temperies ac immoderatio corporis ex Ætate, Aëre quo fruimur, qualis ille ſit in ſubſtantia, qua qualitate imbutus; ex regionis ſitu, anni tempore, & cæli ſtatu: ex Ciborum copia, & Inedia, ex Vitæ genere, in victu, ſtudiis, & exercitiis: ex Vacuandorum ſuppreſſione: ea Prægreſſorum morborum conditione: ex Iuuantibus & lædentibus: nam hæc affectum, & vnà eius ſedem monſtrant: ex Sõno & Vigilia. quin ex morbis iam tunc graſſantibus.

Hæc itaque illa ſymbola ſunt, ex quibus in morbi cauſæque eius, ac partis laborantis cognitionem deueniemus: ſine qua, accommodata remedia præſcribi nequeunt.

Difficultas noſcendi. Quare negocioſum cùm ſit exactè morbum eiusque cauſam pernoſcere, nihil à diligentia inquirendi remittere debemus. Quantum enim obſcuritatis pullulantes ac herbeſcentes morbi habent? non malè quis herbis primùm iam erumpentibus ſimiles dicat, quæ non niſi ab eaercitatiſſimis agnoſci poſſunt: pauci enim lactucas à betis emicantibus diſcernere queunt. Ita, quàm plurimi morbi ineuntes, ſimiles ſunt ex materiæ cognatione, partiumque vicinitate, vel conſenſu eandem faciem gerentes: & morborum remixtio, plurima obſcurat: & varia eorum per tempora mutatio. Quandoquidem qui morbus primo pede bilioſus apparebat, tandem in pituitam reſidet; euicta aut euacuata bile, reſtibili pituita: vt enim erumpentes herbæ aliam foliorum ideam gerunt, aliam cùm in caulem ſurgunt; eodem modo, iam prouecti morbi alium characterem eaprimunt, quàm cùm nuper naſcerentur: ita ſanguineæ febres vertuntur in biliuſas: arthritis bilioſa tandem pituiteſcit. Et ſyndrome ſignorum, quæ à morbo, & parte affecta accipiuntur, ſi iungatur, ideam morbi deſcribet, vt Pleuritidem, Anginam. Quare exploratæ ſint cunctæ morborum cauſæ, internæ, & externæ: notenturque quæ præceſſere ea iis quæ morbos inferre ſolebant: & quæ cauſæ quos morbos parere ſoleant: & an cum hoc morbo, eius cauſæ effectus reſpondeat: an illud vrgens ſymptoma, huius morbi ſit & partis: an non ad vicinum morbum pertineat, & melius ex illius pharetra profectum eſſe dici poſſit: nam ſat citò, ſi ſat bene.

Observatio.

In partis indig. Sympromata partium propria promptiſſimè ægram partem aperiunt: vt cibi faſtidium, ſtomachi languorem loquitur: ſanguis per ſedem excretus qui ideam gerit aquæ, in qua recens mactata caro lota fuit, hepar imbelle indigitat. Sed ne fruſtrà ſimus, his non ilicò ſtandum, ſed alia ſigna iungenda: vt ſi quis ægrè ſpiritum trahens, rubedine maxillarum tingatur, & ſpumoſa expectorarit, hunc inflammatos pulmones habere affirmabimus: Non igitur genarum ſoli rubori fidimus:

dimus: nam ille ex natura quibusdam efflorescit; aut crisis futuræ prodromos esse poterit. Ita in hepatica excretione iam dicta, explorامus num ab hæmorrhoïdibus effundatur: id, ex tumore & grauitate hepatis, colore faciei, & ea subdita glande.

In inuestig. causa morb. In morbi causa agnoscenda proderit nouisse, quænam pars corporis in partem iam morbo pressam excrementa sua euomere soleat: & quisnam succus in ea, & toto corpore luxuriare soleat: nam hinc perenni quodam fluxu rigatur ægra pars. Notas præualentis succi vberrimè demonstrauit Fernelius, libro secundo de Signis, capite ab 11, vsque ad finem eius libri.

In morbi inuestigatione. In morbi inquisitione lustrabimus morborum causas, quæ intus sunt, & foris: quænam præcesserint ex iis quæ morbos euocare solebant; vt aër, vitæ ratio: & notabimus, quænam causæ quos morbos excitare soleant; & num hic morbus tali causæ respondeat: iuuantia & lædentia animaduertemus: & quænam morborum genera populatim sese effuderint. Interdum & ea vno symptomate aliud agnoscimus, ita vnus morbus alterum aperit: vt si corpus tabescat, indicio erit hæc macies interclusam esse viam alimento; clauditur, ab infarctu gibbarum partium hepatis: hunc infarctum dignoscemus ea hepatis labore ac grauedine, quam subit in secunda coctione, cùm traducendum est alimentum per hepatis venulas. Ita analysis patefacit affectus. Præterea natura loci affecti interdum morbum aperit: quòd cuique parti fiot peculiares morbi; vt nec pulmo nec syndesmus dolet: crurium maxima durities est in scorbuto: lumbricis fatigantur intestina: tenes & vesica calculo.

Ita facile notatu est, hæc nobis enarrata signa, æqualem vbique vim non habere. Excrementa enim, & his magis dolores, certò partem afflictam monstrant.

CAPVT IV.

An Morbus sit curabilis.

Morbo itaque, causa morbi, eiusque explorata natura, speciebus & differentiis, & parte morbo obsessa cognita, & num primariò aut secundariò laboret cùm exploratum fuerit; & num per se aut per aliud; ilico animum conuertemus ad prognosin: num ille talis affectus morbificus curari possit: frustra enim de curatione transigemus, si illa inanis futura fuerit. Si curari non possit, à promissis abstinendum: nec temere, quod postea pœniteat, committendum: ἁ μετανοεῖν, ἀλλὰ προνοεῖν, inquit Epicharmides, χρὴ τὸν ἄνδρα τὸν σοφόν. non igitur generoso remedio vllo vtamur in his ad infamiam. Sin curationem admittant, ea erit aggredienda.

Sed quibus symbolis in cognitionem veniemus quòd curam non abnuat? id duorum subsidio elucebit, experientiæ & iudicij. Experientia tradi monimentis nequit, vsu tantùm comparatur: ratio itaque sola nos iuuabit. Iudicium ingeniosè euentum colligit, sumtis indiciis à morbo, ab ægro tum à parte affecta.

Morbus. Iudicium, ea morbo intelligit num curari possit; cùm eius confert *speciem ac essentiam, morem, & magnitudinem, ad ægri vires*: nam metitur hæc cum robore languentium. etenim senes thoracis morbis facilè enecantur: latera enim imbecilliora senum, expectorationi non sufficiunt: ita ardentibus ex febribus senes abripiuntur; quòd immanitatem causæ significent, ex qua tam frigidum corpus exardescit: est enim *magnus affectus* triplici de causa, *ob partis affectæ præstantiam, affectus magnitudinem, & cacoethiam.*

Vires. Ea viribus iudicium etiam præotiooem captat Hæ autem eluceot *ex facultatibus, excrementis, & qualitatibus mutatis.* Ea his cùm intellexerimus ægri vires, eas cum morbi viribus committemus Et si animaduerterimus vires ægrorum morbum ferre posse vt ad morbi decursum, ægrum curari posse putabimos: sin minùs, contra. Excrementa sunt vrina, alui deiectio, sputum, quod è naribus labitur, vomitu excretum, sudor: in his cruditas, & coctio. Vasorum morbos indicabit vrina: thoracis & pulmonis, expectoratum: ventriculi, intestinorum: hepatis, & lienis, alui deiectio & vomitus. *Excrementa.*

Ea parte malè affecta colligit iudiciú euentum morbi: ægrotat enim vel nobilis, vel ignobilis pars. Pars nobilis periculosè ægrotat: eius enim officio carere vita nequit: vel si vsus eius necessarius vitæ est, periculi res plena erit. Ignobilis pars interdù & suam difficultatem habet: cùm remedium intùs sumptum vel foris admotum integris viribus eò peruenire nequit: vt qui ea lapide renum vel vesicæ laborant. *Pars affecta.*

Quare res ægrorum hac serie examinabimus; *primò* rectè explorabitur *vis morbi: dein pars affecta* ob oculos sit: *vltimò vires* metiemur. Si itaque omnia conspirant in salutem vel perniciem ægri, certa erunt præsagia. Si vitali facultati benè sit, at animales cottidie fatiscant, naturales verò continuò in melius prouehantur; tunc accuratè perpendendum, ad quas functiones maximè hæc læsio spectet: nam in qua facultatum parte morbus hæsit, ab hac potissimam iudicium pendet. Vitalis tamen facultas primarium locum obtinet: nec desperandum dum illa suo robore fruitur; nec temerè sperandum vbi illa pessundatur. Quare perpende num actio sit abolita, diminuta, vel deprauata. Num peius sese habuerint quàm nunc, indagandum: aut num erigat se in melius, hoc est, qualis fuerit & qualis iam sit morbi status, cogitandum. Præterea, num corpus & humor longè à genuino statu recesserint, examinandum. An die critico iudicium ineat: nam nihil rectè iudicatur quod priùs indicatum non fuit. In iuuene nunquam desperandum: in sene nunquam fidendum. Hippocrates multa signa prodidit ducta ab ægro, viribus, morbis, & partibus: maximè in nobilissimis illis tribus Prognosticôn libris, in quos contulit imo iam senio confectus ea quæ vsu didicisset in Græcia, Lybia, & Scythia firma esse: & Galenus libris de Crisibus prolixè historiam omnium euentuum prosequutus est. *Series.* *Facultates.*

Illud obseruabile, vt notemus signa præterite sanitatis, & præsentis ægritudinis: vt sciamus quantum recesserit à natura pristina. Præterea illud rectè notetur, *quod signa apparentia ad speciem crisis, incerta & calamitosa sunt, nisi præcesserint signa ad tempus*: Nihil enim recte fit, quod ante significatum non fuit signis apparentibus ad tempus criseôs, hoc est, *signa pepasmi debent præcedere crisim*: & illa signa ad tempus, debent prius apparere quàm signa perturbationis criticæ. Quæ nisi præcesserint, dicetur excretio symptomatica, & non critica. Sit itaque rata hæc Prognosis: τὰ ἐκλείψια ἀσήμως γενόμενα, θάνατον σημαίνει, id est, *perniciosa mala, quorum sine signis leuatio est, mortem subesse ostendunt.* *Notanda.* *Ad speciem & ad tempus.*

Sed lubet hic, ob insignem præsagæ scientiæ vtilitatem, aliquantulum prolixiùs abire, & emissum equum iterum ad carceres reuocare: nunquam enim satis dicitur, quod nunquam satis discitur. Profectò quod Isocrates de viro bono, nos rectè de Medico, * ὅτι τὸν χρηστὸν ἰατρὸν, δεῖ τῶν μὲν προγεγενημένων μεμνῆσθαι, τὰ δὲ ἐνεστῶτα πράττειν, περὶ δὲ τῶν μελλόντων φυλάττεσθαι. Quid enim diuinius quàm pulcherrimis his symbolis notare posse, num ægrum, qui acerrimis malis conflictatur, læta excipiet victoria, contra omnium spem, aut mors insperata: aut saltem si euentuum ideam historiamque morbi peragendam prænunciaueris? Quin medicationi verè hæc patrocinantur: & diætæ rationem suis gubernaculis ducunt. & fidem medicam ægro afferunt, adeò vt lubenter iussis medici pareant; quod ad salutem plurimum valet, & medicum ipsum ab ignorantiæ & malitiei

** Hoc est, quod frugi Medico conueniat antea, horum meminisse, præsentia verò agere, de futuris autem cauere. Vsus.*

malitiei calumnia vindicat. Quod breui hoc filo, quod iam texo, me adumbraturum confido.

Alia ratio. Primùm perlustrandum erit num ad *salutem vel mortem* morbus sit excursurus. si *ad salutem, quando, & quomodo*, hoc est num crisi vel longa die eo defungetur. sin *ad mortem*, quo mortis *charactere, quove tempore* abiturus sit. Hæc enitescent ex morbi natura, *Qui curabiles qui non.* & corpore quod morbo est implicitum. Qui morbi naturæ potentia aut artis vi euinci possunt, hos fœliciter historiam suam absoluere posse spes est: sin minus, in angusto spes erit. nam tunc salus vitæ in prompto est, simulatque natura triumpharit de morbo: sicut mors in propinquo, triumphata natura. Sed eam de morbo triumphaturam indicio sunt, cùm iis explendescit commodis quæ pugnant cum morbo, vitamque ipsam tuentur ac sustinent: nam hinc veniunt pepasmi & crises.

Vnde noscatur. Sed vndenam hæc certa spes, aut mox futura calamitas nobis elucebit? ex indiciis certis. vnde illa petam? *Ex morbi essentia.* *ex morbi essentia*, hoc est, ex natura morbi, eius generibus, differentiis, proprietatibus, symptomatis, causis vnde enatus fuit, & partibus quas occupat: hæc enim essentiæ nomine comprehendimus. Vt itaque hæc magna & immania fuerint, maligna, assidua, vtque eorum consociatio, inæqualitas, & motuum ductus compos ordinis, vel feriei expers: vel si, è diuerso, cuncta fuerint mitiora: ita vel ad salutem, aut ad interitum apparebunt.

Morbi essentia. Primum itaque exploretur *morbi essentia, ex cuiusque morbi natura, in genere, specie, proprietatibus, vt magnitudine* (est enim magnus morbus sua natura, vt in- *Magnus.* flammatio: vel causæ immanitate, vt orgasmo si efferata fuerit: aut symptomatum vehementia, vt iuuenes faciliùs à parotidibus intereunt quàm senes, ob doloris atrocitatem) *& more; motu;* (nam his ex symptomatis enitescit) *parte affecta; & humoris dominatu*: cum ille morbi fuerit causa.

I *Morbi species.* Speciem morbi quæ peculiaria ei sunt symptomata aperient, vt motus & sensuum priuatio apoplexiam indicant. ita reliqua symptomata interdum, vt firmior notatio fiat speciei, in iudicium vocāda: vt quę à qualitate mutata, & excrementis fusis aut suppressis duceuntur: ita idea paroxysmorum, natura ægri, & causæ quæ à foris sunt.

II. *Magnitudo morbi.* Specie morbi peruestigata, eius proprietates, vt Magnitudinem perlustrabimus. Morbus est magnus *vel sua vi*, vt iam diximus, *vel relatus ad vires* titubantes. Quòd sua vi magnus sit, dicet symptomatum huius morbi speciei peculiarium magnitudo: vt, magna erit illa apoplexia, in qua nulla ampliùs elucet sensus & *Ad vires relata magnit.* motus viuacitas. Sed euenit, vt non grande onus leues premat vires: idem vsui venit prostratis viribus, cùm tenuis etiam imcumbit morbus: nam vires ab eo triumphatæ premuntur. vndenam viriom res elucean, mox, vbi de corpore morbo implicito, dicemus.

III. *Morbi mos.* His deprehensis, ad morbi morem nos vertemus, (nam is etiam ad proprietatem morbi spectat.) ac indagabimus *num sit morbus boni vel mali moris*; nam is benigna facie interdum furtimque vix insidiatur, tegens aliquantisper suam ferociam; vt morsus à rabido cane, & bubo venereus aut pestilens euanescens intùs. sed epiphænomena signa tandem horum fraudem aperiunt: nam illa, vt crises futuras, ita & morbi morem notant.

IV. *Motus.* Hinc veniemus ad morbi Motum: qui symptomatis se prodit. sunt enim morbi quidam motu veloces, vt morbi acuti & peracuti, qui celeriter, continuò, & vehementer mouentur: alij sunt tardi motu, vt diuturni *Morbi vigor summus vnde innotescat.* morbi. ita sunt constantes vel inconstantes, æquales vel inæquales motu. Metam motus definit summus morbi vigor: eum significat morbi species, vt illæ morborum species quæ à bile enatæ fuere, facilè in vigorem se erigunt; cunctantiùs quæ à melancholia. paroxysmorum vicissitudines etiam hoc monstrabunt: vt si insurgant vehementiùs, prolixiùs, tædiosiusque fatigent, velocis motus argumenta erunt. Sin diu paroxysmi eodem se trahant ductu, tardi motus indicium erit. idem de cuiusque paroxysmi parte dictum puta. Si morbus periodorum expers sit, eius auctio motum illustrem reddet: auctio ex signis pathognomonicis & epiphænomenis se in conspectum dabit. Æqualiter aut inæqualiter mouentur morbi, nam interdum suum impetum remittunt. Constantes, qui non temerè, sed iure se in aliā faciem transferunt, per seriatim factam suorum temporum decursionem, & non subsultim, ita vt modò augeantur, modò temerè remittantur; quod symptomatum mutatio declarabit. Quare in Motu notabimus num celeriter, æqualiter ac ordine quodam, & num constanter ferantur morbi. Vt si primum, ex generi dicatis notis, animaduersum fuerit tertianam febrem hominem fatigare Et si dein ex peculiaribus signis notatum fuerit esse speciem tertianæ exquisitæ. hæc cùm animosè insiliat, celeriter mouetur respectu aliarum suæ speciei febrium: quare citò soluetur, nec septimū superabit paroxysmum, & quia non continuo mouetur, nam integrum diem interponit, à periculo abest. quia etiam, si benè morata fuerit, æquali quodam tractu ac sensim in statum surgit; & non inconstantia quadam sua confundit aut peruertit tempora cursus.

Postea, his perspectis, qualis sit pars morbo affecta, videbimus; num ea princeps sit quæ valido impli- V. *Pars affecta.*
catur malo: Nam morborum omnium principatus naturæ sic occupantium, vt inde eorum officia peruertantur, expectanda in peius mutatio est: hinc enim nulla *Crisis tempus.*
sperabilis redintegratio. Sic eoim comparata est ratio morborum lethalium, vt si nō citò excant crisi propria & secunda, mox edant signa iamiam futuræ mortis: nā illi celeriter, continenter, & vehementer mouentur, & *Vires.*
nulla crisis ad salutem fit, vbi ad calamitosam vim morbi accedit summa naturæ infirmitas: propterea calamitosa ἐπιφαινόμενα hic tunc efflorescunt. Et illa prognosis quæ ducitur ἐκ τῶν ἐπισημασιῶν vix vnquam, vel *Signa salutis & mortis.*
nunquam potiùs errat. *Multi sunt quidem terrifici morbi specie & magnitudine: sed nulli adimunt spem salutis, nulli certò mortiferi atque funesti, in quibus non appareant signa superata naturæ, quæ veteres τὰ ἐπιφαινόμενα θανατώδη appellarunt.* Cernuntur hæc in qualitate corporis, actionibus, & excrementis. vt in prægrandi pleuritide spes in angusto est, non tamen certa desperatio: ita nihil spei reliquum, quando in stertore, aut nolla est, aut certè exigua perque difficilis & praua expurgatio, cum vrina prærubra & pulsu effœto. Contrà in exquisita tertiana, vbi princeps pars nulla vitium agnoscit, cùm eius causa in minoribus stabuletur venis: vnde valida naturæ vi edomari eam posse significatio fit: nam coctionis iamiam signa apparebunt, grauius periculum causus adferet: nam cordis sedem suo foco inquinat.

Tandem Humoris dominatum perlustrabimus: num VI. *Humoris.*
adsit succi inopia, aut corrupti copia: num duriore antea victu multis de causis infirmior euaserit. Et hic cautio adsit vt infirmitatis causam spectemus, num eueniat morbi magnitudine, vel succi nutricij inopia. Ita magna ex parte, à morbi essentia.

Deinde à causis morbificis intelligemus etiam num *A causis morbif.*
ægri natura par esse poterit huic causæ quæ illi bellum indicit, & ab ea profectis tędiis. Vt num à maximis causis enata febris fuerit, vt ab effera bile, quæ malo victu increuit ac putruit, in bilioso corpore, aluo officij immemore, hepate flagrante ab æstu, corpore obstructo. Causarum verò nomine comprehendimus formā, materiam, subiectum, efficiens, quod scilicet gignit, ad incrementa facit, conseruat, iuuat, vel lædit, instrumentum, finem, & causam cum qua, & sine qua.

Vt

Illud Hippocrati quid.

Vt si forma labefactati succi, vnde nascitur tertiana, malignior fuerit; non ita facili pede in crisin ibit: nam hoc summus medicinæ dictator volebat I. Prognosticôn, vbi inquit, καὶ ἐκμανθάνειν χρὴ εἴτι θεῖον ἔνεστιν ἐν τῇσι νούσοισι, hoc est, *tum & si quid diuinum insit in morbis* (ob materiam scilicet indomitam & pepasmi expertem, propriæque substantiæ corruptione vitiosam: cuiusmodi materia esse solet morborum pestilentium, venenatorum, & contagiosorum) *illius*, inquit, *diuini quoque prouidentiam consectari oportet*. Duo enim sunt quæ in morbis omnibus mortis consecutionem adferunt, τὸ ὀξὺ, καὶ τὸ θεῖον: hoc est, *magnitudo, & malignitas*. Nam hoc diuinum non ita accipiendum, vt sit aliquid veteribus abditum. nam asserit Galenus Hippocratem id non ignotasse, imò nec rationem dierum criticorum. & Hippocrates negat quicquam esse diuinius in epilepsia quàm in aliis morbis: at omnia diuina esse, sed politico loquendi modo vtens, eos morbos qui ab extraordinaria aëris constitutione nascuntur, malignos vocat. Ita, ex eius sententia, febris tertiana, longè est difficilior quæ ab huiusmodi temporum mutatione excitatur, quàm ea quæ vitio diætæ, ab obstructione, obnata fuit. Ita materia tertianæ quia bilis, facilè erethismo naturam lacessit, quæ surgens eam abigit ex facili, si maligna non sit. Sic si subiectum corpus rarioris texturæ fuerit, per idexhalat faciliùs. Et effeciens tertianam causa si cibus & non aëris constitutio fuerit, leniùs ea defungetur; nec subiecta pars in qua stabulatur est princeps; nec parti penitus incubuit vt inde inflammata fit: & in corpore est valido raræque texturæ: & si aër frigidos (nempe causa consociata) euineetur faciliùs; ita si lætus sit animus: & causæ eum quibus hic fit morbus, vt si huic tertianæ adsit cutis raritas, ductus meabiles ad exclusionem succorum facilem fore significat: his adde causas iuuantes, vt medicum, clinicas, & quæ à foris sunt: & vires validas huic morbo subiectas, & si iuuant admota remedia.

Lib. de morbo sacro.

Breuiter de salute & morte à causis.

Si breuiter velis iudicium ferre, *quare ex causarum efficientium vi* (quæ in rebus non naturalibus, & naturalibus) *& effectis causarum, & ex symptomatis, morbi essentiam: & dein præsagium inferas*. Vt si febris fatiget; vide num præcesserit vsus aromatum &c. quæ facunda in bilem: num corpus & hepar calida & sicca &c. dein effectus, num vigiliæ, sitis, rigor, &c. symptomata, vt vrina flaua, vomitus bilis, sudor: pallida cutis, amarum os, ac flaua lingua, hæc tertiana exquisita erit. Hæc non interficit; sed septimum diem non præterit, quin læta victoria triumphet de morbo: Igitur nec ab inflammatione, nec venenata vi obnata fuit: non itaque periculosa. Præterea, vt seriem prosequar, ab effectibus noscemus, num ab ægroto domari morbus eiusque causa possit. Effectum vocamus quod dimanat ab aliena vi. quare vt res fuerint naturæ variæ, vnde proficiscantur euenta, ita & illa varia sunt: nam alij sunt effectus morborum, causarum, alij symptomatum. Ita quæ à morbis proueniunt, sunt symptomata actionis, qualitatis, & excrementorum: quæ tactu, gustu odoratu, visu, auditu percipiuntur. quæ, quia signa etiam epiphænomena continent, diligenter ex Hippocratis mente examinari debent. vt, si nubecula vel hypostasis appateat, &c. Tandem ex analogia aut similitudine cum aliis, quæ sit vis morbi eiusque causæ notabimus. Vt si eo tempore contumaces tertianæ grassentur publicè: vel si in ea familia plurimi simili calamitate abrepti fuerint.

Ab effectibus, ac symptomatis.

Ex analogia.

Anacephalæsis.

Ex corpore ægroto.

Vt igitur has opes contraham. Prognosis inibitur recte *ex morbi explorata essentia, in specie, magnitudine, more, motu, parte affecta, humoris dominatu; dein ex causis morbificis, effectibus* (inter quæ sunt epiphænomena signa) *& analogia cum aliis. Hæc iam conferantur cum ægrorum viribus*, num hæc cum tali, à morbo, pugna (quam ex iam notatis quæ futura sit sciemus)

colligemus) subsistant. Virium autem ratio inibitur ex vniuersi habitus, partiumque singulari natura, in colore, charactere, mole; actionibus vitalibus, naturalibus, & ex iis quæ excernuntur in substantia, qualitate, quantitate, tempore, & excernendi modo. & num in vitio sit animaduertemus natura eius communis, propria, insita, & aduentitia: quæ in temperamento, habitu, humorum dominatu, consuetudine, & diæta. Ex his, nempe essentia affectus præter naturam, & corpore morbo implicito, tanquam vberrimis fontibus, innumera surgunt symbola quæ nos in præsagia ducant.

Vires.

Obseruabile in consiliis.

Hic obseruandum, vt, in consultationibus de morbi euentu, ab eo auspicemur, quod apertiores profert notas. Et illa adsit lex, vt perpetuò immediata & propria in theatrum hoc educantur symbola: nam hæc satis commodè rem aperient, & nudam demonstrabunt. Ita transigendum vbi in re obscura, demonstratione opus est: ridiculum enim & intolerabile rem notam magno nisu probare velle. Sin abdita nec adeò comperta res fuerit, cuncta iam dicta genera percurrenda erunt, vt luce quadam futuræ res quæ in obscuro sunt illustrentur. Et ea vbi opus est, hac fiant cautione, vt vniuersum genus, vt exempla, primum excutiamus diligenter, ne pedem referre postea ad eandem historiam opus sit: dein ad alia transibimus.

Vsus. Quid euenturum.

Ex his itaque iam relatis indiciis recte exploratis, in notitiam veniemus, Quidnam per morbos euenturum sit. id vt colligamus, signorum omnium quæ cernuntur in qualitate corporis, in actionibus, & excrementis, ea conspiratio esse debet ad crisin, vt certò promitti possit quando ventura, & quid ex illa sit euenturum. Hoc est, vt noscamus speciem crisis in idea, euentu, modo, & copia, & in tempus crisis præsagiamus. Hæc dico noscuntur ex iam præscriptis sex rebus (numeris hic notatis) quas, vt vides, iam in vsum ducimus. vt in causo præsagimus interdum sanguinis effusione è naribus finem inuenturam febrem, ita enim suadet genus illud febris, eiusque magnitudo in crisin se effusuram dicit; & mos eius ita sæpe habet, si iuuenis fuerit, nam in hoc sanguis anarrhopos: sed si senex, quia in eo catarrhopos sanguis est, cruenta disenteria finiri poterit: & sæpe maligno quodam more enecat funesta crisi. dein motu celeri eùm feratur, excretionem futuram denotat: & ex symptomatis epiphænomenis, si caput incurri à sanguine eluceat, hæmorrhagia eueniet; vt si ob oculos splendores exiliant, & delirium superueniat à subitò enata cephalalgia, si nares pruriant, facies rubeat, &c. adde iam causas vnde enata febris, & corporis laborantis naturam.

Modo.

Tempus.

Dein num seriùs vel citiùs morbus causaque morbifica euinci natura vel præsidiis possit. & quanam anni, mensis, vel diei parte id quod prædiximus sese in conspectu daturū sit. Vt tertiana febris exquisita si examinetur per indicia præscripta, ex eius magnitudine, motu, humoris dominatu, effectis, facilè notabimus eam septimam periodum non superaturam. nam eius materia est biliosa & vniusmodi, nec venenata aut pepasmi expers, & in corpore libero ab inflammatione: quare intra illud tempus absolui poterit benignæ materiæ pepasmus. Hic diuina illa Hippocratis præcepta peruestiganda: inter antiqua præclarum hoc, morbi cuiusque propria ἐπιφαινόμενα, quæ apparent circa initia * λόγῳ φύσεως, suum quæque morbum abbreuiant: quæ autem seriùs, ipsum ad diuturnitatem producunt. Verus illud admodum in schola Æsculapidum vulgatum est, τὰ κρίσιμα μὴ αὐτίκα ἐπιφαινέσθω, id est, *critica ne citò se dent in conspectum*: siue sit crisis ipsorum, siue signa eò spectantia: nam cuncta ὀξέα ibi sunt δύσκριτα. Nam vbi natura morbificis causis opprimitur, estque succorum cruditas, nulla bona sperabilis crisis: itaque ilicò, ineunte iam morbo, illa non expectanda, quare Galenus dicit, rigere initio febris ardentis, est

Temporis Axiomata ad crisin futurum.

** Moribus naturæ.*

malignæ qualitatis proprium: quamuis febris ardens rigore superueniente soluatur: critica tamen non decet initio apparere. Vt enim cruditas humoris morbifici, quæ caret ἐρεθισμοῦ acrisiam quidem facit, non tamen funestam: ita si accessionem habeat ἐρεθισμοῦ, consecutionem adfert sinistri iudicij atque mortis.

Morbi motus tempus etiam crisis indicat.

Motus morbi, vt tempus crisis eluceat, diligenter notetur. quia quorum morborum cita mutatio est, cita etiam euenit crisis. at cita mutatio cernitur in celeritate τῶν ἐπιφαινομένων quæ iure & loco apparent. vt, iure & loco apparet quæ continuò fit anagoge phlegmonarum sustrophicarum. ita in pleuritide quo citius os madescit ab expectorato quod liberali copia & liberè fertur, eò res ægri melius eunt: ita in inflammato hepate quò citiùs venit hæmorrhagia, eò præclariùs ad salutem facit. quoniam vt acutorum morborum celerrimi sunt motus & vehementissimi: sic eorum etiam celerrimæ mutationes ad interitum vel salutem. Nam crisis mutatione perficitur, mutatio autem motu: propterea ii morbi quorum labores continenter, celeriter, & vehementer mouentur; citas etiam crises adferre solent. Si itaque vehementer moueatur morbus in paroxysmo (cùm iam ad statum venit) veniet crisis: ita, vt si paribus diebus moueatur morbus, paribus etiam diebus crisin habeat, si in imparibus, imparibus. & signa crisim præcedentia id notant, pro sui magnitudine, numero, & viribus, vt nubecula quarto die in lotio apparens, septimo fore crisin denunciat. his itaque adde diei naturam in qua apparuit. Dein motus inspice vehementiam, tempus anni, & ægri naturam. Et antecedet perturbatio critica per diem vel noctem. præsentem autem crisin pulsus nunciat, vt si in altum, vehementem, vel magnum, eorum comparatione qui præcesserant, sese erigat. Si verò ea quæ primùm ferocia erant mitescant, non fiet crisis: sed simplex solutio.

An fiet crisis.

Mortis tempus.

In lethalibus autem morbis, mortis futuræ tempus in obscuro est: nam motus vincentis morbi incerti sunt. quare à vehementia motus morbi id elucebit. quidam ne primam periodum absoluunt. si eam ægrè confecerint, in acerbiore paroxysmi tempore enecantur; vt si in augmento, vel initio eius, aut vigore priùs affligi soleat. At acuti morbi intra dies quatuordecim indicantur: & æstate celeriùs quàm hyeme: nam & æstiuæ quartanæ breues sunt. atqui ἐκ μεταπτώσεως, quadraginta diebus iudicantur. Sed in acutis, primia periodis, mutatio esse solet cita ad interitum vel salutem, vt eò conspirat celeritas motus morbi, ac vis aëris. Verùm in longioribus exacto quadragesimo, ante sexagesimum alia crisis non expectanda. hoc euenit ea conditione contraria celeritati in motu morbi: in natura quidem, habitus & temperies frigidior; in ætate senectus: in tempore hyems; in tempestate, frigida, pluuiosa, aquilonia: in humore crassities & contumacia: & ea parte obsessa.

Notanda.

Ad alias iam dictas notas etiam collineabimus, vt ad vires: quoniam vbi regnat naturæ virtus, cita exclusio esse solet causæ morbificæ. notum est illud in schola Hippocratica, πεπασμοὶ, ταχύτητα κρίσεως, καὶ ἀσφάλειαν ὑγιεινὴν σημαίνουσι. Quia in pepasmo constanti, vis est naturæ, libertas meatuum, & causæ morbificæ mitificatio: quæ tria sunt ad citam crisin necessaria. Testis est Hippocrates, vbi ait, *Quibus septimo die crisis venit; illis sub quartum in vrina nubecula fuit rubra.* Ita solet in morbis acutis, qui & celeriter & vehementer, & continenter mouentur. Nec solùm quarti diei epiphænomena κρίσιμα, spectabilem septimo crisin denunciant, apparentque ad tempus, verùm etiam speciem crisis ostendunt. Ita visum Hippocrati, vbi ait, *Quibuscumque circa initia febrium, oborta sternutatione, sanguinis stillicidia sunt è naribus: siquidem quarta die vrina hypostasin habet albam, dimissionem morbi per hæmorrhagiam septimo fore ostendit.* Quare vt in ipsis morborum initiis nulla fit crisis vi naturæ, ac lege critica: ita nulla significatio, perturbatione, esse potest critica: nam tunc adhuc natura validè premitur morbificis causis. Et nulla crisis fit bona in cruditate; neque salutariter fieri quicquam potest, quod antè significatum non fuit signis apparentibus ad tempus, & ad speciem ipsam crisis.

Modus crisis.

Cùm itaque compertum fuerit, ex primis à nobis positis indiciis, quid euenturum sit, & quando, & deinde etiam, Quo modo hæc suam historiam finient, ex eisdem positis notis, indagandum erit. Num ἀθρόως vel sensim, hoc est, num critica perturbatione excussura sit causam morbificam natura: vel num potiùs longa die eam exhauriet per * ἄδηλον διαπνοήν: aut num in abscessum morbi causam effundet foras. Scripsit medicinæ præceptor initio De humoribus ὁ πεπασμὸς ἔξω ἢ εἴσω γίνεσθαι ἢ ἄλλη ὅποι δεῖ: hoc est, *natura à pepasmo triplicem viam inuenit qua se tuetur*, ac morbum excutit. *aut enim foras excludit* sudore laudabili, ictero critico, exanthematis: *aut introrsum* excernit, alui deiectionibus, vrinis, hæmorrhagia: *vel per διαδοχὴν* * è directo & procul, in partem capacem, vbi abscessus nascitur, nec morbo impar, nec ipsius naturæ potens.

** Insensibilem exhaustionem.*

Axiomata.

** id est, traditionem.*

Verum si in natura suis opibus explendescente, bilia bellum moueat, cum libertate meatuum: in ita meabili corpore, sperabilis erit excretio à pepasmo, introrsum aut foras, quatenus natura & humor huc, illúcve cursum inflectunt. At verò si nec humor, nec natura, nec meatuum libertas æquè excretioni comparata sint; vnius tantum vitio, aut naturæ fractiora, aut materiæ contumacioris, aut meatuum arctiorum: morbi diuturnitas à cocta materia in abscessum fatiscet. excutitur autem hæc materia intus foras, aut supernè deorsum: quò natura viam affectat, & vbi iam excipiendi præparatio est. Nam in titubante ætate, cespitante iam robore, indomita materia, & meatuum angustia: vt neque excretio, ita nec abscessus fit, sed in corruptelam degenerat, vnde ilias morborum subnascentium. Crises itaque morborum absoluũtur excretione humoris morbifici, vel abscessu. hoc autem fit cùm natura insurgit in paroxysmo, recreata humoris pepasmo & partium neoterismo; tunc in bellum surgit. Sed diuturni morbi nisi hanc naturæ ἔφοδον sentiant, vt in Cleanactide octogesimo die, in abscessum abeunt ad infestas partes, cùm ex difficili coctione materiæ hæc difficultas obnata fuit, & meatuum angustia: viribus adhuc validis: alioqui pro abscessu marasmus ex cacochymia expectandus. At acuti morbi, quorum motus celer, perpetuus, & vehemens, intra secundum septenarium crisin habent: hi iidem ex irrito erethismo acuti amittunt naturam, nomen tamen retinent, & ad quadragesimum diem producuntur: & per vicenarios subeunt naturæ insultus, id est, ἐφόδους. Et horum diuturnitas in coctionis difficultate hæret, quæ est ab humoris morbifici cõtumacia, & erethismi vacuitate. Difficultas enim pepasmi propter materiæ contumaciam, diuturnitatis causam adfert. Naturæ diu multũque oppressæ sopita vis, meatuum angustia, desperatam efficiunt excretionem. Solo tunc abscessu crisis futura speratur: nisi abscessus materiam & occasionem præripiat vrina crassa, multa, & alba: qualis Archigenis seruo profluxit. Sed acuti morbi excretione maximè abiguntur, vt diximus, ἔξω καὶ εἴσω, idque iuuenibus quorum meabile corpus, & humor, & naturæ motus vegetus. his enim tribus opus est ad liberam & liberalem exclusionem. propria excrementa coctiones aperiunt.

Vt breuiter dicam, *cuique morbo sua debetur crisis per euictionem peculiarem suæ causæ, & redintegrationem partis obsessæ. Euictio* materiæ morbificæ *fit excretione, pepasmo, abscessu, pro humoris qualitate, naturæ impulsu, & meatuum conditione.* Præterea certæ sunt criseôn quædam perturbationes, quæ iure & loco apparent,

ve

vt τὸ ὀρμῶδες vomitionis est κρίσιμον: sicut ἀμβλυωγμὸς hæmorrhagiæ.

Vtile admodum est naturæ morum præsentire quò tendat, vt, si tuta minùs sit futura crisis, de ea habeatur prouisio: Et ne sinistrè remediis eam tollas aut tardes, aut præcipites.

Antè diximus ex morbi specie decisionis morbi formam intelligi. Sed cùm iam in propinquo est crisis, epiphænomena id splendidè significant, quæ varia excretiones varias denotant. Vt si febris causos ad crisin veniat: cumque hæc, hæmorrhagia, sudore, vomitu, & deiectione crisin inire possit, tu ad *vomitus signa* oculos vertas, huic enim caligo, capitis dolor, vertigo, cordialgia, tremor inferni labri, & tenuis saliua ex ore anteambulones esse solent. *At si hæmorrhagia in procinctu est*, facies ruber, lachrymę obnascuntur, caput pondere grauescit, temporum venæ tenduntur ac pulsu fatigantur, calor multus; si iuuenis. At si vrinæ constiterint, & rigor superuenerit, & si iam dicta signa absint, & si aluus officij fuerit immemor, *sudore decisionem faciet*: quos iamiam adfuturos, molles vndosique pulsus nunciant, & facies rubet, & omnia calent valido quodam ab æstu. *Num* verò *deiectione decisio euentum habitura sit*, nulla sunt peculiaria indicia ex quibus illa significatio fiat: sed aliorum inopia hanc restibilem denotat: dum modò in ἕδραν suam surgat morbus. Si tunc indoluerint lumbi ex grauido dolore, qui ad pubem se effundit, ex vtero fiet deiectio; sin ad sedem, eò fiet excretio. Abscessu autem frigidi morbi maximè decisioné habent: ita species morbi. Lustrandus & morbi motus, nam longi abscessu iudicantur, vt acuti & magni excretione. Sed si imbellior fuerit æger, longi illi morbi vel longa die euincentur, vel pressa natura interiment. Hyems in abscessum est fœcundior; qui abscessus mali erunt, si doloris acerbitatem, vel acrisiam, vel diuturnitatem secum adferant.

Pars excipiens. Pars, vt priùs dictum, ea accipiet abscessum, quæ imbellior est. Itaque vegeta in naturæ vi, vbi nulla interna pars languet, ad peripheriam abscessus excurret. laudabilis ille, si ita è directo fiat. Ita etiam parui morbi die soluuntur. Pars quoque affecta solutionis modum declarat: ita febres sudoribus se excutiunt, nam venosum genus laborat: ita & vrinis, &c.

Copia. Axiomata. Deinde ex eisdem positis notis peruestigabimus quanam Copia erupturum sit excrementum morbiferum. Si itaque aliter euenerit, atque si copia accisior fuerit quàm morbi species, magnitudo, mos, motus, pars obsessa, humoris dominatus &c. indicant, hoc ad deterius vel ad mortem apparebit: nam nihil paucum est criticum; sed plena ac liberali manu effundi debent quæ criseos ideam præ se ferent ex lege naturæ, & rarò cieri debent. Ita in Hippocratica schola damnantur τὰ σμικρὰ ἐμέσματα, καὶ τὰ ἐγγὺς ἀλλήλων ἰόντα. id est, *vomitiones exiguæ, & frequentes*: cùm enim repetitò id fit, naturæ oppressæ imbecillitas in summa excernendi necessitate declaratur. Ita sanguinis è naribus substillum, die non critico, merum, mortem iamiam futuram significat. nam nihil ἀκρίτως benè fit, tale est paucum: cùm oppressæ vel fatiscentis naturæ signum fit, & effætorum viscerum. & ex irritata contentione naturæ, frustraq; tentato sanguinis profluuio maior fit infirmitas, & morbus vires acquirit, vnde grauioribus symptomatis natura iam effœta opprimitur: Fit enim hæc accisio ob materiæ contumaciam, meatuum angustiam, & imbellem naturæ concussionem: propterea nihil paucum fit καλῶς κρίσιμως: id elucet in dysenteria & tenesmo. Hoc etiam videmus in ephidrosi, id est, sudariuncula, qua tantùm roscidum est caput, ceruix & thorax, vel totum corpus exiguo sudore vdum: nam vitio & resolutione partium solidarum, ita effætarum vt alibilem succum sibi assimilare nequeant, sed elabi & diffluere permittunt, id euenit. Sed cum liberè copioseque effunduntur lege naturæ, bonum. Imò talis hæmorrhagia τὰ κρίσιμα μὴ κρίνοντα à calamitate vindicat. Quæ fuit causa vt Galenus super Metone per hæmorrhagiam à morbo lethali liberato exclamet, αἱμοῤῥαγίαι πολλαὶ δυσκολίας πολλὰς λύουσι. id est, *hemorrhagia multa difficilia multa dissoluunt*. *1. Epid. Hist. 7.*

In Quid abiturus morbus. Etiam ex eisdem indiciis (nempe morbi essentia, in specie, magnitudine, more, motu, parte obsessa, humorum dominatu, &c.) notabimus in Quid abiturum sit malum; num in melius, vel deterius, num finietur ad salutem vel mortem. Præcipua quædam ex dictis notis, exempli causa attingam. Præ ceteris adducamus excrementa, nam morem, & motum, & magnitudinem, & pleraque alia inde intelligemus, & ad quæ euentus morbi exiturus sit. In his notæ elucent salutares vel mortiferæ; & vtræque laxo ambitu: nam vt mala signa sunt vel mitia, mediocria, vel pessima; ita alia bona, mediocria, vel optima. Maximè à pepasmi capacitate vel ab ea alienatione horum iudicium captandum. Secundò, vt hæc citò effulgeant optandum, id enim citæ coctionis signum, & salutis. Tertiò, vt constantia quadam perseuerent, nec crebrò euarient. Quartò, vt tempore & loco excernantur, hoc est à pepasmo, & si εὐφορίαν consectaneam habeant: & si die critico apparere cœperint. Quintò, vt excretio fiat κατὰ λόγον morbi: nam alij morbi aliis placantur excretis. Talia autem excrementa maximè sunt, vrinæ, deiectiones, expectorata, sudores, naribus & ore profluentia. In his, vt dixi, notari debet substantia & contenta, qualitas, copia, tempus, & excernendi modus. Exercitationis causa iam lubenter subnecterem quænam ab vrinarum, alui deiectionum, narium excretionum, expectoratorum differentiis indicentur, sed methodi lex me ab hac prolixitate excludit. aperit hæc satis ipse vbique Hippocrates: quare supersedeo. Nec solùm excrementis animum dabimus, sed omnia epiphænomena consulemus, cùm morem & motum morbi monstrent. Hippocrates optimus horum præceptor consulatur, qui libris Prognosticôn docet, quo modo à corpore ægro, & eius functionibus præsagia sint legenda. A corpore, vt quo modo lubet, num sanorum more, num iactatione se fatiget, stareque loco nesciat. num algeat corpus, vel æstu retorrido flagret. moles corporis num ilico tabescat. num exanthemata citò enata mox se condant; vt etiam tumores. Si vlcera malam ideam induant. Sudores exiles & miliares. Partes si degenera forma fœdentur; vt vultus & oculi. lingua si monstri quid gerat. labra tracta. dentes nigris sordibus fœdentur. Respiratio ęgra. tremor artuum. liuor. omnia mala hæc sunt: nam à naturæ charactere aliena sunt. His adde facultatum notas; animalium in sensu principe & externis, & motu: vitalium, & naturalium ex excrementis. Hæc finem, in quem abituri morbi sunt, denotant.

Salutis vel mortis.

Boni euentus nota.

Obseruandum, de cautionibus in similibus. Sed similitudines bonis sæpe imponunt medicis. cùm enim signa quædam morborum contumacium consectanea sint, vt phreniticis vigiliæ & deliria, id discriminari debet; quod enim morborum speciei consectaneum est, prauitati morbi ascribi non debet: nam affectus solùm signa sunt. vide itaque quid speciem, & quid morem morbi indicet. Postea hæc apparent; illa, vnà cum morbo. Et num illa prauitas ægro peculiaris sit animaduertemus; sunt qui supini cubent &c. sed quæ longè à natura abeunt, periculi plena sunt, vt à miti homine ferox responsio. Et coctionibus morbi propriis fidendum maximè. sed quæ critica sunt signa, vide ne in his iudicium fallant. His adde naturam ægri, & ea quę à foris sunt. Vt ætas, temperies: nam hæc ostendent quibus morbis qui facilè occupentur, & à quibus causis facilè incurrantur & patiantur, & quis humorum dominatus in his sit. Hæc enim & morbi magnitudinem, motum, & crisis ideam etiam explicant. Et partium principum comperta sit temperies. Vt etiam habitus corporis, num densus, rarus. Distingue diligenter praui moris signa, à criticis signis, quæ cum causis criticis, hoc

est,

est, cùm natura praua secernit & excernit, elucere solent. vt lachrymæ num manent ex resolutis oculorum canthis fatiscente iam natura: vel num à sanguine, qui cursum in caput flectit, vt per nares erumpat, oboatæ fuerint. hoc enim salutiferum: illud lethale. Ita infirmitate corporis terreri non debemus, nisi terrifica fuerit infirmitatis causa. Terrifica illa quam facit vitalis principij consumptio, nectarisque viuifici perennis exhaustio. Terrifica etiam quæ fit sine vlla vacuatione, tum aspectabili, tum sensibus incomperta. Nam facultatum effætæ vires surgunt ex hepatis, cordis, & cerebri exolutione. & his recreatis, facultates vegetæ, in officio suo quæque perseuerant. Vt tremor in baiulis ab onere graui, nihil terrifici gerit, quia causa non est terrifica. Secus de phanaticorum tremore iudicandum, qui ab exhausto & cerebri alienatione incidit, mortemque præsentem denotat. Hæc discriminantur ex pepasmo: quæ enim ante eum apparent, morbi germina sunt, & naturæ triumphatæ. Itaque vt exitum morbi inuenias, intuearis morbi speciem: vt, marasmus factus, incurabilis est; vt & scirrhus, apoplexia magna. Periculi pleni morbi acuti. at Quartana periculi expers.

Epiphænomena ad salutem vel ad mortem. Secundò morem morbi nota ex epiphænomenis signis, quæ elucent in actionibus, qualitatibus. & excrementi substantia, eiusque qualitate, copia, tempore, & excernendi modo. Nam horum magnitudo periculi magnitudinem nunciabit. His committe ægri vires: quæ si validæ fuerint, etiam periculosas notas eludere possunt. Et ad cruditatem & pepasmum validè collinea: num propria coctio eluceat eius causæ quæ in vitio est. reliqua tamen non contemne. conspiratio omnium certum iudicium enunciat.

Modus. Peracuti & acuti excretione maximè finem inueniunt: A quadragesimo die raro id euenit: nam coctione longa euincuntur: vel languidam & repetitam excretionem mouent. Abscessu qui finiuntur, comitem illam perturbationem criticam non agnoscunt: nulli longi morbi, nisi postea in acutum malum degenerent.

Axiomata. Euentus salutis & mortis. Hoc tunc axioma habeatur in memoria, ex Hippocratica schola; *vt tolerabilior est morbus qui validis venit viribus, quàm qui effætis, ita primigenij morbi materia est mitior, quàm secundarij per metastasin nati, non per diadochen. Præterea, omnes morbi symptomatici, excursus & recursus consectarij, sunt primigenijs longè peiores:* Quia materia quæ propriæ substantiæ corruptione in vitio est, partium, in quas transfertur, œconomiam labefactat: nam pars offensionem accipit ab humore tum effero tum indomabili: qualis esse solet, qui ex priori morbo vitium fecit. Hæc sententia summi præceptoris, τῶν νοσημάτων ὅ,τι ἂν ἕτερον ἐφ' ἑτέρῳ γένηται, ὡς τὰ πολλὰ ἀποκτείνει. id est, *è morbis qui alter supernenit alteri, non rarè mortiferè habet ægrum.* Nam cùm infirmo iam corpore, maleficentiâ morbi præsentis, alter morbus incidit, priùs proiectis viribus moritur, quàm morbus nouè adueniens, cursum suum confecerit.

Lib. περὶ παθῶν. Fida & perfida. εὔκριτα καὶ δύσκριτα.

Modus. Videndum etiam qua idea hæc sint euentura, num facilè vel difficilè, cum fide aut perfida, perfecta vel accisa. & num optima futura sit, hoc est, quæ morbum soluit integrè, sine ægri periculo, & fideliter, per liberam excretionem, vel num rediuiui morbi metus sit ab imperfecta crisi. Hoc scripsit Hippocrates, *morborum reliquiæ in morbis,* nempe à crisi imperfecta & inchoata, propter materiæ contumaciam, meatuum obstructionem, aut naturæ infirmitatem: hæc, inquit, *recidiuos morbos facere consueuere* primo die critico. Vt in febribus vbi empyreuma superstes est, atque eius materia: hæc enim indicio sunt, integram febrem exclusam non esse. Superstitis autem empyreumatis signum est sitis: materiæ autem, amaritudo in ore. Itaque reuertentur illi morbi, nam non sunt κρινόμενα καὶ κεκριμένα ἀρτίως, id est, *non indicantur perfectè,*

2. Aph 12.

1. Aph. 20.

non indicati sunt exquisitè. tales sunt ὑποστροφώδεες, ὑποτροπικοὶ, vel, vt idem loquitur Hippocrates, ὑποτροπιάζειν εἰώθασι, vel ὑποστροφαὶ γίνονται. Quia quæ restibiles sunt reliquiæ, cùm illæ non sint naturæ consociales, vt assimilari possint, reliquum est vt putrescant, maximeque ab empyreumate relicto. Et ab his reliquiis cibus corrumpitur; nam impurum corpus pastu cumulat malum. Dicuntur hi ἀκατάστατοι: nam incertam constitutionem habent. vt sunt illi qui ante tempus erumpunt, id est, προκρινόμεναι: vel si decernantur ante tempus, id est, προκρίνωνται, ἢ ἐγκαταλείπονται, id est, *si quid restibile fiat.* Sentētia Hippocratis est, *illi morbi qui relapsus non habebunt, excludi debent die critico, signis criticis præambulantibus, quæ indicant pepasmum.* Maxima enim vis pepasmi ad certam crisim; quod his testatur verbis medendi præceptor: Πᾶν τὸ ἐκπυΐσκον ἀνυπόστροφον. ἑαυτοῦ γὰρ πεπασμὸς καὶ κρίσις ἅμα, καὶ ἀπόστασις, id est, *Omne quod suppurat, metuit reuerti. ipse namque pepasmus est crisis & abscessus simul.* Nam triumphalis natura tunc insurgit, viis liberis, atque ephodon suam molitur, eamque in signis pepasmi ostendit diebus indicibus: pòst autem indicibus in liberali ac libera exclusione succi morbifici. Hoc est, editis signis pepasmi ad tempus, & iis quæ ad speciem crisis apparent, in paroxysmo aduersus causam morbi insurgit critico die, qui ab indice denunciatus erat. Tunc fida est crisis, & ἀσφάλειαν comitem habet. Nam motus omnis ad crisin die ἀκρίτῳ, inducit ἀκρισίαν ab inani erethismo. sed τὰ κρίσιμα μὴ κρινόμενα ἢ δύσκριτα, ἢ θανατώδεα: id est, *indicatoria non indicantia; aut sunt sinistri indicij, aut mortifera.* Quare bona crisis ferè fit in ordinario paroxysmo. Nihil autem salutariter exoluitur ἀκρίτως καὶ ἀσήμως, nec quiescit bonis ægrotum rebus: id innuit Hippocrates in Prorrheticis, τὰ ἐπώδυνα, ἀκρίτως καταμαλθακούμενα, φλαῦρα: id est, *quæ dolorifica sine crisi residunt* (loquitur de parotidibus) *praua sunt.* Omnia autem firmiora sunt quæ die critico eueniunt & apparent, bona maláve, ad interitum & salutem. Quæ enim apparent & fiunt ἀκρίτως, mortifera sunt aut sinistri iudicij: eoque magis quò plura appareant eiusmodi, vt copiâ accisa, dies non criticus, & pigra excretio. Præterea vt cita coctio etiam citam adfert crisin: sic tarda difficilem, relapsus capacem, nec securam: nam tarditate ea segnescit viarum & succi meabilitas, & naturę vigor.

In omnibus illud notetur, *epiphænomenon vnum * κυρίως prauum, pluris esse debet ad interitus præsensionem, quàm plura communia,* propterea notandum, quænam propria sint in singulo genere indicia rerum, & quæ communia, inseparabilia, quæ suapte natura, vel materiæ, vel loci, aut alterius rei ratione suas notas præbent, hinc enim cuiusque dignitatem internoscimus. Quare diei critici, & pepasmi maxima ratio habeatur: nam morbi acuti, vno pepasmo, natura duce, viam ad crisim inueniūt: at nulla crisis bona sperabilis, dum cruditas manet; nec vlla tunc significatio esse potest secundi iudicij: nec quicquam benè fit, quod lege critica non fit. ἐν ᾗ δὲ πεπασμοὶ ἐκ τῶν χρόνων, id est, *die fit pepasmus*; qui suos gradus habet, primùm inchoati, mox manifesti, tum demum perfecti. *In epiphænomenis dignitas. Observatio. * Id est, morbi aut partis obsessæ proprium.*

His peruestigatis, animaduertemus per quæ mutationem accipiet affectus morbifer: num finietur *excretione, alteratione, coctione & ἀκρισίᾳ.* quod ex dictis symbolis facilè elucebit; vt *ex morbi specie, magnitudine, motu, more, humoris dominatu, parte affecta &c.* *Quibus natura Actionibus.* Ita etiam intelligimus per quænam loca exigetur morbificus succus: num per vrinam, aluum, sudorem, vomitum, hæmorrhagiam, per vterum, nares, sedem, &c. *via.* Nam, vt iam diximus, *crises fiunt excretione, vel abscessu. Si excretione, id fiet quatuordecim dierum spacio:* sed prærepta crisis occasione, & causa per excretionem, inclinatio fit ad abscessum: modò natura validis viribus propugnet. & *diuturniorum morborum proprij*

sunt

sunt abscessus ad inferas partes, *cùm eorum difficultas in coctionis difficultate consistit, & meatuum angustia, & si tunc valida adhuc sint vires naturæ : alioqui pro abscessu, corruptio expectanda, quæ cachexiam inuehit. hac ita; nisi tamen post exacerbentur, vt in Cleonactide octogesimo. Nam acutorum crisis propriè fit per excretionem* [illegible]*: idque in iuuenibus, quorum meabiles sunt succi, & corpora, ac iuueniles naturæ motus.* Longi autem morbi fiunt à crudiore succo. Et propterea diuturnorum morborum nec simplices nec vniusmodi ferè sunt crises: maximè si huic succorum cruditati accesserit viscerum infirmitas, vnde accessio diuturnitatis. Ex his intelligamus *varias* euenire morborum *crises pro vario humoris motu, naturæ impulsu, & partium obsessarum conditione:* imò ex bis, in vnum morbum, acutum etiam, variæ cadunt crises.

Num vltro vel arte. Tandem ex his primùm positis indiciis intelligemus, num vnius naturæ vi vel ab artis iuncto præsidio hæc expectanda sint; vt scilicet id quod præsagimus euentum habeat. Et si plures affectus in vitio fuerunt, quanam serie illi euincentur; quid primò, quid secundò cedet: vt si sensus & motus abiit, primùm redibit sensus: si tertiana & quartana affligant, primùm cedet tertiana.

Anacephalæosis. Hæc omnia capita absoluuntur, vt etiam initio monuimus, examine & perspicientia rerum quæ ducuntur ex morbi essentia, in eius specie, magnitudine, more, motu, in celeritate, vehemētia, continuatione, constantia, æqualitate, & ordine: parte etiam obsessa, humorum dominatu: & ex causis, in forma, materia, subiecto, num totum scilicet illa inuoluat, hoc est, num magna sit causa, & num illi peniùs impressa sit, & quàm robusto corpori ea insideat, si neglecta curatio, vel praua præcesserit, si non iuuant parua remedia: & ex efficiente, hoc est, quod gignit, auget, conseruat, iuuat, lædit: instrumento, fine: causa cum qua, & sine qua. ab affectibus morbi, causæ, symptomatum, in actionibus, qualitatibus; & excrementorum substantia, qualitate, copia, tempore, & excernendi modo. hoc est, ex omnibus quæ tactu, gustu, odore, visu, auditu percipiuntur. ex analogia cum aliis. dein ex ægri viribus, quales eæ sint huic morbo subiectæ; quod elucet ex natura communi & peculiari, vt priùs admonuimus.

Consultationis. Sed cùm innumeræ hinc notæ surgant, ab eo genere auspicandum, quod euidentiores profert. &, si res paucis signis ostendi possit, immediata solùm & peculiaria ponenda: nam ridiculum, rem notam, plurium notarum euocatione efficaciter probare velle. vbi res obscura, lucem adfer per omnia genera eundo. Ea tamen cautione, vt vniuersum genus, à quo orsi sumus, excutiamus, mox ad proxima aditus fiat; quæ eadem fide excutiemus, ne pedem referre ad eadem cogamur. Ita, si lubet, ages eundo per actiones læsas, qualitates corporis mutatas, excrementa, res naturales, morbificas causas quæ foris, & intus; partes, in quibus notamus dignitatem, robur, colorem, mollitiem, tenuitatem.

[illegible]ibus ad [illegible] opus sit. Vt hæc capita, ad prædicendū, in memoria habenda, ita quidnam signa, quæ in singulis his occurrunt significent, primùm ex Hippocratis scriptis explicatum esse debet. *Et perpetuò in his collineu ad vim efficiendi, & opportunitatem excipiendi.* Hine rerum omnium, quæ terra marique gignuntur causæ principiaque ducuntur. Continuò has leges æternaque fœdera Deus imposuit rebus omnibus procreandis. Ille medicinæ præceptor nihil vnquam de morborum natura & exitu statuit, nisi [illegible], id est, ex *cognitione & perspicientia efficientis causæ & excipientis.* Hæc vbique est eius [illegible], vbicumque agit de cognoscendo, prædicendo, & medendo. Ita scripsit, *minus periculosè ægrotare eos quorum naturæ congener est morbus.* ita, ardentes febres grauissimæ sunt Æthiopibus; nam vehementia symptomatum extinguitur natura aërea. Scythæ verò

Aph. 34.

magnitudine causarum earumque inueteratione opprimuntur. Quò enim diuturnior est causarum morbificarum impressio, eò firmior & periculosior est morbi repentini generatio. vt euenit Phreniticis qui per initia è potestate mentis exeunt: vbi Galenus annotauit, non esse repentinam causæ morbificæ generationem, sicut morbi ipsius.

Tēpora morborum noscenda. Priusquam hine abeam, admonendum, vt morbi tempora rectè perpecta sint, eiusque status quando futurus: id enim crisis tempus & ideam delineabit. Morbus per actionem læsam describitur, quæ est symptoma: quare morbi tempora ex symptomatis notabuntur.

Crisis futura. Pusilla symptmata, quantùm suadet morbi species, *initium morbi* definiunt: ea auctiora & consectanea epiphænomena, *augmentum morbi* explicant: at *in statu*, symptomatum plena sunt omnia: hine in mitiorem euanescunt finem. *Eueniunt hæc tempora ex causarum morbificarum motu, quas pepasmo euincere nititur natura:* vel vires acquirunt eundo. Si pepasmo studeat natura, in lucta illa eueniunt sensim grauiora symptomata. hoc ita Hippocrates, *Dum materia suppurabilis abit in suppuratum, dolores & febres contingunt maiores, quàm iam confecto:* tunc enim naturæ & morbi impetus sistitur. At *vbi materia morbifica pepasmi expers*, vt in cancro, elephantiasi, *causarum motus vltrò euenit, non naturæ agitatione:* vnde sua tempora tantùm agnoscunt ex materiæ prauitate, quæ symptomatis aperiunt. Excrementa etiam crudiora, morbi initia testantur, quæ per augmentum in statum protracta, ibi cocta apparent. *2. Aph. 47.*

Vigor vt noscendus. Sed vnde futurum noscam morbi vigorem? *ex specie morbi*; vt quartanæ lentè eò se erigunt: at causus, ilicò. *Secundò, ex magnitudine* in eadem specie, vt magna quartana citiùs percurrit sua tempora, nam irritat fortius naturam. *Tertiò, ex motu*, nam qui vehementer, continuò, celeriterque mouentur, in [illegible] suam naturam euocant. *Quartò, ex pepasmi signis* citiùs vel seriùs apparentibus, nam motum morbi designant. *Quintò, ex ægri natura* communi, peculiari, & ascititia: sic in ætate vegeta, calidoque corpore citiùs suam absoluunt historiam. His iunge externas causas quæ nunc & olim corpus affecere: vt æstiuæ quartanæ breues; si accedat victus sobrius, & exercitatio. Cùm iam in procinctu est vigor, epiphænomena quædam diebus criticis efflorescent; quænam illa sint vide, & eorum vires, numerum, & magnitudinem examina.

Cautè vt prædicendū. Antequam iudicium proferatur de morbi euentu, sit, ex signis, triumphalis naturæ comperta vis. si vrgearis ad prædictionem antè, respondebis cum causidicis, *Nondum liquet: & semper, si nihil delinquatur ab ægro, astantibus, & iis quæ à foris sunt.* Nam, vt ait Hippocrates, *acutorum morborum*, (hoc est, qui celeriter, vehementer, & continenter mouentur) *non omnino & sine dubio interitus aut salutis sunt prædictiones.* Quasi dicat, quamuis eorum propria sit crisis ferè à pepasmo & naturæ erethismo, non tamen omnes sunt benè morati, beneq; constituti, quia translatione turget eorum materia. Et *in tunctu morbis, dum ab vno elucet triumphant natura, ab alio triumphata occidit: hic medicorum rubor: ni signa cuique morbo peculiaria collusa periculi metum exprimant: quasi ad salutem conspirent, & exploratum si fuerit viscerum nobilium robur, ruborem prædictioni eximent.* *2. Aph. 19.*

Caue à prædictione dum res sit cum mali moris morbo, qui blanda facie annuentes eludunt: examina hîc pulsus, respirationem, & somnos. Donec euidens eluceat signum, nil enuncia: maximè in his qui temerè mouentur, quique anormem crisin edunt; vt si hæmorrhagia ex naribus fiat quartana occupatis.

Dies critici. Hæc hactenus: quædam attamen pauca, restant de diebus criticis. Euenit vt crisis se pandat per dies: adeò vt cui eorum ascribi debeat, nescias; vt si critica symptomata in apertum se dent die septimo, mox octauus

edat

edat excretionem, quam in nonam proferat; qualis hæc censenda, ex die, crisis? Nota hic tempus perturbationis criticæ: dein quando excretioni vel abscessui incubuerit natura: tertiò, quonam tempore solutus sit morbus, vel lætam victoriam ostenderint res ægri. In quo itaque die plurima ex his tribus eueniunt, illi diei accepta referatur crisis: vt si septimo die excretio & solutio euenerit. Sin tres dies triplicem hunc motum habuerint, illi maximè ascribatur crisis, in quo excretio cœpit: nam hic maximam suam ἐργον natura habet. Et ex euentu ipsius crisis, diei naturam senties; συμφωνία enim septimo consectanea est.

Vsus dies feliciores in crisin notauit. Vt qui plurimos vindicarunt à morbis, perfectè & tutò, præambulonibus signis indicati, subito incursu, & excretione. Inter hos primus est *septimus* dies: ab hoc *decimusquartus*, dehinc *nonus*, mox *vndecimus*. Deinde *vigesimus*, quem mox sequitur *decimusseptimus*, hinc *quartus*, dehine *tertius*: vltimus *decimusoctauus*: hi boni critici. *Sextus* opponitur septimo, in quo cuncta perfida, & periculi plena: excernit naturæ inimica, acria, cruda, praua, fœtore immania. Hunc sequuntur *octauus* & *decimus*: frequentissimè horum sextus crisim admittit. Mali etiam *duodecimus*, & *decimus sextus*, *decimusnonus*; rarò tamen iudicant. *Tertius decimus* nec bonus nec malus. A vigesimo ad quadragesimum, omnia sunt languidiora, & rarius crisin admittunt: vel repetita n cõmittunt. Inter hos antesignanus est *vigesimusprimus*, dein *vigesimusseptimus*, inde *trigesimusquartus*, *quadragesimus*, *vigesimusquartus*, *trigesimusprimus*, *trigesimus*, *trigesimusseptimus*. Huc usque crises eueniunt. Quæ vltra hos dies, potiùs in abscessum se effundunt. Si non subitò excludatur morbifica causa, longa die, spes erit, vt mitescat naturæ vi. Tunc vicenis motibus natura incurrit materiam. vt *quinquagesimus* & *octogesimus* parca vitibus habenmt: *centesimus* & *centesimus vigesimus*: qui, cùm quatuor impleat menses, initium erit quatetniorum menstruorum. Indices dies sunt 4. 11. 17. *Quartus* indicat quid booi vel mali septimo, sexto, vel octauo eueniet. *Decimusoctauus* etiam vigesimi primi index existimatur.

Indices dies.

Numerare incipiemus ab eo die quo lucide violata actio in ægris conspicua est. Ita in puerperis dies computamus à doloribus partus, quòd inde sit fons consectaneorum morborum. Sed si post multos dies oboriatur febris, ex alia causa ortam existimamus, & è sensus conspicua læsione computationem inimus. Sed in intermittentibus morbis periodorum, & non dierum ratio habenda: nec rogandum quot diebus, sed quot periodis ab eo habitus sit æger, dierum vim tunc illæ induūt. Hi itaque dies sunt veluti arbitri & iudices disceptationum naturæ & morbi, vltrò citroque habitarum; quod ratum cuique esse debet, decernunt & statuunt.

Obseruatio.

Obseruabile autem est illud in cunctis ineundis præsagiis, vt ad certam metam collimiemus, ad quam cuncta notæ referantur. Hoc est, reputabimus num velimus pronunciare de salute, vel morte, aut de breuitate & longitudine morbi, aut de modo crisis, qualitate, & ordine. vt, si de morte; quam fatalis sit ille à natura raptus & alienatio, in quo nulla sperabilis redintegratio, morbum indigitant cuncta symbola: nam hanc alienationem testantur. Ita si de breuitate, cùm breui suam conficiant historiam morbi, qui non prolixè à naturæ linea abiere, cumque hic talis sit, vt declarant indicia ex morbi essentia, causis, effectis, & analogia sumpta; breui finietur. Nisi hîc vererer me violaturum esse methodicam legem, lubenter subnecterem exemplum de Angina, in qua vsus horum præceptorum, tanquam in viua historia explendescetet: Sed breuitas, huic argumento sacra, me ab instituto coërcet. Si quis tamen anxiè talem exercitationem exigat, ne quenquam suo labore fraudem, examinet Pleuritidis historiam à D. Argenterio editam, libro De consultationibus medicis, capite duodecimo.

OBSERVATIO.

Mortis causa.

Mortis *causa est triplex: inflammatio inducens marasmum: venenata qualitas, qualis emicat in pestiferis febribus: & translatio symptomatica*, quæ fit, cùm pars conteota in partem continentem se exonerat; hoc est, dum pars ignobilis (per palindromen) quos exceperat succos à parte nobili (iam mora, duplici putredine affectos) illi refundit; quod malis ægrotum fit rebus: hæc mutatio loci, dicitur propriè *Metastasis* ab Hippocrate: nam hæc vox illi semper in malam partem accipitur; excepto Aphorismo 7. libri 5. Quemadmodum diadosis, in bonam partem: cùm pars continens in contentam se euacuat. Periculosè quis ægrotat, ex magnitudine causæ; vt senes causo laborantes, & Scoti hyeme in Scotia febricitantes. vel periculum est ex symptomarum vehementia, ita Æthiopes in febribus intereunt; & iuuenes à parotidum dolore: vel difficultate curandi, ob materiæ recessum, vt fit in lithiasi.

CAPVT V.

De Prima indicationis prima parte. Quæ docet, quomodo affectus præter naturam sit pellendus, sumpta indicatione à morbi indole.

Indicatio quid.

VBi morbus à nobis rectè exploratus fuerit, ac compertum fit curari illum posse, methodica instituatur curatio. Methodus consistit in indicationibus. *Indicatio est comprehensio iuuantis ex rei natura, citra experientiam & analogismum.* Quot igitur sunt quæ nobis insinuant quid sit agendum, tot erunt & indicationes: sunt autem, vt diximus, sedecim. Primò agam de his quæ propriè indicant; quæ sumuntur à rebus præter naturam, hoc est, à morbo, causa morbi, & symptomate. Deinde, de iis, quæ coindicant, seu quæ proprias indicationes limitant, nam & contrà indicant: qualia sunt omnia quæ in corpore sunt secundùm naturam. *Si igitur quis in morborum curationibus errare nolit, animaduertat vt à singulis indicationibus plenè notiones sumat: si enim vel vnius indicationis praterierit robur, curatio claudicabit.* In omnibus perpendat, quid adeò valens vt indicet; quid adeò imbecille, vt omittatur: Ac vbi plures indicationes pugnant, valentiores ac plures cæteris præferantur, aliis tamen non omnino neglectis: nam variè interdum misceotur indicationes.

Obseruatio.

De prima indicatione.

Prima *indicatio sumitur ab affectu contra naturam; ille enim est qui curari & expelli debet.* Quicquid enim præter naturam est, sui ablationem indicat. Cumque omnia pereant à contrariis (quemadmodum à similibus seruantur) igitur affectus præter naturam, remedium indicabit sibi contrarium, vt eo expelli possit. Vnicuique autem rei, vnum tantùm est contrarium. Cumque plurima morborum genera sint, variæ ab his indicabuntur contrarietates: & cùm simplices & compositi sese offerant affectus, tales igitur & contrarietates erunt. *Sunt enim tot remedia, quot morborum ideæ.* Vt in partium similarium affectibus, intemperiei calidæ frigiditas: humiditati siccitas remedio est: vt & plethoræ inanitio medetur. Ita in instrumentorum morbis; indecoræ formationi, decens formatio: obstructis, reclusio; læsibus præter naturam, exasperatio debetur: Ita in violata magnitudine, numero, situ, & soluto continuo, contrariis affectibus contraria remedia erunt opponenda. Nec tamen magni quid est, scire, affectum præter naturam debere tolli: nam & id idiotæ norunt, cùm luxata reduci iubeant: sed *quo modo*; & *quando*

Remediorum vnde tanta varietas.

Idiota.

do affectus natura molesti remediis opportunè pellendi sint, quibusque id rationibus fiat, nesciunt.

Vnicus affectus.

Cùm igitur vnus tantum adest affectus præter naturam, siue is similaris, siue nrganicus fuerit morbus, hoc est, dum nulla eius causa adest, aut alius morbus ei iungatur, nullumque horrendum symptoma quod ad se curantis consilium reuocet, sese consociet, iam tunc nascetur vnica tantùm indicatio contrarij: vt sicca ventriculi intemperies solum madorem postulat.

Plures simul affectus.

Si autem compusitus, vel aliis comitatus fuerit morbus (vt nephritis, ex immanitate doloris syncopen inferens) composita remedia indicabuntur.

Compositi autem morbi, sunt vel *disiuncti*, vel *connexi* Si *disiuncti* fuerint (vt qui consistunt indisiunctis partibus, quarum nec functio, nec vsus est communis: nec vna alteri impartitur affectum) *disiuncta indicabuntur medicamina*; vt in linguæ & pedum morbis. Sin connexi fuerint morbi, talia erunt & eorum remedia. *Connectuntur morbi*, cùm prior posterioris est causa; id fit aut *societate partium*, vt si affecto ventriculo cerebrum in morbum trahitur; & affecto ab vtero mammæ: aut *situs ratione*, vt cùm inquinamenta cerebri ruunt in artus; pulmones, aut ventriculum: aut *Vasorum communione*, vt iecur quando germen morbosum accepit, sua excrementa facilè in inguina deponit: & fracta calce, fit delirium, febris, conuulsio: quòd non frangatur illa nisi graui ex casu, vnde contusio fit in chorda illa magna trium musculorum suræ: cumque adsint vasa magna, cor ac cerebrum, noxam sentiunt. Vel *generis & substantia familiaritate*; vt ab vtero, cerebrum.

Ex concordia morbus.

Affectus impliciti, vel sunt *eiusdem generis*, vt *morbus cum morbo*, vel causa morbifica cum causa: aut *diuersorum sunt generum*: iique vel sunt *similes*, *vel dissimiles*, *vel contrarij*: quod subscriptum programmma lucidiùs ob oculos ponet. Quales itaque illi affectus impliciti fuerint, talia indicabuot contraria remedia.

- Affectus impliciti, vel sunt
  - Eiusdem generis:
    - Similes
      - Morbo: *vt in larynge asperitas, & durities à siccitate: vnde tussis & vox vitiosa. Hic similia remedia præscribemus, emplastica, & mollientia: vt syrupum violatum, cum muccagine seminũ psyllij.*
      - Causa morbifica: *vt scirrhus, cum pituita viscosa copia: hac emollientia & abstergentia postulabũt.*
      - Symptomate: *vt colicus dolor cum astricta aluo: clysmate vterq; affectus depelletur.*
    - Dissimiles
      - Morbo, *vt frigida & humida ventriculi intemperiei cum excoriatione; conuenient myrti bacca, cum sumacho.*
      - Causa, *vt cum melancholiâ flaua bilis.*
      - Symptomate, *vt dolor colicus cum syncope: dissimile remedium ab his indicabitur, vt oleum amygdalinum dulce, cum vino maluatico.*
    - Cõtrarij
      - Morbo, *vt dysenteria, cum obstructo hepate.*
      - Causa, *vt in hemitritæo.*
      - Symptomate, *vt ardor ex inflammatione, cum dolore ex frigore.*
  - Diuersorum generum.
    - Similes.
    - Dissimiles
    - Contrarij.
      - *Vt morbus cum causa & cum symptomate vrgente: vel causa cum symptomate.*

Medendi rationem ineuntes, cogitabimus, simpléxne affectus sit, an implicitus: si implicitus, ex quibus constet: & num causa adhuc illis hæreat:

Methodus in implicitis affectibus.

In implicitis affectibus, primò perlustrandum quot affectus consociati sint, quot causa morbifica adsint, & quot symptomata. Secundò; num morbus prima sua vi consistat, an ab alterius consensu enatus fuerit. Qui enim per se consistit, cùm alterius causa esse soleat, erit curandus: nam ita vltrò eius soboles (sequens affectio) desinet. *Tertio*, inuestigabimus *in quo genere sit morbus qui affligit*, num in mala intemperie, aut conformatione, magnitudine, numero, situ, vel solutione continui. *Quartò, vbi impliciti affectus sunt contrarij* (vt hydrops cum febre) *vrgētior medicamenta maioris energia postulat.* Verùm in affectibus implicitis, non solùm affectuum implicitorum est habenda ratio, sed etiam temperamenti corporis, & aliarum indicationum: *externæ* enim causæ cunctæ notari debent. Hinc adhuc variatur ars medendi: vt si fuerit oblatus morbus cum causa simili, in corporis temperamento his contrario; vt in biliosa febre, aëre calente, in temperamento frigido, obnixè refrigerandum erit: temperies enim corporis est seruanda.

Implicitis in affectibus vt transigendũ: Ordo.

Vt igitur distinctè & exactè affectus implicitos curemus, qualescumque illi fuerint, tria obseruabimus. ordinem medendi, tempus, & quantitatem remedij. Ordo affectuum implicitorum est proprius: nam in morbo solitario, quem non comitatur causa aut graue symptoma, simpliciter remedio opus est: vt si succus æstu incanduit, frigidis rebus ad antiquam temperiem reuocatur; sin nimio luxu turgeat, explodatur. At in implicitis affectibus, non solùm contrariis remediis pugnamus, sed videndum à cuius affectus debellatione sit exordiendum: quod elucebit regulis septem. *Tempus* autem medendi, atque quantitas remedij, & simplicibus & compositis affectibus accommodantur.

Ordinis itaque ratio his regulis continetur.

Ordinis regula.

I. *Cùm morbus causa implicatur, priùs causa* (siue ea fuerit cootinens, antecedens, vel externa) *deinde genitus affectus erit remouendus: alioqui quantum de morbo acciderit, tantum restibili quadam fœcunditate à causa continenter addetur.* Quamuis interdum lenior fiat à remedio affectus, attamen non succedit perfecta curatio, nisi à remota causa: & cùm recens affectus nulla adhuc firma assuetudine inhærescit, vnà plerumque cum causa disperditur. Sed altiùs postquam impressus fuerit affectus, primò causa debellanda erit. Ita Galenus. primo κατὰ τόπους, in alopecia, primò totum corpus curat, hinc caput masticatoriis vacuat, tandem capiti remedia admouet. Imò sæpe cum recens affectus nulla adhuc firma stabilique constitutiooe inhæresscit, sublata causa, plerumque disperditur; ita initio cadentium pilorum, adolescentem curabat Galenus sola purgatione. Si hic ordo temerè vertatur, contrà euenient omnia: vt cùm quis in coxendicum dolore, ineunte morbo, acria admonet dolenti parti, non priùs abscissa doloris causa, quæ aut pharmacia aut phlebotomia abigi deberet, ille incurabilem reddet affectum, qui curabilis natura erat.

Vt ista succedunt, ita eximendi affectus.

II. Ordinis regula in implicitis affectibus: In causis *remouendis primò tollatur externa: secundò antecedens: tertiò, continens: nam alia ex alia nascitur: postremò morbus contrariis remediis pellatur.* Vt qui victitant cæpis, inde acrior chylus concipitur ventriculo: hunc hepar in se rapit, vnde colluuies prauorum succorum: hinc in venis putredo, dein febris: febris hæc cu-

rari nequit, nî priùs exscindatur putredo: at hæc perdurabit, dum focum habet colluuiem putridam humorum bepatis: nec illa eluetur, donec chylum talem præbet venter: venter dum cæpis indulget, non alium suppeditabit: igitur prima curatio ineunda erit à cæparum amotione; hinc ventriculus purgandus, deinde hepar; & tunc tandem putredo & febris est arcenda.

III. III. Regula: *Si morbi disiunctis nihil inter se consentiant, ita vt sede diuersa dissiti sint, poterunt vel seorsum, vel simul omnes curari: minimèque refert cui primò remedia admoueamus:* vt linguæ & pedis morbis.

IV. IV. Regula: *Si morbi non consentiunt simul, vnius curatio alteri interim conducat, aut saltem nihil obsit, tunc & seorsum, & vtrumque simul sanare licet; ab vtro-uis incipiendo.* Vt cùm laborat hepar ea frigida intemperie & simplici obstructione: intemperiem remediia adimere licet, quæ obstructionem intactam relinquent: & obstructionem submouere manente intemperie: vel licet eodem medicamine vtrũque morbũ extrudere: vt, decocto absinthij, radicum apij, petroselini, & fœniculi.

V. V. Regula: *Si ita dissentiant impliciti affectus, vt vnius curatio alteri incommodet, tunc nec prorsus huic, nec illi, sed vtrique mediocitate quadam & contrariorum permixtione erit succurrendum:* vt ventriculum frigidum & iecur calidum temperata iuuant, mixtim, vel alternatim data. Hi affectus difficilè curantur; ab vtroque enim periculum est, vt inquit illle apud Terentium:

------nihil loci est segnitiæ neque socordiæ:

Quæ si non astu prouidentur, me aut herum pessundabunt.

Nec quid agam certum est. si illum relinquo, eius vitæ timeo:

Sin opitulor, huius minas: cui verba dare difficile est.

Cautio. Quare omnis occasio aucupanda, vt ea cautione dentur hæc contraria remedia, ne cùm vni studemus affectui, alterum exacerbemus. propterea Paulus, piperis grana nouem vel decem concussa leuiter, deglutienda dabat: ita ventriculo calor afflatur, nec crassiora grana hepar inuadere possunt. eo modo exhibetur aqua vitæ, & cinnamomi aqua à cibo, vt aditu ab hepate arceatur: hepar interim externis fomentis placabitur, vt vnguento rosato, loto aqua rosata & aceto: vel epithematis ex aqua endiuiæ, aceto, cum speciebus santalorum: Accipe aquæ endiuiæ vncias quatuor, aceti rosati, vnciam vnam: specierum diarrhodonis abbatis scriptulos duos, camphoræ grana tria; misce, fiat epithema, regioni hepatis admouendum cum panno rubro.

VI. *Quæ sanari ante alia possint, quæ non* VI. Regula: *Vbi affectus simul impliciti partim consentiunt, & partim dissentiunt, ab eo auspicandum cuius curatio alteri non officiat: & ab eo, sine quo alter non sanatur; & perpendendum, vter habeat rationem causæ.* Qui alium fouet, huic remedia dabimus: vt in ophthalmia cum nebula, acribus vtendum esset ad nebulam, sed noua accresceret ophthalmia; primò igitur ophthalmia erit curanda.

VII. *Vrgentior quis affectus.* VII. *In morbis implicitis, ab vrgentiori, & ab eo à quo maius periculum imminet, quique formidabilior apparet, auspicanda est curatio.* Vrgentior dicitur morbus, qui magnus est. magnus autem est triplici de causa, ex magnitudine affectus, partis dignitate, & facultatis

Quis magnus offensæ præstantiâ. Vt si cõuulsio à capite musculi puncto accersatur, quę debitis non placatur remediis, transuersim præcidendus musculus: ita in neruo puncto, ne fiant delilia & spasmi: ita vbi impressa corpori fuit luxatio cum vlcere, vlcus sanandum est, luxatio insanata relinquenda: nam si hanc vnà sanare coneris, conuulsiones lethales sequentur. Hæ sunt illæ cynosuræ, quibus omnis dirigitur ordinis in medendo ratio.

Notanda. His omnium animo excutiendam hanc epidosin, tanquam omnium epitomen, addo: Concurrentibus multis indicationibus, *exordiendum ab ea est, quæ cæteras vincit: vel sine qua nihil effici potest: vel à qua omnia symptomata dependent.* Exemplo hoc res clarior euadet. Si quis eodem tempore laboret ex cardiogmo, vertigine, & oris amaritudine, requiret ventriculus linimentum: oris amaritudo gagatismum: vertigo, frontale. Quia tamen omnium horum symptomatum eadem est causa, videlicet refluxus biliosi humoris ex hepate malè affecto in ventriculum, quæ pungendo ibi cardiogmum parit: fuliginoso verò vapore in caput elato, vertigo fit: continuitate autem tunicæ, communis ventriculo & palato, ori amaritudo infertur. Incipiendum à bilis euacuatione, quæ fiet vel vomitorio, vel per sedem cholagogo pharmacu; pro diuersa natura communi, & peculiari. Sed si crus obsessum fuerit inflammatione, contusione, varicibus ex vlcere: adbibendæ sunt manus, exhauriendusque est ille sanguis corruptus, & contusio tollenda priusquam ad vlcus accedat: nam his neglectis, nulla fiet sarcosis. Tertiò, si in vlcere effera fuerit vis materiæ & coctionis expers, vt in herpete exedente, neglecta vlceris essentia (tanquam minùs vrgente) præscribes fotum aquæ calidæ, ad temperandam materiæ vlceris acrimoniam: licet, auctore Hippocrate, illa aqua sit vlceris essentiæ dissentanea; neque, eodem auctore, nisi vino, sunt humectanda vlcera: nam idem hoc modo in articulis præscribit aquam aut oleum, non vinum, metu conuulsionis. Hæc de ordine medendi in implicitis affectibus.

Vt genus remedij elicitur ex affectus genere, ita tempus exhibendi remedij intelligitur ex temporibus affectus. *Tempus.* Talis enim erit curationis ratio, qualis morborum per sua tempora mutatio: vt si tumor ex materia turgidus adsit, indicabitur materiæ euacuatio: nec hoc curandi genus vnquam mutabitur, siue morbus fuerit in augmento, statu, aut declinatione. Sed modus curandi variabitur; vt, ineunte morbo quamuis vacuandum sit, non tamen id fiet vsu resoluentium & exhaurientium: cùm enim materia fluxu feratur, nouum fluxum horum vsu accerseremus: sed vacuabimus cum iis, quæ reprimunt influentem ac mobilem materiam; quod fiet rerum frigidarum ac astringentium vsu: id ab influxu vindicat partem, ac nouum robur ei addit. in augmẽto euacuabimus partim digerẽtibus, partim repellentibus: in statu, meris resoluentibus per halitum euacuatio fiet. Hoc modo semper quod affectus præscribit (vt hîc repletio, quæ inaniri postulat) faciemus: sed id agemus variis modis, vt tempus morbi fuerit; nam tempus morbi, remedij vim & formam variat, quo euacuamus id quod in partem aliquam fluxit. Religiosè admodum reuerendus ille senex Hippocrates tempora generalia & particularia morborum obseruat. qui, proposito exemplo acuti morbi, pleuritidis, in illa ostendit occasionem acutam & inflexibilem esse: ac in edulij genere, quod omnia alia bonitate excellit, (ptisanam dico) quantum calamitatis insit, ni dextrè suoque tempore exhibeatur, demonstrat: si susque deque æger se impleat, priusquam os expectorato madescat. si talia discrimina in ptisana, omnium esculentorum laudatissima, quid cladis cætera adferent, non suo tempore data? Quin Hippocrates primo lib. De victus ratione in morbis acutis, circa finem, tempus nutriendi accuratè obseruat ex morbi tempore: *sed*, inquit, *exhibendæ ptisanæ occasionem & tempus ineunte eius vsu, cùm quis iure ea in thoracis morbis vtitur*, hoc est, cùm os humescit expectorato, *totâque morbi historia captare oportet hanc occasionem: nam cùm frigidi sunt pedes* (quod fit initio paroxysmi, per affectionem caloris natiui, à materiæ contrariæ occursu, in superiore alui parte) *ptisanæ vsum inhibere oportet*: ne difficultatem spirandi adferat; dum calor ad pedes descenderit, restitutis temperatisque hypochondriis & thorace. *Itaque*, inquit, *sibi quisque persuadeat velim, occasionem plurimum posse.* *Occasio.* Quare doctè illud ab illo amatore dictum fuit:

Tempo

Temporibus medicina valet: data tempore prosunt.
Et data non apto tempore, vina nocent.

Et à Pindaro: ------ὁ δὲ καιρὸς
παντὸς ἔχει κορυφάν: *opportunitas, rei omnis habet caput.* Quod eleganter Isocrates: τὸ γὰρ ἄκαιρον, πανταχοῦ λυπηρόν: *Intempestiuum semper triste & molestum*, & absque gratia: & ne ipsis quidem Gratiis citra gratiam feceris gratum. Quare opportunè opportunitatis ratio est habēda.

Exemplum. Eleganter, tempus vt obseruandum, depinxit Galenus, libro sexto κατὰ τόπους, in inflammatione oris sit inflammatio ex calidi sanguinis influxu: & quia ineunte morbo, impetu sese effundit materia, indicatio à tempore morbi ducta, indicat repellendum esse: vt semper agendum est in inflāmationum principiis: (nisi materia influens sit veneno contaminata, aut à parte principe emissa: vt cùm erysipelas in inguen deponitur, à iecore germen morbosum habente) quare vtimur succo mororum, cui remiscemus cortices granatorum, balaustia vel rosas. in augmento addimus cum melle myrrham & crocum; nam astringit & coquit crocum ita, ne quid fluxuræ materiæ admittat: & myrrha in altum corpus perducit cætera, & id quod influxit dissipat. in statu, vtitur gargarismis ex mulsa, in qua ficus coxerunt. declinante malo, succo mororum addit nitrum & sulphur viuum; vel hyssopum, thymum, pulegium incoquit mulsæ: vt omninò discutiat. Sed maximis laudibus nobilitauit Galenus dianucum. ex corticibus nucum viridium succus elicitur; hunc quadrifariam parat Galenus, ad quatuor inflammationum tempora: primam partem, melle coctam, poeris ac tenellulis seruat: secundæ parti aliquid remediorum astringentium adiicit, vt rosam, gallam, qua ineunte morbo vtitur, tertiæ crocum & myrrham addit: ad quartam, sulphur & nitrum adiicit: vt validè elapso iam ac prouecto morbo digerat.

Historia. Quantum noxæ ægris inferant, qui remedia non tempore commodo præbent, ostendit historia Eudemi, qui ea intempestiuo vsu theriacæ, in triplicem quartanam incidit; & à Galeno iterum, tempestiuo theriacæ vsu, curatus fuit.

Felix est ille medicus, qui opportunè medicamina, morborum temporibus iungit: nam qui sequitur à natura quod trahitur filum, eam fauentem sibi conciliat; citra quam irrita est omnis medicatio. Sine alis volat, *Icarium facturus casum, qui absque temporum notatione medicinam facit.* Hæc de tempore.

Quantitas. Quantitas medicamenti ex quantitate affectus præter naturam elicitur: tanta enim debet esse copia remedij, quantus affectus est: vt si bilis in vitio quæ est, exuberet ad libræ copiam, remedium dabimus quod euacuet libræ quantitatem: si pars tribus gradibus à symmetria in calorem abiit, tribus numeris frigidum remedium ei admouebimus. Hinc igitur intelligimus quàm validum remedium adhibendum, quo gradu recessus à mediocri, quo pondere, quoties, & quamdiu.

Quæstio. Sed dicet aliquis, Vnde agnoscam affectus magnitudinem? Respondemus, ex symptomatum vi, & ex natura ægri (quantum ob ea abreptus sit) & ex rebus non naturalibus. Nam ex his pristina natura innotescit: qua animaduersa, si ad hanc morbi causæque morbificæ magnitudo (ex symptomatum vi percepta) conferatur, planè constabit de morbi vi, & quàm valida decernenda sint remedia. Verùm inferet aliquis. Aristoteles demonstrauit, quòd actio saltem à proportione maioris inæqualitatis sequi potest: Respondemus, id intelligendum esse in generatione rerum, quoties aliud in aliud ita traduci volumus, vt in nouum quid se vertat; non in rerum mixtione & contemperantia: vt duos caloris numeros opponimus duobus frigoris ordinibus, quò mutuò sese contemperent: ex mutua enim amborum pugna, mediocritas quædam emergit: nam aquæ feruenti remixta frigida tepentem producit; ita temperies contrariorum vsu inducetur.

In decernenda apta remediorum copia, magna hic difficultas oritur, an confertim vnaque vice licitum sit admouere medicamen tantæ copiæ & tantarum viriū, quantus est affectus præter naturam; hoc est, quantus fuerit recessus à pristino sanitatis statu: an potiùs pluribus vicibus illud ac sensim & paulatim tentandum sit. *Dubium.* Respondemus, etsi primo modo affectus præter naturam ilico elidi possit, id tamen minimè fiet sine certa naturæ iactura, cùm tam magna vi vtrinque confligatur. hinc Hippocrates dicebat: *Plurimùm ac repētè adeoque in vniuersum corpus mouere, periculosum: omne enim nimium, naturæ inimicum: quod autem fit vicissim & sēsim, id tutum est.* Verùm, eo modo affectus præter naturam non tollitur: vt si quatuor gradus caloris fuerint debellandi duobus numeris frigidi; cùm paulatim & amice fiat. Quare his tribus sententiis cedet hæc res ambigua.

I. In *lenioribus affectibus par remedium, ac semel vniuersimque morbum submouens, erit ex vsu:* illud enim cùm leue sit, vim naturæ non inferet.

II. In *extremis & periculosis morbis, ineunte morbo, præstat valentissimum adferre remedium: quia cùm celeriter suam historiam absoluant, breui sunt extincturi, nisi vniuersim remedio exciantur.* Hoc scripsit Hippocrates, cùm inquit, *ad extremos morbos, ad vnguem valet extrema curatio:* vt in his qui ortum ducunt à symptomatica translatione, & venenata qualitate. Et acriter reprehendit Galenus Erasistratum, quinto Methodi suæ, qui in omnibus morbis, à mitioribus surgendum esse affirmabat ad maiora: nam ita medendi occasio perit: vt in rupto vase thoracis, ni ilicò combinetur, postea, cùm periodis quibusdam bis aut ter sanguinem effuderit, insanabile redditur; latiùs sese pandente vulnere, ac erysipelate iam obsesso. Vt in apoplexia, cùm celeriter suam historiam finiat, ni æquali manu illi succurratur, internecionem inferet. Vt & turgens materia, quæ orgasmo concita fertur per corpus, ilico magno remedio extrudenda: ne in viscus nobile ruat, ac enecet.

III. *Morbi mediocres, sensim, blandè, & multo ocio meliùs depelluntur: est enim hæc tuta & iucunda medendi ratio: etenim nullam contrariæ qualitatis noxam corpori inurunt. Nec tamen adeò lente eorum remediorum vires esse debent, vt morbus eas non sentiat:* nam cùm morbus talia remedia vincat ea facili, euenit vt plerumque exasperetur acerbiùs, ac si quis flammis maioribus exiguam aquæ partem affundat, maiorem flamma vim concipit: ita & morbi.

Quodsi omnia rectè ea methodi medendi lege faciē- *Notandum.* ti, non statim morbus cedat, ex Hippocratis sententia, ad aliud protinus se non conuertet medicus, dum manet quod à principio visum fuit. Dicit Hippocrates, *Si quis omnia conuenienter faciat in diæta, alteratione, vacuatione, & alexipharmacis, & hæc ita conuenienter adhibeat, vt prouisionem habeat ex viribus ægri, natura communi atque peculiari, & consuetudine: tunc non statim, quamuis mediocri remedio non proficit, ad aliud abeundum.* Vulgus medicorum huc illuc temere per omnia remediorum genera fluctuat. Tamen dum in eodem remediorum genere subsistas, euagari licet, ne natura vni remedio assueta, eius vires contemnat. *Sæpe peculiaris naturæ ratione prodest vni, quod alterum offendit, & eidem homini aliud alio magis studet.* Si cichorion non iuuat, ad endiuiam eundum, aut acetosam, vel ad sonchum.

Hæc de prima indicationis parte, quæ ducitur à morbo, vel simplici, vel implicita aliis affectibus. Sed quia morbus frangi non potest, nisi eius causa debelletur, quomodo illa accidenda sit tradam, ac mox capite XII. hæc prosequar, & (ratione curationis) secundam primæ indicationis partem statuam.

CAPVT VI.

Prima primæ indicationis pars. de causa morbi antecedente, quo modo & quibus cautelis eam corrigat Auersio.

Hippocrates *affirmat tria corpus humanum constituere, continentia, contenta, & impetum facientia.* Continentia vocat partes: contenta, succos impetum facientia, spiritus. In partibus corporis consistit morbus: in contentis morbi causa: in functionibus, quædam symptomata. Contenta autem vel proximè morbo adhærent, vt in causa continente: vel morbum fouent, & continentem causam efficiunt, & hæc dicitur causa morbi antecedens. de hac iam nobis agendum est, qua tecmarsi in omnibus morbis tractari debeat. Deinde agemus de continente, hoc est, proximè morbo iuncta causa; nam externam omittimus, vt sunt ea quæ assumuntur, aguntur, admouentur: quia causarum euidentium nulla est artificiosa (quæ methodo transigitur) curatio.

Ordinis ratio.

Diximus primam Indicationem sumi ab affectu præter naturam, qui triplex est: morbus, causa morbi, & symptoma morbi. Hactenus de morbis quædam peregi, quomodo, & qualibus remediis, quáve eorum copia pellendi sint. Iam ad causam morborum venio antecedentem. Interna hæc morborum causa domicilium suum habet in contentis. Cùm autem contentorum ex lege naturæ constitutio penes tria potissimùm eaistat; primò circa permanentiam in sede sibi à natura dicata: præterea penes qualitatem, & copiam: sequitur quòd & tria vitiorum genera reperientur, quoties vel loci, vel qualitatis vel quantitatis modum non naturalem obtinebunt. Vnde orta fuere tria summa remediorum genera: Auersio, hoc est, Reuulsio, ἀντίσπασις Græcis: Alteratio: & Euacuatio. Auersio, contentorum eagitationi & eorum præcipiti motui dicata est. *Tribus autem modis fluit humor; orgasmo; doloris vi; aut quòd pars continens exonerat se in contentam:* cum calfiunt, aut extenuantur, vel cùm copia peccant.

Remedia vnde nata.

Reuulsio.

Est autem Auersio, *tractio ruentis humoris ad locum oppositum, procul ab affecta sede, rectè & conuenienter facta, vt pars malè affecta, tuta ab eius incursu esse possit.*

Dixi *esse tractionem*, quia motus localis, est vniuersale genus, quod de attractione, repulsione, diriuatione, & auersione dicitur.

Quo modo à deriuatione differat. Dicimus, *ad oppositum locum fieri debere*, alioqui non differret à repulsione: & propterea affirmamus, hanc fieri debere procul ab affecta parte quantum fieri potest, ne quod semel repulsum est, pedem referat. quãuis non semper hæ conditiones sese offerant: maximè tamen hac nota abit à deriuatione, quæ, vt inquit Hippocrates libro De humoribus, *fit ad latera & proxima loca.* verùm *Reuulsio* fit procul, &, vt auctor est Hippocrates, *ad contraria*: & reuellimus humorem illum, qui fertur per loca lege naturæ incommoda: sed deriuamus humorem, qui fertur per loca ex euentu incommoda. Etenim reuelli dicuntur sneci qui recta coguntur vestigium vertere, ac retrocedere eadem qua incedunt via, hoc est ἀντισπᾶν: sed deriuare, hoc est, παροχετεύειν idem est ac riuos deducere fontis. Vt si quis fontem in caput cogeret remigrare, hoc esset reuellere: Sin ab eodem fonte riuulum deduceremus, hoc esset deriuare. Quare Auersio in fontem, hoc est, in originem fluxionis humorem retrahit. ita in profluuio mensium immoderato, secamus cubiti venam: quia à iecore & caua vena elicit: vnde in fontem reuellit sanguinem, qui ad vterum effunditur: hoc est, fluxionem in suum fontem reuocat. at deriuatio eum in aliam euocat partem vicinã. Vnde Galenus libro quarto Methodi dicebat, *Si iam iã validè fluxio irruit, reuellere ad contraria studebimus.* ita si in superioribus partibus vlcus constiterit, per inferna purgabimus: si in inferioribus, sursum vomitum mouebimus. *At si iam fluxio*, inquit, *restitit*, membroque materia inhæsit, *deriuare per vicina magis expedit*: nam materia in propinqua faciliùs traducitur: & remedium faciliùs ex vicinis influxum humorem euocat. Verùm Reuulsio *ad longinqua fit*: optimum remedium immodicæ euacuationis. at *Deriuatio per vicina* loca ducit; vt cùm id quod per palatum fluit, ad nares deriuamus: at reuulsio fit, cùm dato pharmaco, id ad inferna reuellimus. Ita Galenus, quod per vterum vxoris Boëti ferebatur, deriuabat ad vesicam & renes, decocto asari: id autem vomitu si peregisset, Reuulsio fuisset. Naturã ducem hac in re sequimur; quæ ita agere solebat. quod hoc oraculo ostendit noster senex: Si mulieri sanguinẽ euomenti menstrua copiosè ferantur, vomendi finis fit, vt tamen nulla excusatio sit ruptæ vel caesæ venæ: tunc, inquit Hippocrates, vomendi finis fit: quia sanguinis ad superiora ruentis refluxu auersio fit. Quare & nos, ita affectis mulieribus, malleoli venam secabimus, imitatione naturæ, vt reuellamus sursum ruentem sanguinem.

Dum fluit retrahendum.

Cùm cœpit occupare partem, deriuandum.

Instrumenta autẽ auersionis sunt venæ sectio, cucurbitulæ, hirudines, vincula dolorifica, frictio valida oppositæ partis, enema, glans, lotio calida, gallinæ calidè admotæ, fimus columbarum, cantharides, smegma, & quicquid vehementem ardorem & dolorem inurere potest. Attamen vincula dolorifica reprobat Scribonius Largus, ex Asclepiade, vbi ait, *Quatenus dolorem inferunt, attrahere videntur: quatenus constringant, sanguinis irruptiones irritant.* Respondemus, id verum esse si iuxta partem affectam ligaueris: sed longa distantia à tali noxa abest.

Instrumenta auersionis.

Præterea diximus, *ea ratione* (auersionis causa) *cuncta admouenda esse, vt rectè fiat attractio.* hoc dicebat Hippocrates κατ' ἴξιν, hoc est, *per rectitudinem* reuellimus, non mathematicam, sed naturalem, quæ secundùm fibras & filamenta venarum peragitur. Hoc fit duobus modis; primò, quia est vasorum & fibrarum cursus rectus, vt hepatis gibba per vrinas reuellimus: quòd ad renes hinc proficiscatur vena caua recto ductu: à simis autem hepatis partibus ad intestina fit succorum reuulsio: nam venæ mesaraicæ, recto elapsu ab hepate ad intestina veniunt. Secundò per rectitudinem reuellimus, cùm sequimur rectitudinem diametri vel situs: hoc est, recta linea cùm fit tractio, siue in longitudine, latitudine, val altitudine. In longitudine, vt cùm supernæ partes laborant, ad infernas recta linea euocamus phlebotomia, pharmacia, vinculis, cæterisque Reuulsionis instrumentis. In latitudine, vt si dextra manus fuerit phlegmone affecta, sinistra secta iuuat: vt in ophthalmia cucurbitulam ceruici admouemus: & occipitia dolorem soluit vena frontis secta. Quare in omni Reuulsione seruetur situs: si accedat vasorum commerciũ, melior erit auersio. Nam τὸ κατ' ἴξιν rectitudo consistit in ipsa contrarietate, vel in naturali membrorum ad se inuicem societate vel æqualitate. Huius societatis vel æqualitatis causa est, venarum, arteriarum, neruorum in vtrumque latus diductio à suis principiis. Vt Mathematicis contraria sunt, quæ eiusdem lineæ extrema tenent; omnesque motus qui ad ea fiunt, contrarij dicuntur. Medicis verò contraria dicuntur, quæ eiusdem lateris recto progressu longissimè distant, vt à superioribus ad inferiora, à posticis ad antica, ab internis ad externa. Sed vt perfecta fiat Reuulsio, non solùm locali recta oppositione opus est, sed simul cũ locali oppositione, necessarius est venarũ & fibrarum cursus rectus: nã sic faciliùs, & celeriùs, & copiosius humores effluũt. maximè si per phlebotomiam molienda sit auersio: hîc enim necessaria venæ cum parte necessitas: vt euacuata vena,

Rectè.

iterum

iterum à parte prolectet , & non alia à parte ablectet. Hac ratione, in pleuritide dextra, non secamus sinistram venam, etsi dextrum sinistro, ratione situs & diametri, oppositum sit: captamus enim rectos cursus ipsarum fibrarum, vt à loco ægro (ab inflammatione) plus sanguinis & celeriùs quàm à cæteris partibus hauriatur: nulla enim vena rectis fibris è dextro latere in sinistrum concedit. Et in pleuritide facta iam est inflammatio, & humor partim influit & partim influxit. fluenti adhuc humori vel fluxuro debetur auersio: at influxo, deriuatio. Quare in brachiu proximo vena secta, vtrumque officium hoc peragit. est enim temperata illa ratio, quasi ex reuulsione & deriuatione: ea haurit enim aliquid ex affecta parte, & causa morbo coniuncta, & vna auertit ruentis humoris impetum; dum causam antecedentem aliò vertit. talia autem optima inflammationum remedia sunt. Rursum, in inflammatione cruris dextri, sinistrum crus secamus ad auersionem: adest enim localis oppositio & recta venarum societas, qua euocat materiam à dextro crure.

Horum vsus. His auersionis rationibus nitentes pragmatici, partibus supra clauiculam morbo obsessis, reuellere solent incisione venæ humerariæ, hoc est, in brachio externam secant venam, quam cephalicam vocant, si morbus iam præsens sit, ac irruat materia. si enim metus sit futuri morbi, nec adhuc fluat in illas partes materia, sed si iamiam fluxura sit, auertunt remotiore secta vena; in manu, quæ inter pollicem & indicem excurrit, quam chirurgi propriè hodie cephalicam vocant. Partibus autem laborantibus mediis, quæ inter clauiculas sunt & renes, auertunt sectione venæ internæ, quæ axillaris & basilica dicitur. si verò metus imminet eò ruituræ materiæ, rami basilicæ venæ secantur, qui inter annularem & mediū digitum porrigūtur. Partibus vtrisque laborantibus, supra & infra clauiculam, auertunt sectione venæ mediæ: hæc vt ea vtrisque illis venis fabricata ac earum quasi confluxu est genita, ita ex vtrisque obtinet reuellendi potentiam: hanc vocant Medianam. huius venæ sectio commendatur valdè Aretæo, qui, de sputo sanguinis agens, ita ait, *Cadenda est caua in cubito vena: nam facilè ex ea effluit sanguis, & est sectioni exposita, omniúmque viscerum hac est sanguinis via.* etenim vena hac superior & hæc, vnius venæ propagines sunt, quare nihilo plus superior quàm Media commodi adfert. Nam propagioum ignari sunt, quotquot stomacho & iecori superiorem venam copularunt. Renes medio loco positi, ancipites sunt; & superiòs & inferiùs iuuari possunt. Partibus morbo pressis infra renes secatur poplitis, malleoli, vel pedis vena, quā Saphenam vocant: modò tamen plethoræ nulla suspicio sit: tum enim primò basilica, deinde saphena erit soluenda.

Hac ratione in omnibus morbis, vbi *ῥῦμα τὸ ὁρμώμενον*, hoc est, *praceps motus & affluxus adest humorum*, scriptores practici inculcant historiam peragendam. Vt in phrenitide, & apoplexia, si plenitudo adfuerit, primò iubent vt interna brachij vena (hoc est basilica) aperiatur: quòd validè illa ex hepate, vbi fons & focus est sanguinis, exhauriat; cùm proximè in hepar feratur. tandem humerariam venam soluunt. Illi quidem hac serie: quàm rectè, ipsi viderint; præstaret enim ratione præcipitis & vrgentis mali, in phrenitide & apoplexia à plethora, primùm aperire cephalicam, & deinde basilicam: ita tritus vsu medendi ille Rhases, qui centum annos medicinam exercuit, hanc historiam peregit. Hac auersionis ex lege, pragmatici in phrenitide ilicò purgando, auertunt materiam morbificam à capite, ante etiam coctionem. & rectè: ne fiat absolutum apostema cerebri cum tensione. Deinde enematum initur vsus, frictiones artubus admouentur, vincula & cucurbitulæ præscribuntur. Ita in pituitosa apoplexia, vsum ineunt acrium enematum, & glādium longarum digitos sex, & corporis totius frictionum. In perpetuis fluxibus ad oculos, annulum, cuti supremæ ceruicis circa occiput, traiciunt: modus est, vt forcipe arripiatur cutis, ac validè prematur, quò sensum cauat; forceps foramen habeat, per quod, acu immissa, perforetur cutis, vnaque crassum filum secum trahat acus, quo in volnere, ablata acu, filum hæreat. In Italia, fili loco aureum annulum vtrinque apertum immittunt: postea, ne excidat, eius postrema adducunt: hic cottidie dimouetur, ita vt dolore & attritu materia trahatur, quæ manè & vesperi euacuatur. Hæc igitur, quæ per omne morborum genus tam variè fundunt practici, ex hac auersionis natura profecta fuere, quæ iubet vt recta linea fiat auersio.

Verum hæc methodo dogmaticæ non sufficiunt: propterea in definitione diximus, *quod conuenienter fieri debet.* quod vt obtineamus, obseruabimus reuellendi *tempus & modum.* Tempus & locus tunc Reuulsioni est, cùm iam fluit, vel iamiam fluxura est in partem aliquam materia: & hæc causa est, cur in inflammationibus incipientibus vtamur Reuulsione: at vigentibus inflammationibus, vtimur deriuatione. Hinc methodici, dicit Galenus, libro vndecimo Methodi suæ, cap. xv. interficiebant ægros, citra reuulsionem cataplasmata & perfusiones admouentes. Modus reuellendi hac cautione obseruabitur: cauendo, ne materia contaminata trahatur per membrum nobile. Sic in bubone pestifero qui inguina inuasit, non secamus basilicam, sed saphenam: si consederit in axilla, in brachio vena aperienda erit: si emicet thorace carbo, saphena pertundenda ilico venit. *Conuenienter. Tempus reuellendi. Modus reuulsionis. In peste.*

In metu futuri fluxus, vnde magnus futurus esse morbus videtur, integra diametro vtemur, vt cùm à vertigine de apoplexia veremur; cauteria cruribus inurimus: nam Galenus, laborante manu, crura scarificat. Sin fluxus materiæ morbificæ iam incepit, per mediam diametrum reuellemus. hoc fit, partim deriuando: vt in pleuritide, eiusdem lateris secta in brachio vena.

Composito indicationes. Interdum enim vna encheirisi triplici indicationi satisfacimus, reuulsioni scilicet, deriuationi, & euacuationi optimū profectò remedium pleuritidis. Quicquid enim eiusmodi est, vt eadem opera causam inflammationis reuellat, & coniunctam educat, aptissimum eius remedium est: id in pleuritide axillaris vena secta præstat, filamentorum contigua rectitudine. Quare diligenter est notandum in morbis, num simplici reuulsione tantùm opus sit, vel vnà deriuationem & euacuationem flagitet malum. Nam fluenti materiæ debetur reuulsio: at influxæ, euacuatio ex propinquo. hinc medij quid remedij nascitur, quod inter reuulsionem & deriuationem ambigit.

CAPVT VII.

Prima primæ indicationis pars, de causa morbi antecedente, quo modo & quibus cautelis eam corrigat Alteratio.

SCribit Galenus primo de differentiis febrium sexto capite, Oportere in vnoquoq; causæ genere scrutari qua potissimum vi morbos committere soleat, deinde considerare congruentes & repugnantes corporis dispositiones. quantum enim contrarietatis habet, tantò ægriùs superabitur. Contentorum vitia diximus in eorum esse motu, qualitate, vel quantitate. Causa morbifica antecedens quando motu suo in vitiu est, quodnam remedium postulet scripsimus. iam ad qualitatum vitia venio. Contenta itaque à lege naturæ ac à sua symmetria abeunt, qualitate prima vel secunda. Inde varia remedia excogitata fuere, vt pristinis qualitatibus redigentur contenta. Calefactos succos corporis refrigeramus,

geramus, humectos siccamus, raros condensamus, tenues incrassamus, acres & nimis separabiles illinimus, & frigidis glutinamus, viscidos abstergemus, lętos incidimus. Et qui succi prima & secunda qualitate simul in ametriam abiere, vt calidos & siccos, nimis acres & attenuatos refrigeramus, humectamus, incrassamus, & illinimus; & si iungatur his pręceps motus, simul astringimus.

Alteratio.

Horum omnium genus est Alteratio, *quæ est status vnius in alium statum commutatio, ab alterante facta: vt amissa contenterum qualitas pristinæ suæ qualitati restituatur.* Quare, alteratio aliam contentis imprimit qualitatem: oempe illam, qua excellit remedium, id, quod illis adhibetur. Si contentum duobus numeris ad frigus inclinarit, id restituemus admotione remedij, quod binis numeris in calorem abiit.

Calida.

Primo ferè ordine calent, absintbium, althæa, amygdala dulcia, aloë, agaricum, brassica, buglossum, chamæmelum, eupatorium, lini semen, ladanum. Secundo oumero ferè ad calorem abeunt; anethum viride, petroselioom, artemisia, crocum, fœnugræcum, mastix, nux myristica. Tertio calent, abrotanum, ammi, asarum, anisum, arum, cuminum, cionamomum, galanga, nigella, origanum, mentha: & reliqua eadem vi agentia. Quarto ordioe calida, vt allium, cæpa, costus, euphorbium, lepidium, tithymali, nasturtium, pyrethrum, porrum, sinapi, ruta. Verùm, in rerum calidarum vsu, summa prudentia adesse debet, vt commodè his vtamur: scripsit enim Hippocrates, *Calidum, si quis diu multumque eo vtatur, his agrum damnis auget, carnis ἐκθήλυνσιν effœminationem inuehit;* laxatis carnis fibris, dissipatoque proprio carniũ pabulo, & inducto humore excrementitio. & neruorum præbet iofirmitatem: nam eorum robur in mediocritate siccitatis consistit. *καὶ γνώμης νάρκωσιν, cerebri quoque n defert stuporem*, inquit: nam sensus, motus, omniumque actioοum cerebri, quasi resolutionem parit. & hæmorrhagias concitat: laxatis venis & sanguine fuso. *& lipothymias* dissipatis spiritibus & resolutis membranis. *hæc,* inquit, *mors excipit. nec vnde sanguis fluit, aut vnde metus hæmorrhagiæ, est calfaciendum.* Quare moderatè calidis vtendum.

Cautio cum foris admouentur calida.

Frigida.

Frigida in primo ordine, vt atriplex, hordeum, pruna, malua, myrtus, pyra, rosa, viola, cydonia mala, &c. eandem vim redolentia. Secundo numero frigent, cucurbita, lactuca, endiuia, persica, plantago, acacia &c. Tertio gradu algent: caphura, portulaca, mandragora, hyoscyamus, semperuiuum, santala. Quarto: cicuta, pauer, opium. His minimè diu multumque sine cautione vtendum: nam *frigidum*, inquit Hippocrates, *si quis eo inconsideratè vtatur, spasmos & rigores adfert:* nam exitu omnia corporis inquinamenta prohibet. *Frigus,* inquit, *ossibus ac cerebro bellum indixit. In his autem frigido vtendum audacter, vnde hæmorrhagiæ metus imminet,* nisi in pectore fuerit malom: nam in quibus frigoris summa sunt omnia, hæc pectori inimica sunt: etenim sanguinis & spiritus vias intercipiunt, ipsiusque thoracis naturam (quæ cartilaginea est) labefactant: quod multo calore gaudeat ad vitam fouendam.

Cautio cum foris adhibentur.

Humida.

Madeot in primo ambitu humoris, buglossum, glycyrrhiza, endiuia, malua, saccharum: Secundo ordioe, atriplex, cucurbita, lactuca, pruna, portulaca, violæ. Tertia serie humescunt, cucumerum, cucurbitarum & lactucarum succi.

Sicca.

Sicca: vt brassica, beta, chamæmelum, crocum, fœniculum, faba, hordeum. Secunda serie, artemisia, anethũ viride, balaustia, mala cydonia, plantago, lentes, mastix. Tertio loco arida, asarum, anethum siccatum, acacia, aloë, acetum, cuminum, piper, sal. Quarto siccant recesso, allium, nasturtium, ruta siluestris, sinapi.

Graduũ in remediis ratio.

Hæc vt commodè intelligantur, in primis symmetrum medicamẽtum ponere oportet, quod neque excalfacit, neque exsiccat, nec frigefacit, nec humectat, nec alia qualitate præcellit. Quod verò aut feruidius, madidius, algidius aut aridius fuerit, à vincente seu superante potentia nomen sortietur. Porrò per vnumquenque excessum quatuor ambitus posuisse, quod ad vsum spectat, sufficit. *Calidum* quidem nominantes *primi ordinis,* quod nos calfaciat, non tamen euidenter, verùm vt insuper opus sit dogmatica demonstratione. sic frigidũ, humidum, & siccum, quod demonstrationem requirat etiam, nondum facultatem validam adeptum. Quæ verò aut manifestè calfaciunt, aut humectant, aut siccant, ea *secundi numeri* esse dicentur. At quæ iam vehementer quidem, non tamen summè, *tertij.* Quæ verò tantum feruoris habent quo cicatricem inurant, *quarti.* Sic qoæ vehementiùs refrigerant, adeò vt extinguant, & ipsa sunt quarti ordiois. Cæterum, nullum inuenire est, quod quarto ordine desiccet, quod non ètiam vrat. hoc tamen tertius ordo siccantium admitrit, vt omphacium, alumen, galla: quamuis vicina quædam sint adurentibus, vt æs vstum, anceps ioter tertium & quartum ordinem. Ita & in secundo, & qoarto, differentias constituere licet triplices: non enim eadem vi vrit cauterium ac napy, licet ambo sint quarti ordinis.

Latitudo & ambitus graduum.

Secundæ qualitatis vitia.

In secuoda qualitate si humor à sua symmetria abierit, secundis qualitatibus in pristinam temperiem reponendus erit. *Voco secundas qualitates, quæ, cùm primæ suas operationes ediderunt, postea proferuntur.* Calidum calfacit, postea aperit: frigidum infrigidat, postea densat. Si igitur rarior fuerit succus corporis, erit condeosaodus.

Condensatio.

Est autem condensatio, incrassatio rei raræ, facta à frigore moderato, & siccitate astringente. originem ducere videtur ex frigido aqueo: nam oimia siccitas ioane reddit: quia exasperat & succum exhaurit: vt lenticula palustris, psyllium quibusdam, portolaca, semperuiuum, tribulus viridis, radix rubi, acacia.

Illinitio seu emplasticatio, est friabilis materiæ incrassatio, facta à modico calore inuecto crassa & tenaci materia, vt materia in se cohæreat. Si enim calor nimiũ feruerct, tenues partes in auram dissiparet, ac durescere id, quod restibile maneret: sed humidum aëreum tepens, modicè peruadens emplasticationis auctor est; vt cera, lithargyrum, oleum recens, amylum, gummi, oryza, symphytum, crocum, cupressus, fœnugræcum, liliũ, mastix, styrax, pix, vitulini pedes & porcini cocti, chondrus.

Rarefactio.

Rarefactio densitati opposita, *quam attenuat calore cum aerea humiditate, quo spongiosa res euadat;* vt anethum, adiaothum, abrotanum, mercurialis, chamæmelum, radix chinæ, sarzæ parillæ, lignum guaiacum, althæa, fœnugræcum.

Abstersio.

Abstersio est inanitio locorum viscidis succis obsessorũ, facta à siccitate tenui, cum moderato calore, vel frigore; vt succus limonum, hordeum, farina fabarum, furfures, lupioi, iris, scylla, vrticæ semen, saccharum, mel, eruum, absiothium, amygdalæ amaræ, asarum, abrotanom, capparum cortices, tamariscus, scolopeodrium. omnia amara, salsa, nitrosa, & quædam acria dulcedini remixta.

Incisio.

Incisio, lenta diuidit valido calore in tenui substantia posito. vt, anisum, ammi, carum, fœniculum, cinnamomum; piper, zinziber.

Emollitio.

Emollitio, quæ indurnere, remediis calidis cum modica siccitate, ad mollitiem reuocat hoc facit adeps caprinus, & hircinus, anserinus, taurinus, gallinarum: althæa, ammoniacum, bdellium, cera, crocus; cupressum quidam addunt: fœnugræcum, galbanum, ladanom, linum: laurus, mastix, malua, medulla ceruina & vitulina, opopanax, oleum susinum, Sicyonium oleum, radix cucumeris agrestis, pix arida, styrax.

Induratio.

Indurant, quæ frigida sunt; vt semperuiuom, portulaca, solanum, lenticula palustris, psyllium.

Laxatio.

Laxandi tot sunt species quot tensionum: Nam cùm tensio fiat vel siccatione, refrigeratione, ioflammatione, repletione,

repletione, vel ſcirrho:igitur quædam laxabunt hume-ctando, alia calfaciendo, emolliendo, aut purgando.

Obſtruentia. *Obſtruunt ea, quæ conſtant ex ſicca & cogente materia:* vt ferè frigida & partium craſſarum; alumen, aloë, baluſtia, bolus, chalcanthum, corallium; hęmatites, myrtus, acetoſa, plantago, roſa, ſanguis draconis.

Repulſio. *Repellunt quæ frigida ſunt cum craſſis ſubſtantiæ partibus:* vt enim illud calidum quod tenuiſſimum eſt, maximè vrit: ita frigidum quod craſſiſſimum eſt, maximè frigefacit.

Vſus horum. His rationibus, pragmatici, humores aberrantes à propria natura reuocant.

Bilis vt alteranda. Quare cum bilis acrimonia & tenuitate vitium traxit, vnde modò huc & illuc rapi contingit, hanc refrigerant & illinunt emplaſticis: quò craſſior reddita materia, non tam præcipiti curſu & quaſi œſtro orgaſmi concita & iactata huc & illuc feratur. Hæc eſt ratio, cur practici in omni morbo à bile vtantur refrigerantibus, emplaſticis, & craſſefacientibus: vt in phrenitide, in ſumendis, admouendis, educendis, faciendis cuncta contra cauſæ, hoc eſt, bilis qualitatem pugnant. Aërem herbis frigidis, aqua roſata, & aceto quantùm poſſunt refrigerant: fructus exhibent acidos, poma, pruna, pyra, portulacæ brachiatos ramuſculos ex aqua coquunt; cum aceto & pauco oleo exhibent, acetoſam ex ſero contuſi lactis coquunt; ſerum pro potu eſt. endiuiam, ſpinachiam, caſeum recentem, aphrogala, & neruoſas glutinoſaſque animalium partes offerunt: vt porcellorum, veruecum, vitulorumque pedes maceratos primùm aceto. & cibi laudantur in aceto & agreſta cocti; & cum ſucco aranciorum, malorum citriorum, limonum, granatorum, & cydoniorum. Potum præbent ex aqua hordei, cum pauco coriando vel iulepo roſato aut violato. fugam indicunt iræ: hæc enim tenuat bilem. abigunt curas, ſtudia, & mærores. Ita in hepatis inflammatione à bile, victum præſcribunt frigidum, adſtringentem, retrudentem materiam ab hepate, & fluxuram incraſſantem, conniuentibus inde hepatis poris. Sed hæc mitiora eſſe debent: ne viis hepatis contractis, obſtructio in eo excitetur: aut nimis refrigerando, in duritiem ex inflammatione abeat: aut ſanies quæ ex inflammato ſudat hepate, exitu prohibeatur. ob id, vtriſque ſatisfacientes, & vitio & membro, præſcribunt non valida vi refrigerantia, & obſtruentia, & his remiſcent quæ aperiunt leniter ac detergent. qualia ſunt ſyrupus roſatus, & de eupatorio, ex hepatica, ex ſucco oxalidis & cydoniorum, cum aqua vel decocto ſolatri, endiuię, oxalidis, foliorum & radicum plantaginis: quæ refrigerant & adſtringunt. addunt aquam cichorij, adianthi, lupuli: quæ etiam aperiunt & extergent. Eadem ſerie curationem tranſigunt in æſtu flammeo lienis, renum, & vteri.

Sanguis vt alterandus. Si ſanguis ſuam qualitatem depoſuerit, eadem ferè victus ratione vtemur qua in peccante bile: aër ſit frigidus, turba hominum fuganda, aſpergenda folia rubi, iunci, flores nymphææ, roſarum, violarum. Cibus eadem qualitate ſit præditus: vt ptiſana antiquorum, quæ fit ex vna parte hordei mundati & viginti partibus aquæ: coquuntur dum in pultem abeant; hæc ptiſana dicitur antiquis: ſin puls per ſetaceum traiicitur, ſuccus ptiſanæ vocabatur. *Ptiſana veterum.* Vtuntur & hordeo cocto ex iure pulli, & ſi rapidu incandeſcat ſanguis æſtu, ſiotque omnia caloria plena, remiſcent ſemina papaueris, & frigida ſemina maiora. Piſces commendantur fluuiatiles: quia ſunt frigidi & humidi. oxylapatho indulgent (*patientiæ* noſtra lingua) & cucurbita vtilis. Condimenta recreant ęgros ex arāciis & citriis; actu frigida, ſi vētriculi frigus non impediat. Venus inutilis & ira. His ex eiſdem legibus practici in hæmorrhagia refrigerant & adſtringunt vias cibo glutinante. Vtuntur pedibus & capitibus vitulorum & veruecum. cum ſucco granatorum, & rebus aceto coctis. Caſeo indulgent recenti & pingui: ad placandum æſtum ſanguinis. vtque incraſſetur eius tenuitas & obtundatur bilis acrimonia, laudant albumina ouorum: quòd paucum ſanguinem gignant. Aquam chalybeatam potui miſcent, & obſonia ex eadem aqua coquunt. Quietem indicunt corpori & animo: quòd vterque motus, ſuccos extimulet in fluorem. Ita in ſputo ſanguinis remiſcent varias vires, quò refrigerent, ſiccent, aſtringant, & illinant; vt lac coctum cum farina hordei, vel amylo, inſperſis granis malorum punicorum, oryza, auena. Piſcibus à viſcidis non abhorrent, quales cyprinus, anguillæ, tincæ. vbiq; quietem laudant: nam motus in fluxum & motum præcipirat ſanguinem. ſomno & ſilentio indulgent: nam hæc fluxiones ſiſtunt. Partes laudant animalium extremas, neruoſas, & cartilaginoſas, coctas ex aqua chalybeata cum portulaca, vel radice ſymphyti.

Bilem & ſanguinem alterantia. Bilem eleganter alterant hæc; ſuccus citreorum malorum & inde confectus ſyrupus, ex mera bile natis ſtudet humoribus, & in peſtiferis febribus nobile remedium eſt: datur ex decocto vel liquore ſtillatitio cichorei, aut endiuiæ, acetoſæ, plantaginis, portulacæ, lupuli. Totum malum citrium coquitur ex aqua roſata, dum in tabem eliqueſcat, ſaccaro perlato aſperſo dulcedinem bibit: illud in peſtiferis ardoribus omne contagium eluit. Syrupus de agreſta & ſyrupus roſatus æſtum temperant.

Victus. Victus ratio, reſpondere remediis debet. ſit igitur panis ſeminibus remixtus frigidis. decocto vtatur hordei. carnes coquantur iuncta lactuca & ſpinachia. & piſcibus affundatur ſuccus acetoſæ, parùm cum aceto & butyro coctus. acetoſæ conciſa folia coquantur ex aceto & butyro. Piſces ſalſi his ſuccis inimici ſunt. Coquitur lactuca cum andiuia & acetoſa, foliis quibuſdam adiectis cichorei, cum pauco aceto & butyro, bilioſis gratum edulium. pyra, pruna, & poma domant bilem. Coquuntur edulia, ita vt eorum iuſculis ſemina melonum, cucumerum, ac peponum nodulo excepta incoquantur: interdum ſemina papaueris addimus, & nonnunquam omphacium remiſcemus & granatorum ſuccum acidum. Sint iuſcula imbuta boragine, acetoſa, lactuca, prunis, acredine citriorum, ac acetum ſpirent: nam, vt prodidit Hippocrates, αἱ ἀπὸ ὀξέος ὀξύτητες πικροχόλοισι συμφέρουσι· τὰ μὲν γὰρ πικρὰ φλεγματοῦται: *Omnis quæ ab aceto vis in rebus ſumendis micat, bilioſis prodeſt: etenim amara reſoluuntur & pituiteſcunt, veluti ab aceto ſubacta.* Vbi bilis æſtu torretur, miſcebimus frigidiora cibis & remediis. vbi ſanguis flammam concepit, mitioribus vtemur. Carnes nullæ vſui ſunt vbi ſanguis in vitio eſt, ſed piſcium magis vſus erit ineundus.

Pituita vt alteranda. Pituita vt varia eſt, ita variè alteranda eſt. Attamen pituitoſus ſuccus natura cùm algeat, facilè in craſſitiem reſtagnat, lentaque viſcoſitate moleſta eſt. quare ægrè ex corpore pelli poteſt: non enim facilè cedit nec naturæ expellenti, nec pharmaco trahenti. Quare vt hia officiis commoda reddatur, quinque videntur illi opus eſſe; calore, ſiccitate, attenuatione, abſterſione, & inciſione. Hanc hiſtoriam peragunt pragmatici in omni morbo à tali materia enato. *Vſus.* vt in dolore capitis à materia humida & frigida excitato, præſcribunt in victu panem coctum cum aniſo, melanthio, ſacchato. biſcoctum panem vtilem dicunt, carnes aſſas commendant aromatibus aſperſas. attamen ab illis quæ caput vaporibus replent abſtinent. cum ſaluia, betonica, ſatureia, origano, mentha, hyſſopo, thymo, maiorana, nuce myriſtica, zingibere, pipere, roremarino, petroſelino, aliiſque herbis tenuantibus, carnes natura calentiores condiunt. Capparum vſus eſt cum paſſulis, vel cum aceto paſſulato. Vinum generoſum offerunt calentibus herbis medicatum, ſed pauca copia, & maximè purgato priùs corpore. omniaque alimenta pauca & rara: victus enim tenuis & tenuans hic vtilis eſt. Aërem præſcribūt calidum, & ſiccum, natura, vel ex ſuffitu

caryophyllorum & cinnamomi, vel foliis lauri. Laudantur exercitia, vigiliæ, iræ, & studia. Ita io omnibus quæ assumuotur, admouentur, aguntur, illud studium admouent; vt quantum fieri possit, pituita quæ in similem sibi intemperiem facilè abit, ad suam natutam redire possit: cùm eoim sit natura frigida & humida, facilè in lentorem, crassitiem, & viscositatem abducitur. Pisces falsi potiùs conferunt (nisi salsa sit pituita) quàm recentes. Ciceres, & ficus laudantur, & allium, porrum, cæpa, fœniculus, anisum. Cereuisia cum sacharo vtilis. optimum autem est in his succis melicratum: *nam*, inquit Hippocrates, *abstergendi quandam vim habet. & mictorium est*. Hac lege dant practici in bepatis obstructione ex pituita (à materiæ morbificæ huius coctione) vinum tenue & album: vt vrinas moueant. radices qooque præbent cichorij, apij & fœniculi. fugiunt autem vsum rerum frigidarum, crassarum, erudarum, & acerbarum: quòd hæc pituitæ studeant. Hoc modo in renum obstructione à pituita viscida, glutinosum caseum vitant: ne malum in calculum abeat. pedes vitulinos & porcinos fugiunt, ac somnum diuturnum vitant. Ita in infarctu venarum vteri à pituita, præbent allia, cæpas, sinapi, porrum, crocum, zinziber. Eo modo transigunt in apoplexia, epilepsia, paralysi, tremore, asthmate, lumbricis, catarrhis. nam in his vtuntur oxymelite simplici, & syllitico, syrupo de stœchade, de hyssopo, de corticibus citriorum, & rebus omnibus quæ immoderationem pituitæ superare possunt.

Melancholia vt alteranda.

Melancholicus autem humor cùm natura sit frigidus & siccus, ad consimilem intemperiem facilè abripitur: quare ille maximè calore & madote reuocabitur ad suam naturam vnde abiit. Propterea in omnibns morbis inde natis, pragmatici temperatis rebus vtuntur, aëremque traducunt ad calorem & humorem: decocto maluæ, althææ, & violarum rigant aërem. de flatibus in cibo cauent: propterea semen anisi & fœniculi pani aspergunt dũ ille fingitur, & hordei pulticulam cum sacharo exhibẽt. Carne elixa potiùs quàm assa (ob madorẽ quẽ aucupantur) vtuntur. Cõmendãt carnes gallinarum, perdicum, veruecum, hœdorum, coctas cum passulis & aromatibus. porcinam laudant recentem: quòd caleat ac humeseat, modò eius viscositas quibusdam adiectis abstergeatur. Pisces vtiles affirmant petrosos, aromatibus conditos. oua sorbilia in hoc succo placent. borago cibis adiicitur, calendula, corinthiacæ passulæ, & melissa, quæ, vt scribit Auicenna De viribus cordis, melancholicos vapores purgat à spiritibus cordis, vnde & lætitiæ auctor euadit. & ex his vtuntur Vino medicato. id autem sit album dulce non astringẽs: nihil æquè succum melancholicum recreat ac vinum. quare Arculanus dicebat, *peculiari quadam ratione vinum in melancholia conferre: quòd effluuia atra à spiritibus excutiat, quæ alioqui ærumnosas cogitationes adferunt menti, rationemque inde componit, & corporis habitum reparat. quod optimum dicit esse in melancholicis remedium.* Sacchari vsus in vitio huius succi commendatur, & in morborum progressu vtuntur radicibus petroselini, pomis dulcibus & pyris. Cautio sit de Aceto, *quod*, vt auctor est Hippocrates, *melancholiæ inimicum est: nam*, inquit, *ex eo fermentatur melancholia, maiorem acquirit molem, & accessione quasi incrementis augescit.* Somnus huic succo vtilis: & animi lætitia exoptanda est. refert enim Plinius, Quintum Fabium Maximum, multis hostium millibus cæsis, à quartana fuisse liberatum: id naturaliter lætitia euenit. Medicamentis blandioribus practici in hoc humore vtuntur, vt syrupo de pomis, de fumo terræ, & epithymo, cum duplo decocti buglossi, cichorij, scolopendriæ & lupulorum. Ita transigunt in rebus admoueodis: admotione odorum gratorum & blandorum somno student, & frictibus partium extremarum operam dant vt mulceatur ariditas succi, ex decocto lactucæ, foliorum salicis, seminum papaueris & lactucæ. Adhibent & lenes frictiones, & illitiones ex oleo nymphææ vnguentoque populeo, vt somnus concilietur, quo frequenter ob ariditatem spoliantur. est enim nil aliud somnus, quàm vinculum primi sensitiui, quod rigatur anathymiasi, hoc est, suaui vapore. eo fraudantur his succis obnuxij homines. *Hic humor difficilè excludi corpore potest, est enim quasi terræ soboles immobilis, quare semper blandioribus remediis tentandus erit: alioqui*, inquit Galenus, *in rabiem vertitur, non aliter ac rabidus canis, qui non lacessitus, quiescit; at extimulatus, ferocit atrocissimè.* Plato in Timæo scripsit, suas ætates hos succos habere; quos si ante maturam iuuentam irrites, sæuiunt, inquit, ac geminant morbos. Talis autem maximè melancholia est, quæ serò coquitur. quare olim nullus erat morbus qui æquè medicos fatigabat ac Quartana, huius succi soboles; adeò vt Democritus scripserit, illam solam pollutionibus curari: & Plinius dicebat; *medicinam in Quartana nihil pollere*, & Priscianus medicus, libro quarto ad Eusebium, inquit, *Veteres vocasse Quartanas Saturni filias.*

Vinum præcellens remedium.

Aceti noxa.

Lætitia.

Melancholiæ contumacia.

Quartana.

Si verò remixti humores in vitio fuerint, & alimenta & remedia mixta offerri debebunt: ea semper lege, vt collimemus ad humoris dominantis copiam, vel vim: etenim maximè luxurianti humori primo loco remedia danda erunt. Vt si humor in vitio fuerit calidus tenuis, & vnà crassus & lentus, practici hunc maturant syrupo acetoso simplici, qui, aceti vi, crassa incidit, glutinosa attenuat, ac frigore aceti vim feruidam bilis reprimit; &, vt pituitæ acetum iniurium non sit, radices aperientes ei remiscent. Ita syrupo vtuntur de duabus radicibus, & syrupo de quinque radicibus, & Byzantino: vbi vel bilis & pituita peccant, vt in tertianis nothis; vel validè aperiendum cùm fuerit. Et practici in aperientibus his syrupis hunc seruant ordinem, vt primò exhibeatur syrupus acetosus: secundò, de duabus radicibus sine aceto: tertiò, dant syrupum de duabus radicibus cum aceto: quartò, exhibent syrupom de quinque radicibus: quintò, vsui illis est syrupus Byzantinus sine aceto: sextò Byzantinus cum aceto.

Vbi multi humores peccãt.

Ordo in aperientium vsu.

Sed in vsu horum syruporum hæc cautio adsit, vt cùm æger diu multumque his syrupis vsus fuerit, ne attenuatione & frigiditate humoris in hydropem tandem abeat: qoare perpetuò succedat quidam rerum roborantium vsus, qualis est trochiscorum de absinthio, vt scriptulus tandem talis remedij vnà his syrupis iungatur.

Cautio.

Hæc itaque causæ antecedentis vitia (cùm qualitate peccati) maximè domantur commoda victus ratione: quare, quibus facultatibus prædita sint alimenta, exactè ex Galeni libris de Alimentis discendũ, & ex Hippocratis libris de Diæta. Quædam morborum genera cedunt his remediis: ita Galenus in febribus egit continuia, nec purgationibus ibi admodũ indulget, & in intermittentibus rarò purgat: vt in tertianis, & in pituitosis rarò, & interuallis leuia pharmaca præscripsit: pharmaca enim benignæ substantiæ aliquid atterunt, direptis naturæ opibus. Maximam alterantium medicaminum copiam tradidimus libro secundo.

Victus.

CAPVT VIII.

Prima primæ indicationis pars, de causa morbi antecedente, quo modo & quibus cautelis eam auferat Purgatio.

Ordinis ratio

IN contentis morbificas causas suum domicilium habere tradidimus. ab contenta à sua natura abire diximus, cum vel pristinam suam qualitatem exuunt, aut locum mutant, aut cùm copia in vitio sunt. Quæ

remedia

remedia motui eorum, quæ qualitati mutatæ debeantur, hactenus peregimus: iam ad copiæ vitia venio. Si itaque humor nec victus optima ratione nec alteratione medicamentorum ad genuinam naturam reuocari poterit, omnino è corpore eiiciendus erit. Hoc autem duplici modo fit, vel vtili cum inutili humore reiecto, in phlebotomia: vel inutili tantùm, vt in pharmacia, cùm medicamentis purgatoriis vtimur. Vt enim cuncta terræ nascentia congenerem succum in alimoniam attrahunt, vi attractrice; ita & aliæ res, cognatione quadam, in rem similem abripiuntur.

Modus trahendi. Si lagenam aquæ plenam aceruo frumenti obruas, quamuis benè obturatam, elicietur humor: lupini sub vitibus ponuntur vt amarum exsugant: elephantum dentes (quos Ælianus & Iuba cornua vocitant) decidui cùm sint senecta aut morbo, elephantes defodiunt: venatores, quò sese elephantes illatebrant, vteros aqua turgidos deferunt: si absorptam hanc redeuntes inuenerint; ibi ebur effodiunt. Attrahunt igitur concordia quadam sese res mutuò. *Est autem triplex causa attractionis, fuga vacui, caloris vis, & concordia à tota substantia.* Succi morbifici purgatio peragitur à pharmaci specifica vi. Hoc primus omnium prodidit Hippocrates, primo De natura hominis, vbi id probat analogia: perinde ac sata & stirpes sibi prolectant (cùm omnifarium terræ insit) conueniens, primùm exsugunt id quod maximè illis gratum fuerit, hinc alia quæque: ita, inquit, ad se succos rapiunt pharmaca.

Purgatio. *Est* enim Purgatio, *humorum qui qualitate in vitio sunt euacuatio* (artificio comparato ad imitationem naturæ,) *per loca lege naturæ consentanea, nec ex euentu dissentanea.*

Tractio vt fiat. Ea autem vacuatio fit similitudine, qua trahitur humor similis ad simile remedium, vt magnes ad ferrum, &, vt inquit Auicenna de viribus cordis, vt electrum festucas trahit. Hæc autem similitudo pendet ea intimo principio. A nostro calore remedium in minimas partes redigitur, & remedij calor natiuus excitatur. quare quò tenuiora fuerint, eò promptiùs officium facient. Similitudo enim pharmaci imbuens ventriculum sua facultate attrahendi, facit vt ventriculus cogatur: Interim immemor sui officij, violenter attrahit, & nunquam desistit; quoad remedij vis resoluta fuerit, & à naturali calido deuicta Propterea dicebat Hippocrates, *cùm purgare consilium est, corpora debent effici meabilia:* liberatis obstructis, excitatáque naturæ vi, & præparata materia: ne fiat via vi, sed sine offensione partium, placidè, inoffensóque cursu humor ad exclusionem feratur; vtque naturæ expellenti, remedio trahenti cedat. ita hanc exclusionem æger feret alacriter; quæ tolerantia, optimum optimæ purgationis signum erat Hippocrati.

1. Aph. 2. Quin & hac ratione humor debet obtundi, si nimis acris fuerit: ne cùm violenter attrahatur, in transitu abradat partes internas eius acrimonia.

Quæ notanda vt commodè instituatur purgatio. Sed vt rectè instituatur purgatio, *quatuor* res rectè perpendere debemus, *affectum præter naturam, locum morbo obsessum, & vias per quas ducendus est humor, medicamentum quo vtendum, & circumstantias.*

An purgandum. Sed antequam ad hæc deueniamus, primùm perpendendum, an sit purgandum nec ne. Erit purgandum, si morbus qui à materia pendet, vitiũ fecit in his quinq; conditionibus quæ ad absolutam morbi crisim requiruntur. Primò, si totum quod euacuari debebat, non euacuatur à natura, sed aliquod empyreuma restat, & morbi materia superstitis empyreumatis signum est sitis: materiæ autem, oris amaritudo: hîc purgandum. Sed si nulla cacochymia superstes fuerit, vnde in sympathiam reliqua trahi possint, à purgatione abstinendum: vt in ictero febre defuncto, & exanthematis puerorum lædit pharmacia, balnea conferunt Hæc occultò dicebat Hippocrat. 2. Aph. 15. *Sin restibilis* fœditas fuerit, pharmacia vtendum: nam inquit 2. Aph. 12. *quæ in morbis relinquuntur à crisi inchoata & imperfecta*; tum propter materiæ contumaciam, meatuum obstructionem, & naturæ infirmitatem; quod ferè fit, exactis morbi viginti diebus, & in diuturnis morbis, quorum difficultas, in difficultate pepasmi consistit: pepasmi autem difficultas, in materiæ contumacia: hæc, inquit, *recidiuas adferunt:* primò nempe die critico, ob materiæ contumaciam, quæ ad pepasmum proueh ne-quit, sed humor cunctando putrescit. Secundò, si materia culta fuerit & apta purgationi, institui ea debet. Tertiò, si per loca lege naturæ consentanea non feratur, per alia loca euocabitur: inflammato longanone, cùm totum corpus per sedem sese exoneras. Quartò, si humor qui non debebat euacuatur: vt si peccante pituita effluat sanguis. Quintò, si recto tramite à natura non fieret: vt si sanguis qui per hæmorrhoïdes excludi deberet, per renes & vesicam educeretur.

Cùm itaque constet purgandum esse, laborandum à nobis erit, vt rectè purgatio instituatur.

Affectus itaque gratia videbimus quidnam purgandum sit, quantum & quando. *1. Affectus: Quid purgandum.*

Quid, hoc est, quis succus purgandus sit: num serum sanguinis, aut pituitæ succus. hoc pernoscemus ex idea humoris qui vitium fecit, siue is simplex fuerit, siue mixtus. Quot enim peccantium humorum ideas, totidem & pharmacorum characteres vsus notauit, vt singulis accommodaret singula. Et videndum quis sit socius affectus; vt si febris misceatur, frigidis temperanda erunt remedia. Alia melancholiam, alia bilem educunt, alia serum sanguinis. In epilepsia, apoplexia, ac asthmate, pituita purganda est: arthritici à calore, cholagogis curantur, vt & tertianis obnoxij.

Quantum autem humoris educendum sit, id docebit Affectus *quantitas:* copiosa enim si materia morbifica fuerit, validiore remedio opus erit: & locus in quo situs est humor morbificus, vim remedij explicabit: continetur enim vel in aluo, vel genere venoso, aut habitu corporis. Aluo lenia remedia debemus; quale est hiera, aloë, cassia, pruna, manna: Venoso generi, mediocria, vt rhabarbarum, agaricum, sena: *Habitus corporis maxima* remedia exigit, vt elleborum. *Quæ copia.*

Cur autem *veteres elleboro, elaterio,* reliquisque strenuissimis remediis perpetuò ferè vterentur, mitiorum ob inopiam fuisse existimarunt quidam. Nos putamus, eos audacter ac frequenter eorum vsum iniisse, quòd tutissimas eorum præparationes compertas haberent, vt innuit Galenus in libris De articulis. Horum autem scripta interiêre; etenim Hippocratis De elleboro libri initium duntaxat exstit. Scribit Dioscorides, libro quarto, præparationem corporis & ellebori, ac victus rationem ad vsum ellebori, diligenter olim descriptam fuisse à Philonide Siculo Ennensi. Foris tutò interdum elleborum balneis & linimentis includebant, vt notat Oribasius. Hinc nostra sæpe calamitas, quòd dum mitiora sectamur, occasio curandi pereat, ac ea curabili incurabile malum euadat. Attamen in vsu magnorum pharmacorum nullus temeritati locus esse debet. Plato in Timæo, vetat magnis remediis corpora mouere. & ante hunc Hippocrates, Democritum curaturus, elleboro non nisi præsens vti voluit: Nullum enim solutorium pharmacum existit magnum, quod non aliquid natiui genij à corporibus deprædetur; vnde effœta redduntur viscera, ac inuenilis senecta accersitur, *quæ*, inquit Plinius, *prematura mortis index habetur.* Scribit Plutarchus de præceptis salubribus, incommodum horum vsum, plures superfluitates efficere, quàm abducere. Quare hoc purgatorium negocium nunquam vsque in syncopen abduci debet, quæ est præceps omnium virium lapsus. *Cur veteres elleboro vterentur.* *Cautio in magnis pharmacis.*

Verùm hæc humoris purgandi Quantitas & Situs, confusè nos docent, ac in cognitionem ducunt nó exactè quanam copia purgandus sit noxius succus: quare

à

à virtute & circumstantiis optimè hæc res definietur. Propterea Hippocrates *in habitissima corporis constitutione, qualis est athletarum à summa extenuatione, & ad summum ducta vacuatione abstinet*. quasi insinuet Hippocrates, copiæ vacuandæ cautionem non solùm ex affectionis magnitudine, sed & ægri natura accipi debere: natura dico communi, propria, insita, & aduentitia: in rempetamento, habitu, & diæta: de his postea. *Notetur itaque corporis status, & vires: humoris euacuandi natura, & pars illo imbuta*. Vt corpus compactum & robustum, nigrum, succus si recessit in remotas partes; ætas florens, temperamentum frigidum, ver, regio frigida, & talis victus qui ad robur facit, vita in vmbra, vrina crassa, aluus astricta, sudores pauci, insomnia tristia, melancholia, ventriculus mole pressus, magnam copiam pharmaci petunt.

Quando purgandum. Cùm itaque exploratum fuerit, qua copia exhauriri debet humor morbificus, decernendum erit, quo tempore purgatio hæc ineunda erit: Hoc notabimus ex materiæ morbificæ coctione, & ex eius impetu, anni tempore, & morbi die. Cocta materia est purganda, non cruda: Hoc axioma cum tota medicina primùm ab Ægyptiis fluxit. etenim ingeniosissimi homines vsúque docti compertum habebant, calamitosè pharmaca sine tecmarsi medica (quæ eo tempore rudior adhuc erat) incuntibus morbis exhiberi. Quare legibus cautum erat, ne quis medicus pharmacum propinare ausus esset in morborum initiis, quod abundè testatur Aristoteles tertio Polit. c. 11. vbi hæc scribit, Καὶ ἐν Αἰγύπτῳ μετὰ τὴν τετρήμερον κινεῖν ἔξεστι τοῖς ἰατροῖς, ἐὰν δὲ πρότερον, ἐπὶ τῷ αὐτοῦ κινδύνῳ. dicit, *Ægyptios noluisse quicquam in ægrotis innouari, non nisi peracta quarta die; alioqui medici suo periculo id agebant*. Ex quorum decretis, Hippocrates primus omnium hoc axioma Græciæ intulit, ac demonstrauit. Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμά, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν. hoc est, *Concocta medicamento purgare oportet, ne in principiis quidem*.

Apud Hippocratem duplex est coctio: *pepsis*, & *pepasmus*. *Pepsis*, est alimenti coctio: *pepasmus*, est humoris omnis præter naturam, ad temperiem moderatam deductio. Humorum autem præter naturam, quidam sunt pepasmi capaces, quidam pepasmi expertes. *Pepasmi capaces*, qui natura & arte mitescunt: vt materiæ putridarum febrium coqui debent & separari, deinde purgari. *Pepasmi expertes* duplices sunt, quidam segregati à concretione sanguinis, vt in catarrhis, & bilis flauæ in suffusione, & in dysenteria quadam, in colico dolore pituita in intestinis concepta, in hydrope aqua, in his pepasmus nullus exspectari debet, sed statim excludendus est noxius succus. Quidam succi in vitio sunt, propriæ substantiæ corruptione, qui partium in quam decumbunt substantiam labefactant: vt in peste bilis, cancri materia, & humores turgentes. Pepasmi autem difficultas accedit ob tres causas; naturæ imbecillitatem, meatuum angustiam, & ob materiæ contumaciam.

Quæstio nobilis. Nobilis hoc tempore agitatur quæstio inter medicos, num morbis ineuntibus tentanda sit purgatio. Quæ res hoc modo transigi posse mihi videtur.

1\. Primum indagandum est, num corpora illa quæ curanda veniunt, ad purgandum parata sint, an non. Si parata fuerint, vsus purgantium remediorum iniri potest: sin minùs, ab his abstinendum, dum parata rectè fuerint. Vt autem parata sint, hæc abesse debent, cruditas ab ingluuie, sursum elata hypochondria, & si incendio conflagrant, & vbi viscera inflammationem concepere, aut vbi vrina igneo æstuat rubore, inutiliter pharmaca dantur. *Corpora*, inquit Hippocrates, *cùm purgare consilium est, meabilia reddi debent*: ne fiat via vi *Tria enim ad legitimam purgationem maximè requiruntur, meatuum libertas, materia preparata, & natura vis*: hæc enim corpora reddunt εὔροα.

Secundò sint concocta ac matura quæ excludentur pharmaci vi: ne æger conuulsionibus, torminibus, vertigine, & damnis augeatur. nam vt sunt gradus coctionis, ita tantùm purgationis esse debent: alioqui, materia cruda nec naturæ expellenti, nec pharmaco trahenti cedet. Vt enim cruditas humoris morbifici, in acutis morbis, quę caret ἐρεθισμῷ, aerisiam quidem facit, non tamen funestam: ita si accessionem habeat ἐρεθισμῶν, consecutionem adfert sinistri indicij atque mortis. Ex quo efficitur, temerè purgantibus operam dari in febre quartana, & acutorum etiam initiis, sine orgasmo: quia erethismus frustrà inducitur, qui antè aberat: vnde laboribus & damnis fatigantur ægri: ne crisis quidem vlla bona spetabilis, dum manet cruditas. fit itaque vi naturæ mitificata materia morbifica, & ad temperiei mediocritatem redacta. Igitur vbi crassi, lenti, & viscidi sunt succi, frustrà purgatio tentabitur. Quare materia purganda rectè parabitur, ratione sui corporis vel formæ: corporis, vt crassa attenuetur, incidatur lenta, & abstergeatur viscida: ratione autem formæ est coquenda, vt bona materia à vrilis separetur ab inutili. Hinc materia tenuis si cocta fuerit, non alia præparatione eget: quò enim illa fuerit tenuior, eò faciliùs è corpore labitur. Sed si crudus fuerit humor, qui tenuis est, primùm coqui debet, ac coctione crassior euadit: vt crassus humor, coctione attenuatur. Quare, omnia coctione quantum maximè possunt ornatum à forma induant, antequam purgentur: tenues erudi incrassentur: crassi tenuentur. Præparatio perficitur calidis, frigidis, incrassantibus, attenuantibus. Coctio autem separat bonum ab inutili; id fit à calido natiuo. Oportet igitur vt vsu remediorum calor natiuus robur induat, & calor præter naturam abigatur. Propterea primùm videre debemus, quo modo materia sit coquenda, & quæ corporis totius sit temperies. Si enim materia fuerit frigidior, vt pituita, vtemur sytupis attenuantibus, incidentibus, & calidis: ob frigus enim coqui materia nequit: ex Hippocratis autem sententia *interdum febrilis calor coquit morbificam materiam*. Præparamus itaque vt materia non sit contumax ad enctionem, & separationem. ita natura cùm cibum in sanguinem vertere conatur, primum præparat sibi chylum, vt æqualiter vires suas exerceat in omnes cibi partes; ita enim materia fit naturæ coquenti obediens. Quòd si materia cocta fuerit, & non bene præparata ante purgationem paranda erit: vt crassa, quamuis cocta, attenuanda. Sin materia coqui non possit, frustrà cunctamur: vt in hydrope, quia in illo segregata est materia à sanguine, non potest coqui. Hæc autem materia purganda, superstes plerumque est ab imperfecta crisi: aut suecrescit à pleniore victu post crisin, & teedius metu adfert. hæc tollenda: vt corpus habeat locum se reficiendi, ac edendo ne bomo damnum sentiat. Succrescens autem cacochymia est triplex: aut alui, aut generis venosi, aut habitus corporis. Prima cognoscitur ex asitia: secunda, quòd edendo non proficiant: quia caro non attrahit alimentum, & propterea ex stomacho non fit suctio: nam, dicebat Hippocrates, *qui ventres habent calidos, carnes habent frigidas*, hoc est, caro contaminatum ac calentiorem sanguinem non attrahit. Quid igitur agendum? purgandum. quo modo? præparando materiam, & reddendo corpus euron.

4\. Aph. 4. — 5. Aph. 70.

3\. *Turgens quæ sit materia.* Tertiò, humorũ quies & motus perpendendus erit, vt caura instituatur purgatio. Humores autem bifariam per corpus ruunt: aut enim per diuersas corporis partes vagantur: quòd natura eos educere nequeat, nec illis par sit: aut in vnam solùm partem feruntur, & in ea sedem figunt. Prior, manu adiutrice pharmaci eget: quòd sponte ad exclusionem ferri nequeat. hęc enim materia turget, venenata qualitate aut symptomatica translatione periculum vitæ intentans. Quare ne furibunda in partem nobilem ruat, cuius officio carere vita non potest, & ne febrilis calor ab ea augeatur, ac vires concidant, ilico, ac ineunte morbo est pharma-

co educenda. Materiam autem turgere ac orgasmo ferri animaduertemus, si initio morbi crebra symptomatum incidat mutatio: Etenim cùm ita effera materia ruit, nulla pars eam ferre potest. quare in aliam excurrit, hæcque iterum in aliam. & cùm plerumque symptomata sequantur partis ac materiæ morbificæ naturam, hinc varia efflorescent symptomata: modò delirium aderit, modò dolor lateris, iterumque lipothymia, vt variè partium percellit vires turgens materia. Præterea primis morborum auspiciis turget materia: quo tẽpore natura morbificis causis opprimitur ex copia maligni humoris: quod numquam fit prouecto morbo. Sin humor ad certam aliquam partem viam affectet, si nondum influxerit, sed si fluxu adbuc feratur, purgatione eget: ita, si iamiam fluxurus sit, cùm aliquam ob causam tunc emittere sanguinem non licet; & si ætas reclamet, virium infirmitas, vel anni tempus. At qui succi influxere, & reuelli non possunt, non erunt mouendi: sed illi, vt dixi, qui in motu sunt, vel iam iam mouendi: vt ea reuulsione eorum inhibeatur motus, ita & morbi incrementum prohibebimus, & ne pars nimia succorũ mole pessundetur præcauebimus. Vt si in angina aliquam ob causam venam soluere non licuerit, vt propter corporis temperiem, aut habitum, aliámve causam, nónne præstiterit mediocri pharmaco deorsum reuocare materiam, quàm pati vt æger irruente in guttur materia strangeletur? Quare, reuulsionis causa his in casibus purgandum interdum est, cùm nec repellentibus, nec aliis rationibus sisti influxus materiæ potest: ita in alopecia Galenus, in angina, & oculorum inflammationibus transegit. Quiescens membroque concepta materia interdum admittit purgationem, interdum renuit: admittit, mobilis loco; renuit, membro impressa. tunc malè datur pharmacum: nam exhaurit partes sanas, & pabulum caloris natiui educit, & depascitur viscidum illud humidum primigenium. ac existimant egregie secum agi, cùm lentam videant eiici substantiam illam ægri: sed naturæ thesaurum & prædium eius deponunt, ac fatiscunt. Itaque in materia cruda immobili, semper coctio est exspectanda, nam ab illa non est periculum: quia partim eam coquimus, partim euacuamus; ita natura non facilè succumbit.

Dubium. *Verùm, dicet aliquis*, Hippocrates in pleuritide purgat, vbi dolor descendit ad inferiores costas: igitur initio est purgandum, vbi materia parti infixa est. Respondeo, Hippocratem ibi agere de ea pleuritide, quæ euenit corpori non plethora, sed cacochymia obsesso, aut notha contaminato plethora. Interdum enim dolor descendit, & vena tutiùs secatur: cùm adest intenta admodum febris, quæ prohibet vsum pharmaci. Si igitur febris fuerit ignauior, vti licebit elleboro & colocynthide: sin phethora notha adsit, quæ remiscetur ex cacochymia & plenitudine, vtrique remedio locus erit. Quare sententia Hippocratis hæc fuit, quia humores tenues & calidi ascendunt plerumque, verisimile est quòd tunc vehementer vrat febris: Sed in dolore descendente plerumque non ardet febris: quia oritur maximè ex humoribus crassis. Quare ad fluentem materiam purgatione vtitur Hippoc. & ad eam quæ adhuc euocari potesti, non ad omninò impressam parti.

4. Quartò. vt cautè purgatione vtamur, perpendendum erit num sint pauci humores morbifici vel copiosi, & num magni morbi metum adferant. Si pauci illi fuerint & crudi, non erit purgandum: nam cùm natura malum superare potest, validis remediis corpus non est quassandum: nam ex naturę pabulo semper quid secum rapiunt. quod si ad crisim natura se non parer, leni purgatione euocari malum poterit. Sin copiosi fuerint humores, vtrumque malum est, purgare crudos, & discrimen ab aucto morbo exspectare. Vitandum igitur maius malum. Si igitur purgatio videatur magis obfutura, quam vtilitas profutura, quæ ab accisis ac reuulsis humoribus euenit, supersedendum. Sin vehemens influxus maximum periculum indicet; purgatione si opus sit, eius vsus incatur.

Quintò, explorabimus num ex febre æger laboret, 5. vel non: si illa adsit, num languida sit, an vehemens: si mitis febris fuerit, purgationem non impedit: sin vehementer excandescat, abstinendum: vt eleganter docuit Hippocrates in libello de Purgantibus, & quarto libro de Articulis, in fractura calcis. *Quia remedia trahuntur* (inquit Hippocrates) *à ventre & carne calida*: & cùm remedia similitudine substantiæ trahant & calore; semper autem calida trabant ad se minùs calida; igitur pharmaca à carnibus trahentur, & grauiter prement ęgrum; nisi rapido calore æstuent pharmaca: sed id calamitosum ægris esset.

Hæc satis sunt vt aptè tempus purgandi eligatur. Ver Aër. & autumnus purgationi accommodata sunt, & his similis dies. constitutio austrina fundit corpora & succos; ægritudinis tranquillior dies, ad purgandum securior est. comitiales, articularij, & melancholici, & à crassis succis ægrotantes vere curandi.

II. *Locus per quem purgãdus est humor 4. Aph. 15. & 19.*

Secundò, *in purgatione obseruandus est* Locus, per quem educendus est pharmaco humor. Inclinatio naturæ & humoris, nobis viam ostendent: nam quò is vergit, ducendus est, per loca lege naturæ consentanea, nec ex euentu dissentanea. Vt si bilis crassior purganda sit, euehatur per sedem: sed si in ventriculo fuerit, vomitu: si dysenteria adsit, vomitu etiam excludatur: nam afflictis inflammatione intestinia non danda est afflictio: ita in nephritide, per vrinam corpus non purgandum: nunquam enim per partem morbo implicitam totum corpus purgari debet: melancholia, deorsum ob grauitatem exturbetur. Consensus etiam vasorum vias purgationum indicat, vt, vomitu exonerandus ventriculus, renes per vesicam. Sed tribus modis primò corpus ad purgationem parandum erit, aluum subducendo sæpiùs iusculis pinguibus; aut clysmis, liberatis obstructis, ac præparata materia. Naturæ interim peculiaris satio accuratè perpendatur.

Scripsit Hippocrates, quòd *graciles qui vomunt ex facili, sursum oportet purgare, cauendo hyemem*. Quales 4. Aph. 6. 7. 1. 9. illi sunt, qui non morbo, sed temperamento & habitu graciles sunt, qui distentas sanguine habent venas, & carnes macilentas. Sed dicit Hippocrates, cauẽdum esse ab hyeme: quasi dicat, plus tribuendum inclinationi humoris hyberni, quàm temperamento & habitui. hinc dicebat: *Quibuscunque sunt lienterica alui, hyeme sursum purgare est malum*: quasi dicat, ab humoris contumacia reuulsionia quoque commodum vincitur: bilis hyemalis est catarrhopos. Qui autem vomunt ex facili, amplo sunt pectore, capite firmo, nec cephalalgiæ, hæmorrhagiæ, aphthis, aut veterno obnoxij. *Verùm*, inquit, *qui ægrè vomunt* (vt quibus scapulæ instar alarum prominent) *infernè purgare, cauendo æstatem. Sed tabidorum*, inquit, *ea cautio sit, vt numquam sursum purgandos putes*: vt, qui collo exili sunt: *nam grauiorum inde symptomatum imminet metus.*

III. *Circumstãtia. Virtus.*

Tertia *cautio in purgatione ducitur à circumstantiis*, inter quas prima est Virtus. Virtus est vel fortis vel debilis. Si valida fuerit, luxuriabit in corpore vel copiosa cacochymia, vel aderit pauca. Si virtus robur suum occupat, at cacochymia copiosa inquinet, humor confertim ac tumultuosè non erit educendus: nam spiritibus exhaustis, ac turbatis corporis succis, periculum crearetur ægro. Nam scripsit Hippocrates, *si ex thorace pus, vel ex ventre aqua, affatim exhauriatur, ilicò moriuntur homines*: dissipatis spiritibus. Si emicat virtus, nec copiosa fatiget cacochymia, confertim excludi materia morbifica poterit: maximè si cocta tenuis materia fuerit, & ab ea pateant viæ in aluum. Sin verò virtus prostrata languet, is languor erit ex naturæ oppressione vel resolutione. Si ex repletione ad vires, spirituum inopia

tunc

tunc adest; pauca purgatione vtendum. restibile quod fuerit per epicrasin absumendum erit. ita transigendum in contaminatis corporibus à fœdis succis. Sin ea resolutione languor sit, sola epicrasi vtendum: vt, si acres sint humores, obtundemus acrimoniam, & tunc naturam excludentem iuuabimus, vel ex Auicennæ auctoritate, aliquid accidemus contaminata à materia, vsu rerum lenientium, vt mannæ, cassiæ, rhodosyrupi. Inter circum-

Ætas. stantias est & Ætas. Etsi enim cunctæ reliquæ notiones pharmaciam exigerent, tamen vehementibus & natura ferocibus pharmacis nec senio affectos homines nec teneram ætatem puerorum percellemus: quòd illi ætatis decursu exhausti sint succis benignis: his, quòd facilè euaporet humidum, & quòd crescant; quæ loco pur-

4. Aph. 4. gationis sunt. *Ingrauidatio* præterea mulierum, phar-

Habitus corporis. maciam sistit: religiosè enim cum illis transigendum initio & fine gestationis. *Habitus corporis* pariter inter circumstantias est. raræ texturæ homines parcè purgandi, ob metum futuræ infirmitatis: quales sunt macie aridi: calidi & humidi facilè ferunt purgationes. non ita frigidi & humidi: ob inopiam spirituum & viarum angustiam. & notandum, num in proprio temperamento vitium fecerit humor: vt bilis ex bilioso corpore ægriùs educitur: ea pituitoso facilè. Ita si corpus à morbo langueat, aut cacochymia luxuriet, vel partes imi ventris extenueotur, aut abscessus si latet in imis corporis penetralibus, vt, pulmone, iecore, liene, renibus, non valido remedio concutiendum: ne rupto abscessu, ilicò

Aër. mors purgationem excipiat. *Aeris* etiam *temperies* est animaduertenda. æstate cum frigidis dentur pharmaca: nam æstiuus calor foras euocat succos, quos intrò rapit pharmacum. at natura, duos contrarios motus eodem tempore ægrè sustinet: & rapidi potentia solis viscera incendio conflagrantia, facilè ex catharctico febrem concipiunt. Deinde, quòd vis naturæ effœta, neque pharmaco neque humori vacuando par esse possit. Et algor hyemis difficilè humores demittit, densato cor-

Consuetudo. poris habitu; quare illi negocium facessit. *Consuetudo* inter circunstantias non vltimum locum sibi vendicare debet. Assueti pharmacis maiorem vim eorum ferunt: qui nunquam pharmacum bibêre, horum potentia per-

Ars. celluntur. *Vitæ genus* notandum insuper est: qui enim duram vitam agunt, artemque, laboris plenam exercent, leuem medicationem aspernantur.

IV. *Remedium.* *Tandem maxima cura* Remedij esse debet, vt rectè peragatur purgatio. Pharmaca quædam aperta vi purgant, [illegible] occultò. Quæ manifestè purgant, vel totum corpus vel peculiarem partem ab excrementis liberant. Totum quæ purgant corpus, nonnulla placidè illud peragunt: alia, turbulenta quadam concussione id præstant. In eorum exhibitione hæc summa cura adsit, ex Hippocratis sententia, *vt mixta remedia sint ὁμαιότροπα*, hoc est, *vt affinia, eodemque tempore purgantia*: ne celeritate purgandi, alia, alia anteueniant. Et ὁμῶς τε misceantur, grati odores sint, ne stomacho fiant infesta. &, vt discutiantur flatus. sintque talia, quæ actionem pharmaci non impediunt: *sint tenuia, non tamen ea mole & copia qua vrinam prouocent.* Pharmacum aptè comparatum sit ad peculiarem qui in vitio est prolectandum humorem, siue simplex educendus sit succus, siue commixtus: nam alius alio faciliùs effluit, seu à venoso genere, aut ex habitu corporis reuocandus fuerit. Sunt enim pharmaca quæ leniter, mediocriter, aut robustè succos ad sese rapiunt, vt manna, & rosatus syrupus, languidè bilem emulgent: fortiùs, rhabarbarum: at scammonium efficaci vi id præstat. Ita in aliis atque aliis succis educendis certam seriem virium summus Deus posuit.

Id Notandum, quòd catapotia semper sint molliuscula, & erui magnitudine. Hæc quæ sint, & quo filo sua munera absoluant, abundè explicatum à nobis fuit libro secundo huius Methodi: vbi de iis quæ vniuersum corpus purgant, clysteribus, alui deiectione, vel vomitu. nam de particularibus purgationibus, vbi de causa continente morborum agemus, pertractabimus.

Vsus rectus remediorum. Vsus remediorum consistit in recta eorum adhibitione, quæ habetur ex eorum qualitate, quantitate, tempore adhibendi, & vtendi modo. *Qualitas* sumitur ab eorum actione, vt calfaciendi, adstringendi, vel totius substantiæ actione: & à parte cui student; vt quædam stomachica, alia hepatica. *Quantitas* eorum ducitur à magnitudine morbi & eius pertinacia, peculiari corporis natura, virium robore: partis conditione, in sensu, substantia, officio, formatione, situ, & societate. *Vtendi modus*, ab humoris sumitur natura, & eius motu ad nobiles vel ignobiles partes: & à morbi conditione, hoc est, tarditate & celeritate: ea via per quam educitur, & remedij vehementia. *Tempus & occasio* sumuntur ex præsentia affectus, & virium robore admittente, & ab humoris motu, & à motu naturæ: nam alia initio conueniunt, alia in fine morbi.

Quædam in vsu purgantium notanda. Vt autem cuncta methodo peragantur, *quædam notanda sunt ante vsum pharmaci, & in ipsa exhibitione: alia post pharmaci assumptionem.*

Ante. *Ante*, horum cautio adsit, *vt nausea sistatur*: quare

Ad nauseã. cùm poculum ori admouet æger, eius labrum, quà patet, linteo aceto madente inuolutum sit, vt nares feriat. aut aqua rosata naribus admoueatur, vel panis tostus & aceto tinctus, aut mala cydonia olfacienda. & oris ablutio ilico à sumpto pharmaco prodest cum posca, vel succo puniceorum malorum. Quidam præmandunt

Ad vomit. pyrethrum. nam fatuum reddit os. Vomitus arceatur ligatis extremis artubus: aliquid roborans stomachi vim sumatur, & quod remedij saporem obscuret, vt poma aurantia, mala punica, cydonia, medica, mespilum, omphacium, oxyacantha, ribes, mora immatura. Cucurbita vitrea vmbilico supposita vomitum compescit. & pedes priùs calfacti. Peculiaris natura ægri notanda; nam qui imbecilles sunt ventriculo, aut qui iecur calidum habent, in æstate primùm bibant succum ptisanæ aut granatorum: ita non facilè euoment. Aër cubiculi non adeò calcat vt in peripheriam corporis calidum natiuũ rapiat, id enim sistit pharmaci motum. Hæc in pharmaci vsu obseruanda.

Post. *Post medicaminis assumptionem* statim hordei pulticulam sorbeat æger, vt in fundum feratur pharmacum, & vt à stomacho vis pharmaci abstergeatur: is enim nauseæ auctor, ac ibi molesta remedij vis cor ferit. huius vsus erit, vbi magna ac ferox pharmaci potentia fuerit. Si lenius fuerit pharmacum, sumatur paulò ante vel post cibum: vt iusculum cum sale vel saccharo. Si ex medicamentis validioribus fuerit instituta purgatio, post duas vel tres horas, ineunte iam ferè purgandi motu, quid sorbeat. Sin valentissimum remedium fuerit, inedia transigatur: nam stimulo non eget. Prandium sit illis parcius. A purgatione paulatim ad diætam se cõuertat; non ruat in cibos: Robustum pharmacum, somnum non abnuit, qui ilicò illud excipit: lenioris autem remedij vis, somno euanescit: sed cibo acuitur. Si maiorem vim à sumto pharmaco exigas, corpus moueto ita natura excitatur, & humor incitatur, & facilè fit vt votis respondeat, & vt pharmacum humori vacuando analogum fiat. Sin inhibere velis vim pharmaci, somnum conciliato, neque moueto: id vtiliter fit, cùm metus adest hypercatharsis & conuulsionis: omnis enim conuulsio & singultus ab hypercatharsi lethalis est. Antequam officium suum perfecit pharmacum, in inedia tempus transigat: si non sufficit æger, ilicò à pharmaci sumtione hauriat iusculum aut panem vino madidum, ex Philagrij sententia.

Cautiones. Cautiones quædam in pharmacia sunt obseruandæ. Hippocrates scripsit, *elleborum* (hoc est, omne remediũ validum) *periculosum esse his qui integra sunt valetudine*: agit enim remedium haustum. si igitur visceribus benè constitutis, humoribusque bene temperatis (vt

quibus

quibus excrementa ſanorum ſunt ſimilia, vnde carnium ſanarum character, moles & natura elucet) his, dico, ſi graue pharmacum detur, illa bona contabeſcent ac ſoluentur: cùm aliud nihil habeat, in quod vires ſuas exerceat. Quibus igitur commodè dabitur? Reſpondet Hippocrates, ſi cui febris experti, cibi faſtidium, cordis morſus, vertigo tenebricoſa, & oris amaritudo oborta fuerint, purgatione, quæ ſurſum fit, opus eſſe ſignificant: hæc enim ineunte morbo fiunt à tranſlatione ſymptomatica.

Præterea in morbis non ſemper purgandum, non enim omnium morborum curatio in purgatione conſiſtit. hoc dixit Hippocrates, cùm inquit, *Quibus ſtrophi, & circa vmbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque purgatione diſcutitur nec aliter, in ſiccum hydropa firmatur.* Cùm igitur, nec clyſteribus, cataplaſmatis, fotu, aut purgatione miteſcit, indicium erit ab hectica intemperie tenuium inteſtinorum & meſenterij malum incurabile hærere: nam ſymptomata diſcutiuntur, ac cauſa manet: inutilis igitur his purgatio.

Purgationis perfectæ nota.

Perfectæ purgationis indicia ſunt, *mutatio excreti humoris & ſomnus*: nam Hippocrates 1. aph. 23. dicit, *non copia, ſed alacritate purgationes metiendas eſſe.* quaſi ibi aſſerat Hippocrates, duo eſſe iuſtæ quantitatis ſigna tecmeria in omni vacuatione. ægri alacritatem, & humoris qui in vitio eſt excluſionem: propterea ſcripſit venerandus ille ſenex, *In commotione & profluuio non mediocri, & vomitibus vltrò obortis, ſi quidem qualia purgari oportet excludantur, confert, & ferunt alacriter: ſin minus conuenienter feruntur, damnis augentur.* Inſigne hoc experientiæ fuit theorema, ex quo animaduertitur, quòd humor qui in vitio eſt excludatur, quodque nulla ratio in eius excluſione deſideretur qualitatis, quãtitatis, temporis & excernendi modi: etenim œconomiam naturalem impeditam reſtituit, partes nutritionì dicatas ab omni iniuria vindicat, per loca lege naturæ commoda educta materia morbifica. Notanda & ſitis. nam illa ſignum eſt iuſtæ purgationis, modò leui catarrho non irritetur, aut nulla excuſatio adferri poſſit æſtuantis ventriculi, vel inflammantis pharmaci, aut bilioſi humoris. Si hæc abſint, indicium erit pharmacum ſuo officio functum eſſe, & aliquid totalis humidi abſũſiſſe; modò tamen mador ventriculi ſitim nõ diluat.

Has cautiones cautiſſimè proſequitur Hippocrates quarto Aphoriſmorum: in quo omnis purgandi ratio continetur, tum ſymptomatica vi, tum artificioſa qua fit molitione.

Superpurgatio.

Si euenerit vt nimia vi ſeſe effundat remedij potentia, hoc modo domabitur: manus & brachia aqua calida foueantur, ſi catarrhopos fuerit humor: ſi anarrhopos fuerit, crura pedeſque foueantur: & vincula his iniiciantur. Theriacæ exhibitio ſiſtit vim remedij ac impetum ruentis humoris: traiicit enim vipera cuncta in peripheriam corporis; quare & elephantiaſin curat: Accipe theriacæ nouæ ſcriptulos quatuor; aut ſi antiqua ſit, addantur duo grana opij; vini generoſi vncias tres: exhibeantur vna vice. Balnei vſus, & ſudoris euocatio iuuant. & vſus rerum aſtringentium, vt terræ lemniæ, roſarum &c. cucurbitæ interſcapulio & hypochondriis abſque inciſione appoſitæ proſunt. Fotus ventriculi & hepatis ex roborantibus & adſtringentibus, ſiſtit vacuationem. ſit cibus, & potus ſtipticus. Aër ſit temperatus, nam calor exhaurit ſpiritus: frigus, ad inteſtina exprimit. His omnibus deuictis, ad narcotica ſurgendum, ac philonium cum terra lemnia erit exhibendum. Cùm humores educuntur quos peculiari ſua vi medicamen non prolectat, id fit, vel ob medicamenti vim, vel vaſorum imbecillitatem, vel oſculorum laxitatem.

Symptomata mala à purgat.

Si praua incurrant ſymptomata ab vſu pharmaci, remedia formabimus ducto indicio à vi pharmaci. Si illud ſoluat comprimendo, lubricitantibus occurremus. Si deleteria facultate diſſoluat, vomitu, modò præcordia laceſſat, eiiciemus: clyſteribus, ſi ventrem: antidotis, aliis remediis iam victis. Si ſit ex ducentibus peculiari vi, aſtringentibus exprimendum, & clyſmis attrahendũ. Si hoc non prodeſt, vena ſoluenda: primò baſilica, hinc ſaphena. Omnem ſymptomatum varietatem obortam à vi pharmacorum & eorum curationem accuratè proſequitur Meſues libro 1. De re medica, Theoremate tertio & quarto.

Si pars peculiaris purganda fuerit, addemus ea quæ parti conueniunt.

Cùm non purgat.

Sed quæ cauſa eſt quòd interdum adeò languet vis remedij, vt nihil euehat? Hoc fit ob exoletam remedij vim, aut minimam eius molem, vel quòd natiuum calidum, ob imbecillitatem, erigere vim remedij nequeat: aut ita elucet natiua caloris vis, vt ſuperet medicamentum, & id vertat in ſimilem ſuccum ei quem trahere deberet; vel expultrici facultati non obedit, aut meatus conniuent ab infarctu materiæ; aut flatibus via intercluditur, vt interdum, dum ſcybalis reſtagnat aluus: aut auerſo remedio ad vrinas, aluum eludit: id innuebat Hippocrates, cùm ſcripſit, *Mictio ſi multa de nocte fiat, exiguam deiectionem ſignificat:* deriuatione materiæ, ac negato fæcibus vehiculo His interdum pro nutricatu corpus fruitur: interdum in corruptelam ac exitium vertuntur.

Obſeruatio.

Notandum ex Aretæi ſententia, capite de Melancholiæ curatione, *ventriculo eſſe conſulendum à purgatione: vinique,* inquit, *paulum bibat, & alia in cibis iucunditas concedatur*; ſtomacho enim & viribus laborioſa purgatio eſt. Purgationis tecmarſin deſcripſit Hippocrates, his locis; libro primo Aphoriſ. 1. 23. 24. libro ſecundo Aphoriſ. 9. 29. 30. 36, 37. libro quarto Aphoriſ. 1. 2. 3. 4. 5. vſque ad 21. & 27. 18.

CAPVT IX.

Prima primæ indicationis curatiuæ pars, de cauſa morbi antecedente: quomodo & quibus cautelis eam auferat Phlebotomia.

DE Venæ ſectione iam à nobis agendum eſt: nam de cauſæ morbificæ antecedentis (cùm copia in vitio eſt) euacuatione agimus. Hanc euacuationem fieri diximus, vel cùm inutilis humor eiicitur purgatione, vel cùm vtilis iunctus inutili ſimul exhauritur venæ ſectione. Vena ſecatur ad vacuationem & reuulſionem cauſæ antecedentis, amotionem coniunctæ, temperamenti reſtitutionem, & ſuperſtitis materiæ præparationem. Hanc olim Chryſippus Cnidius ab omni morbo eiecit; & hunc ſecuti Ariſtogenes Medius, & Eraſiſtratus, quam, inquit Galenus, ridiculè Apœmantes & Strato difficilem dixere, quòd difficilè vas internoſcatur ab arteria, vel quòd nimio ſanguinis effluxu quidam exſpirarunt.

Quid Phlebotomia.

Eſt autem phlebotomia, totius corporis euacuatio à ſanguine, venæ ſolutione aptè facta, vt humorum ſymmetria conuenienter corpus fruatur. Quare cùm cachochymia in vitio eſt, hoc eſt, cùm à ſanguinis natura deceſſit, purgatione vtimur: cùm verò plenitudo ſuccorum adeſt illis ſub ſanguinis forma auctis, phlebotomia abſcinduntur. Ambo hæc, maxima remedia ſunt, ac magnis morbis debentur. Horum vſus ſimul interdum incidit, cùm & plethora & cacochymia premit. Quo in negotio, vtile hoc Axioma ponitur; *Cùm horum duorum celebrium remediorum ſimul inciderit vſus, à phlebotomia eſt auſpicanda curatio: modò ex peculiari ventriculi vitio aut venarum primarum crimine malum obortum non ſit.* Alioqui enim, plenis ac diſtentis ſanguine venis, pharmaci poteſtas traiicere ſe per corpus non poſſet: quare nihil aget, vel prauè aget. Ita Hippocrates

Inceſſus vſus phlebotomiæ & pharmaciæ.

6. Epidem. 1.

in hepatis doloribus, & splenis grauitate, in inflammationibus, collectionibus, postea clysmo vtitur: hinc purgat. Sed dicet quis, quod crudum restagnat in mesenterio, ad venas rapietur: Respondemus, id fiet solùm in nimia vacuatione sanguinis. tamen ventriculus & intestina sint vacua. Quare clarissimus vir Montanus, in difficillima illa re ex situ humoris nata, venam solui iubet: cùm in morbis frigidis cacochymia pharmaco detrahi non potest, ob humoris crassitiem & contumacem obstructionem venarum mesarrhaïcarum, cùm longè recessit malum à purgationibus dicatis viis, hic venam soluit; propter morbi magnitudinem & symptomatum vehementiam: quæ sunt duæ phlebotomiæ præcipuæ Indicationes.

Quatuor notanda vt aptè fiat phlebotomia. Hoc præclatum artis instrumentum vt aptè corpori humano aptetur, hæc maximè obseruari debent: *affectus præter naturam, & loci per quos sanguis euacuabitur: circumstantiæ; & instrumentum quo elicitur sanguis, eiúsque encheiresis.*

Affectus. Primò igitur ab Affectu, & ex iis quæ affectum præter naturam necessariò comitantur, ritè perpensis, rectè phlebotomia in vsum trahetur: his symbolis ac *Quis.* notis præeuntibus, Quis, Quantum, & Quando. Hoc est, si primùm exploratum fuerit in quo affectu sit aperienda vena, & quantum sanguinis sit exhauriendum, & quo tempore illud agendum.

In Quo itaque affectu erit soluenda vena: Maximi mittendi sanguinis scopi sunt, *morbi magnitudo præsens* *Morbi magni.* *vel futura, & vires.* Morbus magnus est vel sua natura, vt inflammatio: vel symptomatum vehementia, vt ex parotidibus iuuenes faciliùs pereunt ob doloris vim; Æthiopes ex causo, cognato tamen naturę illorum morbo: vel causæ immanitate, vt senes ex febre: vel quia pars princeps, cuius officium latè se effundit per corpus, affecta est. Galeno insuper morbus magnus est, qui vehementer & pauco tēpore affligit. Et hic ille magnus morbus est qui phlebotomiam exigit: nam elephantiasis & hydrops, magni morbi sunt, non tamen ita venæ se- *Causæ phlebotomię.* ctionem postulant. *Apud Hippocratem quatuor sunt causæ mittendi sanguinis, inflammatio, translatio symptomatica, dolor, & obstructio*: omnes grauium morborum auctoras. Et nihil est quod æquè hæc pericula accersere solet ac plethora.

Plethora. *Plethora est nimia auctio sanguinis.* Sanguinis nomine voco totam massam, quæ nutriciis succis quatuor constar cum suis ichoribus. Etenim in corpore esse videtur dupla proportio sanguinis ad pituitam: pituitæ dupla ad bilem. Quare cum simul pro rata cuiusque proportione increscunt, vel cum sanguinis purior pars validè luxuriat, vocatur plethora ad vasa pura, & tensione percipitur; admodum periculosa, qualis in athletis. Quod si non adeò increuerit vt vasa rodat, si tamen ita increuit vt natura hanc molem gubernare nequeat, vocabitur plenitudo ad vires; hæc grauedine se prodit. Sin alij succi validè aucti fuerint (loquor non de excrementitiis, sed de alimentariis succis in sanguine) vt melancholia, bilis, vel pituita, dicitur plethora ad vasa impura. In pura, vena tutò soluitur: in impura, non ita tutò; quò puro vicinior (vt in biliosa & melancholica plethora) eò copiosiùs eliciendus erit sanguis: quò impurior, eò parciùs; vt in pituitosa. Nam ad id exhauriendum quod phlebotomia eximi non potuit, inuenta fuere cum Balnea tum Laconica, quæ totum corpus vacuant à sero sanguinis & fuliginibus: & vretica medicamina, quæ vrinarum promotione corpus purgant, venę sectę loco sūt. Propterea dicebat Galenus, *cùm crudus succus per corpus collectus est, in extrema pericula abripit phlebotomia, adeò vt ad pristinum locum reuocari corpus nequeat.* Plethoræ impuræ ad vasa, maximè conuenire videtur illud Axioma, *à phlebotomia auspicandam esse curationem, non à pharmacia.* Plethora non tantum cùm morbos fecit, sed cùm facit, venæ sectionem indicat: idque à metu magni morbi. Ita in metu iam iam futuræ epilepsiæ, apoplexiæ, vertiginis, sanguinis sputi, melancholiæ, Galenus venam soluit. Et Hippocrates ita scripsit; *Habitissima constitutio quæ in summum euasit, qualem in athletis cernere est, periculosa: nam suo statu manere non potest, neque quiescere; cùm verò non quiescat, & accessio ad melius nequit adiungi, restat vt recidat in deterius; quò fit vt talem habitum sine mora laxare oporteat: vt corpus de integro habeat locum reficiendi sui.* Quare rectè illud Quintilianus, *prauior omni fame sagina.* cuius saginæ historiam omnium lucidissimè demonstrauit nobilis ille totius litteraturæ ocellus, imò politioris scientiæ hoc sæculo caput Iustus Lipsius, primo Saturnalium, qui De gladiatoribus, capite decimoquarto, folio 53. His enim, quamuis nondum ægrotarent, distenta erant vasa & musculi sanguine: quòd vasta mole corporis gauderent, ad res gerendas & sanitatem tuendam incommoda: vnde nobilis ille dux Philopœmenes, apud Plutarchum, hos sannia excipiebat. Cùm itaque ille habitus periculi plenus sit: cùm facilè venæ dehiscant, vnde hæmorrhagiæ periculum: aut ne oborta vniuersali inflammatione, febris ardens ac syncope incidat: aut interceptione viarum spiritus animalis, apoplexia incumbat; aut ne mole obrutum calidum natiuum extinguatur, ilicò vena pertundenda erit (metu grauiorum symptomatū) quamuis morbus adhuc sileat. Hinc eleganter Celsus scripsit: *Si plenior quis & speciosior & coloratior seipso factus videatur, suspecta habere bona sua debet.* Quare dicimus, quòd morbi geniti à plethora, venæ sectione curantur; & imminentes arcētur. Anniuersariis itaq; morbis impendentibus à plethora, venæ solutio morbū anteuertet: nā, dicit Galenus, *quæ morbis præsentibus rectè peraguntur, eadē his incipiētibus vel imminentibus rectè præscribuntur.* quare si solemnis vacuatio suppressa fuerit, vt hæmorrhagiæ, mensiū, aut hæmorrhoidū, audacter vena pertūditur: ita si quis à negotio, subitò se ad otiū & vmbrā cōuertat in pleno victu.

Vbi igitur adest vel imminet inflāmatio vel obstructio, dolor, aut symptomatica translatio, vena pertundenda erit: nam ibi iam tum fouetur morbi maximus focus, & plethora has calamitates promptè accersit. *Auicenna* *Copia sanguinis in humano corpore.* *corpus habere asserit libras viginti quinque sanguinis; & septendecim effundi posse vno die* absque interitu hominis. Galenus libras sex eduxisse interdum videtur: qui & in lienosis libram extraxit sanguinis. *Intelligere*, inquit, *nequeo cur reformident à sanguinis eductione in lienosis: nam sæpe vidi insignem vtilitatem eos percipere, si vel libram sanguinis secta vena deponant.* Auctior itaque redditus sanguis tollatur, ne putrescat, cùm à natura euinci & gubernari nequeat: ita reddetur corpus meabile, siccius, & ab infarctu tutius.

Affectum comitatur Copia & Tempus. Copia edu- *Quantum.* cēdi sanguinis, notari debet ex quantitate affectus morbifici, tum plethoræ copia, tum ex viribus ægrorum. *Huius quantitatis difficilis perceptu obscuritas*, inquit Galenus, *coniecturalem reddit medicinam*: quòd peculiaris natura nos lateat; ad quam tamen copiæ vim metiendam esse dicebat Hippocrates. *Cuiusmodi*, dicit, *natura fuerit eius qui perferet, pro eo ac decet faciendum.* Quasi dicat Hippocrates, quantitatis cautio non solùm *1. Aph. 3.* ex affectionis magnitudine, sed & ægri natura accipi *Ægri natura varia.* debet: natura communi, propria, insita, & aduentitia: in temperamento, habitu, humorum dominatu, consuetudine & diæta. Hæc sæpe nos latent. Præterea & ambientis aëris futura temperies nobis incomperta est: sæpè enim eius rapido æstu præter spem incandescente, dissipatur ac exhauritur sanguis, quòd minimè cogitabamus: & febris plurimum depascitur sanguinis: habitúsque humidus facilè tenues in auras soluitur; hinc vires fractæ languent. Tutior tamen vsus phlebotomiæ quàm pharmaci, nam ex arbitrio nostro sisti potest. Quidam suadent hyeme liberaliùs emittendum esse, parcius

æst ater

æstate:reliquis tempotibus mediocriter, modò morbi respondeant. Non laudo nimiam audaciam in sanguinis extractione:ne illud Lucani quis inferat ex libro secundo, vbi de vindicta Syllæ, quæ perniciosior fuit, quàm si scelera impunita reliquisset, dicit:

Ille quod exiguum restabat sanguinis vrbi,
Hausit: dumque nimis iam putida membra recidit,
Excessit medicina modum, nimiumque secuta est,
Qua morbi duxere manus.----

Copia decens quatuoc his præceptis proximè captatur.

1. Si vires prostratæ langueant, ac plethora grauis & impura premat, aut magnus morbus bellum moueat, adeò vt vacuatione copiosa opus sit, partienda erit sanguinis eductio: vt ego, inquit Galenus, feci; nam pauco sanguine educto, melicratum exhibeo cum hyssopo: postridie iterum trahn sanguinem,

II. Vbi feruentis adest sanguinis plethora, acutissimam accendens febrem, ad lipothymiam (si æger par fuerit) educatur sanguis.

III. Pulsui manus medici perpetuò hæreat dum fluit sanguis, ac faciem ægri inspiciat, & impetum effluentis sanguinis, num eius robur languescat: si quid horum syncopem præsagiat, supersedendum ab emissione.

IV. In inflammationibus finis effluuij sit sanguinis mutatio, vel in melius, vel deterius: id enim ab inflammata parte elici denotat: namqui in inflammata parte detinetur, mutat colorem, ex ardore partis: vt in pleuritide, dum pro rubro fluat liuidus: nam ita excoctus fuit in inflammata parte qui toto corpore nigrior erat sanguis; vel pro crudiore, dū manat rubrios & flauior. Verùm non semper eò prouehi debet: nam vires id interdum non ferunt; interdum & malignitas inflammationis adest, ita vt nihil exhauriri possit ab inflammata parte, adeò conniuent ibi interdum omnia. nonnunquam à prima natura ater sanguis corpori inest, quo suauiter pro nutricatu fruitur id corpus quod natura melancholescit, vt notauit doctè Aretæus, de melancholia agens.

Quantitas educendi sanguinis maximè ducitur à morbo, aëre, & corporis habitu. ita antiqui. hodie copiæ rationem quidam aucupantur ex ægrotorum habitu, venarum amplitudine, & earum plenitudine. In grauibus morbis non tam interest qualem detrahas, sed qua copia, indicatione ducta à morbi magnitudine statu, & ægri viribus. In rupta pulmonis vena, primò liberalissimè educitur sanguis, altero die aliquantulum minus: & tertio die paucus euacuatur. In peripneumonia, angina, & pleuritide nunquam maturè nec nimis copiosè, dum ferant vires, educi potest sanguis. In magnis corporibus quidam vno die ad quinque libras surgunt, metu suppurationis & tabis.

Quando. Gal. 11. de sang. miss. Tempus secandi venam, inter ea est quæ necessario comitantur affectum. Quorum itaque morborum causa est plethora, hoc est, in quibus morbis sanguinis feruentis copia apparet, his confestim venæ sectio adferatur, priusquam in nobilem partem sanguis sese transferat: vt in febribus synochis, antequam sanguinis moles torreatur incendio, & putredo inualescat. *Quare dicit Galenus, ne per noctem sanguinem trahere verearis*: nam ridiculum, quòd quidam à septima hora ad duodecimam tantum sanguinem emittant: imò, inquit, *quocumque die scopos mittendi sanguinis inueneris, facito. etiam si is vigesimus ab initio extiterit, modò vires annuant & secundo die, si vires non emicent, ab eius vsu vereri oportet.* *Cap. 20.* Quare scripsit, *quauis diei ac noctis hora vena pertundatur, modò per febres id fiat in paroxysmorum remissione*: imitatione naturæ, quæ ineunte paroxysmo sanguinem nunquam eiicit. Abstinendum etiam in summo vigore qui crisim excipit: nam Hippocrates dicebar, *Vbi fames, laborandum non est*: in vigore est fames Quemadmodum per sanitatem, corpore inedia confecto non laborandum, ne vires ab exhaustu fractæ, accedente labore languescant. In quibus autem morbis (citra febrem essentialem) phlebotomia opus est, confestim id agatur: quòd nondum vires prostratæ languent, vt in angina, pleuritide, peripneumonia, aliisq; inflammationibus, quæ præcipuè inductæ sunt ob sanguinis copiā. Hinc Hippocrates dicebat, *purgandum in peracutis*, hoc est, in quibus statim symptomatum plena sunt omnia; *4. Ap.* & intra quartum aut septimum diem iudicantur; *si*, inquit, *humor sit efferus, eodem ipso die quo ferri incipit, excludendus*: nam affirmat, *in huiusmodi cunctari calamitosum esse.*

Si autem morbi magnitudo non viget, præstat manè incidere venam, horam antè vigilantibus: quòd manè funditur sanguis. Absit cruditas à ventriculo ac venis, in vsu phlebotomiæ. Iteratæ detractionis tempus, cùm euacuationi tantùm studemus, eodem die esto: nam si Reuulsio curę sit, si vel duobus deinceps diebus fiat, meliùs ac faustiùs illa eueniet.

Male à chirurgis obseruari lunam in phlebotomia. Astrologia demonstrat'o. Inexpugnabilis & Reipublicæ calamitosa quædam imprudentia, nomine ac vmbra præclaræ scientiæ, huius æui medicos ac chirurgos ferè inuasit: vt ignauus Accetus nauta, quem cùm nauigationis tæderet, lunam infaustam causari solitum ferunt; sic medici quidam, vt abdicent morbos, inauspicatos dies lunæ criminantur, dum conclamatum sit de ægri vita. Quin dum ex lunæ variis concursibus, ac syzygiis cum sole aliisq; erronibus stellis, tempus venæ secandæ captant, toto quod aiunt cælo aberrant; ac funestam calamitatem sæpissimè hominibus inferunt: cùm neglecta curandi occasione (in qua *ἐυκαιρία* acuta & inflexibilis est) tempus actioni opportunum petit; hincque ex malo curabili, insanabile efficiant. Hi si intellexissent, quid luna aliaque sydera possint; & quibus peculiariter bellum & quo tempore indixissent, non susque deque omnibus omnia vel facere, vel iniuria esse quæ ex syderibus dimanant, existimassent. Quare non ego, sed illi in causa sunt quòd hæc parecbasis longiùs aliquantulum excurrat, quò semel quantum auctoritatis lunæ, in venæ sectione cunctaque pharmacia ascribendum sit, intelligamus, receptusque error castigetur. Non ego is sum, qui diuina illa efficacia, qua efflorescunt in his inferioribus, spoliare sydera cœlumq; velim; sed doleo, ignauissimos homines, his vitalibus viribus nimis confusè omnia ascribentes, ad calamitatem & internecionem generis humani abutiturumque alios, tam conspicuas notasque sensibus naturæ vires in hoc amplissimo theatro tam clarè suas personas agentes, à mundo exclusisse. Reuerendus ille senex Hippocrates scripsit, *naturam eruditam esse, ac arte & iustè quæque peragere*: & post eum Cicero prodidit, *à natura cieri motus in corporibus necessarios, cuius solertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando.* *2. De natura deorum.* Hæc naturæ admiranda vis, quid potiùs erit quàm perpetua vbique Dei præsentia? qui pulcherrimo decore voluit ornari ad sui ideam cuncta quæ condidit, & nusquam non homini obtrudere vel in quaque herba præsens suum numen: ideò vim quandam diuinam dimanare sinit in hæc mundi pomeria, per sydera primùm ac cœlestia mœnia peruadens elementa, & quicquid ambitu mundi concluditur traiiciens: *Natura quid.* Nullo enim modo animum inducere possum, vt credam, vegetam vniuersi floridamque illam vim, qua cuncta producuntur, ex materiæ potestate proficisci: cùm materia ignara omnino sit formatricis sui (quod enim alienum à diuina forma est, id seipsum informare certè nescit) *Forma non ex materia.* sed quandam ad formam iam cœlitùs suscipiendam idoneam parationem (quam Platonici formæ inchoationem vocitant) adesse debere fateor: eamque, aptitudinem vel priuationem libenter voco. *Forma pars sit in materia.* Non tamen quòd formæ hinc ducantur tanquam ex naturæ sinu & gremio; sic enim formæ constabunt quadam materiæ temperatione & quasi harmonia: quæ sententia iam diu

diu ab Aristotele explosa fuit: & magis ac minus recipere poterunt.

1 De animal. 3. Omnino igitur vis ex summo Deo per astra sparsa, hæc cuncta peruadit voluitque. Ex hac tam præclara vi, dictum fuit olim, *Solem & hominem generare hominem.* Quam sententiam pulchrè explicat naturæ ille filius, probusque rerum omnium depictor, libro De mundo ad Alexandrum: hunc enim esse Aristotelis, vetustus scriptor Iustinus Martyr affirmat. Tota enim mundi machina, duabus naturis à summo Deo absoluta est; vna, cælesti: altera, natura, in elementari corporeaque mole posita fuit. Prior hæc nitida cælestisque virtus, spaciosè immensoque discrimine à corporea tarditate & materiæ mole recessit: non vllum enim sibi contrarium agnoscens, à quoquam turbulento elementorum incursu nec concutitur nec pessundatur. Quare doctè olim dicebant Ægyptij, τὰ ἐν τῇ γενέσει καθ᾽ ὅλου εἴδη πάσχει ὑπὸ τῶν οὐρανίων εἰδῶν: *formæ afficiuntur à cælestibus formis.* Ex hac cælesti potentia, graui sympathia cælorum ducimur: vtque ferrum, magnetis; ita hæc, cæli varios motus persentiscere ac sequi videtur. Hac quæ est nobiscum syderibus * συνοικειώσει, imminentia mala sæpe præsentimus: indicio, hanc nostri partem altioris esse originis, alioque (id est cælesti) raptu affici quàm elementari pondere pressæ substantiæ: adeò, vt iugulatum cadauer in hæmorrhagiam effusum (harum virium antipraxia) indicium det præsentis latronis. Cùm itaque elegans hæc vniuersi vis motum sequatur cælestium orbium, quantò illi illustriore micant lumine, abundantiusque luce circumfluunt, terræque viciniores voluuntur, tantò promptiùs choragum suum sequetur hæc cælestis vis.

** Id est, familiaritate & concordia.*

In corporibus autem cælestibus nihil Sole splendidius, nil Luna post hunc celebratius. Attamen luna quod micat lumine, id totum Soli acceptum ferre debet: seu longissimè à Sole digressa pleno orbe πανσέληνος fulgens: (quod decimaquinta ferè luce euenit) seu cum sole morata ferè biduo, iamque à coitu solis emersa, corniculata. Hecate μηνοειδὴς vocetur: aut longiùs progressa à sole, septima ferè luce conspiciatur * διχότομος: hincque cottidianis auctibus crescente lumine, propemodum vndecimo die gibbosa ἀμφίκυρτος appareat. quò spaciosiùs sole aberrauit, hoc pleniùs orbe niter. At diametri spacium emensa πανσέληνος, paulatim (ad solem reditura) minuitur, ac iterum ἀμφίκυρτος diei incipit, dum per triplicem iam dictam formam (vnde *Dianam Triniam* olim vocauere poëtæ) Solem subeat, eique iungatur, ad easdem vices mox exitura. Non aliunde hæ facierum lunæ variæ imagines à naturæ studiosis hominibus depictæ fuere, quam ex præcellentium quadam virium lunæ obseruatione: quibus efficaci impetu nouam cœli auram componit, nouo cum vultu arrider mortalibus: quouisque plantarum animaliúmque vernantem naturam (quouis impetu affecta) in suam temperiem ducat: occultósque sensibus motus, mutabundis rebus inuehat. Hæc agit conatu vario, efficaci, aut languido: vt luce decora, pleniùs splenduerit: aut hac fraudata, viribus quasi effœta elanguerit. Dum enim sub sole quasi vsta iacet torpida, nulla adblandiens amœnitate vultus, mundo iam tenebris induto, nec tanta luce conspicua quanta vmbram rebus deducere posset, id quod biduo ante congressum cum sole atque secunda luce ferè à coitu illi euenit, nullam efficacem vim ex illa per mundum fluitare obseruatum fuit. Quæ enim res cottidianis auctibus crescunt, ac decremento tabescunt, quæque cum luna (vt illa variè mutabilis est) variam faciem ducunt, hac sub sole latente, lumineque exuta, supersedere ab omni motu videntur, arbitrio quasi lunæ silentes. At id occultationis spacium, quo premitur Phœbeis radiis, nec oculis humanis sese videndam præbet, iam occumbente sole, non certa stataque periodo à summo Deo præscriptum fuit: modò enim citiùs, modò seriùs sese lumini solis eximit ac noua apparet; vt varia latitudine voluitur, vtque signum quod obsidet tardiùs aut ociùs occidit. Nec etiam tunc cùm primùm libera à solaribus radiis emicare cœpit, nec à Sole tanto cùm nondum circumfluit lumine quo vmbras rebus eximere possit, aliquem ingentem effectum rebus mutationi vel leuissimæ obnoxiis inuehere potest: sopita adhuc eius vi, luminis ex inopia. est enim lumen Lunæ (vt in Eclipsibus videmus) obscurius quam vt natiua efficacia inferna hæc attingat, ni, illa aurea catena Iouis (solaribus dico radiis) in ἐνεργείᾳ positum, fulciatur. Accedit & illud, quòd ita natura comparatum est, vt quicquid his mundi mœniis sub luna conclusum vagatur, cùm efficaciam aliquam alteri inurere velit, id omne irritum fore, ni nactum fuerit suo imperio tempus satis spaciosum. at Luna cùm noua iam iam mundo apparet, ilicò præcipitium Solis sequitur, ac nobis eripitur: quare tunc nihil orbi terrarum robustæ efficaciæ ingerere poterit. Et quamuis primò emicans Luna quid de se luminis fundat, id nimis hebescit ac titubat, crepusculo solari exceptum: Sol enim tanquam astrorum quidam rex, aliorum cohibet imperia. Hinc iam satis manifestum esse arbitror, nulla præclara viuidáque vi lunam impellere posse res huius mundi, (quæ alioqui eius imperium maximè sequuntur) antequam tantum splendoris induerit, quantum tenebris nocturnis euehendis ac vmbris iaciendis suffecerit, siue iam iam solaribus radiis premenda; seu, reuiuida luce ab oppressore suo Sole liberata, recens emicarit.

Varia lunæ facies à Sole.

** Id est, dimidiata.*

Lunæ vires, vt facies variæ.

Sub Sole cum est Luna.

Recens Luna.

Non leui calculo hæc ratio ponderari deberet ab egregiis illis aërambulonibus iatromathematicis, qui nefas esse ducunt venam soluisse, luna synodum suam cum sole celebrante: dum non nouo cornu falcata annuat noua Hecate: cum interim illa, cunctis viribus spoliata, nulláque insignis luce, sub alterius imperio effœta langueat. Tunc profectò minimè ab ea timendum, cùm viribus expugnata stupet: si enim quid periculi inuehere possit, hoc pleniùs dabit, incrementi faciente splendore, quo terram à nocturnis tenebris vindicare potest. Quare, luna silente, vena tutò solui, ac vsus purgantium sine discrimine vllo à luna iniri poterit. Nulla autem figurarum rotatione (perpetuò enim Proteo mutabilior luna, noua facie se conspiciendam præbet) altiùs suas vires exerit, vel vehementiùs præclaram suam potentiam ad nos præcipitat, quàm cùm libera à solaribus radiis, noua recénsque apparet: viuida etenim vi, & quasi vernante iuuenta tunc diutissimè fruitur. Cùm autem incremento ad summam vim pergit, dum toto orbe splendet, tunc pleno vigore ouat. Verùm id multum eius efficaciæ atterit, quòd incremento ad maiorem molem prouehi nequeat: iam enim pleno orbe, in summum lumen euasit, & cùm suo statu manere non potest neque quiescere; restat, vt iam extenuanda, breui tempore hac tam præclara facultate vti possit: ilico etenim vt incremento constitit, cursus decremento emaciatur. Quare primam excellentioremq; vim eius sextili ascribimus, hoc est, cùm duo zodiaci signa à sole recessit: quod si afflatu aliorũ syderum tunc calamitatem minetur, maximè à vena secanda temperandum foret. Ab ea eius forma efficacissimũ est πανσέληνον σχῆμα, cùm in orbem circumacta soli opponitur, & plenilunium tempus dicitur. At dum quartam cæli partem emensa, à sole tria signa euagata διχότομος conspicitur, nec tunc imbellis omnino illi est actio, nec celebris efficacia: sed mediocritate quadam temperatur lunaris vis. Verùm hebescit vndique, cùm quatuor signorum serie (quæ tertia pars cæli est) à sole migrauit: dum vltima sextili languescens, à sole combusta, omnibus viribus spoliatur. His cum sole concursibus res has

Contra Astrologicas Ephemerides.

Vena secanda Luna obseruata.

Libera à sole.

Plena.

Virium lunæ series.

Dimidiata.

Mediocris.

Languida.

has mutabundas vario ductu lacessere solet, nec solùm elementarem versare molem, quin & vegetatricem plantarum animam, brutescentiumque animalium, ac corpora hominum varia tempestate aspirare consueuit. Excludimus itaque tres dies à lunari mense, quibus deposita viribus languet luna: nec quicquam asserimus illã ductu suo gubernare posse: sed cuncta gubernacula cosmica cedit monarchæ syderum Soli: vt quæ lubenter fateatur illi acceptum ferendum, quicquid toto orbe lucis spargitur. Restibiles igitur sunt dies viginti sex, horæque duodecim, quibus rerum dominium nocturnum sibi luna vendicare potest. Etenim cùm mensis lunaris numeret dies viginti nouem cum semisse, bis si deducantur tres luces, quo spacio nullo præcellenti splendore micat, (quod fit sesquidiem antequàm soli iungatur, & post sesquidiem cum à sole migrare incepit, quod spacium tres dies implet) reliqui erunt dies viginti sex, horæque duodecim efficacioribus lunæ actionibus dicati. Hi sunt dies illi, in quibus variè ab aliorum syderum confluxu affecta luna, robur aut infirmitatem, salubria aut insalubria corporibus aspirare potest.

Dies, quibus luna viget.

Obseruatio. Luna felix non omnibus fausta.

Non tamen æquè omnibus felix aut infelix luna lucere potest: vt enim in genitura prima varios quis anæretas diuersosque aphetas sortitus fuit, ita luna per horum loca ac radios felices aut infaustos circumacta, (læta, vel infausta) cuique peculiariter sospitat, aut infelicitat venæ sectionem & pharmaciam. Quare luna in Leone versante, æquè feliciter, ac Aquarium percurrente vena soluitur: modò ab anæreta (ei homini cui percutitur vena) loci hi liberi fuerint. At insignes astrologicarum Ephemeridum auctores, ex vera Astrologia hæc obseruare non didicere. Sed in vehementioribus morbis, qui breuiter & cum summa vi suam absoluunt historiam, quales sunt anginę suffocationes, pleuritides, plethora, causi, omnesque inflammationes, in quibus symptomatum statim plena sunt omnia siderum influxus contemnendus est, ilicoque ad soluendam venam pergendũ. nam horũ morborum hyparxis, in inordinato potiùs quàm in ordinato consistit, hoc est, à materiæ vitio magis pendet, quàm à cæli iniuria.

Cautio.

Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Scio in his me methodi legem violasse: sed coëgit me huius æui insania, cui castissimæ huius virginis stuprum potiùs ascribi debet. Sed λεγέσθω δ' ἀληθῶς μοι ἐκ τούτου, ὥσπερ ἡ παροιμία φησί, * μαινομένοις ἀνάγκη ἔστι συμμαίνεσθαι. sed ad secandam venam potiùs redeamus.

** Cum insanis insanire coacti.*

Locus.

Locus in quo aperiri vena debet (in vniuersali euacuatione sine peculiari affectu) est in brachio vena basilica: nam hæc proximè ex fonte sanguinis, hepate, exhaurit sanguinem. Quibus autem eximia pars quædam (vbi euacuati non fuerint) infestatur, his ita tundatur vena, quasi iam inuaderet morbus: vt podagricis liberetur brachij vena: epilepticis, vena pedis: & in cruribus à mensium & hæmorrhoïdum suppressione si malum enatum fuerit. Quare imbelli in parte, per Reuulsionem commoda est euacuatio. Hodie sæpè secatur vena in manu: Galenus non manus venas pertundit, sed brachij. Dicet quis, secundo libro ad Glauconem, emittit sanguinem ex dextra manu. Respondeo, vtitur manus nomine pro brachio Græcorum more, vt sæpe solet; & ab ipso explicatur in libello De motu musculorum. Diuidit manum in tres partes, secundo De vsu partium, & secundo De fracturis.

II. *Circumstantiæ.*

Secundò in vena sectione obseruanda erunt circumstantiæ, nam ex his virium robur & morbi magnitudo (ex quibus præcipuè mittendi sanguinis tecmarsis ducitur) clarè nobis indigitatur.

Vires.

Inter circumstantias primum locum obtinent Vires, quæ consistunt in Spiritibus, humoribus, & partibus solidis. Hæc num integra validaque sint, indicant facultatum functiones: nam naturales, ex alui & vesicæ recrementis, ac vomitu reiectis notabimus: si enim naturæ rationem fugiant, à venæ sectione abstinendum. Nunquam enim illis exhaustis ac fractis, euacuatio erit molienda. Istud obscurè, vt ipsius est mos, innuebat Hippocrates, οὐ κενεαγγεῖν, οὐ πονεῖν, *corpore inedia confecto non laborandum.* quasi dicat: quemadmodum per sanitatem, non est laborandum, ne vires ab exhausto laborantes, accedente labore labefactentur: ità cùm certa de causa futura est aut antecessit fames, nunquam sanguis extrahendus, aut purgandum: nam in exhaustis viribus est fames. Vitalis facultatis robur, ex pulsu, voce & respiratione animaduertemus: vt animalis vim, ex motu & sensu. Vires autem imbecilles languent, vel ab exhaustu, aut ab oppressione. Hoc accuratè noscendum, nam moribundos ægros in Charontis cymbam præcipitant, qui reliquum vitæ spiritum cum sanguine profundunt, in iis qui ab exhaustu languent. Propterea doctissimus ille medicus Aretæus, vbi de melancholiæ curatione, ita scripsit, si quis in iuuenili ætate, melancholia corripitur, & veris tempore, vena in dextro cubito media cædenda est, quamuis sint graciles & sanguinis inopes. Sed vires consulendæ: nam quãuis sit crassus, biliosus, concretus, & ater sanguis qualia amurca; nihilominus ipse naturæ prædium est atque alimentũ. Vires autem mole pressæ, vberem vacuationem ferunt. Num autem ab exhaustu aut pressu langueant, docebunt causæ quę præcessere: nam si tales fuerint, quę viriũ substantiam (hoc est, spiritus, humores, aut partes solidas) dissipant, ab exhaustu laborare indicio erũt. Diripiunt autẽ hos vitæ thesauros, vel res pręternaturã, aut res non naturales. Res præter naturã, vt morbus & eius causa. Morbus qui exedit ęstu suo humidũ primigenium ac fluxũ id reddit: vt febris pestifera: & qui longo malo vires atterunt, vt tabes. Morbificæ causæ, quales crudi vel squalidi & feruidi succi; siue toto fusi corpore aut parte concepti. Toto corpore fusi, crudiores succi, languorem pariunt: in his, dicebat Galenus, notandum, num fracta omnino sit titubansque virtus, & num prolixè humor à sanguinis natura degenerarit. Nam cùm à crudis succis virtus languet, adeò vena secta vires prosternit, vt reuocari nequeãt: maximè si febris accesserit statu ęstino, stomacho fracto, corpore molli facileq; dissipabili: hinc enim syncope, & algor corpus premit. hi plumbeo sunt colore, vel ex albo pallent, & pulsus inæqualis est. Eo modo si crudus frigidusque succus os ventriculi occupat, cor vicinum refrigeratur, & inde torpescit spiritus vitalis. Toto corpore si succus torrefactus sese explicarit, spiritus vastat. vel stomacho si insederit, eum vellicat ac mordet: vnde animi deliquia eueniunt. Quare cùm causæ adsunt quæ spiritus, succos, aut partes solidas labefactant exhaustione, à phlebotomia temperandum. Inter morborum causas quæ vires prosternunt, est & Venenum, intùs procreatum, vel foras illatum. Intùs genitum, vt à grumo sanguinis, vel à menstruo putredine contaminato, aut semine virulentia inquinato. Grumi sanguinis, qui in vesica, intestinis, thorace aut ventriculo resederunt, fœdos colores, syncopen ac languidos pulsus inuehere solent, non sine ingenti tædio animi. Venenum foris illatum, vt ab aëre labe ac pernicie pestifera asperso. hîc aër spiritus polluit, ac mox humores inuadet, & vitæ opes vastabit: quare tunc vena non secanda temerè, ni ineunte iamiã morbo. ita, ab ictu aut morsu venenato cùm spiritus corporis ac succi fœdantur, à phlebotomia pax sit. Res non naturales etiam explorandæ, num vires exhauserint: qualis præcedens aëris æstus, an spiritus inflammarit: aut num strictum frigus oppresserit calidum natiuum: an inedia nimiæ ve exercitationes corpus exhauserint: vt vigiliæ & immodicæ excretiones quæ spiritus vnà euehunt, nimia Venus, animi pressus mœror, & exhauriens spiritusque effundens effusa lætitia, & multum diuque affligens corpus dolor. Hæc cùm præcessere, non

6. sang. mis.

Crudi succi.

Venenum.

5. loc. af. 4.

Res non naturales.

erit sanguis liberali manu eximendus : nam vires fractas esse inde significatio fit. Quod si hæ exhaurientes causæ absint, & tamen vires prostratæ langueant, has copia opprimi intelligemus. hoc fit, venis ac arteriis humorum mole infarctis, ac viscidis lentisque succis impeditis.

Temperamentum. Secundum locum inter circumstantias obtinet, Temperamentum corporis, quod examinandum est in colore, mole, charactere & habitu. Qui enim roseo colore efflorescunt, aut fusco habitu eusarco, denso ac firmo, venis amplis præditi, liberalem vacuationem ferunt. At corpora rara, mollia, tenuia vel obesa, ægrè largam vacuationem sustinent. Propterea Galenus dicebat, *Quæ ex mulieribus albidiores sunt, sanguinem solent gerere tenuem, quare scarificatione malleolorum pedis iuuantur : At nigriores, secta vena, curato: crassum enim sanguinem colligunt ; maximè si amplas venas sortita fuerint.* *De sang. miss. 9.*

Ætas. Ætas præterea inter circumstantias est. senibus non tutò secatur vena : nam his substantia virium exhausta est: hoc est, quibus spiritus, succi ac partes solidæ iam robustam vim suam exspirarant. Attamen senex valetudinarius, non ab exhaustu senij aridus & exsanguis, sed his malis fatigatus, quæ tertio Aphorismorum vltimo describuntur, frequenti moderataque sanguinis eductione liberatur. Si acuto morbo implicetur venoso corpore senex, vena commodè pertundi poterit, & extrahi ad aliquot vncias: & per ἐπαφαίρεσιν repetita ablatione, sanguinem exhaurire prauum. Nam Galeno auctore, & septuagenariis, modò pulsus emicet, si affectus tulerit, copiaque sanguinis adsit, venam pertundemus. Vltra tamen quadragesimum quintum annum rarò excellens adest virium robur. Sed dicet quis, igitur pueris liberali manu debetur sanguinis extractio, nam virium substantia abundant. quo enim quid propiùs abest à suo ortu, eò triplicis naturæ viuidior substantia inest. Dicimus, vires naturales puerorum valere quidem in præsenti: tamen, quia metuimus, ne phlebotomia eorum vires dissipentur, (vtpote multo vuido & dissipabili consistentes) abstinemus in pueris à sanguinis missione: non tam respicientes ad præsentem statum, quàm futuram infirmitatem. Hæc dicere videtur Hippocrates, cùm inquit, *Quæ incrementis augescũt* vt pueri, in quibus fit promotio ad vlteriorem terminum, mutatione magnitudinis quæ fit per extensionem seruata pristina continuitate, *plurimo natiuo calido circumfluunt* : nam multum habent humidi spermatici primigenij, perfusi calore & spiritu. Est enim consentaneum, vt id quod augetur calidissimum sit : quò non solùm materia dissipata restauretur, sed quæ priùs exciterat, connaturalis materiæ accessione augescat: propterea, inquit, iis multo nutricatu est opus, alioqui corpus tabescit. Quare cùm pueri vuido calore circumfluant, plurimumque dissipetur in illis ob incrementum & exhaustionem ; nam tenellum corpus assiduè fluit, proptereaque multo nutricatu opus sit : eius loco multa inedia reponenda non est : id autem faciet larga phlebotomia. quare à pueris sit illa aliena : nam exhaustio & incrementum illis est loco venæ sectionis. Attamen Galenus, pueris decimumquartum annum agentibus, sanguineis, & acuto morbo implicitis, cotylam siue libram extrahit : & viribus perseuerantibus ac premente morbo, iterum semilibram educit. Nam quæ insensibiliter exhauriuntur, sensim id agunt, nec vt decet accidunt influentem causam morbificam quæ vrget. Vnde neglecta occasio cùm reuocari nequeat, pereunt, cùm iam incubuit tota materia parti inflammatæ. Et quidam robusti sunt decimo anno. sed his parciùs demes : aut saltem cucurbitis, vel hirudinibus eximes.

Aer. Aër suum locum inter circumstantias sortitur. qui consideratur in regione, anni tempore, & cæli statu, quo ille longiùs à genuina sua moderatione recesserit eò parciùs euacuandum. *Ver*, inquit Galenus, *præcauendis morbis est idoneum : complures*, ait, *sanaui, qui tribus quatuorve annis ex podagra laborarant, educto sanguine qui copia luxuriabat. Sed*, inquit, *in victus ratione non fusque deque sese gerere postea debent.* *De sang. miss. 6.*

Euacuatio. Inter circumstantias est & euacuatio, subitò cùm vena iam iam secanda est prosiliens : Ea vel morbi causam delet, vel eam non demit. Si non accidit morbi causam, venam aperiemus, sed recreatis primùm ægris. Vt in pleuritide ineunte erumpens sudor, aluus, vel vomitus: nam nihil rectè fit quod ante significatum non fuit, signis apparentibus ad speciem, & tempus crisis, hoc est, signa pepasmi debent præcedere excretionem, quare viribus firmatis, hisque symptomatis sedatis venam secabimus. Ita in febre ardente, cùm vomitus molestus est: nisi à venoso genere, ventriculo immisso succo ac halitibus, is euenerit. sed in his aliquantum parciùs euacuandum erit. Sin euacuatio morbificam materiam excludit, nihil tentabimus nos, modò absolutè excussa illa fuerit : ex sententia Hippocratis, cùm inquit, *Quæ indicantur perfectè, quæque indicata sunt exquisitè, nullo modo nouanda, neque medicamentis purgantibus, neque aliis irritamentis, sed missa facienda.* Quasi dixerit Hippocrates, si rectè mouet natura, excitabis hypercatharsin: si tu κίνει illa fortasse ἄνω: sed præstat non irritare, nec ad reuulsionem, aut deriuationem, vel vacuationem, aut coëffusionem qua quod deest vacuationis exciramos : natura enim sagax suos dentes ac vngues gerit. Quòd si natura euacuationem téret nec perficiat, nos coëffusione vtemur, hoc est, quod deest vacuationi excitabimus. Vt cùm (vel in puerperis) grauis pleuritis aut hepatis inflammatio aut febris vrget, & substillum sanguinis languidè ex naribus vel hæmorrhoidibus aut vtero feratur: quo fluxu, non alleuantur morbo implicitri, nos venam secabimus. Ita in pestiferis febribus vbi stillant pauco sanguine nares, liberali manu exhauriemus sanguinem: quòd mole pressa natura, illi sit impar: tentat quidem excretionem, sed fatiscit. mirum est, inquit Galenus, vt natura sese abiiciat, cùm quod tentat, excludere nequit.

Consuetudo. Consuetudo inter circumstantias suam vim habet. Quibus sæpiùs secta fuit vena, quique tulere ex facili, his securiùs soluitur.

Quæstio de ingrauidatis. Quæstio est medica, & vsu nobilis, num ingrauidatio inter circumstantias sit phlebotomiæ. Quidam enim venam non esse secandam grauidis existimant, quod insolens veteribus id remedium fuerit in grauidis: nec eius Hippocrates vnquam meminit, nisi semel in morbis mulierum. *Si*, inquit, *florenti ætate, mulier sanguinis plena, viribus valida, ex partu difficili laboret, misso sanguine è malleolo, natura impetu deorsum conuerso, præcipitatur fœtus.* Sed id non lucidè ostendit, vtero gerentibus Hippocratem venam secuisse: nam id præscripsit quò ex vtero laberetur fœtus. Præterea quinto Aphorismorum, inquit, *In muliere vtero gerente, vena secta abortionis causam affert; maximè si fœtus grandior sit*: Respondemus, Hippocratem id affirmare de copiosissima sanguinis extractione, qua fœtus suo genio defraudatur : nam olim non nisi ad libræ pondus, quod minimum erat, trahebatur sanguis: vel fortè de vena pedis id protulit Hippocrates: nam hæc præcipitat fœtum. Etenim Celsi tempore, vsus docuit, non adeò reformidandam esse phlebotomiam in ingrauidatis : quod auctoritate Hippocratis firmatur, & ex naturæ lege. Nam quæ corporis constitutio eiusmodi est, vt in corpore cacochymiæ obnoxio, validum pharmacum purgans sine detrimento ferat ; eadem, in corpore à cacochymia expedito, faciliùs phlebotomiam feret, quia in hac sunt validè virium substantiæ, in illa pollutæ. at ingrauidatio talis est constitutio, quæ pharmacum validum ferat: igitur feret & lenius, nempe phlebotomiam

4. Aph. 1. botomiam. Et quicquid ex naturæ imitatione fit, id bene fit: at sanguis sæpè commodis ingrauidatarum profunditur vltrò: annuente itaque natura, vena interdum his solui poterit. Quare primis mensibus tutò vena aperietur, si morbus grauis vrget: nam fœtus menstruus vix drachmæ pondus æquat; trimestris, vix semunciam: quare non multo nutricatu illi opus est. Et si peracutus morbus bellum inferat extremis mensibus, sine fœtus & fœtæ iniuria emitti sanguis poterit. Nam etsi pluri grandior fœtus eget alimento quàm primis mensibus; quia tamen pluribus mensibus sanguis retentus fuit, copiosior postremis mensibus existit: indicio est lac, quod tunc copiosissimè gignitur. In lacte enim fucus naturæ est: nil enim aliud, quam albus sanguis, coloris aucupio crudelitatem fugiens.

Instrumentũ & encheiresis chirurgi. Tertium *quod annotandum erat, vt rectè & conuenienter fieret vena sectio, erat instrumentum quo vena pertunditur.* Vt opportune eo vtamur, quædam ante venæ sectionem peragenda sunt, quædam in sectione, & quædam post.

Ante phlebotomiam. Antequam incatur sectio, curandum ne quid crudi in prima aluo hæreat, quod postea in sanguinis educti sedem trahatur. Cruditatem præsentem agnoscimus ex assumpti cibi qualitate, copia, tempore & vtendi modo: si enim non admodum est quod pastum inierit, cruditas præsens eric: maximè si grauet ac tendat hypochondria, & ventrem. Et cauendum ne putridus succus circum præcordia hæreat, quod elucet ex compressis quasi vinculis præcordiis, & ex nausea: excludenda cassiæ vnciâ, remixto scriptulo specierum hieræ; si superas ad partes repere videatur humor: alioqui lenis cyster eluat primam fœditatem. *Nisi tamen talis calamitas inciderit, qua minimè moram coctionis admittat: vt si quis*, inquit Celsus, *ex superiore parte deciderit, si contusus sit, si ex subito casu sanguinem quis vomit.* quasi dicat, hîc moræ impatiens erit afflictio: quare ilicò soluatur vena. Quibus stomachus à calore languet, quibusque sensilis admodum ille est, vel si homo picrocholos fuerit, his dabimus parum succi citreorum, vel ribes, cum pauca aqua. Sed non multum humidis vtantur: *nam*, dicit Auicenna, *in iis qui phlebotomantur super potum aquæ plurima timetur hydropicis, propter expulsionem aquæ cum sanguine ad profunda membrorum.*

In phlebotomia encheiresis. In sectione obseruandum: si æger languet, vt se prosternat in dorsum, partibus cunctis ritè compositis ad æquabilitatem: ita enim spiritus facilè viam affectant ad partes exhaustas. ac à principibus partibus profecti facilè influunt: & viscera in dorsum versa, sedendo quasi quiete mulcentur. Pars prona fricetur à chirurgo, vt emicent venæ: & supra locum secandum, lorum iniciat arctè, si venæ latitent: & recto ductu ligetur, ne quid venam tegat, sinistræ pollice venam firmet: quò maior renisus appareat, & vt turgeat. Deinde ferrum blandè & modicè obliquè in capacitatem vsque venæ infetat: qua pertusa, ferrum non retrò reuocandum est quà perrumpit, sed eius acies tollenda, cauda depressa. Hoc vt rectè fiat, sit manus ministra non pensilis, sed minimo & annulari digito, innixa membro: & promineat ferrum prolixiùs quàm adigetur, fugit alioqui visum sectio; & si quis tremor sit membri secandi, assequi venam chirurgi manus nequit. Nec metus est vllus, ne æger metu perculsus, membrum aciei inferat: nam semper eam fugiunt, ac longiùs ab ea membrum secandum abripiunt.

Notanda. Si verò adacto loro vena non se prodat, si sub sit quid teres & renitens, ablato vinculo pars accuratè tactu exploretur: nam si & tunc durities perseuerarit, non vena, sed tendo aut musculi caput erit: nam vena laxato loro statim considit, iterumque vinculo iniecto renititur: arteria micat, sed non pressa loro: quare ante tentabitur digitis.

In pueris vena, neruus, arteria ferè simul conglobata sunt: fiat in his amplum, non altum vulnus.

Cautio adsit hæc in pertudendis in brachio venis: vt *Cautio.* Basilica feriatur postquam se iunxerit cephalicæ, infra eundo per digiti latitudinem. At cephalica, sursum eundo per digiti latitudinem. Rationem corporum sectio nos docuit. Nam maximus neruus qui ex ceruice, inter primam costam & clauiculam viam legens, toto brachio fertur, basilicæ subest, eo loco, quo ferit digiti latitudo sursum eundo, si consociationi basilicæ & cephalicæ imponatur: tunc si digiti altera latitudine ad axillas abieris, eo loco supergreditur Basilica eum neruum: dum nempe cursum suum ad cephalicam flectit: ibi periculum. Sin, vt iam dixi, infrà pergas, in altum se abdit neruus. Nec etiam tutò in ipsa coniunctione vtriusque venæ fit sectio, cui plerumque validissimi tendines subsunt. Cephalica autem superiùs, vt dixi, ferienda: nam ibi ab arteria, quæ ei vicina est, longiùs abest, nec quicquam periculi habet.

Extractus sanguis est inspiciendus: vascula alta *Post phlebotomiam.* meliùs separant sanguinis partes: in patina, magis rubet. In superficie concretæ massæ, rutila flauedine rubescit bilis: hinc purior pars sanguinis est quæ propriè Sanguis dicitur (quanquam alioqui tota illa in venis massa, Sanguis vocetur.) Dein viscosior apparet sanguinis portio, quam Phlegma dixere: in fundo ater subsidit; Melancholiam illam vocarunt. Oculis cuiusque aucta copia in massa extracta patet, & qualitatis vitium, & fœtor tectus seponatur.

Primum in vsu phlebotomiæ cogitandum, num vena aperiri debeat: secundò, qua in parte: tertiò, quo *Anacephalæosis.* tempore: quartò, qua quantitate: quintò, quomodo. Primum intelligemus ex morbi causæque morbificæ natura: secundum, à loco ægrotante: tertium, à more & motu morbi: quartum, à magnitudine morbi & corporis habitu. si crassior sanguis restagnat, attenuetur: si pinguior, fotu fundatur; absit frigus & metus. raptus bilis ad stomachum si adsit, is firmetur succo granatorum, hinc sectio ineatur. Educto sanguine, supinus decumbat, sileat insomnis. à sesquihora euchymis fruatur cibis: agenda, sumenda, admouenda sint moderata. In Angina, sæpè repetita laudatur phlebotomia & cucurbitulæ, vt & valida purgatio à secundo die: Nam in morbis acutis, prima vel secunda sanguinis missio, ferè non ita iuuat; vt tertiò vel quartò repetita. In scabie & cachexia, sæpe & parum sanguinis pertusa vena fluat.

Cucurbitula interdum loco venæ sectionis est. Nam *Cucurbitula.* Galenus fuscis mulieribus, maximè cùm amplas gerunt venas, has tundendas esse asserit; quòd crassus earum sit sanguis: ac in albis & tenellulis, dicit, cucurbitulæ suffecerint: nam tenuis earum est cruor, & inani sectione alioqui frustra lacerantur, cum exiles venæ conniueant.

In capitis doloribus Iam Ægyptij vnam cucurbi- *Ægyptiorum hodiernus modus sanguinem educendi.* tam occipiti, duas in collo vel ad aures ponunt. Cæsuras faciunt duas vel tres magnas, hoc est longas & profundas: hoc etiam somnum conciliat. si non iuuerit, secant venam frontis, vel canthorum, vel narium, vel temporum. Cauent à cucurbitis occipitio admouendis in capite frigido, humido, raro, molli, ne nimis cerebrum refrigeretur. Occipiti etiam has admouent in gutturis inflammatione, vnà & collo. Scarificant alte, ita vt indicis digiti latitudine carnem feriant. Pro vniuersali euacuatione nullibi vtuntur his quàm in crurium suris & malleolis. In pestiferis febribus non affigunt cucurbitas dorso: affirmant enim inde viscera impleti, ac tenuem solùm sanguinem abduci,

duci, cutimque obstrui ae restigerari. Putamus tamen horum periculotum nullum esse metum à totius euacuatione; maximè si corpus nō scateat crudis, ac crassis succis, & si materia cor non feriat: vt si bene dormiant, nec anxiè respirent. Alioqui præstat eucurbitis procul à corde abstrahere suceos, & postea dorso bas admouere, deriuationis causa. Bubonibus pestiferis rectè admouentur cucurbitæ, cum repere intrò incipiūt. De vtilitate cucurbitularum egit Oribasius septimo libro capite deeimosexto,

Arteriotomia. Hoc seculo & Arteriotomia commodè instituitur. hæc, vnica incisione vt in phlebotomia aperitur: *consolidatio tutò fit*, inquit Pateius, *quamuis paulò tardiùs quàm venæ vulnus.* aptè ligetur, atque quatriduum totum hæteat, appositis vt decet plagulis. frustra, inquit, plutimis hactenus suspecta fuit arteriotomia, quòd protumpentem inde sanguinem sistere, & quòd cicatricem obducere sit operosum, propter arteriæ duritiem ae pulsus perennitatem, & ob metum aneurismatis. Itaque satius esse putant cutem primò diuidere, ac ab iniectis partibus diuellere, vincire, dein arteriam diuidere. Sed hæc est opinio hominum, omnia tuta timentium. Plagulæ apponendæ vulnusculo, imbuendæ sunt vnguento rosato aut populneo: nam inflammationem arcent, ac partem roborant. D. Prosper Alpinus libro De medicina Ægyptiorum, ibi plerumque secari arterias frontis narrat, ad antiquatas ac desperatas ophthalmias. Etiā secari, sed maximè vri, arterias temporum. In anginis iugulares venas secant, vel cucurbitas admouent cum scarificatione. Venam ponè aures etiam scindunt ob dolorem capitis. *Sed*, dieit, *plerumque frontis arterias in capitis malis secant.* Et in hepatis inflammatione arteriam secant, quæ est inter pollicem & indieem. Paruum vulnus faciunt, & obliquè secant. Reductis ac iunctis labiis parum bombacis imponunt; quidam thuris vel lentis pulueris parum inspergunt, deinde bombacem, mox æreum nummum crassum instar Sikini imponunt, & ligant: tertio die soluunt. Aures etiam intus, foris, & nares scarificant, & aqua calida lauant.

Neruus ictus. Vulnus si errore chirurgi illatum fuerit neruo, studium sit vt exitus saniei, & aditus medieamento pateat: quare ilicò balsamum hyperici infundatur, cum pauca aqua vitæ: circumposito repellente & astringente remedio.

Vtilitas venæ sectæ. His itaque subsidiis, auctiorem redditam materiam, ex corpore excludimus, ne putreseat: vtque natura leuata onere, reliquum si quid superest, rectè gubernet: Non enim facilè putrescit succus in eorpore, nisi copia fuerit ea, cui par natura non est. Accisa nimia copia, ilicò transpirat corpus, ac auctor putredinis obstructio abigitur: nam omnis euacuatio eorpus siccat, *siccum*, inquit Hippocrates, *sanitati magis studet quàm humidum.* Quare in cunctis, vbi non abiit longè materia à natura sanguinis, vtilis erit phlebotomia: nam & in melancholia vsum eius non renuit Abincenna. Et Galenus, in exigua obstructione, quam nondum secuta est putredo. (vt in ephemera) venam soluit, etiam si notæ plenitudinis absint, vt obstructionem vitaret: obstructionis magnitudo elucet ex vi febris. Quare Galenus dicebat, *Saluberrimū esse in omnibus febribus venam aperire.* ne illæ ab hoc foco materiæ morbificæ foueantur. Si materia non longè abierit à sanguine, phlebotomia erimus contenti: reliquum per sudorem & vrinam exhauriendum. Interdum tribus negociis satisfacit phlebotomia, ac composita quasi medicatio dici potest: vt dum in pleuritide, eiusdem lateris vena secatur in brachio, vno illo ictu euacuamus, reuellimus, ac deriuamus.

Ordinis ratio.

Causa Antecedens in vitio est penes:
- *Motum localem.* Hæc eget auersione.
- *Qualitatem primam vel secundam.* Hæc eget alteratione.
- *Quantitatem:* Hæc euacuatione eget, — *Pharmacia vel Phlebotomia.*

CAPVT X.

Prima primæ indicationis pars, de causa morbifica continente Remeabili.

Ordinis ratio. Tradidimus primam indicationem duci ab affectu. Affectus autem ambitu continetur morbus, morbifica causa, & symptoma. Morbificam causam diximus suum domicilium habere in contentis: Illa autem esse ex naturæ lege, dum vitium nullum agnoscunt in motu, qualitate, vel copia. Ad vitium motus, auersionem vtile remedium inuentum fuisse scripsimus: ad qualitatis crimen, alterationem: ad copiæ peccatum, euacuationem enatam fuisse: quæ copia, si qualitate fœda contaminata fuerit, purgationem in vsum euocare: sin vtilis & inquinata materia vnà deponenda fuerit, phlebotomiæ opera illud conficit. His rationibus, omnis omnium morborum antecedens causa acciditur. Huic autem alia causa morborum, quam Continentem vocamus, proximè iuncta est; nam est eius propago atque soboles. Eodem filo ferè trahenda erit huius causæ curatio: quo antecedentem abrumpi diximus. Id enim summum studium in huius causæ amotione esse debet, vt illis succis, qui sese in aliquem locum infuderunt, pateflat exitus. Illud maximè differre videntur, quòd Continens proximè morbo assedit: Antecedens, vt parens, hanc fouet. *Differentia inter antecedentem & continentem.* Quare cum idem humor vtriusque causæ auctor sit, dum vel propiùs aut longiùs à morbo & ægrota parte recessit; igitur eisdem quoque vitiis implicabitur: & eisdem medieaminum ideis propelletur: quod fiet, loci mutatione, alteratione, & euacuatione. *Remedia.* Eo differunt, quòd in caussa antecedēte, toti corpori hæc dicata sint: vt enim causa illa, fusa est tota corporis œconomia, ita & medicamenta toti corpori student: at causæ continentis remedia, partibus corporis solùm operam suam dant: quòd hæ causæ peculiarem partem tantùm tentent.

Cùm itaque causa continens, loci mutatione, qualitate, aut copia in vitio esse potest, si eius humor, loci mutatione vitium fecerit, ille humor, vel est fluxus & liquidus, vt migrare loco possit: vel adeò impressus parti, vt restagnandi ignauia effluere nequeat: vel media consistentia præditus est, vt pars eius migrare possit, alia verò neutiquam. Si loco sit remeabilis, excogitauit vsus & ratio ad eius euacuationem, repulsionem & deriuationem: sin loco cedere nequeat, ars excogitauit eius mollitionem, exhaustionem & pepasmum, vi fomentorum & emplastrorum. *Repulsio & deriuatio vnde nata & aliorum remediorum ortus.* At si his non cedit materia, validas attractiones, cucurbitulas, dropaces, sinapismos, cauteria & incisiones excogitauit. Sed cum medio modo materiæ consistentia & impressio sese habet, mixtis medicaminibus pelletur. Hæc vt aptè in vsum trahantur, exploratum nobis esse debet, quidnam sit repulsio, deriuatio, maturatio, & reliqua remediorum genera quam vim corpori imprimere possint.

Repulsio. Est igitur Repulsio, succi è sua sede motio à frigore astringente, austero, vel acerbo facta; vt pars à morbifica materia pressa, eius ab onere leuetur. Id commodè fit à frigore stricto. nam frigus quoddam madidum *1 simp. 19*

madidum est : sed terreum, maaimè coostringit ac efficacissimè extundit influxom parti succum, & eò quicquid viam affectat retrudit. Vt enim calidum leptomeria præditum maximè calfacit : ita frigidum crassum vehementissimè refrigerat : vt cerusa, plumbum, plantago, alumen, galsa, balaustia, solatrum, semperuioum. Horum ingentem syluam descripsit Holerius, Institutionum chirurgicarum libri primi, capire primo : & Fernelius, libri sexti capite secundo suæ Methodi. His vtemur dum fluxu fertur materia in aliquam partem: vt auertamus inflammationes, abscessus, & vt partes fluxibus obnoxiæ declinent dolores, & cæteras ab humorum illapsu calamitates. His vtendum noo est, ni primò corpus vacuatum fuerit à causa antecedente.

Vsus. His rationibus inniai pragmatiei, in phreuitide, cùm corpus expeditum est à causa antecedente, admouent capiti oayrrhodinon ex oleo rosato & rhodostagmate cum aceto rosato : hæc linteo excepta, ceruici, fronti, temporibus, ac capiti admouent: sæpe auferunt, ac repetunt; ne capitis æstu calescaur. *Cautio.* Verùm illa cautio obseruanda in phrenitide, vt ratione vigiliarum acetum amoueatur, eiusque loco citriorum succus reponatur : alioqui enecabuntur vigiliarum perennitate ægri : siccitas enim aceti, anathymiasin, somui auctorem vastat.

Præterea vbi tenuis ac acris humor vel vapor cerebrum ferit, repercutiendum est frigore stricto : at *In lethargo.* vbi crassus est vapor & succus (vt in lethargo, in quo omnia tenebras esse air Aretæus) repercutiendum est vsu rerum refrigerantium sine adstrictione.

In phrenitide. In phrenitide admouent & pannum madidum, ex decocto seminum papaueris albi, florum nymphææ, hyoscyami, foliorum lactucæ, althææ, violarum, rosarum, plantaginis: ac tandem addunt flores chamæmelinos, primùm immaturos.

In palmo. Eodem modo pragmatici transigunt in cordis palpitatione. Accipiunt aquæ rosatæ selibram : aquæ oxalidis, boraginis, cuiusque vncias quatuor : corallij vtriusque, santalorum, singulorum drachmam: capburæ grana tria, pulueris diamargariti frigidi scriptulos duos : croci semiscriptulum, acetum paucum remiscent : fit epithema in regione cordis: tandem addunt aquam melissæ & parum vini maluatici. Interdum repercutientem sacculum apponunt : Accipiont rosarum rubrarum siccarum, florum buglossi & nymphææ, cuiusque drachmam, omniom santalorum binas drachmas, corallij rubri sesquidrachmam : fit puluis, sacculo insuitur, rigatur ex aqua rosata & buglossi.

In hepatis inflammatione. Ita in pblegmone hepatis repellunt : nam Accipiunt olei rosati, myrtillorum & cydoniorum, cuiosque semunciam : succi plantaginis, binas drachmas: santalorum rubrorum, rosarum rubrarum puluerisatarum, singulorum semidrachmam; aceti & ceræ adiiciunt parum : his vngitur regio hepatis tepidè, vsque ad quartum diem : nam inde paulatim addi debent resoluentia & accidi repercutientia. Quare tandem remiscent oleum absinthij & nardinum : Accipiunt olei myrtini & cydoniorum, rosati, absinthini, cuiusqoe semunciam : olei chamæmelini & nardini, singulorum drachmas duas : succi plantaginis drachmam : florum chamæmelorum, & foliornm absinthij siccatorum ac in puluerem comminutorum, vtriusqoe scriptulum : misce, & cum pauca cera fiat linimentum.

In lienis inflammatione. In lienis inflammatione, astringentibus commiscenda sun : quæ citra euidentem calorem extenuant, *Cautio.* incidunt, & lasant : ne crassus in eo succus repressus, vebementius incrassescat. Quare accipiemus oleū rosatum cum oleo chamæmelino, cum capparum cortice & medulla vituli. galbanum etiam est vtile cum aceto.

In vtero. Et huie fundamento inniai practici, in vteri phlegmone accipiunt succi plantaginis, polygunij & peræ pastoritiæ, cuiusque semilibram, aceti vnciam; boli & sanguinis draconis, vtriusque semunciam : epithema fit intra pectinem & vmbilicum, & circa renes. Aut accipiunt olei rosati, & myrtini, cuiusque sescunciam, aceti semunciam, boli drachmam miscent : his partes dictæ illinuntur : post tertium aut quartum diem adiungetur melilotus, vel crocum. Ista foris, hæc intrò : Accipe aquæ albuminis ouorum & lactis muliebris, vtriusque vncias quinque, infundantur vtero.

In artubus. Hac arte, cùm influxus artubus incubat, accipimus semiois psyllij vncias quatuor, aquæ libras quatuor: coquontur, ac succus miscetur cum oleo rosato, & succo plantaginis, aliisque frigidis medelis. Nos liquore stillatitio ex semine ranarum vtimur magno successu, vbi æstu doloris materia excandescit ; nam & lenem narcosin eius vsus inducit.

ἀπωθητικά. Sed vis remediorum semper virio conferenda est. Quædam enim leniter repellunt, vt aqua lactucæ, polygoni, trifolij, auriculæ muris : lenticula palustris, psyllium, oui liquor, portulaca, semperuiuum, pampini & capreoli vitis, rubus, radix mori, mala & pyra austera, oleum rosatum omphacinum. Validè, vt acerba : myrtilli, cupressi nux; capita rosarum, galla, acetum, caphura, sumach, succus prunorum siluestriū, poma mandragoræ, papauer ; radix hyoscyami albi aceto macerata : hæc imposita cum fuerint, auferenda sunt priusquam partes liuescant. Astringentibus calidis interdum vtimur, iu frigidorum succorum illapsu : vt aloë, absinthio, cypero, spica, iunco odorato, croco, vino aecrbo cum galla, & cæteris talibus. *Cautio.* Sed susque deque his vti, non debemus, quod practici faciunt, sed quædam cautiones obseruandæ. *Vbi dolor vehemens adest à materiæ copia vel acrimonia* (qualem historiam refert Galenns sexto Aphorismorum, trigesimo primo Aphorismo) *aut ab humore lento, vel si incurrit materia sensibilem admodum partem, repulsoriis meris non erit vtendum : sed aliquid ex mitigatoriis & discussoriis erit aspergendum.* Nam quæ vehementem astrictionem sortita sunt, cùm tunicas exasperent, maiorem dolorem inferunt; hinc potiùs influxum augent, quàm quòd eam repellendo minuere possint. Propterea in oculis non validè repercutientibus vtimur. sed lacte muliebri è mamma immulcto, aqua rosata, cui semen papaueris interdum incoquitur, pompholyge, medullis pomorum, croco, albumine oui.

II. Cautio. *Si quid viscerum infirmius est, metus* II.
erit ne ad id symptomatica translatio ac *metastasis humoris morbifici fiat*, cùm retundiiur succus. At vbi illa valida fuerint, sine metu aliquid ad venas & viscera refluet.

III. Cautio : *Cùm ex partis alicuius infirmitate* III.
primordia causasque ducit influxus, aliquid tenue cadum misceri debet.

IV. Caotio : *Critici & venenati abscessus non re-* IV.
pellendi sunt, sed illiciendi : vt parotides pooè aures efflorescentes. iu his paucum est quod influit, vel multom : aut malitia contamiuatum, aut benignum : vel corpus pleuum, aut purum. ounquam tamen in his erit repellendum, quanquam Celsus interdum represserit. Sed, inquit Galenus, si vehementi motu irruat parotis, non erit propterea attrahendum : qoia intolerabiles dolores, febres, vigilias, & lipothymias daret tractio. Veneteum insuper apostema retundi non debet.

V. Cautio : *Videndum nequid nimis ; frigidum* V.
enim

enim natura bellum indixit: & ne cutis ſpiraculis contractis, humor reſtagnet: ne hinc dolor, influxio incendium, ac ſcirrhodes reſtibile quid ſe figat. *πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, omne nimium*, ſcripſit Hippocrates, *naturæ inimicum*: quare Alphæus Mytilinæus cecinit, *τὸ μηδὲν ἄγαν ἄγαν με τέρπει*, id eſt. *nil nimis, nimis mihi placet*. Quare in conſilium euocentur partium ſitus, figura, ſenſus, robur, natura, corporis temperies, humoris copia, qualitas, ſubſtantia, viarum per quas influit ductus: nam venarum coniugia notanda ſunt. Propterea in apoplexia & paralyſi ab his abſtinendum eſt: ne incrementa ducat obſtructio. in pleuritide, aqua rhœados papaueris bibenda, ineunte morbo. Et in febre non audent tam validè repercutere à capite, ne ab obſtructione, illa magis efferueſcat. Et vbi tota materia capite concepta eſt, inutiliter horum vſus inhibitur, quia irremeabilis. eſt. Sed vbi materia influit adhuc, contrahendæ erũt viæ per quas illabitur: vt in oculorum morbis, ſi materia per arterias & venas influat, arteriis ponè aures tale remedium admouebimus: maſtichis drachmas tres, pulueris myrtillorum, corallorum rubrorum, cuiuſque ſeſquiſcriptulum, olei myrtini drachmas duas, ſucci plantaginis drachmas tres, ceræ quod ſatis ſit, vt fiat ceratum. Vel, vt validius euadat, adde reſinam terebinthinæ: hoc aditum humoribus intercludit.

Deriuatione interdum tollitur cauſa morbifica cõtinens quæ adhuc loco moueri non poteſt.

Deriuatio. Eſt autem Deriuatio, quæ Græcis *παροχέτευσις* dicitur, tractio humoris ad locum vicinum, vt pars laborans ab eo expediatur. Debetur illi ſucco, qui remeandi potentia nondum ſpoliatus eſt. A reuulſione *Quid differat à reuulſione.* ita differt: reuellimus enim humorem qui fertur per loca lege naturæ incommoda: deriuamus eum ſuccum qui fertur per loca ex euentu incommoda. Ve- *Vſus.* cùm inteſtina vlcere obſeſſa ſunt, bilem (quamuis ex lege naturæ eò ferri deberet) ad vrinas deriuamus. His artis legibus, pragmatici, in plurimis morbis, hoc remedio vtuntur, dum remeabilis materia ahuc fluida eſt.

Quò autem ableganda ſit materia, docet Situs ac Societas partium. Ita in phrenitide ſecant frontis venam in mania venam linguæ aperit Auicenna Hoc modo in ſincipitis contumaciſſimis doloribus, ad deriuationem cauſæ continentis, frontis liberatur vena. maſticatoria & errhina è capite proliciant pituitam. hirudines, veſicatoria, ac cauteria ponè aures impreſſa deriuant à capite. Ex ventriculo & inteſtinis, vrina, menſes, hæmorrhoides. in dolore occipitis, cucurbitulæ humeris & interſcapulio infiguntur: nam ibi nulla vena ſeſe ſecandam exhibet. aut arteria circum tempora ſecatur, eadem encheiriſi qua vena. illa autem erit pertundenda, quæ maximè micat ac pulſu laceſſit. hoc fiat cum à flatulento ardenteque ſanguine malum increbuit, nec alia ſubſidia aliquid opia adferre potuere. Deriuandi ſtudio, in auribus inflammatione obſeſſis ac parotidibus, vena ſub aure pertunditur. Hoc modo, in gingiuarum & maxillarum calidis affectibus, materia concepta excluditur, apertis venis in labiis. in angina ſub lingua venæ duæ ſecantur. In pectoris diaphragmatiſque inflammationibus, eadem quæ reuellit vena, deriuat. Axillis humeriſque inflammatis, manus vena illud officium præſtat. Hepatis caua, per inteſtina; gibba, per renes deriuatione ſeſe exonerant. Vtero morbificam materiam poplitis venæ eximunt: vt cruribus inflammatis, pedum venæ ſtudent. Hoc modo hiſque rationibus, in omnibus morbis (quorum hyparxis in materia eſt) deriuationi ſtudent pragmatici, dum non re- *Cautio.* meandi beneficio ſpoliata materia ſtringitur. *Sed in vſu Deriuationis perpetuò ea cautione vtendum, ne vnquam particularem hanc curationem ineamus, niſi apte primùm prouiſio totius corporis habita fuerit*: nam ab amotione & reuulſione cauſæ antecedentis, huic tantùm locus eſt: imò initio eſt repercutiendum: in fine deriuandum, cùm ad ampliùs influit; attamen ſucco adhuc meabili.

Tertium remedij genus, quo cauſa continens loco quæ moueri poteſt amouetur, eſt Particularis Purgatio. Verùm quæ purganda ſunt primùm præparari ad excluſionem debent: ac cruda, pepaſmo mitiganda. Hoc autem fiet, Alteratione.

Eſt autem Alteratio particularis ſuccorum, qui in *Alteratio.* aliqua peculiari parte qualitate in vitio ſunt, emendatio. Hæc vitia copia & qualitate eadem ferè ſunt, vt illa quæ in cenſu cauſæ antecedentis enumerauimus: quare & eiſdem mutandi modis reuocabuntur ad priſtinam moderationem. Propterea feruidos ſuccos refrigerabimus; tenues incraſſabimus: raros denſabimus: nimis ſeparabiles illinemus. Sed hoc diſcrimen *Differentia.* eſt inter alterationem cauſæ antecedentis, & huius continentis, quod hîc vtimur maximè illis remediis quæ peculiari dote vnà parti ſtudent, in qua materia morbifica concepta hæret, & cũ materia pugnãt.

Quapropter maiori remediorum varietate opus eſt, ad debellandam cauſam continentem, quàm in cauſæ antecedentis auulſione: vel ſaltem pro vehiculo his vtimur, quæ abdita ac nobis incomperta vi (vſu tantùm notata) traiiciunt aliorum vim ad peculiarem aliquam partem. Qua ratione, etſi oxymel pituitam coquat, incidat, tenuet, ac educat, cùm tamen ex æquo in omnibus corporis partibus hoc efficiat, cum betonicæ tamen & pæoniæ decocto, valentiùs id in capite præſtabit: cum capparibus ac tamarice in liene, cum eupatorio, in hepate.

Medicamentorum itaque alia ſunt quæ omnibus partibus operam ſuam tradunt: alia verò, quæ, tametſi aliis etiam proſint, vni tamen magis quàm alteri ſtudere dicuntur. Hinc eſt quòd apud pragmaticos multa medicamina à partibus (quibus dicata eſſe videntur) nomina inuenerint: ita quædam nominant cephalica, alia pneumonica vel thoracica aut pleuritica; ſic cardiaca, ſtomachica, hepatica, ſplenetica, nephritica, cyſtica, hyſterica, arthritica.

Cephalica, alia ſunt ſimplicia, alia compoſita; eaque vel calida vel frigida. Cephalica ſimplicia calida, *Cephalica.* vt lauendula, pæonia mas, nam de ea prodidit Galenus ſexto Simplicium, ex collo ſuſpenſa comitialem morbum ſanari. quod notauit in puello, qui ab incurſu epilepſiæ liber erat, dum radix hæc ei ex collo penderet: qua fraudatus puer concidebat. Nam occulta quædam effluuia ex radicè manantia, ac à cerebro hauſta, vim illam aſpirabant: quare tota ſua ſubſtantia, cerebro vtilis eſſe dicitur pæonia. Verùm doctiſſimus quidam vir exiſtimat, fraxinellam (quam pſeudodictamnum nominant) veram pæoniam antiquorum eſſe. Ita & betonica, ſaluia, maiorana, ſtœchas, laurus, roſmarinus, viſcum quernum, galanga, caſtorium operam ſuam cerebro dicarunt. Cephalica frigida ſimplicia: vt nymphæa, viola, roſa, ſantala, lactuca. Cephalica compoſita calida: aurea Alexandrina, diamoſcum dulce, pleres archôn, aqua lilij conuallij ita extillata vt docuit Matthiolus. Cephalica frigida compoſita: vt conſerua roſarum cum ſpeciebus ſantalorum, manus Chriſti cum margaritis. *Quæ* *Cautio.* *cauſis plethoricis caput implent, non temerè in capitis doloribus aut eius grauitate ſunt præſcribenda*: vt myrrha, amygdala, & crocum, quod viam affectat vehementer ad cerebrum: vnde & antiqui poëtæ fabulabantur, Ioue in Ida monte dormiente, crocum enatum fuiſſe ſub eius capite.

Thora

Pleuritica. Thoracica medicamina ſuot, ſimplicia, vel cõpoſita. Simplicia calida, vt radices beleni, ſcabioſa, fœniculum, paſſulæ, ficus, praſſium, hyſſopum, thymus, botrys, liquiritia. Frigida thoracica ſimplicia, bordeum, quo diu aote Hippocratis rempora vſa fuit antiquitas, teſtis ipſe Hippocrates. viola. Compoſita thoracica calida, vt diaïris, linctus de pineis, lochſanum, & de pulmone vulpis. *Cautio.* *ſed his in pleuritide non vtendum, nam viam expectorato intercludunt, ac pulmones comprimunt, hinc frequentior ſpiritus ſqualida ſiccitate ibi cuncta fœdat, ac ſitim excitat.* Thoracica compoſita frigida, vt ſyrupus violatus, inſigne remedium in tenui materia pectore concepta ac in vera pleuritide: nam alas pulmonum expandit, ac ardorem temperat: & diatragacanthom frigidum.

Cardiaca. Cardiaca ſimplicia calida, crocus, meliſſa, hæc, inquit Auicenna, vapores craſſos abſterget à ſpiritibus cordis. Frigida ſimplicia cardiaca, vt bugloſſum, roſæ, ſantala, margaritæ: Aurum, quod ad temperiem nutat: etenim illud natum eſſe ſcribunt ex elemẽtis pari tobore ac mole concurrentibus, ac inſolubili ferè vinculo nexis, quæ incorruptibilem quandam temperiem illi impreſſere: Vnde dicebat Auicenna, aurum in omnibus ſuis partibus ęquale eſt, bibitur ad cordis affectus & animi mœrores: Ita & Beſaar lapis. Compoſita cardiaca calida, vt theriaca, electarium lætificans Rhaſis, diambra. Frigida cardiaca compoſita, vt diarrhodon ſine ſpeciebus, ſyrupus de acredine citriorum, manus Chriſti perlata.

Stomachica. Stomachica calida ſimplicia, vt abſinthium, mentha, cionamomum. Frigida ſimplicia ſtomachica, vt roſa. Compoſita ſtomachica calida, vt electarium ducis, diatrion piperium, diacydonium cum ſpeciebus. Frigida ſtomachica compoſita, vt conſerua roſata, diatrionſantalum, diarrhodon abbatis.

Hepatica. Hepatica cal ida ſimplicia, abſinthium, eupatorium. Frigida, vt cicbotacea omnia. Compoſita hepatica calida, diacyminum. Frigida, vt diarrhodom abbatis ſine ſpeciebus, diarthodum abbatis ſine ſpeciebus, diatrionſantalon,

Splenetica. Splenica ſimplicia calida, chamædrys, capparis, daucus, ſcordium, calamintha, aſarum. Frigida, cortex ſalicis, aſplenum. Compoſita calida, vt diacalaminthum, & diacyminum Frigida, diaſantalon.

Renalia & veſicalia. Nephritica & Cyſtica calida, vt radices apij, dauci, fœniculi, iuniperi grana. Frigida, peponum ſemina, & reliqua. Compoſita calida, vt electarium, Iuſtinilithontripon, oxymel ſcylliticum. Frigida, vt ceratum ſantalinum.

Vterina. Hyſterica calida, vt pulegium, artemiſia, ſabina, calamintha, pæonia, myrrha, crocus, borax. Frigida, vt nymphæa, capillares berbæ, pimpinella ſanguiſorba; nam alia, quam ſaxiftagiam vocant, calet ſecũdo gradu: de qua loquitur Fernelius. Sed ſanguiſorbam Dodonæus etiam frigidam dicit. Compoſita calida, vt ſyrupus de artemiſia compoſitus, aromaticum moſcatum. Compoſita frigida, vt ceratum ſantalinum.

Arthritica. Arthtitica calida ſimplicia, vt ſcylla, iua. Frigida, vt caules, pſyllium, ſperma ranarum. Cõpoſita calida, vt emplaſtrum & oleum de hermodactylis, balſami olea & galbaneta, aqua vitæ in qua flores roriſmarini macerati fuere. Frigida, vt oleum roſatum, vnguentum ea alabaſtro. Non ſolùm hæc pro medicamentis ſunt, ſed & cibo & potui indi debent tales facultates, quæ vnà & naturæ ſtudere poſſunt & cum cauſa continente pugnare. Quare ſiot hæc talia, quæ peculiari vi in partem illam ſeſe traiiciant. De his abundè egimus libro ſecundo. *Vſus.* His rationibus innixi pragmatici, in capitis morbis pituitoſis, vtuotur tenuantibus, tergeotibus, remixtis cum his quæ peculiari facultate cerebro fauent: accipiunt ſeſcunciam mellis roſati, cum doplo aquæ aut decocti ſaluiæ & betonicæ; ſurguntque paulatim ad validiora, vt ad mel, & ſyrupum de ſtœchade. Sin à Bile vitium fuerit, incraſſantia frigida peculiaribus addunt: vtuntur decocto portulacæ & lactucæ cum floribus nymphææ: libræ addunt ſyrupi nymphææ vncias tres. Ita in cordis palpitatione à calore, ſyrupo violato vtuntur, aut ſyrupo ea ſucco oxalidis vel citriorum, cum duplo aquæ lactucæ aut portulacæ. Quod ſi à frigido ſucco cor palpitet, vt à pituita, incidunt melle roſato & oxymelite compoſito, cum decocto meliſſæ, cardiacæ berbæ, corticum & ſeminum citriorum. Cautio adſit, *Cautio.* *in præparatione materiæ morbificæ quæ cor fatigat, ne ſint berbæ immoderatè calidæ aut frigidæ: ne vitæ fons ad contrariam intemperiem trahatur.* Quare cùm frigidorum initur vſus, aſpergantur quædam calida, aroma redolentia: ne frigida ſibi viam intercludant. niſi tamen immanis adſit febris, vt cauſus: nam tunc aliquid trochiſcorum de camphora remiſcemus. Hac arte vtuntur ex eadem pharetra, in frigida materia pectore concepta: nam fruuntur ſyrupo de liquiritia, melle roſato, & ſyrupo hyſſopi, (nam terget) & ſyrupo de praſſio cum duplo decocti ſcabioſæ, vel hyſſopi, praſſij, fœniculi, & reliquis: eclegmate ſano & de pulmone vulpis, & diairide Nicolai. Si tenuis materia tuſſim diſſiliendo eludat, lenitis vtimur, vt diacodio Aetij, eclegmate papaueris, diatragacantho frigido, ſyrupo violato. forisillinendo oleum amygdalinum dulce cum adipibus & croco. *Cautio.* Cautio *in his ſit, ne initio nimio calidorum vſu tenui reſoluto craſſum ibi reſtagnet expectorationi ineptum.* Ita in omnibus ferè morbis vbi cauſa continens, præparant eam potibus, fotibus, emplaſtris, linimentis, cæteriſque remediis.

Depoſito itaque qualitatis vitio, purgatione erit eximenda hæc continens cauſa. *Eſt autem particularis Purgatio, euacuatio eius materiæ quæ virtuti peculiaris membri vim infert, vt parti ſuum robur reſtituatur.* *Purgatio Particularis.* Perficitur eiſdem legibus, quibus cauſa cedit antecedens. Quare notabimus quis ſuccus ille ſit qui opprimat partem: qualis ſit eius ſubſtantia, qualitas, copia, *Quæ notanda in particulari purgatione.* quo tempore & per quas vias educi debeat. Sed hoc intereſt, quòd hîc purgantibus quædam adiicimus, quæ abdita quadam vi, hæc remedia purgantia partibus laborantibus important: Etenim hæc æquè cholagogum eò ferent ac melanogogum. ita in arthritide, purgantia cum iua miſcent. Vt commodè hæc purgatio peragatur, copiam præſcribendi remedij capiare debemus: *Quantitas.* huius, vt diximus, quantitas, ex copia humoris purgandi & eius ſitu intelligitur. Tempus peculiari purgationi erit, *Tempus.* cùm totum corpus purgatum eſt: quia alioqui reſtibili quadam fœcunditate ſuccreſcet noua morbi coniuncta materies. Viæ per quas effluere debet ac educi hæc morbifica materia, *Viæ per quas.* intelligendæ erunt ea locis & viis in affectam ſedem rectà pergentibus.

Errhina. Ea hoc ductu viarum pragmatici varias remediorum ideas inuenere: vt errhina in peculiari euacuatione capitis: & ſtrepta (turundas vocant) & apophlegmatiſmos manſu, & gargariſatu: & illinitiones palati.

Errhina, ſunt leniſſima remedia, quæ ex ſuperficie cerebri tantùm prolectant, non autem ea ventriculis cerebri. Apophlegmatiſmi ex ventriculis cerebri eliciunt.

Sternutatio. Steroutatio ex tota cerebri ſubſtantia excludit. *Cautio.* Primò blandioribus vtendum in quolibet genere. *Cautio ſit, cùm metus eſt ne ab acerrima materia pulmones lædantur, abſtinendum à maſticatoriis.* ſed craſſa bilis ſi adſit, ſcammonio vti licet: vel ſi pituita, turpeto locus erit in apophlegmatiſmis. Nam cùm à tenui materia nullum periculum creatur pulmonibus,

monibus. præſtat apophlegmatiſmis vti quàm errhinis: quia dum ſanum eſt cerebrum, expurgatur per os, & non per nares: quòd via pateat ibi facili fluxui.

Maſticatoriũ. Ita fiat Maſticatorium: *Accipe caricarum*, maſtichis, cuiuſque drachmas duas, ceræ ſemunciam; adde aliquid piperis & ſinapi. Aliud: ſtaphyſagriæ, pyrethri, zinziberis, cuiuſque ſcripuli duo; maſtichis drachma, ceræ ſemuncia: fiant paſtilli parui.

Gargariſmus. Gatgariſmus: Accipe origani, ſerpilli, vtriuſque ſemimanipulum, ficuum vncias duas: coque ex aqua ad ſemilibram: cui adde oxymelitis vncias duas. ſi velit vſus validius remedium, addemus ſinapi. Illinitur palatum ex ſinapi trito cum aceto. Errhinum: ſuccus maioranæ, radicis iridis & betæ. Horum rationes libro primo deſcripſimus. Ita pragmatici ex viarum & ductuum characteribus, in particulari purgatione varia remedia in vſum protulerunt.

Eclegmata. Hoc modo in pulmonibus cùm materia retenta fuerit, Eclegmatis vtuntur: vt tuſſi expectorari illa materia poſſit, aliis pulmonum explicatis, ac arteriis dilatatis & in pleuritide aqua ſaccharata dupla vtuntur cum ſyrupo violato. Viæ ac ductus monſtrarunt, quòd gibbis hepatis partibus inflãmatione obſeſſis, vrinæ promotione accidi poteſt cauſa continens: ita & in nephritide.

Peſſi. Eadem ratio docuit Peſſis vterum vacuari, cùm eius vaſa conniuent: propterea mercurialis tuſa ac linteo inuoluta peſſi forma noctu immittitur, foris pendente filo. idem facit melanthij farina cum mithridatij drachma, ac maſtichis ſcriptulo. Cùm hæc deuicta langueſcunt, peſſo includitur opopanax, galbanum, ſagapenum, ammoniacum, euphorbium, vel cyclaminis radix. quæ etiam ſuper ipſam tranſeunti mulieri vterum aperire creditur.

Vomitus. Eadem hæc ratio Vomitum docuit, cùm ſupra diaphragma morbi cauſa conſtiterit. vt ſi materia acrior in ventriculo fuerit; aqua exhibetur cum oleo aut ſi viſcida materia ibi hæſerit, vinum datur, in quo cortex medius iuglandis arboris maceratus fuit: aut oxymelite Geſneri fruimur.

Clyſteres. Clyſmata etiam non alium auctorem ſui agnoſcunt quàm ductus viarum: vt continens morborum cauſa ex inteſtinis excluderetur. Ita in dyſenteria finguntur enemata ex lacte & aqua hordei: in calculo ex emollientibus herbis, vt ex decocto maluæ & parietariæ, cum benedicta laxatiua.

Vbi via obſtructa ſunt. Quòd ſi cauſa continens adhuc fluxa & remeabilis ea in parte conſtiterit, ad quam nulli ductus facilè ferre remedium poſſunt, tunc hirudinibus ac cucurbitulis & ſcarificatione exſugemus cauſam morbificam continentem. *Cucurbitulæ, ſcaturæ, hirudines, ſitione, vnde in vſu ducta.* Hirudines priuſquam admoueantur corpori, in aqua limpida per aliquot dies continentur, & ſanguine modico aluntur: randem ex aqua tepida, ſpongia abſtergentur, partibus vnguibus exaſperatis admouentur, ac his cauda ſcindatur: Pars ne frigeſcat, tepido oleo foueatur: vt cadant, ſalem vel cinerem ori earum adiiciunt: tandem fomentis eluunt impreſſum ab illis venenum.

Cauſa continens, vt materia quæ
- *Loco remeare poteſt,*
  - *Repulſione*
  - *Deriuatione*
  - *Vacuatione*
    - *Phlebotomia*
    - *Pharmacia*
    - *Vrinalibus*
    - *Sudorificis*
  - *Alteratione*
  - *Vel iunctis his remediis eximitur.*
- *Loco remeare non poteſt, ſi fuerit*
  - *Dura*
    - *Emollienda.*
    - *Maturanda.*
    - *Incidenda.*
  - *In profundo: Attrahenda*
    - *Drepace.*
    - *Cauterio.*
- *Partim loco remeare poteſt, partim non poteſt.*

CAPVT XI.

Prima prima indicationis pars, quæ de cauſa morbifica continente Irremeabili.

HActenus egimus de remediis quibus cauſa continens loco remeabilis à loco affecto fugari poſſit: nempe Repulſione, Deriuatione & Vacuatione. Si autem hæc morbifica cauſa continens, fuerit omni remeandi beneficio orbata, adeò vt nec Repulſione, Deriuatione, nec Vacuatione eximi poſſit, id fiet quòd indutuit. *Duritiei cauſa.* Quod autem induruit, id triplici de cauſa tale fit: ſiccitate, plenitudine, & congelatione. Quod ariditate à valida, vel blandiore ſiccitate induruit, placatur Emollitione.

Emollitio. Eſt autem Emollitio, duri, ex ariditate, alteratio, ab vuido calore facta. Vuida enim ac moderata caliditas eſſe debet, ne humor in auras vi caloris exſpiret, cùm quid non validiſſimè exatuit. Talia plurima mollientia finguntur ex herbis, fructibus, radicibus, ſeminibus, medullis; quæ non ſuperant ſecundum feruoris ordinem. Vt farina lini, fœnugræci: viola, parietaria, malua, butyrum, ficus, radices althææ, medulla cerui & vituli, adeps gallinæ, mica panis lacte macerata cum vitello oui, oleo & pauco croco. Si ex valida ſiccitate nata fuerit durities, hæc tenui humido mollitur cum partibus igneis vel terreis aduſtis: *Ex ſiccitate.* vt calculus limonum ſucco, oxymelite ſcyllitico, ſucco chelidoniæ, & ex raphani radicibus tuſis, & cum ſucco limonum maceratis, extillatur liquor. *Ex plenitudine.* Si durities fuerit ex plenitudine, vt in phlegmone, laxatis ſpiraculis aëreo ab humido, educetur materia, vt ex fotu qui fit decocto florum meliloti & maluarum. *Ex congelatione.* Quòd ſi quid induruit congelatione, id ſoluitur ac molleſcit à calido ſicco moderato, vt illis quæ ſecundo numero calent: nam quæ primo ordine tepent, ſoluere nequeunt: quę verò feruent tribus numeris, exhauſto tenui relinquũt craſſum: vt in lienis ſcirrho vtimur ammoniaco, & emplaſtro diachylo, & emplaſtro de meliloto, & de muccilaginibus, œſypo, medullis cum pauca aqua vitæ. Hæc eleganter Holerius proſequitur libro Chirurgiæ primo, capite quarto: & Fernelius libro Methodi ſexto, capite ſexto.

Maturatio. Maturatio quæ πέπανσις dicitur, *eſt alteratio, qua materia crua in formam induit quantam maximè poteſt; vt vtilis corpore ab inutili ſeparetur, facta à calido natiuo.* Quare horum vſu obſtrui debent ſpiracula cutis, quò fortius ea collectione natiuum calidum euadat. *Vſus.* Quare decocto vtuntur caricarum, & farinis, & radicibus althææ, ſeuo emplaſtro de muccilaginibus: vt in ſtomachi & hepatis inflammationibus, cùm diſcuti non poteſt concepta materia. Hoc modo

pragma

pragmatici in phrenitide, vbi factum est erysipelas, capiti admonent omentum vituli, in sartagine cum oleo chamæmelino vel lilino calfactum : & balnea ex intestinis vervecis instituunt cum malua & violaria.

Digestio. Digestio *eadem ferè est cum maturatione* : hac vtimur cùm tam exigua est morbifica materia vt euaporare possit: nam materiæ reliquias euacuat, vt chamæmelorum decoctum, & theriaca in frigore viscerum, & oleo vtimur chamæmelino cum castorio in apoplexia & paralysi.

Interdum materiæ contumacia his remediis non cedit, adeò parti impressa hæret: propterea & alia medendi remedia necessitas expressit ac ars inuenit; vt dropax, sinapismus, phœnigmus, cauterium. Horum commune genus est attractio, quæ fit à calido sicco; valido, tenui ac terrestri: vt ea ratione loco mota materia, prodeat foras. cùm enim materia pertinaciter infixa est, peruicaciter attrahi debet : quare & terrestre ac solidum remedium esse debet : id enim non facilè suam naturam cauit.

Dropax. Dropax (picationem quidam vocant) sinapismo est mitior: & duplex est, simplex, & compositus. Simplex, dicitur Picatio; Græcis *πίττωσις*, nam pix liquatur cum oleo, cuti ex alutâ iniicitur, sæpe detrahitur, ac iterum reuocatur dum pars incalescat rubore: estque præparatio ad sinapismum, & post sinapismum adhibetur. Compositus, piper, pyrethrum vel sulphur aut tale quid admixtum habet : vt accipe picis aridæ vncias tres; sulphuris viui sescunciam; olei rosati quod sufficit, vt extendatur in pelle ouilla. Si validiorem vim iniicere velis, adde piper, zinziber, pyrethrum, nasturtij semen: eius finis est rubedo.

Sinapismus. Sinapismus dropace validior est. fit ex sinapi subtiliter puluerisato, quod decocto ficuum excipitur: sin mitius petamus, aceto. Sinapismi finis erit cùm vesiculæ exturgescunt in cute.

Phœnigmus. Phœnigmus fit ex sapone cum sale, vel ex flammula Iouis: vt accipe fermenti drachmas duas: cantharidum drachmam: seminis sinapi scripulos duos, misce: parti frictione calenti, & rubenti imponitur.

Cauterium. Vltimò venimus ad Cauterium, *quod est combustio imperfecta, ab igne rectè adhibito; vt membrum roboretur, & causa continens excludatur morbi.* Igni hoc remedium suam vim exercet; nam is, vel energia vel potentia admouetur. Quibusdam tutior videtur qui actu imprimitur: quia igni est forma simplicissima, nihil contagij (excepto calore ac empyreumate) relinquens : agens, propter summam quam habet agendi vim. At ignis potentiâ, vt arsenicum, calx; tota substantia est inimicus calido natiuo, hinc sæpè gangrænæ partibus inuruntur. *Obseruatio in Cauteriorum vsu.* Vt autem rectè admoueantur tam periculosa remedia, primò explorabimus num sit eò veniendum: nam aliquid naturæ abscindunt : cùm enim nulla tecmarsi imprimuntur, calamitosa esse possunt: qualia euenere Eupolemo apud Hippocratem quinto epidemiôn in initio. Qui cùm coxam suppuratam haberet, illi cauteria plurima & magna inusta sunt: & post paucos dies obiit. *Huic*, inquit Hippocrates, *si vna ampla sectio data fuisset aut altera, & tempestiuè, seruari potuisset.* Quare cùm vitiû nec Emollitione, nec loci Incisione, nec Digestione, nec rubificantibus eximi poterit, ad comburentia curationem vertemus. Secundò, tempus captabimus quo decenter adhibebitur; illud erit cùm pars in periculo versatur ne à mole materiæ putrescat : & maximè os : & cùm nec dropax nec sinapismus quicquam opis attulere Tertiò, modus comburendi vt rectè indagetur : ille ex morbi modo patescet : nam si summa cutis inquinata fuerit, sphærico vtemur instrumento: si altiùs, plano : si profundiùs resedit malum, gladij sit forma. *Cautio.* Cautio *sit de scrophulis, nam*

iugulares arteriæ ita vruntur, vnde mors: cauendum à neruis & arteriis ne temerè vrantur. Hæc latè libro primo tradidimus, ac innoxium & valentissimum cauterium ibi descripsimus : magno labore à nobis quod fuit emptum, ac Reipublicæ dicatum. & de his videte Galenum quinto Methodi, capite quarto in fine. Ingentem remediorum syluam, qua omne causæ continentis vitium abigitur, prodidit Holerius libro primo & secundo Chirurgiæ, & Fernelius toto libro sexto Methodi, & Pareius libro vigesimo quinto, capite nono, & sequentibus. nam nos tantùm hîc tradimus quo loco, tempore, & occasione, in tota arte adhiberi remedia debeant.

Observatio.

Horum vsus fit, cùm nil ampliùs in fluxum effundi potest, à Reuulsione & Deriuatione; & iam inclinante morbo, adhuc viribus firmis.

CAPVT XII.

Secunda primæ indicationis Pars, De Curatione Morborum.

HActenus de omnis causæ morbificæ curatione egimus: iam de curationis ductu omniũ morborũ. Morbi secundo in loco sũt eorũ quæ cõtra naturę legẽ corpus fatigãt: qui vt ortu, ita & curatione à causis suis secundum locum sortiri debent. Causis itaq; amotis, quæ morbos partibus intulerunt, cùm Morbus perseuerat, curandus ille veniet. Vt autem causæ morbificæ suum habitaculum in contentis habent, ita morbi partes corporis occupant. Quare exploratum à nobis id esse debet, quotnam rationibus partes corporis vitia imbibere possint. Cùm itaque partes corporis duplici censu contineantur, sunt enim vel simplices partes, vel organicæ & certis officiis dicatæ: quare & variis modis vitia contrahent. Similarium enim recta constitutio, est concinna ex quatuor primis qualitatibus fabricata moderatio. At organicarum integritas, est recta formatio. Propterea & duo morborum erunt capita: organicus enim Morbus erit, vel similaris: quòd vel eucrasiam vel instrumenti rationem labefactet. Sed cùm similaribus & instrumentariis partibus commune sit, vt iunctæ ac combinatæ sint, surget aliud genus morbi vtrisque partibus commune, cùm hæc sociatio soluitur, diceturque vnionis solutio. Hi cùm interdum iungantur simul, quartum genus morbi nascetur; vnde compositi quidam morbi dicentur. *Hinc quatuor remediorum genera enata fuere, alteratio, apertio, vnio, & quod vim habet hæc cuncta simul debellandi.*

Alteratio partium corporis eisdem remediis perficitur, quibus succos ad pristinam moderationem reuocari diximus. Sed perpetuò præ oculis sit natura alterandæ partis, in substantia, temperie, habitu, sensu, officio, structura, societate, & situ: nam alia vi membrana, alia caro alteranda. Intemperies simplex calida recens ac leuis, pari tempore ac frigida debellatur. sed tutior est calidorum vsus; erigit enim calidum natiuum. Antiquata frigida intemperies ægriùs euellitur. Sicca contumacior est humidâ. Si morbus instrumentalis fuerit; ille erit vel ex mala conformatione partium : aut in numero partium aucto, vel acciso: vel in magnitudine nimia, aut pressa : vel in situ, seu mala connexione partium. Si mala conformatio vitium fecerit, id erit in figura partium, vel earum asperitate & læuitate, aut soliditate, vel in cauitatibus & meatibus. *Alteratio.*

Si igitur meatus obstructi fuerint, cùm obstructio morbus sit, orietur indicatio aperiendi. Quare perlustrandum est quidnam sit apertio. Apertio *est expansio obstructorum meatuum, à valido calore facta, qui in substantia crassa resedis.* Quæ enim tenuiter calfaciunt, ea rarefaciunt; sed aperientia modicam crassitiem sortiri debent, ne sibi aditum intercludant: vt amara cuncta, cichorium, ciceres, absinthium, eupatorium. Ita practici hanc ideam in omnibus obstructionibus aspiciunt, vt cùm hepatis vel vteri venæ conniuent, præscribunt vinum absinthij & artemisiæ.

Apertio.

Sic in soluta Vnitate, Vnione vtimur. Vnio est iunctio eorum quæ diuulsa sunt. Quæ vnientur, ea vna esse similitudine debent: propterea Chirurgi cauent ne vel pilus, vel quid aliud inter iungenda labra vulnerum se interponat, ne arceatur vnio. Quæ vt commodè fiat; in primis causa diuulsionis si adhuc adfuerit, euellenda erit, sanguis sistendus, ac in vnionem iongendæ partes. Vt si rupta in neruo fuerit acus, illa ni primò eximatur, funestam inflammationem mouebit: ita rupta à sanguinis copia si fuerit in thorace vena, sanguis primò educatur, dein fluor sistatur, tandem vena ruptæ iungatur. Quieti dissociata pars indulgere debet: argumento sunt vulnera pulmonum quæ ægerrimè vnionem admittunt ob perénem pulmonum motum; accedit & illud, quòd vulneris sordities extussiri debet, quo quassu lacerum vulnus redditur. *Ea cautio adsit in sociandis diuulsis, vt vis & robur diuulsorum partium stabiliatur: quod fiet rebus moderatè siccantibus: vt in externis, oleum id præstat extusum ex seminibus hyperici, in quo eiusdem flores sub Canicula ardente macerati fuere. Præterea abrepta inuicem partes, molli pressu blandaque manu reuocari debent, ac studendum vt iuncta perennent;* quod plagulis, spleniis, ac vinculis fiet, & vi siccantium remediorum. expedito vlcere, ac vi abstergentium medicaminum à sordibus liberato vulnere, (quæ in carnis generatione semper luxuriant,) facilè coniuebunt disiuncta. Morborum autem ideæ diuersæ, diuersis remediis egent: vt si inflammatio molesta sit cum obstructione, vel obstructio cum vnitatis solutione, & quæ inflammationem arcent, & quæ vnà aperiont, ex vsu erunt. Id accuratè agatur, vt explorata sit morbi species, magnitudo, mos, & motus. Species agnoscitur ex propriis accidentibus: magnitudo, ex eorum quantitate: mos, ex epiphænomenis: motus ex tempore partium.

Vnio.

Cautio.

Observatio.

Cum obscurior morbi idea nondum plenè comperta fuerit, huic ne præcipites remedia adferre; sed negotio naturæ tradito, quæ, optima diæta recreata, aut morbum debellabit, aut quis ille sit aperiet: Vel fiat leuis cum morbo velitatio, ne in re dubia fiat iactura granis. Et illud perpetuò adsit studium, vt primò accuratè peruestigetur morbi essentia, eiusque forma: secundò, an factus, vel fiens: tertiò, morbi explorandus mos, motus, & tempus.

CAPVT XIII.

Prima primæ indicationis pars, De curatione Symptomatum.

OMnis omnium affectuum præter naturam curatio à prima Indicatione curatiua proficisci debet. Prima autem Indicatio sumitur ab affecto qui contra naturæ legem corpus humanum premit. Affectus hi sunt triplices, causa morbifica, morbus ipse, symptoma. Quo modo causæ omnibus à morbis eximenda sit, & qua arte morbus propellendus, hucte-nus tradidimus. Tertia autem pars primæ Indicationis erat symptoma: cui tamen vt symptomati nullæ debetur curatio: nam symptomata (quæ immediatè referuntur in morbum) sequuntur morbum, vt vmbra corpus, quo ablato, vnà cedit symptoma. Sed nonnunquam tam viuida vi premunt, vt nec locus sit nec tempus ad causæ morbificæ aut morbi amotionem, verùm naturæ robur exhauriunt: nam morbum faciunt, vel augent.

Ordinis ratio.

Inter hæc symptoma crebrò ac validissimè vrget Dolor, qui plerumque suas tanquam soboles secum rapit vigilias ac inediam. Nihil autem est in toto mundi theatro, quibus æquè ac his vires fatiscunt. Quare primò de dolore agemus: eius naturam & quæ sint eius causæ explicabimus: cùm enim aliquid curandum est, eius essentia perspecta primò esse debet. Illud profectò stupendum, tanto stupori in hac mortalitate ingenium nostrum inuolui, vt toties dolorem sentientes, adhuc ignoremus num ipse sentiatur, an potiùs sensus ipsius pars sit. Vt itaque natura doloris rectè percipiatur, id conuenienter fieri nequit, ni primùm contrarium eius, nempe voluptatem, quid nam illa sit, nouerimus. Voluptas, vt inquit Aristoteles decimi Ethicorum quarto, *non est operatio: producitur tamen ab operatione iucunda & blanda: hoc est, cùm analogia est inter id quod sentitur* (id est obiectum) *& facultatem sentientem: nam est blanda operationis perceptio.* Contrà, Dolor fit à tristi perceptione, ab operatione in qua non est proportio obiecti & facultatis. Non tamen est operatio: producitur tamen ab operatione illa perceptio. Quare operatio quæ voluptatem facit, citra violentiam agit: sed quæ dolorem inuehit, violenter. Et dicebat Aristoteles, sine operatione non perficitur voloptas, nec separari illa possunt. ita nec Dolor, sine operatione: adeò tristi perceptioni connexus, vt separari non possint. Propterea ita Dolorem definimus: *Dolor est natura tristis perceptio.* Fit autem hæc perceptio, cùm facta est impressio in sensum delatæ speciei naturæ aduersæ. ea perceptio est dolor. Dolor enim sensu non percipitur, sed causa dolorifica: hoc est, ab operatione producitur illa perceptio. Vt cum lingua suaui sapore perfunditur, benignè mulcetur inde lingua: eius autem ex operatione percipitur voluptas. Ita tristis perceptio violentę operationis, efficit dolorem: qua ablata, cedit & dolor. Itaque dolor sensu non percipitur: nam dolor est perceptio: illa autem non sentitur in dolore: sed rei species incommoda. Quæ species est efficiens causa perceptionis. Sensatio enim animi, constat ex suscepta sensilis rei imagine, & susceptæ imaginis agnitione. hoc est, oportet (vt dolor sentiatur) qualitatem rei dolorificæ impressam sensoriis instrumentis, communicari sensui communi: qui iudicat passiones factas in sensoriis. Hinc Galenus dicebat, Dolorem non esse operationem ipsam, non esse mutationem, sed Dolorem esse dignotionem alterationis & mutationis, & esse symptoma in actione deprauata tactus, quia sentit prauè quod non deberet. Dolor in omni sensu reperitur; sed nos hic de dolore qui in tactu consistit: dolent enim maximè neruosæ partes.

Tactus symptoma.
Dolor.

Voluptas.

Dolor quid.

7. De plac. Hip. & Plat.

Sed quænam est causa Doloris? Vnica eius proxima est causa, solutio continui: etenim vnius rei non possunt esse plures causæ proximæ, in eadem causarum serie: hoc est in iis quæ causarum efficientium serie recto succedunt ordine, ita vt tandem, cùm ad vltima ventum est, dubites quid vltimum sit; vt hîc violentum, intemperies, solutio continui, vnde dolor. Ita cùm soluitur continuum, adest ilico dolor:

** hoc est non in factum esse sed in fieri.*

&

&c cum otium est ab ex solutione, ilico euanescit Dolor. Nam causa dolorum non est * *ἐν τῷ γεγονέναι*, sed in *γίνεσθαι*: nam dolor non premit dum soluta est vnitas, sed dum soluitur. Hinc Hippocrates, *περὶ τὰς γινόμενας τῆς φύσιος, οἱ πόνοι συμβαίνουσι*: immutatione habitus & temperamenti. Igitur pendet Dolor à solutione continui, & non à soluto continuo. Fit itaque dolor ab obiecto sensui non analogo, quod confertim agit & violenter, vt inde continui diuulsio fiat. Propterea Galenus dicebat, dum fit raptus confertim ad natiuum statum vel ad naturalem, id perpetuò fit cum dolore: vt qui affatim perfrixit, focum accedens dolore percellitur. Doloris itaque causa est solutio cōtinui.

In esse non, sed in fieri.

12. Methodi 7.

Sed quænam est iuncta (immediatam vocant) *causa Solutionis continui?* Hæc non alia erit quàm causa præter naturam: verùm non quælibet, sed quæ *ἀθρόως* incumbit. Verùm dicet quis, Galenus ex Platonis sententia (cui ipse annuit) dicebat, cùm migrat res ad natiuum statum, voluptate perfunditur. Respondemus, Plato altiùs sese erigens, de mentis motu agit, quæ in Dei contemplationem rapta, mira voluptate perfunditur: quòd à corporis quasi sordibus soluta, ad propriam tunc naturam redeat. attamen idem de corpore dici poterit, quod, cùm ad statum non naturalem trahitur, dolet. Nam causa Doloris est causa præter naturam confertim agens: quare violenta, soluit continuum; id dum fit, dolor oritur. Attamen si hæc mutatio inclinet in statum naturalem, id bifariam fieri poterit: vel à cognata & nobis familiari causa; hæc non potest violenter agere, etiamsi confertim inuehatur; quare blandè mulcentem voluptatem infert. de hac agit Galenus primi De symptomatum causis sexto: vt dulcedo in sapore, & in viris expulsio seminis, in mulieribus attractio. At dum fit reditus in pristinum statum à causa quæ nobis cognata non est, hîc fit cum dolore, quia cum violentia fit, & inducit inæqualem intemperiem, vnde flatus & tensio: cùm agit confertim: de hac agit Galenus duodecimo Methodi; vt frigus dum subitò pellitur ab ignis calore, re non familiari. Quare doloris causam iunctam, dicimus solutionem esse vnitatis, cùm confertim imprimitur corpori; si enim lentè irreperet, dolorem non daret.

Dubium.

1. sympt. causs.

At qua causa est agens confertim? est intemperies inæqualis, vel pura, vel iuncta materiæ: quæ intemperies est, *ἐν γίνεσθαι*: & propterea existimamus, quòd solutio vnitatis à qua fit Dolor, non sit morbus: quia non est soluta vnitas: & eius auctor intemperies, est *ἐν γίνεσθαι*. Fit dolor vehemens à calore & frigore; nam dissipando, & comprimendo violenter continua abripiunt, ob agendi præcellentiam. mitior dolor est à siccitate: etenim humidum, auctor nec dissipationis nec expressionis est, vnde (cùm continuum non soluat) nec dolorem infert. Materia continuum rumpit cùm vitium fecit in substantia, copia, aut qualitate. Substantiæ ratione peccat, cùm forma eius, vel corpus contaminatum fuerit. Forma, cùm materia veneno afflatur, vt in lue venerea, & dum implicitus iacet æger pestiferæ febri. Corporis ratione, cùm flatu turget & tendit, & cùm crassior vel tenuior, & acrior mordet. Auctor itaque doloris, est solutio vnitatis, quæ oritur à causa præter naturam confertim agente, siue ea sit interna vel foris irruens. Hanc sententiam Galeno ascribimus vnà cum Abincenna & Auerrhoïdes Quin Hippocrates tertio libro De articulis, Aphorismo trigesimoquarto, dicebat omnem morbum vlcus esse. Videtur tamen Galenus interdum dicere, dolorem nonnunquam fieri ex intemperie.

Quæstio.

Quare vt omne sophisma cedat, affirmamus solutionē continui duplicem esse: vna est euidens, altera rationi tantùm comperta. Euidens, vt ab incisione, erosione, tensione, vel fractura. Rationi comperta, non distinguitur ab intemperie à medicis, quia medicamina solutioni continui dicata ab illis non sunt, sed eius causis, hoc est intemperiei. Quare *συλλογιζόμεθα* proximam causam dolorum esse solutionem continui, siue ea sit rationi tantùm comperta, seu euidens. Auicenna ob malè transfusum codicem, occultam hanc solutionem continui animaduertere non potuit.

Auerrhoës eludere velle videtur medicos, qui dicebat, intemperiem esse immediatam dolorum causam: nam (inquit) obiectum tactus est calor, non solutio vnitatis. Nónne voluit Galenus volam manus esse temperatissimam, qua sentimus omnia intemperie à mediocritate abeuntia? At maximè calor & frigus ad extrema recedunt. Ita lusus illi sunt medici. Illi responderi poterit, si quis acu pungatur, hic dolebit; & quare? dicet Auerrhoës, quia solutio vnitatis fiet à punctione, ad solutionem sequetur motus, quem excipiet calor, & à calore erit dolor. At id ridiculum videtur, ad tantam seriem rerum, intemperiem doloris auctorem, sequi. Et illud verum est moderatissimam esse volā manus: nec propterea tamen sequetur, quòd solùm calore feruida aut frigore algida percipere debeat, sed etiam duritiem sentiet & mollitiem. Hoc monstrauit Galenus libro De arte medica, 8. Tactui, inquit, necessaria mediocritas in duritie & mollitie. Itaque tactus non est vnum & simplex instrumentū, sed quod in moderatione feruoris & algoris, madoris & squaloris, mollis & duri, asperi & læuis, grauis & leuis, decentique situ atque forma consistit.

Soluitur itaque continuum *tensione, contusione, ictu, punctione, incisione, vel erosione.* Hæ causæ semper notandæ sunt, vt ritè medicæ manus adhiberi possit.

Tensio fit vel à plenitudine, vel siccitate, vel cùm spiritus exitu prohibetur. Si dolor fuerit à plenitudine sanguinis tendentis (vt in phlegmonis euenire solet) ilicò pertundenda vena, modò ægri vires id ferāt. Sed si imbecillis sit æger, in contrarias partes auerti debet sanguis, & per propinqua deriuari. Quod si his peractis non mitescat dolor, indicio erit parti dolenti altiùs impressum esse quod dolorem prębet. Quare digerentibus remediis erit curatio molienda. Hoc autem fiet vuido calore tepentibus; illa enim propriè dolorem placant, nam aperiendo spiracula per halitum discutiunt; ita tensio tollitur cum causa tensionis exhauritur: nam fit discussio facta rariore cute: rarum quid fit à calore non torrido, cum leptomeria tamen. Tale est chamæmelum, lilium, semen lini & fœnugræci, anethum, origanum, calamintha, pulegium, maiorana, melilotus, folia senæ, agaricum. *Dolorem mitigat calidum*, inquit Hippocrates, vt fotus aquæ tepidæ ac cataplasmatum: id agunt calore blando, ac naturæ nostræ consentaneo. *τὸ θερμὸν δέρμα μαλάσσει ἀνώδυνον*, inquit Hippocrates: nam *cutim emollit*, quæ aut siccitate, aut concretione, aut tensione obduruit: *& dolorem tollit*, vacuando, rarefaciendo, temperando, & ad æqualitatem reducendo: vt fotus aquæ tepidæ. Per interualla tamen admoueri calida debent: nam Hippocrates, *si quis diutius multumque iis vtatur, carnis effœminationem inuehent*, laxatis fibris, dissipatoque proprio carnium pabulo, & inducto humore excrementitio: *& neruorum* dicit *infirmitatem inferent*; nam eorum robur in mediocritate siccitatis consistit. Si dolor à siccitate inuectus fuerit, non alia ratione quàm humectando curari poterit. *Est autem duplex siccitas, vna quæ citra tensionem est: altera, cum tensione cutis. hæc incurabilis; illa curari potest*: vt dum corium igni admouetur, primùm laxat se, demum tenditur exhaustis partibus madidioribus. Ita siccitas quę phrenitidi succedit vel causo

A plenitudine.

5. aph. 22.

A siccitate.

vel hypercatharsi, calamitosa est. Vt *spasmus qui ex ellebori nimia vi purgandi infertur, funestus est*, inquit Hippocrates: modò ea conuulsio non sit ab acrimonia ellebori quæ neruos ferit, sed, vt dixi, ab hypercatharsi, & ab exhausto; propterea addebat Hippocrates ὁ ξ particulam, quæ indicat vacuitatem rei, quæ in quæstionem cadit. Interdum spiritus exitu prohibitus nimia tensione dolorem præbet. Propria eius curatio est cucurbita, cum flamma copiosa admota: imò dicit Galenus, incantamento similis esse videtur tam prumpa medela, siue in intestinis, siue in quauis alia corpori particula dolores fatiganerint. Sin ille spiritus humori sit iunctus ea quo exsurgit, tunc ilicò quidem dolor sedatur ab vsu cucurbitulæ, sed postridie redit, vel tertio die, vel eadē nocte, si quid deliquerit in victu, aut intempestiue calfecerit doloribus expositam partem. Tum initio, doloris acerbitas placanda erit cucurbitulæ admotione: ac dein humor exentiendus erit clysmate ex oleo tenui, in quo ruta coxit: ita interdum & vitreos succos eiiciunt; quod ipsi Galeno contigit, cum acerbissimo dolore coli premeretur.

A flatu. *2. Methodi.*

Si dolor ab *erosione & morsu* molestus esse pergat, Is erit ab aut humore acri & tenui, vel ab humoribus crassis & viscidis. Si ab acri tenuique materia proficiscatur, ab extenuantibus & calefacientibus erit abstinendum: nam ab exhibitione maiorem inferent morsum. Optimè tamen curabuntur tales dolores euacuatione materiæ mordentis: vt, accipe hieræ mellitæ drachmas sex, diaphœnici drachmas duas; confectionis Indæ, & philonij Romani, cuiusque drachmam: misce; fiat bolus, Vel si renuat æger medicamen, per epicrasin sanetur: Sin id fieri non possit; dabimus narcotica, vt Philonij Romani vel requiei Nicolai drachmam. Et quanquam in omni materia dolorem hæc leniant, minùs tamen suo algore lædunt vbi acris tenuisque materia in vitio est: nam refrigerant & siccant, vnde crassato humore ac refrigerato minùs mordicat. Vbi verò succi crassi fuerint, narcotica damnis ægros augent: humores enim crassi dolores inferunt, quia flatus concipiunt: id autem fiet calore, vel obstructione: nam calor cùm suam vim expandit in materiam viscosam, flatus parit: & obstructio, spiritus cohibet. Quare intestina cùm duplices tunicas gerant, vbi medio earum spacio & flatus & humor constiterit, dolorem atrocem inferent. Si quis tunc narcotica adferret, humorem crassiorem redderet, & tunicas densaret, vnde exitus spiritibus intercluderetur: & si quis vehementi calore æstuantia offerret, flatus ex materia viscida excitaret: Quare calida non exhibenda, nisi insignem vim rarefaciendi secum trahant, vt allium & chamæmelum: maximè si febris absit: sin illa adsit, fomentum ex milio vtile erit, & clysma ex oleo chamæmelino cum adipe anserino. Oculis, auribus, & dentibus dolentibus, in aurem infunduntur torporem conciliantia.

A morsu & erosione. *Narcoticorum temperies.*

In narcoticorum vsu religiosè obseruare debemus; primò, vt sensus tactus hebescat: secundò, vt narcoticum nihil noxæ aut iniuriæ relinquat in parte ab eius vsu: quare postea calidis fouemus partem; vt decocto chamæmelorum, ac castorio inungimus: tertiò, vt affectui conferat; ita materiæ calidæ & tenui maximè conducit opiatum. Quare in maximis doloribus interdum ad narcotica (quæ stuporem sensui inferunt) veniendum est: maximè cùm Inde plus commodi quàm incommodi adfertur. Hoc fiet, si vsus eorum solùm ineatur, cùm vires resoluuntur: vt cessantibus doloribus recolligant, quò morbo fiant pares, & sufficere curationis spacio valeant. Scopus enim narcoticorum est, virium conseruatio. Crudelis est medici ægrū doloribus enecandum propinare: at adulatoris, hæc leuissimis doloribus exhibere; nam vires eum ad hæc trahere debent. sed semper ne quid nimis: verumtamen læsio melior morte. In biliosa mordente materia, & in febrilibus vaporibus vtilis horum est vsus, vbi caput vehementer dolet. *Cautio sit, ne vtamur narcoticis in simplici intemperie calida, vbi materia morbifica abest.* Quare in vsu opiatorum illud perpendemus, dolorem duobus modis considerari, vel quatenus est perceptio rei natura tristis, vel ratione alicuius annexi symptomatis. Ratione tristis perceptionis non conueniunt opiata; sed ratione innexorum symptomatum, vt vigiliarum pertinacium in dolore capitis; nam à vigiliis in vitæ discrimen trahitur homo: & in acuta febre à phrenesi metus erit. Vt dextrè vsus narcoticorum ineatur, semper cogitare debemus quo modo illis vtendum sit *in qualitate, quantitate, vtendi modo, tempore; & de parte cui admouenda* erunt, prouisio habenda.

Cautio. *Cautio.*

Qualitate vtemur hac serie: primò vsum ineat lactucæ & eius succi: secundo loco erunt folia nymphææ & oleum eius; hinc succus solatri, radix mandragoræ; capita, folia & semina papauerum, & opium. Composita: mithridatium recens, theriaca noua, aut adiectis granis opij recentata: Diaspermaton & Philonium Romanum: Requies Nicolai. Tutior est vsus compositorum. Galenus miscet castoreum opio.

Qualitatis series.

Quantitas hac forma patebit. Accipe philonij Romani scriptulum, mithridatij veteris semidrachmam. Foris, in dolore capitis; Accipe philonij drachmam, olei chamæmelini semunciam, fiat inunctio. Vel: Accipe olei violacei, drachmas tres, aceti drachmam; opij & croci, vtriusqae grana tria: misce, vnge tempora & frontem: non tingatur his sutura coronalis; purgato corpore toto, his locus erit.

Copia in Narcoticis.

Vtendi modus varius est; nam componi possunt linimenta, potiones, pilulæ. Primò à lenioribus auspicandum, vt ab oleo nenupharino. 1 s. vtemur oleo portulacæ: s 11. mandragoræ. 1 v. papaueris. v. ad opium surgemus & primò foris vtemur: hinc, intus dabimus. Sedato dolore & vigiliis, vt eluatur frigus ab opio impressum, vngetur locus oleo chamæmelino & intùs conseruis calidis vtemur.

Vtendi modus.

Tempus illud euocabit opium, cùm lenioribus somnus adduci nequit, & cùm summa adest necessitas. Verùm nisi opium primo fermentatum fuerit, nunquam intùs dabimus. Quare philonium sit sex mensium: nam perennat in decimum annum: sed quo vetustius, eò imbellius. Mitigato dolore, & eacussis vigiliis, amoueatur opium, ne lethargus inferatur.

Tempus. *Cautio.*

Partis, cui admouetur, natura conspecta esse debet: nam si caput dolet, suturæ coronali non erit admouendum narcoticum, sed temporibus & fronti. Auribus eius quid indit Rhases, sed præstat abstinere, ne auditus lædatur. *Cautio hæc semper adsit, ne adhibeantur torppida hæc remedia, vbi crassi ac glutinosi humores exuberant: nam contumaciores fient: modò ne æger omninò periclitetur à dolore.* Hæc de dolore.

Pars. *Cautio.*

Inter Symptomata accidentis mutata, est lingua nigredo, ariditas, & in ea fissura. Hæc fiunt ex fuligine ichorum vsta: nam linguam vestiens tunica, ventriculo communis est, etenim eius est interior tunica, amplissimis venis rigata, quibus sociata est visceribus. Cùm autem lingua spongiosa sit ac poris peruia, facilè vstas fuligines bibit: quare, quisnam succus copia exuberet, in corpore indicat: vnde Hippoc. dicebat, *lingua lotium indicat.* Hæc siccitas eluitur humidis, vt aqua hordei in qua semen cydoniorum, maluæ, althææ, vel portulacæ coxerit: vel tali linctu: Accipe syrupi violati, semunciam: muccaginis seminum psyllij vel cydoniorū, extractę in aqua portulacæ vel

Qualitas mutata. Linguæ ariditas. *6. Epid. 5. 14.*

lactucæ,

lactucæ, drachmas duas: si acorem velit, diaribes vel diamori drachmas duas remiscebimus. Et tandem venitur ad gargarismos; bis diamoium vel mel additur.

In actionibus. *Vigiliæ.* *2. Aph. 3.* In actionibus alia præterea consistunt symptomata, vt Vigiliæ: quæ *si vrgeant*, inquit Hippocrates, *malum*; vt signum, & causa: vt signum, ob siccitatem cerebri & materiæ somniferæ inopiam: vt causa, nam cerebrum exhauriunt, corpus infirmum reddunt, & materiam morbificam pepasmi expertem relinquunt. Olim vinculis constringebant extrema mẽbra dum ægri fatigarentur, subitò lumen subducebant, silentiumq; imperabãt, vincula soluebant, vt ea mutatione quies obreperet. Præterea fronti ac temporibus tale admouent remedium: accipe vnguenti rosati, & populei, cuiusque tres drachmas, requiei Nicolai drachmam, olei papaueris duas drachmas: misce. fiat linimentum. *Cautio.* Sed *narcotica illa pueris non sunt temerè admouenda, nam in reliquam vitam eorum læderetur memoria.* Accipiunt syrupi papaueris, & nymphææ, vtriusque drachmas sex: decocti lactucarum & papaueris, vncias duas: exhibent hora somni. Præscribitur & lac amygdalinum, vt accipe hordei mundati vnciam: seminum frigidorum maiorum excorticatorum, seminum papaueris albi, cuiusque drachmam: amygdalorum dulcium, decem: fiat emulsio ex aqua: accipe vncias quinque, & adde syrupi de papauere & sacchari albi, cuiusque vnciam. Et manuum & brachiorum ex pelui natatio confert: id fiat ex decocto foliorum nymphææ, lactucæ, capitum papaueris, rosarum, salicis, violarum: corticum radicum mandragoræ, & pampinorum: & in pelluuium transfusum istud decoctum, pedibus pro lauamento erit. Nam inde profectus vapor irrepit in venas; ac hauriunt ægri naribus vapidam illam humiditatem, vnde blandè madescit cerebrum.

Syncopes Curatio. Inter cuncta symptomata nullum terribilius est syncope: quare ad eius causas & curationem indagandam, summa eius necessitas nos quasi extra lineam euocat: quamuis non alieno theatro id nunc agimus, qui in symptomatum circo decurrimus. *Syncope est vastatio vehemens, ac præceps omnium virium lapsus: maximè facultatis motricis, sensitiuæ, ac vitalis.* Hoc fit cùm ἀθρόως ac nimio raptu sese colligit totus spiritus vitalis in corde, vel cùm affatim ille exhauritur.

Lapsum virium esse dicimus, nam δύναμις quædam agendi perseuerat: qua sola, à morte differre syncope videtur. Nec tamen est simplex lapsus virium, sed præceps ac vehemens virium labefactatio adest: alioqui nihil à lipothymia differret: nam in ea vident, audiunt, cognoscunt omnia: at hæc, abolita iacent in syncope; in qua adeò percellitur vitalis vis, vt pulsus silcat & vix micare persentiatur, totaque cordis œconomia expugnata languet; non spes, non timor aut ita sese ostentant: quare maximè ad cor hoc symptoma pertinet.

Quod symptoma terribile vt auferri possit, primò compertum esse debet ex quánam causa ortum ducat, hoc est, quis morbus ille sit cuius syncope sit symptoma. *3. loc. aff.* Morbi omnes sunt vel Intemperies, vel mala Conformatio, aut hærent in Magnitudine, Numero, & Situ: aut erit Vnitas soluta. Syncope in labefactatam Temperiem referri nequit: Nam si foret Intemperies cordis lenis, pulsuum tantùm mutationem inferret: si verò valida immoderatio illa perseueraret, mortem inferret, vel lẽto pede, vel subito raptu: si paulatim id fieret, non ex Syncope, sed ex Intemperie mors obreperet: si verò ἀθρόως percellat cor intemperies, id efficiet ex alterius affectus importatione, qualis est inflammatio. Igitur morbum in mala Compositione sui auctorem agnoscet syncope: nam incumbit subitò ac confertim. Nec Continui solutio Syncopes causa erit: nam vulnus si cordis sinus penetrarit, effluxu sanguinis rapientur homines. Sin vulnus non penetrarit, mox sese iunget phlegmone, dein Syncope accersetur. Quare Syncope symptoma erit morbi in mala Compositione: nam à cordis dilatatione, vel strictione, pæuè exstinguantur spiritus. Illa penuria spirituum proxima causa est Syncopes, quæ est symptoma: nam vnius symptomatis non possunt esse causæ proximæ plures, vt antea diximus vbi de Dolore.

Causa. Fit autem Syncope, ex dilatatione vel constrictione ductuum ac meatuum cordis: hi morbi sunt ex quibus Syncope nascitur. Dilatatio ac constrictio præter naturam ductuum cordis, ex vitio spirituum fiunt. Spiritus enim vitales vitium agnoscunt in motu, aut quod illis remisceatur quid vnde fœdantur. Si motu delinquant, id erit vel ex causa interna aut externa. Interna, vt ex dolore: dolet enim vel pars iuncta ferè cordi, vt stomachus: vel remota aliqua pars dolore concitur. Si vicina cordi dolore langucat pars, ex constrictione syncope erit: si remota, ex resolutione.

Externæ causæ sunt vigiliæ, gaudium effusum, quale Diagoræ euenit; & tristitia. Si quid euenerit spiritibus vnde fracti fuerint, illud hærebit vel in substantia spirituum, vel erit ex eorũ quantitate vel qualitate.

Substantia. Substantia eorum vitium habet ex nimia crassitie, adeò vt sese expandere nequeant, sed stipant aditus ac exitus, & vna quasi in sede sese colligunt: vel nimia tenuitate & raritate prædititi omnia circa cor pandunt. *Copia.* Quantitas molesta est spirituum ex eorum nimia copia aut inopia: copiosi, ex sanguinis surgunt copia: inopia illorum, est ab exhaustu, vt ex vigiliis, motibus animi & corporis validioribus quàm naturæ ratio exigit. *Qualitas.* Qualitas praua ac veneno contaminata interdum iungitur spiritibus: & hinc cordis vasa subsidunt. Hæc contagio, vel foris infertur, aut intus gignitur. Si intus, surgit vel ex materia in corpore existente, vel ex solidis cordis particulis. Si non tantùm praua qualitas, sed materia illud vitium faciat, illa erit vel mole corporea prædita, vel tenuis ac vapida. Corporeo crassamento illa prædita est, quæ in pestiferis febribus cordis succos fœda pernicie inquinat; vnde spiritus cordis premuntur. Vapida illa materia praua prodit à toto corpore aut peculiari aliqua parte: à toto, vt in febribus mali moris: hoc est, cùm putrida aura (non tamen veneno delibuta) in putredinem rapit cordis succos: à parte interdum surgit, vt ventriculo, hepate, vtero, liene, & à pede. Quòd si à solida cordis parte ortum traxerit, id fiet, quòd in eo fit cõceptum vel erysipelas, vel inflammatio. Inter causas externas est aër pestilentibus miasmatis inquinatus: & cibi venenati, vt fungi quidam & animalium ac plantarum toxica. in hoc symptomate summus est à pristina natura abitus: quòd princeps pars morbo fatigetur. acutissimum vitium, & mali moris.

Signa. Signa: ipsum symptoma sese aperit. motus magis frangitur quàm sensus internus; obmutescunt, color pallet, sudor frigidus erumpit in fronte: nam resoluta vi retẽtrice, alimentalis dimanat humiditas: frigidus sudor, quia per cutem perrumpit frigidam, totumque corpus friget. Ab apoplexia differt, nam ibi non ita fractus extabuit pulsus; nec tam fœdus pallor faciem occupat. *Nota differentiarum.* Vt tam calamitosum malum auerti possit, notis quibusdam internosci eius varietas debet, vt aptè cuique causæ remedium iungi possit. Quare cùm ita prostratus æger iacet, accuratè perpendemus, num ex spirituum motu id euenerit, vel an quid aliud accesserit. Motus spirituum hoc malum accersit, cùm vi doloris aut agitatione animi vel corporis in peripheriam sese raptim traiiciunt; aut cùm subito motu ad cor viam affectant. astantes, & clinici re-

ferent vnde natum hoc principium fuerit. Sin spiritibus quid præter naturam euenerit in consistentia, vt si crassiores fuerint, ab exeunte mutato id intelligemus: tunc enim sanguis crassior erit, & frigus partes solidas opprimet: quòd si tenuior sanguis fuerit, argumento erit ex spirituum tenuitate sincopen ortam fuisse: idem affirmabimus si æstu flagrarint partes solidæ. copiæ vbertate si spiritus labascant, sanguinis abundantia indicio erit: nam eius accisa copia, spirituum inopiam arguit. Si verò qualitas aliqua ab interna causa profecta spiritus contaminat, eam dimanare ex materia succulenta, pestilens febris quæ iam ægrum implicat, indicabit: at vapida à materia id esse, præsentia quidem febris prauæ notabit, quæ tamen pestilentem illam fœditatem non redolet Quòd si hæc peruersa qualitas ex aliqua peculiari parte inspiretur spiritibus, id inde animaduertemus, quòd diu illa pars negotium ægro fecit: vt vterus, ab oppressis mensibus. At cùm perniciosa hæc qualitas à solida cordis substantia spiritibus infertur, tunc vel phlegmone aut erysipelas cordis solidam molem premit: sese hæc vltrò proferent: nam febris grandior premet, & cardialgia fatigabit moribundum ægrum, elucebuntque funestissima illa signa, quæ iamiam mortem imminere denotant.

Indicationes curatiuæ.

Deprehensis itaque causis, Indicationes curatiuæ ponendæ sunt; idque primò, à morbi natura, sed cùm angustia illa viarum ac meatuum cordis momentanea sit, potiùs à causa (scilicet spiritibus) illas venabimur. Cùm itaque spiritus motu violento abripiuntur à vi doloris, orietur indicatio sopiendi dolorem: sin à nimia animi aut corporis agitatione vehementer moueantur spiritus: proferetur indicatio compescendi eos motus. Si verò à spirituum substantia crassa malum enatum fuerit, erit attenuanda: si tenuior substantia spirituum fuerit, vt crassamentum ducat studebimus. Quantitas spirituum si crimen habet, ad iustam reuocetur copiam. Qualitas si noxam impresserit spiritibus, ea moderatione temperabitur: & si ea elui nequit, euacuabitur. Pars si vitium fecit, orietur indicatio reuellendi. Cordis à solida si fuerit substantia, euacuandi necessitas aderit. Causa externa sui correctionem postulat.

Prognosis.

His indicationibus primùm ad aptè curandum positis, cautè deinde explorandum, num illæ curando absolui possint: frustra alioqui est omnis medela. Quare si ex dolore acerbissimo vt iliaco, sincope incutiatur, lethalis plerumque est. Ab animi motu, hominibus robustis non ita calamitosa euenit. Syncope à materia pestifera, & ex inflammatione, aut erysipelate cordis funesta.

Phlebotomia.

Curatio.

Sin curari posse videatur, primùm indagabimus num phlebotomia opus sit. Si fuerit syncope à copia spirituum, & à compressione, vena brachij interna aperienda erit: & id agendum actu etiam existente syncope, ex Galeni sententia. Hinc veniendum ad Pharmaca lenientia, præparantia, purgantia, & roborantia. Inter lenientia sunt & vomitum prouocantia, clysmata, & glandes. Quibus variè vtimur, vt natura & humor ad diuersa inclinant. Cùm succus in ventriculo natat, etiamiam premente syncope, vomitoriis excludendus erit. Cautio tamen sit ab oleo, nam stomachi vim laxat; sed iuri pulli incoquatur raphanus aut cortex medius iuglandis, ac pro vomitorio illud sit. Lenientibus autem medicaminibus aliis non vtemur cùm homo prostratus à syncope iacet; nam stomachus grauius onus conciperet: sed iam expedito à syncope homini præbebimus mannam, vel syrupum rosatum solutiuum, vbi bilis lacessit, ex decocto acetosæ: nam rosa ventriculo robur adfert: quòd si viscida recrementa vim hanc intulerint, dabimus mel rosarum solutiuum, aut mel mercurialatum.

Lenientia.

Vomitoria.

Gale. 12. Methodi.

Præparantia nullum locū habent dum premit syncope, sed præseruationis causa exhibentur. Euacuantia remedia, morbificam materiam exhauriunt lotij promotione, sudorum euocatione, ac alui deiectione. Cor cùm languet ex succis aquosis, vrinalia remedia mirum in modum extrudent malum: si verò ex melancholicis succis prematur cor, ab vsu diureticorum arcendi ægri. Mictoria sunt duplicia, quædam calida & sicca, hæc propriè vretica dicta sunt: alia præterea vretica sunt, quæ leptomeria prædita fuerunt sine calore, qualia sunt semina melonum & peponum: hæc tutò exhibentur cùm caloris feruor æstuat. Quæ per aluum euacuant, hic vtiliter præscribuntur: nam humores noxios, qui spiritus contaminant, è corpore abstergent: obsunt tamen, quòd vnà copiosè spiritus abripiant. quare sint moderata. Accedit & illud, quòd pharmaca venenosam vim gerant, qua id, quod nobis inimicum est prolectant. quòd cum illis familiaritas his intercessit; propterea & naturæ nostræ sunt inimica. Hinc est quòd cardiaca remedia miscenda sunt, ea lege, vt octauam partem, vi, vel mole, remedij occupent: attamen theriaca purgantibus nunquam remisceri debet. Bilis, vi rhabarbari abducitur: agarico cedit pituita: epithymo, atra bilis. Auicenna autem quamuis scammonio vtatur, id pro stimulo tantùm habet, ne phlegmagogum (cui illud adiicit) moram in corpore trahat. Quare infra grana quatuor illud erit adiiciendum: non tamen syncope premente, sed ad præcautionem. A dilatatione si oborta syncope fuerit, remediis ad centrum reuocandi erunt spiritus. Propterea caput & frontem frigida aspergimus, remixto aceto & aqua rosata: quòd magna intercedat societas capiti cum corde. Os recludendum ægri, ac rhodostagmate madefaciendum, miscendum corallium & santala, ac reliqua frigida adstringentia erunt in subsidium adferenda.

Vrinalia remedia.

Cardiaca miscenda.

1. ad Glauc.

Cùm à constrictione, Remedia.

Nimia verò meatuum cordis coarctatio si intulerit syncopen, frictionibus ac vinculis foras trahantur spiritus, ac voce magna inclamandus æger, barba & pili vellicandi, os aperiendum, ac theriaca aut mithridatium palato affricandum, vel nobili vino illinendum, si nil eius vsum prohibuerit. His nihil opis adferentibus, enemata, glandes, sternutatoria commodè in vsum accersentur: quòd si nec valida sternutatorij vi concitetur æger, de vita eius conclamatum erit.

Roborantia.

Ab vsu purgantium tandem veniemus ad cor roborantia quæ vel manifesta potestate, vel latente vi cor stabiliunt: occulta facultate id agunt margaritæ, sericum, aurum & hyacinthus: aperta agendi ratione id efficiunt quæ temperata qualitate cætera præcellunt, vt buglossum, borago, tormentilla: validiore qualitatum flamma hoc præstat dictamnum, angelica, carduus benedictus, crocum. Cum calentiora hæc exigit vsus, aquæ vitæ iniiciemor, quæ exsuget ilicò horum viuidam vim: & cum pauca aqua cardui benedicti exhibeatur. Et frigida quædam cordi student, vt rosæ, nymphæa, viola, ribes, caphura, acetum. Hæc primæ qualitatis beneficio cordi suam operam dicarunt. Sed & secundarum qualitatum ratione quædam cor recreant, vt quæ sapore aut odore grato sese naturæ commendant, vinum suaue, mel & saccharum: odoris autem suauitate, vt aromata cuncta: substantiæ modo tenuioris quædam cordi conferunt, vt succus citriorum & radices quinquefolij: crassiora, vt rosæ, santala, corallum, myrtilli, besaar. Vsus composita quædam medicamina notauit, quæ abdita præcellentia cordis vim erigunt, vt theriaca & mithridatium: nam conserua boraginis, buglossi, & citriorum, id moderata temperie potiùs perficere videntur. Citrium malum recens ex aqua rosata coquitur, dum in

Frigida.

Composita.

succo

succosum crassamentum eliquescat ; in fine , sacchato perlato aspergitur : hoc mira nobiliq́ue potestate cordis œconomiam reficit. Calida commixta remedia , vt diasmoscum , diambra , aromaticum rosatum, Frigida, vt conserua rosata , & violata: syrupus de acredine citriorum, diarrhodó abbatis, electarium de gemmis.

Afolre pestifera. Quòd si pestifera febris vim intulerit, accipiemus succorum condensatorum acetosæ, endiuiæ, radicum quinquefolij, cuiusque vnciam; limaturæ auri scriptulos duos; caphuræ semidrachmam, serici crudi drachmas duas, seminum citriorum semunciam , conseruæ ex foliis endiuiæ, & acetosæ, cuiusque vnciam : cum syrupo de acredine citriorum fiat electarium. Vtilis eius vsus à semidrachma ad semunciam.

Victus. In victus ratione aëri prima cura debetur, ob spiritus, qui languescunt in hoc affectu. Cùm ex fusis spiritibus, nimia ex meatuum cordis dilatatione , huius mali periculum imminet , aër rebus frigidis & adstringentibus perfundatur. Si à collectione spirituum ne oboriatur syncope periculum sit , moderatus aer conferet: nam cùm iam præsens syncope molesta est , frigidorum vsus conuenit. Quòd si syncopes metus adsit à meatuum combinatione , quæ orta fuit à pleniore sanguine, inediæ indulgendum erit , dum sanguis eductus fuerit. Succus crassior cùm periculum hoc iam creaturus est , diæta tenuis & tenuans vtilis erit : melicratum cum hyssopo hoc euentu commendatur à Galeno. *12. Method.* Cùm à dilatatione à syncope discrimen imminet , adstringentibus fructibus indulgebimus, vt malis cydoniis, pyris. granatis, ouis, & carnis succoso alimento. Quòd si non tantum imminentis syncopes metus adsit , sed si iam præsens illa bellum inferat, cùm à plethora est, à cibis temperandum: si ex succis crassis , panem vino madentem illi offeremus : ne vini vi fundant sese humores: nam virium languor vinum postulat. Sin ab expansione ac nimia dilatatione syncope incussa fuerit, vinum potandum erit: nam facilius est refici potu quàm cibo. sit vinum leptomeria præditum ac calidum: vt citò recreet.

De vino. Si quis non studiosè Galeni sententiam perpenderit de vini exhibitione in syncope, omnino variis sententiis fluctuare videbitur : nam modò omnibus syncopticis vinum præscribit , modò omnem eius vsum his negat. Quare notandum erit in lectione Galeni , *1. ad Glauc. 14.* num agat de præsente, vel imminente syncope : nam cùm ex conniuentibus meatibus à plenitudine eius accessionem veremur, ab vsu vini arcendus erit æger. Verùm si à crassis succis ne lacessat periculum fuerit, viribus sic satis firmis , præstat melicrato indulgere; maximè in febris vacuitate: at viribus à crassis humoribus languentibus, vinum ex pane offerendum , ne succi fundantur crudi: Quòd si ab apertione ac nimia dilatatione de paroxysmo syncopes periculum fuerit, ac iunxerit se febris, verumtamen si illa syncope non validè presserit, à vino temperandum erit; sed fructus stringentes commodè offerentur, vt succus malorum punicorum, cum rebus quæ non facilè dissipari poterunt. Si verò immanis quædam syncope imminet, nec longè absit febrilis paroxysmus , vinum dandum erit aquosum: nam id febrem minùs irritabit: quòd si longiùs cunctetur febrilis fatigatio , vinum cum cibo erit offerendum, vt æger perdurare possit. Vinorum magna est varietas: ea vt hoc in vsu rectè accommodari possit , causis syncopes opportunè iungi debet. Propterea cùm ad stomachum impetu quodam feruntur spiritus , tenui vino ac calido vtemur. Ex hæmorrhagia si metus adsit syncopes , adstringens vinum vtiliter præscribetur : at si sudore nimio manante, ab exhausto syncope iamiam adfutura est, frigido vino indulgendum erit: squalidus corpori ardor si intentet hoc periculum, vinum cum alica oblatum vires firmabit. Sin iam premat syncope ab exhaustu, vino tenui recreandus erit æger. Hoc modo symptomati in actione læsa succurrimus.

Hactenus itaque de animi deliquiis: in quibus cùm duo sint maxima capita causarum: scilicet, resolutio & suffocatio, in symptomatis ablatione maximè ad has collimare debemus. Excrementum si non ex naturæ lege, sed symptomaticôs eiiciatur, & si Expulsio in vitio fuerit, examinandum erit, quibus rationibus quid efferatur. *Symptoma in excreti emu- tato.* Cũ itaq; Expulsio sit quędam idea motus: & motus tribus tantũ perficiatur motore, mobili, & spacio per quod fit motus: igitur expulsioni tria erunt necessaria, vis expellens , materia quæ pellitur , & viæ per quas expelletur. Vis expellens ita firma esse debet, vt illi cedat id quod pelli debet: & vt spacio , per quod traiicere aliquid debet, par sit. Expellens potentia , maximè excitatur ab acrimonia materiæ stimulantis: aut quod corpus exactè sentiat , vel quòd vis retentrix languet. Materia pellenda facilè extruditur quæ lubrica est: vel si copiosa fuerit ab ingenti ciborum vbertate, aut aliunde refusa. Spacium , per quod effluit materia, aptum ad excretionem erit , si pateat, vel si decliuis via elapsus fuerit, aut si in imbecillẽ partem excuriatur. Ex his consociatis , fluxio excrementorũ validior insurget, copiosior, ac crebrior. Quare, ex oppositis causis, cùm naturæ lineam superant , fiet suppressio symptomatica. Propterea vt mitescant talia symptomata, materiæ acrimonia erit obtundenda, ac crassitie illinenda : partium expellentium sensus exactior sopiendus. expellentem vim domabimus , ac infirmiorem reddemus: & retentricem potentiam firmabimus: viarum ductus obstipabimus , ne aliunde refusa excrementa admittant : excipiens pars erit stabilienda: præceps pars attollenda.

Exercitatio Quadam. In *omni itaque morbo qui materia iungitur , explorabimus num ea sit fluxa, an fluxura: an partim fluens, partim fluxura: & vtrum hac materia omnino sit mala, vel omnino benigna : aut partim praua , & partim natura consentanea.* Vt in inflammaione , primò indagabimus num illa enata sit ratione fluxionis, aut congestionis , cùm scilicet sanguis sensim nutricatus vice allabitur. Si ex fluxu oborta fuerit inflammatio , perpendemus vtrùm hic fluxus proficiscatur à causis euidentibus, vel internis: si ab internis , num ex fluxuri sanguinis copia, an eius acrimonia , vel tenuitate : an propellentis partis robore, vel viarum laxitate, vel excipientis partis imbecillitate , sitúve decliui in fluxum materia abrepta fuerit. Euidenti ex causa si euenerit fluxus, num à contusione, ictu vel lapsu, dolente parte vel calente , accersitus sanguini impetus fuerit, Sin à congestione enata inflammatio fuerit , notandum erit , num à fracto partis vigore collecta materia accreuerit cũ mitigari hæc materia ab ea nequit : aut nũ vitiata pars materiam hanc fœdet; vel abigere cõgesta excrementa nequeat. Vnde interdũ vitia quędam succedũt inflammationi, vel ratione materiæ vel loci. Materiæ extra venas positæ ratione pus fit, cùm mitigari naturæ vi potest id quod putrescit: sin caloris flos elanguescat, ac maligna fœdata putredine si materia sordescat, gangręnam inurit parti, dum ferocire incipit. Quòd si cadauerosa pars liuescat sine dolore ac arteriarum pulsu, sphacelus vel sideratio dicitur dum carnem occupat: & os inuadens , caries vocatur.

CAPVT XIV.

De secunda indicatione, à Temperie totius corporis.

Galenus Methodi 3. & 9. & 9 Methodi 11. à temperie corporis sumis indicationem.

A Prima indicatione decernitur remedium, eiusque copia: sed num admitti debeat ea vi, suum iudicium interponit altera hæc indicatio: quæ tanquam quidam Limentinus accidit interdum aliquid ac quantitatem limitat. Hæc autem secunda indicatio sumitur à Temperie totius corporis. Dictat autem hæc indicatio sui conseruationem; quemadmodum prima, sui ablationem suadebat. Etenim hæc secunda indicatio ab ipsa natura ducitur; quemadmodum secunda, à rebus præter naturam. propterea similibus seruari debet. Etenim omne quod seruatur, similibus seruatur: nam quæ similia sunt, non alterant se mutuò: At corruptio sine alteratione euenire nequit: igitur à similibus cuncta seruantur: & propterea cũcta quæ ex lege naturæ se habent, similia poscunt: inde fit vt humidis corporibus, magis humida admouenda sint remedia. & quamuis aliquo modo in vitio foret, illud non studendum vt per morbos eluatur.

Gal. 5. 9. & 11. Methodi. Quantitatem remedij definit.

Præscribit autem nobis remedij copiam in morbis: Cùm enim æstu præter naturam flagrat corpus, augurari non possumus ad quem frigoris numerum reuocandum sit, ni compertum primum fuerit, quænam ex lege naturæ corpori debeatur temperies. Quòd si hæc nos fugiant, vel extra lineam refrigerabimus, & ad contrariam intemperiem & morbum corpus abducemus: vel infra morbum refrigerantes, aliquid mali restibilis relinquemus.

Vtilitas.

Ex malè notata corporis tẽperie maxima olim calamitas medendi enata fuit, dũ Asclepiades Prusiẽsis, Themsõi Laodicæus Syrus, Soranus Ephesius, (cuius scripta Cælius Aurelianus Latina fecit) & Thessalus diatriõ in omni temperie ac habitu corporis præscribebant. Quàm enim sinistrè inedia vel bidui indicatur hominibus calidis & siccis; admonuit Hippocrates libro secundo Acutorum. *Si*, inquit, *vel prandio fraudentur, agrè id ferunt: imbecilles namque redduntur ac fatiscunt, stomachique anxietates incurrunt, visceraque suspensa sentiunt, vrinam profundũt calidã, deiectioque his vritur, oculi cauantur, tempora palpitant, & extrema partes frigent. Frigidi tamen & humidi homines talem inediam impunè ferrent.*

Gal. 8. Methodi 2. & 10. Meth. 5. & 3.

Quare, quantùm fieri possit assequi studebimus ægri naturam communem, & peculiarem; quò ad genuinam temperiem fracta corporis œconomia reuehi possit: hoc enim fieri nequit, ni priùs exploratum nobis fuerit, quantum abierit à pristino statu. Quod enim corpus prolixè à sua moderatione abiit, maioribus præsidiis contrariis est reuocandum ad suam temperiem. Igitur feruidus morbus in corpore algido, & frigidus morbus in corpore calido, egent maiori remediorum contrariorum incursu: humidus morbus naturam siccam inuoluens, siccioribus medicaminibus debellandus: siccus, temperiem humidam horrido squalore fœdans, præcellenti quadam vi molliri debebit. Quod non longè degenerauit corpus à sua natura, lenibus remediis opus habet: nam æstu flagrans intemperies in corpore feruido, leniter blandéque refrigeranda: ita frigidus morbus, in natura frigida, minùs feruore incandescentibus medicamentis tentandus: humidus in natura humida, minùs siccandus: siccus in temperie sicca minus madoris desiderat.

Vsus.

Ex authoritate Hippocratis.

Hæc tradidit Hippocrates secundo Aphorismorum lib. Aphorismo xxxiiij. quem breui paraphrasi ita interpretamur: *Minus periculosè ægrotant* (periculosè enim ægrotamus magnitudine causæ, symptomatum vehementia, & difficultate curandi, vt in lithiasi; quæ hîc absunt: nec mortis causa triplex ex his surgere potest, scilicet inflammatio inducẽs marasmum, venenata qualitas, & translatio symptomatica) *quorum vel ætati vel habitui congener fuerit morbus*: nam adfert leuem mutationem temperamenti & habitus: vt causi in iuuenibus: vel tempori congener, vt tertianæ æstate, autumno quartanæ: item, qui cælo & solo vernaculi sunt. Hinc etiam Hippocrates dicebat, *pueris diætam humidam conuenire*, vt natura, similitudine substantiæ, suo statu conseruetur.

5. Aphor. 16.

Igitur secunda indicatio indicat, non maius nec minus remedium præscribendum esse, quàm cuius præsidio natura ad propriam temperiem, vnde discesserat, redire possit. Quare prima quidem indicatio, ex affectus præter naturam quantitate, remedij contrarij copiam ponit; attamen in omnibus morbis, priusquam huius vsum admittamus, explorandum erit, num hæc secunda Indicatio, scilicet Temperies ægri, admittere bonis ægri rebus præscriptam hanc copiam possit; & num potiùs atterat aliquid ex remedij vi. Hoc innuit Galenus sexti Methodi, tertio; *Si*, inquit, *robustus fuerit cui vulnus inflictum fuit, fas erit validioribus in hoc remediis vti; quemadmodum ego iuueni cuidam succi pleno, qui vulnus in carpo accepit, ex pastillis polyida sapa solutis, linimenta tincta imposui.*

Galen. 9. Meth. 15. in fine & initio sequentis.

Studium itaque illud adsit, quò temperies corporis optimè innotescat ex rebus naturalibus, & non naturalibus: vt sciamus qua iam temperie corpus præditum sit. Etenim medicamenta vim suam retinent, amittunt, vel immutant, pro varia ratione naturarum quibus exhibentur: hoc animaduertimus ex Hippocrate, libro tertio De morbis acutis, vbi demonstrat melicratum aliis esse mictorium, aliis diaphoreticum, aliis aluum deiicere.

Obseruanda.

CAPVT XV.

De tertia indicatione, à parte affecta.

QVod remedium ab affectu morbifico & temperie corporis commendatum fuit, id ipsum incudi reddit pars quæ ex morbo laborat: quò ea hoc collimitio, certa tandem copia medicaminis aucupari possit. Etenim ægra pars, dictatum ab affectu & temperie remedium interdum admittit, interdum verò eius vires validè attenuat. Hæc tertia indicatio initur à loco malè affecto: Ex partis enim quæ in querela est conditione, vtendi via, remedij consistentia eiusque quantitas est peruestiganda. Locus qui affligitur, discernitur in partem morbificis causis oppressam, & in ductus ac vias quæ feruntur in partem ægrotantem.

Obseruanda.

Galen. 7. Meth. vltimo.

Loco ægro varia debentur remedia, *ex eius figura, temperie, vsu, sensu, situ & connexione.*

In parte quæ not[illegible]

Figura: nam vel pars cauitatem gerit, vel plana est intus, foris, intus & foris, nec intus nec foris: sinuosa vel arcta. Hinc polydædalæ instrumentorum ac medicaminum facies natæ fuere: vt otenchytæ, balani, errhina, pessi: hinc hepar latiora epiplasmata flagitat quàm ren: attamen minora quam quæ ventriculo asscribuntur Hac lege, sinuosis liquida ac meabilia infunduntur. quò vis remedij parietes cunctos sinuosos tangat ac peruadat.

Figura.

Secundò,

Temperies. *Secundò, in parte genuina notari debet* Temperies: cuilibet enim parti contigit sua idiosyncrasia; propterea & talia remedia remiscemus, quæ peculiari quadam vi parti ægrotanti amica & familiaria sunt; quò vnà vis aliorum medicaminum illi importetur. Cum itaque fracta fuerit membri calidi moderatio ab incursu caloris, exili remedio placari poterit: sin vi frigoris expugnata eius indoles fuerit, vberiùs ac diutius calidorum potentia placanda erit. Idem de cæteris intemperiebus dictum puta. Vbi enim non longè extra (Galen. 5. Meth. in fine.) suæ intemperiei lineam quid abiit, expeditus est illi ad temperiem reditus: Propterea duris partibus, dura præsidia adferuntur; vt si pulmo & renes eidem morbo & æquè valido impliciti fuerint, quamuis efflagitent auxilia contraria, eiusdem efficaciæ & copiæ, attamen pars ægra loquitur, rarioribus pulmonibus molliora, duris renibus validiora afferenda esse.

I. Obseruatio. Humida & calida partes 5. Meth. 10. in fine.
Obseruandum, quòd vbi pars corporis male affecta, temperie madida ac calida dotata est (metu putredinis) aridiora medicamina vtilia ac necessaria erunt: ita in palati vlcere aqua forti feliciter vtimur. Ita olim Andromachus & Crito aphthis malignis æruginem, alumen scissile, & arsenicum intulere. Eadem hæc lex locum sortitur in fœdis contumacibusque vlceribus sedis, pudendorum, vteri & vesicæ.

II. Galen. 3. Meth. 3. & 7.
Secundò, notandum quo modo temperies partis & morbus affecta sint erga totum corpus: Nam cùm pars ægra eandem nacta fuit temperiem cum toto, in morbo contrariæ temperiei, efficacius auxilium flagitabit; vt si vlcus (morbus natura humidus) partem siccitate insignem squalido in corpore occupauerit: validiùs erit siccandum, quàm si corpus partemque madore fluctuantem inuasisset. Refert historias quorundam ægrorum Galenus libris tertij Methodi, sexto, & septimo.

III. Galen. 3. Meth. 9.
Vbi *verò pars & corpus diuersi sunt temperamenti*, perlustrandum erit quantum ab eucrasia recesserit: Nam quantò laborantis natura iustò madidior est, tantò si pars ægra iustò aridior fuerit, nec incrementum aut decrementum vis pharmaci sumet: sed eiusmodi sit, quale, si morbus in membro moderatione natiua præclara prædito hæreret, admoueremus. Sin squalidior iusto pars tantò est, quantò totius moderatio est madidior; eo filo accrescere remedij siccitas debet, quo partis temperies superat temperamentum totius. Vt cùm ternis ordinibus eucrato siccior fuerit locus, male ab vlcere affectus, at temperamentum corporis ægri si fuerit, numeris duobus madidius eucrato, consentaneum est, hanc vlcere obsessam particulam, aridius vno ordine postulaturam auxilium, quàm quæ pars temperie insignis est desiderasset.

IV. 9. Method. 3.
Bona ac temperie moderatissima prædita constitutio, validos perfert remediorum incursus. Vitiosa temperies, quæ tamen natiua est, similibus gaudet, dum his souetur: sed facilè ad consimilem intemperiẽ abripitur; tunc moderato rerum contrariorum vsu oblectatur, quæ blandè ac sensim in genuinam temperiem reuocant. Quibus autem symbolis notari cuiusque partis temperies possit, docent medici, vbi de signis temperierum scribunt: sed methodus medendi omnia quæ docentur & discuntur, in ægrotorum vsum euocare docet. Natiua partium temperies seruatur similibus; ita ssicciora siccis recreamus. Sunt siccæ, quæ neruo & osse abundant: humidæ, quæ carne & adipe: calidæ quæ sanguine. Ita sexto methodi vtitur Galenus siccissimis medelis, ad aures purulentas: ad penem verò & testes, humidioribus.

Vsus partis. Robustancia.
Non solùm in parte affecta consideratur figura & temperies, sed etiam eius Vsus *& virtus*. Quare ex vsu partis; varia partibus debentur remedia. Partes quarum officium latè sese per corpus fundit, quarumque officio vita carere nequit, quòd earum munus commune sit toti corpori, blando naturæque consentaneo remedio firmari debent: ne, resolutis fibris ac robore, intereant. Hoc euenit Theageni Cynico philosopho apud Galenum, qui, ab Attalo Sorani discipulo (13. Meth. 14) sinistrè curatus (quòd inflammato hepati roborantia adhibere nollet) interiit. Præterea vbi pars princeps (Vacuatio.) in vitio est, quæ vsum vitæ necessarium habet, eam non confertim & vehementer vacuabimus, ne officij immemor reddatur; quamuis alioqui ex eadem morbidi affectus magnitudine laborarit, qua pars priuata. Hæc dico ex sententia Galeni, septimo Methodi, decimotertio, vbi scripsit, *nec hepate laborante, nec corde arteriosóque genere & venoso, validè euacuandum esse: sed si larynx, fauces, pulmones laborarint, tantum vacuandum quantum postulat morbus.* Ita cordi semper adserenda illa remedia quæ blando ac suaui frigore tincta sint: maximè si per idiopathiam affligatur, (Frigida.) vt in febre hectica Nec ea quæ validè astringunt pectori toti imponenda sunt: *frigida* enim, scribit Hippocrates quinto Aphorismorum vigesimoquarto, vt nix aut glacies, in quibus frigoria summa sunt omnia, & *pectori bellum indixere*; sanguinis & spiritus vias intercipiendo, ipsiusque thoracis naturam (quæ cartilaginea est) labefactando; quod multo calore gaudeat ad vitam tuendam. Sic Galenus iecori, ob præclaram operam quam præstat corpori, stricto frigore quæ horrent importari noluit: reprehendit enim eos qui in cyphoide remedio opium aut hyoscyamum remiscebant. Particulis autem aliis quæ tota corporis gubernacula non tenent, sed quæ sibi tantùm viuunt, tantam vim remediorum dabimus, quantam exposcit morbi potentia.

Sensus partis.
Inter hæc non vltimum locum habet Sensus partis: Quæ enim sensu valent, acribus auxiliis non sunt tentanda, vt oculus, neruus, œsophagus. Quapropter Galenus sexto Methodi tertio, aliter dicit trãsigendum esse in neruo læso, qui nudus medicamentorum incursui expositus est; aliter in recto ac puncto. Partibus autem quibus cespitat ac hebescit sensus, validum remedium inferri poterit: ita Galenus auribus instillare ausus est euphorbium. Præterea obseruandum, quòd eximio sensu præditis partibus paulatim remediari præstat, quàm vno impetu: Ita clementer refrigerantia & reuerberantia, in ophthalmia præclarè ad doloris lenimen, & causæ morbificæ influxum faciunt; vt muliebre lac supra cotem expressum, & tepidè instillatum.

Situs partis, ad reuulsionem, deriuationem & vacuationem peculiarem facit.
Inter hæc suam etiam auctoritatem obtinet Situs *partis*; nam & is formam rationemque medicamenti variat, dum alterationis copiam, & vacuandi ideam vel limitat vel præscribit. Vt si renibus à foris semedium inferendum fuerit quod duobus ordinibus friget, lumbis adferemus tribus vel quatuor numeris quod alget medicamen: nam ob molem carneam, quam peruadere remedium debet priusquam renes feriat, suas vires ferè exuit: Ita situs in ventriculi morbis docuit vomitu eos curari, & etiam deiectione: vterum, per menses; cerebrum, palato, naribus & auribus; hepatis caua, secessione; gibba, vrinis commodè inaniri.

Obseruatio.
Si pars eum situm sortita fuerit, quo materię refluxu molestiam principibus partibus creare possit, viæ eius intercludendæ venient; & fluens materia auertenda erit ad ignobilem particulam.

Connexio.
Quare Connexió *partium sæpè perpendenda*: nam & illa diuersam ideam remedio inferre potest. ita in oris vlceribus cauemus à lethalibus venenis, ne quid tale ventriculo imprimatur. Sic in parotidibus, quæ, quamuis iamiam emicante inflammatione retrudentia medicamina exigant, ratione tamen connexionis (quia proximè cerebrum à parotidibus abest) trahentia

tia & foras prolectantia adhibet Galenus : & si his non cedant, cucurbitulas admouebat: quòd si exili cum dolore effloruerint, tenui cum strictione valide digerentia imponebat. Eadem ex situs lege, occipiti bellum indixere quæ à frigore botrent.

Via. Viæ ducentes ad particulam afflictam etiam lustrandæ, num angustæ, vel fusæ, aut longæ: Nam quæ partes non longè ab incursu remedij recessere, mitioribus gaudent remediis: ita Galenus asserit aliter nudos neruos, alio modo tectos curandos esse. Quare cùm longæ viæ validius medicamen postulent, tantum roboris peregrini addendum, quantum viæ longinquitas ab eius viribus atteret: propterea nudæ menyngi cùm succurrimus, oleum rosatum tepidum instillamus: quod si illa cranio carnibusque tecta idem remedium exigat, acetum oleo committimus. Propterea opium remediis includimus interdum, ne euanida vis exhauriatur ilico: mel pneumonicis miscemus: & nephriticis mictoria.

Exercitatio. Exemplo vno tota hæc indicatio illustrior euadet: Capitis figura est ita formata vt non facilè ligaturas admittat; sed potiùs ea quæ hærent, vt emplastra & vnguenta. talis autem eius temperies, vt nec æstu flagrantia, nec frigore stupentia innoxiè ferat. nec validis remediis laxantibus est soluendum; ob præclaram potentiam quam in gubernando sensu & motu totius corporis occupat, sed vnà semper roborante remedio illi gratulandum. quamuis alioqui non ille sensus cerebro adsit, quin mediocri remedio par esse possit. ob situm autem, quòd maxima cerebri pars sincipiti subsit, illi regioni inferimus remedia: & quia hac in parte viæ per suturam patent, lubentiùs infusiones & vnctiones illi admouemus, nexus autem cùm illi sit cum neruis, suaui naturæque nostræ consentaneo calore gaudebit.

Obseruandū. Tanta huius indicationis est præstantia à parte ducta, vt vincat interdum principem indicationem quæ elicitur à morbo; scripsit namque Hippocrates, *Vlcera, nisi vino, humectari non oportere, nisi in articulis fuerint*: idem ait, *Vlcera capitis nulla re madefieri debere, ne vino quidem*. Est enim mens Hippocratis, caput non ita capax esse inflammationis; quia non est pars contenta, in quam alia pars effundat sua recrementa: at fracturæ capitis sola corruptione redduntur incurabiles; trahunt enim duram menyngem in putredinem, contuso osse & suppurato; aut cùm humor in diploë cunctando putrescens, distillat in menyngem: igitur solis cephalicis vtendum.

Sed dicet quis, Vinum deterget & siccat; propterea eius officium ab hac curatione excludi non deberet. Respondemus, non satis est contraria contrariis oppugnare, sed contrario id fieri debet excessu: verùm, vinum non gerit eam vim, qua æquali excessu caput exsiccare possit.

Ita particula morbo fatigata, remedij vim flectit: si enim cunctæ humani corporis partes eandem moderationem, figuram, vsum, ac sensum obtinuissent, eandem copiam medicaminis lubenter admisissent: verùm ex naturæ officio fuit multiformi varietate eas exornare; qua pulcherrima œconomia decentissimè diuina hominis fabrica absolueretur: propterea vario remediorum charactere & copia, diuersis partibus, etiam eodem morbo tactis, opus fuit. *Maximè vertere solent medendi filum, ventriculus, iecur, splen, renes, vesica, cerebrum, pulmo, & cor.*

CAPVT XVI.

De quarta indicatione, à Viribus.

MEdicamen quod ab affectu morboso, & à temperie totius & partis propositum & cultum fuit, politiùs adhuc delimabunt vires, antequam ea copia, bonis ægrorum rebus, corpori inferri possit. A viribus ægri quarta Indicatio capitur; quamuis ex euentu, & non primaria ratione indicent. Vires autem suum focum habent in spiritibus, carnoso humidoque genere, & in partibus solidis. Quare vires semper indicant sui tutelam. Hoc fiet, si illarum focum intemperies aliqua inuasit, cùm ad temperamenti æquabilitatem fiet reductio: aut si ab exhausto illarum focus languet, recreabuntur restitutione exhaustæ substantiæ. id efficietur consimilis ac connaturalis materiæ accessione. vt si exhaustis spiritibus vires hebescant, *ἀτμώδης* diæta has recreabit: sin solidis ex partibus fractis langueant, solidis escis erunt reficiendæ: quòd si carnoso à genere hæc vitium iactura orta fuerit, reparabuntur medio nutricatu, non solido nec nimis liquido. Si verò non ab exhausto, sed ab intemperie virtutis pabulum (nempe spiritus, solidæ & humidæ partes) languear, illa extinguenda erit. Hoc perficiemus alimentis, commodeque præscripta victus ratione; quam Asclepiades solam medicinam vocabat, obscuris ab arte reiectis. *Vires in quibus consistãt. 12. Meth. 5. Vires ab intemperie vel exhausto frãguntur.*

Obseruandũ in victu instituendo. Qui optimus præscribendæ Diætæ magister haberi velit, *Quatuor* obseruare debet, vbi alterationem substantiæ illa in quibus vires consistunt postulant; *affectum morbosum, naturam corporis laborantis, alimenta & circumstantias.*

I. Affectus. I. Qualitas. Ex Affectu ducitur victus præscribendi *qualitas, copia, frequentia, & occasio. Qualitas* talis in eduliis emicet, qualis est aduersa morbo & eius causæ. hoc scripsit Hippocrates, cùm inquit, *humida diæta omnibus febricitantibus vtilis: est enim meabilis, coctúque facilis, nec aluum superat, & aquè natura studet, & cum morbo pugnat.* Ita si infarctus bellum intulit, aperientibus; si solutio vnitatis iunctæ, glutinantibus vtemur, vt radicibus symphyti, & gelatinis.

Spiritus alteratus quomodo restituendus. Aër si spiritus alterarit, corrigatur: Arabes, vbi calore is molestus est, solebant lintea aquæ ac rosato aceto mergere, & his cubilis parietes vestire. Obseruatum fuit ab Acrone Agrigentino (qui, inquit Laërtius, Empedoclis physici auctoritate commendatus fuit) miasmata quædam illis corpusculis quæ per aëra rotantur misceri; vnde perniciosam vim, respiratione attractam, spiritus nostri bibunt: quare incendio his assumptis, pestem à patria sua Sicilia arcuit. Huius experimentum secutus est Hippocrates, in magna illa Atheniensium peste, cùm incensis vndique focis corollas ac ligna odorata iniici iussisset; eo euentu, quo statuam meruit. Ab omni itaque putredine alienus sit aër, non cannabe, aut brassica, vel leguminibus fœdatus; non barathris, metallis, venenosis animalibus, palustriue aura contaminatus: scripsit enim Scropha vetustissimus rerum rusticarum auctor, palustribus in locis aëri misceri parua quædam animalcula, quæ vnà cum spiritu hausta, lethales morbos procreant: talia in rosis albis vagantur, quæ propterea infaustæ naribus habentur.

II. Quantitas cibi ex affectus diuturnitate. Copia, qua exhiberi debet cibus ad virium stabilimentum, ex natura affectus intelligitur: *tantum dabimus, quantum opus est vt ad vigorem veniat, quem, si per inediam transigere possit, rectè id ageretur; alioqui in paulo pleniore potiùs peccabimus.* Sunt autem passiones aliæ acutæ, aliæ longæ. Acutæ nonnullæ

sunt

sunt simpliciter, peracutæ, & acutissimæ. Hinc inuen-
Diæta tenuis. ta fuit *diæta tenuis*; *& plena. Tenuis*, est vel *exquisitè* tenuis, *vel simpliciter* tenuis. *Exquisitè* tenuis est duplex, *vel extremè*, *vel non extremè*. *Extremè*, vt inedia; debetur hæc morbis acutissimis; qui quarto die suam absoluunt historiam. *Non extremè*, vt hydromel; ascribitur passionibus peracutis, quæ septimo die finiuntur. *Simpliciter tenuis*, vt ius pulli, ptisanæ cremor, pisces saxatiles; studet acutis morbis simpliciter, qui decimoquarto die suum sortiuntur finem. *Medius victus*, vt ius carnium, pyra, gelatina, familiaris esse debet passionibus quæ vigesima luce terminantur. Longa autem passio plenum victum amat: talis est in carne vitulina, veruecina, ouis, lacte, auibus, cuniculis.

Quæstio. Sed cur tenuis victus acutis morbis, plenus autem longis debetur? Causa est morbi vigor, qui in propinquo est vbi morbus est acutus; ne natura auocetur à pepasmu ad pepsin.

Sed dicet quis, Vnde sciam num in propinquo sit
1. Aph. 1. morbi status, an seriùs ille venturus sit? Ex Hippocrate colligimus *quatuor notas* esse quæ nos ducunt in cognitionem vigoris morbi; *passionis species*, *anni tempora*, *periodorum stata vices*, *& signa epiphanomena*. *Morbi species*, in magnitudine, more, & motu: quæ pendent ex cuiusque morbi forma, parte affecta, materia morbifica, & humoris dominatu. *Anni tempora*, hoc est, temporum vicissitudines, tempestatum mutationes præteritæ & præsentes: nam temporum præteritorum conditione morbi sunt breues aut longi, salutares aut calamitosi: Denique, vt tempestates sunt morborum effectrices, ita conseruatrices existunt. *Periodorum stata vices*; vt si paroxysmi anticipent, si sint vehementiores & longiores: irritatæ enim naturæ signa hæc sunt: quare breuem vel longum fore morbum intelligimus ex incrementis. incrementorum autem ratio ex periodis peti solet. *Ex epiphanomenis* petuntur signa coctionis & cruditatis; quæ apparent ad salutem vel mortem, ad melius vel deterius. ducuntur ex corporis essentia, actionibus, & excrementis: ex his enim elucet naturæ vis de morbo triumphantis; vel contra. Quare vbi summum morbi vigorem in procinctu esse intelligemus, tenuissimè cibandum erit.

3. Numerus autem & frequentia, quâ ægri pastum
Frequentia pastus. inire debent, colligitur ex succorum copia: Nam vbi in corpore inopia succi alibilis est, cùm ibi virtus
Inopia succi. ſpitet, fraudatis virium foeis suo genio, parca manu, attamen sæpe pastum inire debebit homo: ne pabuli vbertate calor natiuus qui languet obruatur, & maximè si morbus sese consociet.

Plethora. Sin corpus succi bonitate circumfluat (vt in plethora euenit) semel tantùm in die, vel alternis diebus parum alimenti adferendum: nam in venis præsens hîc est ipsum nutricatus prædium.

Crudi vbi succi. Quòd si copia adest malorum succorum, tenuis diæta ex vsu erit: nam impurum est corpus. si illi sint crudi, qui in nutricatum trahi possont; raro & parca manu cibum offeremus medicatum, qualis est hydromeleum hyssopo coctum.

Coctionis expertes. Verùm si adfuerit succorum abundantia expers pepseos, sæpè, sed tamen parum erit quid cibi exhibendum. sæpè, quia succus adest coctioni rebellis (qualis est acida pituita;) hinc si rarò son fruerentur genio vires, laberentur. parum, ne peffunderur natiuum calidum imbelle.

Retorridi succi tenues. Eodem modo transigendum si loxuriarint succi retorridi ac tenues, ob inopiam benigni madoris: accedit & illud, quòd in igneo æstu spiritus facilè exhauriantur; quodque genus carnosum resoluatur: quare
10. Met. 5. in syncopen leui momento abripiuntur; cùm acerrima bilis per inediam (raptu ventriculi) ex hepate ad stomachum fertur. Parum autem tunc cibi propinamus, quòd stupescat calidum natiuum: nam à calore igneo, exesum est quasi humidum primigenium.

Adusti crassi. Quòd si fatigetur corpus vbertate succorum crassorum ac retorridorum, sæpe & parca manu pastus erit iucundus: sæpè, quia spoliatum est corpus succorum bonitate; & squalidi humores, madore egent. non tamen ea madefactatione hic opus est, quæ tam præcellenti potentia refrigerat: hæc enim, maximè tenuibus cum acrimonia humoribus debetur.

Quarta obseruatio quæ ducitur ab affectu morboso, erat. Occasio dandi cibi. In diuturnis passionibus 4. *Occasio.* *In longis.*
aptissimum cibis tempus est, quod quàm longissimè à paroxysmorum incursu recessit: nam in intermittentibus, melior periodi pars est expectanda. In acu- *In acutis.*
tis autem quo tempore exhiberi cibus debeat, nemo meliùs explicauit Hippocrate, libro primo De morbis acutis: *Exhibenda*, inquit, *ptisana hanc occasionem & tempus* (cùm scilicet quis loco & iure vtitur ptisana) *tota morbi historia captare oportet*: *tum*, ait; *cùm frigidi sunt pedes* (quod fit initio paroxysmi, per affectionem calidi natiui. à contrariæ materiæ occursu in superiore ventre) *ptisanæ vsum inhibere oportet*: ne in ventriculo à materia febrili corrumpatur. & in thorace difficultatem spirandi adferat. *sed maximè potu abstinendum*; quia facilè corrumpitur. *Sed cùm febrilis calor ad pedes descenderit, tunc exhibenda ptisanæ sorbitio est*: restitutis temperatisque hypochondriis, quæ incendio conflagrabant, & thorace recreato: cùm materia febrilis iam facta est catarrhopus.
Errant igitur, qui volunt ad perfectam resolutionem *Error.*
differendum esse cibum. Sed benè consulunt, qui in declinatione exhibent, non expectata perfecta apyrexia. *Itaque*, inquit Hippocrates; *sibi quisque persuadeat velim, caput benè medendi in occasione versari, plurimùmque hanc posse in omnibus morbis, tum præcipuè in acutis maximéque calamitosis*, in quibus ardoris febrilis summâ sunt omnia.

Secundum quod in victu præscribendo notandum 2.
esse dicebamus, est Corpus in quo est affectus præter *Corpus laborans.*
naturam: cuius temperies (licet mala) dum morbus expellitur, est tuenda: nam natura geminæ mutationi non foret par. Itaque natiua corporis moderatio simili nutricatu erit fouenda.

At dicet quis, squalidum corpus, febri implici- *Quæstio.*
tum, quo modo sicco victu erigetur? is enim ad morbum faciet. Respondemus, actu siccis, at potentia & vi humecta præditis id peragemus: ita cum morbo pugnabimus, & vnà naturæ studebimus.

Quòd si igitur febris inuaserit hominem calidum *8. Meth.*
& humidum, & alium frigidum & humidum, sine dubio diuersa his debebitur victus forma. Quare notandæ erunt naturæ: etenim frigidæ & madidæ, facilè inediam ferunt: ab hac humidæ: hinc quæ frigent: quarto loco est sicca & frigida: quinto, sicca corporis natura, quæ alioqui calore & frigore moderationem attigit, ea per longas inedias gracilescit; reficitur tamen faciliùs. Omnium minimè longam inediam ferunt calidi & sicci homines: nam ab ea acutissimis inuoluuntur febribus, à quibus est promptus in hecticas dilapsus, & ab his rursom in torridũ marasmum: aut si os ventris iniuriis patet, in syncopen abripiuntur. Hoc pulcherrimo euentu demõstrauit Galenus, per totum caput tertium, libro decimo suę Methodi: vbi Thessalicos medicos, enecatus ferè inedia ab his æger, in fugã coniecit. Qui verò habitu sunt denso, quique non facilè exhauriuntur, etsi citra incommodum sæpè tulere inediam, facilè per morbos à cibi copia sibi temperabunt: cõtrà, vbi fracta virtus,
habitus

habitus rarus & facilis exhaustionis, aut ſucci nimium tenues fuerint.

III. *Cibus.* Tertium quod ad victum ritè instituendum animaduertendum diximus, erat Alimentum: in quo *tria* maximè obſeruabimus, *ſubſtantiæ modum, qualitatem, & copiam.*

Subſtantiæ modus notabitur *in alteratione, motu locali, & nutritione. In alteratione*, quia mitigari debet in ventriculo; propterea indagabimus num ſit facilis coctionis, & num promptè in putredinem abeat; vt fructus fugaces. *In motu locali*, an grauitate fundum petat, vel num leuitate fluctuet, ægrè vel promptè digerantur, vt iuſcula, & caro aſſata. *In nutritione*, num pariat fœdum vel benignum ſuccum. cupedia, maximo errore, cupedinarium forum ex ferina instruit hesterna ac marcida, quò tenera euadat. At ea teneritudo primus quaſi aditus eſt ad putredinem: adulatur quidem palato, ſed die coinquinat ſanguinem. Hippocrates dicebat, *Quò quid propius abeſt à vita, eò plus roboris afflat: modò tamen mitigari poſſit.* In copia conſideratur moles, & vis: braſſicæ magna moles parum nutrit: vis, vt generoſum vinum, parua mole multum gerit nutrimenti.

In *Qualitate*, vt calore, ſapore, odore, craſſitie varium eſt alimentum. Ex his legibus, peſſimi nutrimenti erit ſplen bubulus aſſatus, cum pane fabaceo, & caſeus vetuſtate fœtens. optimi nutrimenti hoc: pulpæ carnis caponis, vnciæ duæ; ſeminum melonum, amygdalorum dulcium, cuiuſque ſeſcuncia, ſacchari albi vnciæ quinque: fiant totulæ cum aqua roſata.

IV. *Circumſtantia.* Quartum & vltimum quod obſeruandum erat in moderando victu ad virium ſtabilimentum, fuit Circumſtantiarum ratio: inter quas eſt *ætas, virtus, conſuetudo, & aer.*

I. *Ætas.* *Ætatis* itaque cauſa, varia cibi copia erit decernenda. Hoc præclarè docuit Hippocrates, vbi inquit, 1. *Aph.* 13. 14. *Qui cruda viridique ſenecta præditi ſunt, inediæ patientiſſimi ſunt*, quòd neque ſuctionis ſenſu, neque ex ſuctione aut exhauſtu laborent: quia calor illorum infirmus eſt, & contumax illis eſt materia; quòd dominatu melancholici humoris tenentur; & habitu ſunt denſi. non ſentiunt ſuctionem, quia pituitoſi ſunt parte ventris ſuperiori. Quare in his non ita timendū *Corpora ortui proxima tantum calidi habent quātum aliàs nunquam.* de infirmitatis metu. *Mox*, inquit, *homines conſtantis ætatis*, à ſenibus facilè inediam ferūt: *nequaquam adoleſcentes: inprimiſque pueri, at omnino ex illis, qui fuerint viuidiores & alacriores*: quod ab exhauſto & ſuctionis ſenſu laborent: his enim ad incrementum & ad reſarciendum exhauſtum multo nutricatu eſt opus. *Pueri multum habent humidi ſpermatici primigenij*, perfuſi calore & ſpiritu: eſt enim conſentaneum vt id quod augetur calidiſſimum ſit, quo non ſolum materia diſſipata inſtauretur, ſed quæ priùs exſtiterat, connaturalis materiæ acceſſione augeſcat: *propterea multo nutricatu illis eſt opus, alioqui corpus eorum tabeſcit*: nam fit in his promotio ad vlteriorem terminum, mutatione magnitudinis, quæ fit per extenſionem, ſeruata priſtina continuitate.

II. *Virtus.* *Virtus* labefactata eius potentiæ eſt, vt quæ à morbo & aliis motionibus decreta fuere peruertat. Quare accuratè cauſa eius imbecillitatis erit perpendenda. num oppreſſa langueat à morbi vehementia, aut à morbificæ materiæ copia; vel num peſſundata iaceat ab exhauſto, vt à nimia euacuatione, cùm aluus ſe in fluxum effudit; aut nimio ſudore vel hæmorrhagia num imbecillior euaſerit æger; an verò præceſſerit durior parciorque victus. Interdum ab habitu corporis, & eius temperie vitium eſt; nam calidi & ſqualidi, & picrocholi inediæ ſunt impatientes.

III. *Conſuetudo.* *Conſuetudo* etiam ſuum locum inter circumſtantias ſortita fuit. hæc ità mutanda, vt eius veſtigium & quaſi vmbram retineat diæta: nam ſolita ea, inutilis. quia, dicit Hippocrates, *Valentinum cibus, ſanus robur: at ægrotanti, morbus fit.* Quare qui per ſanitatem plena manu paſtum inire ſolebant, bis hydromel tenuius erit alimentum, quàm quo vigor morbi tranſigi debeat: quod tamen illi qui tenuiùs victitare ſolet, ſufficerit in ſtatu morbi. Alius piſcibus, alius carnibus aſſueuit; nonnulli vino, alij cereuiſiæ: quidam calidum, rurſum alter frigidum potat: alij ſemel in die, alij bis cibum ſumunt.

Tandem *Aer* examinari debet: etenim quacumque ratione augetur calor natiuus, copioſiorem nutricatum requiret: aluus autem hyeme ac vere natura calidiſſima, ſanguinis & ſpiritus refluxu ad interiora. quamobrem hoc tempore refectioni plus tribuendum. IV. *Aër.* *Hippoc.* 1. *Aph.* 15. & 15.

Hæc itaque rectè perpenſa inter ſe committi debent, & perluſtrandum, quid inter hæc parum, quidve multum vrgeat: & quantum alter alteri detrahat. *Implicatio.* Si virtus plurimùm vrget, indicabit ſolida ac ſolita diæta opus eſſe: ſi fiat tunc acceſſio vrgentis morbi, pocula morbus exiget, aut meram inediam: iam vtriuſque ratione hinc atque illinc detrahe, excurret in ſorbitionem craſſam. Ita ſemper perluſtrandum, quantum alter alteri ſubducat.

Potus qualitas ex tribus nobis indicabitur, virtute, morbo, & conſuetudine. *Potus*

Virtus proſtrata, erigenda vino hippocratico; ſin non adeò fracta fuerit, oligophoro. Morbus, ſi calidus eſt, indicat potum aquoſum, & lymphatum vinum. *12. Met.* Si virtus labefactata vehementer langueat, & inſurgat valida vi morbus, virtutis cura obſcurabit id quod exigit morbus. Attamen vrgens morbus vincit conſuetudinem: nam Galenus cauſo implicito homini propinat aquam frigidam, etiam ei cui frigida inſolens eſt. Virtus valida non renuit remedium ab aliis indicatum. *Virtus ſuperat morbum: & morbus conſuetudinem.*

CAPVT XVII.

De quinta indicatione, ab Aere.

QVod remedium commendatum aſt ab affectu morbifico, & limitatum à temperie totius corporis partiſque affectæ, quodque à viribus ægri admiſſum fuit, tandem aëris iudicium ſubire debet: nam is vel atterit aliquid à decretis viribus, vel admittit, vt eiſdem cum morbo eiuſque cauſa velitationem commodè ſubeat. Quare quinta indicatio accipitur ab Aëre qui nos amplectitur, cuius, velimus nolimus, præſenti vi cogimur vti. Habet autem is aër ambiens, vt ſcribit, Galenus modò rationem præſidij ſanantis, 9. *Met.* 14. modò cauſæ morbificæ: ſi enim madorem & frigus flagitarit morbus, id illi officium ſi præſtiterit aër, præſidij vim obtinebit; ſin torrido æſtu ſqualeat, morbificis cauſis erit annumerandus: orieturque tunc notio inbibendi eius noxam.

Aëris autem moderatio varia eſt, ex varietate regionis, anni temporis, ſoli quod habitatur, & cæli conſtitutione: Quare eorum ſingulatim effectus examinandi. *Aër valde varius.* Ex Regione: aër in montibus caliginoſam auram, & vligine perfuſam non ſuſcipit; quare pulmonum malis opitulatur, vt aſthmati, orthopnϾ, tabi. I. *Regio.* Demiſſus autem aër, & montibus interceptus, ad catarrhos & febres putridas promptus eſt, & ad ſtrangulandum opportunus. Talis aër Romæ eſt: Hinc Aſclepiades, apud Cælium Aurelianum refert, *Romæ* 2. *Acut.* 10.

frequentes

frequentes fuisse febres, vnà cum corporis & mentis oppressione, & crebrò lethargicas oppressiones calamitosas euenire: Et scribit Silimachus apud eundem, *ex in-*
2.Chron.3. *cubone veluti lue, apud Romam plurimos confectos*: Et
1.Epid.1. semitertianas ibi vulgares fuisse scripsit Galenus. Ita marinum aërem laudamus ob siccitatem ad curandū hydropem, neruosque ad resolutos, & ad morbum Venereum: argillosa terra ventriculo bellum indixit; glisa, lieeat nigra, optima est: miasmata fœda quæ expirat, pestilens est.

II. Locus. Locum in quo decumbit æger ita præparabimus, vt in eo conclusus aër naturæ studeat, & cum morbo pugnet. Ita Aëtius splendentia habitacula vitat in furore, vertigine, colico dolore, & cephalalgia: quòd spiritus corporis peculiari vi lucis agitati, succos cómoueant, quibus influentibus, geminatur dolor. Hac ratione persuadet Hippocrates, in internis inflammationibus die dormiendum esse; quòd lucis contagione abducti spiritus, non ita incurrant viscera: at noctu his vigilaudum; nam tenebras fugiunt spiritus; vnde palindrome fit vnà sanguinis à peripheria corporis ad centrum. Qui aër æstu torrido flagrat, refrigerandus aquarum silanis, & aspersione pampinorum, germinum salicis & iuncorum, pofea, hominumque infrequentia. Arabes sub lecto aquam frigidam condebant: alij parietes linteis ex aceto madentibus vestiebant, alij papyro. Alioqui siccitas aëris si ad morbum facit, vaporationibus diluetur.

III. Anni tempus. Examinandum & Anni tempus, nam hoc validè temperiem aëris mutat: quare in diluendis, ac tollendis succorum vitiis, temporis anni qualitatem nota-
4. Aph.5. bimus. Propterea scripsit Hippocrates (ducta indicatione ab aëre) *sub Cane permolestas esse purgationes*: quòd viscera rapida potentia solis incendio conflagrantia, à pharmaco (quod omne calidum est) febrem concipiant: & quòd vis naturæ effœta, neque cathartico, neque humori vacuando par esse potest; vnde in cholericam siceam vi purgantium trahitur. Hyeme facilè purgatur pituita; æstas veri fit similis, sudores effundunt febres vberrimos, qui non temerè sisti debent. Scripsit Hippocrates, cùm morbi inducias præbent, *vere sanguinem emittendum & purgandum*
6. Aph.47. *esse*: illud enim generatione humorum saluberrimū cùm sit (paroxysmo tamen funestum sæpe est) cumque robur naturæ eo tempore summum sit, facilè euacuationem feret.

IV. Cæli status. 10. Method. Vltimò, in aëre obseruatur Cæli status præsens. Scribit Galenus, se, eo neglecto, anni tempore aliquando contentum esse. Si morbo non conuenit, arte præparari debet: nam si frigida & humida fuerit cæli constiturio, & talis etiam morbus exstiterit, traducendum esse in calorem & siccitatem, orietur indicatio.

Venti. *Venti* à locis fœdis, aut cadauerum inhumatorum pernicie, vel ab halitu terræ coinquinati aspirantes, magnam calamitatem inferre solebant: nam totum aërem non mouent, sed auram venenatam tantùm ei aspirant. Qnare, vt scribit Plutarchus de Iside & Osiride, *sacerdotes Ægypti suffitu aëra purgabant, id inquit Dioscorides, compositione cyphi peragebant*. Et Acron Agrigentinus, primus empiricæ sectæ auctor, igni tenuato aëre, pestem abigebat: ita Plutharchus ἀεὶ πολυπραγμοσύνης, ait Empedoclem, grauis auræ pernicie per montis scissuram spirante, ea obstructa pestem auertisse; vnde κωλυσανέμαν, hoc est, *ventorum prohibitorem* eum vulgo vocatum prodidit Diogenes
Musca. Libro 3. Laërtius. Muscarum copia aërem putredinis germen traxisse indicio est, refert Strabo, interdum in Cantabria aliquos constitutos fuisse, qui muscas captarent; & mensuræ ex copia, præmium illis fuisse redditum. Plinius narrat, Elæos, Myagrū deum muscarium inuocare consueuisse, ipsarum copia pestem afferente.

Notandum, aërem duplici ratione indicari: vna, qua vires respicit: altera, qua collimat ad affectus Obseruandū.
morbificos. Prima vi, nititur stabilire vires: quare humum ad solatium, aër purior & moderatus perpetuò vtilis erit; altera potentia nititur causas morbificas debellare: cùm enim iam putruit materia, vt in peste, aër frigidus & siccus commodus erit, ob madorem: sin intacta sit à putredine, varius aër opitulabitur: vt si bilis vitium fecit, eligatur aër madens & frigidus.

CAPVT XVIII.

De Sexta Indicatione, ab Ætate.

AB aliis indicationibus quod positum iam est remedium, ætatis adhuc censum subire debebit. Sexta itaque indicatio sumitur ab ætate: ætas enim in temperiei amissæ reuocatione, & succorum exclusione suum iudicium interponit. Hoc scripsit Hip- 1. Aph.16.
pocrates, vbi inquit, *diæta humida febricitantibus vtilis, sed tribuendum aliquid ætati*: quò natura consequetur suo statu similitudine substantiæ. Quare indicatione ab Ætate ducta, hoc oraculum protulit noster 1. Aph.15.
senex, *pueri inedia impatientissimi sunt, maximè qui ex illis fuerint viuidiores & alacriores*: nam ab ex- Pueri.
hausto, & suctionis sensu laborant. Pueris ad exhaustum resarciendum, & ad incrementum multo nutricatu est opus; *quia* (vt rationem reddit Hippocrates) *qui increscunt augescunt, plurimum habent caloris natiui*; vt pueri, qui circumfluunt humido spermatico primigenio, perfuso calore & spiritu. Vnde, cùm ignis cuncta sit mouere, dissipatur, facilè illorum humidum; quare, nec inediam nec vacuationem ferunt. Ita nec Senes, quòd longa die illorum Senes.
humidum, quod ad vitam à natura inditum fuerat, expirauit; nisi crudi & virides fuerint. Ætas itaque moderabitur remedij vim; vt calidus morbus in ætate feruida, miuùs frigida remedia admittit: senium, quia morbidum, humida & calida exigit. Nam ætas & consuetudo, temperamenti interuentu indicant: etenim ætas naturale temperamentum ostendit: vt pueri humidi, senes sicci.

CAPVT XIX.

De Septima Indicatione, à Consuetudine.

ET consuetudo remedio mensuram imponit. Re- Gal.9.
ctè Aristoteles, μέγα τὸ ἔθος ἐστὶν εὐλόγως, φύσις γὰρ Met. 16.
ἤδη γίνεται. Scribit Plato in Timæo *quasuis animæ species, suas habere motiones. Et qua earum moderata exercitatione vsa fuit, valentissima*, inquit, *euadit*. Si quæ verò harum ocio torpescat, ac à propriis motionibus abstineat, ea languida euadit. Cuique itaque facultati sua præbetur motio & pabulum. Consule Scaligeri exercitationem trecentesimam vicesimamnonam.

Consuetudo nihil aliud est, quàm vis quædam vsu ascititia: qua eadem pati aut agere inoffensa natura compage licet, in rebus sumendis, agendis, excernendis, vel admouendis: Nam acquisititium temperamentum declarat, quod naturalis loco, curationis tempore, est habendum: seu in melius, seu in deterius abierit. Si mutandum, id fiat sanitatis tépore, lóga die, longoque ocio. Consuetudo itaque nobis indicat, ad quodnam temperamentum (nempe ascititium) collineandum sit: nam nihil rectè fit sine proposito scopo,

ad quem eundum est. Consuetudinis sanè maxima vis est; & etiamsi ea sit mala, non omnis simul emendanda, vt Taciti sententia vtar, sed paulatim κἀὶ ἡσύχῳ ποδὶ ad priscum morem recides. *Neque enim potest quisquam subitò fingi, neque cuiusquam vita subitò mutari, aut natura conuerti*, ioquit Cicero pto Sylla. Audi quid narret ad hanc tem Sleidanus libro nono: Papa Clemens V I I. diuturno stomachi vitio sublatus, quum victus rationem suasore medico Curtio mutasset, iam senex.

Septima itaque Indicatio à Consuetudine ducitur, quæ seruanda est io morbis, nec temerè mutanda: nam gaudet natura consuetis. Ratio huius hæc est, *quia id quod coquit, aquè alteratur ac id quod coquitur*: quare assueta facilè eoquuntur: nam naturam non afficiunt: sed faciunt vt ea suo statu conseruetur, familiaritate suhstantiæ & occurrentis qualitatis. Quare consuetudo sempet pet similia conseruatiooem indicat: propterea Hippocrates dicebat, *humidis alendi qui talibus assuenere*, nam humidum temperamentum indicāt.

Quanta vis sit coosuetudinis, probat Galenus exemplo Atrij Peripatetici, qui, cùm gracilis natura esset, & os ventriculi eius ex frigore lãgneret, ita vt vel ex leuissima refrigeratione singultum incurreret, & ob id nunquam ausus fuisset aquam gustare, tandem febti occupatus, atque à medicis coactus frigida vti, (quamuis alij, nisi hæc propinetur, extinguantur) subitò fuit exanimatus. Magna profectò consuetudinis vis.

1. De assimil- tis & libro consuetudine. Quibusdam tanta clysmatum consuetudo est, vt in eorum inopia aluus sui immemot stupescat, nec cedat aliis præsidils. Hoc Ducl Albano euenit, cui (vt nobis retulere eius medici) sine enemate non respondebat aluus: nam sui qnasi oblita natura, totam se medicinæ familiari concredidetat.

Cautio. Quare eidem remedio non perpetuò iodulgendum: ne naturæ functio segnescat. varietur saltem facies medicaminis, modò in bolo, modò in potu hauriatur. Qui aotem per sanitatem bis pastum inire consueuere, bis per morbi decursum die nutries: qui semel, semel: Nam quantum mutata consuetudinis ratio damni inferat, documento est (inquit Hippocrates) hominum benè valentium diæta temerè mutata. quænam incommoda inde surgant, prolixè enarrat secuodo acutorum, vigesimo aphorismo, & sequentibus. *Magnus* itaque *naturæ tyrannus est consuetudo*;

Consuetudo tyrannus. quæ sensim irrepens, tota gubernacula huius œconomiæ sibi tandem adscribit, nec irato cedeos genio: cuius leges non solùm euertere, sed & abrogare interdum videtur. vt non temerè *Cretenses olim, se abundè diris deuouisse existimarent illum, cui delicias praua consuetudinis imprecarentur*. Ita modesto voti genere, efficacissimam vltionis euentum reperiebant. Graue profectò assuetudinis pondus.

Historia. *Mithridates* venena assuetudine vorabat. [1]*Puella quadam*, inquit Albertus, *araneis victitabat*. Quæ oec ratio nec philosophia persuadere possunt, his par est consuetudo. Darius cùm intellexisset Indis familiare esse, vita defunctos parentes solemni quodam ritu vorare, quòd putarent ad pietatem pertinere, viscera ex quibus prodierant, iterum (mutuo officio) suis visceribus condi: conuersus ad præsentes quosdam Græcos, rogat, quanti emere velint hanc consuetudinem Indorum? respondebant, longè illam immanitatem à suis abesse, nulloque pretio eo abduci posse. mox conuersus ad Indos, persuadere voluit vt Græcorum more, rogo parentes mortuos cremarent. Ad quam vocem, mirum, quæ trepidatio & impietatis execratio apud hos enata fuerit.

Cùm itaque nec ratio oec philosophia frenare consuetudinis vim potest, noo mirum eius habenis humanum corpus tradi. Propterea scripsit Hippocrates, *cottidianis laboribus assueti, etiamsi inualidi sint aut senes, insuetis, quãuis robustis & iuuenibus, facilius consuetos labores ferunt. Quinetiam qua iam pridem sunt assueta, minùs grauare consueuerunt, quamuis peiora sunt iis qua familiaria non sunt: quare ad consueta iterum facienda mutatiò*: Ita habent antiqua exemplaria, καὶ ἐς τὰ συνήθεα μεταβάλλειν: non autem ἀσυνήθεα, vt vulgati textus legunt. *Correctio Aphoris. 50. lib. 2.*

[illegible]issimum consuetudinis est imperium. Dionysius tyrannus obsidione oppidana pressus, cùm à sibi assueto potu aliquantulum abstinuisset, extemplò tabescere cœpit. Non assuetis pharmacia & phlebotomia grauis est. Cousnetudo remedij copiam etiam limitat; vt calidus morbus in homine frigidis assueto, remediis eget frigidiorihus, quàm si calidis assueuisset. Quantum aotem robur sit assuetudiois, eleganter narrat Theophrastus libro nono De historia plantarũ, capite decimo octauo. Thrasias, inquit, manipulos totos ellebori esitabat. &, Endemus Chius vna die, in foro sedens, viginti duas ellebori potiones accepit, nec tamen à suis vasis surrexit, tum verò abiit lotum atque cœnarum vti coosueuerat, nec euomuit. Ita parauerat se longa assuetudine, paulatim cresceote ellebori mole. Refert hoc ex Theophrasto Apollonius in Mirabilihus historiis.

CAPVT XX.

De octaua indicatione, à Naturæ proprietate, hoc est Idiosyncrasia.

MEdicamen quod enarratarum indicationũ examen subiit, iam tandem & ab Idiosyncrasia cõmendari debet: etenim cuique homini vt cõtigit propria quædam natura; ita & peculiarem sortitur curationem. Octaua itaque indicatio ex cuiusque peculiari naturæ proprietate ducitur: inest enim cuique, tẽperameoti sui proprietas, qua, cum hoc concordia illi est, cum hoc, discordia. Prouenit hæc Idiosyncrasia ex peculiari corporis temperamento. Sunt autem hęc infinita indiuiduorum: hinc tanta ingeniorum, morum, ac naturarum diuersitas. Singuli enim aliquid proprij habent: nam quibus hic delectatur, hæc alius fastidit. Sed nos solùm ea notamus quæ longissimè à communi hominum natura abeunt. Narrat Cæsar Scaliger de reguli Vasconis equite, qui, audito phormingis sono, vrioam ilicò facere cogebatur. Igitur è turma quidam, quem leuis ac ciuilis ioci offensiuncula aspersisset; ridiculam illi parauit vltionem. Penè discumbentem adduxit cæcũ quendam cum phormioge. Cuius, vt solebat, sono permotus, ibi sub mẽsam inter clarissimorum conuiuarum pedes quin meieret continere se non potuit. Admiranda talia quædam refert D. Augustinus decimoquarto libro De ciuitate Dei, capite vigesimoquarto. Limæ stridor quibusdã dentes lædit. Psylli & Marsi serpentes impunè tractant. Ruta & brassica iuxtà seri nolũt. Adamas hirci sanguine mollescit. Ita, in hominibus quid abditũ est, quod nullis sẽsibus nullisque notis compertum, latet, quæ difficultas fatigans Galenum, hanc vocem illi expressit: *Si ego internoscere possem cuiusque idiosyncrasiã, me talẽ esse putarem, qualem Æsculapium, aut Apollinem fuisse mente intelligo.* *Vis proprietatis.*

Galenus libro De consuetudine scripsit, quibusdam aliqua esse peculiaria, & aliũ notricatum alij corpori accommodatiorem: & ob id animalia ipsa vltrò abrepta à natura, ad ea pabula festinare, quæ sibi peculiari vi sunt dicata; iumenta ad herbas, leones ad caroes. Ita inter homines, inquit, euenit; quidam ne vinum quidem gustare audeot: alij cascũ fastidiũt: nõnulli ad primom gustum ptisanæ oauseant; quam tamen Hippocrates, & ante illum plurimi medici maximis laudibus *Capite 2.* *7. Meth.*

laudibus nobilitarunt. Mala quibusdam aluum liquant, quæ Gedana cereuisia sistitur. Ita naturæ quædam ad alia remedia trepidant, quæ tamen elleborum ferunt. Rogandi itaque ægri, quibus cibis & remediis commodè vsi fuerint. Cassia nonnulli pro nutricatu fruuntur; aliis torminosa & fastidij plena est. nónullis manna in bilem abit, aliis aluum soluit. glandes quosdam in syncopen abripiunt, & tamen enemata ferunt. quidam bubulam coquunt, quibus gallinanea in corruptelam abit. Quare, quod maximè familiare cuiusque naturæ fuerit, propinare ne verearis: etiamsi alia in corpora iniquum fuerit. sapienter Pindarus, Olymp. 8. *τερπνὸν δ' ἐν ἀνθρώποις ἴσον ἔσσεται οὐδέν: nihil est quod æquè cunctos delectat homines.* Vidimus Neapoli seruos, qui magnam vim meconij vorabant: aliosque qui copiosissimè absque noxa papauere vescebantur. Propterea iure scripsit Hippocrates, *Paulò deterior cibus aut potus, suauior tamen, melioribus quidem, sed suauitate imparibus, est anteponendus.* Quasi dicat, illa suauitate melius œconomiæ nutritionis cõsulitur: quamuis alioqui cibus non ita sit meabilis, nec triplicis naturæ exhausto (celeritate nutriendi) historiæ morbi accommodatus. 2. Aph. 38.

CAPVT XXI.

De Nona indicatione, à Sexu.

PRæsidium quod ab aliis indicationibus receptum est, sexui etiam num arrideat, videri debet. Quare cogitandum, num vir sit vel mulier cui medicina adferenda est. Cùm enim mulier statis quibusdam periodis ab vtero vacuetur, eiusque solidæ partes (quãuis sanguinem gerant calidiorem) longè virilibus sint frigidiores & molliores, aliter habendæ erunt ac viri: nec æquè grauibus præsidiis tentandæ. Si tamen incurrerit mulierem humidam & frigidam morbus calidus & siccus, inter mulieres, hæc validis præsidiis
4. Aph. 2. erit reuocanda: quia longè à naturæ lege abiit. De hac indicatione ita Hippocrates, *Prægnantes purgandæ, si humor sit efferus, quadrimestris purgatio, dum septimestris fuerit.* Nam tum, sine offensione fœtus, vteri & vmbilici, ea facilè transigetur. Quia cum fœtus moueri incipit, vincula valida sunt: *minùs, iam grandescente fœtu:* nam vincula vteri, secundarum, & vm-
5. Aph. 30. bilici, tunc non longè absunt vt laxentur. *Nec copiosè sanguis ab his extrahi debet. In ægrota muliere semper cautio sit de mensibus, & num vterò remedium debeatur.*

CAPVT XXII.

De Decima indicatione, à Vita instituto.

AN vitæ institutum admittat iam in lucem à cæteris indicationibus productum auxilium, etiam perpendendũ venit. Accipitur itaque decima indicatio à munere & exercitio, vel arte in qua cuiusq; studium versatur. Nam, pro vitæ munere, alterationis & vacuationis modus erit instituendus; vt cuiusque inde ascititia temperies fuerit. Qui calidis in officiis vitam terunt, quales coci, furnarij, chymistæ, cùm in calidos morbos abrepti sunt, minùs frigidis egent, quò in naturam à studio susceptam redeant; quàm si piscator eisdẽ implicitus hæret. & Qui in ocio & vmbra degũt, largè vacuãdi: qui exercitiis exhauriũtur, parcius:

CAPVT XXIII.

De Vndecima indicatione, à Breuitate & longitudine morbi.

VNdecima indicatio ducitur à diuturnitate, vel à 1. Aph. 7.
præcipiti motu morbi. Etenim *vbi est morbus peracutus,* qui celeriter suam absoluit historiam, & *in quo in promptu laborum plena sunt omnia:* (cùm scilicet morbificis causis, & symptomatum vehementia natura opprimitur) *tenuis victus erit præscribendus:* quia in his iamiam adfuturus est summus morbi vigor. *Quòd si morbus non ita est peracutus, pro eo à tenui discedendum, vt morbus extremis est lenior.* Ita à morbi ductu indicationem curandi aucupamur: cùm, ex Hippocratis sententia, ineunte morbo non purgamus: nam initio morborum nihil est naturæ vi mitificatum, & ad temperiei mediocritatem redactum. Sed vt tractu temporis variæ fiunt coctiones, ita gradus purgationis esse debent.

CAPVT XXIV.

Duodecima indicatio, à Quatuor morbi generalibus temporibus.

TAndem notandum, num decursus morbi, & illud quod iam suæ historiæ percurrit tempus, à reliquis indicationibus imperatum auxilium admittat. In morborum tractu, morbi vigor summus maximè collimandus: nam in vigore nihil exhiberi debet, ne cibus quidem, si vires perstiterint. Scribit id Hippocrates, *Quibuscumque iam iam futurus est vigor morbi, diætam tenuem extemplò victitent.* Aderit autem ilicò vigor, in morbis peracutis, qui cantinenter, celeriter & vehementer mouentur, ad salutem vel ad mortem. Peracutus est speciei, vel indiuidui ratione: speciei quidem, inflammatione, venenata qualitate, aut impedimento nobilis partis; vt febris ardens, syncope, pestis, apoplexia, synanche. indiuidui verò, à magnitudine causæ, vel à symptomatum vehementia; pleuritis in sene, parotis in iuuene. Quòd si longior morbi historia fuerit, tum, quia non adeò impeditæ sunt vires corporis à morbo & symptomatum vehementia, de inedia erit remittendum, & à tenui victu recedendum; quò æger possit ad vigorem perdurare. In vigore autem morbi, tenuem diætam victitent, vt natura pepasmum ineat, quem ea vi molitur, qua alimentorum pepsin: propterea non erit media naturæ vis ad mitigationem ciborum abducenda; sed potiùs toto nisu in morbum feratur: ac illud studium illi sit, quo morbificam materiam domet, ac eiiciat. *Quibus autem seriùs futurus est vigor; & eo ipso tempore status, & paulo ante & post* (ad triduum ferè) *est adimendum alimentum*: tunc enim potiùs incumbendum est in materiæ morbificæ coctionem, quàm naturæ studendum cibo & potu. *In principiis & augmentis morborum, liberaliùs indulgendum, ne ægri vires ante vigorem concidant.* Declinante morbo, lentè reficiendi: ne (quod apud Hippocratem cuidam euenit) subitò è medio tollantur, ex insolenti sobitaque repletione. Elucet hæc iindicatio in inflammationibus. nam in his, ineunte morbo, repellimus affluentem materiam: in augmento coquimus: in statu aperimus: in declinante maximè euacuamus.

(margin, beside "bi, diætam tenuem": 2. Aph. 10.)

CAPVT XXV.

Decimatertia indicatio, à particularibus Paroxysmis.

ACæteris indicationibus inuentum & politum remedium quo modo adhiberi possit commodè, cùm variis periodis recurrit morbus, cogitandum est. Hæc indicatio à paroxysmis particularibus morborum sumitur. qui *Paroxysmus nihil aliud est, quàm deterius periodi tempus.* In eo, magnis remediis fatigari corpus non debet: sed quò natura & morbifica materia viam affectant, eò remedia sese inclinent. his ineuntibus vomat; desinentibus sudet, aut mingat. De hac Hippocrates; *In paroxysmis de cibo vereri oportet, nam eius accessio damno est. Quinetiam qui per circuitus ingrauescunt, in ipsis paroxysmis inedia temperanda:* vt in efflorescentibus doloribus colicis, cephalalgicis, epilepticis, asthmaticis, nephriticis. Id religiosè admodum inculcauit Hippocrates, decimonono Aphorismo libri primi, *In paroxysmis periodicis nihil exhibendum; nec vlla ratione induci quis debet, vt exhibendum putet* (ita enim μηδ' ἀναγκάζειν vertendum: & non, *nec cogere.*) *Sed contrà demenda cibi accessio ante crises.* Quasi dicat Hippocrates, decipimus specie infirmitatis: si vires vi morbi langueant, non exhibebis; sed si ab exhausto laborent: quòd materia sit anarrhopos, omnisque nutritionis & respirationis œconomia laboret; & natura, quæ est pepseos & pepasmi causa, ab instituto auocetur.

Paroxysmus quid. — *2. Aph. 21.* — *ἀναγκάζειν quid Hippocrati.*

Attamen aliquando in paroxysmis concedi cibus debet, hominibus squalidis à calore & siccitate, in illis febribus quæ accenduntur ob mordentem acrimoniam, vel à succis calfactis & attenuatis à sole, inedia, laboribus. His, ad primum horrorem, Galenus febrem inhibere solet, dato pane ex vino: nam in nullo squalido affectu commodè finitur accessio, priusquam illis vel ex lauacro vel victu madoris accesserit. Secus in illis quæ sunt à plenitudine, obstructione, phlegmone, & putredine. Propterea cùm squalida corpora hæ passiones incurrunt, funestum: nam si cibo corpori studes, morb. necabit: sin inedià morbo, squalidū corp' fatiscet.

Exceptio. 10. Meth. 3.

CAPVT XXVI.

Decimaquarta indicatio, ab ordinatis naturæ functionibus.

HAc indicatione vtentes, iubemus vt per morbos interdiu vigilent & noctu somnum ineant; nam ita natura comparatum est. nisi tamen principum internarumque partium inflammatio adfuerit; tunc enim interdiu dormire, & noctu vigilare præstat: spiritus lucem sequuntur, & tenebras fugiunt, vnaque secum humores rapiunt. Ita stata tempora (nisi quid impediat) ciborum, exercitij, & excrementorum eiiciendorum seruamus. hæmorrhoïdes quibusdam statis periodis fluunt, mulieribus menses; puerperis lochia, quæ, nisi, viginti sex diebus purgentur, morbum faciunt. si hæc non processerint, indicatione ducta ab ordinatis naturæ functionibus, promouenda erunt. Cautè notandum quid fiat à natura, & quid à morbo. scripsit Hippocrates, *Quibus iuuenibus profusior est aluus*, non à diæta, sed à bilis acrioris vbertate, vellicantis intestina, & labefactata aluo ab æstu: *iis senescentibus contrahitur*; quòd bilis mitior pituitescat, & vetus alui infirmitas ab æstu, temperamenti mutatione sanatur. *Et quibus adolescentia fuit astricta aluus*, ex hepatis ardore corporisque raritate, *in affecta ætate soluitur*: etenim corporis densitate melancholescit biliosum corpus; & hinc contrario motu rapitur bilis; quæ cùm primò anarrhopos erat, iam fit catarrhopos.

CAPVT XXVII.

Decimaquarta indicatio, à Remedio.

ANtequam empirica secta ab Acrone Agrigentino condita esset, Græci, qui remediorum cognitione excellebant, Deorum filios vocabant. qui profectò herbarum quandam potius experientiam habuisse videntur, quàm artem medendi. Qualia remedia apud Græcos Chiron Centaurus, & ab eo eruditi Heroes nouerant. sic multa de Aristæo, Polyido, & Melampode scribuntur, à quo (quòd Prætidas Thraciæ mulieres elleboro purgasset) Melampodium dictum ellebori medicamen fuit. Quare vnica hæc indicatio nobilitauit maximè antiquos Heroës & Heroides, Lysimachum, Achillem, Gentium, Dianam, Helenam, Oenonem, Paridem.

Remedia morbo propriè dicata, materiæ morbificæ, & parti morbo oppressæ, cæterisque indicationibus proprio quodam Marte studentia, si fœcunda illa naturæ parens protulisset, nec si quæ sunt abdidisset, non opus fuisset medicamentorum compositione. Sed ægrè deprehendi possunt remedia quæ cuique morborum ideæ satisfaciunt: quòd ex varia variarum indicationum semixta vi, nullus morbus omnibus sit idem, quare nec vllum remedij est genus, quod eandem vim in omnes exercet. Etenim aliquid plerumque hæret remedio, quod indicatio aliqua nullo modo admittit: vt cùm vel occulta aut manifesta vi refragatur remedium.

Occul. Occulta potentia Cantharides noxam inferunt vesicæ, alioqui mictorium remedium vix vllum foret his præstantius. Argentum viuum aures obtundit; alioqui præcellens vlcerum malignorum auxilium: linguam impedit lithargyrum.

Manifesta. Manifestæ qualitatis ratione desideramus interdum aliquid remedio, cùm vel ex prima, secunda, aut tertia qualitate ei quid adhæsit, quod minimè indicationibus curatiuis conuenit. *1. Qualita.* Interdum enim euenit, vt ad manum sit medicamen feruidum tertio ordine, cùm opus sit tantum caloris secundo numero: quare remiscebimus frigidum remedium in primo ambitu, vt ea moderatione ad secundum gradum caloris feruor resideat. *2. Qualitas.* A secundis qualitatibus interdum nobis quid abstergendum est: vt si alioqui commodum indicationibus remedium compertum fueris, at si nimis sit abstergẽs, adiiciemus aliquid quod emplasticum sit: si nimis celere fuerit, quod cunctantiùs agit addemus; vt cantharidibus gũmi tragacãthum iungemus. Ita in nimis rarefacientibus, tendẽtibus, incidentibus, attrahẽtibus, mollientibus, aperientibus, vnientibus, contraria vi noxam inhibemus. *3. Qualitas.* Tertia in Qualitate nonnunquã aliquam rationem desideramus, vt saporis, coloris, odoris. Sapor, quantùm fieri potest, ex ægri votis sit; nam ita meliùs œconomiæ nutritionis consulitur: cùm quæ grata, ea, suauitate quadam auidiùs ventriculus amplectitur; nam iis gaudet, facileque eorum vim in apertum profert. *4. Sanis.* Propterea oxymel non ex eadem copia aceti & mellis parari semper debet; sed pro cuiusque palato. Odorem quo æger maximè delectetur indagabimus; ne ventriculus subuertatur inimico nidore: ac grata dabimus, modò illa ad morbum non faciant. Vt in capillorum vitiis, antiqui medici suaue spirantia quædam semper adiiciebant: & Crito

ab

ab vrinis abstinere iubet. Oculis insuper student interdum medici, dum pilulas aut opiata auri foliis inuoluunt. Quare rectè admonet Trallianus vbi de angina, *Remedium*, inquit, *contrarium quidem sit superanti affectui, familiare autem & amicum agrotantis habitui.* *Consistentia* etiam ratio habenda; nam quidam pilulas facilè deglutiunt, at à potibus abhorrent. Et ad ægri affectusque naturam referatur semper medicamen quod ad manum est: ne torminibus vomitibusque expositis, offeras Agaricum: nec dacrydion, colocynthidem, elaterium, turbith, vbi venarum effusio molesta est.

Consistentia.

Distillatoria.

Et cùm elegans illa ars hodie emicuerit quæ liberare docet vires à mole corporea, succis, salibus, ac oleis è terrestri mole abductis, vt ægri remediorum commodo, sine eorum fastidio fruantur, quantum fieri poterit his vtemur. Sed tamen ea cautio adsit, ne consistentiæ versio, euersionem virium conferat: vt Rhabarbarum in tenuissimum pollinem redactum vrinas promouet, ac aluum sistit interdum. ita Anisum ni crassiusculè comminutum cum cassia exhibeatur, eam abducit ad vrinarum vias. Itaque qua parte remedia deficiunt, suppleas: qua lædunt, corrigas. Remedia enim vel ratione nostri, vel ratione suæ substantiæ officium non semper suum faciunt. Hoc eleganter monstrauit Hippocrates, tertio Acutorum, in Melicrato; quibusdam id mirè prodest; & vrinas mouet: picrocholis & megalosplanchnis inimicum. Quare medicamina vim suam retinent, amittunt, vel mutant pro varia ratione naturæ cui exhibentur. Difficilè igitur remedium inuenire quod sine noxa prosit, nisi ab arte poliatur.

Correctiones remediorum.

Medicamenta varias induunt formas ablutione, infusione, elixatione, frictione, torrefactione, incineratione, extinctione.

Ablutio.

Abluimus cum quid detrahere medicamini volumus, vel adiicere: vt cùm pompholygem ex aqua rosata lauamus, quò vi acriore deposita, sola siccandi potentia valeat; ita à calce mordentem vim eluimus. Vel ablutione quid adiicimus: vt cùm vnguenti rosati vim excitamus, aceto abluimus: ita terebinthina aqua salsa lauatur, vt scabiem siccet. aceto, aqua, succis, lixiuio, & vino plerumque ablutio absoluitur.

Infusio.

Infundimus in aqua, vino, aliòve liquore, sine decoctione: diu, aut parum hærere iubemus, vt validè vel parcè vim elicere volumus: ita guaiacum, & salsam parillam, agaricū, rhabarbarum, & senas infundimus.

Decoct.

Decoquuntur radices, folia, semina, aromata, & quicquid ex se effundere quid solet in aquam vel simplicem, vel stillatitiam, aut in vinum, aliúmve in liquorem, vt eorum vis traducatur: idque valido, vel miti feruore: hinc leni vel valida expressione colantur.

Frictio.

Frictione vtimur, cùm leniendi facultatem aspirare volumus remediis: vt raphanum frigimus ex adipe anserino, cùm, admoto eo, calculum educere nitimur.

Torrefactio.

Torrefactioni locus erit, quando in puluerem terere quid volumus: vel vt halitus inutilis exspiret: aut vt id quod nobis non placet, auferatur: ita dum rhabarbarum torretur, purgandi vis exspirat.

Extinctio.

Extinguimus cū fumo vti volumus, vt chalybis, aut auri: aut cum crassis egemus, ablatis tenuibus; ita lapilli cancri pentes lacti iniecti serum absorbent.

Qua arte omnia parari debeant, eleganter explicat doctissimus vir Iacobus Syluius, ad Mesuem: nam nos generalem tantùm Methodum indicamus. Id notandum, remedia vni affectui dicata, meliora esse polychrestis. Quædam ob commoditatem tantùm remediis adduntur, vt cera vnguentis, emplastris lithargyrum. quibus cautionibus cuncta aptè formari debeant, abundè primo libro descripsimus.

Remediorum vires.

Hic subsisterem lubenter, nisi quædam vtiliter de remediorum viribus subiicienda viderentur, quæ tamen tertium locum inter indicationes iure quodam sibi vendicare possint: ilico enim ab explorato affectu ac parte affecta sese remedium offert. Verùm nobis de eisdem, huc reieci. Veratrum coturnici nutrimentum est, hominibus pharmacum: Cicuta sturni pro nutricatu fruuntur, anseri lethalis: Ferula asino nutrimentum est, iumentis reliquis calamitosa. Hæc itaque ea naturæ varietate eueniunt: nam Alexandro puella Napello nutrita oblata fuit, quæ spiritu funestum halitum afflaret. Quicquid igitur cuique eiusmodi fuerit, quod mutare corporis qualitates potest, neque in substantiam corporis vertatur, medicamentum ei erit.

Medicamina petuntur ab animalibus, plantis, terra, aqua, & aëre. Hæc qualitatibus certis à summo Deo ornata fuere. Qualitates has vires exercent. Calor moderatus, maturat, attenuat, subtile reddit, rarefacit, aperit, digerit, suppurat, læuigat, deterget: immoderatior calor, inflammat ac mordicat, trahit, rubedinem infert, liquat, vesicas excitat, cicatrices contrahit, ac enecat. Frigus moderatum, densat & obstruit: validum congelat, incrassat, stuporem infert, repellit, exasperat, ac extinguit. Humiditas temperata, lubricat, læuigat, mitificat, mollit, laxat: intemperata, infarcit, glutinat, tumorem flatuosum excitat. Siccitas moderatior rarefacit, attenuat: immoderata, astringit, indurat, tendit, emaciat, contrahit, findit.

Calor.

Frigus.

Gradus.

Quælibet autem qualitas quatuor gradus, & hi iterum suos ambitus sortiuntur: nam quædam calent in primi gradus principio, alia in medio, nonnulla in fine. Ordinum limites quidam sunt; vt aqua tepida, temperata est: si parum vlteriùs incaluerit, in primo gradu calida erit: si in calorem manifestò præbeat, erit in secundo gradu calida: si vehementiùs, tertium numerum explebit: quod si vrat, quartum ordinem attinget.

Calida.

Primo numero calent absinthium, althæa, amygdala dulcia, beta, brassica, chamæmelum, ladanum, semen lini, saccharum, orobus, vinum nouum. Secundo: ammoniacum, apium, artemisia, chamæpitys, anethum, crocum, fœnugræcum, ficus, mastia, thus, saluia, myrrha, marrubium, mel, melissa, nux myristica, pix, scilla, sal, sarcocolla, opopanax, bryonia, ammi. Tertio: abrotanum, agnus, anisum, asarum, aristolochia, chamædrys, sabina, calamintha, cinnamomum, iris, iuniperus, hyssopum, origanum, sagapenum, chelidonium maius, ruta satiua. Quarto: allium, cæpa, euphorbium, nasturtium, pyrethrum, sinapi, rithymalli, anacardi, ruta syluestris, chelidonium minus.

Frigida.

Frigida in primo: atriplex, hordeum, cydonia mala, malua, pyra, pruna, rosa, viola Secundo: acacia, cucurbita, cucumis, mala granata acida, plantago, polygonum, solanum hortense. Tertio: hyosciamus, solanum somniferum, portulaca, semperuiuum, mandragora. Quarto: cicuta, papauer omne, excepto corniculato, opium.

Humida.

Humida in primo: buglossum, viola, malua, rapum, spinachia. Secundo: ammoniacum, lactuca, cucurbita, portulaca, cucumis, melones.

Sicca.

Sicca ordine primo: thus, chamæmelum, brassica, sarcocolla, crocum, faba, fœnugræcum, hordeum integrum. Secundo: artemisia, orobus, balaustia, lens, mastiche, mel, sal, anethum, myrrha, pix, plantago, nux myristica. Tertio: abrotanum vstum, absinthium, myrtus; acetum, aloë, milium, cuminum, sanguis draconis, galba, sabina. Quarto: piper, allium, nasturtium, sinapi, euphorbium.

Hanc facultatum seriem, per omnium remediorum varietatem, ac certo qualitatū ordine prolixè & doctè

enumerauit D. Andernacus, Commentarij secundi, De veteri & noua medicina, Dialogo quinto.

Terriæ ac reliquæ facultates ex primis nasci videntur: vt vrinas mouere, sudores prouocare, glutinare, astringere. De quibus abundè Fernelius libro sexto Methodi, & Holerius primo & secundo libro De chirurgia. Ita & repercutientia, attrahentia, resoluentia, suppurantia, mollientia, detergentia, sarcotica, epulotica, glutinantia, pyrotica, anodyna, hi & reliqui doctiores chirurgi copiosè prosequuntur, inter quos primæ notæ Pareus est, qui hæc breuiter & distinctè libro decimoquinto, capite nono & sequentibus: nam qui vnum legit, omnes legit.

Maximum autem nobis studium esse debet, vt vires eorum medicaminum apertæ nobis sint, quorum crebertimus est vsus. Quare primarum qualitatum vis cùm explorata fuerit, non ibi subsistendum erit, sed vltrà purgendum ad secundas & tertias; & quanam substantia præditum sit, indagandum erit.

Substantia. In Substantia obrabimus num medicamentum sit graue vel leue, rarum aut densum, crassum vel tenue, lentum aut friabile, vacuum vel pleuum, purum an impurum.

Tertia qualitates. Qualitate tettia varia sunt remedia: vt sapore, odore: sed de bis satis egimus libro secundo capita X X I. vbi De compositis purgantibus. Hoc obseruandum: *Quæ propinantur vt emolliant, vel extenuent, vel detergeant, aut dissoluant, cuncta fluxa liquidaque idea valentiora sunt. Quæ verò repellunt vel attrahunt, aut incrassant, vel roborant, solidiora sunt efficaciora.* Detergentia & mollientia, inter hæc mediam amant formam.

Cautiones. Cauendum in remediorum vsu à resoluentibus membra principalia, aut eis vicina: Secundò, à vehementer infrigidantibus: Tertiò à contrariis & naturæ nostræ aduersis qualitatibus, vt à præcipitato, cerusa, flore æris.

Tandem ea cautio perpetuò adsit, vt ignotus morbus naturæ committatur: nam vel eum vincet, vel aperiet, & cùm ad remedia ventum est, potiùs eligantur ea, quæ vnà naturæ student, illique robur afflant. Semperque animo hæreat, Naturæ hyparxin in symmetro habitare: hoc dixit Hippocrates, *plurimùm & repentè vel vacuare, vel replere, vel calfacere, aut refrigerare, adeoque in vniuersum corpus mouere, periculi plenum: nam omne nimium naturæ bellum indixit.* Vicissim ac sensim quod fit, tutum. Præterea illud Hippocratis: *Si quis omnia conuenienter faciat*, in diæta, alteratione, vacuatione, & alexipharmacis, *quamuis nihil efficiat, tamen ad alia non se conuertat, dum manet quod ab initio visum fuit.*

CAPVT XXVIII.

Vltima Indicatio, ab Influxu syderum, & superstitiosa curatione, ac Apotropæis.

VLtima Indicatio ducitur à viribus quæ ex siderum syzygiis ad nos dimanant. Sidera non susque deque (quod vulgus astrologorum putat) omnibus æquali vi suo influxu annuunt, aut infenso lumine nocent: sed naralis cuiusque genius, eorum filo variè trahitur. Istud à nobis lucidè demonstratum fuit, capite huius libri nono, vbi de Tempore secandæ venæ. & Galenus doctè id, libris de Diebus decretoriis: quos, septimo Aphorismorum trigesimo octauo, & quarto aphorismorum vigesimo nono, & trigesimo septimo suos agnoscit.

Lunæ motus maximè in corporis rebus notandus: nam in has efficax est, inquit Ptolemæus, * διὰ τὴν συγγενότητα, καὶ τὴν τῶν ὑγρῶν ἀναλυμίασιν. sed pro eo cæli positu, quo quis natus est, eius vis cuique accommodatur. *Luna vis. * Ob vicinitatem & terra. & vaporum.* Quin & certo sidere remedia variè animari putauit antiquitas: ita prodidit Galenus, suum præceptorem Æschrionem Cancros, æneo vase exceptos, vrere solere, luna decima octaua, postquam cum Sole (Leonem peragrante) ortus esset Sirius: vnde præcellens vis emicabat in hoc medicamine, cum quis morsus esset à cane rabido. *Affici remedia à sidere.* Ita viscum quernum colligunt, ad comitialem morbum arcendum, Ioue Cancri sub signo versante. Luna Soli iuncta Asplenium effossum, infœcundas reddere scribit Dioscorides. plurima eiusmodi Trallianus, & Marcellus empiricus.

Nonnulli hìc extra lineam excurrere videntur, *Sigilla & figuracula.* cùm existimant se programmata siderum gemmis & metallis insculpere posse. Hæc opinio, ex eo Ptolemæi libello qui καρπὸς inscribitur, nata mihi videtur: vbi ad nonum aphorismum affirmat Haly, secreta imaginum aperire Ptolemæum: *nam*, inquit, *innuit peculiares rerum inferarum formas, συμπαθεῖν à peculiariter cælitus sibi dicatis formis moueri.* sic cælo hærens Scorpius, in nostros hic ius naturæ exercet: vt in serpentes serpens. Hinc imaginum magicarum studiosi, lapide formam suis negociis studentem cælabant, cùm iamiam planeta è radiis Solis emicans, ad hanc cælestis sideris formam proficiscebatur: Tantam vim imbibebant, vt quodlibet negocium his, vel promouere vel inhibere possint. Quin ipse vidi satellitem Romanum geometriæ gnarum, qui, cùm diu habitasset Ægyptum, ex Christiano Saracenus euasit, temporibus regis Camorchæ: hic (mirum) sponte mobiles imagines fabricabatur. Euenit, cùm ad satellitem essem, quòd obuiam eiulantem armigerum suum audiremus: ex ictu enim scorpij grauiter dolebat. hic meus ille satelles in certam antidotum quid porrexit, vt id potaret: id gerebat characterem scorpij, & thus olebat: quo hausto, ilicò euanuit dolor. Hìc ago, quidnam id esset, quod tam commodam & salutarem pressisset formam? ilicò aureum obtulit annulum, qui emblema gerebat lapidis Bezaar, cui insculpta erat imago scorpij. Rogabam, quanam hora hanc sculpsisset: respondit, Luna in Scorpione versante, cùm angulum centrumque cæli attigisset, tuncque olibanum mastiche imbutum se pressisse affirmabat. quin aliis rebus Iniusta hæc idea æquè ac si thuri, hanc efficaciam exercebat. De his scripsit Thebit, & Albertus libro secundo animalium, tractatu tertio, capite primo, & tertio. Eudemus philosophus confecit annulos contra morbos & fascinationes. vnde Iosephus gloriatur, se, præsente Vespasiano *8. lib. 2. Critirum* Cæsare, vidisse Eleazarum Hebræum, qui cùm cuidam dæmonomania fatigato annulum admouisset, *9. lib. 5.* dæmonem è naribus extraxit. Hoc à superstitione non longè abesse existimo: proximè enim ad characteres accedit.

Superstitio. Superstitiosa medicatio nusquam apud veram Medicinam habitare debet. quæ nihil aliud, quàm nocturæ quædam diaboli, ad aucupia animarum. at medicina verè Dei optimi maximi donum est, ad solatium humanæ vitæ: quia homo ad creatoris sui spectandam bonitatem, eiusque de se sollicitudinem notandam ducitur: qui tam polydædala medelarum varietate calamitatibus humanæ naturæ cautum esse voluit. Non ignorant doctissimi quidam viri, cum signaculis & carminibus curent, non inde dimanare vires, sed maximè ex persuasione. At ea persuasio à contemplatione operum dei abducit, & fastidire discit creatas *Suada.* ab omnipotente Deo vires, asscribitque potentias rebus, quæ his inditæ non sunt à summo numine, natura, nec arte. quare his facilè miscet suum vi-

mus

Historia. rus mendacij auctor. Memini me legere apud medicum pragmaticum fidum, vetulam quandam obnixè dentibus laborasse, quæ cùm periapton remedium anaiè exigeret à medicinæ studioso, cumque is quid ageret nesciret, quò anus tædia declinaret, conscripsit chartulam, quam implicitam sindoni, collo eius appendit, mirùm, ilicò cessit dolor. Hæc, deprehensa salutari chartulæ vi, vbiuis, vbi in querela dentes erant, hanc admouit non sine successu. cumque tandem in hominem minimè superstitiosum incidisset, ab eo chartula explicata, hæc lecta sententia, planè electa, *Diabolus tibi rumpas collum.* Quid quæso hæc sententia in imaginationem, aut corpus feliciter agere aut ingerere potest! Religiosam medicinam vult Deus, & se in ea agnosci & coli cupit. Scribitur in commentariis Græcorum, Ezechiam regem Iudææ, librum Salomonis De medendis morbis omnis generis, qui in templo asseruatus fuerat, remouisse: quòd ægri ex hoc potiùs morborum medelas, quàm à Deo precibus peterent. Fuit sine dubio in eo libro præclara scientia rerum naturalium, cùm Salomonis sapientia summa fuerit: attamen ob neglectum Dei, celere eum voluit Ezechias, quòd in corruptelam eius vsus abiret, cùm enim πᾶν τὸ θυμικὸν ταμιεῖον sit, vt ait Aristoteles, hoc ipso ad Deum duci debent animi, qui hoc studio quasi mullescunt ad pietatem.

Attamen plurima in naturæ sinu abdita latent, sensibus humanis vix peruia, quæ quamuis ob nostram ignorantiam aliena à ratione & superstitiosa videantur (cùm causæ nos fugiant) ab eo tamē crimine aliena sunt. Legimus de Q. Fabio Maximo, quòd multis hostium cæsis, à quartana febre liber euaserit. vnde quidam veterum superstitiosè existimarunt, Quartanam solis pollutionibus curari: In hac sententia fuit Democritus. Sed hoc, sine dubio, euenit Fabio ex subito gaudio, mollito fusoque squalido succo ac fæce quartanæ; & minimè ea pollutione. eodem modo puto

Vis suada. Persuasionem per se, non fiducia aut credulitate quid posse: sed in naturis emollitis ac tenellulis, subitum spirituum ac animorum motum inferre, vnde vario fluctu rapitur sanguis; ac vnà morbificas causas partibus quæ in querela erant eripit, vnde mitescit malum. hîc nulla superstitio: nisi superstitiosi homines eam facerent, dum effectus alienis causis tribuunt.

Periapta naturalia. Ita in illis rebus quæ appenduntur (Periapta vocant) non rarò latitat quædam occultior facultas, quæ incalescens à corporis contactu, atomos ac miasmata & effluuia nobis nescientibus effundunt, & insundunt nobis, bausta ore & cute, efficaci morborum antidoto. His lubenter olim vtebantur doctissimi medici, cùm inuictum foret malum alterantibus & purgantibus: nam inest quibusdam rebus congenita inter se consortij aut dissidij proprietas, qua citra visibilem tactum sese alterant, vt succinum paleas amplectitur, magnes ferrum. Scribunt quidam in Austria inuentos esse gemellos, qui obiectis ad ianuas lateribus, feras aperiebant. Multa talia ab Orpheo, Theophrasto ac

Auctores. Proclo tradita, qui auctores sunt præclarè hanc occultam vim micare in lapidibus. Passim talia Dioscorides, vt de araneo, de vermiculis in dipsaci capitellis, de pede leporis herba. de circij, & plantaginis, & lepidij radicibus: de anagyri, asplenio, asparagis, agno casto, onosmate. Scatent his medelis Dioscorides & Plinius, Trallianus, Aëtius, Chyrannus, Rhases, Theodorus Priscianus, qui sub nomine Quinti Horatiani in lucem prodiit, Marcellus Empiricus, Costa-ben Luca ad Hebræos, Gordonius.

Libris simplicium. Galenus Pæoniæ appensæ potentiam nobilitauit: & fila queis vipera strangulata fuit: quin stercus lupinum appensum colicis remedio esse scripsit: celebrat ab hac vi iaspidem, omphatiten, hieraciten & iudicum. Ita vtimur iecore lupi, ericij corde, & pulmone vulpis, osse cordis cerui, hirundinibus, ranis hepate capræ, visco, cranio humano, cuculi carne, milui iecore, ventriculo gallinæ, troglodyte auicula.

Plurima talia Trallianus ad epilepsiam arcendam, & colicum ad dolorem, & podagricum cruciatum talibus arcet, febresque cottidianas & quartanas hac arte curat; ita calculorum tyrannidem mitigat.

Aëtitem & galactitem lapides celebrat Aëtius: & vbi de venere, & de hydrophobia. nos vsu notauimus anguis exuuias, ventri muliebri cùm ægrè parit admotas, ilico fœtum præcipitare: an quia muscum olent? Hæc causam in natura agnoscunt: & propterea à superstitione vindicanda.

Quibus constet superstitiosa Curatio. At superstitio ex medico theatro & tota natura excutienda. Constat hæc minimè religiosa curatio, ex characteribus, amuletis, & carminibus. *Characteres & amuleta sunt temerè quædam picta imagines, nulla natura vi dotata.* tales fuere Ephesiæ literæ, quas scribit Anaxilas, apud Athenæum, quendam in consutis scurariis, id est minutis coriis habuisse, felicitatem promittentes. credo efficta ad mouendum & concutiendum imbellium hominum spiritus: qui vel *abracadabra* terribiles voces, asteriscos, cruces, & empusarum murmones mirantur. Clarissimus ille dux Græciæ Pericles, in magna illa peste Atheniensium, cùm ab ea lue tactus sensim extabesceret, morbusque vim animi superaret, inquit Plutarchus, amico, qui visendi gratia eum accesserat, incantationes quasdam pendentes collo à mulieribus alligatas ostendit: argumento, inquit, animum tunc in eo ægrotasse, dum eiusmodi insanias ferret ille vir, qui tanta prudentia rempublicam habuit, vt nullus propter eum nigram vestem induerit vnquam. causam eius calamitatis reddit Theophrastus, quia mores acti corporis doloribus à virtute fortè desciscunt. Quare Antoninus Caracalla, teste Spartiano, damnauit, qui contra tertianas & quartanas amuleta gestabant.

Characteres, σφραγίσματα, hoc est, sigilla.

Carmina & verba. Quid verbis & carminibus his præcellentius tribuam, non habeo: si quid, id, ex imaginatione, variè affectis motisque spiritibus, nasci puto. quanta enim vis sit horum motuum, videmus in his, quos vulnus inspicientes animus reliquit: alij narrationibus tragicis, motis spiritibus & sanguine, in lipothymiam abripiuntur. Vidi viros fortissimos, quibus cùm vena aperienda esset, ea nondum tacta, defecisse: apertam autem in his, nihil sanguinis effudisse; aliò rapto spiritu & cruore, imaginis conceptæ potentia. Contrà, quibusdam læsis sisti sanguis ob motus animi nequit. Quibusdam præsens pharmacum aluum soluit, non aliter ac metus, ad centrum corporis auersis succis & spiritibus. cur subitus timor Singultum placat? Itaque si quid carmen per se potest, à motu spirituum & sanguinis esse credidero. Quid enim possunt verba dicta, scripta, aut cogitatione cōcepta? ex obscura schola hæc lenocinia verborum profecta esse, consentaneum est: Sunt enim verba, voces efficta ad rem aliquam significādam; hæc propria verba sunt: qualia illa quæ apud Varronem primigenia nuncupantur: vt illa quæ magnus ille dialecticus, apud Platonem in Cratylo, inuenit. Quæ summus philosophus non quidem naturaliter facta, (sic enim eadem essent apud omnes gentes) sed fabricata esse existimauit.

Quare morbi carminibus arceri nequeunt: sed planè ethnicum est, credere verba vel characteres vim arcanam ex se habere: si quid habent virium, id aliunde mutuari videntur; sceleratæ enim ac nefandæ Magiæ, murmur illud, æmulum esse videtur. Erat enim

Magia. apud veteres horrendæ Magiæ quædam species, quæ carminibus peragebatur, quibus inuocabant dæmones malos, miscebant sacrificia cruenta (quam sanguis hu-

manus dæmonum philtrum, vt innuit Homerus vbi de Elpenoris anima) & verba coniuratoria, additis quibusdam suffumigiis lapidum & herbarum: quin Dæmones (horrendum commercium) his in colloquium euocabant: dicitur Goëria. Simulabat astutus Dęmon, ac persuadebat se his sacrilegiis cogi in alloquia & officia. Sed astute ab illo factum, impiè ac frustra à mortalibus: non enim his cogitur Dæmon malus, sed delectatur; vt pulchrè id demonstrauit Hippocrates, de Arte. Itaque quarum artium ac naturarum instrumentis pares esse non possumus, earum artifices nunquam euadere nos potis est: non igitur Magia ars, quòd eius instrumentum Dæmon, in nostra potestate non sit: imò ille potiùs miseris illis mortalibus vtitur pro instrumento, & sibi artem facit, latrocinium. Ita olim ille habebat ἐνθουσιῶντας: & νυμφολήπτους vocabant fanaticos eos, scilicet ceritos, thyades, laruatos: an etiam mimallones? Erant & ἐγγαστρίμυθοι, περιμάκτας, circumferentes Euryclea, inquit Plato. Quare iterum dico, Dæmonomagiam ex se, à verbis & characteribus nullam potentiam sortiti: est enim gentis à Deo auersæ superstitio.

Goëtia.

Gentiles existimant se posse conceptis verbis Iouem de cælo trahere, vel saltem elicere: propterea eum Elicium nominarunt: vt nunc qui adiuratis formulis, & benedictionibus, schedisque appensis curare se morbos existimant. Sed interdum infeliciter illicium hoc illis ex pellace Ioue euenit. Tullus Hostilius rex ex Numæ libris, eodem, quo ille, sacrificio Iouē cælo deuocare conatus, fulmine ictus, cum domo deflagrauit. Ante omnia tamen solitum erat in oppugnationibus, à Romanis sacerdotibus eius oppugnādi oppidi euocari Deum, cuius in tutelā illud oppidum esset: promittique illi eundem, aut ampliorem locum apud Romanos. Ideo occultarunt in cuius Dei tutela Roma esset: ne qui hostium simili modo agerent. Vnde quidam existimant *Robur* vel *Victoriam* proprium nomen vrbi fuisse: *Romam*, fictitium, ad celandum numen.

Elicius Iupiter.

Hæc Goëtia peragebantur incesta. Contigit olim mihi talis liber, ex Noruegia magna cura allatus, qui titulum *Abelis Iusti filij Adam* ferebat. cùm impietatem viderem, Vulcano hoc sacrum feci. Quam horrenda tractet hæc Dæmonomania, planè aperit Heliodorus libro sexto; ibi enim nil nisi carmina desūt. Hæc Goëtia cùm circa sepulchra perageretur. Necromantiæ nomen sortiebatur. Fuit tamen alia longè ab hac diuersa quædam Magia apud Ægyptios, inquit Calasiris apud Heliodorum, quæ reuera est sapientia: à qua adulterina illa degenerauit; astrorum motus inquirens; & omnia ad honestatem, commodumque humanæ gentis accommodans studia. hæc si verè, venusta illa philosophia fuit: at Galenus De simplici medicina sexto, incantationibus vsos fuisse ait sacerdotes, dum radices herbarum effoderent. Altera quædam illiberalis Magiæ species erat, dicta Theurgia, quæ fit per sacrosancta nomina, & precationes bonorum angelorum: dicitur *Imprecatio*. Rectè de his Ieremias: *Nunquid resina non est in Calaadi, aut medicus non est ibi.* Mirum, hoc scelus vtramque gentem, & Hebræam & Gentilem incurrisse. Hebræa effusa in hæc flagitia fuit: etenim scelerrima quadam vmbra hanc gentem inuasit. sacratiorem namque interpretationem legis Mosaicæ Cabalam dixerunt, quam cælitus Moysi apertam affirmabant: attamen litteris non inuulgarunt, sed per manus tradebant non minoribus quadraginta annis. Tandem Esdras veritus ne seditionibus, cædibus, & captiuitatibus hæc traditio intercideret, ex septuaginta senum sententia hæc septuaginta volumina digessit, quam Cabalam dixerunt. Hæc de diuinitate ac intelligentiis angelicis ineffabilem sapientiam continebant, & rerum naturalium exactam cognitionem complectebantur. Hanc iuniores postea conspurcarunt Goëtia. Fingebant enim sibi explorata esse arcana Dei, & spirituum nomina, quibus dæmones cogerent: Sed erant ex Ægypto allatæ incantationes, sacrilegio maximo diuinis verbis adspersæ. In Ægypto hanc Goëtiam didicerant, à sacerdotibus dæmonum cultoribus: talis fuit vltima Cabala apud Hebræos, cuius adhuc iam vestigia testibilia sunt, dum sortilegio sanctis litteris, & sacris nominibus abutuntur. Ethnicorum autem Magia orta est ex medicina, astrologia, & dæmonum cultu. A Persis Magi dicebantur Sophi: ab Indis, Brachmani: Gallis, Druides: Græcis & Ægyptiis Mystæ & Prophetæ, sacrorum antistites. Huius Magiæ documenta auctoribus nocumenta esse Nero Cęsar etiam didicit, qui maximas effudit opes vt hanc disceret artem: sed falsam expertus, postremò repudiauit. Si quid veritatis & vtilitatis hæc res haberet, profectò libri Numæ Pompilij non fuissent prudentissimi Senatus Romani decreto in foro combusti: extarent scripta Democriti, Pythagoræ, Ægyptiorum sacerdotum, Zoroastri, Hostanis, Proconesij, Dardani, & Druidum.

Necromantia.

Magia Ægypti.

Theurgia.

Cap. 8.

Hebræa Magia.

Cabala.

Ethnicorum Magia.

Attamen hæc Dæmonum ludibria olim quid ponderis habuisse non negamus: maximè ea Magiæ species quæ ἐπῳδὴ ab ethnicis dicitur, quæ salutari specie in medicinam irrepsit. Inter tres enim curationis species adhibitas per Chironem morbis, *Incantationem* numerat Pindarus, dum ait:

Olim efficax magia.

Pythiis, ode strophe 3.

------ τὺς μὲν μαλακαῖς
ἐπαοιδαῖς ἀμφέπων,
τὺς δὲ προσανέα πί-
νοντας, ἢ γυίοις περάπτων πάντοθεν
φάρμακα, τὺς δὲ τομαῖς ἔστασεν ὀρθούς.

hoc est, *quosdam mollibus incantationibus tractans, quosdam verò lenia bibentes, aut membris circumponens vndique pharmaca, quosdam autem sectione stare fecit rectos.* Homerus decimonono Odyssearum, dixit, cùm Vlysses comitatus Autolyci filiis in Parnasso mōte venationem exerceret, ab apro vulnerato femine, ita vt magnam partem carnis obliquo dente extraxisset illi aper, profluuium sanguinis carmine Autolyci filij inhibuere:

ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
ἔσχεθον, hoc est, *carmine atrum sanguinem inhibuerunt.* vnde hæc curatio quæ carmine & verbis fieret, Homerica olim dicta fuit. In Proponride sinus est Pharmacias seu Therapicus: cùm peste & fame affligeretur ibi posita vrbs, tūc deformis homo protractus, vt hostia, ficum & offam tenens, post verbera septem igne cremabatur, cineresque spargebantur in freta. Quòd Medea ibi pharmaca posuerit, inde nomen. Apud Romanos, *Tuccia Vestalis*, vt incestæ crimen fugeret, vsa precatione, aquam in cribro tulit. *Vestales nostras hodie credimus*, inquit Plinius, *nondum egressa vrbe mancipia fugitiua retinere in loco precatione.* Theophrastus ischiadicos carmine sanari affirmat. Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari, Marcus Varro podagricis. Cæsar carmine ter repetito securitatem itinerum aucupari solitus erat. Carmina nouit antiquitas contra grandines, contraque ambusta.

Hos dæmonum lusus olim quid efficaciæ habuisse inficiator non sum; sed ab inficiali auctore profacta credo. at omnis potestas illi à Iesu Christo adempta, qui captiuis nobis libertatem attulit. Attamen aliquid carmini, suauibus vocibus, & modulationibus dabimus: quòd interna animorum seditio his sedatur; sanguisque qui aliò quò non decet viam affectat, blanda compellatione ac precatione mulcetur,

Vsus vocum.

tur, & sedatione sistitur: quod ira percitis cottidie euenire videmus Idcirco Damon musicus cùm esset apud tibicinam Phrygium modulantem, ebriis quibusdam adolescentibus insana quædam peragentibus, Doricum cani iussit ; illi statim à motu insulso cessarunt, quia affectibus obnoxia pars animæ irrationalis, excitatur mitigaturque motibus irrationalibus.

Astutia. Astu quæ fit curatio, interdum non minùs valet tota magia, est enim instar stratagematis in medicina. *Historia.* Quidam Animam se affirmabat, ob idque omnem cibum reformidabat, quòd animas edere negaret. tandem à fideli medico parata mensa, media nocte à nudis farinaque oblitis hominibus cubili illata; summo silentio accubuere. rogat ille quid agerent: obmurmurans quidam respondit, estote. mox ille, quæ gens? animæ. at animæ edones non sunt. respondet alter, Nostrae, & non humano more edimus. hic exiliens lecto, Et ego anima, inquit, fruar vnà vestris epulis: assedit, comedit, à morbo euasit. Alter eum existimaret tam vastum se nasum gerere, vt nullæ portæ illi perviæ essent, huic dormienti, sagax medicus longanonem bouis, sanguinis plenum, naso nexuit: cumque à somno de ingenti naso querela illi esset, rogat medicus, num amputare liceret nasum: manibus porrectis hoc officium ab eo efflagitat: scindit medicus longanonem, & forti pressione exprimit cruorem in oculos ægri, & longanonem abiicit. hic, falsa imagine excussa, à morbo liberatus fuit. Quidam cùm sine capite viuere se existimabat, plumbum impositum morbum ademit. Mulier ranas se ventre gestare persuasa, purgatione postquam effusa eius aluus fuisset, clam ranæ excrementis illatæ, morbum excussere. Ita his temporibus, quidam hominibus melancholicis, fascino afflatos esse persuadent, & aquæ lustratione sanari, & lustrari redeunt.

OBSERVATIO PRAGMATICA.

Tractatu facilis ratio. Qui in medicina facienda versantur, hoc filo ferè eam ducunt.

Primò diætam naturæ studentem & cum morbo pugnantem instituunt.

Secundò, aluum vel clysmo, vel lenientibus remediis eluunt.

Tertiò, sanguis si emittendus, venam aperiunt.

Quartò, miti pharmaco accidunt morbificæ materiæ copiam, vt apozemate.

Quintò, contumaciorem materiam parant & coquunt, vt mitescat ad exclusionem.

Sextò, validè purgant.

Septimò, reuellunt: mictoria & sudorifica præscribunt, frictiones, cucurbitulas.

Octauò, deriuant ad vicina.

Nonò, fouent partem, vel rubedinem aut cauteria inurunt; quò eximant continentem morbi causam.

Decimò, reliquias morbi exhauriunt, & robur inferunt parti afflictæ.

Vndecimò, lætiore victu vites recreant.

CAPVT XXIX.

Exercitatio Methodi per duos vel tres morbos.

Exordium sit ab Intemperie cerebri. Notabimus naturam affectus, partis, & virium robur. Affectus hic est intemperies: quare indagabimus, num ea sit simplex, vel composita. *Simplex intemperies.* Si simplex, vt calida, vel frigida, ducta indicatione ab affectu (nam illa indicat remedij genus) admonebimur contrario remedio profligandam esse hanc intemperiem: quare si calida, refrigeranda; si frigida, calfacienda. Sed indicatione sumpta à parte ægra, capite, quia pars princeps, modestis medicaminibus illud agendum. Quòd si æstas fuerit, in morbo feruido certai vis frigidi remedij: si iuuenis validus, si frigidis assuetus, si tempeties natiua & ascititia totius & capitis frigida fuerit (quia longè, eùm ex calore iam laboret, extra moderationis lineam abiit) validiùs erit refrigerandum. Si vit, vberiorem refrigerationem sustinebit. si piscator (quia arte in frigida eius vita) grauiorem vim frigoris exiget; quia longiùs à natura abiit. Si iamiam inierit morbus, strenuè agendum.

Composita affectio. Si autem non mera intemperies vitium fecerit, sed si materia vnà sese sociarit, tunc quia est affectus implicitus, ordo medendi erit examinandus, vt docuimus in prima indicatione, nam intemperies alt. randa est, & materia vacuanda. Diximus, cùm morbus causæ iungitur, hæc primùm; dein genitus affectus erit debellandus; iungat igitur se succus, sit corpus succis rigatum, & vnà doleat capiti bellum moueat. Si doloris immanitas vigiliarum & inediæ auctor fiat (indicatione ducta ab vrgentibus vitiibus) placandus erit, neglecto morbo. quare drachmis duabus olei violati, rosati, vel papaueris, opij grana duo miscebimus, tum tantundem croci: fronti, naribus, & auribus infetemus.

Hoc deserimine foris & intùs datis & admotis te mediis) sopito, ad affectum venimus. Materia præter naturam adest, igitur vacuandum cum autem in implicitis affectibus à causarum motione proficisci debet curatio: igitur explorandum, num adsit materia tantùm in capite coaceruata, vel num aliunde etiam eò viam affectat. Coacernata, præparanda & purganda. Si aliunde influat, eò se vertet à toto corpore, aut à parte aliqua relegabitur; vt si pars quædam alia in quesela fuit antequam caput laboraret. Hinc variæ surgent notiones medendi: nam vt fluxa materia indicat sui euacuationem, ita influxura postulat auersionem; vt dictum in indicatione de causa. Itaque eùm causa antecedens quæ influit, externa, & continens implicatur, primum remota externa, ad excidium antecedentis pergemus. Hæc autem quia præter naturæ legem fluit, (siue à toto, siue à parte) indicatio orietur auertendam esse ad partem oppositam; quò pars ægra, caput, minimè ab ea incurratur. hoc autem fiet Reuulsione. At vnde sciemus (cùm variis peragatur Reuulsio) quo instrumento hoc assequemur? accuratè explorandus erit affectus: nam is remedij genus indigitat. Itaque materia erit notanda quæ est causa antecedens, nam si sanguinea fuerit, vena secta ritè fiet Reuulsio. Sed vt vena commodè secetur, diximus, obseruandum esse affectum (vt hic materiam) locum, & circumstantias. Locus, hoc est vena secanda, quia totum (vbi à totius virio est) inanire volumus, erit vena basilica. Circumstantiæ ad virtutem pertinent, si fuerit non senex, non puer. Amota causa anteced ẽte, propiùs ad causam continentem remedia flectemus: & secabimus venam exteriorem brachij: hinc frontis & narium venas recludemus.

A pituita. Sin materia morbifica à sanguine aliena pituitosa eat, quia præter naturam, euacuanda. Verùm hoc commodè non fit, ni primò pateat ad exclusionem incidentibus, attenuantibus, abstergentibus. hæc autem talia esse debent, quæ caput feriant: vt satureiæ, euphragiæ, betonicæ, singulimanipuli: maioranæ, chamæmeli, cuiusque pugillus: seminis fœniculi, radicum enulæ, acori, singulorum drachmæ duæ: coque ex aqua ad sesquilibram: colaturæ adde syrupi betonicæ, stœchados, oxymelitis, singulas sescuncias. sumat bis die. Parata materia purgetur phlegmaphygis, vt agarico, pilulis cocciis.

Ablata

Ablata itaque causa antecedente, ad Continentem noa vertemus. illa vel loco moueri poterit, vel mouendi erit beneficio spoliata. si loco dimoueri poterit, vtemur Deriuatiooe: & quia in capite, masticatoriis, gargarismis, sternutatione, fotu ex chamæmelis, meliloto, lilio, saluia, betooica. Si immota materia ac infixa restagnarit, banc trahemus emplastro de meliloto, euphorbio, phœnigmis, sinapismis.

Tandem robur afflabimua capiti; propinabimus castorium ex hydromelite; dabimus saluiæ & rorismarioi consetuas, theriacam, mithridatium: foris illinemus oleo castorei & lauendulæ. Ita ad morbum venimus accisa causa.

A bile. Quòd si autem intẽperiei eerebri causa antecedens fuerit Bilis, orietur iodicatio eam exeludendi: quia præter naturam est. quia autem qualitate ille succus in vitio est, purgatione erit abiicienda. id vt coouenienter fiat, notabimus *quid, quantum, quando, quo modo* purgandum sit, *& circumstantias. quid?* bilis, igitur cholagogo pharmaco opus est. *qua copia* exhautienda? vt vbertas bilis fuerit, & vt eius est situs: nam suum domicilium interdum habet in prima aluo; aliàs in genus venosum, aut habitum recessit. *quando?* iam, si turget ac furit: sio minùs, præparasa decoctis, quæ eius ferociam domant. *quo modo* purganda? id indicat locus affectus, à quo vnà reuellemus; per aluum: ita à superois partibus auertemus influxum. Virtus est inter circumstantias: quæ si valida fuerit, & morbifica materia si pauca, confertim vnoque impetu excludetur.

Deinde veoiemus ad amotionem *causæ coniunctæ*, quæ bilis est capite concepta. si loco mobilis fuerit, *repulsione & deriuatione* eam euacuabimus. Inungemus caput, nares, aures oleo nenupharino iu quo cucurbita decocta fuit: aut naribus trahemus violaceum oleum, vel oxyrrhodinoo fronti & temporibus admouebimus: sed quia vigiliæ molestæ sunt, loco aceti immittemus succum citriorum maturorum: vel vnguentum rosatum illinemus: vel fotus inferemus cum spongia, ex aqua rosata cum panco aceto: Et *apophlegmatismis* educetur, vt caricarum pinguium, masticis, ceræ, siogulæ bioæ drachmæ: misce, fiat masticatorium.

Tandem ad intemperiem capiti impressam veniemus, & simul robur afflabimus. dabimus coosesuam rosatam, & violatam, cum santalis & margaritis.

Sed semper notabimus uum hæc enumerata remedia ab affectu nata, pars ægra (quæ hîc est caput) admittat. In parte morbo affecta coosideratur *temperamentum, vsus, sensus, situs, & counexio.* ab vsu, cerebrum est pars princeps; quare non frigidorum perpetuo incursu fatigandum: propterea vbi deuentum fuit ad exhaustionem contioentis, in fotu aquæ rosatæ non diu perseuerandum: sed ex decocto althææ, chamæmeli, meliloti tandem influxa euacuetur materia. Dein videndum num hæc remedia concedaot *vires, aër, ætas, consuetudo, sexus, vitæ genus, morbi decursus & tempus, paroxysmus, &* an nullum vitium sit in electo iam *remedio.*

Apoplexia. Monstrauimus quo modo tractari debet morbus lo intemperie positus: superest vt morbum proponamus In mala compositione, cuius hyparxia in obstructione consistit. Dicemos de Apoplexia, quæ Latinis Sideratio; veteres eoim fulmeo sidus esse putabant. Cœlius Aurelianus iuquit, *Apoplexia dicta est, quòd tanquam ex lethali percussu, repentinum faciat casum; à πλήττω illido.* Attonitus morbus quibusdam vocatur, quia mens stupet & corpus tempore Celsi nuncupabatur παράλυσις. Hæc fit ab angustia ventriculorum & pororum cerebri, vt docuit Galenus quarto De locis affectis, capite secundo: vbi affirmat, hoc eam differre ab epilepsia: uam dicit, *quamuis in vtroque affectu cerebrum totum lædatur, tamen in epilepsia magis vêtres afficiuntur.* & Apoplexiæ hyparxia cousistit in mala compositione: igitur, pori cerebri necessariò obstruentur, & erimen agnoscent neruorum initia.

Est igitur Apoplexia priuatio sensus & motus totius corporis, eò quòd prohibeatur spiritus animalis exitu, ab oppressione vel obstructione ventriculorum & corporis cerebri. *Definitio.* *Causa.*

Compressio. *Compressio* illa oritur à sanguiois nimia copia: cùm venæ & arteriæ distentæ premunt poros, ita vt spiritus exitu prohibeantur à cerebro: & hæc est illa θλιγμὸς διὰ τὸ σφήνωσις Galeni, qua, angustius redditur cerebrum, & quædam tensio hinc surgit phlegmooes æmula. *1. Apho. 42.* Phlegmone est à sanguine qui imbibitur, & aluos membri ingreditur: hoc non fit hîc, sed pori cerebri opprimuntur; nam pressioni cedunt: est igitur affectus similis ioflammationi, comprimuotur & pori ex inflammatione. vt à phrenitide, & lethargo. vel sanguine referria iugularibus veuis & carotidibus arteriis (vt io iis euenit qui breui sunt ceruice) spiritus (vnde fabricãtur animales) vitalis aditu prohibetur ad cerebrum. sed hæc est per sympathiam, & debilis: quia vbi per idiopathiam est, coosistit vitium in iis meatibus qui descendunt à cerebro: qui sunt oerui, ventriculi, radix medullæ spinæ. vbi per sympathiam, vitium consistit in meatibus qui ascendunt ad cerebrum; vt in carotidibus, & iugularibus: quare non exitu, sed aditu prohibetur à cerebro spiritus.

Obstructio. Vel est *obstructio* autor quo mious meabiles sint viæ: eius causam agnoscit Hippoc. voam, omnem crassiorem succum, siue fuerit pituita, melancholia, sanguis crassus, aut grumosus concretus, vel multus: & io libello De flatibus addit, flatus vasa obstruentes. Plerumque tamen à pituita est: interdum & melancholia; nam propterea scripsit Hippocrates, *ea percelli quadragenarios, dum sexagenarij euaserint.*

Cùm itaque hoc symptoma, sit sensus & motus priuatio, remoueri noo poterit, nisi morbus & causa accîdatur. cumque morbus sit obstructio (iodicatione inita ab affectu) indicatur apertione opus esse. Verùm priusquam id fieri possit, notaodum num illa obstructio iam plenè facta sit, vel num adhuc fiat: quia facta, simplicem indicabit apertiooem: sin adhuc fiat, admonebimur vt aperiamos eam quæ facta est, & vt prohibeamua futuram. prohibemus, dum seuellimus causam, quæ obstructionem inferret.

Prognosis. Sed symptomata hîc sunt tam valida, vt otam curam ad se rapiant: oam intercipitur respiratio; & binc in procinctu periculum est. Vrgens itaque symptoma primò curari debet, deinde causa morbi. at symptomata curari nequeunt, nî subducatur primùm causa coniuncta, quæ hîc angustiam adfert. Quare tantum de causa abscindemus antecedente, quantum satis sit ad mouendam vel saltem coucutiendam causam cooiunctam morbo: nam ob symptomatum magnitudinem bomo interiret, priusquam totam antecedentem causam exemisset medicatio: sed remoto paroxysmo, eò veniendum. Optimum tamen remedium foret, quod, vnà ad exclusionem causæ autecedentis, & amotiooem coniunctæ faceret.

Prognosis. Sed prognosis interponenda. Summum hoc est malum: nam maguitudo causæ coniuncta cum pari symptomatum vehementia, nec cedit remediis, nec dat inducias, vt remedia adhiberi possiut: respiratio enim tollitur, qua vita ad punctum temporis carere nequit. Propterea scripsit Hippocrates, *fortem apoplexiam non solui;* ob symptomatum repentè incideotium vim funestam: hæc enim per idiopathiam est. at, inquit,

debilem

debilem nec tam vehementibus comitatam symptumatibus, quæ in vitio consistit meatuum ad cerebrum viam affectantium, cùm aditu ad cerebrum prohibetur vitalis spiritus, *non est facile soluere*: nam animalis spiritus vitali destituitur, in quo eius prædium est; quare eius peouria tabescit. Omnis apoplexia est vehemens, nam vbique est longus à natura abitus: sed per debilem iotelligimus minùs vehementem. Quam excipit phrenitis vel lethargus, calamitosa est. Quæ ab affectu eueoit inflãmatorio, curari potest. ægriùs curatur quæ à pituita; ægerrimè quæ à melancholia: nam
Salutare. est contumax obstructio cerebri. Si debili. Apoplexiæ (quæ fit per sympathiam) febris superuenerit talis & tanta qua opus est, quæ magnitudine vires non soluat: nec minor quam quæ attenuet, & resoluat succos & flatus, quod fit tribus quatuórve diebus; non enim vltra septimum escurrere eam decet. *Spuma ori si insederit, lethale*: quia in apoplecticis spuma, est genuina humiditas pulmonum, vi expressa. *Senex*, inquit Aretæus, *non liberatur, & morbi magnitudine, & ætatis miseria oppressus. Fæminas difficilius curari* affirmat Cælius Aurelianus, nam oppressionibus superantur. *Si non sternutet à sternutatoriis, lethale*: resoluti enim cerebri nota. Cruenta vrina, calamitosa: resoluta vi retentrice venarum.

Curatio. Si curationis aliqua spes affulserit, ea ilico amplectenda. Si fuerit Apoplexia sanguinea, quia partes solidæ & humidæ sunt iotegræ, & spiritus noo ab exhaustu sed oppressione laborant, pertũdatur vena: quô
Et Paulus. 3. 18 Gal. in Isagoge. Auic. 3. 3. 5. 4. tract. 2. 5. mota materia obstructio liberetur. Celsus ioquit, *sanguinis detractio vel occidit vel liberat. aliud curationis genus*, ait, *vix vnquam sanitatem restituit, sæpè mortem tantùm differt*. Sed qua copia emittemus? id ootabit habitus & ætas, inquit Hippocrates. repetitis vicibus; id nec vires atterit, & morbificam materiam mouet: & si egelari & recreari videbitur, argumento nobis erit repetendæ euacuationis: magna enim (in copia) opus est cautione, nam dicit Aretæus. *si paulò plus detraxeris, hominem strangulasti; nam prædium vitæ his sanguis est: sin minus detraxeris quàm causa postulat, nihil magni contuleris; adhuc enim causa manet*. Sed præstat minus detrahendo delinquere; nam si leuari videtur æger, repeti poterit. monuit Aëtius vt in euacuatione notentur *pulsus, facies, respiratio*: ne soluamus vires, & calorem extinguamus. Quo tempore? in accessione: est paroxysmus qui pessundat: nec potest sopita facultas excitari, nisi primùm deponatur onus, à clystere, cùm meliùs spirat. Quæ venæ secandæ? cephalicæ, inquit Rhases, & colli venæ iugulares: & apoplecticæ venæ post aures aperiuntur. Vel toto euacuato per mediam venam, seca frontis venam, & setis recludantur oarium venulæ. Hæc vsum habent, inquit Rhases, vbi cruenta apparet facies, vt in his in quibus vinculis strictis in parte continetur; sed, inquit, murmur & strepitus absint à thorace in venæ sectione: nam his clyster debetur; ob pituitæ copiam à sanguine segregatam. Si à sectione non tedeat mens & sensus, conclamatum erit. Aretæus primus laudes ascribit cucurbitulis: nam vires non frangunt: occipitio & spinæ omni imponuntur: pòst, iugularibus & capiti.

Causa coniuncta amotio. Sed prima cura esse debet, vt causa antecedens accidatur, quo locum abeundi ab obstructione sortiatur coniuncta causa. Ligentur arctè brachia & tibiæ: iotérdum laxeotur, iterumque oectantur. Pituitosa clysmis auertatur. *Si trahitur accessio, permittet hæc affectio*, inquit Aëtius, *omnia temerè agere*; audaces iuuat fortuna. date pilulas coccias; & si melancholescat materia, iungite elleborũ: vel soluantur scriptuli quatuor pillularum de euphorbio in decocto hyssopi, betonicæ & rutæ. Rhasés infundit sesquidrachmam anacardinæ confectionis: addunt castorium, & aquam vitæ, in pituita. Nares stringantur, vt deglutiant.

Ita, ilico à purgatione ad causam coniunctam nos vertemus, & leptomeria præditis exhauriemus morbificam causam capite conceptam: à quibus, fusa materia in nares vel paralysin excurrat: præstat enim parte spoliari quàm vita. Et deriuabimus coniuoctam causam sanguisugis ponè aures admotis; & tunc frontis nariumque venas recludemus, modò à sanguine alieoa oon sit materia: post duas horas à secta vena brachij id fiat: Hæc dum fiunt, capiti admouebimus quæ leuiter (ne fiat obstructio maior) reuerberant: vt oleum rosatum completum, cum pauco aceto: sed mox remoue. Deinde rasum caput foue decocto chamæmeli, anethi, lilij: quò materia exhauriatur sine attractione. hæc & sequentia fiant vbi à pituita vitium est. & sternutatoria naribus infla ex elleboro macerato aqua vitæ. Tandem sartaginem candeotem igne admoue: sed dum vri ioceperint capilli, suffecerit: ne assetur cerebrum. palatum fricetur mithridatico soluto aqua vitæ lilij conuallij, cum sinapi. Et dropaces adferemus. inungemus caput oleo euphorbij, vel amygdalino amaro cum euphorbio: totumque corpus leuiter fricabimus eodem oleo & aqua vitæ lilij coouallij; vt exhauriatur materia, dolorque inferatur, & excitetur facultas. & tandem, ex sententia Aetij, ad resolutionem materiæ & excitandam facultatem sopitam, cauterium suturæ corooali inuremus. Si materia ad membrum viam affectat, eò eã trahemus, vt in paralysin se effodat. quare sinapismis prolectabimus eã, & illitu olei cucumeris agrestis.

Hactenus de concussione, & si fieri possit amotione infarctus cerebri, cùm premit paroxysmi incursus. Attamen interim causa morbifica antecedens nondum plenè amota est, quæ, cùm totum corpus obsidet, restibili fœcunditate, ilico pariet coniunctam morboque proximam causam oouam: quare hæc curanda. & quia cerebrum affligitur, quod natura frigidum, à morbo algido & à paroxysmi violentia, dissipatis spiritibus, fractum est, recreandum esse notio erit. & cum omnia tædia symptomatum non cedant à paroxysmo, indicatio nascetur de iis etiam prouisionem habendam esse. Antecedens ita- *Sanguinea antecedens.*
que causa si sanguis fuerit, qui compressione similem inflammationi intulit affectum, ex copia concepta in venis & arteriis capitis & corporis reliqui, surget iodicatio euacuandi influxum, & auertendi influxuram. Si materia aliena fuerit à sanguine, attenuabi- *Crassa antecedens præparatio.*
mus crassam, lentam incidemus, abstergebimus viscidam, & crudam coquemus syrupis & decoctis. Materiæ morbificæ modus, robur attenuantis remedij explicabit, si contumax materia, oxymelle scyllitico domabitur: nam à scylla absterget, aceto iocidit, melle coquit. Sin materia morbifica non ea pertinacia fuerit, oxymel simplex, vel syrupus hyssopi aut stœchados suffecerit. Dein coosulendæ indicationes, num his remediis subscribant: nam puero & fœminæ merum scylliticum negabimus: hoc vtilius erit: Oxymelitis scyllitici, mellis rosati, syrupi betonicæ vel stœchados singulæ semunciæ; decocti anisi, fœniculi, cinnamomi (ex hydromelite) vnciæ quatuor; propinentur in aurora. Præparata materia (quod elucet ex vrina) pharmaco excludatur: Accipe pilularum de *Purgatio eius.*
agarico Mesuæ, pilularum de euphorbio, singulos scriptulos: cocciarum, sesquiscriptulum: castorei semissem scriptuli, dacridij grana tria, decocti saluiæ, nucis myristicæ, acori, vocias binas. Aliæ: pilularum cocciarum, fœtidarum, aurearum, cuiusque scriptulus, castorij semiscriptulus: dacrydij, grana quinque: soluantur decocto. Progresso morbo, vomitoriis vtetur ad causam aotecedentem.

Tandem

Roborantia. Tandem ad partem affectam, quæ hîc est cerebrum, veniemus. nam à paroxysmo attonitum quasi stopet: Hoc euenit spirituum oppressione, & cerebri algore. Orietur itaque indicatio procreandi recentes spiritus, & cerebrum calfaciendi. *Spirituum medicatio.* Spiritus aëre pro nutricatu vtuntur: & quia à pituita friget cerebrum, fit aër calidus & siccus: *degant*, inquit Paulus, *in maritimis*. sed tamen in sanguinea, fit aër moderatus. & cùm suauibus nutritio peragatur, sintque odorata spiritibus suauia, gratis igitur odoribus perfundendus erit aër: sed non implcant caput. in aqua & aceto rosato coque nigellam. at cùm spiritus cerebri non solo aëre pro nutricatu fruantur, verùm etiam calido & sicco sanguine, nos admonebit eiusmodi cibi: pascatus columbis, monticolis volucribus, dispersis aromatibus, calidisque herbis: nam tenuis & tenuans victus succis crassis vtilis. Attamen in sanguinea, absit siccus & calidus victus: nam Abincennas aquam hordei & iulapum roseum serumque lactis hac ineunte commendat. Alioqni laudatur mulsæ vsus, cui tandem inditur saluia, rosmarinus & calamintha: ius pulli cum melle: puls auenacea cum melle & aniso, inclinato morbo: Auenzoar vnciam vini propinabat, ad robur membrorum.

Cerebri frigore stricti medela. Cerebri verò frigus calidis præsidiis auferatur, non actu æstuantibus, sed vi innata. Imponantur sinapismi & dropaces suturæ coronali, & spinæ principio: vt olei rutæ sescuncia, picis vnciæ tres: in diplomate liquescant; & adde sinapi, pyrethri, piperis, cuiusque sesquidrachmam: cùm refrixit impositum, repetatur. vel oxycroceo emplastro aut sacro misceantur acria: quale, euphorbium, sinapi, vrticæ semen. Illinatur caput oleo castorij, vel anethino, aut chæmemelino, in quo coctum sit spondylium aut calamintha, cum vnguento cyclaminis (vocant arthanitæ) vel vnguento Agrippæ & aqua vitæ: vapor ex aceto in quo coxit calamintha, dictamnum, caryophylli, castorium. hæc foris. Intùs sumat acorum conditum, calamum aromaticum, zedoariam, nucem moschatam, caryophyllos, diacalaminthum, diaspoliticon, theriacam, aquam lilij conuallij, in qua aurum à foco candens sæpè exstinctum fuit. Rhases dat sesquidrachmam confectionis anacardiorum cum mulsa, in materia & corpore frigido. Sed Cautio adsit, ne vnquam in affectu inflammatorio magnas confectiones has exhibeamus: certò id lethiferum foret. Aurea Alexandrina commendatur vbi succi crassities; & aqua vitæ in qua maceratum est castorium, saluia, nux moschata, & mastix. Dein restibilia quædam symptomata erunt delenda. Vos si immemor officij reddita sit, id erit ab amissa memoria, vel à resoluta larynge, lingua, neruisve recurrentibus. Hæc, peculiaribus remediis, quæ debentur amissæ memoriæ & paralysi, recreabuntur. Hæc de cura obstructionis in parte nobili.

Phrenitis. Iam de Inflammationis parte principe conceptæ medicatione agamus. Phrenitis itaque proponatur curanda. Notiones curatiuas ducemus ab affectu, parte ægra, & viribus: hoc enim modo omnibus in morbis transfigendum. Affectus morbificus primò perspectus esse debet. *Phrenitis*, dicitur à Galeno, *delirium perpetuum*: ab Abincenna, *Sirse calidum*, hoc est, *apostema capitis calidum*; ad differentiam letargi. & est vox Persica: nam *Sir* Persis caput est, & *Sen* *Sirsen.* apostema. Arabes *Karabiton*, id est, *delirium perpetuum* vocant: nam cùm Abincenna proponit *Cibarre.* *Cibarre*, intelligit speciem Phrenitidis quæ sit à retorrida bile, quam Trallianus ferinam vocat.

Quid. *Est Phrenitis functio deprauata omnium facultatum cerebri, orta à cerebri immoderatione, quæ originem traxit à phlegmone menyngum.*

Principes facultates (cogitatio & imaginatio maximè) deprauantur; verùm memoria percellitur tantùm: nam petunt matulam, mictuiunt, & mingere interim non meminere. Propterea ad cerebrum, & non ad solas menyngas hæc fera symptomata ducitur: etenim in cuius bonitate consistit trium facultatum integritas, eiusdem vitio hæret earundem facultatum deprauatio: at in cerebri bonitate, & non in membranis vel ventriculis, consistit earum facultatum integritas: quare in eiusdem vitio, scilicet temperamenti alienatione, & habitus mutatione, consistet earundem facultatum deprauatio.

Hæc cerebri intemperies originem trahit à tenuis menyngis (quæ ferit cerebrum) maximè inflammatione. Inflammatio causam agnoscit materiam sanguineam tendentem & feruentem, bileque perfusam: *Causa.* si enim abesset sanguis, potiùs esset Erysipelas. sed Rhases dicit, notari ex rubedine oculorum. Quare fit à sanguine qui gerit flauam bilem, vel qui sociam habet vstam & atram; nam sanguinem melancholicum & pituitosum ab hac iniuria vindicamus. Sed vnde nata hæc influxio sanguinea parens inflammationis? tribus modis fluit humor, orgasmo, doloris vi, vel pars contiens exonerat se in contentam. Propterea dicimus, hanc inflammationem fieri transmissione, vel attractione. Si transmissione, igitur aderit pars suscipiens, & mittens, & ductus per quos ruit, & materia ipsa. Pars suscipiens, menynges vulnere debilitatæ, aut ortu à primo: si mala accesserit vitæ ratio. Ruit per venas & arterias. materia, est sanguis. Mittens, totum corpus cacochymia fœdatum. nam plethora non ita, nisi causæ inflammantes sanguinem accesserint, aut pars, vt iecur vrens sanguinem. Si menynx attrahit sanguinem, id fit dolore vel calore: inde corpora calentiora & sicca huic morbo exposita sunt in iuuenta, si victus ratio in vitio fuerit.

Cùm itaque Phrenitis sit symptoma quod oritur ab *Indicationes curatiuæ.* intemperie cerebri, orietur indicatio alterandi. cumque hæc sit calida & sicca intemperies, refrigerandum erit & madefaciendum. Sed quia intemperiei sociatur materia, euacuandum. materia auctor est inflamationis, in qua efflorescit vis caloris, ac vbertas sanguinis biliosi: quare temperandum & euacuandum. Materiæ morbificæ indoles hîc notanda in sub- *3. Epid. 3. 77.* stantia, qualitate, copia, & motu: nam cùm intemperies adsit cum causa, à causæ excisione auspicanda curatio. Materia si substantiâ in vitio sit, vt cùm venenum ferè spirat, aut si copia fatigat; euacuanda. si qualitate, alteranda. si motu, cogitandum de influxa, fluxura, & de ea quæ partim influxit & partim influit. Si influit, aderit indicatio reprimendi. Quòd si *A fluente.* partim irruat, & partim iam insedit, notabimus num in caput ruat emissa à toto corpore, vel à peculiari parte, aut congesta num sit in capite. A toto si irruat, illud euacuandum: & vt recessit humor à sanguine, ita parciùs educatur: vt, si pituita salsa mixta sit sanguini. si à parte, illa euacuanda, & reuocanda ad carceres hos erit, vnde profecta fuerat. si in capite congesta fuit, cucurbitis exsugenda. Flusa materia vel hæret venularum anfractibus, vel in aluos effusa est, aut imbibita poris in molem effert partem. In prima, deriuandum repellentibus: in aliis, resolutioni & scarificationi indulgendum. Cùm materia fluxura est, *A fluxura.* sese effundet vel attractione, vel translatione: vtraque erit reuellenda. Ratione doloris cùm prolectatur morbifica materia, ille mitigetur. si iniuria caloris, refrigeretur. A transmissione si irruat, occurrendum mittenti parti: propterea, totum corpus vel hepar refrigerantur interdum. Primùm tamen totum purgetur: nam materia orgasmo efferata est: & obnixè alterandum.

Ita

Ita à morbo, & causa morbifica elicitur remediorum census. iam ad alias indicationes pergendum. Num morbus in decursus sui principio aut medio versetur explorandum:& num ex idiopathia vel concordia affligat:an sit vera phrenitis.

D ein examinanda partis affectæ substantia, functio, conneaus, sensus, situs. menynges affliguntur (sensilis pars,) propterea miti medicamine percellendæ: sed leptomeriâ valeat: cranio enim tectæ sunt. cumque vnà cerebrum laborat, à stricto medicaminum algore abstinendum: nam & spiritus recreandi odoriferis:& palato naribusque ritè excludetur materia capite concepta.

Tandem indicatio à virtute ducta perpendatur: nam ea prostrata totam elicit ad se curam: valida, negligitur: medio modo affecta, altero oculo obseruatur. si breuis futura, tenuissimè habendi: nec coqui poterit materia, sed ilicò (quia effera) extrudenda. si aër incanduit æstu, strenuò agendum.

Phlebotomia. Ducta itaque indicatione à causa morbifica fluente & inflammatione, cùm affectus sit vehemens, valido remedio (quale est phlebotomia) opus erit: modò vires robustæ fuerint, sine infirmitatis metu. Propterea in hectica phrenitide, ab ea supersedendum. Sed qua copia? hæc indicatur à magnitudine morbi, copia sanguinis, & virtute. si succreuerit ex alio morbo (ob fractas vires) parciùs euacuetur. Si sanguinea fuerit, erit acuta, aut peracuta. si peracuta, ea ineunte, ad animi deliquium exhauriatur: nam septimum diem non excurrit, estque vehemens inflammatio, febris peracuta, & dolor summus: in his enim tribus historiis, non iunctim, Galenus dicit, se non inuenisse maius remedium euacuatione ad lipothymiam vsque. Verùm hæc tria, iunctim in phrenitide occurrunt: etenim caput & membranæ æstu inflammatorio ardent, febris intentissima, & summa doloris adest causa. Vires, robustæ esse possunt: nam sanguini mixta est materia morbifica. Si vires firmæ, ineunte morbo tales sunt: nam rarò alioqui pulsus eorum est magnus. admonet ob id Galenus, *periculosum esse ad lipothymiam elicere sanguinem.* & Aretæus scribit, *iuueni saginato cui venæ turgent, minus in Phrenitide detrahendum, quam si non phreniticus foret.* Optimum fuerit hac in re sequi consilium Hippocratis, qui in inflammatione lateris educit sanguinem ad coloris mutationem:non tamen hîc ad lipothymiam: euacuetur ad vncias quatuordecim. Quòd si maximè bilescat sanguis, suffecerint vnciæ sex, robustis decem: nam pharmaco postea opus erit. *Si à præcordiis,* inquit Aretæus, orta est, *audaciùs secandum*: nam fons sanguinis ibi habitat. Vnica vice hæc fiant:nam morbus non dat inducias. foramen angustum inferatur: pice oblinatur. Quo tempore? ilicò. nam dicit Auicenna, postea iniiciatur enema. & Rhases ait, antequam eluceant conspicuò signa phrenitidis; primo vel secundo die, inquit Aretæus: si quarto die phrenitis inuaserit, à septimo elapso pertundatur: si sexto vel septimo die, omittenda; nam est criticum illud delirium. Quæ vena secanda? hæc non in arbitrio nostro semper est. Aretæus mediam scindit: vel cephalica primò eligatur: quia partim influxit, & partim fluit humor. Si maxima sanguinis vbertate circumfluat, primò cephalica soluatur. sin parcior fuerit sanguinis copia, mediana pertundatur. sin adhuc sanguis minutior fuerit, feriatur basilica, hoc est, interna vena, axailiaris dicta. Vbi vena secari nequit, cucurbitulæ dorso & lumbis admoueantur. Si sit ab atrabilario sanguine, recludantur hæmorrhoides. Hirudines ponè aures & temporibus applica. morbo pergente ad vigorem, aperiatur

1. Aph. 1. & 13. & 1. aph. 13.

9. Meth. 3. & 10.

vena frontis. Tandem, interscapulio inanis cucurbitula imponatur, & vertici, cum scarificatu. Si à suppresso mēstruo, primò brachij recludatur vena; dein, pedis. vincula & frictiones crurū, auertūt à capite.

Quantum ad pharmaciam; si remittit se per accessiones, materia parari potest, & pharmaco educi. primò leniendum, perpetuoque irritanda aluus. si clysmis, ex lactuca. violaria, seminibus frigidis, cassia, oleo violarum, melle rosato. lactucæ frequens sit vsus in syrupis & decoctis: nam somnifera est, naturæ studet, & vnà cum morbo pugnat, ferocientemque materiam domat. Aquæ endiuiæ libra; succi granatorum acidorum, & dulcium, cuiusque vncia. sacchari selibra: fiat Iulep. ita citriorum & acetoso syrupo vtimur. Purgās; Electarij de succo rosarum, catholici. cuiusque drachmæ duæ: syrupi violati, & rosati, cuiusque semuncia: decocti hordei, vnciæ tres: fiat haustus. Aliud: Myrobalanorum citrinarum, & Indarum, drachmę duæ: coque in duabus libris aquæ violarum, ad dimidium: adde pruna decem, tamarindorum drachmas duas: iterū coque: expressioni adde mannæ sescunciam. Tandem ad causæ coniunctæ curationem veniendum. Hæc vel loco migrare potest, vel non. quæ migrare potest, in vicinis venis hæret, & nondum phlegmonem fecit, reprimatur oleo violaceo cum lacte muliebri. *Pharmacia.* *Causa coniuncta remedia.*

Cautio: ab aceti immodico vsu abstine: nam vigilias adfert & dolorem. sed sit ea copia, qua persuadere solùm remedium possit in locum affectum. Si materia foras fertur, non reprimenda erit: sufficit acetum naribus admouisse, & caput decocto maluarum fouisse. In initio sint frigida topica: in statu, mixta: in fine morbi, purè resoluentia. Assiduus eorum frigidarum vsus vitetur: ne in lethargum abeat. Primò vtemur oleo rosato completo, dein addemus chamæmelinum; tandem chamæmelino cum lilino & anethino. dein ad castorium & euphorbium venimus, & viuas columbas capiti imponimus: vel omentum calidum, calescat in sartagine cum oleo chamæmelino: vel pulmones bruti. æstate tepidè, hyeme calidè. Cùm maximè insaniunt, inquit Aretæus, maximè reprimendum: non autem hoc agendum initio. Suadet Aretæus, vt maxima cura sit humectandi thoracis, gratis rebus: nam ibi maximè æstuat calor. Topica præterea admouentur ad vigilias. Hic cauendum ab aceto, ob eius siccitatem: sed loco huius sit succus limonum. Opium non adhibeatur fronti aut temporibus, nisi valida sit virtus. opij, croci, singuli scrupuli: vini albi: aquæ rosatæ singulæ vnciæ: linteo admoue. à somno abluatur chamæmeli & anethi decocto. Lotiones instituuntur manuum: has descripsimus libro secundo. Commendat Aretæus serpillum; vel hederæ succum ex oleo, cum pauco aceto: nam difflant materiam crassam vigiliarum auctorem. Si à diaphragmate delirium est, oleo rosato completo illinatur, inquit Aretæus, cum conyza, anetho: & si inflatio adsit, adiice semina cymini, & apij. fiat cataplasma ex farina hordei, semine lini, fœnugræci, cum melle. *Cautiones.* *Vigilia.* *A dici phragmate.*

Victus: Aër lucem & tenebras intermedius sit. Si in luce quæ non sunt cernunt, aut alia pro aliis agnoscunt, aut si varias nouasque imagines accipiunt, obscuro loco contineantur. Picturæ absint, & extantes festucæ & flocci. Odor adsit caphoræ, ex aqua rosata, vel nymphææ. Phrenitidi non exactè acutæ, quæ excurrere potest in vigesimum diem, victus tenuis simpliciter conuenit, vt tota prisana. ad decimum quartum quæ effertur, huic vtilis erit prisanæ succus. ad septimum quæ sistitur, fruetur potu, cū pauco cremore prisanæ. quarto quæ finietur die, inedia illi cōmoda erit. Inclinato morbo, piscibus vtetur. Sit cibus madens & frigidus, hordeum, pruna, iuscula alterata *Diæta. Aër.* *Cibus.*

lactucâ, vel căpite aut ſeminibus papaueris & frigidis ſeminibus nodulo incluſis. lactucæ commendantur coctæ & aſperſæ ſaccharo violato.& cichoracea. Aretæus vtitur diureticis, malua, beta, apio, cucurbita.

Potus. A potu frigido actu abſtineat.vtatur iulapio ex granatis, ſyrupo violato, nymphææ, roſato, vel de ribes, cum aqua hordei. Aretæus vinum concedit, vbi atteri incipiunt vires; nam, inquit, inſaniam demulcet; emolleſcente animo, ira cadit: dabitur cùm trahitur morbus, & ignauâ febre. Si ſtomachus à bile mordetur, inquit Aretæus, ac areſcat ſiti, detur lac cum aqua, plenâ manu.

Quos odit, abſint; amica videat & audiat: nam animi placationes & turbationes hîc plurimùm poſſunt. Abſit ſtrepitus omnis; nam acutè audiunt, & ſtrepitu irritantur. Abſint picturæ; & læues ſint parietes: nam præ oculis falſa ſimulachra verſantur; hinc manus agitant, quòd propè eſſe eminentia exiſtiment. ſit cubile mediocre, vt nec volutari, nec delabi facilè poſſint. molli ſint lecto; id gratum neruis. Cuique vitiata, inquit Aretæus, ſomnum acceſſunt; nautis nauis odor, & ventorum turba. Ab his cauendum, ne barbæ lanienam inferant; ſimulant ſe ſanos. Liquida ſit aluus. fluat vrina: pubes foueatur decocto parietariæ, aſari, petroſelini, ex vino. ſumat fructus alkekengi. Cùm delirium miteſcente morbo in fatuitatem vertitur, nec dura ſunt præcordia, ſed ſi focus morbi in capite fuerit, ſæpe lauari debet caput: id facit corpus difflabile. ſiccitas obtundetur, ac mens ſtabilietur.

Si liceret caſum in conſilium vertere, ægros ſubitò & nihil tale cogitantes in ingentem cadum frigidæ plenum præcipitaremus, in caput peruolutos; nec eriperemus niſi poſt affatim hauſtam aquam. vt ſubita formidine tactis, ad infernas partes abriperetur materia morbifica. Sæpe vſu compertum, hos euaſiſſe, qui œſtro perciti phrenitidis, ſeſe in profluentem præcipitaſſent.

Hæc de vſu. Horum exemplo, facile cuique erit, reliquos morbos peculiarium partium, ex ductu Methodi tractare. quod ſummo Numine ocia nobis faciente, aliquando vberiùs perficiemus.

CAPVT XXX.

Examen ægrorum quo modo interrogari debeant.

IN remedia non præcipites ruemus, antequam hiſtoriam morbi ægrique naturam ac cæterarum indicationum vires accuratè examinauerimus: tutior vbique conſulta tarditas celeritate temeraria.

1\. Primo acceſſu rogabimus quamdiu morbo implicitus fuerit. Ex reſponſo facilè colligemus num breuis vel longus futurus ſit morbus: nam eius ſpeciem, morem, motum, partem affectam, humoris dominatum, & magnitudinem facilè animaduertemus, vt ritè victus ratio præſcribi poſſit, & remediorum vſus cautè iniri. Præterea inde nobis conſtabit, num neglecta fuerit occaſio medendi, & num ex curabili incurabilis morbus factus ſit.

2\. Aph.8.18. 2. Animalis facultas. Secundò, ex ægris quærendæ res naturales. Qua, dum ſanus eſſet, temperie fruerentur: vt quantùm ab ea mutatus ſit, in breui vel longo morbo, animaduertamus. Hoc vt certa ſerie fiat; primò indagabimus quo modo officium ſuum fecerint principes cerebri facultates, imaginatio, cogitatio, & memoria, dum valetudine bona frueretur homo: nam inde conſtabit quàm prolixè extra lineam abierint. Deinde de ſenſu, motu, ſomno, & vigiliis quæſtio ſit. Attamen non exquirite cuncta; ſed vt medicum admiretur, ac fidere illi diſcat, aliquid ingerendum quod non retulit. Nam cùm narrauit ſibi frequens ac ſolemne eſſe per ſanitatem ſuauis pituitæ ſputum, dicite, Veriſimile eſſe illum per ſanitatem altum dormire.

Tertiò veniendum ad naturales cerebri functiones: ſed quia illæ obſcuræ ſunt, indagandum erit, quamnam ideam excrementa gererent in ſubſtantia, qualitate, quantitate, tempore eiiciendi, & excernendi modo, dum nondum fracta eſſet valetudo. Et num ſolemnis euacuatio pituitæ aut ſanguinis ſuppreſſa ſit. Amplæ venæ cerebri calorem denotant. 3.

Quartò, de appetitu rogandum: num validè coquere ſoleat ventriculus, & an fatigari aſſuetus ſit flatu, ructu, nauſea, vomitu. hæc aperient moderationem genuinam ventriculi. Non quærite omnia, ſed ſi vrinam profuderit olim tenuem aqueam, affirmate eum à cibo grauari. Naturalis. 4.

Quintò, explorabimus œconomiam hepatis, qualis in ſanitate fuerit, num hęmatoſis ſui officij memor eſſe ſoleat; an bilis copioſè effluere aſſueuerit vomitu aut ſeceſſu, color flauus num faciem fœdarit, vel hæmorrhoïdes an non interdum efflóreſcere ſoleant, & num æſtuoſa vrina eſſe ſoleat. Cùm conueniunt ſymbola in calorem, narrabitis, arenulas cum flaua vrina emanare conſueuiſſe. Dein cura ſit de renibus. expiſcabimur nũ lumbi exardeſcere interdum illi ſoleant, dum incorrupta ſanitate frueretur; & num arenulas profundere ſolemne illi ſit: hæc enim calidorum renum ſymbola ſũt. ita ſi filamenta (qualia deſcripſit Hippocrates, quarti Aphoriſmorum ſeptuageſimo ſexto) cum vrina efferantur: ſunt enim ſoboles æſtuantium calore renum, qui pituitoſam exurunt materiam; vt in iis, inquit Galenus ibi, qui caſeo aut faba freſa liberaliùs veſcuntur. Quin inſuper notandum erit, quo modo veſica affecta eſſet, dum nondum fracta eſſet valetudo: nam exulcerata ſi fuit, ab ea fœdata vrina nullam ſignificationem morbi venoſi adferre poterit. 5.

Tandem inquirẽdum, qua vehementia facultas vitalis aſſueuerit, in ſanitate, ſuam functionem agere. num irâ præceps, blandus, triſtis, amori deditus. Pulſus, cùm à priſtina natura morbo abreptus ſit, decipit niſi vi morbi compertâ, quantùm à genuino motu degenerarit obſeruauerimus. vt ſi querela eſt de febre tertiana, pulſus autem tardior, infrequens, ac fractior ſi emicat; dubio procul, huic illabefactata in valetudine euenit pulſus languidus. referte cunctatorem hunc eſſe, nec animoſo impetu in conſiliorum ductu præditum fuiſſe. Vitalis. 6.

Tranſeundum poſtea erit ad res non naturales, & inueſtigandum qua modeſtia vſus ſit in rebus admouendis, faciendis, & ingerendis. cogitandum de aëre quo hactenus vſus fuit, de exercitiis & euacuationibus ſuppreſſis aut effluentibus, ſanitatis tempore. Res non naturales. 7.

Vltimò in examen ducemus res contra naturam: qua arte ac ſerie, id abundè indicauimus capite huius commentarij tertio. 8. Res contra naturam.

Sed (ne medicus, morbus fias ægro, nimio loquelæ tędio) non roga de illis cunctis. Verùm ex ore ægri morbiferam diſce partem, & explora ea quæ ad eius ſolius œconomiam ſpectant. ſi de capite querela ſit, fueritque id valida rubedine dehoneſtatum; vt percipiamus quantùm extra naturæ legem abierit, rogabimus num tam vultuoſa facie benè valens eſſet. interim de aliis membris ſilentium ſit: niſi ſuſpicio fuerit deconcordia: nam cùm contagiô ab alia parte hanc trahi metus eſt, æquè examinari debet. Si nihil horum morbum aperit, cùm tamen æger contabeſcat, animi ægritudo erit. Nihil hac calamitate vberius in morbos; ita vt Plato exiſtimarit, omnes morbos ex animo oriri. nam animi cura infirmum reſolubilemque efficit ſpiritum; etenim per anxietates anima

per

pèr seipsam mouetur. Sæpe ab amore hæc scabies & tabes inuadit. ac eam regunt ægri, & medicos ludunt & se lædunt. Quare stratagemate hîc opus est astuto, & cautè omnia perlustranda (nam inde certa laus) quô æger, qui se iam morti consecrauit, resecrari possit, nam, inquit Lucretius.

Lib 4.

Nec reperire malum id possunt quæ machina vincat:
Vsque adeò incerti tabescunt vulnere cæco.

Ita Hippocrates seruauit Perdiccam regem, cùm Phylam parentis pellicem deperiret, & Galenus quandam saltatoris amore tactam deprehendit. & Erasistratus, vt eleganter refert Plutarchus, comperit malum Antiochi, qui Stratonices nouercæ amore tabescebat, qua (prudenti consilio medici) volente Seleuco patre, potitus, euasit. Quare nihil æquè occultis quibusdam cuniculis demolitur valetudinem bonam, ac in mærore iacere. vnde Lucretius,

Plutarchus in vita Demetry.

Et dolor & morbus lethi fabricator vterque.

CAPVT XXXI.

Quo filo Consultationes sint ducendæ.

BOnus consultor, Inquit Isocrates, res omnium vtilissima & potentissima est. * τὸ γὰρ λέγειν ὡς δεῖ, τοῦ φρονεῖν εὖ μέγιστον σημεῖον ποιούμεθα. Hippocrates libro de veteri medicina, & Heraclitus in Epistola ad Amphidamantem lucidè ostendunt, vnum illud discriminare cautum doctumque ab ignauo medico, doctè de morbificis caufis, morbis, signis, & corporibus ægris differere. Nulla certè promptior ad gloriam via est quàm illa, quæ ducit rectum minimeque cespitantem pedem in hoc consiliorum forum: vbi, in corona doctissimorum hominum, eruditio multis antè comparata laboribus exsplendescit. Quid ibi tum quæso pulchrius, quàm filo certo ita cuncta trahere, vt consectaria quadam serie nexa simul in vnam historiam videantur: & interim validissimis rationibus suam munire sententiam, vnaque quæ à ratione & re aliena in diuersum abeunt debellare? certè hoc ad * εὐσχημοσύνην ἰητρικήν non parùm facit; illam dico, quæ in ægri salutem abit; dum lubenter se det illi medico, quem cæteris rerum notitia antecellere videt. Admiratio me sæpè tenuit de nostra gente, tantam rem tam negligenter admittere, cùm docta à consultatione abdita morbi idea, certaque ad salutem remedia se aperiant. Qua itaque arte hæc historia adeunda sit, breuiter tradam.

* hoc est, nam ex opportuna oratione, animi prudentiam cum maximo signo cognoscimus.
Vtilitas consultationum.
* dignitatem medicam.

Docuit olim Biantes, vnicum esse principium benè consultandi, nosse de quo instituatur oratio: sin secus, omnia aberrare necesse esse. Quod imitantes, affirmamus primùm omnium lustrandum esse de quanam materia & de quot rebus transigendum sit. vt si de solo symptomate, vel de sola caufa morbifica, aut de morbo solo sit transigendum; ne temerè extra lineam à proposita re abeamus. Si de pluribus, vndenam exordiendum, & in quid finiendum, nam series certusque rerum ductus conspicuam rebus affundit lucem. Et in hoc ductu illud studium adsit, vt firmis rationibus suam sententiam consultor stabiliat. Opus itaque erit materia, ordine, & probatione. Quare à materia de qua instituta est consultatio, nunquã longiùs abeat oratio: quin collineet perpetuò ad propositæ rei finem, & ad hæc quæ ad finem nos ducunt. Finis autem hic est cognitio, prædictio, & medicatio. Hæc signis elucescunt, quæ vnde duci debeant, clarè aperuimus capite quarto, vbi de euentibus morborum. Vt igitur aptam negocio materiam in theatrum hoc educamus, perspectum esse debet, cui personæ aptam deligemus, & ex quibusnam fontibus illa haurienda, & qua serie producenda; & si non stabilis satis, vt rationibus firmemus. Persona itaque cognita sit. Propterea qui primus dicet, ex fide historiam affectus præter naturam narrabit, accisis quæ ad rem non spectant. secundum eùm series ad dicendum euocat, silentium ei sit de historia: nisi quid magni momenti primo exciderit.

Secundò flectatur oratio ad *Res non naturales*: & narrandum qua diæta vsus fuerit in aëre, cibo, & potu, exercitio & ocio, somno & vigiliis, excernendis, & retinendis, admouendis, & venere. Hæc ea ratione proponuntur, vt quænam causa morbifica sit, inde eluceat: vel vt constet, quamnam temperiem corpus à consuetis rebus imbiberit. Quare hæc interdum commodè hoc loco omittuntur: & dum ad causarum & morborum indagationem ventum fuerit, in vsum vocantur. vt etiam si de conseruanda vel flectenda temperie agatur, viribusque stabiliendis, & vbi notandum, quantum à suo ortu deflexerit natiua temperies tempestiuè examinari possunt.

Res non naturales.

Tertiò filum orationis trahet ad *Res naturales*: loquela erit de natura communi & peculiari, in habitu, tẽperamento, & actionibus: & qua moderatione pars ægra dotata fuerit, & de eius vsu. Præterea quæ sit ægri ætas, consuetudo, ars, sexus; & qua facilitate, quóve labore medicationes ferat. Hæc eo fine, vt eluceat quantum abierit, & qua remedij copia ad redintegrationem temperiei opus sit: & quantæ adhuc vires ægri, & quales eæ sint huic morbo subiectæ. Propterea etiam hæc rerum naturalium historia poterit interdum hoc in loco supprimi, & vsibus suis admoueri: vt dum agimus de morbis, & caufis eorum: vt intelligamus quantùm ægri à lege suæ naturæ deflexerint, quantaque opus sit medelarum copia in morbi & causæ morbificæ accisione, & quo alimẽto ad virium restaurationem. nam sæpiùs in vsum prodire debent.

Res naturales.

Hîc obseruandum, non eodem ductu vbique his vtendum esse: Cùm enim peculiaris pars à morbo pressa languet, præteriri poterit totius corporis temperies, totaque cura in partem flectenda, quò eius natura pateat: aliter cùm febri implicitus iacet transigendum: nam totius temperies tunc excutienda. Et multa quæ in aperto sunt, quæque ad finem non faciunt, quem tunc collimamus, transilienda erunt. Si enim temperies partis in querela fuerit sola, temerè de eius figura, numero, situ, connexione, magnitudine, & conformatione, verba facies. rursus si hæc in vitio fuerint solùm, vanè de temperie partis ageres: nam diuersis morbis, diuersis præsidiis opus est. Et hic etiam id repeto, hanc cautionem adesse debere, ne semper de ægri temperie verba fiant: vt si morbus adsit, constante adhuc & infracta natiua temperie, quales sunt morbi in mala conformatione, magnitudine, numero. Quin potiùs hic de partium structura differendum foret. vt, si de luxata parte suspicio adesset: hîc vt noscamus num ea luxata sit, & quanam idea luxationis violata sit, opus erit indagine de natiua partis structura: at temperies hîc negligenda. Ita auctam præter naturam magnitudinem aucupamur; ex eo, si commiserimus ei quod eiusdem generis ex lege naturæ est: Et tunc solùm id agimus, cùm sine his, ea quæ præter naturam sunt, conspici nequeunt. Hoc dico in temperie, conformatione, & magnitudine labefactata locum habet. vt si dubites num febris adsit, & quanta ea sit. Quare tantum dicatur, cùm opus est, de natiua temperie, partisve conformatione, quantum satis est vt inde affectus præter naturam eluceat, & remedij quantitas captari

Notandum.

possit. vt si sanguis educendus; qua ille copia efferri debeat vt intelligamus: si pars luxata, quanta tractatione opus sit, quò redeat ad suum stabulum vt cognoscamus: vel vt inde explendescat quantæ sint virium opes. Nisi tamen ratione conseruationis diætæque instituendæ, de temperie etiam agendum esse existimes: nam tunc etiam, vbi mala conformatio vel magnitudo vitium fecit, hæc benè in proscenium hue educuntur. His itaque primùm prositis, vel potiùs (cùm sæpè postea causis morbificis, morbis, symptomatis, curationi & refectioni adhiberi debeant) prætermissis, ad res præter naturam abeundum.

Res præter naturam.

Quartò itaque, cùm historiam depinxerit sermo quæ tractanda venit communibus consiliis, priusquam fiant verba de remediis, primum negotium erit, accuratè de rebus præter naturam (hoc est de morbo, symptomatis, & causis morbificis) transigere: nam in his materia est, quam huic iam depictæ personæ, hoc est ægro, adhibemus. Morbus itaque, symptomata, & causæ morbificæ ita sermone nostro depingantur, & tali serie ob oculos ponantur, vt cuncti fateri cogantur, illum talem affectum esse. Id vt decenter fiat, vbi quæ profers difficultatem vel obscuritatem gerunt, probationibus illustranda, velaque quæ genuinam faciem tegebant abstrahenda. Inde fit, ne, cùm ad remedia ventum fuerit, titubet medicorum concordia. ex his enim non aptè distinctis, contrarium affectui remedium concordibus animis inferri nequit: hinc miseræ illæ concertationes apud ægros, nullo idem sentiente; cùm diuersas ad hypotheses collineent. At positis affectibus, vltrò sequentur contraria remedia: vel suam ignorantiam palàm dabunt indocti medici.

Hîc accuratè perpendendum de quanam re instituta sit consultatio: ne alienam à re materiam tractemus. nam interdum de solo symptomate initur consultatio: vt de dolore, vigiliis, viribus lapsis: interdum de causa morbifica, vt, num ea pharmaco vel sectione venæ adimi debeat, an potiùs vrinalibus. nonnunquam de solo morbo consilium initur. quin non rarò de omnibus his tribus verba habenda: de eorum, dico, natura, genere, differentiis, causis, euentibus, & partibus differendum: cumque sæpè hæc se latibulis abdant, notis peculiaribus notanda erunt. Quare videndum de quanam re instituta sit dissertatio: Nam primùm semper dicemus de ea, ad cuius deuictionem consultatio instituta fuit. vt si euocati fuerimus ad morbum debellandum, ab eo ducatur oratio: sin huc ventum ad symptomatis mitigationem, inde proficiscatur sermonis exordium. quòd si de morbificarum causarum accisione deliberatur, inde ducendum erit primum vestigium. sed si de omnibus quæ in querela sunt sit agendum, à morbo prima trahatur linea. Sed hi sæpe latent: quare signis eorum genera & differentias interdum aperire cogimur: hinc de symptomatis: tandem de causis, quæ etiam signorum notis internosci debent: quas (à Prædictione) commodè curatio excipiet.

Symptomata signa.

Sed cùm symptomata gemina se offerant facie; vel enim Morbo necessariò sunt consectaria, quæ alioqui nullum negocium faciunt in consultationibus, sed quæ solùm vt symbola & notas intuemur: Alia verò sunt, quæ vi sua opprimunt ferè ægros, & medicam manum euocant. de his vltimis, post morborum indagationem transigemus. sed illa priora, cùm signa morborum sint, ante, vel cum morbis ad calculum nostrum venient: quò ex illis deprehendatur morbus, vt docuimus huius libri capite tertio.

Itaque hoc filo incedat consultatio. Cùm hic homo nequeat vitæ suæ munia exercere, sine dubio aliquid præter naturam illum cepit. Quod autem præter naturam corpus habet, aut est Symptoma, Morbus, aut Causa morbifica. Si fuerit symptoma, hoc erit in actione, excremento, vel qualitate, à natura sua abreptis. His, tanquam signis, interdum latentes morbi deprehendi debent. quibus iam adde Res naturales, & non naturales: quod scilicet ea his omnibus, propositæ rei aliquam lucem adferre posse videtur. Hoc itaque loco in vnum censum colligi debent symptomata quæ elucent in oblato ægro: & maximè ea, quæ sua magnitudine medelam flagitare videntur. præterea recenseat quæ adsint causæ morbificæ, & qui premant morbi. Nec hîc iam solo nomine contenti erimus; sed ostendemus nobis cum morbo, vel symptomate, aut causa morbifica rem esse, vt si de Melancholia agendum sit; monstrabimus illam causam morbi esse, &, consectaneum mærorem, symptoma morbi esse ab intemperie cerebri.

Clarè itaque monstretur rationum ductu (modò dubia res fuerit) num hic affectus, de quo agitur, in morbum, symptoma, vel causam morbificam referri debeat: vt cunctis constet de qua re agatur, & quæ sit rei propositæ essentia, hoc est, num sermo sit de morbo, symptomate, vel causa.

Pars affecta num sympathiâ.

Hîc iam stylum vertat qui secundo loco dicet: vt vel ex morbo in causas, vel ex morbis in symptomata recurrat oratio. Postquam ad symptomata ventum est, vnà perlustrandum, num pars pressa symptomate ac morbo, idiopathiâ, hoc est, num proprio stabilique ex affectu ægrotet, id est, num in ea stabuletur morbi focus, vel num potiùs ea deuteropathia ægrotet: num scilicet id fiat ex concordia & contagione, aut ex diadosi. Cùm ex concordia, indagabimus num id eueniat generis similitudine, operis societate, aut vasorum cõmunione. quòd si per diadosin; num criticè, vel per metastasin. Cum hæc dubia fuerint, rationibus stabiliantur, quò rectè & genuina se palam dent facie. Si occurrerint quàm plurima symptomata, abducatur symptoma quod longiùs à morbo recessit, in aliud illi iunctius symptoma; sed postea in morbum abeant.

Morbi.

Deinde confestim properandum ad morbum: nam hic ille hostis est qui debellari debet. Qui si abditus fuerit, symbolis ac notis in lucem ponatur: vt quis ille sit intelligatur, & qualis sit morbus de quo consilium initur. Hoc facilè fiet ex perspecta demonstrataque eius essentia, in genere, differentiis, & speciebus, quarum causà varia initur curatio, temporibus eius, ac parte in qua stabulatur, num ea sit similaris vel organica, & quas actiones eius lædat. Vel, vt lucidius id dicam, cùm de morbo agimus, vt rectè ille depingatur, examinabimus eius essentiam, in genere, specie, magnitudine & paruitate, more, motu, tempore suæ historiæ, & parte obsessa.

Qua serie morbi examinandi sint.

Primò itaque, vt iam seriem posui, ad quodnam genus pertineat propositus morbus, examinabimus, quò rectè eius essentia definiri possit. num scilicet sit morbus in mala conformatione, magnitudine, numero, situ, vel tota substantia, aut in intemperie, vt febris ephemera, putrida, hectica. 1.

Cautio.

Hîc cautio adesse debet, ne flectamus cursum orationis in fusa illa nimisque ampla rerum genera, sed ad huic morbo dicatum genus ilicò properandum: imò ad speciem peculiarem promptè sermonem dimitte. Quæ si latitent, signis peculiaribus probetur ad hoc genus illamque ideam præsentem morbum pertinere. Et si is qui primus disseruit, non rectè hæc tractauerit, notis id monstretur, & demonstratione melior sententia stabiliatur.

Secundò, propositi morbi speciem indagabimus, II.
vt

vt num sit intemperies calida, vel humida & frigida: num febris continua, vel intermittens; simplex vel composita; mordax ad tactum, vel mitis.

III. Tertiò, eius magnitudinem & patuitatem examinabimus, vt num chronicus vel acutus: quod ex symptomatum magnitudine intelligimus: nam acuti morbi celeriter, continuò, & vehenter affligunt.

IV. Quartò, morem morbi perlustrabimus: num mali vel boni moris, dextri vel sinistri iudicij: ex hac vel illa causa natus: & in quo humorum dominatu.

V. Quintò, motum morbi propositi inquiremus: num sit continuus vel intermittens, ordinatus vel ordinis expers, æqualis aut inæqualis: motu num feratur vehementi, eontinuatoque & celeri, vel his aduerso num repat ductu.

VI. Sextò, tempus morbi perpendendum, per quod sui decursus vniuersale tempus iam morbus labatur, num iam in principio, augmento, vigore summo versetur; an potiùs iam inclinata sit eius vis. Si conspicuum fuerit id tempus, minimè opus erit vt notis eius præsentiam testemur. prætetea notandum, quando illud morbi tempus inceperit, quamdiu durauerit, & num periodis recrudescat. & quales sint periodorum & paroxysmorum tecursus, longi vel curti, graues vel leues, ordinatæ vel ordinis expertes, æquales vel inæquales: quo modo, & quo tempore paroxysmi inuadant, augeantur, vigeant, & cedant; & num simul vel seiunctim adoriantur, increscant, vigeant, decedant. Et quid fiat in omni paroxysmi parte; vt, si vomat ineunte paroxysmo ille æger qui tertianæ intermittenti implicitus iacet, indicatio adfertur inde, Tertianam versari in initio sui curriculi: sin paroxysmi vigor vomitu bilis exceperit, deferri Tertianam per statum vniuersalis suæ histotiæ denotabit. Ita considerabimus num horteat, frigeat, rigeat: & quamdiu durent hæc, quando sudore perfundatur: & num graue symptoma incurrat paroxysmi temporibus vt vigiliæ, syneope, hæmorrhagia, diarrhœa, & talia. & quo paroxysmi tempore hæc infestent: vel num toto paroxysmi decursu perennent. & in quod excretum finiat paroxysmus: vt num alui cedat fusione, aut sudorum eruptione. & num ad merum interuallum se demittat. an principium paroxysmi, augmentum, vigor, vel declinatio longiùs excurrant. Hæc si obscura, notis aperiemus, & æstimabimus nostram de his sententiam. Hæc quæ hactenus dixi ad morbi faciem dignoscendam, prudenter in vsum duci debent; nec enim eædem differentiæ in omnibus locum habent; & quæ habent, non negligendæ, maximè si curationi auxiliares videantur.

VII. Septimò, Partem affectam inuestigabimus: nam hæc ægrè omitti potest, dum differentias morborum recensemus. Perpendat igitur hic consultor, num totum corpus, vel pars tantùm peculiaris affligatur. & quid protopathia, quid deuteropathia, quid fugaci, quid recepto morbo ægrotet. quis morbi focus, quid leniùs perstringatur à morbo. num princeps aut publici muneris pars ægra sit. vbi hæreat morbus, an in abditis partibus, vel remediis expositis. Quòd si de parte tractandum fuerit, dum symptomata eluceantia in oblato ægro, causæ, & morbi in vnum censum colligerentur, hîc excludi eius historia poterit. Itaque ex his thecis, suis quasi coloribus depingi morbi debent, de quibus consultatio instituitur.

Vnde hae intelligantur. Cuncta autem hæc capita ex symptomatum accurato examine facilè intelligentur: vt, ex actionibus læsis, qualitatibus corporis mutatis, & excrementis fusis, aut strictis. Ex actionibus læsis, vt ex pulsu, ira, tristitia, metu, gaudio, vigiliis, somnis, motu corporis & animi; mentis constantia, & turbatione, imaginatione, cogitatione, memoria, respiratione. prætetea ex appetentia, retentione, coctione, expulsione, assimilatione: nutritione, venere, & cæteris animi corporisque functionibus. Ex mutato excremento, in substantia, qualitate, copia, tempore, excernendi modo, loco, & ordine. Qualitate ex mutata, vt colore, charactere, & mole, mollitie, duritie, sonis, odoribus, asperitate, lenitate, crassitie, tenuitate: & ex primis qualitatibus, vt calore: quemadmodum hæc lucidè in vsum vertimus capite huius libri tertio: ibi docuimus, qua arte ipse morbus deprehendi debeat.

Sed cùm innumeræ ex his fontibus notæ fluant, ab eo genere auspicandum erit, quod euidentiores præbet notas. Et, si res paucis signis ostendi poterit, immediata solùm & propria ponend a ridiculum enim rem conspicuam, plurium symbolorum euocatione, efficaciter probare velle. Vbi verò res obscura, lucem adfer per omnia genera eundo. Ea tamen cautione, vt vniuersum genus, ex quo otsi, excutiamus diligenter, ne pedem referre tandem ad eadem cogamur. Dein ad reliqua transibimus proxima, quæ cadem fide excutiemus. Quin vbique timabimur quænam ex his aptè in vsum propositæ historiæ duci possint: non enim omnibus omnia apta sunt. *Vnde incohandum.*

Hactenus de morbo; nunc ad symptomata venio: quæ, ob insignem qua vehuntur magnitudinẽ, sui mitigationem efflagitant: quæ non notatum idea consideramus, sed ab vrgente vi. Siue de his separatim, siue consociatis morbo transigendum sit, primùm symptomatis explicetur natura, dein genera, differentiæ, causæ, & quid euenturum denuncient: & si sæua, quo modo fiant demulcenda. *Symptomata cura.*

Actionis symptoma vt tractandum. I. Primò itaque Symptomatis genus exploretur. num sit actio læsa naturalis, vitalis, aut animalis: & quo modo sit actio læsa; num scilicet ea abolita, fracta, vel ita corrupta vt aliena ab officio faciat: vel an sit qualitas mutata, aut excrementum. Vt si prostratus iaceat homo ab Apoplexia: hic quia nec sensus vllus, nec motus officium suũ facit; animalis actio læsa erit, & adeò, vt omninò ablata & quasi intermortua videatur. Sin doleat quis: dolor cùm sit actio animalis læsa, vel saltem passio tristis operationis animalis facultatis, medicè ad deprauatam actionem animalem refertur. Nam qualitas rei dolorificæ impressa sensoriis instrumentis; communicatur sensui communi. qui sensus quasi testantur se affici eo modo, quo non deberent, & ea simulachra sibi insculpta adferre sensui communi quæ non deberent, sed praua & à fine officioque suo aliena. Hic autem sensus communis indicat passiones factas in sensoriis, vnde affectio illa molesta nascitur in mente, quam dolorem vocamus.

Secundò Differentiæ enumerentur eæ, quæ in consultatione locum habent. vt, plurimæ sunt dolorum differentiæ ratione partis obsessæ, & materiæ morbificæ, vt diximus libri huius capite tertio. & quænam doloris idea hîc in vitio sit, notandum, & num perennet dolor, vel potiùs periodis recrudescat. & qua maximè morbi vel paroxysmi parte incrudescat, aut cadat dolor, vel num temerè incurrat. & an secum alia trahat, vt delirij metum à vigiliis. II.

Tertiò, Causa symptomatis peruestigetur. vt doloris proxima causa est solutio continui, quæ ex omnibus violentis rebus foris & intùs inuadit. Ita Apoplexiæ causa est, spirituum animalium prohibitus ad neruos aditus. Euentuum autem vt ineunda sit ratio, aperuimus, vbi de prognosi egimus. III.

Excretionis symptoma vt tractandum. I. Hæc de symptomatis actionum: nunc ad excrementorum venio. Primò genus excretionis proponatur. vt num sudor, sanguis, bilis, pituita, pus, ichor, semen, cibus, lũbrici, pinguedines, fæces, ramenta, calculi, & cętera talia. Secundò, differentias proponemus ab excrementi II.

excrementi substanti a, qualitate, copia, excernendi tempore, modo, & ordine: & per quæ loca efferatur, & à quibus in quæ loca effundatur, num continens pars in contentam elidat suos succos, vel è diuerso.

En substantia. 1. *Ex sustantia*; vt nũ ex naturæ lege se substantia habeat, vel monstri quid gerat. num purus putusque sit succus, vel aliis substantiis perfusus: boc est, quænam in effusis substantiis differentiæ eluceant. vt si ex dysenteria laboret quis, videndum num sanguis merus, vel socia cum bile extundatur, aut putri cum pituita, pure, ramentis.

Ex qualitate. 2. Dein Qualitas in examen veniat: num excrementum calidum, frigidum, humidum, siccum: & secundæ qualitates, vt tactiles, num durum, molle; mordax; lentum, friabile; crassum, tenue; asperum, læue: Et visui expositos colores notabit, num diuersis coloribus varium sit; vel vno colore conspicuum: odorem etiam notabit, num fœteat: quin si ore fundatur excrementum, qnid saporis referat, num amarorem, dulcorem, salsedinem, acorem, & talia. Vt si in dysenteria, bili affusus sanguis feratur: ibi notabimus, num feruore suo vrat dum labitur: num splendeat atro purpureóve colore; & num bilis flaua sit, aut ichorosa, an graueolens.

Ex quantitate. 3. *Copiam* deinde eacrementi notabit, vt in dysenteria, num repetitis vicibus, accisáque copia excretio fatiget: vel nnm valida sanguinis copia ruat.

Ex modo excernendi. 4. *Excernendi etiam modum* animaduertet. vt num flatu sonoro prosiliat eacrementum; vel an leni promanet ductu: num confertim, vel repetitis excretionibus: & nnm modò liberali manu, modò accisa effundatur copia: num facilè vel ægrè efferatur, prodromo vel consectario cum dolore: vltrò num exigatur, vel ab arte: num cum signis pepasmi eriticè, vel symptomaticè, ita num tussiendo expectorarit quid, vel screa-en, aut vomitu, affatim, sensim: vt, num in dysenteria affatim excludatur bilis, at sanguis lentè: & si à torminibus ilicò eacernatur saoguis, ex intestinis is effluit: sed bilis diu pôst euehetur, quia ab hepate totoque eliditur cnrpore.

Ex tempore excretionis. 5. *Quo tempore excernatur* etiam rimabitur: vt num perpetuò effluat, vel periodis certis, aut incertis; num critico die: num in paroxysmis: & in qua morbi ætate; num recens, vel nuper nata affectio excretoria; & qnando incubuerit, & quamdiu perennarit: & num alij morbo consectaria sit, vel ilico inuaserit. & quanto tempore excludatur excrementum. & num maior copia à pastu, per dysenteriam, elidatur.

Ex ordine exclusionis. 6. *Ordo exclusionis* etiam peruestigetur: vt, quid priùs, quid posteriùs, prodierit; quid simul: vel num nullus ordo in his seruetur. quemadmodum si in dysenteria primùm ab intestino effundatur sanguis, dein bilis ab hepate.

Per quæ loca. 7. Examinabimus etiam per quas vias excrementum effundatur: num ei parti, vnde effluunt, κατ' ἴξιν rectáve vasorum ductu respondeant: & num natura duce eò viam affectet humor: & an feratur per loca lege naturæ consentanea, nec ea euentu dissentanea. vt si hæmorrhagia tentetur bomo; inquiremus num ea fiat per venas, arterias, hæmorrhoïdes.

A quibus in quæ. 8. Quin etiam perlustrabimus à qnibus locis in quæ transferatur humor: num à toto corpore in partem aliquam ruat; foras intus, sursum deorsum: in partem num se effundat principem, vel ignobilem, ægram vel fortem; internam, vel foris positam, vel alio sitam modo: in partem raram, vel densam; mollem, vel duram, aliàve ratione fabricatam; neruosam. vt si sedes sanguinem fundat: videndum num is ea hepate, liene, intestinis, vel ex toto corpore, vt in mutilis euenit, effluat.

In quid mutatur. 9. Tandem videbimus à qua idea, in quem characterem abeat excrementum: num eandem faciem præsentia gerant cum præteritis: vel in quæ mutata. Has classes sequemur, dum symptoma sit effusum præter naturam excrementum.

De excremento retento. Iam de excremento præter naturam retento videamus quid dicendum. Eius erit lustranda substantia, qualitas, copia, modus & forma retentionis, tempus, ordo, loci, & à quibus in quæ loca feratur.

Substantia. 1. *Substantiam* suppressi excrementi examinabimus, vt, num retineatur vtile aut inutile excrementum; alimentarium, vel excrementitium, totoque genere præter naturam: Quemadmodum si menses in menstruali muliere, vbi nec ingrauidationis, aut peruersi vteri excusatio adferri potest, neque lactationis, vel antecti morbi, supprimantur, toto genere præter naturam erunt: & quò diutiùs cunctatur in corpore, hoc peiori putredine afficietur saoguis ille. ita, inquit Hippocrates in Coacis, dysenteria quæ ἀκαίρως, hoc est, intempestiuè sistitur, apostema facit in lateribus atque visceribus, vnde pleuritides, peripneumoniæ, hepatis inflammationes, dum in corpore detentus nequam sanguis, in vastissimam putredinem abripitur.

Qualitas. 2. *Qualitatem* etiam excrementi repressi intuebimur: cuius generis sit: an ex iis quæ ad visum, gustum, odoratum, auditum, vel tactum pertineat. & num ea simplex, vel composita qualitas: & an toto genere præter naturam sit. Dein eius species, num sit valida, vel remissa qualitas.

Quantitas. 3. *Copia* etiam, qua excrementum retineatur, peruestigandum.

Modus retentionis. 4. *Modus & forma* retentionis etiam comperta sit: vt num sensim & per vices repressum fuerit eacrementum, vel an confertim. Ita menses nulla naturæ lege subitò suum officium negant: quin potiùs sensim, eoque filo quo adire in succi plena ætate cœperant, abitum moliri in affecta ætate debebant. Et perlustrandum qua abierint forma: vt num cum euphoria, criticè vel symptomaticè: num facilè, vel ægrè retineatur: κατὰ τὸ εὐλάβειον, vel non: an nonnunquam emicent, vel repressa in corpore abdantur.

Tempus. 5. *Tempus* etiam notandum quando solemnis aliqua vacuatio cohiberi cœperit; & num per internalla redeat, vel non: & num vi morbi, vel vltrò repressum fuerit: qua morbi ætate intercipi cœperit, & quamdiu iam substiterit.

Ordo. 6. *Ordo* suppressionis etiam in aperto esse debet: vt si plurima eacrementa exitum non habeant, quid tunc primò, quid deinceps suppressum fuerit.

Loci. 7. *Loci* quoque animaduertendi corporis in quibus illa retinentur: vt num toto fundant se corpore, vel num in parte aliqna stabulentur.

Ex quibus locis in quæ. 8. Tandem notabimus *ex quibusnam partibus in quas* fiat translatio recrementi. vt si supprimatur dysenterica effusio bilis quæ à toto manabat, & spasmum, febrim, delirium succedanea habeat: hæc euenient, quòd ad caput, neruos, & cor transferatur inquinatum hoc excrementum.

Hactenus examinauimus quo modo symptomata actionis læsæ, & eacrementorum sint perlustranda: iam ad vltimum genus symptomatum, quod in qualitate mutata, accedo. Hic expendemus cuius hæc qualitas sit generis, & speciei. *Qualitatum symptomata. Genus.* Genus, quale id visu, gustu, odoratu, auditu, vel tactu percipiatur. an simplex vel composita sit qualitas: & num toto genere extra naturæ lineam abierit. *Species.* Species qualitatis; vt, quàm valida sit: quis inuasionis modus, num subitò inuaserit, vel pedetentim irrepserit: & quo tempore effloruerit; num nuper, vel olim obnata; & quo morbi tempore: num succedanea morbo sit, & cui, vel num ante morbi insultum adfuerit: num fixa stabilísque perseueret, vel num vaga sit: si fugax, quo morbi & paroxysmi

tempore

tempore elucescat : num criticis diebus explendescat: an decrescat : an tunc efferetur cùm excrementa non exiguntur, vel è diuerso : & ex quibus in quæ serpat : & an qualitas naturæ genio peculiaris, longè à sua natura degeneret : præterea quasnam partes occupet qualitas mutata, publicas vel priuatas, & quot: & num æquè cunctas affligat: in qua parte primùm enituerit, & à qua parte proficiscatur.

Repetitio & alia causarũ symptomatũ indagatio. Sed quia nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur, lubet iterum stylum reuocare ad symptomata, & alium campum ad noua curricula aperire : vt polydædala quadam varietate liceat consultationes easdem in diuersas vertere facies: vtque is qui tertio vel quarto loco dicet, non priorum filo ignauè duci videatur. Et miram gratiam, causarum remotarum & vicinarum symptomatum subtilis serieque ducta peruestigatio, consultationibus afflare solet. Quare iam iterum, sed alio ductu, actum agamus, at, vt spero annuentibus gratiis; & de causis remotis & vicinis symptomatum, quibus argumentis illæ deprehendantur, enarremus.

Symptomata sunt triplicia; in actione læsa, excrementis, & mutata qualitate. Horum causæ quibus notis inuestigandæ sint, iam videamus : ab illis orsi quæ ad actiones pertinent. *Actionum symptomatum causa.* Hæ causæ ducuntur à facultate, (quæ actionis est causa,) instrumento (quo fit actio) communi, vel proprio; agente (quod lædit actionem;) materia, subiecto, causa sine qua non, fine.

I. *A facultate.* Primò itaque elucet causa symptomatis ab affecta facultate ipsa, quæ actionis alioqui probæ causa esse solet : dum perpendimus quænam causa illam in tale symptoma abripere consueuerit. Vt si animalis soluatur motus & sensus : id ex materia ignaua, & frigida humidaque erit, quæ robur neruorum soluit, aditumque spiritus quæ intercipit; vel ex eorum angustia, ex pressione incumbentis molis; aut obstructionem faciente materia: talis est pituita, vel melancholia. Sin in motum deprauatum concitetur facultas, vt per deliria, à bile erit, vel aeri succo: si mœror & metus adsit, à melancholia erit. frequens si incidat lipothymia, facultas vitalis oppressa indicat se à venenata aura oppugnari.

II. *Ex instrumentis.* Secundò conspicua redditur causa symptomatis ex instrumento per quod dimittitur ipsa facultas, & quo fit actio quæ iam læditur. Hic itaque notamus, quænam causa sit quæ hoc instrumentum in tale abripiat symptoma. Quemadmodum si instrumentum commune, vt calidum natiuum titubet; quod cùm sit coctionis auctor, cruditatibus & flatibus percelletur; & cùm nihil exhauriatur, inappetentiam consectariam habebit. Vel proprio affecto instrumento fiunt symptomata : vt neruo resoluto, vel abscisso, vel obstructo appetentia fraudabitur homo : & sensu & motu. Ita nutritio non fiet obstructis venis, nec viuet pars arteriis infarctis.

III. *Ex agente.* Tertiò modum ac ideam symptomatis perpendemus, vt ex ea facie agentem causam deprehendamus quæ talis symptomatis auctor esse solet. Vt num talia à calore, frigore, humore, vel siccitate enascantur : & quæ res non naturales, & naturales promptè præbeant & ferant talia symptomata. Vt si calidum natiuum non rectè mitiget cibum, nec digerat & exhauriat per corpus; si ocium nihil excutiat, & reliqua si segnescant quæ à naturæ primordiis & aduentitiis rebus corpus inanire solent, appetitum prosternent : argumento sunt res cunctæ his contrariæ, quæ alacres in cibos faciunt.

Notandum. In his illud obseruabile est, vt perpetuò ab immediatis ad eas quæ sunt à suis effectibus remotissimæ (cùm iam deprehensæ fuerint) excurrat oratio: nam inuenta & ablata effectrice causa, quæ cæteras primùm concitat, cæteræ consectariæ cum sociis morbis & symptomatis delentur. Vt si quis colicis à doloribus fatigetur, tensis intestinis sine pondere, quod nobis argumento erit id oriri à crudis flatibus : qui gignuntur, quia rectè non coquuntur ea quæ ingeruntur : non coquuntur, quia fructus crudi plena manu ingeruntur, & in ocio vita hos non vincit. Hic qui velit medicinam rectè facere, fructus & ocium auferat : dein conceptam materiam expurget, & intestina ventriculumque roboret. Et, ex his patebit quæ sit causa colici doloris : cùm enim crudus succus, igitur non venenum, non bilis, nec inflammatio, aut sensus exquisitior, nec ob aluum strictiorem, aut intemperiem.

Sed ad rem ipsam : itaque ex symptomatis idea causam morbificam captabimus. ita bilis sanguini intermixta acerbiorem dolorem præbet, quàm si pituitosu. id ageret sanguis : at venenum acerrimi doloris auctor esse solet; bilis mordendo, flatus tendendo, materia grauando : flatus, sine socia grauedine dolores inuehunt.

IV. *Ex materia.* *Materia* etiam prodit maximam symptomatis causam : vt si luxuriet toto corpore viscosus succus, deinde langueat mole, colore, & sensu pars, non vana suspicio erit crassam materiam, interceptis meatibus, aditu excludere spiritus ad artus, quos alioqui nectare illo viuifico rigarent.

V. *Ex subiecto.* Quintò causam venabimur symptomatis ex subiecto in quo hæret symptoma, ex quo intelligemus quanam ex causa maximè in tale symptoma abduci soleat. vt si appetitus fractus langueat, erit sine dubio ventriculi os in vitio : & maximè hoc illi euenire solet, à pituitosa qua occupatur materia; vel si maligna adsit febris, ab aura veneno delibuta, vel à prauis succis, aut temperie vastata. Sed quia ventriculus ad publicum officium facta pars est, in qua vis facultatia illata, tanquam in proprio instrumento exercetur, notandum erit, num facultas accisa, aut intercepta eò conferatur, vel quia totũ reliquum corpus nõ exhauritur, cùm inde sit hæc profecta molestia. Et causa varij doloris est subiectum varium : nam aliter dolet neruus, aliter membrana, aliter caro, cùm è bile, vel alia causa occupantur. *Causa sine qua.* Causa etiam sine qua non læditur actio, à tali causa notanda erit: & etiam causa cum qua. vt sensus quamuis dolorem non faciat, sine eo tamen dolor gigni nequit: vt os si affligatur, non dolebit.

VI. *Finis.* Finem in his si velimus, videbimus quid tali symptomati consectariam sit. vt à doloribus fiunt acriores succi, hinc vigiliæ, deliria, & mortes : quare perpendemus in quosnam euentus abducere rem soleat illud symptoma : & illi euentus quam agnoscant causam.

Obseruanda. In his omnibus perpendemus quot modis quæque horum in vitio esse possint; & quot rationibus ab aliis labefactari, & à quibus possint. Et quotuplicia sint ea quæ iam in hac historia tractas : etenim non omnes hi loci in cunctis symptomatis locum habent. Et contraria etiam enumera : vt inde natura recreetur, & neoterismum faciat : & vnà dicas, quidnam id sit, quod cum eo, quod à te positum est, pugnat. Primùm itaque definias symptoma; vt elucear quidnam illud sit : vel immediatam, id est, coniunctam eius causam expone, & eam sine qua non. Quemadmodum si doloris causam rimari voluerimus, dicemus, cùm dolor sit perceptio rei naturæ tristis, necessa itaque est vt duæ adsint causæ ad eius fabricam, nempe perceptio, & id quod percipitur. Perceptione opus est: nam qui non percipiunt, vt his euenit quibus mens ægrotat, quamuis doloris causa adsit, dolorem tamen

non ſentiunt:opus enim eſt facultate, vt ſenſu communi iudicante:& causa ſine qua non, vt ſenſu peculiari;& inſtrumento,vt neruo;& ſubiecto, vt carne, vel membrana : ita & idea dolotifica rectè feretur ad ſenſum communem. Quemadmodum ſi os frangatur, non dolebit homo: quia non ſentit, nec inde ſenſus ideam concipit quam perferat ad communem ſenſum:nam in oſſe ſenſus abeſt. Ita ſi effœta fuerit neruorum vis, adeò vt ſenſifica vis ad partem,quæ doloris cauſam habet,non traducatur : ſine neruorum beneficio non fiet ſenſio; quemadmodum in paralyticis euenit. Præterea opus eſt cauſa dolorifica à qua ſenſus afficiatur,qui acceptam ideam ad ſenſum communem transferat, quò illam percipiat. Nec ſatis eſt ad efficiendum dolorem vt ſenſus afficiatur, ſed à cauſa dolorifica neceſſe eſt vt id fiat. Cauſa autem dolorifica eſt omnis illa quæ violenter affligit ſenſū, & affatim quæ incurgit,ita vt laceret continuū:vt calor,frigus,dura,grauia,craſſa,pungentia, incidentia, vulnerantia,erodentia, tendentia. Præterea opus eſt vt id quod afficitur à cauſa dolotifica, ſit ſubiectum quod ſentire poteſt; non autem os, quod non dolet & inſtrumento etiam opus eſt;vt,ſi ſentit,opus erit neruis: ſi nutrietur,venis:ſi viuet, arteriis. In dolore itaque facultas iudicium dabit huius cauſæ dolorificæ quæ ita ſenſum affligit,& quæ peculiariter illam functionem,nempe animalem,non autem vitalem, aut naturalem : vt ſcilicet eam perceperit, acrem, quæ à bile : obtuſum, quæ à pituita : tendentem, à flatu,vel à copia:ardentem, à retorrida materia,& cauſa calida.

Excrementorum. ſymptomata. Cauſa repreſſi excrementi. Ita eaaminari debent ea ſymptomata quæ in actione eueniunt : iam de his ſymptomatis quæ in excrementis fuſis, vel retentis. Eotum à coniuncta cauſa orſi, ad omnium cauſarum inueſtigationem proficiſcemur. Vt ſi retineatur quid præter naturam,luſtrabimus quid illud ſit,& cauſam efficientem notabimus, vnde ſiccius minuſque meabile illud fiat, & cur parciùs effluat : num à facultate corporis rebuſque naturalibus non ritè compoſitis, aut rectè temperatis : vt qui habent diaphoreticum corpus, aluum habent ſiccam. Et inſtrumenta quibus ad eaeretionem opus eſt num afficiantur : vt renes calculis, inde ſiſtitur vrina: vel ſuis modis veſica in vitio eſt:vel tranfertur vrina ad aluum:vel ſudoribus eacluditur. Præterea animaduertemus vnde illa ita lædentur in hoc ſymptomate quod tractamus : & quæ ſint cauſæ ſine quibus non: vt ſi ille cui tardat aluus,ſederit in ſaao frigido : & materia ſi non præſto ſit, vt bilis, ad alui deiectionem. *Subiectum.* Subiectum, vt inteſtinum, ſi periſtaltico motu feratur. *Cauſa ſine qua.* Cauſa ſine qua non,vt expultria ſi titubet:& vnde ea plerumque langueat. *Inſtrumentum.* Inſtrumentum, vt ſi venæ in lotium materiam abripiant, ita aluum vehiculo fraudabunt. *Facultas.* Facultas ſi langueat, ita vt non appetat, non fiet eacretio, materiæ eacutiendæ inopia.

Exemplum. Eaemplum ponamus vrinam interceptam : Hæc non emanat, quòd nullus liquor in veſicam labitur:id fit vel quia potum non ineunt, aut longè quà m decet parciùs:potus autem inappetentes ſunt, quòd ſint ſitis eapertes,ob læſam facultatem:illa autem læditur,ſoluta ventriculi tempetie : quod in hoc ſymptomate fit ab humore & frigore. Vel quamuis potent, quia accipiunt liquorem minùs vrinalem, qualis eſt Gedana ceruiſia. Vel inſtrumenta in vitio ſunt vt obſtructi à calculis renes, vel veſica : vel ſi renes non trahant:aut ſi omnes venæ à ſiccitate conniueant. Aut cauſæ agentes talem pariunt ſiccitatem,vt nihil ad renes alluat,ſed omnis mador tenues euaneſcit in auras: & transfuſione in ſudores, aut alui fluaum abripitur: vel mitior vrina non ſtimulat veſicæ excretricem vim. Cauſa autem ſine qua non:vt ſi in repreſſa vrina ſphincter veſicæ validiſſimè conniueat : vt ab inflammatione vel quòd diu in ſaxo frigido ſederit. Subiectum, vt veſica, quæ ſoluta acrimoniam pungentem vrinæ non ſentit, languetque eius excretria.

Excrementū fuſum. Facultas. Eacrementum autem ſi fundatur, etiam ſuas cauſas habet. vt facultatem irritatam eacretricem, vel labefactatam concoctricem, quæ non digerit, vt ſi hepar non trahat morbo implicitum, nec ventriculus coquat : aut labefactatam exeretricem. *Materia.* Materia etiam vberior ſtudet huic copiæ; vt cùm aliunde affunditur materia. *Efficiens.* Efficiens quoque cauſa fœcunda interdum eſt in hunc eacrementorum fluaum:ita potus liberalior, & auſter vrinam augere ſolent. *Subiectum.* Subiectum etiam quod talia eacrementa excipit, eorum ad incrementa facit : vt inteſtina ab intemperie fracta non retinent ſibi concredita eacrementa. *Inſtrumenta.* Inſtrumenta his adde: vt ſi fuerint venarum viæ laxæ,vberrimam vrinam profundent renes : ſi ſtrictæ, aluus liberaliùs ſe in fluxum præcipitabit. His iunge cauſas : ſine quibus non.

Qualitatum mutatarum cauſa. Facultas. Vltimò cauſæ qualitatum præter naturæ legem mutatarum reſtant. Vt ſi quis in cute nigras cum duritie maculas habeat:coniuncta cauſa harum erit ſuccus melancholicus in cutem effuſus. Facultas hîc poterit in vitio eſſe, quæ non excreuit à ſanguine talem ſuccum: vel quòd copioſiùs talem generauit:aut alioqui facultas eum, iam ſecretum, eò ablegauit. *Efficiens.* Efficiens cauſa eius ſucci, eſt lienis titubans vis, quæ non rectè craſſiorem ſanguinem eaſugit, ob intemperiem, vel ſi quid aſſumptum fuerit quod in nigredinem poſtea abripit ſanguinem inde genitum : vt qui à carne indutata genitus eſt ſanguis, poſtea talem characterem trahit, dum in remotas partes abiit. *Materia.* Materia eſt ſanguis craſſior. *Cauſa ſine qua.* Cauſa ſine qua non, eſt ſucci grauitas & craſſities, cui excretria non eſt par; quare aluo eacuti non potuit. *Inſtrumenta.* Inſtrumenta: quia illæ viæ per quas efferri deberet ad inteſtina, ſunt infarctu interceptæ. *Subiectum.* Subiectum:vt crus liuore tinctum: eò quòd excuſſa fuerit materia, ob partis eacipientis imbecillitatem.

Cauſa morborum vt internoſcenda. Hactenus monſtrauimus quibus indiciis, morborum & ſymptomatum eſſentiæ & differentiæ deprehendantur : iam ordo nos trahit vt ea quibus theſis ſymbola cauſæ morbificæ, & deinde ſymptomatum trahi debeant, doceamus. res vtilis curationi & præſagiis. Rimabimur itaque quænam ſit morbi cauſa formalis, efficiens & inſtrumentalis, materialis, & vbinam ſit eius focus, cauſæ cum quibus, & cauſæ ſine quibus. Et quemque morbum in ſuam cauſam refundemus.

Formalis. *Formalem* itaque in primis aucupabimur cauſam morbificam : vt, num illa peculiariter moderationem partis ſoluat, vt ſiccando, indurando, cæteriſque qualitatum ideis. aut totam corporis œconomiæ ſubſtantiam labefactando; vt aura illa Babylonica: *Hiſtoria mira.* etenim apud Babyloniam in Apollinis templo auream miræ vetuſtatis arculam quandoque compertam legimus, ex qua conſciſſa vis peſtilentis ac pernicioſiſſimi aëris ſeſe profuderit, vt difflatus non eos modò qui aderant, venenoſa ac lethali infectos tabe conficeret, ſed peſtifera incredibilique poteſtate graſſatus longè lateque, etiam Parthos afflaret. Refert etiā Ammianus Marcellinus M. Antonini & Veri tēporibus, apud Seleuciam poſt direptum templum & perlatum Apollinis ſimulachrum Romam, fuiſſe à militibus inuentum anguſtum foramen, quod prius Chaldæorum vates occluſiſſent : Eoque militari auiditate reſerato, letiferum atrocemque adeò vaporem eaſiliiſſe, vt funeſtum malum ac teterrimum à Perſarum finibus in Gallias vſque furens ſit debacchatum. mira cauſæ lethalis ſubſtantia. Interdum conformationem

nem vel magnitudiuem partis violat formalis causa morbi : vt tumoris causa proxima in inflammatione est pororum à sanguine peruasio, quæ non simplicem phlogosin , sed phlegmonem præbet.

Efficiens.

Adhibebimus etiam mentem ad causam efficientem : quo exploratum nobis sit quid morbum procreet, augeat, constituat, foueat (vt impuritas corporis) & ad incrementa prouehat : & quid illam frenet ac tollat : vnde causa nata , & quæ eius occasio : vt tertianam febrem bilis procreat , hanc auget aromatum vsus : & eam fouet strictior aluus , & æstu flagrans cælum , ira ; quin etiam constitutiones cæli extraordinariæ , vnde , vt mox dicemus , τὸ θεῖον illi inesse poterit. Ad hanc causam etiam pertinent res ex primis naturæ primordiis nobis ingenitæ , vt temperies, habitus, humorum dominatus, ætas , sexus , animi mores , & res non naturales , vt diæta, consuetudo, & talia quæ causas morbificas & earum vim monstrant.

Materialis causa.

Expendemus etiam quænam materialis causa morbifica in vitio sit : vt viscida materia copiosa , diuturnam querelam adfert: crapula : nam à rebus non naturalibus harum causarum idea etiam elucet. & etiam animum admouebimus , vt intelligamus, vbinam huius materiæ sit focus , & quodnam subiectum sit , in quo morbum committat : vt catarrhi materia in capite , præcipitat se in artus imbelliores , vnde arthritis; vel in pulmones, vnde asthma.

Causa cum quibus.

Animo etiam lustrabimus causas cum quibus aliæ causæ consistunt , & cum quibus genitus antea est morbus , & nunc augetur, perseuerat , vel minuitur. Perseuerat : vt si catarrhus cum capitis intemperie frigida & humida molestus esse pergat , à frigido cælo, quod iam etiam perennat , enata : ita à cælo calido genita febris ; qui calor si perseuerarit , morbum inflammabit. Minuitur : vt textura rarior bilem demittit facilè per febres;in corpore etiam ita diaphoretico nil ampliùs locis afflictis allabitur facilè. ita iuuenis robustis lateribus , pleuritide feliciùs defungitur effœto sene , qui fractis lateribus fortiter expectorare nequit.

Causa sine quibus.

Expendemus etiam causas sine quibus aliæ causæ non consistunt : vt, arthritis non fieret, nisi ductuum laxitas, per quam se præcipitat materia, adesset : nam inde artus imbelles redduntur. fit autem hæc laxitas ex assueta humorum incursione , quæ pandit venas ac meatus, qui postea parent ex perpetua affusione.

Et in singulis his causis , ab immediatis ad remotissimas est abeundum , per intermedias. Silentium tamen hic sit de omnibus morbificis causis : sed solùm recensus fiat earum , quæ ad hunc quem tractas morbum faciunt : & veras eius causas tantùm rationibus asserere nitaris. Et tunc certa rerum genera constituantur , à quibus maximè effectrices causæ & materiales sumuntur. Tandem quo modo singulæ causæ , & maximè effectrices , suam vim exerceant demonstrabimus; num per se , vel per aliud , vt aquilo exprimendo, auster laxando catarrhos mouet : num id agat sua substantia , vel qualitate , copia , & quo ordine , agendique modo, & tempore , atque mora: an idiopathia , vel sympathia , an vt propria vel communis : an vt interna , vel externa , coniuncta vel remota.

Sed , vt dixi , in singulo causarum genere progressus fiat ab immediatis causis ad remotissimas, per alias interiectas. Vt inflammationis costalis mẽbranæ proxima causa est ille humor qui ibi tumorem creat. ille autem humor vel congestione ibi coaceruatus fuit, vel aliunde influxit. Congestione si enatus fuit , hanc peperit lateris imbecillitas, quæ in nutricatũ non vertit succũ alibilem quo ex naturæ lege alluitur latus. imbecillitatis causa, est, vel natiua iniuria , aut à morbo impressa calamitas anteacto , aut ictus , casus, vel tale quid, vt externũ frigus. Sin influxione eò præcipitetur succus, hoc fieri, vel quia orgasmo fertur, aut quia pars robusta excutit eum in latus imbecillum, vel quia latus dolore tactum , attrahit succum. orgasmo fertur, quia aliquæ causæ præcessere quæ efferarunt illum succum, & indomitum reddidere; quemadmodum biliosi si ineant plenum aromatum ac vini generosi vsum: exercitium, & cætera si accesserint calfacientia. Pars robusta autem excutit pleniorem aut stimulatiorem succum : talis autem ille euadit ex plena manu ciborum , ac acrium copia. dolet autem ex violenta incursione, vnde eius abrumpitur consociatio : talia sunt remedia foris imposita calida, victus, valida intemperies partis. vel ex euentu sæpè latus ruentem accipit succum : vt cùm aquilo hunc exprimit, contractis aliis partibus, in latus, ex succi pleno corpore ; quod latus exceptioni aptum, hoc est, imbecille , facilè occupatur : ibique putrescens succus arterias in calorem abripit, hinc febris.

Anacephalæosis de causis.

Hæc de causis. quarum indolem si breuiùs intelligere velis , ita accipe: Primum cogita de internis , & ante omnia de proximis, deinde externis. Et de internis, num sint ex primis naturæ primordiis ingenitæ, vel ascititiæ : quæ princeps causa , & quæ sese consocians , & iuuans : & quæ sint eæ causæ sine quarum opera morbus non effloresceret. Vt vrat ægrum erysipelas: hîc aëris strictior vis ex euentu causa erit: at si à calido aëre obortum fuerit, hîc aër per se causa erit: verùm princeps causa est alluens bilis; causa adiuuans erit bilis leptomeria : causa sine qua non , meatuum laxitas : si pars natali ab ortu infirmior fuerit , erit causa ingenita: quæ alioqui ascititia erit. Cautio hîc adsit , vt fugiatis causarum partitionem: quia hîc non docetis eas , sed vsui admouetis. Adhibenda etiam mens, &, attendendum num, vt loquitur Hippocrates, * τὸ θεῖον ἔνεστιν ἐν τῇσι νόσοισι: an adsint abditæ & occultæ causæ, vt venenatæ, pestiferæ, & contagiosæ.

Cautio.

** hoc est, diuini quid insit morbis.*

Sed vt hoc obiter dicam (ne ab occultis viribus fluctuet consultatio) hoc Diuinnm non ita accipiendum vt quidam recentiores explicant, esse quoddam latens quod veteres ignorarent : imò docet Galenus nihil Hippocratem ignorasse, ne rationem quidem dierum criticorum: in quo sanè tanta fuit benignitas, vt nihil sciuerit quod nos ignorare voluit : & tanta in beatissimo illo ingenio solertia, vt nullus post eum sciuerit quid magni, quod ipse ignorarit. Hic medendi præceptor libro De morbo sacro negat quicquam diuinius esse in epilepsia quàm aliis morbis. Atque in eo libro explicat omnes causas huius morbi , quomodocumque eueniat, idiopathia , aut deuteropathia : & tandem addit , tertianam esse magis diuinam quàm epilepsiam. Referre quidem licet omnem morbum ad iram Dei; sed adsunt causæ naturales, quæ medici prudẽtia arceri possũt, augeri, vel diminui. Ita, inquit Hip. omnia diuina sunt : nihil enim sine diuina natura fit. Quare Hippocrates in hac voce vtitur politico loquendi modo, ex vulgi consuetudine. Diuinum vocat insolitam aëris malignitatem : vt quando tempestates non tempestiuè fiunt ; vnde epidemij morbi nascuntur. ita videmus febres natas ab aëris extraordinaria intemperie, difficiliores esse his , quæ ex diætæ vitio & obstructione primordia ducunt. Quare materia morbifica indomita & pepasmi expers , ab aëris fœditate coinquinata , habitaculum huius Diuini est.

Contra occultas qui fugiunt ad vires.

Exemplum in causis.

Vt si oculi æstu flammmeo in rubedinem torreantur ab incubitu bilis: huius tædij caput ac princeps causa est bilis: consocians suamque operam illi præbens, est biliosæ materiæ in fluxum præceps tenuitas. causa ve-

rò fine cuius ope se non effunderet materia in oculos, est meabilia ductuum laxitas. sin oculorum, à primis primordiis vitæ, fracta fuit œconomia, insertum genio hæret vitium: & eorum vis labefactari potuit à morbo, ictu aut casu. interdum ab epidemia aut endemia quadam contagione ortum nanciscitur: vnde Lucretius sexto:

Attide tentatur gressus, oculique in Achæis
Finibus: inde aliis alius locus est inimicus
Partibus, ac membris: varius concinnat id aër.

hic occulta causa adest, ab extraordinaria aëris constitutione.

Verùm in consilium cunctæ hæ causæ non sunt vocandæ; sed de ea solùm agendum, quæ hîc in vitio est: hæc enim, vt sæpe iam monui, curationis, non scholæ palæstra est. Postea agendum de victus ratione cui æger assueuit, de ætate, regione, cæli statu, sexu, animi motibus, & cæteris talibus quæ corpus mutant: vt inde humorum dominatus elucescat: vt etiam cunctæ causæ procatarcticæ, vnde tale genus morbi enasci solet. & pars affecta inter causas poni potest. Postea perpendendum, si in morbi historia id omissum fuit, per quod sui decursus tẽpus morbus labatur: de quo antea satis egi. Postea notabimus quid inter morbos, causas morbificas, & symptomata vrgentius sit: quideausæ locum occupet, sine cuius ope non premeret morbus, & quid sit effectricis causæ loco.

Indicationes. Hæc de causis. Hinc indicationes curatiuas in hoc theatrum inferemus, ex natura affectuum morbidorum productas. Interdum his, consociabimus vsu comperta, ac analogismo deprehensa *Prognosis.* remedia; maximè in abditioribus malis. Sed num productæ in prosceniom indicationes ad portum ducere liceat, indicabit prognosis: quæ ex robore affectuum morbificorum, ac rerum naturalium opibus, quam in partem inclinatura sit victoria, indigitabit. Si malum auxiliares manus non tenuit, Medici officium erit (ni libitinam exercere velit) sollicitè perpendere cui primò, & denique manus adiutrices *Auxilia.* porriget. Prima acies perpetuò dirigatur in vrgentius malum: & si illa sint varia, primùm occurrendum ei quod efficientis, & conseruantis rationem habet. hæc facilè fient, cùm primùm examinaueris quid conseruantis effectum rationem gerat, & quid habeat rationem causæ sine qua non. Secundò debellabitur causa sine cuius expugnatione pessundari morbus nequit. Vltimò de diæta distinctim agemus: nam in eius laudem dicebat Hippocrates, *si illa exculta non esset, nec reliqua Medicina foret.* Deinde, transigemus de chirurgia, an vena secanda, & quæ, quo tempore, & qua copia eliciendus sanguis: de cucurbitulis com vel sine scarificatu: de arteriotomia, hirudinibus, vinculis, cauteriis. Tandem de pharmacia, an leniendum, præparandum, sursom vel infernè purgandum, vrina aut sudor eliciendus. Vltimò de corroborantibus intus & foris: de masticatoriis, gargarismis, phœnigmis, sinapismis, dropacibus.

Ratio agendi certa. Hac iam dicta serie pleramque consultationes ducunt. verùm ita inducta remedia ægrè cunctis causis morbificis, nec cunctis affectibus, dum feruntur per varia cursus sui tempora, ascribi poterunt: aduertendum enim in cunctis est, cur talibus auxiliis indulgendum sit, & quanto tempore. Quare certo ductu pulcherrimum agendi hoc filum trahemus: & ita hanc telam exordiatur: Quia affectuum nobis propositorũ natura, genera: differentiæ, causæ, & euentus in consultatione has sunt inuenta, adeò vt nihil supersit quàm vt quæramus agendi rationem: Cùm autem medendi omnis ratio dimanet & transfigatur certis *Series.* quibusdam notis, has lucidè commodaque serie ita consiliis inferemus, *an sit agendum: quid agendum: quo remedio vtendum: quali remedio curatio sit ineunda: qua copia: quo modo: quo tempore: quo ordine.*

Perspecta itaque affectus præter naturam hîc iam tractandi indole; Primò inquiremus Num agendum id quod suadet affectus morbificus: hoc est, num sit suscipienda curatio. Hoc indicabit materia neoterismi capaa, vel eius expers: & instrumentum quo vtendum, si adsit: & num natura agat, quò ei manus dentur auxiliares. Si itaque affectus de quibus instituitur consultatio, non omnino deplorati sint, nec tamen tam exiles vt eis natura par sit, propugnationem à medicis petent. Attamen pietatis officium est medicinam nulli negare, ne quidem de quibus desperatum est: ad solatium enim æquè medicina facit. Pulchrè id Hippocrates libello De arte, & Galenus decimo Methodi ab hectica exhaustis medicinam facit: sed tamen generosis remediis non vtendum, vbi iam fractæ vires languent; ne sanguinem sit restibiles vires pessundare: vt purgantibus, aut sanguinem educentibus: vnde certa medicis infamia, & optimis remediis pessima nota. sed roborantibus, intemperiem flectentibus, ac symptomata mulcentibus, vbique vti licet. Prognostica autem signa de euentu certiores reddent medicos. *1. An agendum.*

Secundò perpendemus Quid agendum sit: hoc est, quo auxilio sit debellandus affectus: vel quo nutrientu vires erigendæ. Hoc dicent causæ morbificæ, morbus, & symptomata vrgens: nam contrarium sibi remedium indicant. Et primum ducet ex rei propositæ natura: vt ea viribus, quæ tutelam sui petunt: & aperient num nutriendum; nam illud loquetur virtutis natiuæ vis, & morbi constitutio, hoc est, natura rei quæ præter naturam adest. Quod enim extra naturæ lineam adest, sui ablationem exigit: vt euenit in affectibus quorum hyparxis in materia hæret: quemadmodum in catarrhis humorum ruentium adest fluxio, causæ rheomatum, rheuma consistens, consocians se febris & eius causa. Hîc ab eo quòd vrgentius est, erit auspicandum: dein ab aliorum causa effectrice: & rursus in vnoquoque ea prædictis quæret, quæ & quot auxilia adferre oporteat. vt num fluxio reuellenda, deriuanda, vel vtroque remedio num compescenda: causa fluxus si sit dolor, sedetur: si orgasmus humorum, euacuentur: si pars accipiens fractior fuerit, roboretur. sed rheuma consistens. hoc est, id quod influxit, exhaustionem petit: febris autem frigora postulat: causæ verò febriles obstruentes, aperientia: crassæ, tenuationem: viscidæ, absterfionem: crudæ, coctionem: contaminatæ, euacuationem. Hinc itaque elucet quæ & quot efficienda sint ad affectuum debellationem: nam inde etiam patebit (inuentis iam variis affectibus) quando in aliam faciem remedij idea sit mutanda. hinc surget maxima remediorum varietas. Etenim quoties in singulis iam dictis affectibus aliquid est moliendum, toties res non naturales erunt percurrendæ: vt, dum fluxio cohibenda: iterum, cùm causa fluxus abscindenda: rursus, cùm febria eiusque causa abigenda. Ita tamen hæc docenda: vt generosissima remedia primò vsui inferantur. Vt si fluxio sit cohibenda; & iam compertum sit cohiberi eam reuulsione vel deriuatione: notabimus quid inter ea quæ assumuntur, adhibentur, geruntur, educuntur, aut retinentur, eam vim gerat. Quemadmodum inter admouenda, tali vi valent vincula, frictiones, dropaces: inter agenda, exercitatio, ambulatio. deinde ad remedia eundum erit, & perquirendum num quid inter illa sit, quod hanc vim habeat: vt inter ea quæ vorantur, bibuntur, iniiciuntur: quarom seriem libro primo prodidimus. dein cogitandum de alterantibus, euacuantibus, sensibiliter, & occultò: à toto, vel parte, quod fluxioni *2. Quid agendum.* *Gal. 5. de sanit.*

fluxioni medelæ fit: & id solùm in consilium adducemus, quod proposito malo opitulari potest, vt tumor iodicat sui ablationem: si durus, mollitionem: causa eius, euacuationem, coctionem: pars vt roboretur. Hoc modo pulchrè ex morborum causarumque morbificarum generibus remedia fluent, & alimenta.

III. *Quo remedio.* Tertiò perlostrabimus Quo Auxilio vtendum fit ad id præstandum quod agere oportet: aliud enim est aptum medicamen esse; & aliud, eo vtendum esse: etenim multa interdum impedimento sunt, quò minùs aptè aptum remedium in vsum duci possit. Quare vt intelligamus num bonis ægrotum rebus adhiberi illud possit, cōsulemus admittentia, & prohibentia, hoc est, omnes indicationes reliquas, an egēt vsū medicamenti, vel num anouant. Hoc itaq; (vt in plerisque fit) noscemus ex indicationibus, in his quorum natura ratione perscrutari potest: vel ab vso, si sola obseruatione remedia illi mato comperta fuerint: aut ex analogismo, si nec iudicio, nec vsu quicquam, quod conferat, comprobatum habuerimus: tunc transitu ad simile intelligemus quid expediat. Si itaque indicationibus (vt ferè fit) vti licet, statuendum erit in historia ea quæ præstò est, quæ & quot sint indicantia: dein contraindicantia, hoc est repugnantia: & ea quæ admittunt quæ ab indicantibus iam decreta sunt. Hæc benè fient studiosè indicantium vi notatis: nam hinc agendi ratio constabit. nec varietas rerum notandarum nos confundat: vnom enim est qood vnum indicat; reliqua Limentini sunt: nam vel coindicant & admittunt, vel contrà indicant. Itaque medicus, antequam ad consilium venit, noscat quæ & quot sint indicantia, & quid singula indicent, quid singulis repugnet, quid vnumquodque admittat. Primùm itaque indicantia ponantur: dein coindicantia, & contraindicantia. Vt quid indicet sui tutelam, & quid ablationem, victum, pharmacum, quid alterantia, euacuantia: & qoid qualem vacuationem petat, sensibilem, incompertam: si sensibilem, quid postulet, num pharmaciam, phlebotomiam, vrinalem, sudorificam, & quæ his patrocinentur, & quæ reclament.

IV. *Quali.* Quartò videbimus Quali medicamine transigi curatio debeat, in substantia, qualitate; & dein quantitate, tempore, & vtendi modo. num crasso aut liquido, odorato vel fœtido, calido actu aut frigido, curuo, recto; repellente, digerente, coquente; quod elucet ex morbi decursu, peculiari ægri natura, consuetudine, partis substantia, formatione, vso, ac situ. Has indicationes primo docuimus. Vt si euacuandum: cum variè id fiat, decernendum num sensibus deprehensa. vel his incomperta id exhaustione peragendum sit: si phlebotomia, latum vulnusculum infligendum, si crassior sit sanguis. Iucundè vbique agendum, etiamsi ad paulò deterius deflectendum foret. Et semper innoxiis vtemur. Sanè, inquit Galenus libro septimo κατὰ γέν. capite quarto, qoi explorata contemnens, noua semper remedia tentat, flagitiosè facit.

V. *Quanta copia.* Quintò Qua copia, in vi & mole, vsus remedij ineundus sit, cogitabimus. Vis indigitatur à ferocia & remissione affectus morbifici, & à remperie, ætate, situ partis, eiusque formatione: vt amplitudo meatuum. Moles sortitur sua indicantia, morbum, eiusque causam: coindicant vel contraindicant temperies, habitus corporis, vitæ institutum, ætas, regio, consuetudo, anni tempus, symptomata quæ dehortantur. Ex his enim vires deprehendimus præsentes, & mox futuras: quæ si periclitentur, vacuationes maiores renuunt. Quare in cunctis medelarum scopis perpendendum, quid per se his repugnet, aut hos admittat; & quid per aliud hoc agat.

VI. *Quomodo.* Sextò examinandum Quomodo agendum. id patefiet ex morbo eiusq; causa, sexu, parte affecta. & Vbi locus variari potest, ex multis commodiorem eligemus. Vt in dysenteria, totum corpus per intestina non purgabimus: sunt enim hæc loca ex euentu incommoda: sed potius vomitu, vel vrina excludemus ea quæ in vitio sunt: ita afflictis non dabitur afflictio.

VII. *Quo tempore.* Septimò notandum Quo tempore sit agendum, hoc est, captari debet occasio. illam aucupabimur à præsentia & absentia eorum, quæ tunc agendum vel supersedendum esse indicant. Si adsont morbi & causæ morbificæ, & si absunt symptomata quibus vires debellantur, vt dolor sæuus, vigiliæ, stomachi tosio Indeque anxietas, nec adsit prostrata virtus, absit criticus naturæ motus, vt erumpens sudor. Animaduertendum quænam præcessere, & quæ consequuta sunt. Somnus proximè excipere venæ sectionem oon debet, nec multa inedia, aut crudus in ventriculo cibus, vel paroxysmus inoadens. mox & motus tem: pusque morbi hoc itidem aperient. & naturæ ordo. ita vena aperitur eo tempore quo promptiùs effluere potest sanguis.

VIII. *Quo ordine.* Vltimò Quo ordine transigi curatio debeat, diligenter inquiremus. Non in omoibus ordine opus est, sed vbi multa sunt agenda. Quæ simul agi non possunt vel non debent; tripliciter complicantur. vel vnum, ratione alterius, causæ analogiam gerit: aut causæ, sine qua non. erga alind, faciem induit: aut vnum vrgentioris ideam præ se fert: vel ita conuenere, vt vnius curatio; alterius medelam impediat. ita qui mingit sanguinem laborans ex renūm calculo, purgari illi debent renes. ac mox sanguis stringi. Quare notabimus quid inter morbos, causas morbificas, & symptomata vrgentius sit: quid causæ locum occupet sine cuius ope non premeret morbus: & quid sit effectricis causæ loco.

Obseruandū. Feliciter ille medicinam faciet, qui hos assequetur scopos. Sed id hîc obseruandum, vt hi solùm proponantur, quos præsens historia exigit: & vt illi præponantur, à qoibus reliqui nascuntur; & qui maximè vrgent. Vnde hæc noscas, docet tota medicina: at nos quæ priùs percepta fuere, hic tantùm in vsum flectimos. Si autem eorum, quæ ad hos scopos faciunt, infirma quædam esse videantur, ratione stabiliantur, aut experientia rationali firmentur. Cùm tamen ab experientia ducimus argumenta, opus est vt cuncta discernamus ac distinguamus, & ne causæ primariæ ascribamus id, qood ex euentu agit aliqoid & fortè hæc agere debet. Sin nec à ratione nec experiēntia hoc obtinere possis, tunc solùm auctoritatem maiorum in subsidiom vocabis. quare vbi lucida sunt omnia, absit auctoritas maiorum, ratio, & vsus.

Notandum de elegantia. A consiliis fastus omnis absit: sed elegantia sint omnia & ad commodum ægrorum comparata. & voueo ego vt cum summa modestia & humanitate, vouere velit consultor hoc Pindari, *Pyth 11. i. hoc est, Charitum nobilium. me non destituat lux lumē.*

——— χαρίτων ἀγλαῶν
μή μ' ἀπολείποι καθαρὸν
φέγγος:

vel illud Mercurij Trismegisti. *In Cratere.*

Καὶ Χαρίτων μεστὰ εἶναι τὰ περὶ ἔργω μέγιστα.

Nisi in metu essem, me extra Methodi lineam excursurum esse, volenter sobnecterem exemplum Anginarum: in qua horum axiomatum vsus tanquam in

in re præſenti effulgeſcerent: Sed breuitas huic ſacra me cohibet. Sin quis anxiè exercitationem efflagitet (ne quenquam ſuo labore fraudem, in examen ducat Pleuritidis hiſtoriam à doctiſſimo Argenterio editam, libro De conſultationibus medicis, capite duodecimo.

Hæc de vniuerſalibus ſatis eſſe poterunt. Deus Optimus Maximus faxit, vt quæ hucuſque ſcripſimus, ex ſententia & feliciter in republicæ Chriſtianæ vſum vertantur. quod indubiè ſuccedet, ſi ægrorum ſanationem non noſtro ingenio, ſed potiùs ſummæ beneuolentiæ & amori perpetui noſtri Archiatri IESV CHRISTI aſcripſerimus. Etenim

Ni Deus *affuerit, vireſque infuderit herbis,*
Quid, rogo, dictamnus, quid panacea iuuent?

IOANNIS HEVRNII,

DE MORBIS QVI IN SINGVLIS PARTIBVS HVMANI CAPITIS INSIDERE CONSVEVERVNT,

LIBER.

Nobilissimis ac Amplissimis

BATAVIÆ ET VVESTFRISIÆ ORDINIBVS

IOANNES HEVRNIVS *dedicat consecrátque.*

NISI *prudens veterum consilium fuisset,* ORDINES *Amplissimi, qui, qua cultu quodam doctrina expolivissent, hac Excellentibus prudentiâ, ac celebri potentiâ explendescentibus, ascripserunt, perpetuus hic non foret mos, nec constanter retineretur. Retinetur, nec sanè frustrà: nam qui sua in publicos vsus manumittit scripta, is non solùm ea aliis ascribendo, quibus officio aliquo sit deuinctus, gratiam referre nititur: sed vnà monimentis suis decus & auctoritatem consociare, horum præscripto nomine potest. quorum is quasi comitatus splendore, in publicum prodeat. Nec ego ab hoc veteri, nobili, publicoque more abire volui meum hunc fœtum de curandis morbis. Eóque magis, quòd hac mihi minimè ambigua, quæ plerumque scriptoribus dubia deliberatio euenit, quibus maximè ex pluribus debeant ascribere suum munus. qui ita debeo vobis, vt nullis aliis quàm vobis* ORDINES *Illustrissimi, hosce labores meos dicare velim ac debeam. Debeo, inquam, vobis; & quis quæso vobis non debet lubenter eorum, qui Rempublicam amant? quis litteratorum, quis studiosorum vobis non est omnibus deuinctus modis? experimur id cottidie hîc, in Academiâ vestrâ. Ut ad me veniam, quibus, quæso, non solùm monumenta, sed studia etiam cuncta mea, industriámque consecrem, quàm vobis* ORDINES *Amplissimi? Quin si illud etiam in censum vocandum sit, vt in his ascribendis auctoritas & gratia libro ornatur, à quibus quæso hæc firmius expectare potui, quàm à vobis? Qui omnibus admirationi estis, ac cunctis reuerendi; non solùm ob nobilem istam dignitatem vestram, sed potissimùm ob prudentiam ciuilem, æquitatem, liberalitatem in bonos doctósque omnes, in afflictos tutelam, ac patriæ ab iniuriâ omni vindicias. Macti hac gloriâ* ORDINES *Potentissimi in antiquum famæ exilitis splendorem: qui prouocare olim Romanum imperium & quindecim legiones ausi fuistis: iam nunc Vindices publicæ libertatis. His, summa in vobis omnia tam altè explendescunt, vt non potiùs vos ab illa dignitate vestri muneris ornemini; quàm illa, micante vestrarum virtutum splendore decoretur. Nec adulari volo (id à me alienum norunt Amplissimi inter vos viri) etenim cuncti ab eruditione Illustres viri, cunctique qui vos optimè norunt (& qui quæso vos non norunt?) vno ore me non leuiter ferent, qui de vestris virtutibus parciùs dixerim; quàm quòd altiùs extulerim, adularer. Certè id iam mihi propositum non fuit, vt recenserem vestras laudes, quæ profectò ocium maius, ac flumen dicendi vberius efflagitant. Accipite ergo* VIRI *Illustrissimi hoc monumentum meum, mole non grande, diligentiâ tamen, accuratâ elaboratione, ac rerum vtilitate maximum: quod nunc auspiciis vestris publici iuris facio: & pro vestrâ prudentiâ patiamini, vt ei se decorare vestro clarissimo nomine liceat, eóque velut Musarum Gratiis redimitum prodire, & hoc vestro scuto contra maleuolorum iacula se armare ac defendere. Quod si euenerit, vt voueo & spero, dabo operam vt alia quæ plurima apud me sunt, eisdem auspiciis enascantur ac in lucem prodeant. Valete. Ex Academiâ vestrâ Leydâ in Batauis. Anno* CIↃ. IↃ. XCIII.

PRÆFATIO IN MORBOS QVI IN SINGVLIS PARTIBVS CAPITIS.

DE MORBIS scripturus QVI IN SINGVLAS PARTES corporis humani incurrere consueuere, primam seriem à capite ducam; quam mox, S. Dao ocium faciente, excipient Thoracis querelæ, ac tandem per Ventris morbos hoc filum finiam.

Ad Devm.

Tu Summe rerum opifex, Medicinæ parens Devs, cœptis nostris aspira, qui pulcherrimam hanc mundi fabricam condidisti, quam & perenni tuâ & immensâ potentiâ sine negocio ducis, in quâ vbique igniculi tuæ bonitatis ac gloriæ explendescunt. Siue ad circulatorem illum flexum, gyrationumque stupendas leges ac iucundum decus cunctarum rerum, oculos quis flexerit, fieri nequit, quin tam alto fulgore humanam mentem perstringas, vt cum stupore titubans illa abscedat. Quis capitis illam tuam fabricam, stupendamque lucis sedem oculum non potiùs admiretur? quis ebullientia rudimenta illa, nouo è semine, & antiquâ matre plantarum? Inscrutabilis tua sapientia Devs, etiam in minimis, & in his quæ ante oculos, in quibus, sensibus nostris incompertas vires, quasi per vmbram, sentimus. Tu itaque Maxime Devs, auctor omnium, qui immensâ illâ pulchritudine quâ in rebus micas, oculos humanæ mentis perstringis, vim præbe, vt hanc sparsam in rebus diuinitatem videamus, ac te in illis colamus, qui te sine oppressione capere non possumus. Ac in his deliciis naturæ, in quibus Gratiæ habitant tuæ laudis, amoris, ac veritatis, æternas illas, quæ sine tegmine, sed in tua facie, gustemus, quæ nobis parasti Devs auctor ὑγιείας καὶ πανακείας, διὰ τὸν μόνον ἰατρὸν καὶ μαθητὴν ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. Et in scripta nostra, Devs Iesv, effunde abundè oramus supplices τὰ χαρίσματα τῶν ἰαμάτων, ac dexteram hanc in tuam laudem feliciter ducas. Iam itaque, non sine Deo, hanc historiam à passionibus

Capvt vnde dictum.

quæ capiti insidere consueuere, ordiamur. Capvt (quod Græcis κεφαλή, κέφαλος, Poëtis κάρην, κάρηνον, κάρη, κάρα, κάρηαρ, Doriensibus κοττίς & κορσίς dicitur) Latinis, quòd sensus ab eo initium capiunt. Etenim caput admirandarum planeque diuinarum actionum decore cæteras superat partes cunctas. ex hoc in animantes dimanat motus voluntarius, quem Græci vocant τὴν κατὰ προαίρεσιν κίνησιν. est enim voluntatis species προαίρεσις, ac perfecta quidem, hoc ordine, velle in communi: dein deliberare. est actus intellectus per cognitionem, promouens se in volontatem: tum eligere; hac serie βούλησις, βούλευσις, αἵρεσις, πρᾶξις. Nec solùm est arx sensuum & motuum προαιρετικῶν artifex, magnas membrorum moles & prætumida corpora ex longo interuallo trahens, non sine admiratione, sed & Sapientiæ est domicilium, & officina iudicij & memoriæ: quibus Deo genus humanum est simillimum. Quæ ex corde fluit vita, brutis nobiscum communis est: at Intelligentia, quæ non ex materiâ brutâ, sed accepta ex diuinitate, & hac delibuta, cognatione quadam animos humanos cum Deo coniungit, cerebro insedit. Propterea vt tam diuinum habitaculum, immemor redditum sui officij, in viam redeat, remediis, ne quid temerè, mente tinctis ac vsu validis opus est. Cùm hæc ego mecum, quia vt volo hæc non possum, & vt possum non volo, calamum abiicerem, ni me hominum doctissimorum graues admonitiones erigerent, ac his lusibus fere inuitum intrude-

Ordinis ratio.

rent: quare quod possum velle coger. Itaque rationem ordinis, quem traham, ita accipe. In capite vt variæ habitant partes, ita & variæ querelæ ibi eueniunt. harum census refertur à I. Arcolano, insigni certè medico in mediâ illâ ætate, in numerum denarium, quarum quædam foris sunt positæ, aliæ intus recessere. Foris, capilli, & cutis capitis quam capillatam vocamus, quam imæ capillorum radices, id est, cæsaries describunt: quæ pars ab Aristotele dicitur τριχωτόν, & Latinis calua. Quare capilli primò nos mouebunt vt succurramus illorum inopiæ, & luxurianti præter decus copiæ. hoc est, de eorum defluuio, & quæ huc referuntur fœditatibus, ac mox de colore, canitieque mutandis scribemus. Cutis verò ratione, de Porrigine, Pedicolis, Achoribus, Fauis, quæ Cerea ab aliis, Meliceridas vocantur Aëtius & Celsus: Tinea, Psydraciis & Helcydriis, Sycosi, & exanthematis. Intus conduntur dura meninx, & tenuis illa membrana quæ cerebrum proximè amplectitur: hanc piam, illam duram vocarunt matrem. Harum membranarum causâ transigemus de capitalibus doloribus. Deinde pergemus ad cerebrum ipsum, in quo concipitur Phrenitis, Lethargus, Melancholia, Mania, Amẽtia, Labefactata memoria, Sopor seu Cœma, Vigiliæ & Vigil Cœma: hoc ductu illa trahemus. Et cùm suos quosdam sinus obtinuerit cerebrum, ad eorum passiones nos vertemus, vbi de Caro, Vertigine, Incubone, Comitiali, & Apoplexiâ agemus. Tandem ad Neruorum morbos veniemus; ibi de Stupore, Tremore, Conuulsione, & Paralysi commentandum. Vltimò ob recrementa cerebro concepta, adibimus Catarrhorum, Sternutamentorum, ac Aquarum cerebro detentarum descriptionem & curationem. In totâ autem harum passionum historiâ duas præcipuas curandi notiones absoluam. vnam, quæ elicitur à naturâ affectus qui corpus premit: alteram, à parte corporis cui insedit ille affectus morbifer. Affectum corpus premens dico morbum & eius accidentia atque causas morbificas. Causæ cuique sua remedia & præsagia scribemus; ita vt peculiaribus differentiis causarum, quod hactenus vix vllus præstitit, ex singularibus notis compertis, tutò medela & victus ascribatur: & quandiu, & quatenus, ab initio ad finem his sit vtendum. Quin de parte morbo implicitâ mihi cura erit: nam pars non solùm remedij genus vertit & mutat, sed & eius moderatur efficaciam: vt illa sensilis aut stupida, vtque variè aliis nexa partibus fuerit, ac vsu & situ variarit. De reliquis Indicationibus, vt, De totius corporis temperie, viribus ægrorum, aëre, ætate, consuetudine, naturâ communi & peculiari, sexu, vitæ genere, cæterisque indicationibus quæ ad cuiusque morbi curationem in consilium vocari debent, supersedeo. quo rectè percipiamus num remedium, quod affectus morbifer euocat, admitti debeat eâ vi, cæteræ indicationes suum iudicium, tanquam quidam limitum interponunt, & interdum accidunt aliquid, & remedij copiam limitant. At hæc per omnẽ passionum varietatem fundere infinitum foret. Ideo quod præcipuum est, dico affectus naturam & partis affectæ, illisque dicata remedia hîc narrare consilium est. Nam quamuis sine cæteris fracta claudaque

prodeat

prodeat curatio, facilè tamen quiuis illa huc adferre poterit ex illo, quem nuper in lucem dedi, nomine PRAXIS MEDICINÆ *noua ratio; quâ libris tribus Methodi ad praxin medicam, aditus facillimus aperitur ad omnes morbos curandos.* In his quæ cursum Methodi ad praxin impedire poterant, omnia sublata esse confido. Nam remedia quæ peculiari quadam dote passionibus dicata sunt, quæ, dico, optima, & in hominum salutem vsu longo comprobata, huic exercitationi intuli. Quæ enim nulla naturæ offensione notata fuere ægris opem attulisse, illa eximio quodam cultu seruanda sunt, nec temerè naturæ tenellulæ illi humanæ noua quæuis, & non perpetuâ exercitatione comperta præscribi debent. Arrident noua sæpe facie, quæ non sine pernicie adblandiuisse videt posteritas. Fruimini itaque his laboribus, ea animo suscepti, & candidè fauete conatibus, qui studiis vestris & vtilitati publicæ inscribuntur ac impenduntur.

Contra noua remedia nullo vsu firmata.

CAPVT I.

DE CAPILLAMENTI *venustate, & Capillitij destui & horrentis turpitudine, & num horum cura Medicos tangat.*

CORPVS humanum vt omnibus modis absolutum foret, & sanitate & pulchritudine decoratum esse oportuit. Propterea cùm corpus suam deponit valetudinem bonam, aut venustas eius natiua cùm flaccescit, vtrumque officium à Medico flagitabit: & vt sanitas stabiliatur, & vt formæ reuocetur honor. At medicus suum munus facit, cùm labascentem valetudinem erigit: cùm verò formæ studet, non hoc ex officio agere videtur, sed * κομμωτικὴν exercere, quæ fucato splendore ascititiam elegantiam inducit, variisque pigmentis lenocinatur. Hanc à medicina arcebat Galenus; ac relegat ad lenones & mangones, tanquam alienam à viro bono & prudenti medico: nisi à principibus mulieribus, quarum preces leges sunt, abrepti fuerint. Etenim κομμωτικὴ apud quasque laudatissimas gentes, viris præcipuè probrosa fuit. Quare in Apologetico suo scribit Apuleius, capillos sese habuisse non amœnos ac delicatos, nec ad lenocinium decoris promissos, quales affectati dicuntur, vbi coluntur studiosiùs à cincinnatulis & trosulis; qui, vt Seneca ait, solicitiores sunt de capitis sui decore, quàm de salute, qui inter speculum & pectinem occupati sunt, quique concinniores esse malunt, quàm honestiores, qui rempublicam turbari suam minùs curant quàm comam. Scribit Plutarchus à Philippo Macedone quendam tinctura capillari superbientem ex ordine Senatorum motum esse; hoc etiam addito dicterio: non spectandam integritatem ab eo in gerendis rebus, qui etiam capillis fucum prætenderet. Ouidius comptulam his execratur,

*hoc est Comptoriam.

Comptoria repudiatur. κομμωτικὴ

Sint procul à nobis iuuenis vt femina compti:
Fine coli modico forma virilis amat.

Attamé perhibet Galenus, etiam honestissimos homines olim quædam cultui dicata explorata habuisse. Archigenes vir doctrinâ & grauitate clarus, de ea scribere non est veritus. scripsit & Heraclides Tarentinus & Cleopatra, etiam tum cùm luxu & deliciis minùs diffluerent homines. Post hos Crito, veniâ dignus, inquit Galenus, quòd apud imperatores medicinam faceret. huius libri pereunt: at Galenus libro primo τῶν κατὰ τόπους horum anacephalæosin exhibuit. Nec ipse Galenus fuit tam ab omnibus gratiis alienus, vt cunctum ornatum à medicina excluderet: recipit enim τὴν κοσμητικὴν, id est, exornatoriam: vt quæ naturalem corporis venustatem tuetur, neque quicquam ascititium inuehat. Quin scribit, verum ornatum capillorum & non fucatum, non solùm ad elegantiam, sed etiam ad ipsarum partium facere stabilimentum. Quare κοσμητικὴ differt ἀπὸ τῆς κομμωτικῆς: & quamuis κοσμητικὴν interdum exerceat, non tamen id ex officio: non enim in vitio dum est deformitas, actio partis humani corporis violatur, sed pulchritudo. Quin Hippocrates libro περὶ παθῶν, ait, glabreta capitis potius ad turpitudinem, quàm ad morbum referenda esse. Quando itaque capilli in quercia sunt, hoc ad exornatoriam spectare asseueramus. Qua enim facie morbo perhiberentur tentari capilli, qui neutiquam corporis partes, sed quædam potiùs efflorescentiæ sunt in cute? quamuis quidam existimârint in defunctis promitti capillos, vt & vngues augescere: inter quos est Plotinus, qui libro secundo De dubiis animæ dicit, forsan quia corpus animatum non illuminato, sed exsiccato corpori simile est, post animæ demigrationem superest in eo ad breue vitale vestigium, spiritusque aptus motibus. veruntamen videtur calore & vapore pororum in angustiis retento id euenire. Et quamuis capilli efflorescentiæ quædam sint in cute, tamen cum Galeno non negamus vtiles esse, quò locum præbeant fuliginibus capite conceptis, quas sui parentem, perpetuâ accessione ac continuatâ congestione agnoscunt: quin venustatem capiti vt concilient natura voluit. Cæsaries enim, vt ait Ambrosius in hexamero, reuerenda in senibus, veneranda in sacerdotibus, in bellatoribus terribilis, decora in adolescentibus, in mulieribus compta, dulcis in pueris: vnde Ouidius,

Exornatoria admittitur.

Exornatoria differt à comptoria.

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Vtilitas pilorum.

11 de vsu part. 14.

Libro 6.

Sed & Apuleius, mulierem etiam venustissimam, si capillitio nudetur, licet illa cælo deiecta, mari edita, fluctibus educata, licet Venus ipsa fuerit omni Gratiarum choro stipata, totoque Cupidinum foro, & baltheo suo cincta, cinnama fragrans, & balsama rorans, si calua processerit, placere non poterit, ne Vulcano quidem suo. Et Charilaus interrogatus, cur comam nutriret? respondit, quòd ea omni ornatu hic pulchrior foret, & * ἀδαπανώτατος. Et prophetica sententia Esaiæ, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion. Apud Græcos Lycurgus ciues assuefecit comam nutrire, quòd pulchros ornaret, deformes verò terribiliores & formidabiliores redderet. & Homerus vocat Achæos καρηκομόωντας. Adiicit Aristoteles in primo Rhetoricor. id videri libertatis argumentum: nec enim comantem facile est ἔργον πονεῖν θητικόν, id est seruile opus subire, aut illiberalem artem admittere. Appollonius Tyanæus apud Philostratum libro octauo, capite tertio, author est comatum nutritionem à Lacedæmoniis eo tempore ortam esse, quando habiti sunt bellicosissimi. Spartanorum, inquit, rex Leonidas fortitudinis causa comam

*Id est, sumptus minimi.

Cap. 3.

gestabat, quòd amicis modestiorem, hostibus verò terribiliorem propter ipsam se videri arbitrabatur. Hinc Spartani omnes cœpere comam nutrire, quòd eodem cultu, ac Lycurgum aut Iphitum, hunc venerarentur. Et, vt ibi innuit Apollonius, Pythagorici olim capillum alebant: quòd ferrum admoueri non decet, vbi fensuum omnium fons est, vnde visiones, preces, & sermo nascuntur. Et vetus prouerbium est, pilus vnus etiam suam habet vmbram. Empedocles etiam, inquit Tyanæus, Græcorũ compita purpureâ vittâ crines circundatus perambulabat. Quin scribit etiam Columella, Romæ publicos fuisse capitum & capillorum concinnatores. Recitat Cœlius Rhodiginus ex canonicis decretis, mulieri datam esse comam, tum operimenti gratiâ, tum ad subiectionis memoriam. Quin nulla gens tam fuit barbara quæ non aliquod decus in coma posuit, si non in discriminatâ illâ, saltem in passâ ac neglectâ. Scribit Seneca, Parthorum esse capillum effundere, Germanorum autem iungere, Scytharum spargere. Et Romani, quòd Venerem læsisse se putarent, cùm vrbe à Gallis ambusta, obsidione premeretur Capitolium, ex mulierum capillis tormenta connectere erant compulsi, hinc Venus, inquit Lactantius, cognomento Calua in religionis cultum venit; quasi suis depositis armis. Cùm itaque sine hac exornatoria Venere, parùm gratiis sacrificaremus in medicinâ, de his quædam commentabor, sed tamen breuiter. hoc enim æuo non tam fœdum ac olim vitium, in his populis qui capite detecto incedebant, seu sol, seu imber esset: & ob id anxiè solliciti de pilis illi; nec serul defluis capillis eiusdem precij erant. Hæc causa fuisse videtur polydædalæ varietatis pilatoriorum apud antiquos medicos remediorum. Sed pauca nobis pileatis suffecerint, ad quæ iam pergo.

Capvt II.

De Calvitie, *quæ Græcis φαλάκρωσις, Latinis Glabretum, vnde glabriones dicti, & de Barbæ fabrica.*

Feminis & viris quibusdam iniquum est hoc vitium, ac pulchritudini non leue bellum indixit. Auctor est Tranquillus, Iulium Cæsarem caluitij deformitatem tulisse iniquissimè, obtrectatorum sæpe iocis obnoxiam expertus: ideoque deficientem capillum reuocare à vertice assueuerat: & ex omnibus decretis sibi à Senatu populoque honoribus, non aliud recepit aut vsurpauit lubentiùs quàm ius laureæ coronæ perpetuò gestandæ. Scribit Dion Cæsarem laurea vsum perpetuò, postquam est potitus rerum, eo prætextu quòd * ψαλακρότερος ἦ. Erat caluitio deformior Tiberius: proinde in spectaculo quodam Seianus ad eius ludibrium, per caluos effici omnia curauit, à matutina hora, in vespertinam: quin & puerorum capite deraso ad quinque millia excuntibus è theatro præluxere: vnde, inquit Dion, Seiani dicti omnes claui. Caluitium est tædium quod pilos occupat. Pili communi voce τρίχες ad cunctas corporis hirtas referuntur partes, & cùm horrent rigiditate quadam in capite, hoc nomen sumunt; inde olim, inquit Porphyrius, appellatos trichaïcas, qui assiduè versentur in prœliis, veluti assiduè

** ψαλακρότερ.*

Pili.

concutientes & quatientes cristas. Sed capitis pili propriè dicuntur θρίξες, Latinis capilli: quibusdam κόρσαι: Persio cirri à κείρω, ab incidendo dicuntur. Tota autem congeries capillorum Græcis dicitur κόμη, χαίτη, id est, crines, & λάχνη: viris à frequenti cæsione cæsaries appellatur, vnde cæsariatus miles, id est comatus. feminis ab ornatu coma, quæ est capillus cum aliqua cura compositus. Ruffus tamen comam ad viros vertit. In his hæret hoc vitium quod Latinis caluities & caluitium, vnde caluaster & recaluaster. Græci caluum phalacrum dicunt, veluti qui habeat τὸ ἄκρον φαλόν, quòd verticem habeat albicantem: phalum enim album vocant ἀπὸ τοῦ φάος, quòd luminosum sit. Est autem caluitium defluuium capillorum, quod à sincipite plerumque incipit, ac continuo spaciosoque tractu per medium caput in occiput pergit, intactis temporum pilis, & cutis nuda capitis pristinam seruat ideam, characterem, & molem. Ita in senibus cottidie nudati caput videmus. Plurimum igitur discriminis est inter caluitium & areas capitis (de quibus mox) quæ longè aliâ ideâ, nec ita æquabili effluunt nuditate: adde quòd areæ (ita Celsus vocat alopeciam & ophiasin) à fœda materia primordia trahunt; at caluitium ab hac inlotia abest: nam inquit Galenus, interextincto qui pilos confouebat humore, cooritur caluicies: at subeunte vitioso, ophiasis consurgit, ac alopecia. Propterea etiam homines caluitium quasi sine turpitudine in se agnoscunt. vt etiam refert historicus Dion, cùm apparuisset cometes, quo portendi videbatur Vespasiano mors, eludens is, non sibi ait illum præsignare, sed Parthorum regi, ἐκεῖνος γὰρ κομᾶ, ἐγὼ δὲ φαλακρός εἰμι. id est, ille enim est comatus, ego autem caluus. Quin eius filius Domitianus, inquit Suetonius, libello quem De cura capillorum ad amicum edidit, illum simul seque consolans inseruit, οὐχ ὁρᾷς; καὐτὸς καλός τε μέγας τε. Eadem remanent mecum capillorum fœta, & forti animo fero comam in adolescentia senescentem. Et Cœlius Calcagninus in apologis ait, caluitiem acuminis & acrimoniæ esse testem. quod philosophus Synesius innuebat, cùm diceret prudentiam & pilos inimicitiam habere: idcirco Ludouicum Insubrum Ducem, virum sapientissimum, caluos omnes ad obeunda regni munia collegisse. Ita olim honori caluitium fuit, cui iam nos fucum facimus. Hoc vt rectè faciamus, eius causas vnde prodit, &, quod caput ferè negocij est, signa cuiusque causæ accurata quadam diligentia notabimus. Est itaque varium caluitium, vt ex diuersis surgit causis. aliud enim est natiuum, aliud ascititium: natiuum duplex, vel ab ipso parentum semine & sanguine illatum, aut ætatis siccitate contractum. A parentibus quod importatur tatum est, & facilè noscitur: nam consimili affectui illi implicitì fuere, & in prima etiam ætate eorum fœtus in caluitium abeunt. Ita refert Plinius, quòd Myconij (est autem Myconus Cycladum vna) carentes pilo gignuntur, & calui omnes: & Herodotus in Melpomene, siue historia quarta, inter Scythicas gentes esse quosdam, qui sub excelsorum montium radicibus incolant, eos ab ipso natali caluos esse, tam mares quàm fœminas. Hoc vitium insanabile puto. hi felices forent si apud Arymphæos nati fuissent, qui prope Ryphæos montes, capillos pro summo probro ducunt, nam ab ipso natali calui sunt, inquit Herodotus. Aliud natiuum caluitium quod ætatis siccitate innascitur, his signis noscitur. Calido & sicco plerumque

Nomen.

Quid sit.

14. methodi. Causæ.

Differentia.

A parentibus.

11. lib. 37.

Natiuum, eius signa causa.

præ

præditi sunt cerebro, quali sunt homines sagaces & vigiles, quibus erumpunt prima ætate pili vbertim, nigri, crispi, quique calent tacti, & ad ætatis florem robore roseo exsplendescunt. Dum enim rapido ætatis æstu vrator horum caput, exhauritur focus pilorum, hoc est roscida illa pinguedo in cute capitis, vnde pullulant pili, quæ, vt scribit Auicenna, est viscosa & voctuosa, non aquosa nec lotosa; sicut arborum vnctuosarum folia non cadunt, etenim pili generatio est ex cutis excrementis, & nullam agnoscit aliam partem auctorem sui. xi. de gener. anim. Aristoteles ait, pilorum materiam surgere ex humore adusto, cum quadam pinguedine, & substantia aëreâ: huius materiæ inopiâ fit caluitium. Scio hanc materiam corruptelâ etiam fœdari, non aliter ac plantas, quæ contabescunt liquoris occurrentis iniquâ quadam ac fœda colluuie, sed inde non caluitium, sed areæ, de quibus mox disseremus; sed ex huius pinguis materiæ cutis capitis inopiâ fit caluities, non aliter ac decomatio in plantis, quæ contabescunt humoris inopiâ. Gal. 11. crefebr. Sed hic humor in cute capitis glutinosus est, vnde fumidus vapor, crassus, bumectus, qui in angustis cutis spiraculis partim hæret, partimque foras propellitur in formam pili. Auerrhois opinio. Etiamsi putat Auerrhoës pili materiam, ex Galeni sententia, putè terrestrem. Quod si esset, non tam sequax foret pilorum natura & flexibilis, atque ætate facilè laberentur. Sed pilorum humectatio glutinis densatur more & obdurescit. Historia. Hinc est quòd quum pontifex Sixtus IV. præsideret, compertum Romæ in via Appia, è regione Ciceronis conditorij, muliebre cadauer quod ex inscriptione coniectatum est, fuisse Tulliolæ. id erat aromatibus ita conditum, vt temporis iniuriam non sentiret. In eo visebantur capilli aureo impliciti reticulo, summâ omnium admiratione, reperiri aliquid, in quod anni mille quingenti ferè nil prorsus eualuissent. Cæterum cadauer in vrbem delatum tridui morâ computruit, medicamine amoto. Aristot. 5. de gen. anim. 3. Cùm itaque humidum calidum pingue exhauritur, fit verum caluitium: nam huius iacturam excipit frigidum siccum. De hoc rectè Celsus, quo minùs caput quibusdam ætate nudetur, succurri nullo modo potest, maximè quum plerisque id fit hæreditarium. Ex Genio. Ex hac eadem, sed non tam præcipiti, causâ senibus caluitium accedit, ætatis cursu euicto ac detrito humido calido pingui: vnde siccum frigidum & durum euadit pili pristinum pabulum, hinc tristis illa capitalis nuditas. Argumento sunt Eunuchi, qui ob madorem Eunuchi. non caluescunt. Sed cur ita madet in spadonibus & euiratis cutis? Inde hoc esse videtur, quòd integri minimeque accisi sunt cerebri, quòd rem veneream non agant: nam magna pars seminis ex cerebro est. hanc etiam amplectitur opinionem Hippocrates libro de aëre & aquis: nam venis ponè aures præcisis sterilitatem induci credidit: quòd vbertimè seminalis hæc materies ex capite effluat. Et propterea homines densiore pilo, vt etiam aues, ad venereum vsum promptiores sunt, caloris & humoris copiâ. quare & oculi languent à venere. Eademque ratione & boues ectomiæ, id est, execti cornua gerunt maiora, molliorem etiam & sapidiorem præbent carnem: nam execta in melius proficiunt: quare Terentiana meretricula, mullerum maximos esse amatores Eunuchos, ait: sed nihil posse. & etiam frigescunt, & propterea non dissipatur id pingue humidum. Quare caluitij causa, est, inopia humidi calidi pinguis. Proterea plantæ quæ pingues sunt, fronde perpetuâ virent. Ita etiam homines suis ætatibus hyemem æstatemque agunt. A veneris etiam frequentiore vsu, non aliter ac ab ætatis excursu in senium, caluitium nascitur: nam id pingue meretricula hæc exlactat: vnde moriens Daphnis apud Theocritum ridenti ita renidet Veneri, Idyl. 1. κύπρι βαρεῖα, κύπρι νεμεσσατά, κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής· ἤδη γὰρ φράσδῃ πάνθ᾽ ἅλιον ἄμμι. hoc est, *Venus molesta, Venus odiosa, Venus hominibus inimica: iam indicat omnia sol nobis.* Hæc eadem causa est quòd aues dum defluâ sunt plumâ, minimè vescæ sint: dum enim ita depennescunt, quod est quædam in illis caluicies, id pingue in illis titubat. Eadem enim ex causa defrondescunt arbores, depennescunt aues, ac homines caluescunt. Scribunt quidam naturæ periti, visum quandoque hominem, cui ex toto pili defluxerât à febre, nec redditâ sanitate, omnino succreuêre pili, stipatis meatibus. Quemadmodùm enim vola manus ac pedis abnuit pilorum ortum, ita etiam cùm durior euadit cutis capitis: nam quòd humidiores sunt mulieres & pueri, ob id ægriùs caluescunt, & videmus à sincipite maximè nudari caput in senili caluitio, quia sinciput omnium partium capitis est siccissimum: nam bæret ibi cutis ossi nudo. Et Hippocrates libro sexto Epidemiôn ait, Caluitium oriri ex cerebri consumptione. id explicans Galenus, dicit, siccari ætate cerebrum, & seipso minus euadere, maximè anticâ parte, quam βρέγμα vocant: & ita recedere à parte illâ: quare destituta pars cerebri madore, aridior euadit, vnde & pili genio fraudati effluunt. Asciticium. Aliud est asciticium, vt diximus, caluitium: nam quæ capiti admouentur interdum siccitatem præbent hanc, vt vrentia, depilatoria, striogentiaque remedia, & cicatrix: nam vel humidum pingue absorbent, vel ita densant cutem vt minimè meabilis fit. Ita etiam existimat Q. Serenus, vbi ait, ex rigore inducto à salamandra fieri:

Defluit expulsus morbo latitante capillus,
Seu salamandra potens, nullisque obnoxia flammis,
Eximium capitis tactu deiecit honorem.

Signa eius à siccitate. Quod à siccitate, his symbolis se prodit; durior appâret cutis, nec frictione rubescit, tenuantur rigidi pili, interdum vsus præcessit rerum adstringentium & refrigerantium, vel cicatricosa relicta cutis à tineâ, vel ex ambustis: & à densantium & siccantium rerum vsu magis affligitur. A cicatrice validâ insanabile est: vt si à vali lâ frictione non erubescat cutis. Prognosis, cum à siccitate. Quod hæreditarium est, quodque ab ætatis excursu, est immedicabile: nam est ab exhaustione pinguis ac calidi humidi. Quod si reparabile foret, immortalis homo hîc perseuerare posset: quod nobis negatum est fato: nam tam diu vita data, dum exsplendescit calidum quod nos conformauit, in humido primigenio: at dum hoc micat, absumitur eius prædium, humidum primigenium, in quo hæret vita nostra: non aliter ac in elychnio flamma absorbet oleum, in quo tamen viuit. Ita nostrum viuere, nihil aliud est quàm mori. Icçirco solatium hoc feramus caluitio affligendis, etsi non curari, attamen tardari posse caluitium: prudensque id consilium admittant Q. Sereni,

Non semper præsens dolor est sanabilis: ergo
Cura magis prodest venturis obuia morbis.

Indicationes. Ad præseruationem optimè faciet vt sicca densaque cutis, inquit Auicenna, laxantibus & humidis molliatur & rarior euadat. Nec hîc opus est vt venâ sectâ, aut subductâ aluo de toto corpore prouisio habeatur: cùm succus hîc nullius vitiû fecerit. Quare nihil in his curiosè tentandum, sed solis quæ foris admouentur operam dabimus. Topica, cum à siccitate. Hîc non admittitur pilorum materies, quare deciduis pilis alij

 subtro

subrogari nequeunt: mollescat igitur & rarescat à remediis cutis. Caput aquâ dulci tepidâ, vel lacte lauetur sæpe. in qua emollientia, vt semen & flores maluæ, althææ coqui possunt, lini, branchæ vrsinæ, cucurbitæ, lapathi, pini, fœnigræci, & suaui rigetur oleo; quale oliuarum maturum, amygdalinum dulce, oleum lumbricorum, sesaminum, cum adipe gallinæ, talpæ, cuniculi, aut axungia porci. In oleis primùm coque adianthum, semen bismaluæ, & aliquid ladani. Cùm mollior horum vsu euasisse videbitur cutis, quo rarescat, lauetur tunc caput ex decocto chamæmelorum, meliloti, betonicæ, capillorum veneris, abrotani, cum pauco cinnamomo & ladano: Et vngatur caput oleo amygdalino amaro, cum pauco oleo caryophyllorum distillato; aut oleo de abrotano, cum ladano & pinguedine vrsi; vel laurino, cum oleo de colocynthide. In his oleis macerari poterunt primò cineres ranarum, vel sinapi, aut parum Euphorbij. Marcellus Empiricus, celebrat adipem vrsinum cum laudano.

CAVTIO.] CAVTIO, ne remediorum vi laxatis nimiùm poris dataque viâ exhauriatur materia pilifera, & qui restibiles pili comantes sunt excidant; hîc consociari debent modestè stringentia: tale ladanum est, mastix, absinthium, myrtus, salicis succus. Quale illud est, accipe oleum amygdalorum amarorum, in quo coque aliquid ladani, gummi elemnij, bdellij & myrtillorum: dein arundinum tenellarum radices vbi contuderis, succum exprimito, muscasque & apes vbi siccaueris, in pulticula misceto: sin ùsque vrsinum adipem: vbi in vnum triueris, ad illinendum exhibeto. si validiùs rarefacere velis, parciùs misce stringentia, & aliquid affunde olei colocynthidis, vel euphorbij, vel caryophyllorum, aut ex cæteris aromatibus, vel lacrymis exstillatum. Si, inquit Paulus, ex ambustis elicere velis pilos, accipies fici folia, in olla torrefacta, & ex caricis emplastri forma impones. Celebrat ad hanc passionem Nicolaus Alexandrinus semen althææ, in aqua elixatum: hoc caput, inquit, abstergito: nam seruat capillos, & hos auget, caputque roborat: & iubet vt postea inungatur oleo. cui semen althææ incoxit: ita fœnugræcum, linum, ladanum, & cinnamomum. Abenzoar solum oleum amygdalinum laudat illitum. Oribasius sambuci cineres ex cerato capiti imponit.

DIAETA vbi à siccitate. VICTVS sit ex illis quæ densa recludunt: talia sunt acria: si hyems fuerit, inquit Trallianus, & si pituitæ obnoxius, cæpâ fruantur, allio, porro, sinapi, & aromatibus, fœniculo, & humectis herbis. sed quia humidum gignunt flaccidum & tenue, quod pilos non tenet, accelerant caluitium, vt etiam fructus, exceptis ficubus: aspergantur igitur aromatibus, cinnamomo, pipere, fœniculo. Sit caro succosi nutricatus & pinguis, attamen eupepta. POTVS sit ceruisia, quæ vim bibit cinnamomi, fœniculi. Fugiant vinum polyphorum, astringens, & album: nam siccando caluitium facit, nisi tamen quis remedij vice eo vti velit, ad reclusa aperiendum: tunc & hippocratico locus erit: sed parciùs; quod sit medicinæ loco: nam multi calui Bacchum triumphantem comitantur. Muniatur caput à valido incursu frigoris & æstus. abiiciat cum vigiliis curas. Venus βαρεῖα fugienda. Pectinatio blanda sit & decursus rari pectinis. Tondendi ad cutim sæpè pili: id caluitium tardat. causam reddit doctissimus & clarissimus vir Hieronymus Mercurialis, quòd accisi illi, non tantum humidi pinguis exhauriunt, nam hoc nutriuntur pili. Hinc in Thalia scripsit Herodotus, Ægyptum paucos caluos habere; quòd se radant ad cutem. Eodem etiam ductu est emulgendum barbitium: nec enim causa tardæ eius eruptionis hinc longè fugit, cùm plerumque ei obsistat densior ac combinatior cutis: argumento est inferioris maxillæ superior pars, quæ ea causa pubescit tenui lanugine in primis barbæ præludiis, quod circumfluat calore & humore, quæ à cerebro & arteriis ibi micantibus inferuntur. Quare à calore lasciuiente & venereo prolubio præmaturè promitur barba, vt inquit Martialis,

BARBA vt fabricanda.

Inde tragus, celerésque pili, mirandáque matri
Barba.

Quidam tota vita barbâ visuntur exuti, non sine rubore: nam ex barba decus virilitatis ac roboris, corporis maturitas, imò sexus discerniculum exsplendescit. Auctor Haliabas potissimum ornamentum fuisse in barba. quamuis Adrianus Cæsarum primus, vt scribit Dion, barbam outrire exorsus sit. Scribit Iulius Cæsar libro sexto De bello Gallico, quòd hi qui inter Germanos diutissimè impuberes permanserunt, maximam inter suos ferrent laudem. Hoc ali staturam, ali hoc vires, neruosque confirmari putabant. Vetustiores tamen ita læti barbâ, vt Apollini primam conderent & fluminibus: vt Achilles apud Homerum. quod imitari voluisse videtur Nero. vbi iuuenalia edidit propter suam barbam, quam tum primùm rasetat, pilis in aureum coniectis sphærion, & Capitolino dicatis Ioui. Quòd itaque enascentem segniùs barbam eliceret Galenus, peculiariter abrotani cinere ex oleo lentiscino macerato illinebat mentum. Philagrius antiquus medicus præclaro hoc medicamine vtebatur: accipiebat limaces, hirudines, apes, vespas, salem communem: æquas horum omnium iungebat partes. vasi includebat, cuiusfundus paruis pertusus erat foraminibus. huic aliud subiiciebat pro excipulo, fimo cooperiebat. qui exstillat liquor illinebatur. iam quid olei caryophyllorum ei misceatur. ALIVD. Accipe cinerum abrotani drachmas decem: ventrium cantharidarum, drachmas duas: ladani, semunciam: auellanarum combustarum, drachmas duas: tere, & coque ex oleo amygdalino, vel violaceo: vngator mentum. Obseruari debet in huius remedij fabricâ, vt tantum accedat cantharidum, quò leuiusculè vlceretur mentum: nam, inquit Abincenna, crustulis deciduis emicant pili. Si violentiùs agit, remisce quid vnguenti rosati. Si odoratius velis; affunde quid olei caryophyllorum distillati. Tali etiam ferè medicamine vtitur Actuarius: & inquit, vbi herbescunt pili, assiduè abradantur, ficulneis foliis cruore euocato. Quibusdam in secretis est aqua destillata ex melle cum fauis, si illinatur. Fœdum etiam est cùm SVPERCILIA abstulit cicatrix. eam pingunt fuligo thuris, resinæ & masticis; hoc nulla lotione iterum elui potest. hac arte Turcicas feminas cilia in nigrorem tingere P. Bellonius auctor est. Vt itaque superciliorum cicatrix pilis obduci nequit, ita grato fuco venustas datur. Alioqui si sine cicatrice nodata fuerint supercilia, hæc, inquit Aëtius, euocat oleum in quo apes vstæ. Est & aliud Nothum caluitium, quod prodromum esse videtur in verum. attamen ferè non in caluitium abit, sed simplici defluuio sistitur. Fieri solet ex materiæ piliferæ inopiâ, vel à cutis raritate. Quod ab inopia piliferæ materiæ, ferè cum iam enarrato caluitio incidit, quod ex densitate cutis fieri diximus. Cùm fraudatur caput succo adusto cum quadam pinguedine, & substantiâ aëreâ, cadit pilus; non aliter ac plantæ, quæ contabescũt succi inopiâ. propterea, hîc primò

SVPERCILIA excisa.

NOTHVM caluitium.

A materia inopiâ.

exte

Causa & signa. extenuantur pili, dein cacidunt. vt in senecta, vbi depastum est humidum primigenium. vt etiam in iis qui, cùm nondum eualuere, ex graui conualescunt morbo. sed hoc, inquit Aëtius, curatu est facile malum, & vltro, à victu. Interdum euenit à nimia euacuatione subsidente cerebro: nam dum id cranium ferit, humectat cutem, vt prius diximus ex sententia Hippocratis: vt ex nimiis vigiliis, & immodesta venere. Quamuis asserat Albertus Magnus, De animalibus tertio, quibusdam caluis à coitu succrescere pilos. Sed ita existimandum, in tali homine calidum primùm sopitum fuisse, & humido detentum viscidiore; vnde calor solutis vinculis soluit humidum, ac pilum gignit. Non aliter forsan quàm scripsit Plato in Timæo, nutricatu vberrimo marcescere plantas in locis vdis & stagnantibus: nam Q. Horatianus à succorum copia affluente pilos necari existimat. sed hæc ratio parum cultis auribus satisfaciet. Rarò citra casum in morbum à materiæ piliferæ inopiâ caduci fiunt pili. Exhauritur etiam hæc materia ab hectica febre, vel longa inediâ, mœrore: ita apud Theocritum Simætha ex amore, ait, sibi deciduam esse comam: ἔρρευν δ' ἐκ κεφαλᾶς πᾶσαι τρίχες. In hoc nullus * κνησμὸς, vel, vt Hippocrates, ξυσμὸς, se iungit. ** pruritus.* In hoc malo non per areas excidit pilos, sed paulatim citiùs à morbo: tardiùs à senio. indicatio in his curatrix suadet nihil non agendum esse vt restituatur humidum calidum pingue: nam adest alimenti inopia: quare vberius pastum ineat corpus. *Prognosis.* Quod à senectute euenit, remediari nequit. in tabidis mortem nunciant caduci pili, si aluus fluat à succo alimentario. *Curatio cùm à materia inopiâ.* Nihil hîc purgandum, discutiendum, aut curiosiùs moliendum, sed reponendum aliquid parti genio fraudatæ. Prima igitur cura sit vt materia gignatur ex euchymis cibis, qui facilè trahi à corpore possunt, nihil habeant acre, nihil salsum, inquit Trallianus: Secunda, vt confectum alimentum trahatur in locum qui hîc in querela est: propterea fouet Trallianus caput aquâ calidâ temperate, & multo hydrelæo caput vngit: non autem sapone aut nitro abstergendum caput: Tertia, vt modestè stringatur cutis, si in longius tempus trahatur malum: frustra enim parta materia ac adducta fuerit, ni eam ibi tueamur. Dum itaque in molem sese effert foetu aquæ pars, subsistendum: ne quod attractum est exhauriatur: & ladani oleo vngatur. id hac eliciatur arte. Accipe ladani pinguis, & comminue vncias duas: adde aquæ myrti sescunciam: vel loco eius capillorum veneris aquam affundes: & olei amygdallini dulcis, vncias quatuor: bulliant ad aquæ consumptionem. Quod si varias has vires, quibus opus esse diximus in hoc malo, vni remedio (quod iam ferè faciunt medici) includere velis, ita præscribes. Accipe adianthi, abrotani, betonicæ, saluiæ, euphragiæ, palearum auenæ, singulorum semimanipulum: foliorum & baccarum myrti, cuiusque pugillum: corticum radicum cannarum, vncias duas: ladani, semunciam: coque ex lixiuio sarmentorum vitium: abluat eo caput. Dein accipe insecta illa quæ dicuntur gallinæ Mariæ, in vmbrâ siccata: pulueris talpæ lentè combustæ, pulueris apum, cuiusque semidrachmam: abrotani, myrti, adianthi siccati, singulorum drachmas duas: corticis intimi auellanæ, sesquidrachmam: spicæ nardi, drachmam: ladani drachmas binas: incoque oleo amygdalino, & exprime: adde si lubet aliquid adipis cuniculi, vel talpæ. Vncia mollientis remedij, vt oleum amygdalinum, accipiat densantis, vt ladani, drachmam.

Cautio. Cavtio, à squalidis & aridis rebus pax sit: ne exsorbeant materiam cui iam studemus. *Diæta.* Victvs ratio humida commendatur hîc, lotio frequens tepida: vinum tenue, venus nulla: aluus sit libera, & animus. *Si ex raritate cutis.* Alterum Nothum caluitium primordia ducere diximus ex cutis raritate: nam ad comationem non satis est vt materia rectè comparata sit ad cohæsionem, sed & cutis, cui radices pilorum ritè hærebunt, moderata sit oportet: nec enim in arenosis exaridísque pratis herba enascitur, aut enata diu graminescit. Dicitur autem hic affectus peculiariter à Galeno ῥύσις, quod est defluuium. quamuis latiùs se pandat hæc dictio interdum, trahitur tamen à Galeno maximè ad hanc causam: nam Galeno defluuij capillaris duæ præcipuæ sunt causæ, vt etiam Nono antiquo medico, raritas cutis, & inopia materiæ piliferæ. de hac priùs, iam de illa altera nobis breuiter agendum est. Ab hoc affectu non areæ nascuntur, nec facile abit in glabretam, sed sparsim caduci fiunt pili, ita vt totum capillitium rarescat. Nascitur à grauibus morbis qui caput tentauere. poterit etiam in causa esse rerum nimium aperientium admotio, vt lotiones ex lixiuiis leptomeriâ præditis, & vnguentis, maximè si habitus corporis rarior naturâ fuerit, & si valida exercitatio diu fatigauit corpus. at Galeno videtur maximè hos incurrere hanc causam, quos diu implicitos aduersa valetudo habitit. *Signa laxæ cutis.* Symbolis quibusdam notabimus hanc cutis mollitiem. Temperiem hominis explora: nam hi apertum habent caput, quod sæpè sudoribus perfunditur, & æstuat: hi, inquit Rases, sunt albi, & pilis nudum gerunt corpus, victúque vsi sunt humido: interdum liberaliùs indulsere rarefacientibus vnctionibus & lotionibus: iam læduntur rerum humectantium & aperientium admotione. nullus adest pruritus; acrior enim succus non fecit vitium. & sæpiùs incurrit hos qui à graui se recolligunt ægritudine. *Indicationes.* in hoc malo omni ope nitendum, vt arctetur cutis, vtque materia pilifera in caput prolectetur. Sed hæc in omni capillari effluuio cautio adsit, temperandum esse à nimis validè rarefacientibus: ne qui restibiles sunt pili diffluant. *Cautio.* Curabile malum hoc. Et à valdè siccantibus abstinendum: ne vtilem succum à cute auferant: nam ita callosa & glabra reddita vero affligeretur caluitio. Sint igitur densantia modicæ facultatis: ne repellatur & exprimatur quod succosum est: nam, vt diximus, non solùm hîc stringendum, sed & pilimateries est in caput ducenda. Propterea Galenus & Aëtius, dicunt, mente non concipio medicamen præsentius, eo quod ex ladano, & oleo lentiscino paratur. nam ladanum, vt scribit Galenus, absumit prauos succos ad radices pilorum, & meatus arctat. *7. Simpl.* Sed primùm fiat lotio capitis: Accipe cynosbati, mosci viridis querni, foliorum quercus, adianthi, betonicæ, singulos semimanipulos, florum thois, myrti, cuiusque pugillum: myrtillorum, ladani linteo nexi, cuiusque vnciam: masticis, caryophyllorum singulas drachmas duas: coque ex aquæ libris quatuor, bulliant ad tertiæ partis exhaustionem: colaturâ caput abluatur. Si strictius velis, adde acaciam linteo nexam, & gallam: alioqui absinthium. Deinde vngatur caput. vnguinum polydælâ copiâ hîc ludunt scriptores. Ego semper felici successu sequenti hoc vtebar, quod ex variis locis Dioscoridis, non sine labore, à me exceptum est. is enim mos est Dioscoridi (quod notauit adhuc, quod sciam, nullus) variis capitibus *Dioscoridis mos.* eiusdem remedij vim (quod efficax ad peculiarem aliquam passionem vsus certus notarat) inserere, ac

sæpissimè repetere, vbi de medicamento quod etiam illi morbo studet, pertractabat. Hoc nostrum tale est. Accipe vini dulcis, olei myrtei, quo hîc nihil meliùs mulierum pilos cohibet, ait Aëtius, cuiusque vncias quatuor: foliorum rhois, adianthi, abrotani siccati, singulos pugillos: foliorum myrti, pugillos duos: baccarum myrti, myrobalanorum emblicarum & chebularum, auellanarum contusarum, putaminum vstorum nucis escariæ, quod est iuglandis, singulas drachmas: cinerum ranarum, vel vnguium mulorum cinerum, aut talpæ, vel ventris leporis, aut conorum cupressi, seu capitum muscarum, semidrachmam: caryophyllorum, cinnamomi, cuiusque drachmas duas: thapsiæ semidrachmam: coque secundum artem, dum vini vnciæ duæ exhauriantur: colatutæ adde ladani pinguis semunciam: myrrhæ, beniouini, cuiusque binas drachmas: aloës semidrachmam: pinguedinis vrsæ vel talpæ, vnciam: misce, & iterum coque, dum totum vinum euanescat. In frigidissima aëris constitutione misce quid spicæ, vel olei caryophyllorum. Cui operosa hæc non placent, accipiat, suasore Aëtio, verbenacam rectam viridem cum radicibus, insoletur in oleo omphacino: bis per dies singulos perunctione renouatâ ac inlinitâ. Aut ex Marcello Empirico, nucis escariæ, id est, iuglandis testa contusa vel combusta, & minutatim trita atque adiecto oleo, imponatur: ladani parum adiice. Aliud: accipe vnciam ladani, calido pistillo subigatur in mortario, paulatim rigando vino stringente, dum mollescat; tandem affunde olei myrtei vncias duas. addi potest succus corticum nucum, & myrti: Nonus antiquus medicos addit myrrham. Theodorus Priscianus, qui nomine Q. Horatiani prodiit, laudat adipem vrsinum cum ladano, & adiantho. Dioscorides in libro de euporistis, celebrat myrrham, cum ladano & myrteo. oleum ladani vide apud Euonymum Tomo secundo. Plurimum adscribit Galenus diætæ. Absit vsus recludentium, & quæ leptomeriâ acrique vi exhauriunt: sed potius ineatur vsus frigidorum & densantium. Propterea commendat Trallianus lactucam, maluam, pepones, pisces, pectines, suillam carnem, pedes bubulos, isicia. Sit tamen cibus euchymus & qui ex facili rapiatur, vt vitelli ouorum. Veteri vino abstineant, inquit Alexander, sit medicatum ex nigris cerasis, aut cytoniis malis.

DIAETA, tùm à raritate.

CAPVT III.

De ALOPECIA & OPHIASI, quam Tyriam vocant Barbari: qui affectus à Celso Areæ appellantur. Aliis Pathos psilloticum, Vulpium lustra: Vulpio, & depilatio.

ALOPECIA dicitur vbi areas & glabreta in humano capite capillus deciduus facit. Nam vulpes inuoluit hæc passio annosas, oborta per ætatem scabie, ἀπὸ τῶν ἀλωπέκων. nonnulli deriuatum nomen ex facultate vulpinæ vrinæ existimant: quod enim volpes perminxit, in ariditatem, marcescentibus herbis, nec succrescentibus nouis, trahi affirmant. Idem est ophiasis, si serpentis more serpit, & inquit Celsus, incipit ab occipitio & duorum digitorum latitudinem non excedit, ad aures duobus capitibus serpit: quibusdam etiam ad frontem, donec se duo capita in priorem partem committant: fitque in infantibus, & in capite tantùm. At alopecia nullâ certâ ideâ serpit, & omni capillo & ætati iniuria est. cùm enim vna in parte concepta est materia, aream rotundam dabit. Quemadmodũ autem caluitium ex materiæ piliferæ inopiâ, aut crimine cutis nascitur, ita areæ ex materiæ piliferæ corruptela oboriuntur. non aliter ac plantæ, quæ contabescunt humoris inopiâ, aut liquoris occurrentis iniqua quadam & fœda colluuie. Fit, inquit Actuarius, ex succorum corruptelâ. vbi cutis capitis à moderatione sua abit, & ex humoris copia, aut pallida, nigricans, aut alba magis euasit. fiunt igitur areæ cùm materia pilifera malam traxit qualitatẽ, à materiâ morbiferâ: tunc enim corrumpitur. id euenit cùm labefactatur à cacochymiâ, lue venereâ, elephantiasi. Cacochymiam itaque sequitur fuliginis & cutis corruptela. Nascitur succorum corruptela ex mali succi cibis non rarò: ita refert Galenus iuuenem quendam, ex fungorum esu, alopeciâ fœdatum fuisse. Interdum succi totius corporis fœdati sunt, vt euenit his quibus peculiaris aliqua euacuatio suppressa est: qualis est mensium in mulieribus, & hæmorrhoidum effluentium statis periodis in viris. Hoc docuit Hippocrates libri sexti Aphorismorum trigesimoquarto: Cùm varices euanescunt, quas excipiunt pili cadiui, metastasi abreptis succis in caput, varicibus recrudescentibus, redeunt pili: ob diadosin materiæ morbiferæ à capite ad crura. Secetur vena, effluat sanguis ad vncias ferè septem aut octo: quia athleticam plenitudinem hoc malum non habet, quòd contaminatis ex succis nascatur. Sed quæ vena aperienda? Si à mensium fuerit iniuria, aut varicibus, malleoli pedis feriator vena. Et tandem, iam habita prouisione totius corporis, si conceptus sit prauus sanguis capite, in eoque sese efferant non sine calore venæ, inquit Auicenna, frontis vena pertundatur. Sed si alba fuerint corpora, frustra de vena secanda consilium erit; nam exiles venæ fugiunt scalpellum. Propterea in albis pinguibus corporibus cucurbitæ adferantur loco phlebotomiæ: infigantur pedibus vel dorso Aëtius & Auicenna suadent in contumaci areâ, vt, à toto cuacuato, scarificetur cutis capitis, quò materies fœda elidatur. Sed præstat scalpello non exasperare cutẽ, ne cicatrices pilos negent. Ergo scarificationis loco cotidie radatur capitis cutis, ita vt paulatim exscindatur summa cuticula: eo enim modo adaperiuntur pilorum radiculæ. Interim purgandum erit totum corpus. Hoc vt commodè fiat, singulis tribus diebus præparetur hoc modo. Accipe syrupi de endiuiâ cõpositi, syrupi capillorum veneris, & si à mensibus, de arthemisia, cuiusque vnciam: decocti capillorum veneris, verbenæ rectæ & fumariæ, cum pauco aniso, libram medicam: sumant in tribus vicibus, manè; & superdormiant. Quarto die ita purgentur: Accipe pilularum aggregatiuarum, & pilularum sine quibus esse nolo, cuiusque scriptulum: dacrydii præparati, grana duo vel tria: fiant pilulæ quinque, quæ deaurentur: Sumat in aurora, & superdormiat. OBSERVANDVM vt singulis septimanis bis purgetur ex Galeni imitatione. Inunctionem Topicam mox scribam. Interdum importatur iniqua hæc materia capiti, non à toto corpore, sed à peculiari aliqua parte, vt fracta à coctione ventriculi, vel splene infarctu obsesso: aut congeritur in ipso capite hæc materia, vt cùm caput afflictum fuit multis ac perpetuis doloribus, aut vulnere labefactatum. Pars quæque suas notas dabit cum in querelam venit: & medica auxilia euocabit. Quacumque autem ratione capiti hæserit inquinata

Ophiasis & Alopecia differentia.

6. Meth. 1.

Causa.

A CACOCHYMIA.

Si à totius cacochymiâ.

Chirurgia.

Purgantia.

Si à partis vitio.

Phlebotomia vtilis omnibus. hæc materia, siue coogestione, aot influxione, siue ab imperfecta præcedentis morbi crisi restibilis ibi hæserit, variorum succorum soboles esse solet; modo enim bilescit, pituescit, aut melancholescit, & tamen cunctis his debetur venæ sectio, modò ætas & vites concesserint. Ea tamen cautione, vt eò parciùs id agamus qoò longiùs à sanguinea benignitate abierit illa. *Dubia de phlebotomia.* Anceps hoc consiliom videri posset, quòd Galenus initio librorum κατὰ τόπους solutionis venæ non memioit. Sed viden? id eius loci non erat: oam voluit ille, per istos libros, locis laborantibus tantùm aptare medicamina. Dicet tamen aliquis, magnis taotum morbis debentur magna remedia', hæc autem sunt gemina, venæ sectio & pharmacia: at areæ ooo sunt in censu validiorum morborum: imò vix morbi. Respondemus, nos soluere venam metu iam iam futuri magni morbi. vnde? nam imbibita bæc praua materia validis remediis eximenda est capiti. Quod dum peragitur æstuante quadam medicaminum vi capiti admota, eò saoguinem abtiperent dolorum potentiâ, non sine delirij aliorúmque grauium morborum periculo. hoc periclitari nolumus. Nec tamen prohibemus vt notetur nom sanguini remixta fuerit hæc materia: si enim ab eâ longè recessit, oec sanguine corpus circumfluit, quid quæso proderit venæ pertusio? vnde id noscam? Si frictione aut admotione calidorum remediorum facilè in ruborem se effuderit cutis capitis, quod maximè fit recenti adhuc morbo, venam secato. attamen parciùs effluat cruor: nam vbi impurus est sanguis, non ita tutò effluit. *Qua vena.* Si hepar videtur vitium fecisse, in cubito deatro secetur media vena: si lien, vel in sinistrâ parte capitis si vitium consederit, sinistra feriatur vena media. Tandem ad cephalicam veniendum, & dein ad frontis venam, Vltimò, cotidie radat caput: nam ita sensim exscindetur cuticula summa, & pilorum radiculæ sese adapetient. hoc fit loco scalpelli, acuum, & hirudinum. Hac arte aliena materia vacuabitur, & ab iniutia putredinis vindicabitur quæ nondum contaminata fuit. *Prognoses.* Attamen, ne frustra simus, primò notare debemus, quæ facilè, quæ ægrè vel nollo modo sanari possint. Inoeterata alopecia ægrè sanatur. Nouacula tundi debent pili, inquit Actuarius, & locum affectum linteo nec molli nec aspero frica Si post paucas frictiones locus erubuerit, mediocris putari debet affectus: sin post multas, difficilior: si non mutat colorem, vt io cicatricibus, deploratom malum erit, vel diuturnum Propterea iubet Galenus vt quàm primùm elidatur materia cu- *I, κατὰ τό.* te concepta: ne labefactetur cutis, aut sanguis qui recens infertur contaminetur. Cùm igitur curabile malom deprehensum fuerit, à sectâ venâ ad purgationem pergendum, cùm sit à cacochymiâ. Verùm hæc praua materia est biliosa, melancholescens, aut pituitescens. Quò rectè purgetur, primò præparetur: ne fiat via vi, sed vt separetur à naturâ, & inoffenso pede elabator. *A biliosa materia. Signa & causa.* Si cacochyma hæc materia fuerit biliosa, pruritom à sua acrimonia inferet. diæta præcessit calida & sicca, aromatum & vini vsus. temperies & habitus corporis cæteræque res naturales, & non naturales in æstum & squalorem nutant: aut morbi biliosi præcessere, vnde superstes cacochymia à defraudatâ crisi. Et cùm biliosa illuuies in cutem capitis irrepsit, pallescet cutis: nam tingitur idea excrementorum quibus imbuitur: maximè si frictione efferuescat Exigenda est *Curatio cum à bile.* hæc materia. A venâ, vt diximus, sectâ, corpus totum, si inde importetur, purgetur: & ne restibili quadam fœcunditate iterum effusionem repetat, roboretur: idem de parte quæ in vitio esse potest dico, vt liene, vtero, hepate, capite ipso, ventriculo. Accipe capillorom veneris, verbenæ, fumariæ, endiuiæ, cuiusque semimanipulum: florum rosarum, violarum, nenuphatis, singulos pugillos: anisorum drachmam: coque ex aqoâ hordei ad libram medicam: colaturæ adde syrupi de endiuiâ compositi & de fumariâ, cuiusque semunciam: fiat apozema: aromatiserur drachmâ santalorum. Tribus diebus in aurorâ detor tepidè. Quarto die ita excludatur materia, Accipe pilularum aorearum scriptulos duos: diacrydij præparati grana tria: fiant pilulæ quinque. Tenellulis dentur pilulæ de rhabarbaro: vel infusum myrobalanorum citrinarum, com syrupo rosato laxatiuo. Robustis, qui minimè reformidant pharmaca, dantur pilulæ ex aloë cum scammonio. Si quis nauseat ad pilulas, sumat electarij de succo rosarum drachmas sex. Galenus hîc vritur hiera, cum scammonio temixto. & bis purgat hebdomade. Tandem roboretur caput: Id vt fiat docuimus nuper vulgato libro, nomine Praxis medicinæ, libris tribus Methodi. Ibi vide libri secundi capot septimum, vbi de alterando cerebro calido. *Victus cum à bile.* Idem dico de cæteris partibus, si vitium hoc peperere, vt hepar calidum, refrigeretur, vt ibi docuimus. De Topicis mox dicam. In cibum non veniant acria, calida, & salsa. sint cibi amœni & felicis succi: nam, inquit Theodotus Priscianus, vt froctus outriti malis succis praui sunt, ita & pili. vtatur carne veruccina & pullorum. A niue & aquâ niuali abstineant: nam Rhases libro diuisionum, capite primo inquit, ab eius vsu alopeciam gigni. cereuisiam, aut oligophorum potet vinum. Venus comis bella indixit: relegetur illa comata. Aluus sit memor sui officij, animus liber. *A melancholia. Causa & signa.* A MELANCHOLIA si hæc cacochymia enata fuit, illa luxuriat toto corpore, vel lien tactus morbo fuit, temperies totius & habitus melancholescit, & cibus in hunc succum promptus fuit. & nota num congestione à capite, vel vitio totius aut partis illatus succus capitis cuti fuerit. num varices euanuerint, aut solitæ hæmorrhoides. pares suis se prodent notis. ater liuidusque cutis color, melancholiâ tinctam esse notabit: efflorescet optimè à frictione color succi eius qui rigat cutem. Cauendum ne senescat hoc malum, sed illico deturbetur: ne cutis exuatur suo genio, & ne morâ contumax labefactatus succus, rotum quod deinceps allabitur alimentum in concordiam secum abripiat. *Curatio à melancholiâ. 6. Aphor.* Si ab hæmorrhoidibus oppressis enatum malum fuit, aut à varicibus, inferna vena pertundenda. Dein propina triduo decoctum lupulorum, fumariæ, &, si adusta materia, endiuiæ, capillorum veneris, verbenæ, huios libræ misce vncias tres syrupi de fumariâ: & si adusta materia, syrupi de endiuia cõpositi: vel syrupi de lupulis; aut mellis rosati, si non inturguit splen: ita syrupi capillorum veneris, de liquiritiâ: qualia plurima descripsimus libro secundo nostræ Methodi vbi de melancholiam alterantibus. Triduo ita materia parata, viisque corporis meabilibus redditis, purgabimus. Accipe pilularum de fumariâ, aut cochiarum, vel indarum, drachmam: fiant pilulæ septem. Si valentiores velis, adiice harum binis scriptulis, scriptulum vnum extracti ellebori nigri. id quâ arte fiat, aliàs docuimus. fingantur ita quinque pilulæ & inaurentur: sumat in diluculo. Si mitiores petat res, elige pilulas de quinque myrobalanis. Si peculiaris ægri natura horret ad pilolas, propinabimus semunciam confectionis hamech, vel electarij Indi, vel diasenæ:

diasenæ:cum decocto laxatiuo, vt fiat haustus. Nam squalida hæc materies blandiùs potibus quàm pilulis exigitur. Eadem ratione ecchylomata melanagoga præscribemus nonnumquam. Galenus hos purgabat quatriduo quoque hierâ cum elleboro. Vltimò roboretur caput, & euincatur sicca illa intemperies, ne iterum gignat nouam morbo sobolem, aut recipiat: id fiet illis quæ roborant caput siccum & frigidum. sin immissus fuerit ab aliis partibus succus, illæ etiam recreentur, ne ampliùs suggerant sementem huic tædio. De Topicis mox.

Victus à melancholiâ, Victus sit coctu facilis: vinum Rhenanum: venus nulla: à flatulentis aliena sit mensa, vt leguminibus: sit caro euchyma, & quæ attenuant pro obsonio sint: cappares commendamus.

A pitvita causa, & signa. Pitvita cùm parens huius mali est, vel caput hanc congessit, vel alibi nata illi incubuit. A toto vel parte accepta, symbola referent cuiusque. Sed pituitosam esse fœditatem quæ cutim inuasit, dicet totius habitus, & temperies perfusa pituitâ, inierunt viuendi rationem madentem & algidam, in sumendis, agendis, admouendis: interdum pituitosi morbi primùm fatigarunt, & longæ febres, & ventriculi tædia. pueros fatigare hæc caussa solet, postquam accepit putredinem. quibusdam à vulnere infirmum caput suum alimentum fœdat. Candidior in his erit cutis. & id pili ipsi dicent qui sunt in coronâ areæ: nam pili bibunt cutis colorem: vt in alpho euenit. Peior est area, inquit Celsus, quæ subpinguem & densam cutem & ex toto glabram fecit.

Curatio cum à pituitâ. Materiæ alienæ debetur euacuatio: & si cruda sit, coctio: & in metu corruptionis, vt ea arceatur. Si à frictione facilè in ruborem se dederit cutis, aperiantur venæ, vt iam tradidimus. Dein radendo exscindatur prima cuticula paulatim. Interim, Accipe decoctum artemisiæ, betonicæ, capillorum veneris, eupatorij, apij, stœchados, verbenæ, florum rorismarini, ex hydromelite: colaturæ adde mel rosatum, oxymel simplex, & compositum, syrupum de stœchade, vel de betonica, aut capillorum veneris, & de artemisia. Post triduum ita purgetur: accipe pilularum cochiarum, scriptulos duos: trochiscorum alhandel, grana tria vel quatuor: fiant pilulæ quinque, & inaurentur. Repetat harum vsum à triduo. Ita sumuntur & pilulæ lucis, aggregatiuæ, sine quibus.

Cautio. Cavtio. Si puer fuerit decennis, dabimus pilulas alephanginas, & assairet, aut de hiera cum agarico, vel scriptulum cocciarum. Sin fuerit infantulus, pax sit à pharmaciâ: inedia his pharmacum est. In pilularum fastidio vtantur diacatholico, hiera cum trochiscis alhandel, diaphœnico, diluto myrobalanorum chebulatum, diacarthamo.

Victus cum à pituitâ. Sint cibi optimi succi, tenuantes: quò inde firmi gignantur pili: aromaris indulgeat, & vino modestè vtatur. Quamuis Asclepiades à vino abstinentiam præscripserit. Abstineat à flatulentis, leguminibus, venere. Dioscorides nuces laudat. aluus sit libera & animus. Nihil in areis melius est, inquit Celsus, quàm nouaculâ cottidie radere, quâ cùm excisa paulatim est summa pelliecula, adaperiuntur pilorum radiculæ: nec desistendum dum frequens pilus nasci apparuerit. & illine oleo ladani, & frica dein foliis ficus. Vltimò quæ robur afflant cerebro frigido & humido, in vsum veniant. & si totum corpus vel pars materiam dederit, ea exigatur: & ne iterum gignat, studium adsit. Venenvm interdum caussam dedit; Q. Sereni id etiam carmen testatur:

——seu vis epota veneni,
Eximium capitis tactu deiecit honorem.

A lue venereá signa. Lves venerea hac labe non rarò caput fœdare solet. Hi agnoscunt sibi primùm contagione affrictum esse malum. Nam ab vlcere præputij (quod Carolum vocant) curato dies decem aut quindecim, raucescit vox. Dein decidiui fiunt pili ad duos vel tres menses: his succedunt artuum dolores, & in manibus & pedibus interdum scissuræ. Barbam hoc genus primùm incurrere consueuit & tempora, & mento crustæ inuruntur fœdæ, & quædam vestigia parua abesa in cute efflorescunt, pertusus locus cruorem reddet liquidum & praui odoris; & pruritus vexat. Hoc malum eructatur à præcipuis partibus in cutem: quare metus est ne & illæ fœdatæ sint hac pernicie.

Curatio. Quapropter illico huius lernæ hydra abscindatur, ne restibili alioqui fœcunditate nouũ morbo caput luxuriet; venerea lues primò abigatur. Purgentur pilulis cochiis cum elleboro, vel confectione hamech, ex decocto capillorum veneris & boraginis, fumariæ; lapatij acuti: adde syrupum de fumaria. Cùm mitiora postulas, da syrupum, vel mel rosatum laxatiuum cum decocto mercurialato. Bibat cerrisiam quæ iniectum habet guaiacum.

A leprá. Ab hac alopecia differt illa quæ est à leprâ, quamvis vtraque tristem agnoscat contaminationem, attamẽ hîc fuscus color faciem deformat, & in ideam Satyrorum vultus abit, sursum resimatis naribus, & supercilia maximè incurrere solet prætumida. Hæc curationem abnuit. Iam ad peculiaria arearum remedia me verto, quæ scilicet ipsi laboranti admouentur parti.

Topica. His ante purgationem locus non est: ego, ait Galenus, sæpè solâ purgatione superaui alopeciam. Cùm enim grauis fatigat cacochymia, si illico in topica ruamus, operam ludemus. *1. de. cō. 1.* Attamen, auctore Galeno, immissis serosis succis, cùm iam cutis inbibit abundè malignitatem, solis purgationibus elui nequit impressa iniuria: ob id cuti remedia admouere necessum erit. Verùm ante horum etiam vsum euacuato toto corpore, apophlegmatismis pituitam è capite prolectabimus, inquit Actuarius, *6. Meth. 1.* idque sæpiùs agendum esse scribit Paulus, ex sinapi, aceto, & melle, cum origano. vel masticet mastichen, vel pyrethrum in syrupo rosato leuiter coctum, si biliosa sit materia morbifica: si pituita, ex oxymelite coquatur: si melancholia, ex decocto thymi. Accipe nucis myristicæ, sinapi, pyrethri, origani, cuiusque scriptulum: trita excipe mastiche, melle, & cerâ: fiant trochisci: ad semihoram vna manducetur. His peractis cutis nudetur pilis, dein fricetur: id roborat & alimentum prolicit.

Cautiones. Sed Cavtiones quædam in vsu Topicorum obseruabiles sunt. Hîc digerentibus id quod affluxit discutiatur: & restituta temperie parti, pilorum alimentum prolectetur: quod est bonus sanguis, vt nutriatur cutis. hoc fieri debebit vsu calidorum remediorum. Sed non satis est vt caleant, quin leptomeriâ prædita sint oportet: quò peruadant in capillorum radices: igitur non modestè sed validè agant necesse est. Sed tamen cauendum ne vi nimiâ exsplendescente, cutis in æstum abripiatur. Id colore flauiore, & calore deprehendetur. Quare tunc exolutiore vi vtendum erit; mixto adipe: & rigandum tunc caput oleo dulci calido, aut cataplasmate ex pane, & adipe anserino vel gallinæ, vel vnguento rosato. cauendum enim, ait Aëtius, ne alopecia exulceretur: ita enim vt in caluis siccaratur cutis. Absint igitur quæ rodunt: nam perpetuum caluitium parerent, propterea Galenus non vtitur merâ thapsiâ recenti. Vnde scripsit Actuarius, si thapsia calidior fuerit quàm passio flagitat, sola non apponatur, ne tumores phlegmonosos præbeat: quare

misce

misce oleum. Grauiorum vsus auspicandus erit ab exiguâ eorum copiâ,& si apparet indicium inflammationis, vt calida & rubra cutis,ab eorum vsu abeundum: ne fiat inflammatio & vlcus. Quare præstat à mediocribus ad validiora surgere. Propterea sæpè repetatur remedium,& inspiciatur cutis: nam si leuiter mutata fuerit,his insistendum: si non; ad validiora repedandum. Obseruandum,vt à validissimè aperientibus strenuóque astringentibus abstineamus: vt enim hæc repellunt nutrimentum,& suturas claudunt quibus cottidie fuligo exhauritur, vnde dolor capitis & caratthi (quare Abincenna validiora oleo rosato miscet) ita illa quæ nimium rarefaciunt, iam iam fluxuros deiiciunt, & adductum nutricatum exhauriunt, & moram nexúmque ei negant. Veteres ante balneum, & à balneo medicamina illinebant. At iam balneis consuetudine exoletis, vtemur fotu, spongiâ madente decocto, radicum arundinum, absinthij, stœchados, adianthi, myrti, vitis, iridis, aloës, betonicæ, abrotani, hederæ, palearum auenæ, hæc digerunt & aperiunt meatus. Dein attrahentia illinuntur, abrasis iterum atque iterum capillis. Primò fricetur cutis cum radice ari, vel folio ficus: nam Paulus cæterique Græci præmittunt ἀνάτριψιν, id est, frictiones ex nitro.multos noui, inquit Paulus, τριχοφυήσαντας, id est, pilos produxisse solâ frictione & assiduâ rasurâ. Fricetur assiduò cutis, inquit Aëtius, cum perdicij herbæ foliis, quod est parietaria. Deinde ad inlitiones veniendum,quæ ab antiquis propriè appellabantur capillaria remedia; vt apud Martialem:

Non erubescit murice aureo nobis
Diuidere mœcha pauperis capillare.

Cautio. CAVTIO adsit in horum vsu, vt nondum antiquato malo imbecillis vtamur remediis: nam leuius adhuc malum erit. Ita etiam cùm à bile ortum est malum, & dum in calido hæremus aëre, & in tenellulis naturis, vt poetorum & nobilium mulierum: nam à vi vrente & siccâ cùm semel absorbetur humidum innatum, immedicabile fit caluitium. Materia remediorum. Propterea seriem hanc ponimus discutientium rerum, quam à robustissimis, per medias vires in lenissimas finimus.Euphorbium, euius scriptulum remiscemus cum olei laurini, aut si mitius velimus, cum rosacei vncia: nam omnium potentissimum est euphorbium. dein thapsia mediæ ætatis, nam verus enervata est, & recens nimium flagrans.si thapsia defuerit, eius loco æquale pondus seminis nasturtij sufficietur, inquit Actuarius, aut erucæ. Sinapi, piper album,sulphur, nitrum vstum, quod vocat ἀφρόνιτρον Actuarius, elleborum album & nigrum, staphisagriæ puluis aceto maceratus, mediocris est: cinis abrotani, adianthi, radicum arundinis, melantij, amygdalarum amararum,persicorum,allij, rorismarini, betonicæ, radicis betæ, cyperi, irionis semen, succus allij & cæpæ, rhus pluſculis diebus ex aceto in sole tritum, alcyonium, cineres echini terrestris, & eius caput vstum, inquit Aëtius, cum vrsinâ adipe, cicatrices etiam vestit pilis: Actuarius vrit membrum & splenem asini,cum adiantho: cinis viperinæ senectæ: cineres apum, murium,dentium equorum, fæcum murium, caprinarum,capitis leporini,pilorum, talparum,ranarum albarum, myrrha, ladanum. Adeps vrsinus, anserinus, anatis siluestris, vulpina, lupina,talpæ, cuniculi,serpentis,viperæ, cerui:lauentur aquâ vitę. pix liquida & illa quæ ei supernatat aqua. oleum nucum antiquum magnam in his vim habere inquit Auenzoar: laurinum, abrotaninum, iuniperinum, amygdalinum amarum, myrtinum, de cherua, costinum, nucum, lucernarum, balsami liquor. Ad drachmam vel semidrachmam puluerum (vt velis vim valentem) affunde olei vnciam: vel olei & adipis simul drachmas decem: vel vt faciliùs dicam, habeant melleam crassitiem: ita nec hærebunt, nec diffluent. hyeme sint paulò liquidiora. Ex his polydæla varietas remediorum effingi potest. Qui hoc non potest, ita describat forte: Formula. Accipe gummi elemnij, drachmas duas:adipis anserini loti ex aqua vitæ, vnciam: olei nucum, lauri, vel terebinthinæ, amborum drachmas tres: misce in calidis cineribus: dein (si forte vis remedium) misce euphorbij, thapsiæ, cuiusque semidrachmam: sulphuris viui, sinapi, cuiusque scriptulum: cineris tithymali, & cantharidum, cuiusque semiscriptulum: si adhuc fortius velis, auge puluerum copiam. Mediocre si velis, hoc modo: Accipe pinguedinis vulpinæ, talpæ, & cuniculi, dilutæ in aquâ vitæ, olei pini, olei nucum, cuiusque drachmas tres: gummi elemnij, semunciam: misce, liquescant in cineribus, & asperge seminis erucæ puluerisatæ, ellebori, cuiusque semidrachma:vel euphorbij & sinapis ana semiscriptulo, cum paucâ thapsiâ & sulphuris momento. vel Accipe euphorbij, semidrachmam:olei amygdalorum amarorum,vnciam:axungiæ anseris, semunciam, misce. Quòd si vsus exigit lenem medicinam, ita præscribatur, Accipe olei vitellorum ouorum, amygdalini & adipis anserini, cuiusque semunciam: ladani, drachmam: cinerum apum & amygdalorum amarorum, vel persicorum,aut cannarum radicum, abrotani, vel thuris, drachmas duas: misce, fiat linimentum. Tale etiam est myropissocerum, ex pice & cera, cum laurino liquefactis, cum ladano, & adipe vrsi, cum succo pampinorum tenerorum, succóque lauri, & fœnigræci, & verbenacæ, foliorúmque arundinis, canini rubi, echini terrestris cute vstâ: in plumbeo mortario terantur. hoc inuenit Claudianus sodalis Galeni. vel hac arte, Accipe mellis libras duas: cineris abrotani, vncias binas: apum vstarum vnciam: polytrichi, manipulos quatuor:ladani, sescunciam. tere omnia,& in vino rubro dies nouem sub dio macerato: distillâ in balneo maris.Quidam distillant mel,vinum Creticum, lotium pueri & lac: cuiusque accipiunt libram. Alij addunt hyssopum,abrotanum,sinapi, macerant dies tres. vel copioso adipi inde parum thapsiæ & euphorbij: vt partem duodecimam: imò vicesimam. Vbi autem malum vetustescit, phœnigmi fiant ex sinapi: & dropaces ex pice, & tandem thapsiam cum cerato imponimus: exedit supernam cutem saniémque fundit; ita vltrò pili prodeunt: & rosaceo tunc vngimus. Obseruandum, vt, dum pili nasci incipiunt, inquit Mesue, sæpe radantur, maximè si lanuginosi enati fuerint; quò crassamentum ducant. & in ipso coronæ ambitu, primùm enasci incipiunt. Et quamprimùm ex natiui coloris redintegratione animaduertemus particulam à prauo succo liberam esse, tunc primò eò proliciemus sanguinem optimum. si sponte non eò se verterit. Suauibus id fiat fotibus:aquæ cum maluâ, liliorum radicibus, absinthio, meliloto: axungiis, oleo amygdalino, oliuæ, ex pineis. Et eo tempore edat ficus,& vtatur theriaca,vel trochiscis de viperâ: A lue venereâ. nam pilorum materiam in cutem efferunt. Si fuerit à lue venereâ, Topica. prouisione habitâ totius corporis & capitis, cum à sole abiens luna vmbram facit, adimantur pili, & caput quater vel quinquies fumum excipiat ex cinabaro,thure,& myrrha:dein per decem vel quindecim dies vngatur serò cubiturus, vsque ad saliuationem sufficientem: deinde

illinatur

illinatur caput. Accipe olei laurini, vnciam: olei de abrotano, drachmas duas: axungiæ vulpis, vel vrſi, vel talpæ, dilutæ cum aquâ vitæ, terebinthinæ, cuiuſque vnciam: argenti viui in ſucco ſaluiæ extincti, drachmam: mirrhæ ſemidrachmam: euphorbij ſcriptulum: olei garyophyllorum ad odorem: fiat linimentum. ſed primùm optimè foueatur caput lacte recenti dulci; ex auctoritate Marcelli Empirici, capite ſexto, vbi ait: Lac caprinum incoctum, ſed non vitiatum, rectè alopeciis infricatur: mirum eſt. hoc etiam laudat D. Ioubertus, ex Diuo Rondeletio. Sed optimum hoc eſt: acetum diſtilletur cum theriacâ, & aquâ vitæ; cui immitte terram Lemniam: pilos firmat, etiam in ciliis & barbâ; eroſionum vlcuſcula omnia abigit, vt in ore & gulâ. Cui Mercurius ſuſpectus eſt, licebit hac arte tranſigere, Accipe corticum ligni guaiaci, corticum radicum cannarum, cuiuſque vnciam: foliorum betonicæ, hyſſopi, adianthi, abrotani, cuiuſque manipulum ſemis: fiat decoctum, quo caput lauetur: vel fiat id lacte: & vngatur, Accipe corticis guaiaci in pollinem redacti: abrotani combuſti, ſingulas ſemuncias: olei caryophyllorum, olei amygdalorum, cuiuſque vnciam & ſemis: vini ſemunciam: fiat coctio in duplici vaſe ad ſemidiem: colaturæ adde aquæ vitæ ʒ ij. olei diſtillati guaiacini ſcripulum: pulueris caryophyllorum drachmas duas: reponatur. CAVTIO: In hac lue ineunte, abſint omnia denſantia cutem: ne virulenta vis contumaciùs indatur cuti, & ſæuiùs ſerpat. fuge eo
Empirica. tempore vſum myrti, ladani, maſticis. Inter empirica ladanum etiam ante Hippocratis æuum nobilitatum capillati vi fuit: ſed non ſine ratione; etenim, vt auctor eſt Aëtius, ſtrictione defluos capillos retinet, & tenuium eſt partium: & propterea mollit modeſtè, diſcutit, coquit, & tenuat ſuccos ad pilorum radices congeſtos, & meatus cogit quibus impacti erant. hæc habes à Galeno. Dioſcorides in Euporiſtis laudat myrrham, cum ladano, vino, & myrtino. oleum ladani, adianthum, & baccæ myrti, vel iuniperi linteo excepta macerantur oleo: peciâ caput fricatur: vel, ladanum liqueſcat in duplici vaſe ex oleo ſpicæ. Aliud. Accipe veſparum, apum, muſcarum, cuiuſque pugillum: miſce
l.αγ' n.1. cum melle diſtillato in duplici vaſe. Aliud: Accipe capillorumveneris ſemimanipulum: foliorum myrti, roſarum, abſinthij, cuiuſque pugillum; coque in vini & olei cuiuſque ſelibrâ, dum vinum exhauriatur: expreſſo oleo adiice ladani vncias binas, & maſtiches ſemunciam: ſubigantur in mortario piſtillo calido, ſenſim oleum miſcendo: dein inſperge caryophyllorũ drachmas duas. Oribaſius nono ſynopſeos laudat inter cuncta ladanum, & dicit ſe nullum præſtantius remedium expertum eſſe, nec melius ratione concipere ſe poſſe. Antiquus auctor Marcellus Empiricus affirmat, quòd capilli & barbæ etiam glabro naſcentur, ſi lichenem aſini comburas, & puluerem ex oleo veteri imponas. hoc ita, ait, validum eſt, vt ſi mulieri inde maxillas vnxeris, barbam ei naſci facias. Idem muſcarum capita combuſta, & cum melle trita, capitíque inlita, mirè alopectas tollunt. Idem, Erinaceum ſi quis totum combutat, & eius puluerem adipe vrſina caluo ad integrum capiti imponat, decorem priſtinum reſtituet capillorum. Et, inquit, malua cum ſuâ radice vehementer coquitur, ex cuius aquâ capillus aſſiduè lauatur. Idem miſce æquas partes ladani & olei piſtillo calente in mortario paulatim, & cùm mellis craſſitudinem feceris, radices capillorum aſſiduè inlines. Hic Marcellus exiſtimat, in capite ſexto, circa finem, maleficiis capillos perdi poſſe, & quo modo ad priſtinam inde formam reparari poſſint, ibi docet. Auctor etiam eſt Apuleius ex magiâ reſtitui pilos poſſe, nam in ſuâ Magiâ inquit, inueſtem puerum accepiſti, veſticipem illico reddidiſti.

CAPVT III.

Contra HIRSVTIEM, *&* RIGIDITATEM *ſetaceam capillorum.*

TVRPITER nonnumquam puellarum & matronarum faciem pili inuadunt, quæ anxiè in priſtinum ac muliebrem decorem reuocari à Medicis efflagitant. Scribit Hippocrates, ſub finem libri ſexti De morbis popularibus, Abderitanam quandam mulierem Phaëtuſam Pythei coniugem, cùm olim puella fœcunda fuiſſet, eius marito in exilium acto, hirſutam factam fuiſſe, totúmque eius corpus virile euaſiſſe. Idem, inquit, euenit Namyſiæ Gorgippi vxori in Thaſo. Cùm itaque horrida aſpectu hirſuties fatigat, ψίλωθρα remedia, hoc eſt, depilatoria euocari in vſum debent. Hæc dupli- *Depilatoria.*
cia ſunt; nam quædam capillos corrumpunt, & decutiunt, erodendi quadam vi: alia ſunt ἀδρανῆ, & antipraxiam quandam exercent cum pilis, quâ prohibent capillorum eruptionem, aut eam tardant ſaltem. Priora autem, quæ dixi pilos vitiare, duplici ambitu continentur: nam vel ſunt moderatiora, aut vehementia. Quæ moderatiora, peculiariter *Moderatiora*
ψίλωθρα dicuntur, ac in cottidiano vſu mulierculis verſantur: nam, ex ſententiâ Menemachi apud Oribaſium, minùs vellicare cutim debet pſilothron quàm dropax. Inter hæc probatur in primis vitis alba, quæ ideò à quibuſdam peculiari nomine ψίλωθρον vocata fuit, auctore Dioſcoride & Plinio. Oribaſius auctor eſt eius fructu coria pilis ſpoliari. Pumex etiam vſtus, & tartarus albus cum lacte tithymali. Laudat Fumanellus tithymali decoctum, cum aceto, calce viuâ, & maluis commixtum, & oua formicarum ex oleo illita. vel accipe calcis viuæ, vnciam: auripigmenti, drachmas tres: miſce cum vnguento roſato. ſi fortius velis, æqua auripigmentum calci. Si ſtupidiorem vim exigis, contundes hæc in mortario plumbeo. Apud Galenum hæc ſine vnguine ex ſucco ptiſanæ teruntur mortario plumbeo. Alij æquas partes calcis & auripi- *Vehementiora.*
gmenti in puluerem comminuunt, nodulos includunt, quo, in aquâ macerato, partem allinunt, móxque leniter ductâ manu pilus excidit. Ægyneta accipit cutionum drachmas binas; ſandarachæ ſemunciam; calcis viuæ drachmas octo: aceti veteris, lixiuij ficulnei, cuiuſque cyathum, in olla coquit, & à fotu illinit. Hæc vehementiora ſunt, quæ non ſolùm, vt priora, reddunt cutem glabram, ſed penetrabili vi radices pilorum violant & exſcindunt. Pars etiam vna auripigmenti, & calcis viuæ partes duæ incoquuntur aquæ roſatæ, cum pumice vſtâ & tartaro, & parte gummi Arabici: locus hac lauatur aquâ. Aliud, accipe trium induratorum ouorum albumina, auripigmenti in puluerem redacti drachmas duas, calcis viuæ ſemunciam: ſimul contundantur, & denſo linteo exprimatur liquor. Eſt & antiquum remedium Paridis ſaltatoris, quod è veſtigio pilos aufert: terebat is ſandarachæ & calcis viuæ æquas partes, & in aquâ diligenter coquebat, dum penna vnà cocta glabreſcat: Baytus accipit auripigmenti, & ſucci hyoſcyami æquas partes, & inungit. OBSERVANDVM *Obſeruatio.*
ne multam moram hæc in parte trahant, ne fiat

eaco

excoriatio: nam omnia hæc feruida, & exedendi vi prædita sunt: studium igitur adsit, ne horum potentia vsque ad interiores partes progrediatur. Cùm enim hæc neglecta vlcera aut pustulas excitant, cicatrices relinquere solent. Quare & emplastica his iungemus, quæ vstoriam vim castigant talia sunt muceago seminis psyllij, seminum cydoniorum, albumen oui, vnguen rosatum. Itaque cùm valida per horæ quadrantem inuncta fuerunt, eluátur calidâ aquâ. in madidiore habitu aliquantulum spaciosiùs trahatur mora. Obseruabile & illud, vt pili auferantur lunâ extabescente: id notatum ex reduuiis circa vnguium radices, quæ tardiùs refruticantur accisa lunâ decrescente. *Vtendi modus.* VTENDI ratio hæc est; Locus tepidâ foueatur: & maceretur aliquantulum antè. Cùm inhæsit medicamen quadrante horæ, locus eluatur calidâ, & abductis capillis inlinatur vnguentum rosatum, cum muccagine seminis psyllij, vel vnguento caphurato albo Rhasis. Sed quia in obscurum degenerat colorem locus pilis suis fraudatus, inlinatur pomatâ rigatâ aquâ vitæ: nam nitorem cuti reuocat. Quòd si ab imposito psilothro acerbus incubuerit dolor, tum illicò remoue id, metu vstionis, & vnguine rosato inungatur; id enim mulcet exulcerationem. vnguentum ex cerusa idem potest: vel etiam argenti spuma intrita oui albo, & vnguento rosato, cum paucâ caphurâ. Rondeletius lauat locum decocto seminum brassicæ. *[illegible] Empirici docta.* Secundum genus depilatoriorum remediorum, quod antipraxiam cum pilis exercere diximus, non exedit pilorum radices, sed peculiari ratione illis bellum indixit. Inter hæc recensetur à Galeno lepus marinus, qui Plinio massa seu informis caro nominatur. hunc Galenus similem asserit esse limaci, exemptâ testâ; colorem leporis gerit, tantæ virulentiæ, vt mulieres ingrauidatæ ad eius conspectum vomant, ac mox abortiant. hic illinitur. Ita & cedria, testudinis marini cruor; hepar tunni, inquit Actuarius, putrefactum, marinus scolopendrus, littori Septentrionalis Oceani frequens, & vrtica marina, stellæ marinæ cum nitro & oleo, vespertilionis sanguis, hederæ lachryma, curiones qui stabulantur sub aquatiis, oua formicarum. Quædam horum coquere licet ex oleo nenupharis, vt quatuor digitos altum supernatet; sed continuò agitetur. Imbuatur hoc linteum, ac madens loco hæreat noctu. Manè vnge locum vnguento rosato. id quinquies vel sexies repetatur. Hæc empiria vsibus humanis intulit. Sunt & alia quædam, quæ in sterilitatem densant locum, & pilis prouehendis ineptum reddunt, atque mirum in modum tardant pilorum prouentum. *Alia quædā à frigore.* Hæc horrido quodam algore perfusa sunt, quo piliferam materiam à cute arcent; & meatus densant stringendi vi. vt, accipe ranarum carnes, sumachium, rosas, semperuiuum, acetum, aut succum aut semen hyoscyami, mandragoræ, papaueris nigri, alumen, semen cicutæ; ponantur hæc in loco humido, & qui emanat liquor inlinatur. Abincenna vtitur cineribus ranarum palustrium, cum muccagine psyllij, & succo hyoscyami. Marcellus Empiricus miscet pinguedinem ranarum & vespertilionum cum gummi hederæ, & pro vnguento inlinit. Idem auctor vngit cottidie pilos cum opio & succo hyoscyami, & remiscet eum aceto; id, inquit, ilicò depilabit. Aliud eiusdem: Accipe cerusæ vnciam, aluminis rochæ semunciam: succi hyoscyami, quantum satis est, vt fiat vnguentum. Eadem vi miscetur hæmatites, acacia, gallæ, dactyli vsti, cum succo limonum & aquâ solari. *Cautio.* CAVTIO adsit in horum vsu ne puellæ pubi admoueant hæc, dum iam iam fluxuri sunt menses: nam ad viscera palindrome fieret nocui sanguinis. nec frigidius cerebrum hæc feriant, maximè cùm elucet in his hyoscyami & opij vis. *Contra RIGIDITATEM capillorum.* Quibusdam implicabiles & setacei à duritie enascuntur pili, quod maximè euenit turgentibus pilis à crassioribus fuliginibus: quare [illegible] hìc in vsum duci debebunt. Detergentia & leptomeriâ prædita medicamina (nec tamen abradentia) molliores & tenuiores reddent pilos. Talia hæc sunt: Accipe cauterij à nobis descripti libro primo Methodi nostræ, vnciam; olei vncias tres: coquantur simul, dum vanescat cauterium: quod deprehendetur, si focis iniecta olei gutta non stridet, aut crepitat. Scribit Dioscorides, idem posse lac characiæ tithymali cum oleo illitū farina hordei, amygdalæ amaræ, sapo: hæc lenissima sunt. fortiora, os sepiæ, pumex vstus, ciuis concharum: ex his fiunt lixiuia vstis. herba saponaria, bryoniæ radix, aristolochiæ. Quò hæc gratiora fiant, iungit Galenus cyperum, iridem, spicam, melilotum. Oribasius lixiuum describit saponatiorum, sed depilat teneriores. lupini, aloë, colocynthis, fel tauri, nitrum, veratrum vtrumque. Sed ne CATARRHVS bellum moueat, & vt mollescant pili, ita præscribe; accipe rorismarini, conyzæ, radicum ari, betonicæ, aut ononis, aristolochiæ, centaurei minoris, lauendulæ quæ à lauando dicta, radicum lilij, pityusæ vel tithymali, cuiusque manipulum: lupinorum, semilibram: epithymi, vnciam: foliorum senæ, sescunciam: agarici, corticis pomorum colocynthidis, cuiusque binas drachmas; & tantundem ellebori: bulliant in lixiuio sarmentorum vitis. Aut exclusis purgantibus, lixiuio inde pomum smegmatis. Sin quis reformidarit lotionē capitis, fiat frictio ex furfure retorrido; nam ebibit ille pilorum sordes & flatus, vnde illi turgent. Aliud, accipe florum lauendulæ, leucoij, ligni aloës odorati, cinnamomi, radicum gentianæ: myrrhæ, seminis nigellæ, succini, cuiusque drachmam: fiat puluis: iniiciatur dormitutarum capillis, & manè excutiatur. Qui plura velit, consulat Actuarium Methodi sexto, capite primo, ad finem; & Aëtium 2. 2. 65. quamvis hæc prudenti medico fecerint satis.

CAPVT V.

Aduersus CANITIEM. *Et quo modo flaui procreentur capilli.* & FISSVRÆ *pilorum quibus arceantur.*

MVLIERCVLÆ, cùm intempestiui funduntur vertice crines, quò viris suis feliciùs blandiātur. anxiè remedia quærunt, & his nonnunquā studiosiùs viri ipsi. Quanquam hæc medicamina, ante Heraclidis Tarentini medici tempora, nunquam Romanos tinxissent, tandem tamen adeò hoc studium hos occupauit, vt & alienas comas gestare non erubescerent. Quare Heraclides & Archigenes hunc medicinæ ornatum intulere: & Crito aulicus medicus libros comptorios reliquit quattuor. Et quamvis ætate interciderint horum scripta, tamen melior pars celebratorum ab iis remediorum adhuc legitur apud Galenum, Oribasium, & Aëtium. Quæ ætatem tulisse puto non aliunde, quàm quòd veterum plurimi nudo capite incedebant. Refert Cicero, De senectute, Masinissam nullo vnquam imbri, nullo frigore adduci potuisse, vt caput suum veste tegeret. cæteris hominibus, cùm erubescerent præ talibus

vitis mollitiem suam prodere tegmine, nec absque eo præmaturum senium tegeretur, in ctinibus cultu opus fuit.

Quid.

CANITIES Græcis πολίωσις, passio capillorum est quâ albi fiunt.

Quotuplex.

Est autem triplex varietas canitiei, nam ea innadit bomines à prima ætate, aliàs ab eius decursu, vel à morbiferâ vi.

Naturalis.

Referunt Plinius atque Valerius, ex Ctesiâ, Pandotæ Indiæ populos, in conuallibus sitos, ducentos viuere annos, in iuuentâ candidis capillis, in senectute oigris præditos esse. Et Ctesias auctor est, in quadam Iodiæ parte feminas semel tantùm pátere, ac eo conceptu genitos illico canescere. Solinus prodidit, cui etiam subscribit Agellius, Albanos, Seythiæ populos ab ipso natali albescere: & inde esse genti nomen. Tarquinium Priscum ab ineunte pueritiâ canum fuisse oarrat Strabo libro quinto. Ita Tyrrbenus Tarcon, & Cycnus Troianus ætatis primordio cani fuere.

Morbosa.

Aliàs vi morbifera subitò emicant cani.

5. de gen. anim.c.4.

Causam huius canitiei eleganter prodit Aristoteles, vbi ait, Γίνεται δι' ἀσθένειαν καὶ ἔνδειαν τῆς θερμότητος. ὅσοις οὖν τῶν ἀνθρώπων ὀλιγόθερμός ἐστιν ἡ τῶν τριχῶν φύσις, καὶ πλείων ἡ εἰσιοῦσα ὑγρότης ἐστὶ, τῆς οἰκείας θερμότητος ἀδυνατούσης πέττειν, σήπεται ὑπὸ τῆς ἐν τῷ περιέχοντι θερμότητος. ὥστε ἡ καὶ ἐν τῇ θριξὶ τοιαύτη οὖσα τροφὴ οὐ πεττομένη σήπεται, καὶ γίνεται ἡ καλουμένη πολιά. Λευκὴ δὲ, ὅτι καὶ εὐρὼς μόνον τῶν σαπρῶν, λευκόν. Αἴτιον δὲ τούτου, ὅτι πολὺν ἔχει ἀέρα. Ἡ μὲν γὰρ παγεῖσα ἀτμὶς, πάχνη γίνεται· ἡ δὲ σαπεῖσα, εὐρώς ἐστι, καὶ εὖ δὴ οἱ ποιηταὶ ἐν ταῖς κωμῳδίαις μεταφέρουσι σκώπτοντες, τὰς πολιὰς καλοῦντες, γήρως εὐρῶτα πάχνην. hoc est. Illa canities inopiâ caloris contrahitur. Quibus igitur hominibus natura pilorum parum calida est, plúsque humoris subit, calor proprius nequit coquere, atque ita putrescit humor, à calore aëris ambientis. Ita in pilis alimentum cùm non coquitur, putrescit, & fit canities. Hæc quidem albescit, quòd situs cariosorum albescat. Cuius rei causa hæc, quia multum aëris contineot: nam si vapor se efferens concrescit, pruina fit: sin putrescat, situs. Et rectè à Poëtis in comœdiis transfertur conuitium in canitiem, cùm senectutis situm pruinam nominant. Pulcherrimum est causam huius euentus, sine quo vix senescimus, intelligere: quare altiùs aliquantulum hanc accersam.

PILVS.

Pilus corpus est frigidum, siccum, durum, sensus expers, ex fuligine quadam & eluuie succorum natum. Hæc eluuies cineris quasi ideam gerit, retortidâ crassaque substantiâ prædita. Hæc geminata ob causam maximè caput inuadit, tutelæ nimirum, & ornatus. Tutelæ, ob duritiem, quâ ossibus præstare dicitur ab Abincenna. Vsus reclamare huic videtur sententiæ, quòd ussa minimo nisu frangantur, at nullo flexu ferè pili, si siccati non fuerint. Hinc illud esse respondemus, quòd pili rigantur viscido quodam madore, à pingui illo panniculo carnoso, cui etiam tanquam solo inseruntur. Collineat itaque Abincenna ad effectricem tantùm pilorum causam. non enim pilorum materia, simplex quidam est vapor halituosus, sed talis, qui gerat plurimum crassæ & terrestris materiæ. Triplex enim est in corporibus nostris halituum genus. vnum, quod exhauritur sensibus incomperto effluuio, sese traiiciens per peripheriam nostri corporis. (vnde & nobis non sudantibus inquinantur indusia) cúmque moram in poris corporis nectat nullam, minimè ad pilorum prouentum facere potest. Aliud madore fluctuat, quod, impellente interdum calore, in sudorem se effundit. Tertium crassum est & terrestre, cineribus simile, verus pilorum auctor ac parens. Hæc est illa halituosa & terrestris materia, quæ per angusta cutis spiracula trusa, impedita hæret, dum viam quasi vi sibi molitur, succedentéque noua seriatim truditur, adhæsionéque mutuâ pilus fit. Quo autem crassior fuerit succus ille, vnde hic vapor exilit, eò crassamentum durius ducet pilus. qood in melancholicis fidem facit. Hæc pilifera materia non solùm surrigitur ex solis humoribus capitis, verùm etiam ex imis partibus effertur: peruadit enim hæc fuligo suturas cranij, deinde incidit in panniculum carnosum, & in poros cutis propellitur, & ibi hæret, eò quòd crassioris & tenacioris substantiæ sit hic vapor, qui (vt iam dixi) à proximè incumbente nouo vapore præcipitatur, ac foras in lucem postquam induit pili faciem, emittitur.

Colorum in pilis causa.

At ibi vbi solum illud est ex quo fruticeantur atque frondescuot pili, si pituita modestius illud rigarit, pilus ideam & colorem referet illius succi vnde nata fuligo pilifera erat. verùm si circumfluat vberiùs ibi pituita, fuligo variâ sese remiscens copiâ, variis coloribns pilorum ludet: nam albedo à pituitâ, nigredo masimè à fuligine est.

Causa canitiei.

Hinc fit quòd promptiores in canitiem sunt senes: quòd hic ager illis pituitescat, fracto iam calore in parte hac naturâ frigidâ. Et illi quibus pleniora sunt à carne & pinguedine capita, quique debellari fuere morborum perennitate: nam pituitæ copiam faciunt; quâ fortè castigatâ, nonnunquam cedit canities. Et quamvis hæ causæ se consociarint, non tamen canos proferent, ni putrescat illa pituita: nam albescunt quidem à pituitâ pili, attamen non canescunt, nisi putrescat illa. noo tamen praua putredine: nam inde areæ obnascerentur. fit itaque CANITIES ex calidi natiui inopiâ, quod dum mitigare nequit succos qui adhærent membranæ cuti subiectæ, putrescunt. Ita Aëtius ait eos qui à siccitate cerebri laborant canescere citiùs: exhausto humido primogenio, cui succedit humor non naturalis. Quidquid igitur eiusmodi est, vt capitis calorem natiuum frangat, canitiem accersere solet; idque die, vel subitò, vt valida causarum fuerit incursio. vt ex morbis, à quibus succi in corruptelam tracti albescunt, vt in Alpho vsu venit, quia cutis inde albet, & eo succo pili fruuntur, hinc mutantur; immutare enim veteres ἀλφαίνειν dicebant.

Metus causa canitiem accersens.

Metus, consternatio, terror repentinus, subitaque mortis intentata formido, ita honorem faciei depopulantur, vt iouenes illico natos ostendant senes. Cuius rei memorabile exemplom narrat Leminus, de iuuene quodam nobili, qui apud Cæsarem dom versaretur, in eius

a De compl. 2.a.

Historia memorabiles de subitâ canitie.

aulâ, virginis, quam deperibat, pudicitiam expugnarat, qood capitale in eo cœtu, etiam oon obluctante puellâ, ob decus aulicum fœdâ libidine contaminatum, in carcerem coniectus, atque postridie ad supplicium tractus, præcedente nocte incanuit, adeò vt, amisso florido ac spectabili colore, nec Cæsari nec familiaribus notâ facie prodiret. Cæsar suppositirium suspicatus, aut dolum, explorari iussit, an ipsus is esset, & num ementita canities, & num indecorâ canitie barba delibuta pharmaco foret: re deprehensa, Cæsar miseratione flexus, crimen ei condonaoit: satis pœnarum arbitratus fuisse in mœrore, ac conceptâ periculi formidine.

Alia historia.

Refert Iuoius libro De comâ memoratu dignam bistoriam, quam à Francisco Dilpho equite acceperat: ea sic habet. Hispanus nomine Diegus Osorius, nobilissimâ familiâ ortus, aulicæ puellæ amore captus, communicato prius cum ea consilio, in patulâ arbore ac frondosâ abscondetat se: (ea crescebat in Hispaniis,

inita

intra regij horti septa) interim fortuitò catelli Melitæi latratu prodita colloquij fides, satellitum manui illum obiecit: comprehensus carcerisque inclusus; dictatâ vltimâ sententiâ ira inhorruit, vt nox vnica iuuenem eundem & senem incanum viderit. Quo spectaculo motus carcerarius, delato ad Ferraodum regem prodigiosæ rei iudicio, effecit, vt rigore in benignitatem verso, Rex illum ab-
Exercit. 312. 112. historia. soluerit, dictitans pœnarum satis dedisse, qui præmaturam senectutem cum iuuentæ flore commutasset. Scaliger refert suæ tempestatis historiam. Franciscus Gonzaga affinem suum, suspectum coniurationis, cùm in turri ad quæstionem seruari iussisset, nunciatum est manè totum repente canum
IV. historia. factum. Quod quasi prodigium flexit principis animum: qui ei propterea & vitæ & veniæ fecit gratiam. Quidam, inquit Cœlius, è rupe pendens, dum accipitrum pullos scrutaretur, interimque funes,
V. historia. quibus sustinebatur dissiluissent, subitâ formidine subitò incanuit. Refert doctissimus medicus I. Schenkius ex Cuspiniano in Cæsaribus miram de Imp. Ludouico Bauaro historiam. Hic Imp. cùm ad Rhenum in armis esset: Maria Brabantina
An. 1256. eius coniunx, VVerdæ habitans, binas literas, vno quidem annulo, diuersâ tamen cerâ, atrâ, rubrâ obsignatas, illas marito, alteras Heinrico Ruchoni decurioni equestri mittit. Atque is qui epistolas detulit errore seductus, rubrâ cerâ complicatas tradit Ludouico. Qui lectis litteris amatoria agi suspicatus, dissimulatâ re, relicto apud Rhenum exercitu, quàm maximis potest itineribus ad vxorem diu noctúque contendit, & indictâ causâ adulterij condemnatam securi percuti iubet. Postea veluti conscias, Helicam virginem cultello confodit: & aliam feminam nobilem, quam gynæceo præfecerat, de turri præcipitauit. Ob id horrenda illi occurrit nocturna visio, quâ vnâ nocte totus factus est canus. Argumento, nulla re maturius pro-
Olymp. 4. moueri canitiem quàm metu. Huic addo mœrorem & curas, vnde ait Pindarus,

*φύονται δὲ καὶ νέοις
ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
θαμὰ καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας
ἐοικότα χρόνον.*

** id est, nascuntur autem & iuuenibus in viris cani crebrò, etiam præter ætatis congruum tempus.*

Alioqui & amoris flagrans desiderium Theocrito etiam canitiem vel vno die accersit, dum ita canit, *οἱ δὲ ποθεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσιν*. Et Idyllio secundo id eleganter explicat, dum amoris vim depingit. Talem hominem *προπόλιον* vocari, testatur Ælius Dionysius, quòd ante annos canos proferat,
Cap. 8. qui præcanus ab Horatio appellatur. Mirum est quod refert Suetonius in vita Ser. Galbæ: cui cùm Hispania Tarraconensis obrigisset, accidit, vt cùm prouinciam ingressus sacrificaret intra ædem publicam, puero è ministris acerram tenenti, capillus repentè toto capite canesceret. Præmaturam etiam
7. Sat. 6. euocant canitiem, improba viuendi ratio, lotio capitis frequens, vomitus (nam causis plethoricis implet ac grauat caput) integumenta, &, inquit Macrobius, qui fiunt crebrò ebrij, citò senescunt. Nam ab his pessundatur calidum & humidum primigenium, cu-
Cap. 15. ios loco succedit pituita aquea, putris, humida & frigida; & ob id temporibus infesta nequitia. Doctè hac de re disserit Abincenna libro primo De decoratione, vbi ait, Sanguis dum fruitur pinguedine, densitate, & viscositate, capilli nigredinem suam tuentur: dum autem in aquosum madorem labitur, canitiem induunt. Referunt vetularum lacte enutritos citò canescere. id scio, insalubriter præmandi ab his puerorum pulticulam; nam harum saliua nocet. Aquæ interdum vitium id maturiùs inferunt: ita refert Strabo, duos in Peloponneso fluere amnes Cetum & Neleum diuersarum naturarum: nam si animalia ex vno potent, pilos eorundem albescere, alterius autem aquâ ebibitâ nigrescere. Ego iam de causis contraho vela: qui de hac re amœna quædam velit, legat Macrobij caput decimum libri septimi Saturnaliorum. & apud clarissimum medicinæ Professorem H. Mercurialem, caput sextum De morbis cutaneis, vbi eleganter explicat cur canescant primùm tempora: & cur maniò homines & equi canescant: cur citiùs mulieres. Quæ autem canities ab ætatis excursu euenit, easdem agnoscit causas, cùm ab humidi spermatici inopiâ, ac humidi alieni copiâ incurrat. sed hæc non ita *ἀθρόως*, sed lento obrepit pede, & primùm per tempora inuadit: vn- *Signa.*
de Homerus appellat homines *πολιοκροτάφους*: nam illorum musculus madore circumfluit. Verùm cùm morbiferâ à vi incani fiunt homines, simul cuncti pili eò abeunt: & deposito morbo, in pristinum honorē reuertuntur. Notauit & illud Gordonius, quòd in ea quæ est ab ætatis decursu, primùm canescant extrema pilorum, vtpote imbecilliora, reliquo adhuc pilo intacto ab eo candore: at in morbosâ, inci- *a. De legibus*
pit à pilorum radicibus, extremis tuentibus priscum colorem. Illa quæ ab ætate, est nuncia senectutis bona ac veneranda Platoni, nil monstri alit: quare illi non remedium sed honos debetur. vnde Q. Serenus,

*Quos pudet ætatis longæ, quos sancta senectus
Offendit, cupiunt proprios abscondere canos,
Et nigrum crinem fuco simulare doloso.*

In MORBOSA canitie optimum factu est eam re- *Curatio.*
mediis antevertere, dum præludia effundit. Quare *& primum præcautio*
à pituita totum corpus, & deinde caput liberabi- *fiat.*
mus. Propinabimus agaricum, nam cruditatibus illud succurrit, inquit Dioscorides: vtatur sæpè pilulis masticinis Petri de Abano, & Alephanginis, & vino in quo species diaturbith maceratæ fuere: deinde masticatoriis (de quibus libro primo Methodi) congesta in capite pituita prolectetur. His peractis, studium adsit, ne restibili quadam fœcunditate, noua succrescat soboles pituitæ: partes (vt caput & ventriculus) in quibus pituitæ consedit focus stabiliantur. Hoc obtinebimus contra- *Oleum vitrioli.*
riâ vt, dico aridioribus feruidisque. Sumat itaque cottidie aquam vitæ, in quâ theriaca vel mithridatium macerata fuere. Quòd si æger de calidâ vi ve- *Cap. 47.*
teator, vino vtetur in quo guttulæ aliquot olei vitrioli effusæ fuere: nam id potenter siccat. Caueant tamen sicciores ab vsu vitrioli: nam auctor est Razes, libro octauo ad regem Almansorem, quòd in tabem præcipitat, tanta vis tussis siccæ inde *25. Contin. 24.*
nascitur: quod vsu euenisse memini. Quamuis alioqui idem Razes aliâs narrat sibi amicum quendam, ab eius pota drachma vnâ nocte abiecisse canos omnes. Itaque remedium non culpamus, sed dextrum eius vsum desideramus. Sed Galenus chalcanthi vsum per os damnat. Nos etiam sed tenues spirituosasque eius partes damus. illæ efficaciores: certè: sed non ita, vt crassamentum illud terreum hærens & inde est, paucâ datæ copiâ, aliisque remixtæ, vt minùs vitani. Hippocrates intus præbet totas integrásque cantharides, cum alis, pedibus, capitibus: nam vehementissimas vires spirant, ac tenuitate peruadunt, corporeóque crassamento, ne hæreant, pro alexicaco sunt. idem de oleo vitrioli censeo. Interim & foris illinatur caput pauco oleo caryophyllorum: nam inde hiantibus poris, causa erit quò minùs congeratur in capite pituitescens *Cani*
mador. Quòd si cani iam concepti fuerint, optimum *cùm iam ad-*
factu erit talia euocare remedia, queis, nubeculâ *sunt.*

quasi inductâ, obseutentur ac tegantur. Hæc excellant etiam facultate aridâ & calidâ, cum leptomeriâ: ita fugabuot putredinem. Hoc voluit Abincenna cùm scribit prodesse omnia olea calida, vt nigellæ oleum, quod bibit vim colocyothidis, sinapi, myrobalanorum nigrarum, cyperi, caryophyllorum, & extimorum corticum nucis. Abenzoar laudat oleum persicorum, & oleum corticum citriorum. Dioscorides, in euporistis, commendat siluestre oleum, in quo myrtus macerata fuit, & ladano si imbuatur. Obseruabile illud quod annotat Abincenna, falluntur, inquit, qui oleis immixta remedia illinunt: nam non peruadunt, nisi consocientur cum his quæ traiiciunt se, vt acetum & vinum.

Num oleis vtendum.

Quidam ineunte vere sepeliunt radicé nucis excepiam vitro, oleum addunt. Bibit radix oleum: verùm remittit illud in Autumno: hoc tingit. Accipe herbæ hordei antequam induit se in spicas, & aluminis par pondus, humo condantur excepta vitro, in aquam se fundet: hæc illita nigredinem præstat.

Excellés remedium.

Hoc sit loco multorum, nam menstruo spacio nigredinem indit pilis: teneras velle iuglandes, & totidem glandes virides, non maturas, tunde vnciarum trium pondere: myrobalanorum Indarum, & sumachij adde cuiusque vnciam: scoriæ ferri, limaturæ plumbi in aceto prius coctarum, aluminis, cuiusque drachmas tres: caryophyllorum pul. & vermium terrestrium pul. singulorum semunciam: salis, drachmam: saluiæ, manipulum: ladani, vncias duas: vini nigri stringentis, libras quatuor: lentè coquantur in gemino vase, ad exhaustionem ferè trium librarum. Deinde sub fimo equino habeatur suffossum dies triginta quinque. Hoc prohibet etiam senectute capillum mutari. Dormituris penicillo hic succus inlinitur: tegat se atro colore imbuto pileo: & barbæ inhæreat dum siccescat. A somno, vel ab inhæsu duarum aut trium horarum, eluatur odorifero sapone panno incluso aquáque madente: Cùm siccâris, illines oleo ladani & caryophyllorum Scoria argenti cocta in succo malorum citriorum, aut arantiorum summè in nigrorem tingit: Ego, inquit Abincenna, scoriam ferri in eis macero tantùm. Hoc optimum: Accipe argenti purissimi iusi in tenuissimas laminas, drachmas binas: suluatur in tantundem aquæ fortis: iunge aquæ myrti, sex drachmas: olei caryophyllorum chemicè extillati, semidrachmam: pectinem irrigent hoc liquore, cùm se pectunt. nam sua caliditate & siccitate exhaurit quod pituitosum se pilis immiserat, quos & sua stringendi vi firmat ne ita pituitosa admittat, & putredinem arcet. vt etiam ex saluia oleum. Marcellus Empiricus ait, oui coruini interiora quæ sunt, impari numero in vas æreum mittes, atque illa diu coagites: quarto die lauetur caput à remedio imposito. Theodorus Priscianus, qui nomine Octauij Horatiani prodiit, ciconiarum oua in vas plumbeum iniicit, & agitat, ex hoc capillus vngit; siccatos eluit decocto betæ. oleum ex his ouis elidatur. Mulieres in Græciâ pingunt supercilia fuligine thuris, resinæ, & masticis, ita vt nullâ lotura deleri color possit. Vsu compertum est, capillos Flavos, ac micantes splendore, hoc medicamine fieri: Accipe fauorum cum melle libras quatuor, tritici rudite contusi libram; aurei florum verbasci, manipulos binos; croci semidrachmam: macerentur ac distillentur. Primò eriget se aqua, dein oleum, quod mirum quàm nitidam splendentémque comam præstet.

Flavi vt fiant capilli.

Quædam mulieres lotionibus capitis gaudent: his fiat lixiuium ex cineribus corticis salicis, cui immitte lupinos diebus decem, ac tandem incoque illi radices cannarum, colocynthis, & albissimi agni caput: id candidare solet capillos. Quin interdum mulierculæ quibus capillorum non probatum colorem occultare animus est, solent eos sulphuris viui suffitu fucare, coloremque flauescentem inducere. Ruffus Ephesius scribit, albescere capillos lotione aquæ calidæ: Razes idem affirmat de aquâ rosatâ, cum caphurâ: & propterea monuit Abincenna, ne vnquam in canicie lauentur pili aquâ rosatâ. Abincenna hoc asserit de oleo sambucino. Cautiones: Scribit ex Galeno Aëtius, quòd ea quæ imbuendi potentiâ valent, ob stringendi aut algidam vim, perniciem creare solent feminis frigidioribus. Ab eisdem etiam promptè offenduntur qui iam canuêre: alioqui ab his metus erit apoplexiæ, epilepsiæ, lethargi, & comatis, quin etiam catarrhi perniciosi, quem phthisis excipere solet. Propterea (quod nos in descriptis iam medicinis fecimus) pax sit à meris adstrictione frigentibus. Obseruabile & illud, vt infectos medicina leptomeriam gerat, quâ se in capillorum traiiciat intria; & vt inlitus fiat rabescente lunâ: ita perennat tinctio. Cautio adsit ne semicani euellantur: nam qui in cultum parant equos, dum fingunt spacia equorum in stellas candentes, continuò pilos vellunt in orbem.

Cautiones in vsu medicamentorum. Tet. 2. s. 2. cap 58.

Diaeta.

Tota victus ratio eò vergat quò emicet eclampsi calidum natiuum: sit itaque calida & sicca: quò * διαφόρησις, dilatatis tum partibus capitis, tum totius corporis, disiectionem faciat fluentis & stabulantis in canitiem materiei. Mane decursu pectinis aperiant se pori capitis, & negocio totum se laxet corpus, ac lætitia. Aluus sit memor officij. magnopere studendum vt ventriculus officium suum faciat. sit itaque iis gratiis conditus cibus, in substantiâ, qualitate, copiâ, & vtendi modo, ne coctio, distributio, & appositio vitium faciant. Hic enim ἀπεψία, huius fundi est calamitas: cùm enim violatur coctio, sanguis labem hanc trahit, quam in caniciem deponit. Si ægri natura generatis in madorem recedit, vsum ineat piperis, sinapi: nam & cætera aromata Arabum magister commendat. aquæ potus nocet. fructus absint, & modestè ineat vini vsum oligophori: fugiat olera quæ valide humectant: nec lac, nec pisces cooferunt: assa præstant elixis. Cotidie sumat myrobalanum chebulam; id, inquit Abincenna, tuetur à canicie totam ætatem. Sistit eleganter iuuentutem vsus trypheræ minoris: deliciis vel delicatulis dicatum remedium. commodissima etiam est confectio de scoriâ ferri. Infunde folia auri aquæ vitæ, cum myrobalanis chebulis conditis, & paucis caryophyllis rudite contusis, necnon exiguis fragrantibúsque foliis melissæ: à cænâ cochlearij parui mensuram hauriat: id sanè nobile nectar, corporis vitalem & viuificam ambrosiam ab omni situ tuetur. Theriaca valdè prodest, maximè iam expedito à * cacochymia corpore; alioqui pedunculos creare solet. Venus bellum immoderata pilis mouet, & depilat. Scinditur nonnunquam in Fissvras pilus, septentrioni insolens malum: cùm à squalore natalem suam agnoscere videatur vitium. Huic prodest victus infrigidans: & oleis cucurbitæ & amygdalino, cum pauco vnguine rosato fiat inlitus.

** id est. euaporatio insensibis.*

** id est, malus succis.*

Fissvra pilorum.

***

Capvt

Capvt VI.

Porriginis *medela, quæ & Furfuratio, & πιτυρίασις dicitur.*

Nomen. Porrigo quòd se porrigat latiùs dicta, inquit Scribonius; vel Furfuratio, Græcis πιτυρίασις appellatur: nam πίτυρα his furfures vocantur. In hac passione, vel leui capillorum mulsione fundit se porrigo, & oritur furfurea squama à cute soluta: vnde ita cecinit Q. Serenus,

Cùm caput immensâ pexum porrigine ningit,
Copia farris vti frangentibus edita saxis.

Causa. Quare idem auctor farream nubem hanc afflictionem vocat: nam Latini vocant farra, crassiores farinas: nos Belgicè *gort*. Nascvntvr furfures ex vehiculo succi nutricij degenerante à sua integritate, quod epidermida in squalorem vrens, aut fœditate contaminans, à vicina cute non sine pruritu auellit. Hoc autem fit, dum vel solum caput extra lineam Prorrh. 2. temperamenti se verrit, integris cæteris aliarum partium ac vasorum succis: vel cùm pars aliqua corporis in vitio est, vt hepar, ventriculus: quin interdum à toto corpore fœdus succus effunditur in caput. Omitto iam quæ a foris deformant succum nutritioni dicatum: qualia quæ à fœdioris succi cibis, salA solo capite signa. sis, acribus, cæpis, venere inuenusta. Quòd si itaque solum caput intemperie perfusum ex puro sanguine impuram materiã suggerat, id hoc symbolo se prodet: etenim nulla altera pars in querela fuit; sed solum caput calore & colore suffusum non genuino Remedia. apparuit: quin & interdum madidius. Hic nec phlebotomia nec pharmacia locũ inuenient: sed id, cùm æstu incaluit, vt alsiosum fiat studendum: lenitérque dum madet siccandum; & quod virium traxit modestè excludendum: & tandem vt vitalis humidi viuacitas stabiliatur studendum: ita nec latiùs se putrilago effundet, nec porrigo altiùs se porriget. Primò abstergeantur à capite furfures, & discutiatur malum: itaque hoc Oribasij confert in leui malo: Accipies furfurum vncias nouem: coques in aquæ vnciis viginti: addit Aëtius, diu fricandos esse tunc furfures in aquâ; postea colabis, & cremorem coques ad spissitudinem vini, adiectis aceri vnciis quinque: eóque caput illines. Postea elue caput aquâ in qua cocta est beta, vel lupini, vel semẽ fœnigræci. Actuarius maluam coquit in aquâ marinâ, dum superest quinta pars; hanc affricat. Et Q. Serenus,

Hanc poterit maluæ radix decocta leuare.

In valido capitis æstu porrigo eluatur decocto maluæ, fœnigræci, bellis, violariæ, florum meliloti, furfurum linamento exceptorum. Postea vnge citra morsum digerente, & sine algore alsiosâ medicinâ: fiat illitus ex vnguento rosato, cum oleo in quo flores & semina cucurbitæ insolata sunt: his remiscemus quid olei ladani: quod si maduerit, myrtillos iũ*id est, primũ affectũ. gimus. Quod si caput non per * πρωτοπάθειαν, veA vitio partis. rùm potius per ἐπιγένεσιν, id est, propagationem caussarum morbificarum, vitium traxit, id partis, quæ in vitio est, peculiaria notabunt symptomata. Quare huic tunc medicina fiat. arceatur itaque succi conA toto corpore. taminati inuasio à capite: & qui iam in eo stabulatur, exigatur. Eodem modo transigendum cùm à toto corpore cursum suum in caput flectit ichorosus succus. Itaque reuulsionis gratiâ aperiatur vena, si modò circumfluat corpus sanguine: sin cacochymiâ fœdetur, pharmacum sumat. Ita abducto qui in insidiis hærebat succo, tutò Topica remedia, etiam validissima capiti imponentur, ad exhaustionem succi morbifici. At quonam pharmaco vtendum? id succus morbifer dicet. Sanè porrigo ipsa, & cutis à furfure nudata ideam referet succi à quo obsessa tenetur. Madent furfures à pituitâ, quæ tamen hîc salsa est, vel potiùs eius ichor: lincescunt à melancholiâ. Purgatâ parte vnde effunditur succus, vel toto corpore, cùm inde nascitur hæc fœditas, euacuato, prouisio habebitur ne iterum succrescat mali focus, & vt putredo sistatur, redintegratâ temperie totius, vel partis labefactatæ. Et si qui geniti etiam nunc succi in caput viam affectant, auertantur deriuando: & si qui effusuri se eò, reuellantur: quique iam infudère se & per cutem iere, exhauriantur apophlegmatismis & errhinis, vbi pituita molesta esse pergit: & tandem ne caput aduenas excipiat succos, modesta firmetur strictione. Idcirco Topicæ medicinæ, inquit Galenus, optimæ sunt quæ abstergent, & quæ diaphoretica exhauriunt ichorodea inquinamẽta, ac robur cuti afflant à strictâ vi. Primò lauetur caput decocto nicotianæ herbæ, & radicum oxylapathi, florum meliloti, furfurum linamento exceptorum. Loto siccatóque capite spongiâ, accipies vitrioli vsti drachmam; teres cum indurato albumine oui, exprimes succum, cui iunges oleum amygdalinum amarum vel vitellorum ouorum. Postea accipies argillam, cui iunges quid sulphuris viui, chalcanthi: includes hæc lineo sacculo, & aquæ immittes cum foliis lapathi, vel rutæ, & medulla colocynthidis, vel agarico, vel foliis branchæ, vitis, salicis, arundinis, mercurialis, vel parietariæ, fumariæ, centaurei, hyperici, absinthij: tandem cum veratro, bryonia, radice ari, staphysagriâ, vel lupinis: coque horum aliqua ex aquâ fiat lotio; & dum ea fit, affricabitur caput amygdalis amaris decorticatis, cum aquâ aut aceto tritis, inquit Aëtius. Idem præstant furfures, vt scribit Marcellus Empiricus, si caput inde assiduo in balneo lauatur: ita farina seminis fœniculi, ex vino inducta capiti. Quod si squalidum & aridum fuerit corpus, madida vi perfusis fiat lotio: vt ex seminis fœnigræci decocto, sem. lini, vel foliis buglossi, lactucæ. Inde vngatur oleo amygdalino, & ouorum, cum succo nicotianæ. Inter Empirica reEmpiricũ remedium. media scribit Marcellus, porriginem potentissimè ab hac potione purgari; rosmarinum teres, succumque eius vino vel aqua scriptulis tribus dabis potui. Et si fiat lotio, taurino lotiô vetustissimam porriginem tolles. Cavtiones. In Topicorum remeCautioi diorum fabricâ cautio adsit, ne validâ vi stringant: hoc enim eò palindromen daret, vnde anadrome succorum, malis ægrotum rebus profecta fuit. Itaque tutiùs resoluetur in tenues auras succus, quàm si intùs claudatur: ita enim creare solet noDiæta xam dentibus, oculis, auribus. Abstineant in Victv ab aromatibus; nam sursum flectunt sanguinem & ichores: & à flatulentis rebus pax sit: nam caput feriunt, & illud implent: absint salsa, acria vt porrum: & nimia venus vetanda: ocium etiam esto ab his quæ mox à cibo calorem ad corporis peripheriam promouent, qualis & ira. vt breuiter dicam cum Archigene, maximè pepsi studeat æger: hoc est, œconomiæ naturalis viuacitas proferatur, in coquendo, distribuendo, apponendo, excernendo: vitentur igitur cruda, & fœta in crudos succos. Frictione diaphoreros manè cutis capitis fiat, vnctaque manu oleo amygdalino amaro caput mulceatur. Aquilo & sol à capite arceantur. Passulæ & pruna ex aquâ saccharatâ coctain primam veniant mẽsam. Celsus sæpè radit caput, ac inlinit ladano, cum myrteo vino. His ego supersedeo in non sordico

morbo: quamvis ſcripſerit Marcellus, ſe in pernicíem hoc malum conuertere, niſi occurratur.

Capvt VII.

De PEDICVLIS INFESTANTIBVS, *quam paſſionem Græci* φθειρίασιν *appellant, hoc eſt Pediculationem, à pedum copiâ, quâ hoc animalculum abundat.*

Hiſtoria.

INternecina hæc fœditas toto corporis effuſa habitu, Pherecydem tragicum Syrium & celebertimum philoſophum enecauit. Ad eum ita afflictum cùm Pythagoras diſcipulus viſendi gratia acceſſiſſet, ac πῶς διάκειτο, hoc eſt, vt valeret percunctatus eſſet, digitum per ianuam exerens χροῒ δῆλα, ex corpore, inquit, palam eſt. vnde Q. Serenus.

Sed quis non paueat Pherecydis fata tragœdi?
Qui nimio ſudore fluens, animalia tetra
Eduxit, turpi miſerum quæ morte tulerunt.

Memini, ni fallor, me apud veterem ſcriptorem legere, hunc ſibi τῦ λόγυ nomen ſumpſiſſe. Sed hoc, auctore D. Hieronymo, ſignificat cauſam vniuſcuiuſque rei, per quam ſunt ſingula quæ ſubſiſtunt: quod ſolùm in Chriſto Dei filio locum habet. Eadem peſtis Alcmanem poëtam, Herodem Agrippam

Act. Apoſt. 12.

Iudææ regem, & Antiochum Epiphanem lacerauit. Scribit Plutarchus in vita Syllæ, ex antiquis Acaſtum Peliæ filium hoc morbo diſcerptum fuiſſe: & Calliſthenem Olynthium carceri incluſum his feris prædæ fuiſſe: & Mutium Iuriſconſultum, & Eunum Siculi belli ſeruilis auctorem, miſerabili hac pernicie pereſos eſſe. Sed Sylla, inquit Plutarchus, leui ex cauſâ pullulantem morbum aluit, & vlcus innaſcens ſibi non intellexit, dum caro in pedunculos tota conuerteretur. Tunicæ omnes, thermæ, lauacra, dapes hac ſorde fœdabantur, & pœdoris magnitudo omnia purgamenta ſuperabat. Et hoc noſtro æuo non obſcuræ hiſtoriæ ſunt eorum qui morticinâ hac calamitate recto Dei iudicio, poſt ſæuam tyrannidem, quâ ſe in ſummi Dei viſcera cruentârant, & lento fœdóque cruciatu prodigioſi doloris perciſi fuere. Nam diuina, quæ in ipſis alimentis hominum habitat, Nemeſis his nutricatum in nutritione negans, in cacochymiam inueteraſcere cogit corpus, quæ toto corpore ſparſa, animalcula hæc profert: quæ cùm nec ſomnum obrepere ſinant, conſectariam cacochymiam adferunt: quod ſine dubio Syllæ, & aliis euenit eiuſdem mentis corporibus. Hinc itaque cachexia viſcerum oritur, appetitus langueſcit, color fœdatur, venulæ abraduntur, futuræ calamitatis nota: quòd viuacitas naturæ fatiſcens, nutricium ſuccum in eum cultum ampliùs formare nequit, vt eo pro prædio ſuo vtatur naturæ genius. De Foco huius mali ita exiſtimamus, ſi modò

Locvs affectus.

cauſæ naturales locum inueniunt, quod ſine dubio affirmamus, maximè in pedunculis non calamitoſis, nec ita efferatis, quos Ariſtoteles ἀγρίυς vocat, horum locum ortus ac cauſas ita ex naturæ œconomia labefactatâ inueſtigamus. Dum in nutricatum partium corporis reſtagnat ſanguis, euomit excrementa quædam tenuia, vel craſſiora. Tenuia per

**Inſenſilem exhauſtionẽ.*

*ἄδηλον διαπνοὴν fugantur: mediocria in ſudorem ſe effundunt: craſſiora ſorde inquinant partes, aut reſtagnant in cute. Hæc autem cutis ſuam amplitudinem in profunditate gerit. Quod ſi itaque hoc craſſamentum excrementoſum peripheriam cutaceam occupârit, in porriginem ſe porriget: ſin in altum ſe inſinuauerit materia hæc tertiæ coctionis, & vnà malignitatem acrem redoleat, aream creabit: quodſi illud ſuaue & calidum fuerit, nec malignâ putredine contaminatum, ſed modeſtè putruerit, & ſi ima in cute prope carnem ſtabulauerit, pedunculos proferet: nam caloris in cutis ſuperficie efflorescentis non ea vis eſt, vt animal gigni in ea poſſit. Profeſſor regius Louanienſis olim Bragelius mihi retulit, ſeſe in humano ſecto cadauere, poſtquã aperuiſſet ventriculum, veſiculas ei affixas deprehendiſſe pedunculorum plenas. Ariſtoteles quinto De hiſtoria animalium, pedunculos ex carne gigni exiſtimat: & Theophraſtus libro ſecundo De cauſis plantarum, ex ſanguine putrido hos ſurgere putabat: horum ſententias refutat clariſſimus medicus D. Mercurialis, capite ſeptimo De cutaneis: & libro ij. Variarum Lectionum, capite iiij. Madida & calida

Cauſa.

gaudent intemperie pedunculi, & ea negligentia cultus, quæ ſuaue recrementum tertiæ coctionis in putredinem abigit. Ita his blanditur puerorũ voracitas, & humidorum corporum intercluſa ſolemnis

Efficiẽs cauſa.

euacuatio. Verùm neceſſe eſt acceſſione cauſæ efficientis, quæ eſt calidum natiuum teſtibile in contaminatâ materiâ, quod mitigans pepaſmi capacem materiam; adeò eam expolit, vt viuacitatis induat

Externa cauſa.

formam. In externis cauſis Abincennæ eſt aër frigidus, qui intercipit exhauſtionem materiæ excrementitiæ, maximè, inquit, ſi leptomeria cutis adfuerit, quæ prolectat in ſe recrementa. Cariecæ largiùs ſumptæ pituitoſum & craſſum ſanguinem præbent, qui facilè in putredinem abit, cùm ægrè peruadat aluum; & hinc pedunculi agminatim gignuntur. propterea, vt ait Galenus, antiqui his ſalem conſociabant in menſâ. Neglectus mundiciei in lotione, purgatione aſſuetâ, indnſiorum mutatione, exercitio, & venere, fœtus in hunc fœtum. Iam ad præſi-

Remedia.

dia accedo. Primùm accidatur antecedens cauſa ex quâ pedunculus ſurgit, hoc eſt, materia illa craſſa in ſanguine primò attenuetur. Id fiat decocto & ſucco

Preparantia. Purgantia.

ſcabioſæ, aut ſcordij, & lupulorum, cum ſaccharo. Dein purgentur agarico, carthamo ex ſero lactis: accipe pilularum de hierâ cum agarico ſcripulos duos; trochiſcorum alhandal, grana tria. Si aliquod viſcus in vitio fuerit, vnde ſurgit hæc materia, illi remediandum erit. Cauſa autem Continens quæ

Continentis cauſa curatio.

capiti inſedit, ea Topicis præſidiis eximenda erit, & prouiſio habenda ne latiùs ſerpat illa putredo. Talia ſunt quæ leptomeriâ præcellunt, quò penitus peruadant: & ſicca, vt putredinem arceant: quin diaphoreſi excellentia, vnde tenues euaneſcant in auras. Galenus commendat ſemen ſtaphyſagriæ, ex aceto acerrimo; Ægineta affundit oleum: validè extenuat. Vel ex aquâ coquatur hoc ſemen, cum foliis nicotianæ, vel perſicariæ, abſinthij, betonicæ, aut marrubij, centaurei, parietariæ, vel cum radice oxylapathi, gentianæ, lupinis, colocynthide, elleboro, alumine, nitro: & fiat lotio capitis. In tenellulis accipies olei amygdalini amari vncias tres, cui inde abrotani ſemen, & ſemen ſtaphidos agriæ, vel piper, adde ſucci limonum aut aceti parum: & fellis taurini drachmas duas fiat colatio, & illitus. Si con-

Occidentia pedunculos.

fertim necare hos conſilium eſt, miſcebis hoc oleo ellebori albi radicem, argentum viuum ſaliua domitum, ſulphur, alumen, nitrum. Quin hoc oleo etiam illinatur pileolus, quo caput tegatur vno aut altero die. Accipe ſtaphidis agriæ, radicum ellebori, cuiuſque vnciam: olei laurini, vel amygdalini amari, vncias quatuor: hoc vngatur totum corpus. Sed nobis exploratiſſimum hoc eſt, Accipe cocculos Indiæ vel piſcatorios, hos miſce cum ſucco Nicotianæ, ac ſuillo adipe excipe.

cipe. hoc cunctis præfeto. Abincenna hoc inter valida censet; Accipe sinapi tritum cum aceto; in eo extingue argentum viuum. Elegans est etiam hoc, Accipe aquam vitæ, huic inde semen staphidis agriæ, baccas lauri, & præcipitati decimam partem: macerentur diebus aliquot: sindon duplicata eluatur in hac aquâ, & siccata capiti imponatur. Medullæ assati pomi remisce lithargyrum: id validè enecat pedunculos. ita etiam vnguentum nutritum, cum sextâ parte argenti viui. Tandem, à capite si prognata materia fuit, si id calidius percipiatur, alsiosum reddatur. Si madidius, siccescat; si densior cutis, rarescat. CYRONES vnà cum prurito facilè eneco; accipio vnguentum rosatum, misceo parum sublimati: statim iuuat. Sed cautio sit ne nimium inspergatur sublimati: ad summum decupla sit proportio. Alij hyoscyami succo feliciter eos necant. Cimices promptè necat musci odor, peculiari quadam ratione, & statim. CAVTIO adsit, ne nimis seuerè, dum nondum purgationibus expeditum à fœditate corpus fuerit primæuæ causæ, topicis remediis sistatur horum prouentus: nam scribit Aristoteles eos cæteris sanos esse capite, qui pedunculos gignunt: nam absumuntur ita humores putidi: nam succo carnis pro pabulo fruuntur: quare iam fato rigentem carnem deserunt. A sandarachâ in capite abstinendum: nam depilat. Alias partes si inuaserit pediculus, vt mentum, axillas, pubem, fortioribus debellentur. Tunc iunge oleo amygdalino amaro, & oleo ouorum, argentum viuum; ad semidrachmam, cum sulphuris drachma: adde succum limonum, & sandaracham, de qua ita Dioscorides, πρὸς φθειριάσεις σὺν ἐλαίῳ τινῶ. A VICTV exulent succi crassi, & eorum parens cruditas. Aceto condiantur cibi; limonum succo, aut oxalidis, aranciorum granatorum. Acribus indulgeat, vt aromatis, origano, sinapi: abstineat à fugacibus fructibus: sæpè vtatur theriacâ. Auctor est Marcellus Empiricus, serum, id est, aquam lactis quæ remanet facto caseo, si quis adiecto aceto in potione aliquotiens sumpserit, ita liberatur à pediculis vt penitus extirpentur, nec postea in eo renascantur. Ceruini cornu scobes limatæ, vt scribit Alsaharauius Arabs, & ex vino potui datæ, pedunculos in capite lendésque nasci non sinunt. Accipit Alsaharauius fœnigræci, & cornu cerui æquas partes: dat cotridie drachmas tres, cum vino temperato, vel aquâ glycyrrizhæ, aut aquâ apij. Dioscorides in Euphoristis propinat coriandrum tritum cum origano & vino. Sed de hac nauseâ iam satis.

Corroborantia. *Cyrones.* *Cimices.* *Cautiones.* *Diata.* *Empiricum remedium.*

Capvt VIII.

De FAVO, *qui etiam* μελικηρὶς *capitis*, CEREVM *à Celso, ab aliis Cerio,* κηρίον *Græcis dicitur.*

Et de ACHORIBVS, *qui Celso Vlcera capitis manantia: & Plinio vlcera capitis emanantia. Zahafati Abincenna, & Zagrum Abensoaris: alij Lactumina vocant. Præterea de* TINEA, *& de* FICV.

Gal. de tum. præter natur.

FAVVS à fauorum ideâ dictus: nam multis foraminibus, instar fauorum, pertuium est vlcus, cum tumore paruo, manátque mellito tabo. Est itaque paruus in fauis tumor. verùm, inquit Galenus, non tam paruus vt in achoribus, qui tenuibus admodum & plurimis perfodiuntur foraminibus, quæ tenuem in se humorem, modicè viscidum continent. Quamvis scripserit Octauianus Horatius vnum ex illis parère. Est itaque paruum in capitis cute vlcus achor: nam Erotianus inter pustulas numerat Achoras. Et etiam nomen id insinuat; sic enim dicuntur, quòd minimum locum occupent, quodque angustis spatiis tenuem humorem concludãt, ἀπὸ τῆς χώρας, & α priuatiua particula: vel quòd tenuibus foraminibus erodantur: vel, vt ait Trallianus, achor quasi ichor dicitur; quin Pollux ichorem ponit loco achoris. At FAVVS maiora habet foramina, quæ humorem hymettio melli non absimilem continent. Vt igitur breuissimè dicam horum discrimen, à fauis mellitus crassiórque succus emanat patulis foraminibus: contrà in achoribus. Non contemnenda leuiter mala, quamvis puerulis non ritè in vtero habitis, non malè efflorescant. Sed in adultis fauus interdum ossi capitis putredinem transmittit: ita vt, secto pericranio, os ipsum radere conueniat. Quod vsui venit cuidam Empirico præsidiorum luis venereæ callentissimo, qui in capite ictus hac calamitate, à nobis auxilium implorabat. Huic erat cauterium, si cum candenti ferro conferatur, (cui tamen bonitate non cedit) Gratiis consecratum, ex quo non minimam pecuniam fecerat inter Hispanos bubonibus occupatos (de cuius fabricâ aliàs egi) hoc cùm cranium eius à carne nudatum in nostrum conspectum venisset, carie arrosum deprehendimus; rasum, dextréque habitum euasit. Quin horum malitiam summus præceptor (cuius tanta fuit benignitas, vt nihil sciuerit quod nos nescire noluerit: tanta autem solertia & sapientia, vt nemo post eum sciuerit, quod ipse ignorauerit) libro secundo Prorrheticωn ita scribit, τοῖσι ἀνδράσι τὰ δὲ κηρία δεινὰ ἐπιγίνεται, id est, viris adnascuntur faui formidabiles, & periculi pleni. Quare quidam sunt maligni faui. Hi autem noscuntur hac notâ, si euulsi capilli viscidi quid & crassi circa radicem gerant cùm extrahuntur, id mali prauitatem denunciat: tunc enim non facilè ad neoterismum redintegratur caput, maximè cacochymo corpore. FAVI origo est ex humore mixto, qui partim tenuem & mordacem, partim crassum in se succum habet. Tenuis igitur humor cùm mordax sit, primùm ad scalpendum cogit homines, hinc ad scalpturam tumor augetur, & in eo foramina fiunt. ACHOR oritur ex pituitâ salsâ & nitrosâ; nam sanie profluit, aquæ simili in quâ recens mactatâ caro lota fuit, adeóque cadauerosa, & liuida; vel crassiora etiam quædam euomit mellita. Innascuntur hi succi corpori à cibis fœtis in ichores nitrosos, salsos, calidos: fit etiam affrictu. ACHORAS, vt scripsit Crito, oriuntur plærúmque præcedentibus furfuribus, & ferè etiam scabie. Quis humor hunc alat fœtum, elucebit ex manantibus ex vlcere excrementis, & ex loci morbo obsessi qualitate, & ægri naturâ: naturâ dico communi, propriâ, insitâ, & aduentitiâ: in temperamento, habitu, & diæta. CVRATIO fiet causæ excisione, victus castigatione, tenoi saltem præparatione, deriuatione, vacuatione partis afflictæ, detersione, discussione. Sanguine si circumfluit corpus, aut caput, eximator is à peculiaribus venis. vt præparemus ad exclusionem succos, coquemus boraginem, buglossum, cum scabiosa & lupuli: vel horum succos cum sacchato. Et nitrosi salsique succi purgentur agarico, rhabarbaro, saccharo rosato, vel coque polypodium cum aniso: eius binis

Achor quid. *Vnde dictus achor.* *Fauus.* *Differentia.* *Vis mali.* *Hip. De morbo sacro. Historia.* *Hippocratis benignitas.* CAVSAE. *I. κα. τὸ* *De tum. præter nat.* SIGNA. CVRATIO.

vnciis remisce confectionis Hamech binas vel ternas drachmas. In infantulis lac nutricum sentiet pharmaci vim. ita habita prouisione de toto corpore, caput ipsum euacuetur apophlegmatismis, & errhinis.

Topica. His ita ritè paratis, ad ea veniendum erit quæ capitis parti afflictæ imponuntur: sed eâ

Cautio. cautione, vt sæpè repetatur purgatio. Si itaque iam iam innatum sit malum, aliqua repellendi vis consocietur siccantibus, vt myrtus, salix: alioqui incidendi, si lenta; attenuandi, si crassa; siccandi & digerendi, si longè tenuibus ab excrementis madeat, vi valeant.

Notandum. Et semper id hæreat menti, vt, si crassior cortex obsepiat malum, via detur recrementia: ita enim pus depascendo non ferociet ampliùs. at repercutientia hoc blandimentum negant: parciùs igitur istis vtendum: & iam iam inuadente saltem malo, & corpore puro. Fauus eisdem remediis cedit quibus achor, iunctis abstergentibus & tenuantibus, vt nicotianæ succo,

In recenti malo. Mitiora remedia. rutæ, aristolochiâ in recenti malo fiat lixiuium ex cineribus salicis, fraxini, vel brassicæ, in aquâ fabrorum; huic incoque capita rosarum, vel folia quercus, vel pimpinellæ, flores meliloti, stœchados.agaricum, radices enulæ, vel lilij, aut bryoniæ, myrtillos, fiat lotio capitis. Dein inlinatur vnguento ex succo pimpinellæ, & herba Roberti, & foliorum quercus, adde vnciam tutiæ, & quid ladani, cum vnguento rosato, addito aceto coque. Vel ex Octauio Horatiano, oleum rosatum, vel myrtinum tere in mortario plumbeo, dum nigrescat & pinguescat: dein in alio mortario alterius metalli teres

Cautio in pueris. cum dicto oleo lithargyrum & tutiam. Sed cautio adsit in pueris de retrusione & materiæ astrictione; ne fiat metastasis, vnde facta fuit anadrome: nam his morbus hic sæpe sanitas est, & κατὰ λόγον naturæ iis euenit. Modestè igitur in his siccent & stringant, vt tutia, & argenti spuma, & zinzibet: hæc excipiantur vnguento rosato, vel excoctâ pinguedine ex carne fumo duratâ. Sin illi grandiusculi, & vehementer madeant, iunge gallarum pertusarum pollineto, vel plumbum crudum puluerisatum, & carpto linamento imponatur: & sindoni assuantur folia hederæ, pro tegumento aut pileolo; vel brassicæ folium tabefactum ab igne capiti imponatur: ita non arescet vis remedij.ab æstu flagrante malo. Ita puerulis tenellulis, vt effundatur purrilago, saltem betæ vel brassicæ folium imponimus.

Notum. Sin rebellem qualitatem redoleant hæc in pueris; hoc remedio, à nobis primùm vsibus medicis illato debellabitur: sexta vel septima pars argenti viui cum plumbo ab igne fuso committatur; mox ab igne fundatur vt coalescat: hoc modo ita peruadit argentum viuum plumbeam massam, & exedit, imò calcinat, vt tenuissima friabilitate in pollinem subtilissimum sine labore comminua-

Vis mercurij. tur: nam mercurius calcinat omnia metalla. Hunc puluerem incoque dictis iam vnguentis. Eisdem vtemur etiam in grandioribus: & etiam in veteri malo, non tamen effero. Ita etiam vnguento de tu-

Vetus si malum. tiâ magistrali, cui misce puluerem flauum corticum vlulatorum aranciorum malorum: vel pa-

Efferum si malum. rum vitrioli, si validè madet vlcus & caput. In effero malo, at duro corpore, fiant lotiones ex rebus validioribus: talia descripsimus capite De furfuribus: vt lupinorum, & radicum cucumeris agrestis. vel foueatur succo herbæ D. Iacobi, absinthij, ireos, fumariæ, betæ marrubij, vel nicotianæ: & illinantur hi succi. Si validius res voluerit, iunge mediam partem succi cucumeris asinini; vel iunge

Mediocre. sulphuris loti aceto partem quartam. Si mediocre velis, accipies axungiæ veteris vncias quattuor sulphuris triti in vino austero semunciam: pulueris sinapi optimè triti scriptulos quattuor. Axungia hæc si elota fuerit aquâ vitæ, potentiùs digeret: si aquâ rosarum, validiùs reprimet. Aliud, Accipe olei hyperici, olei iuniperini, vel lateritij, cuiusque vncias tres: his diu immacera rancidas nuces contusas, & semen nicotianæ, myrrham, sulphur, fuliginem furni, argentum viuum, lithargyrum, & interdum (dum abstergendum) aliquid æruginis. Cùm fortiua velis, iunge calcem sæpiùs lotam, tartarum, chalcitidem. sandaracham. verùm hæc vbi crassissima melligo, & humidissima cutis capitis: nam squalidos læderet. Omnium robustissimum est hoc Gordonij, *Fortissimum remedium.* quo etiam vtebatur ad omnem malignam cutis fœdationem, etiam ad lepram: accipe vtriusque ellebori, sulphuris viui, chalcitidis, auripigmenti, lithargyri, calcis viuæ, vitrioli, aluminis, gallarum, fuliginis, cinerum grauellatorum, singulorum vnciam: hydrargyri extincti, viridis æris, cuiusque vncias binas: fiat puluis. Seorsim habeto succum boraginis, scabiosæ, fumariæ, oxylaparhi, aceti. singulorum vncias tres: fæcis olei antiqui, libram. bulliant ad exhaustionem succorum, postremò affunde præscriptum puluerem, & picis liquidæ, semunciam. fiat vnguentum. à Vigone & Guidone fides huic remedio asseritur. In venereis fauis & achoribus miscebimus sescunciæ vnguenti de althæâ, *Aduersus venereos fauos* scriptulos quatuor hydrargyri: & illinantur etiam artus. Quodsi inflammatio, & dolor afflixerint simul ægrum in his vlceribus, à siccis remediis temperandum erit; *Vbi inflammatio se iungit & dolor.* & potiùs vtemur decocto plantaginis, & meliloti, vel chamæmelorum: & à fotu inlitus fiat ex vnguento rosato. cum succo sedi minoris, solatri, aut cerusæ, vel lithargyri decimam aspergemus partem. vel ex farinâ hordei & fœnigræci subacta oleo, fiat emplastrum. aut ex solatro & parietariâ coquatur cataplasma. Sedatâ inflammatione, tunde capillos, & elue decocto fœnigræci, & ad fortiora redi. VICTVS prudenter ineatur ratio. *Diæta.* Quidquid fœtum est in luxuriantem succum nitrosum, salsum, ab hoc sibi caueat nutrix: quale enim eorum lac, talis totus fit puer; nam merè lacteus est iam pauca de FICO. *Ficus.* Efflorescit hic tumor in cute capitis, tegitúrque escharâ citrinâ, quâ detractâ elucent vitalis & rubescentis carnis acini, qui ideam referunt seminum ficuum, non sine cruore. Oritur non à tam fero humore vt fauus, sed medio quodam succo inter furfurum auctorem, & achorum. Adimatur crusta, cataplasmate imposito ex nasturtio & axungiâ: nam hoc, auctore Pareio, diuturniore vsu persanat. vel ficum, & semen lini, & elaterium coque in aquâ, & impone. Dein, si contumacior, vnge Guidonis vnguento vel oleo hyperici, vitrioli, & nardini æquis partibus. Huc etiam pertinet TINEA, *Tinea.* Arabum Assaphati siccum, & Semotin. Vetustiores quidam achoras tineam vocant, ob foramina, quibus perediτur vt vestis à tineis. Sed iam scabiem illam vulgatam siccam, puerorum maximè capita perambulantem, tineam nominant. Squalidior cæteris iam recensitis noxis, sicciúsque malum, quod quasi acrimoniâ quadam melancholescit, & à siccis nasci succis videtur. *Quid.* Est enim hæc tinea scabies quædam capitis, squamis arida, odore tetra, si quid emittat sicci rabi. Quis tamen succus hanc dederit, crustæ dicet qualitas. Blandior hæc euenit infantibus, quibus interdum vultum etiam deformat, non ritè à fœta habito fœtu. Est & alia tinea maligna, cui ini- *Maligna tinea.* tium dedit contages, vel efferus succus, cinericiâ crustâ conspicuâ. hæc in aream abit: & ab huius vetustate si indurata fuerit cutis, extra spem sanationis erit.

Remedia.

erit. Quantum ad curationem,eam inibimus, (prouisione primùm habitâ de toto corpore,biléque melancholescente abductâ) remediis tenuantibus & attrahentibus. Capite loto primùm scriptis remediis, ac raso, locus tineosus illinatur oleo amygdalino dulci,cum pinguedine gallinæ: & fricetur sulphuris viui partibus duabus,cum vnâ salis fossilis,dum sudor in capite erumpat. Hoc modo,inquit Marcellus Empiricus,intra sex dies curabitur tinea. vel illinatur oleo sulphuris, & amygdalino. Aut accipe sulphuris flaui, terebinthinæ, cuiusque drachmas sex: olei rosati vncias tres: vini optimi semunciam. coque miti foco, dum vinum euanescat. CAVTIO in his malis adsit vt frequenter purgetur corpus; ne fiat noxius nouæ materiæ synathroismus. Est studendum in his semper vt crustæ cedant. In his fœditatibus iam narratis,vsus quædam non contemnenda obseruauit. Hoc cognitum mihi est euphoriston, quod nunquam me fefellit. Accipio pinguedinem, quæ coctione carnis fumo duratæ eliquatur: huic misceo puluerem zinziberis,& inungo. In contumaci malo, misceo parum argenti viui: quod sæpe vsu innoxium deprehendi in pueris. huic,si madent,cerusa vel lithargyrum consociari poterit. Alij accipiunt fæces gallinæ vstas, melle exceptas. Quidam althææ radices coquunt cum pueri vrina. Aloën vel thus coque cum oleo vitellorum ouorum,vel hyperici cum oleo: & crassamentum illinatur. Aliud, oleum nicotianæ. Aliud,alium cum caule comburit Aëtius; cinere cum oleo vtitur. Aliud,tabaco vino in veteri coctus. Aliud,tabescens crassior muria halecum,cum vrinâ,aceto,& cinere halecum fumo induratorum. Aliud,conserua baccarum iuniperi,cum aceto,melle,caphurâ,alumine,fuligine furni,& puluere tenuissimo sulphuris. Vbi madent vlcera, præclarum remedium est puluis silicum, qui primùm quatriduo macerantur aceto forti,dein clibano calcinantur; huiusmodi puluis inspergitur salutariter admodum:nam discutit & absterget. Si hydragyrum coquatur in oleo amygdalarũ amararũ dum nigrescat,optimum erit hoc oleum. Sed iam de his satis.

Empirica remedia.

CAPVT IX.

De PVSTVLIS *& efflorescentiis in capite & facie: & de* DECORE *conciliando faciei.*

OBSIDETVR etiam nonnunquam cutis exiguis quibusdam pustulis instar bullarum eminentibus, quas Psydracia vocant. Hæc duris tuberculis primùm efferuntur. quibus pressu pertusis, fluxum quid, saniosum & aquosum effunditur. Maximè à sudore nascitur psydracium; dum enim frigidâ rigatur facies & caput, æstu postquam incaluere, oppressus sudor in pustulas se colligit. Aut exilibus obsidetur hæc cutis ac calentibus pustulis,quibus varius est color: his ruptis exulcerata se prodit caro, helcydria dixere. Quin interdum exanthemis obsidetur facies & caput: Latini efflorescentias, papulas; & eruptiones pituitæ vocat Plinius: hæc in molem ambusturum se attollunt, & sunt superficiariæ cutis faciei & capitis exulcerationes, rubentes & subasperæ, inquit Trallianus. Hæ molestiæ auctorem suum agnoscunt capitis cute conceptum pituitescentem cruorem æstu incandescentem, cùm eius euaporatio prohibetur. Attamen emanans sanies, & qualitas cutis capitis auctorem mali exhibebunt. Vt his rectè consulatur, primò purgentur pilulis aureis,vel electario de succo rosarum. Facies lauetur decocto fœnigræci & radicum petroselini.& fiant illitiones: vt, Accipe radicum lapathi acuti, enulæ campanæ quantum lubet, coque ex aceto, vel iunge mediam partem lixiuij ex cineribus vitis: hæc muccago misceatur axungiæ veteri,lotæ aquâ vitæ,vel aceto. Aliud, lilij radix afflictâ, postquam cocta fuerit ex aceto & aquâ, cum thure. Aliud, oleum laurinum cum malicorio, aut balaustiis coctum. Aliud, anchusæ radices vstæ, & tritæ cum oleo. Si duriora omnia appareant, fit illitus ex malua,meliloto, radicibus lilij coctis,& adipi, & oleo ad crassamentum consociatis. Si madentiora,vtemur hoc Tralliani, Accipe lithargyri,cerusæ,cuiusque vnciam: aluminis,foliorũ viridium rutæ, cuiusque semunciam: ex aceto & myrteo oleo inungantur. Si pustulæ & vlcuscula fuerint sine inflammatione,licebit (valido certè auxilio) vnguento rosato indere parum sublimati hydrargyri. Attamen frequenter illiniri non debent, ne inflammentur. Aut tangantur aquâ rosatâ, quæ accepit sublimatum; sed parcè misceatur sublimatum: ita vt vnciæ binæ liquoris reddant scriptulus argenti sublimati, nec vltra drachmam committatur, & vnà bulliant. Si EXCORIATIO capiti molesta sit, aspergatur lithargyrio: vel adde plumbi puluerem, misce cum oleo myrtino, & vino, & illinatur. Poterit etiam cataplasma imponi ex farina hordei, vel fabarum cum maluâ. Ad ψυδρακίσματα, id est,cum vehementi pruritu erumpentia, à salsâ pituita nata, Accipe cerusæ semunciam,lithargyri drachmas binas thuris scriptulos quatuor,mastiches scriptulum: contusis omnibus, fricato cum rosato oleo, dum crassescant in succum: adiice lac muliebre,& aquam rosatam. Describit etiam Nicolaus Myrep. 3. lib. 42. vnguentum ex lapidibus satis elegans. Attamen hæc spero satis fore ad leuiculum hoc malum: nam ad grauiora & vtiliora me rapit iam hæc misera mortalitas, in pœnam, inquit Plinius, sæpè viuax. Sed pauca, ne quid in tergo relinquam, de decore faciei conciliando scribam. Quod tamen ita quis accipiat velim,me viris hæc non scribere,nec feminis omnibus. In viris laudo illud Vespasiani apud Tranquillum, qui adolescentulum fragrantem vnguento, cùm sibi pro impetratâ præfecturâ gratias ageret,nutu aspernatus, voce etiam grauissimâ increpauit,maluissem allium oboluisses,literásque reuocauit. Et nobile illud dictum Domitiani,vellem, inquit, tam formosus esse, quàm Metius sibi videtur: & cuiusdam caput varietate capilli subrutilum & incanum,perfusam niuem mulso dixit. Et prudẽter Salustius,formæ gloria fluxa ac fragilis est: virtus clara, æternaque habetur. Hæc est illa virilis forma, quâ verè splendent. Quin ne fœminis quidẽ patrocinari his remediis volui, quæ fœdis libidinibus mancipatæ illecebras & illectamenta voluptatibus quærunt: sed his solis quæ illud vnicè venãtur, vt venustate quadam suos maritos à vagâ libidine reuocent CAVTIO in remediorum admotione adsit, ne illa strictione quadam (quod fuci solent,quos ab arte nostrâ excludimus: nam quæ veram elegantiã, & natiuam conciliant probamus) cutem arctent: nã quæ tendendo cutem splendidam reddunt, eandem in rugas tandem laxant: hinc est quòd pinguedine prædita laudamus. Aqua ex raso lardo albo destillata. Aliud, Accipimus medullæ panis albissimæ libram: adiicimus tantundem phaseolorum alborum, vel oryzæ coctæ ex lacte, & cucurbitam longam scissam in taleolas: & seminum frigidorum semilibram, cum gallinæ carnibus albissimis: addimus albumina cocta ouorum recentium duodecim: iridis

Psydracia.

Helcydria.

Exanthemata.

Causa.

Signa.

Remedia.

Excoriatio capitis.

Psydracismata.

Faciei vt pulchior reddatur.

Suet. ad.

Cautio.

Venetæ

Venetæ vnciam : florum fabarum , liliorum , nymphææ albæ manipulum:poterit etiam addi vitulina caro.hæc lacte excepta macerentur per diem,& duplici vaſe diſtillentur. Vſus tempore immittantur huic aquæ folia argentinæ, vel ſuccus radicum ari ſole ſiccatus , & parum caphuræ , & per duos dies macerentur. Aliud , Tartarum vſtum pone in ouis coctis,depoſito vitello,& exprimantur : & aquæ illi adde flores fabarum & liliorum,& caphuram. Aliud Accipe aquam diſtillatam ex cochleis vinearum,citreis, floribus liliorum , & fabarum : miſce. Tegant dormituræ faciem linteis bis aquis imbutis,& ſummo manè facies vngatur. Accipe oſſa elixatâ à carne veruecum excepta , & contundantur , aquâ iterum cocta cùm fuerint,excipiatur reſtagnans pinguedo, & illinatur.Lac virginis,quod in Methodo deſcripſimus, vbi De capite calido;& vnguentum roſatum cum caphurâ, & oleo amygdalino , caſtigant faciei ruborem. Ita etiam matura fraga , quibus ſi tertia pars ſacchari addatur,& per dies octo balneo macerentur, ac repente aquâ extillentur,mirum in modũ iuuabunt. Ita aqua ex foliis ſalicis & perſicæ, & albuminibus ouorũ cum limonibus. ari aqua.aqua ex ligno guaiaco , in aquâ cocto , extillata. mica panis cum lacte caprillo diſtilletur. vel albumina recentia ouorum duodecim,cinnamomi vnciam;lactis aſinini libram:diſtilla. vel aqua ex vitulinis pedibus & vnguenti roſati rhodoſtagmate loti vnciæ,ſi addantur ſcriptuli duo ſulphuris tenuiſſimè comminuti, pauca grana ſublimati. Italæ mulieres accipiunt ſiccam ari radicem , hanc in puluerem actam aſpergunt aquâ radicis ari , ſæpius ita madentes ſiccant: hunc puluerem ex aquâ noctu maculis illinunt. Liquor coſmeticus : limaces abiectis teſtis laua aquâ ſalsâ,dum abſit viſcoſitas:ſalis adde vnciam:tertiam partem vaſis impleant:adde ſucci limonum vt duobus digitis ſupernatet : diſtilla Maio , vel Octobri. Aliud,Accipe vnguentum roſatum albiſſimum,cum oleo amygdalino dulci;adde ſuccum ari ſole ſiccatũ, vel caphuram,aut pomatum. Aliud elegans, Accipe axungiæ porci ſeſquilibram : à pedibus munda , ac permitte macerati integros dies tres in aquâ. Dein bulliant in ſeſquilibra aquæ roſaceæ , adiectis octo pomis dulcibus, dum exhauriatur libra vna. Poſtea iunge caryophyllorum craſſiuſculè contuſorum drachmas duas , cinnamomi drachmam : bulliant lento igne, ad omnimodã ferè aquæ conſumptionẽ. demum adde ceræ albiſſimæ ſeſcunciam , ſi æſtas fuerit:ſi hyems,vel nihil,vel parum. Cola per linteũ mundum:& cùm refrixit,& ab omni ſorde,quæ tum ſuperiùs, tum inferiùs hæret, liberatum fuerit , admiſcebis aquæ diamaſcenæ vncias tres. Hoc lætam conciliabit faciem:quin eſt accommodatum ſciſſuris rimiſque labiorum, manuum, vteri,ani, & vberum. Obſeruabile autem , ne hoc neſciant, vſu immodeſto aceti , florem viuacis coloris in corpore flacceſcere : & à fœdis aquis plumbeo tumore faciem increſcere. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα:ad meliora pergo.

Capvt X.

De CEPHALALGIA , *hoc eſt , omni dolore capitis.*

NVLLA pars corporis humani æquè doloribus expoſita eſt ac caput humanum : cucurbitæ enim more cunctis ſuperpoſitum, paſſim in ſe rapit viſcerum ſubiectorum inquinamenta. Quare non iniuriâ exiſtimauit Aretæus,De cauſis & notis diuturnorum affectuum,capitis dolorem in melancholiam vel conuulſionem abire : Itaque , inquit, exiguos dolores ne ſpernito. Eſt enim , vt ait Themiſon apud Aurelianum , naturâ caput carnibus pauperum , & neruoſum , & duris cutibus & capillis obtectum , & ſpiramentis difficilibus naturâ , tum ſenſibus etiam vniuerſis foratum, inſidens corporibus , atque accipiens eorum cunctas exhalationes per arteriam atque ſtomachum , quæ ſunt corporis veluti maiora fumaria. Maximè autem doloribus fatigantur , capitis partes neruoſæ , vt meninges, etenim cerebrum indolens eſt ; vel diploma, hoc eſt duplicatura illa medulloſa oſſis caluariæ dolet , vt euenit in his , qui à lue venereâ illiti hydrargyro fuere . ibi enim ſuppuratum fit exputatum , & tuberculum & pus: cúmque in interioribus maneat , hinc mors , epilepſia,vel conuulſio: vel fit dolor in extima parte tunicæ pericranij, qui dolor etiam radices pilorum ferit. Varia nomina hic dolor gerit. *Clauus.* Clauus Abincennæ, cùm vehemens dolor in paruâ vrit parte , ſed imâ , ac fixus perſeuerat , vix quartam capitis regionem peruadens: *Soda.* Homonopagia dicitur Arculano : Arabes Sodam dicunt : quam omnem capitis querelam quidam putant : ſed Serapio ſolum pulſatilem hoc nomine *Hemicrania.* dignatur. Hemicrania , quam Aretæus ἑτεροκρανίαν vocat , dimidij capitis eſt dolor, à temporum pulſatione ferè ortus , contagione ſubditarum partium. *Cephalæa.* Cephalæa , vel Ouum aliorum , Nux , vel Galea, totius eſt capitis * σύντονος πόνος. Galenus propria Cephalææ ſigna eleganter deſcribit libro ſecundo per locos , ſectione ſecunda , capite primo: vtinam ita cætera duxiſſet. Orſi itaque à capite, ſub quo nomine partem illam ſignificamus quæ capillo tegitur , & cuius caluariæ adiacet ſuperiori quidem , pericranium ; inferiori verò dura meninx. Quæ fabricatio deſcripta legitur apud Hippocratem libro De pertuſionibus capitis , * διπλόον δ' ἐστὶ τὸ ὀστέον κατὰ μέσον τὴν κεφαλήν. Earum capitis humani partium continuitatis laceratio , vndecumque venerit , ſenſionem facit rei moleſtæ , id eſt , dolorem , qui partis afflictæ nomen ſibi adoptat , & Cephalalgia dicitur:quæ,capitis propria eſt; ſicut delirium cerebri. Erit igitur cutis capillatæ,& pilis carentis cephalalgia. erit etiam pericranij,caluariæ diploës ſiue diploidis,intenſa,remiſſa,grauis, *Cauſa dolorum.* acuta ;omniúmque ſæuiſſima duræ meningis. Dolent autem partes , quòd in his ſoluatur continuum : at vnde naſcitur illa ſolutio ? ab agente , contra naturæ legem , ἀθρόως. Sed quale id quod ita confertim ferit ? eſt intemperies , vel materia morbifica. Hæ cauſæ nonnunquam conuenæ ſunt: Interdum etiam ſolæ : nam inæqualis intemperies quæ eſt * ἐν γίνεσθαι , non autem ἐν γεγονέναι , auctor nonnunquam eſt ſolutionis continui. Quare conſentaneum eſt, validam intemperiem , cùm ſolitaria illa in vitio eſt , tantùm doloris auctorem fore. *Dolor capitis ab intẽperie ſolâ.* Hæc autem ſolutio continui , quæ à ſolâ intemperie eſt ; rationi tantùm comperta erit , éſtque in γίνεσθαι. dum enim facta eſt,indolens eſt,nam dum pus fit , dolores eueniunt ; non eo iam facto , inquit Hippocrates. Quare rationi, cùm ſolùm pateat hæc ſolutio , iure merito à medicis non diſcriminatur ab intemperie : cùm non ſolutioni vnionis, ſed potiùs cauſis ſolutionis , hoc eſt , intemperiei, ab his dicata fuerint remedia. Sed quænam eſt hæc intemperies inæqualis ? Hæc erit feruida , frigida, vel ſicca ; ſolitaria hæc,aut remixta. Et quæ ex his potentius commutationem auellunt , atrociores dolores inferunt ; tales ſunt calidæ , & frigidæ , ob agendi præcellantiam:nam à ſolâ ſiccitate mitiores

dolores

Marginal notes: *id eſt, diu fatigans ab idiopathia capitis , & acerbiſſime. — *id eſt. duplex autem eſt os capitis, &c. — * quæ eſt in fieri,& nõ in facto eſſe. Hippoc. 3. De fract. 18.

dolores eueniunt; adeò vt in censu grauiorum dolorum, Galeno extra illam grauiorem iniuriam esse videatur. Nam mador ad hanc querelam surgere nequit: nec enim dissipando, vt calidum; nec exprimendo, vt frigus; nec arefaciendo, vt squalor, partibus vnionem abripere potest, sed cuncta consociat ac iungit humiditas. Sed antequam ad historiam cuiusque causæ morbificæ & morbi, qui caput occupat, veniamus, operæpretium erit notatione, quænam capitis pars ea sit quæ doloribus implicatur. Qui enim auxilia dolorum capitis citra distinctionem scripsere, plus detrimenti quàm adiumenti intulere: Non enim cuncti ab eâdem causâ, nec ab eâdem parte dolent: & diuersis affectibus ac partibus diuersa debetur curatio. Quare indagandum quot sint ideæ dolorum capitis. Præcipuæ differentiæ ducuntur à formâ doloris, loco afflicto, & causâ morbificâ, vel à loco & causâ simul. Dolores capitis qui in querela sunt, quósque ipsi tefetont ægri, plerúmque sunt grauatiui, extensiui, pulsatiui, pungitiui, perforatiui, teste etiam Arculano: qui ex quanam causâ enati fuerint, & vnde profecti, clarè aperuimus libro tertio Methodi ad Praxin medicam capite tertio. Pungitiuus dolor est membranis proprius: frangitiuus est panniculi tegentis ossa, ita vt immissa sit materia illi spacio quod inter caluariam & pericranium: tensiuus tendinibus & neruis ascribitur. Pulsiuus arteriosis adscribitur partibus. cùm autem diploïde concepta materia suppuratum & exputatum fuerit, permolesta & acerba symptomata inferre solet, vt elucet ex illâ historiâ, quam refert Fernelius De lue venereâ capite septimo: Anno, inquit, 1556. coriarium quendam tonsor vt inuiserem rogauit, tatum affectum & obseruatione dignum me visurum dictitans. Is tametsi annos amplius decem post curationem per hydrargytum ita salubriter exegerat, vt videretur percuratus, repentè tamen exorto in sincipite dolore diutiùs perseuerante, non modò eius partis totum os paulatim compurruit, exesúmque est, vt frustulatim exciderit: sed & cerebri vtraque meninx eadem putredine absumpta, subiectáque cerebri substantia in abscessum conuersa est, vnde magna puris copia (miserabile visu) per multos menses, non ex eâ tantùm parte, sed ex vtriusque oculi angulis etiam stillauit: dentes excidetunt omnes. Hic tamen neque febre corripi (incredibile dictu) visus est, neque cibi fastidio multum premi, neque extenuari, dum ad ventriculos cerebri ventum est, quo tempore mors repentè hominem diu miserè afflictum è medio sustulit. Dolor ad similitudinem pali infixi, in meninge hæret: clauum nominat Abincenna. Sed num foris posita vel intus caluæ inclusa pars tædiis bis fatigetur, & quæ nam ea sit, his symbolis conspicuum erit. Si Galeno credimus, cùm ad oculorum radices dolor peruenit, & ad tactum exacerbatur, tunc foris & intus fatigabit dolor. quamvis scribat Fernelius falsum esse; internos dolores solos ad radices oculorum pertingere; nam & externi eò pertingunt subinde, quòd pericranium oculorum cauum (cui insident) succingat. Verùm non tam punctilis ille dolor erit, quàm si à meninge foret. Et cùm à refrigeratione plerumque doleat pericranium, palpebræ id potiùs sentient: nam oculi spiritibus & pinguedine affluunt; & in cauis conditum ibi pericranium non ita à calore externo affligitur. Si dolor sit in foris positis partibus, tunc notandum num consederit in pericranio, vel in cute capillata. Sin verò intus recessit dolor, tum explorandum num sit in membrana, neruis, venis, vel arteriis. Sin in pericranio, pungens erit, nec ita ad tactum exacerbabitur, sed eo quasi mulcebitur ac mitescet: si in cute capillata, nec tactum, nec capillorum versionem feret, & ab æstu plerumque nascitur: si venæ doleant, erit compressiu quodam grauidus dolor à venarum plenitudine: si internæ venæ & arteriæ, pulsus temporum fiet; & consectariam sæpe trahunt febrem ephemeram, & subitò aërem ducunt naribus. Nerui tensionem præbent. Pulsans dolor est à tenui sanguine, vel ab arteriis spirituum plenis, quæ concutiunt membranas. Talis ferè est ille dolor, qui statis horis recurrit cottidie, tùm vel sine febre, leni hic pressu mitescit. Deceuius doloris idea scribere videtur Aretæus, vbi ait, Cephalæa cottidie magis insultat, & difficilè curatur. eius, inquit, differentiæ sunt infinitæ, aliis recurrit à meridie in vesperam: nonnullis à vesperâ ad meridiem protrahitur. Inuenem quendam nobilem aliquando vidi, inquit Iacchinus, cottidie atrocissimis doloribus anxium ad meridiem, adeò vt fureret. Statim huic vrina aquea, quæ vesperâ in colorem biliosum redibat, dum mens, abeunte dolore, redintegraretur. Refert Cardanus de quodam Modœtiensi, qui cottidie Sole exoriente, dolore capitis supra nates corripiebatur, crescente dolore dum Sol meridiem attigisset: vbi decederet, minuebatur dolor, ita vt sub vesperam euanesceret. Ex narratis iam notis, in perspicientiam facilè partis morbo obsessæ deueniemos. Iam ad agnitionem & curationem morbi causæque morbificæ abeamus, orsi à simplicioribus. CALIDA harum partium INTEMPERIES interdum auctor doloris est, citra materiam quæ interdum infestat; exhauriendo enim & dissipando continui violationem adfert. id dum fit, dolet pars quæ ita exceretur à nudâ qualitate calidâ. Cùm ab internâ solâ intemperie nascitur, ægrè curatur, vt illa intestinorum intemperies, quæ à borborygmis frequentibus tympaniam hydropem parere consueuit. Sed plerumque hoc genus mali externam agnoscit causam, vt eunctâ confertim incurrentia: vt insolatu à vehementi, quæ Græci dicunt ἔγκαυσιν impressam: vel ab immoderatis exercitiis à cibo, vel flammæ vicinitate, tegumentis capitis plurimis, ardentiorum remediorum admotione, vel à graui odore, interdum ab ira: & intus confertim irruens causa huius mali parens esse solet, vt plenior vsus aromatum, quæ calidis opplent vaporibus caput: nam, vt scribit Hippocrates,* ὁ ἐν ἀρώμασι πυρία, παχυβαρέας ἐμποιεῖ: ita cibus flatulentus calidus. SIGNIS notabitur hæc intemperies; nam tactu calet & squalet, cùm ab insolato fuerit aut simili causâ, caput & frons & oculi rubent cum quodam squalore, vigiliæ fatigant, recreantur à frigidis. Viuent in primis aërem calidum, & solem; somnus concilietur; respondeat cottidie aluus, vt multorum à prunorum, aut lactucæ, vel spinachiæ vsu; vel rosati syrupi laxatiui. animus in ocio sit: germinibus frigidis humi fusis ac proiectis, & sylanis aquarum recentetur cubilis aër. Viatur lactucis, endiuiâ, hordeo, agrestâ, piscibus, aoraneiis pomis, & pomis coctis, boragine: absit vinum: acetosa conferet. acetariis adiice aliquot passulas: ptisana cum succo araneiorum, oua tremula cum omphacio; carnes pullorum coctæ cum dictis herbis. abstineat à lacte, & dactylis. Potus sit tenuis ceruisia: vel aquæ libræ incoque vncias tres sacchari, & cum drachmâ cinnamomi coletur per filtrum. cui remiscerî poterit syrupus acetosus. vel sit vinum aquosum. exhibeantur alimenta quibus non longâ masticatione opus est. Quæ foris capiti admoueantur

Margin notes (left): Symp. caus. 6 — Ab humore non dolet caput. — Differentia dolorum capitis à parte affecta. — 2. met. — Quæ pars doleat in capite. — Historia. — A venereo lues pestilentis membranas exercens, intolerabili dolore afficiat. — 3. loc. aff. 9. & 2. met. ubi de Cephalæa.

Margin notes (right): Mirabilis dolor. — 9. lib. Rasi 4. — 8. Variet. 44. — Calida cum ab intemperie caput dolet. — Causa nuda intemperiei calida. — 9 aph 18. — * Suffitus aromatis capiti grauitatem inducit. — Signa calidæ intemperiei. — Diæta.

Topica. uentur sint leptomeriâ prædita, nec astringant vehementer: fronti, temporibus, vsque ad suturam coronalem, & naribus hæc commodè admouentur; vt vnguentum populneum; vel rosatum sæpiùs cum aceto lotum: vel muccago psyllij extracta in aquâ rosatâ, cum oleo rosato, vel vnguine rosato & aceto: addere interdum licet succum solani, vbi ardentior æstus & ætas. vel olei rosati vncia, aceti albi semuncia, agitentur diu, & linteis excipiatur, vel bombaee. sed sit potiùs quarta pars aceti; nam insigni siccitate vigilias mouet. oleum violatum, & cucurbitæ cum rasurâ cucurbitæ. hæc etiam oaribus Induntur. lac muliebre immulctum, inquit, Alsaharanius. Fiant etiam embrochæ ex violis, rosis, nenuphare, pampinis, foliis salicis: & tandem adde melilotum, maluam: coque ex ij. libris aquæ, dum tertia pars consumatur. Mitigato dolore, vtatur chamæmelino cum rosato, vel serpillum rosato incoque, quo redintegretur à frigidis calidi natiui eclampsis. Cùm tamen inuictus his frigoribus fuerit capitis æstus, adiicimus vnciam olei papaueris, vel nymphææ. Macerentur rosæ in tertiâ parte aceti, & vnâ aquæ rosaceæ, fiat naribus epithema. vidi qui in contumaci vigiliâ soluerent semidrachmam opij in aquâ rosarum, & temiscebant semiscriptolum croci, vnde epithema fronti fiebat. Ego tamen existimo, ab opiatis abstinendum esse, cùm sine materiâ dolor fatigat: nisi vigiliæ vrgeant. Ego farinam hordei & papaueris misceo cum aquâ rosatâ, lacte muliebri & oleo nymphææ duplicato linteo fronti admoueri iubeo dormituris. Et tandem, si nulla influxus suspicio vel metus, anethino addo rosaceum; vel serpillum & melilotus rosato subigantur. Sed dogmaticæ cautiones vbique sociæ curationi

Cauti ones. accedant. Nam non satis est intemperiem frigidis tolli, sed probè bis vtendum, ne lædant. Hoc partia natura dicet: ex hac enim quantum sit refrigerandum, & quomodo, discemus. Cerebrum immanitatem frigorum non leniter fert: sed tamen quòd partes capitis dolentes interdum denso ossis obice tectæ sint, vi quadam peruadente opus erit. Caloris autem concepti magnitudo, vim ac copiam remedij apetiet. & situs partis hîc monstrat, euanidam remediorum vim sæpè alluere partes dolentes. Obseruabile etiam illud, esse quædam corpora, quæ incursum frigidiorum remediorum non leniter ferunt, vt senum, puerorum, & mulierum mollium & candidarum, & hi qui catarrhis obnoxij viuunt; his iunge anni tempus, & regionem. Fotte est oleum papaueris, cui papaueris capita incoxete; sed talia naribus potiùs admouenda quàm sincipiti: hoc validius est oleum ex mandragora; his tantùm, inquit Trallianus, in contumacibus vigiliis locus est. In tenellulis oleo chamæmelino vtemur cum aceto pauco. mori succus cum aceto probatur Galeno: vel aquâ rosatâ foueantur ex spongiâ. Plurimas alias cautiones dedimus libro secundo Me-

Intus remedia. thodi, capite septimo. Intùs vtile erit iolapum rosatum & violaceum: conserua violarum, nenupharis, boraginis. Frigida intemperies interdum capiti molesta est, dum exprimendo continuum laxat. Ita hybernis frigoribus vitra ac testacea violari stricto frigore animaduertimus. Potissimùm in-

Frigida intemperies sine materiâ. uadit ab ambiente frigore, vt à procellosâ hyeme. Nec in facie, nec in capite elucent caloris notæ, quin potiùs pallore defœdatur: læduntur rerum frigidarum vsu, recreantur à calidis; tactu friget facies mollicula; in somnos proni sunt, nisi acrior excitet hos dolor. Externa causa quæ vitium facit vitetur. Intemperies frigida castigetur alterando

calorificis. Sed animaduertendum qua tecmarsi modóque his vtemur, quâ copiâ, & quando. Ea tecmarsi, vt leptomeriâ valeant, & petennent vegetâ vi; talia sunt olea: nam ossa peruaduot. Fiant ex serpillo, maiorana, lauro, lauendulâ, chamæmelis, anetho, caryophyllis, rosmatino, origano, rutâ, betonicâ, liliis, & tandem euphorbio. Fiuut & fotus ex saluiâ, hyssopo, ibetide, prassio, stœchade, calaminthâ, &c. iam dictis: herbarum manipulus accipiat aquæ vel lixiuij libras xiij. quin ex iisdem sacculi finguntur. *Topica calida resolutiua fiat.*

Tepidè hæc admoueantur, imò eo feruore quem ferunt, sincipiti & naribus admoue hæc. Copiâ *Modus.*

eâ dentur, quam suadent intemperiei vchementia, temperies corporis eiusque habitus, anni *Copia.*

tempus, ætas. Semper CAVTIO adsit ne in capitis rebus vtamur ingrati odoris medicamentis, *Cautio.*

quale oleum laurinum. Quare, cum iucundè hic medendum sit, fiant fotus potiùs ex spongiâ expresâ decocto lauri foliorum, & chamæmelorum. Aut coque lauri folia ex oleo anethino, vel chamæmelino. Nonus antiquus medicus ἀμπελέινα, id est, pampinos coquit ex melicrato. Et, si valida fuerit nuda hæc intemperies, miscebis olei partes duodecim, cum vnâ euphorbij, & tribus ceræ. vt, Accipe olei chamæmelini sescunciam, euphorbij drachmam, ceræ ternas drachmas, olei caryophyllorum parum, vt suauem odorem effundat remedium. Poterit addi crocum, myrrha. vel accipe oleum lilinum, euphorbij, cum aquâ vitæ. Insignis ille pragmaticus Raxes, dum animaduerteret hanc intemperiem contumaciorem esse, excogitauit trochiscos ex euphorbio, castoreo, pipere, sinapi, hyssopo, styrace, rutâ: hæc in pollinem comminuta vino generoso excipiebat, ac trochiscorum in formam medicamentum redactum reponebat. In vsum dum vocabat, à fotu caput siccabat, & eius drachmam remixtam oleo caryophyllorum suturæ coronali imponebat, & fronti, & temporibus: quin auribus quid immittebat. In leui dolore lilinum sufficit, vel iuniperinum; nam vltimum est euphorbij. Iam chemica arte balsama eliquantur ex aromatis, gummis, & seminibus, cum aquâ vitæ. Aretæus, Raxes, & Abincenna ad phœnigmos & sinapismos tandem surgunt. Aretæus euphorbio & pyrethro, dum, inquit, tumefaciant, & varis similia tubercula excitent, locus tegatur. Quid igitur mirum, si hoc æuo dolores oppugnari non expugnentur? cùm ad robusta illa ægrè assurgant medici. Hæc dum fiunt, nec plethora, nec *Intus.*

cacochymiâ obsitus esse debet æger. Sumant manè semunciam conseruæ saluiæ, vel betonicæ, vel anthos: his misceri poterit semidrachma diambræ, diamhos, diamusci, cinnamomi, vel masticis *Diæta.*

semiscriptulus. vel res cephalicæ, vt betonica, rosmarinus, stœchas, aquæ vitæ immittantur, da guttulas ex vino & aquâ betonicæ. Ita mithridatium, aurea alexandrina, aromaticum rosdiglanga, diacyminum, acotum. Tandem ad robur illinat frontem, sinciput, & totam faciem oleo nucis myristicæ; & etiam nates & aures. Aër sit calidus, absit fumus, adsit lux; nam in somnum ruit æger. mosci pauxillum naribus indatur. Nocet immoderatior somnus, sit solito breuior: labor & inedia conferunt. odoribus tigetur cubile. carne vtatur gallinarum: condiantur cuncta alimenta cinnamomo, zinzibere, mulsa cum saluiâ, pipere. mel anthosatum optimum. Vinum tenue, & ceruisia perfundantur vi saluiæ, rorismarini. vel accipe aquæ libras septem, bis immitte folia saluiæ, & rorismarini, cum pauco hyssopo, vel aliâ cephalicâ; iunge quid cinnamomi, mellis vncias octo: coque

Curatio. coque ad despumationem. Sed nota in vsu huius hydromelitis, ne sint bomines μεγαλόσπλαγχνοι, hoc est, turgido hepate & liene præditi ab iosarctu. Insignis medicus Arculanus nil melius in hoc malo existimat aquâ vitæ. lactis & piscium vsum vitent. vngaotur oares guttulâ olei caryophyllorum. Si odora noo ferat, Accipe coosetuæ capillorum veneris vnciam, conseruæ rorismatini, zinziberis coditi, cuiusque semunciam: cioeris hirundinom semunciam: coralli rubri vsti drachmam; piperis semidrachmam; cum syrupo de stœchade fiat opiatæ forma.

A siccitate nuda. Siccitas arefactione ac squalore interdum continoatas partes vioiat, hioc dolor. vt ab aëre sicco, pharmacis aridis, fame, exercitiis. Attamen raro euenit ab hac causâ; sed cùm incubuit, loogè contumacior est quàm calor aut frigus, sed tamen non æquè ferox ac calida vel sicca ab intemperie, vt demonstrauit Galenus de symptomatum c. primo libro, capite quinto. non enim subito fit hæc intemperies sine calore aut socio frigore. Causam habere potest aluum citatiorem: hanc sistemus cibo, potu, & remediis iisdem quibus sopitur diarrhœa. Vigiliæ etiam, & sollicita anxiaque curis mens auctor mali esse poterit: his opitulabuntur quæ diuûm gratissimom munus, somnum euocant, & quæ in lætitiam mentem effundunt. Si ab inediâ, resarciatur iniuria succi pienis alimentis. Si immodesta venus, reficiat corpus pleniotis succi alimentum; profligeturque venus.

Topica. Capiti admouebimus oieum maturum, amygdalinum, violaceum, cucurbitarum ex semine, & lini, vel lilinum, aut nymphææ. hæc etiam oaribus instillentur. Sed fotu altiùs vis subit, & aperit illinendis potos: foue ex decocto maluæ imbutâ spongiâ, vel ex decocto lini, althææ, fœnugræci, vel lacte muliebri, vel aliorum aoimalium: lacti misce decoctum maluæ. Decoquitur malua dum euanuerit media aquæ pars. Deio medullâ vituli, vei vnguento rosato illinatur, vel butyro recenti insulso. Accipe olei amygdalini, violacei, nymphææ, cucurbitæ, piogoedinis vituli, gallinæ, butyri recentis insulsi, cuiusque binas drachmas: misce hæc, & fiat ilitus. Aër sit madidior; humidis indulgeant, pullis, ouis, iuscolis, vitolioæ: vino oligophoro. somnus sit pleniot. in otio degant. Cuncta quæ siccare possunt fugiat in assumendis, admouendis, agendis, egerendis: balnea humida proderuot. animi perturbationes profligentur.

Intus. Si intvs quid assumere velit ad squaioris correctionem, vsui erit syrupus violatus, rosatus, nymphææ, de papaoere: conserua violarum, boraginis, nymphææ, buglossi.

Ab humiditate nudâ. Hvmidvm, cùm omnia iungat ac vniat, auctor doloris esse non poterit. Ita nudæ simplices intemperies, cùm partium rapitis, sensu præditarum, continuationem violant castigantur.

Composita nuda intemperies. Si autem remixtæ hæ intemperies fuerint, vt frigida & sicca, &c. sint & mixta tunc remedia.

A materia. Sed frequentius dolore caput fatigare solent materiæ morbificæ quæ capite conceptæ sunt: hæ enim auctores plerumque sunt solutæ continuitatis, vnde permolesta & acerba perceptio, siue illa sympathiâ obuata fuerit, fugáxve fuerit à perturbatione critica: siue fixa firmiter νόσον, vt loquitur Hippocrates, ναύτοτον inducens, indigenam generationem agnoscat; seu symptomaticum transitum, aut perennem progressum sangoinis bile persusi, qoi exitum inde non habens, pondere, laceratione & stimulis caput multùm affligit. Dolor erodens fit à bilioso succo aut vapore: grauans à frigidis succis: tendens à flatibus, aut homorum copiâ mitium: pulsans à bilioso tenuique sanguine, vel spiritibus vapidis in arteriis, & quotidie recurrit.

Signa à materiâ esse. simplex νόσος sæpè euenit sympathiæ ratione, vel nudæ qualitatis, quæ tensionem facit in partibus quæ laborant: nunquam verò grauitas; quæ vbi est, ibi etiam eius causa existit, per collectionē, vel affluxum. Sic enim præclarè Galenus ad eum locū Hippocratis de pleuritide, vbi mammarum & brachij grauitatem examinat ad liberalem sanguinis extractionem.

Prognosis. A materiâ minori negocio mulcetur dolor, quàm si ab intemperie inustus foret: nam facilius est euacuare, quàm alterare. Materiæ itaque morbificæ hæ, vel cerebro sunt iodigenæ, hoc est, in eo natæ, vel vi in eo retineorur, vel aliunde sunt apportatæ, quæ translatione vel progressu temperamentum & complexionem valide peruertunt, continuitatem lacerando: idque cùm aliarum partium, tum maximè meningis duræ.

Materia in cerebro nata flatulenta. Nascitur interdum in cerebro materia, ex œconomiâ in naturali cerebri labefactatâ, ab intemperie frigidâ, quæ fœcunda est in pituitam viscidam & crassam, multis flatibus perfusam, quæ tendendo, continuum diuellit: quin & substantiæ suæ modo, cùm enim sit crassissima, ita vt euaporare non possit, in vitio est: & qualitate frigidâ hæc materia crimen agnoscit.

Signa. Aderunt Signa intemperati capitis per idiopathiam, vnde materia flatulenta. aurium tinnitus adest sine grauitate locum subinde mutans. Interdum etiam mordet ac pungit acrior vapor, quem appellat Archigenes κνισώδη tendentē: sed hic vt bilis abigitur. nos hîc de frigido. ibi repellendum, refrigerandum, mitigandum, coquēdum, dirigendum.

Curatio. Sed hîc orientur indicationes, vt causæ solutionis continui auferantur: hoc est, vt flatus excutiatur, & materia crassa euacuetur: nam soboles ferè est pituitæ vel melancholiæ, sed cùm non cædet hæc lenta materia nec pharmaco trahenti, nec oaturæ expellenti, subnascerut indicatio hanc attenuandi ac incidendi, quo sequax naturæ motui ac pharmacis reddatur. Et vt deinde frigus cerebri castigetur, ne noua proles in nouum morbum surgat. Sed in fine huius capitis de flatulento dolore, vbi de eo qui per febres fatigat diximus, iterum scribemus: vt initium & finem doloris à materiâ oborti flatus faciat.

Prognosis. Sed Proonosis ante manum medicam consulenda, & quid spei vel difficultatis præ se ferat negocium priùs expendēdum. Omnis capitis dolor qui extra diploën, & tenuem meningen consedit, faciliùs placatur: ita qui à causis externis, modò eâdem vi occurrat. Hic dolor ab indigenâ causâ interdum contumacissimus est, adeò vt inuictus remediis nonnūqoam perenuer: nam tanta immoderatio cerebrum cepit, vt nec materia, nutritioni dicata, capiti allabens, edomari in nutricatum possit: vnde à perenni congestione nouæ materiæ, nouus surgit dolor: quare toto vitæ curriculo quidam doloribus capitis fatigantur. Recens tamen si fuerit dolor, faciliùs placatur: antiquus cæcos interdum reddidit homines. Et, si hæreditario iure annatus fuerit dolor, ægrè accidi poterit. Ita elucebit num dextra polliceri curatio possit, eáque facilis, aut difficilis, breui vel spatioso tempore.

Chirurgia. Si non longè à sanguineâ naturâ abiit materia, sed vel sanguini sit remixta fuerit, pertundatur vena: &, si corpus sanguineo succo rigari videatur, id etiam agendum: ne, dum valida remedia capiti imponuntur, eò materia, grauis morbi alioqui futura nooa auctor, abripiatur. Sed si materia omnino à sanguine secessionem fecerit, supersedendum. Quamuis alioqui vel sola morbi vehementia illud magnum remedium exprimere nobis debeat. Sed tamen virtus & ætas adsint. Propterea dicit Aretæus, seca, sed

ad dolorem, vt symptoma curandum, non nisi vires nos abducent: quâ id fiat, dicemus vbi De dolore capitis à bile. Cùm itaque materia, vi intercepta, cerebro claudatur, infarctu expediri debebit cerebrum. Hoc non ægrè perfici poterit, modò non ita inhæsit vt vermiculari iam videatur, aut ab abscessu sit, qui in duritiem abit, quod plerumque, vt annotat Arculanus, calamitosè ægris euenire solet: aut à cerebro labefactato. Si humor sanguini remixtus videatur, aut abundare, vena scindatur. Et copiâ quam suadent copia sanguineæ materiæ, vehementia doloris, & vires. Alioqui succedaneæ sint cucurbitulæ. Poterit, habitâ ratione totius, frontis vena aperiri, vel nasi venæ. Cauteria etiam inusta suturæ coronali, modò vetus malum fuerit, iuuant. Maximè id agendum, dum suffusionis in metu versantur. Lenitâ primâ aluo hæc agenda. Quæ sint quæ caput euacuant errhina, &c. mox, vbi de pituitosâ & biliosâ materiâ morbificâ agemus, indicabimus. Cùm materia viis interclusis in capite sistitur, id fier obstructione, vnde solemnia excrementa supprimuntur: euacuatum itaque caput; foueatur decocto maioranæ, stœchados, serpilli, chamæmelorum, meliloti, betonicæ, nicosianæ: & nicosianæ fumum naribus hauriat, cùm frigidæ materiæ adest suspicio. Si strictis poris ac viis vi retentus fuerit vapor, vnde materia mala, fundentibus stricta, & laxantibus densa vtemur: itaque madente spongiâ, ex suaui aquâ tepidâ, foueatur caput: non acrioribus hîc fatiganda materia, maximè si illa cupiosior fuerit, ne, acrior reddita præcipitatáque in pulmonem, vas erodat.

Cautio. CAVTIO summa adsit in hoc capitis dolore, ne vnqam repercutientibus stringentibus vtendum esse existimemus: nam germinaretur obstructio. Si materia irrepat ex partibus infernis, eam reprimemus citra astrictionem.

Diæta. Turba hominum à cubili absit, sit & liberum à fumo: sit aër purus. Cibus sit conditus rebus pugnantibus cum materia morbifica. Declinante malo, vtatur vino oligophoro. Exercitia ineantur tecto corpore, inquit Aretæus. Venus capiti bellum indixit. Hac tecmarsi tractandus erit dolor, cùm materia ab obstructo vel astricto capite surgit. Iam agendum de illo dolore capitis, qui ab effusâ in id (quod frequentissimè fit) enascitur materia.

Dolor à toto corpore natus, effusâ materiâ in caput. Effundi autem hæc soler ex toto corporis habitu, aut ex aliquâ eius parte. A toto corpore in caput cursum suum incitata materia soler flectere per febres. Hæc autem materia in vitio est, dum laceat continuum. Id autem facit, cùm vitium agnoscit in substantiâ, copiâ, vel qualitate. In censum substantiæ venit eius forma, & materia. Quare vtraque labefactari ac extra naturæ suæ lineam trahi poterit.

Cùm materia substantia à forma contaminatur. Interdum itaque euenit quòd eius formæ nota inuratur, vt in tali materiâ quæ omnino pepasmi expers, putidáque malignitate fœda est: quod fit cùm afflatur veneno, aut lue venereâ, & cùm implicitus æger iacet pestilenti febri: non sine metu vermium, si Abincennæ fides, hæc materia caput incurrit. Qui si adsint, corrosiuum, vt iam diximus, dolorem parere solent.

Signa. A formâ fœdatâ itaqne cùm morbifica hæc causa affligit, implacabilem dolorem præbet, effundet fœtoris excrementa plena.

Indicationes. Et febris putredinis erit index. Curationis tecmarsis sit, vt accidatur putrida materia: nam ita continui violatio amouebitur: & vt caueamus ne altiùs putredo serpat: quare prohibebimus, ne, qui reliqui succi sunt in coutagionem trahantur à corpore æstu flagrante, aut fœditate contaminato. deinde vt hepar robur suum habeat; maximè si à lue venereâ fuerit malum.

Prognosis. Sed interponenda Prognosis. cum immanis dolor adesse huic causæ soleat, & ingenti malignitate causa cùm flagret, non extra periculum res est, maximè per febres continuas & malignas. Propterea reuerendus noster Senex ita in Coacis: κεφαλῆς πόνος σύντονος μετ' ὀξέος πυρετοῦ, ᾗ ἄλλου σημείου τῶν δυσκόλων θανάσιμον. id est: capitis dolor prægrandis cum acutâ febre: vt intermissionis sit expers, cum febre primigenia, quæ statim initio comitem habet cephalalgiam, cuius est potissimùm sequi efficientis causæ naturam, hoc est, metastasin & orgasmum succi fœditate persusi. Cum alio quopiam, inquit, sinistro signo, quale æruginosæ bilis crebra & parca vomitio, ceruicis dolor, amblyopia, echo, delirium: vnde cita mors venit. Hoc modo primo Epidemiωn: sed & æruginosa vomunt, quorum nonnulli celerrimè moriuntur. Quem locum Galenus enarrans ita scripsit: æruginosa vomitio perustæ bilis flauæ irritamento fit, indéque nonnulli citò moriũtur, quòd exaruerint partes, in quibus ipsa bilis phrenitifera latitat: vnde contingit ægros conuelli, vnáque bilem æruginosam vomere, indéque celeriùs medicorum opinione mori. Tam citæ mortis causa est doloris acerbitas quæ facit corpus infirmum, quæque ad infirmitatem adiungit humorum corruptionem, crebra malorum successio. Sed tamen, vt annotauit diuino quodam eruditionis numine afflatus noster præceptor L. Duretus, in hac symptomatum miseriâ existunt nonnulli qui validarum virium beneficio, in biduum, triduum, aut etiam quintiduum vitam producunt. Tamersi Hippocrates refert, cùm æruginosa vomuerint, septimum morbi diem agentes mori. *1. περὶ νόσων.* Si à morbo venereo antiquato inusta materiæ & membris nota fuerit, ægrè obtineri poterit à naturâ, ne noua succrescat. Et si inde fracta fuerit ventriculi vis, nulla erit curationis vtilitas. Sin recens fuerit malum, integro ventriculo, scaturigo materiæ intercipi poterit. Et faciliùs perennis nouæ materiæ generatio impeditur, si alius morbus nullus consociatus fuerit: vt si in diploë, à sinistro hydrargyri illitu, fœda materia concepta minime fuerit. hæc de prænotione: iam ad curationem pergo.

Curatio. In primis explorandum num aperiri vena debeat: nam quæ dolorem mitigant, ante pertusam venam inutilia sunt: &, vt ait Aretæus, primùm soluenda vena, hinc purgandum.

Phlebotomia. Si itaque morbifer hic succus fuerit mixtus sanguini, aut non longè abierit à sanguine, proderit laxatio venæ: nã morbi vehementia vehemens auxilium efflagitat. Vires & ætas adsint. Copiam quã elicere oportet, aperient materiæ sanguineæ copia, doloris vis, & robur ægrotum. Sin vires titubent aliquãtulum, in vbertate sanguinis, & doloris acerbitate, repetitis vicibus subducatur malo focus: nam, suasore Aretæo, non magnoperè semel detrahere expedit. Sin attritæ vires fuerint cucurbitulis euacuabimus. Aretæus non multò vltra heminam educit, circumfluo etiam sanguine. Media in brachio vena pertundatur; ea enim ad euacuationem totius, & reuulsionem à capite materiei facit. Toto corpore à sanguinis molesta copia expedito, si caput sanguineam materiam conceperit, & dolor posticam partem fatigârit, frontis aperiatur vena: sin anticam, cucurbitæ collo ac scapulis affigantur. Et in venereis doloribus, cauteria, modò vetus malum fuerit, vtilia: quo materiæ vitiũ perẽni exhaustione euocetur. cruribus ea inurimus vt strenuò reuellamus: brachiis, cùm subitâ & efficaci vi opus fuerit: capiti si iam ab idiopathiâ pedem figere cœpit malum: maximè si se in oculos expandit dolor internus, suffusionis ac cæcitatis

metu. Locus commodus est sutura coronalis. Hæc, expeditâ primâ alno, transigenda. Dolor vt placandus, ratione consectaneorum malorum, dicemus vbi de Dolore à bile oborto: nam vbi crassa & frigida est materia, alienissima sunt quæ torporem inferunt ab auxilio: modò ne æger à dolore periclitetur. Iam id solùm studebimus vt huius propositi causa abscindatur. *Lenientia.* Ducatur primùm aluus, sirupo rosato, cassiâ, diacatbolico, *Præparantia.* electario lenitiuo. Expedita à fœditate alno, præparetur materia morbifica exclusioni, remediis quæ capiti student, & vnâ cum materia pugnant. Syrupi vtiles de acetositate citri, & eius cortice, & de succo acetosæ: cum decocto acetosæ, betonicæ, *Purgantia.* scordei, cicorei, melissæ, endiuiæ. Si à venereâ lue decocto guaiaci. Postea purgabimus pilulis cochiis, extracto ellebori, vbi febris abest, vtrinsque. quâ verò tecmarsi id propinari debeat, abundè monstrauimus vbi de vomitoriis fortibus, libro secundo nostræ Methodi. Toto à fœditate expedito, ad capitis euacuationem pergendum. Præscribimus itaque masticatoria, vt in os materia prolectetur. *Cautio in masticatoriis.* In his CAVTIO adsit, vt grata sint suaui odore & sapore: nam illis res cum palato est: & recreent spiritus animales, quare malignitas ab his absit, & iniqua purgandi potentia: ne appetitus violetur, aut malignitas œsophago aut laryngi imprimatur. *Apophlegmatismus.* Accipe staphysagriæ, pyrethri, zinziberis, cuiusque scriptulos duos: masticis drachmam, ceræ semunciam, fiant trochisci parui. Manè vnum dentibus diu terant, & expuant. Hoc agendum tuto & capite euacuato: hoc est, si καρηβαρίαν iam deposuit caput. CAVTIO ea adsit, monente Abincenna, ne afflictis pulmonibus horum vsus incatur. *Errhina.* Et quamuis dum intactum integrúmque est cerebrum ore se euacuet, tamen natura & naribus vtitur eo afflicto: sorbetur naribus succus betæ, & maioranæ, anagallidis, nicosianæ. Sed quod ab his metus sit, si lue venereâ tacta fuerit materia morbifica: nam hoc esset non remedium indere, sed potius nasum abscindere, & oculis pericula intentare. Noui elegantem iuuenem, qui mecum in Italiâ habitans, naso exutus fuit, iniquâ quadam fœditate. Vltraiecti dum medicinam facerem, oculis exutum vidi: absit itaque materia venenata, dum errhinis indulgemus. Purgato toto corpore & capite, *Topica.* ad Topica, quæ foris imponuntur, remedia veniendum erit. Cùm itaque hic à toto corpore influat materia, ea reprimenda succis frigidis & crassis, remixtis tamen leptomeriâ potentibus, quò peruadant caput. oleo vtemur rosato, frigidiore & stricto: & in tenellulis oleo immaturo quod habet flores non maturos chamæmeli. In fortioribus rhodostagma nobile est medicamen. Cunctis remisce acetum, nisi vigiliæ fatigant: nam tunc malorum aranciorum aut citriorum vtilis erit succus: hæc etiam spiritus recreant. vnguento rosato remisce succum limonum: nam hæret. Sed in horum vsu *Cautiones.* etiam CAVTIONES obseruabiles. Cùm in malignâ hac materiâ adsit febris plerumque, quæ à toto *1. ad Glauc. 14.* corpore eliquatam materiam in caput euehit, perpendere debemus, num hic dolor sit criticus, nec ne. *Criticus dolor.* Si fuerit Criticus, nullo modo reprimendus: nam naturæ ductu iam iam hæmorrhagiam in procinctu esse denotat, quam si retruseris, mortem adferes. Animaduertemus facilè criticum esse, si in diem criticum, per febres, incurrerit; & si pepasmi signa, per febres, præcesserint. Si tamen crisis per vomitum futura esset, liceret capiti remediari. *Non criticus.* Si non criticus fuerit dolor, vi febrili obnatus erit. Quare tunc lustrabimus num hæc praua materia erigatur à febre biliosa, an pituitosa: si à biliosa, quia acris ac calida, repressione strictoria eam ab inuasione arcebimus: nam acrem dolorem inferre solet, vnde & noua attractio, hinc phrenitidis calamitas. Sin pituitam sui auctorem agnoscat febris, licebit reprimere, sed non astringentibus. Et tamen, cùm stringentia cuncta bellum indixerint putredinibus & inde enatis febribus, parciùs his per febres vtendum erit. *Cum catarrho.* Præterea illud hîc obseruabile; cùm catarrhus dolori se consociat qui à qualitate quadam malignâ contaminatus fuerit, si, dico, vehemens hæc inquinatio fuerit, temperandum à repulsione; ne materia fœda in pulmones præcipitetur. Si hîc quid agendum, præscripta iam remedia non superet vis. Placet nobis hapsus lanæ vel bombacis, oleo violaceo repente imbutus: poterit addi lac muliebre, & fronti & temporibus admoueri: aut muccago psyllij iungatur violato. Itaque repellentium copia aucupari debet ex causa doloris, dolore ipso, & ei nexis, vt vigiliis, & delirij metu, & ex temperie capitis, eiusque situ & structurâ. Caput enim temperatum facilè fert incurrentia: frigidius, non ita: minimè calidius, quòd vigiliis exhauriatur: siccius aceti vim non fert copiosiorem: humidum leniùs id admittit. Structura si densior, aceti penetrabilem perfert vim. Situs si fuerit dolor in superficie capitis, ab aceto pax esto: initio, attamen iam euacuato corpore, his vtendum. Quæ reliqua obseruari debeant, vbi de bilioso, dicemus: vbi etiam de horum victu. Hactenus cùm substantiæ forma morbida fuerit, vt transigendum monstrauimus. *Cùm materiæ consistentia causa est doloris.* Sed nonnunquam materia substantiæ crimen habet, intactâ eius à calamitate formâ: vt cùm materia fuerit crassior, viscidior, flatu turgida, vel nimis tenuis, quæ à toto corpore in caput effunditur: nam etiam tales continuum lacerando doloris auctores fiunt. Crassam & viscosam medici Pituitam vocant, nimio humore madentem, ac frigore algentem, cui etiam flatus se consociare solent. Ita si tenuis calore ac squalore vrens fuerit materia doloris auctor, hæc bilis ab illis vocatur: *A bile.* aut bili remixtus succus; aut talis qui putredine in calorem, acredinémve salsam abripitur, qui abradit & violat natiuam partium inunctionem. Nam siue hæc mera fuerit bilis, aut salsedine aspersus succus, aut sanguis bile perfusus, profectò laceratione ac stimulis caput acerbissimè affligit, ingentem ac contumacem capitis dolorem facit, temperamentum & complexionem multùm & celeriter alterando, indeque continuitatem lacerando; idque cùm aliarum partium, tum maximè duræ meningis. *Signa.* Si febri circumuentus fuerit homo æstu flagrante, prudens medicus accuratè perpendere debebit num efferata doloris vis homini, vnde delirij metus, non querulo immineat. *Imminentis doloris.* Dum enim febrili ab acerbitate iactantur, mens illorum non benè habitat: quapropter nec dolores sentiunt, nec primos illorum incursus. *Dolor.* Vt enim dolor sentiatur, oportet qualitatem rei dolorificæ impressam sensoriis instrumentis, communicari sensui communi, qui indicat passiones in sensoriis: est enim dolor perceptio rei naturæ tristis. Notabimus dolorem iam iam in procinctu esse, ex causâ doloris præsente, & capitis imbecillitate, quòd facilè doloribus percellatur. Si itaque notæ aliquæ apparent æstu tacti ac ebullientis sanguinis, in eo discrimine æger erit, notæ autem huius feruoris erunt * οὖρα θολερὰ, quæ etiam appellat in Aphorismis ἀνατεταραγμένα, & in Coacis οὖρα ἀνατάρακτα: sunt autem huiusmodi vrinæ iumentorũ similes. Nunquam enim talium vrinarum

** id est, lotia perturbata, 4. Aphor. 70.*

fæces

fæces resident, quales in vxoribus Philiui & Dromeadæ. Denuntiant hæ vrinæ summam in vasis perturbationem à flatulento spiritu, & insigni ardore febrili: inde delirij & conuulsionis metus, vt in Polyphanto. Cum infirmitate virium si hæc vrina fundatur, ad mortem appâret: cum virium robore ad diuturnitatem. Quare ilico, si copiosior sanguis, emittatur: quò liberior à mole natura, humorum confusionem ac perturbationem castiget. Et quia perturbatur in venis serum à flatulento spiritu & putredine, vel theriaca, si non æquè æstuet, sed malignitate terreat confusio, vel refrigerantibus, & aperientibus, ac putredinem intercipientibus potibus remediandum erit. Detur itaque syrupus de acredine citreorum, cum aquâ cichorei & cardui benedicti: vt, Accipe aquæ cichorei libram, syrupi de acredine citreorum vncias tres: olei vitrioli, quod satis sit ad acorem iucundum: fiat iolapum. Et capiti oxyrrhodina admoueantur: vt ab inuasione fumus & succus arceatur.

Remedia futuri doloris capitis per febres.

Signa præsentis doloris à BILE.

Si autem præsens fuerit à B I L E dolor, infestæ erunt vigiliæ, dolor mordax, & pungens, imò vlcerosam quandam ferociam præ se ferens, si ferox illa fuerit, copiosa ac peruadens: maximè si adsit obstructio in capite: maximèque si membranam occupauerit: nam rodendo perforare illam videtur. Alioqui pruritus inferet, si cutim inuaserit. His non adest tensio. Excrementa dimanant non vlla, aut si quæ, ea pallidâ quadam citrinitate tingentur: amara erunt. Paruâ hæc materia mole ingentem dolorem inferre potest. Oris adest nonnunquam amaror: ardet caput ac ingenti æstu vrit, inquit Razes, si tangatur: nec tamen, inquit, facies aut oculi vllo rubore tinguntur: nisi vi doloris attracto sanguine, rubore aliquo facies feriatur coniecturam firmabunt ætas, diætæ ratio, complexio, & peculiaris natura, anni tempus. Absque tensione mordens & pungens hic est dolor: nam bilis non eâ mole premit quâ tendat, sed partium substantiam suâ leptomeriâ traiicit, vt elucet in erysipelate. nec adeò graue videtur caput. pulsus apparet velocior. peruenit dolor ad frontem & tempora, ob sanguinis tenuitatem, ex sententiâ Hippocratis tertio Prognosticôn, decimo.

Indicatio curatiua.

12. meth. 7.

Natura huius mali loquitur sua remedia; nam adest acerbus dolor, & cum is symptoma sit, eius socia accedit causa laceratio continui. Hinc itaque orietur indicatio auferendi sensum, ne sensoria instrumenta causam percipiant dolorificam: secundò, vt causa lacerationis continui amoueatur, quâ exactâ cedet laceratio. Cùm acerrima sit bilis, si turget, ilico excludatur: sin beniguior fuerit, primò paretur exclusioni, & eius acrimonia temperetur, & squalor madescat. Tandem euacuetur ea quæ capiti importata fuit: & tamen primùm, quæ in caput cursum suum flectit, reprimatur: Sin iam iam, materia quæ præsto est & genita, impetum in caput factura est, reuellatur ad dissitas partes: & robur capiti adferatur, ne æquè irruentes succos accipiat. Sin bilis nondum genita fuerit, eius prouentus impediatur; si toto à corpore febre occupato, id, excussa febre, redintegretur, ac ad pristinam temperiem flectatur: si ab hepate profecta fuerit, id castigatur: ac robur mittenti & excipienti concilietur.

Prognosis.

3. progn. 13.

Acerbum dolorem præbet bilis. Facilè his doloribus tentantur qui debili sunt cerebro, ac sensili, & qui partes nutritioni dicatas languidas sortiti sunt: ita qui æstuante sunt nati hepate, ac cerebro sensili, frequenti dolore discruciantur. Si, inquit Hippocrates, prægrandis fuerit dolor cum acutâ febre, ita vt non sit fugax symptoma perturbationis criticæ, sed fixus firmiter, à nullâ sympathiâ enatus, sed symptomaticum qui agnoscat transitum, aut perennem progressum sanguinis bile perfusi, qui exitum non habens, laceratione & stimulis caput affligit: mortiferus, inquit Hippocrates, esse solet: imò citâ morte funestus, orgasmo humoris biliosi effusi in caput. Sin autem omni alio malo signo procul, dies viginti excesserit; hoc est, si ingens illa prauitas abfuerit, quæ cernitur in rubris, vrinis, iumentorum similibus, perturbatis in venis succus à flatulento spiritu cum ardore febrili, vnde conuulsifica nascitur vis, vt in Polyphanto Abderita, cui cùm in prægrandi cephalalgiâ & febre acutâ decimum diem agenti, sternutamentis medicatum fuisset, oborto ceruicis dolore acerrimo, fecit vrinas iumentorum similes, nec inde fuit apud se, creberque sæuis conuulsionibus interiit.

7. Epidem.

Huc accedit etiam vt nihil, sinistrâ curatione, in commoda eorum peccetur, vti sternutamentis, nec iure, nec loco præscriptis peccatum est in Polyphantum, tamen morbi pernicie trahantur. Sed si ingens hæc prauitas à materiâ morbificâ abfuerit, ita vt prauum aliud signum secum non trahat cephalalgia, &c. ait Hippocrates, si dies viginti excesserit: vt scilicet interim plenâ manu hæmorrhagia non eruperit, quæ dolorem sedauerit, morbumque depulerit; neque doloris acerbitas hominem ad exitium præcipitarit, neque industriâ medici in gratiam redierit cum sanitate ante vigesimum diem: sanguinem detrahendo incisâ venâ basilicâ, ad febrem; cephalicâ, & rectâ frontis ad amotionem causæ coniunctæ, tum etiam nouando, purgando, cum abstinentiâ vini. Sed si cephalalgia ad vigesimum diem vsque excurrerit non sine acerbissimis doloribus, quo tempore cadere incipit vis acerba dolorum, cùm placentur celeritas, vehementia, & assiduitas, tunc, inquit Hippocrates, sanguinis profluuium denunciat: quod tamen prima periodo plerumque euenire solet, quamuis & mitigatâ materiâ, à vigesimo die incidere poterit. Aut, inquit, suppuratum è naribus denunciat: modò hæmorrhagiâ profusus liberaliter non fuerit, aut per διαφόρησιν exhaustus fuerit, quod reliquum est in suppuratum abit, mox in exputatum. Aut partium imarum abscessus denunciat, inquit Hippocrates; qualem in Herophonte obseruauit, & in virgine Abderitanâ, cui à surditate superstes mansit pedum dolor, cætera perfectè conualuit, morboque defuncta est, qui antè lethalis videbatur. At, ait, profluuia sanguinis quidem, potissimum minoribus triginta quinque annis, expectare oportet: omnium enim excretionum laus est, & potissimùm hæmorrhagiæ, per iuuentutem & pubertatem, cui ætati patrocinatur naturæ vis, meatuum libertas, & materiæ meabilitas, sine quibus sinistrè excretio instituitur. Maioribus autem, vt scribit Hippocrates, τὰς ἀποστάσιας προσδέχεσθαι, id est, abscessus exspectare decet: cùm nimirum vigesimum diem morbus excesserit. existimo suppuratum intelligi.

3. Prog. 17.

Ac sanè, inquit Hippocrates, profluuia omnino spectabilia sunt in frontis & temporum dolore prægrandi. igitur si sponte non venit hæmorrhagia, primam curationem habet quâ sanguis mittatur. Biliosus autem hic sanguis intolerabilem fronti ac temporibus præbet dolorem, quòd earum partium crassissimæ sunt venæ, ac cerebrum illic consedit vberius quàm parte posticâ. Quò fit vt omnis acrioris cephalalgiæ notæ primùm efflorescant in temporibus & fronte: quoniam cephalalgiæ causæ impetus non antè quiescit, quàm ad extremas venarum oras peruenerit: necdum feritas eius domatur,

Frons & tempora cur ità doleant.

matur, donec oscula venarum recluserit, exitumque habuerit; modus enim vacuationis est ex humoris motu, naturæ impulsu, & partium obsessarum conditiooe & situ. Sed satis iam indulsimus Hippocratiels prognosibus, ita edocti à doctissimo præceptore olim nostro L. Duteto. Iam ad CVRATIONAM pergo. Acetbissimus hic dolot efflagitat mitigantia auxilia: at hæc dextrè ante solutam venam in vsum vocari nequeunt: nec purgatioot, Inquit Aretæus, locus ante apertam venam, modò vtriusque remedij inciderit vsus. Primò itaque hîc explorandum, num pertundenda vena.

Curatio.

Phlebotomia. Quate videndum num biliosus hîc succus sanguini sit perfusus, an potiùs ab hac, degener, benigoitate abierit. Si à sanguine sit haut alienus succus, pertundatut vena, suasote Abincennâ: nam nec Razes phlebotomiæ quidem meminir, nisi vbi sanguia auctor mali fuerit. Quamuis alioqui morbi vis ingens, validum auxilium euocet. Sed cætetæ indicatiooes de viribus iudicium ferant: nam vbi bilis crimen gerit, st à sanguinis benigniiate cesserit, non sine infitmiiatis metu persistont vires. ætas etiam hoc ferat. Sed quâ copiâ euacuabimus? Id enuociabit materiæ sanguineæ vbertas, dolotis vis, & ægri tobur: quò enim amplior fuerit sanguinis copia, & dolot acetbior, & vires validiores sine infirmitaris metu, eò liberaliùs euocandus erit sanguis. Sin viribus fuerit æger prosttatiotibus, in vbertate sanguinis, & dolotis immanitas pressetit, tum bis vel rer iterabitut sectio venæ: nam, inquit Aretæus, non magnoperè semel detrahere expedit. Sin fractæ vehemenret & attritæ vires fuetint, vt euenit in diuturnis doloribus vehementibus, quos vigiliæ & inedia comitari solent, quibos profectò nil æquè fœcundum iu virium debellationem, in his dico, pax sit à phlebotomia, quin potius, si quid agendum, cucutbitulæ soccedaneæ illi veniant. Quænam vena pertundenda? Si hîc totum corpus sanguinis plenum est, qui iam cursum suum flectit in caput, media in cubito vena pertundatur, vt reuellatur & euacuetur ruens iam in caput sanguine perfusus biliosus succus. Sin verò nondum eò cursum suum instituit succus, sed si periculum adsit ne eò se vettat, tum, inquit Abincenna, si sententia fuerit non magnam copiam exhaurire, basilicam venam pertundemus: nam hæc à capite longiùs recessit: Sed si liberaliore manu abducere sanguinem consilium sit, suasore Abincenna, venam remotissimam feriemus, vt in pede saphenam venam: nam ita reuulsioni & vberrimæ euacuationi studebimus. Si iecur suam operam iunxerit ad hanc calamitatem, & eius & capitis ratione apetiri media vena in cubito dextro poterit: sin solius hepatis rationem habendam existimaueris, basilica rangatur dextera. Si altera pars capitis doluerit, ex Cœlij Aureliani senteotiâ, ex eius contrariâ detractionem faciemus. Huic sententiæ subscribit Abenzoar ex vsu sui patris, in ictu capitis. Si restibilis biliosus succus, à vacuato toto corpore in capire hæserit, & si frontem occupauerit

Cucurbita. dolor, cocutbitulæ erunt vsui, parti posticæ admotæ. Sed CAVTIO adsit, ne paralysi opportunos sit æger; quòd raro, vbi bilis molesta esse pergit, vsui venit. Sio posticam inuaserit capitis partem dolor, in anticâ parte admoueatur cucurbita. Ita transigendum si extra cranium, hoc est, foris vergat dolor, subscribente Abineenna. Sin intus dolor stabuletur, non vtitur Abincennas cucurbitulis; sed potius, si in posticâ parte stabuletur dolor, secat venam illam rectam frontis: quod rectè admonuit Aretæus cùm ait, à phlebotomiâ & pharmaciâ, eùm lauit ac vinom bibit, firmatis viribus, frontis vena secetur. Hic etiam nasi venas pertundit, & ad heminæ dimidium, quod ferè quatnor vnteas æquat, euocat. Sin sinciput occupauerit, quia vena nulla in posticis emicat, cucurbitulas his applicat. Interdum coëgit medicos, inuictus remediis cæteris dolot, ad arteriotomiam. Propterea scribit Razes,

Arteriotomia. Idem Paulus probat. si ioueterarum ac contumax fuerit malum, nec valentioribus auxiliis cedat, si, inquit, inde periculum fuerit, ne aqua in oculos lapsa, suffusione cæcitatem inferat, consultum fuerit arterias scindere, ac ligare: nam id intercipit fluxionem ad oculos, ac dolorem placat; maximè si in exterois partibus materia concepta fuerit. Euenit aetis hic dolor à sanguine bilioso, tenui, præferuido, ac vaporoso, qui ex temporum arteriis emissus, illum dolorem qui nullis remediis vinci potuit placat, siue ab internis, siue ab externis vasis malum extiterit; hinc enim semper materiæ morbificæ iunctæ morbo, sanguinis dico & spirituum, sequitur euacuatio, vt doctissimè eruditissimos ille Pareius tradidit, in nunquam interitura illa Chirurgia. Id ego

Historia. expertus sum, inquit, in permultis, sed præcipuè in principe à Rope Surionensi. Huic atroci hemicraniâ diuexato, D. Capellanus regius, & Castellanus Reginæ primarius medicus, denique Ludouicus Duretus medicinam faciebant; nec tamen phlebotomiâ, cucurbitulis, balneis, frictionibus, diætâ, vllóve remedij genere, seu assumpto, seu admoto quicquam opis adferebant. Vocatus ego dixi vnicam salutis spem restare, si ipsi arteria in temporibus phlebotomo diuideretur, qua parte dolor sæuiret. Mihi enim verisimile fieri, doloris eius causam non venis, sed arteriis concludi: quo in casu nullum arteriotomiâ præclarius esse remedium veteribus proditum, cuius ego in me ipso, magno meo bono, periculum fecissem. Meum istud medici cùm probassent consilium, ad opus è vestigio me accingo, arteriamque in tempore dolente seligo, quæ & tumentior esset, & vehementius cæteris pulsaret. Hanc ego vnicâ incisione, quemadmodum in phlebotomiâ fieri solet, aperio; sanguinisque magno cum impetu & saltu prosilientis plusquam duo vascula elicio: quieoit statim dolor, neque vnquam recruduit. Plurimis tamen suspecta est arteriotomia, quòd protumpentem inde sanguinem sistere, quodque cicatricem obducere sit operosum, propter arteriæ densitatem, duritatem, & pulsationis pernicitatem: quòd denique cicatrix obducta aneurismatis periculum inferat. Itaque satius esse putant, inquit Pareius, cutem primò diuidere, deinde à circunistantibus omnibus particulis diuellere, inde vtrinque arteriam vincire, denique dioidere. Sed, inquit, hæc opinio est hominum omnia tuta timentium: ego enim multiplici experientia didici non esse periculosam arteriæ, quæ scalpello fit, quemadmodum in phlebotomiâ fieri solet, apertionem: consolidationem verò paulò venâ tardiorem esse, tandem tamen fieri. Sanguinis verò fluxum nullom vnquam superuenire, modò deligatio aptè facta sit, hæreatque totom quatriduum, appositis vt decet plagulis. Sed insolens hoc remedium iam est chirurgis: quare cùm hoc non licet, remedia hanc fluxionem intercipientia vtilia erunt. Accipe masticis drachmas tres, pulueris myrtillorum, & coralli rubri, cuiusque semidrachmam: olei myrtini drachmas duas; succi plantaginis drachmas tres; ceræ quantum sufficit, vt fiat ceratum. addi poterit terebinthina. applicetur arteriis temporum; nam aditum intercludit succis eò ruentibus. Cauteria humeris, si subitò, *Cauteria.*

vel

vel crutibus, si efficaciùs reuellendum, inurantur. vel saltem vesiculæ inurantur ceruici posticæ, sub duabus illis eminentiis occipitis: id fiat cantharidibus. Post nonum diem locus solidetur hoc vnguento: Accipe olei rosati vncias duas, ceræ vnciam semissem, liquatæ ceræ affunde oleum: quin tunc remotis ab igne immisce cerusæ pulueris dum crassescat; adiice tunc oui albumen cùm iam refrixit: & parum caphuræ: opij grana v. omnem vredinem abigit. Hæ sectiones & vstiones fœliciùs peragentur, si primùm expedita fuerit à suâ mole prima aluus. *Lenientia.* Quod optimè fiet rosato syrupo laxatiuo, si detur ad ternas vncias, cum decocto tamarindorum, vel endiuiæ: vel cassia cum tamarindis: vel cassia coquatur cum infuso rosarum laxatiuo, cum crassius puluerisato aniso. Sin intestina conceperint biliosam fœditatem, fiat potiùs enema ex decocto maluæ, violarum, ptisanæ succo, & oleo violaceo, saccharo rubro, cum pauco sale. Vel accipe iuris pulli, vncias decem, olei violacei vncias tres, sacchari rubri vncias duas: fiat enema. Et si materia orgasmo concita rapido impetu per corpus feratur, hic non subsistendum in vsu lenientium, sed valido cholagogo excludatur: ne ruat effera materia in partem principem aliquam, cuius partis officio vita carere nequit, & subitò extinguat. Orgasmo autem eam agi, aperient crebræ symptomatum mutationes, in variis efflorescentes partibus. Et cùm capitis atrox hic dolor sit adeò nonnunquam vt de vitâ periclitentur ægri, nascetur tunc indicatio auferendi sensum: ne instrumenta sensoria ampliùs fatigentur à perpessione quâ excruciantur à causâ morbificâ. *Remedia ad dolorem ipsũ, & symptomata illi innata & eorum cautiones.* Sed tamen magnâ cautione his remediis vtendum, cùm stupefaciant sensum, nec causam dolorificam abscindant; imò sæpè ad causam morbificam faciant, cùm etiam inimicitiam exerceant cum partibus solidis. Nec tamen nimis animosè renuemus horum vsum cùm vires doloribus & vigiliis prosteruuntur, sed horum meta sit virium robur: vt placatis doloribus, robur recolligant ægri, vtque morbo fiant pares, & sufficere curationis spacio valeant. *Narcotica.* Alioqui, vrgente etiam dolore, quamdiu virium robori fidimus, nec metus delirij à vigiliarum crebritate adfuerit, methodus tenenda, nec in ægri gratiam soli dolori malè vacandum. Sed labentibus viribus ac delirij periculo à vigiliarum vi incumbente, tantisper dolori occurremus, quò vires firmentur. Crudelis enim medici est ægrum doloribus conficiendum propinare: vt & adulatoris medici est, ad quamuis leuissimam velitationem dolorum, stupefactoriis remediis voluptati ægrorum subscribere: nam à molli medicinâ quæ consenuisse videbantur, recrudescunt. quare semper ne quid nimis: nam rectè Narcotica dicta sunt hæc remedia, quòd inde quasi emortuæ partes titubent ac stupescant: attamen læsio melior morte. quare summa necessitas nos in horum vsum abripere suo iure poterit: summa autem ea habenda, cum perennitate vigiliarum delirij in discrimen abducitur æger, & inedia fatiscit. Sciendum itaque qualis sit narcoticorum substantia, qualitas, & quâ copiâ, quo tempore, & modo in vsum euocari debeant. *Series qualitatum in Narcoticis.* Qualitas suam habet seriem; in primâ est lactucæ succus; secunda habet succum foliorum nymphææ, & oleum eius florum, succum solatri, radicem mandragoræ, capita & semina papaueris, folia eius, & eius liquor. hæc simplicium series: Accipe syrupi papaueris vnciam, sumat cum decocto lactucæ. composita, mithridatium recens, theriaca noua, philonium Romanum, requies Nicolai. Sed compositorum tutior est vsus: nam ni fermentatum fuerit priùs opium, intus dari non debet. Quare philonium sit sex mensium: sed quò vetustius, eò imbellius: perennat tamen in decimum annum. *Copia narcot.* Intus: Accipe philonij Romani scriptulum, mithridatij semidrachmam: sumat. vel accipe theriacæ recentis drachmam. Si recens haberi nequeat, tunc magno successu recentari à me solet vetustior theriaca; hoc modo: Iubeo vt semilibræ illius addatur solutum opium, ita vt quæque drachma accipiat opij grana ferè duo. Sed diu fermentari ante eius vsum permitto. Præbeo drachmam cum syrupo nenupharis, vel liquore aliquo decẽti. Foris: Accipe olei violacei, drachmas tres (in paruâ copiâ) aceti drachmam (ratione penetrationis) opij, croci, cuiusque grana tria: misce, vnge tempora & frontem: sed minimè suturam coronalem; hæc peragenda purgato corpore toto. Aliud: olei rosati vnciam; opij grana octo; croci grana iiij: penna vngatur. Aliud: Accipe philonij Romani drachmam; olei chamæmelini semunciam; fiat inunctio. hac ferè copiâ præscribi poterunt. Iam videamus QVO MODO in vsum duci debeant narcotica. *Vtendi modus.* Intus sumuntur, vel foris admouentur. A mitioribus auspicandum; & primò foris, deinde intus eorum vsum admittemus. Tentabimus primùm num embrochis liceat id obtinere: Accipiemus foliorum lactucæ, papaueris, nymphææ, vel pampinorum, salicis, violarum, manipulos: capita papaueris, radicum mandragoræ vncias duas: anethum: populi folia: coquemus ex aquâ, cui inliquemus opij duas drachmas: tepidè manus cubitum vsque lauet: & spongia hac imbuta aquâ & expressa naribus admoueatur. Vngantur itaque primò oleo neuuphariuo, deinde mandragoræ, postea papaueris, vltimò opio: quod optimè castigatur castorio: quamuis Razes duo grana caphoræ illi miscuerit, in oleo iasmino, quod auribus & naribus modicè tepens immittit. CAVTIO adsit, ne opium suturæ coronali imponatur, plurimum enim illi subest cerebrum, ac facilis eò aditus: sed potiùs temporibus, naribus & fronti applicandum; ita Galenus, Abincennas, & Razes. *Cautio.* Quamuis Razes etiam portiunculam auribus immittat. Noui qui in summâ necessitate vigiliis vrgentibus vtebatur opij scriptulo, quod soluebat aquæ rosatæ vnciis quatuor, & adiecto semiscriptulo croci admouebat. Sedatis doloribus ac euictis vigiliis, quò eluatur ab opio inducta iniuria, vngatur locus oleo chamæmelorum, caryophyllorum, nucis moscatæ, vel anethi, aut lauendulæ: sin intus opiatis vsus fuerit, conseruis calidis, vel cum mithridatio, vel theriacâ vtatur. *Tempus.* Maximè somni tempore, cùm is non succedit ex naturæ lege, cumque summa eius adest necessitas, commodus horum vsus erit. atque ilico sedato dolore, & vigiliis abactis remoueantur. Et semper in opiatorum vsu illud teneamus, μηδὲν ἄγαν. Hactenus de symptomatis mitigatione: nunc venio ad remedia quæ præscribuntur aduersus dolorem, vt ille cum causæ morbificæ ablatione vnâ amoueatur. *Remedia ad dolore, qui est biliu, causam.* Expeditâ itaque primâ corporis regione ab aluinâ fœditate, materia hæc biliosa, modò effeta non turgeat, ad exclusionem paretur: quò, sine vi, naturæ expellenti, & pharmaco trahenti cedat. *Præparantia.* Hoc dicere volebat Razes, cùm inquit, initio purga, intelligit antequam ad Topica veniatur, non quòd velit non esse præparandum. Existimo tamen ego, hanc materiam ferè semper turgere: & si præparatione aliquâ opus sit, non tamen hic coctionem, vt in contumaci humore fieri solet, exspectandam esse. Galenus dolores oculorum se vno die curasse

affirmat. Si itaque præparandum, id fiat succis ac liquoribus qui vnà & capiti student, & cum materiâ biliusâ pugnant. Iolapum rosatum, & violatum, & harum serapia, syrupus ex acredine citriorum malorum, & aranciorum, granatorum acidorum, syrupus de succo acetosæ, de agrestâ. Hi syrupi cùm odorati sint, in caput efferuntur. Cichoraceis etiam hîc locus est. Quodsi vigiliæ molestæ esse cœperint, potius vtemor syrupo de nymphæâ, de papauere, & lactucæ: quamuis aliuqui non æquè præparationi & coctioni humoris studeant. Miscemus syrupos ac diluimus decoctis, quæ fiunt ea eisdem ea quibus serapia: vt ex acetosâ, cichoreo, endiuiâ, floribus cichorei, seminibus frigidis, radicibus graminis, capillaribus, soncho, hepaticâ, lactucâ, portulacâ, nymphæâ, floribus papaueris erratici, floribus violarum, boraginis. Remiscemus interdum aliquid aquæ rosatæ, quò ad caput efferantur: maximè si æger eo recreetur sapore: nam noui qui abuminantur rosas. Accipiat libra liquoris, vncias ferè tres serapiorum: vt, Accipe aquæ endiuiæ, quæ empyreuma nō olet, libram: syrupi acetosi simplicis, vncias tres: aquæ rosatæ, quantum sufficit, tenuem rosarum vt affundat saporem. *Aceti vis.* Si acida velit æger, miscemus syrupum citreorum, cum pauco aceto distillato, vel olei vitrioli guttis quibusdam, vt inde lenissimè acescat. Nam *3. acut. 38. Acida bilis frenum.* acetosa opitulantur optimè dum bilis vrit: testis Hippocrates, αἱ ἀπὸ ὀξέος ὀξύτητες πικροχόλοισι συμφέρουσι. τὰ μὲν γὰρ πικρὰ διαλύεται, καὶ φλεγματοῦται, μετεωριζόμενα ὑπ' αὐτέου; id est, quæ vis ab aceto in remediis micat, biliosis prodest; etenim amara resoluuntur, & pituitescunt, ita vt dilutiora reddantur, veluti ab aceto subacta & in maiorem molem fusa. & benignè monet reuerendus senex, vtero dolorificum illud esse, & propterea bellum indixisse mulieribus. *Purgantia bilem.* Materiam paratam abducemus cholophygis; vt, Accipe rhabarbari optimi scriptulos quatuor, aut sesquidrachmam: infundantur totâ nocte decocto fructuum, vel aquæ endiuiæ cum vino Rhenensi: colaturæ manè adde syr. rosati solutiui cum Rhabarbaro parati, vel syr. de cichoreo, cum rhabarbaro, vncias duas: electarij lenitiui, vel diacatholici, drachmas tres: electarij (si actiorem vim velis) de succo rosarum drachmam vnam aut alteram: misce, fiat haustus. Si apozema velit, præsparantibus iunge pruna X. vel vnicam tamarindorum: colaturæ adde syrupi violati laxatiui, vel rosati, vel de cichoreo cum rhabarbaro, vncias quatuor. Et vltimæ propinationi infundi poterit rhabarbarum, ad drachmas duas cum spicæ granis septem: sin strictiorem vim velis, myrobalanorum citrinarum semunciam: detur expressio. Si malis pilulas: Accipe pilularum aurearum semidrachmā, aut scriptulos duos: scammonei præparati grana tria vel quatuor: fiant pilulæ quinque, quæ inaurari poterunt ditioribus: sumat in aurorâ & superdormiat. Aliæ quæ hemicranicis etiam auxiliantur: Accipe rhabarbari optimi sesquidrachmam; cinnamomi scriptulum; zinziberis semiscriptulum; pulueris corticum myrobalanorum citrinarum drachmam: infunde cuncta hæc succo rosarum pallidarum per noctem, & manè fiat leuis feruor, & fortis expressio: cui adde rhabarbari electi sesquidrachmam, pulueris hieræ simplicis semidrachmam: fiat massa, addito syrupo rosato laxatiuo. Sumat interdum drachmam: si potentiorem vim velis, adiice grana tria scammonij singulis drachmis. Caue à myrrhâ, & croco: quod dormiente Ioue in Idâ, capite eius enatum ferunt: nam caput ferit. Si subsit pituita, quâ rarò caput caret; poterit eâdem tunc arte agaricum infundi. CAVTIO ad- *Cautio in pilulis cephalicis.* sit in pilulis cephalicis, ne remisceatur crocus vel myrrha: nam caput plethoricis causis impleot. Nec dentur à cœnâ ilico: imo potiùs à nouem vel octo horis, mitigato iam cibo: turget enim mediâ nocte confecto iam chylo ventriculus, & pylorus aperitur, secumque abripit datas pilulas. & ingestis pilulis dormiat sesquihoram: hoc enim bonis eorum rebus fiet. Tenellulis manna sit sacra: & si calor adsit, cum decocto tamarindorum ex iusculo pulli; vel myrobalani ita etiam diluuntur. Ita Raxes purgabat sanguinem, hoc est, ichorem sanguinis biliosiorem. Sed dum vehementiore flagrat à dolore caput, cuncti humores quia anarrhopi, non facilè à pharmacis catarrhopi fiunt: quare vi aliquâ viuidiore opus est, vt purgatio votis respondeat. Euacuato toto corpore, tandem caput erit inaniendum ab ea materiâ, quæ à toto corpore illi incubuit. hoc suauibus rebus (cùm caput sit quod laborat) quantùm fieri poterit peragendum: & bilis sequax tenuisque ac calida est, vnde etiam incaluit caput, & acrimonia sua stimulat excretricem. Abincennas tamen vtitur syrupo rosato laxatiuo cum scammonio: & cùm iuncta fuerit pituita iungit turbith. & inuicto succo adiicit colocynthidem. Sed agúntne *Pharmaca num foris admota purgēt.* peculari vi foris admota pharmaca? Certè; quo modo? ita vt electrum festucas trahit, inquit Abincennas libro De viribus cordis, capite de Hyxciotho. & quo modo erigitur id in energian? prope adductum si frictione incanduerit æstu: nam vis succini ad paleam vsque effundi debet, diductis tenuibus inde partibus. & hîc vicinis partibus accumbit remedium, nec adeò, vt dum in ventriculo est, abit à trahendo succo. Sed cùm hæc peculiari vi trahentia ingrata sint, ad eorum vsum nos *Tempus.* suis abducet necessitas grauis. Hoc peragetur errhinis, apophlegmatismis, gargarismis. Atque in horum vsu perseuerabimus dū caput purum ac expeditum à materiâ morbificâ fuerit: quod notabimus inde; si primùm graue cùm esset caput, iam id pondus deposuisse videatur, & si nihil à medicamento ampliùs materiæ emanârit. Sed CAVTIO ad- *Curatio in peculiari purgatione.* sit, ne masticatoriis vtamur vbi metus adest ne à deciduâ materiâ pulmones violentur, vt si ferox fuerit bilis, atque admodum tenuis: nam si crassa illa fuerit, vtiliter masticationes præscribentur: ita scammonio vtitur Abincennas; & si iuncta fuerit pituita, addit turbith. Nec sint fluxionibus expositi pulmones: ne phthisis adferatur calamitas. Alioqui vti licebit apophlegmatismis, gargarismis, & inunctionibus. Itaque solam masticem masticet: nam, vt scribit Dioscurides * στόματι δὲ εὐωδίαν ποιεῖ διαμασωμένη, quidam ficus & ceram iungunt ** ori odoris gratiam cōciliat.* mastici: poterit iungi sinapi, vel scammonium, vbi summa necessitas. Gargarismi fiant ex ficubus & origano. Palatum illini poterit sinapi. Errhina fiant ex succo betæ: & oleo violaceo; vnguento rosato inuncto. Expedito iam toto corpore à materiæ biliosæ copiâ, ad remedia Topica veniemus. *Topica in biliosâ materiâ influente.* Quia autem hæc materia à toto corpore vel aliunde confluebat, opus fuit repressione, succis frigidis ac crassis: nam crassum frigidum potentissimè reprimit, vt tenue calidum validissimè calfacit. Sed monuit Galenus, vt leptomeriâ peruadentia his committamus. vt oleum rosatum, omphacinum recens, cum pauco aceto. in tenellulis chamæmelinum, ex oleo & floribus immaturis, & violaceum. Durioribus psyllij muccago, aqua rosata, solatri, plantaginis, equiseti, folium brassicæ; pastilli ex floribus rosarum, aspersi rhodostagmate, vnguentum rosatum mite & eupotiston est: vnguentum

geotum alabastrioum. rhodostagma cum succo mototum nondum maturorom. Quin euoctis his quid aceti aspergendum, vt eo auxilianre peruadaot. Sed id vigilias prouocat: quare dum hæ fatigant, succedaneum babeat acetosæ succum, vel mororum, aut limonum, vel aranciorum. marura sint poma, quò se penitùs traducaot succi, ac gratissimo odore spiritus recreent. Sed non satis est remedia comparasse, vetùm io vsum traduxisse commodè, summæ artis est: hoc est, vt decenti copiâ, modo, tempore, & parti aptè adferaorur. Miscebimus itaque oleum omphacinum tosarom, cum rhodostagmate, & eum paoco aceto, vel eius loco succo quinquefolij.

Cautiones in repressu biliosi fluxus.

Cautio: Si adfuerir obstructio, absit adstrictoriorum vsus, oe illa iocrescat: sed citra adstrictionem teprimatur influens materia. Nec in critico fluxu, hæmorrhagiæ prænuncio, reprimendum.

In febre vt agendum.

Nec æquè (etiamsi non criticus foret) per febres stringeodum: exardescit enim illa à vi obstruente. Er plerumque dum à toto influit materia, febris causam comitarur doloris: quare doctissimos Delphorum archiatros D. Pettus Forestus Obseruatione decimâ quintâ, libri septimi Obseruationum de febribus, Aquâ, inquit, rosaceâ cum oleo rosaio, vel papaoerino foueior capot frigido. Hispani, inquit, milites pauperes, qui in nosocomio febri impliciti iacebant, dolore capitis afflicti, lineamentum aquâ frigidâ & aceto rinctunt fronti imponebaur. Et si cararrhus acris accesserit, his minimè tutò vtemur: metu ne ferat calamitate pulmones, vnde phthoë. Sin initior nec adeò copiosa fuerit materia, etiam hac destillanre licebit

Copia.

teprimere, non tamen stringentibus. Parcissimè aceto hîc vtemur, vbi à bile profectum malum, maximè cùm acetum actius est: validè enim siccat. Et quò acerbior fuerit dolor, eò parciùs aceto indulgebimus: tendit enim, & acrimoniâ fatigat. Et in contumacibus vigiliis inutile omninò erit acetum: & vigiliis exhaustum caput calidius, copiosum reprimentium vsum noo leniter fert: nec squalidum ab ariditate caput copioso aceti vsu gaudet: nam his est rarioris id texturæ, vnde nec vehiculo acti

Situs.

eget. Obseruabile etiam in quâ parte stabuletur doloris causa: nam si affligatur peripheria capitis, ab acero cauendum, nam pericranium peruadit. Admouebimus, dum eius vsus incidit, id temporibus maximè & fronti, præsertim si opiatâ fuerit

Vsus.

vi perfusum. Accipe seminis althææ, maluæ, cuiusqoe drachmas duas: conquassentur io aceto, & linteo aquæ rosatæ iotincto excipianrur: eo modo & semen cidoniorum, psyllij. vel, aquæ rosarum, lactucæ, solatri, cuiusque vnciam: seminis psyllij sesquidrachmam: cùm crassescit colerur, & adde acetum cum quioque granis caphoræ. vel vnguentum rosatum cum acero. Razes oleum violatum, aut cucurbitæ, aut nymphææ, aut florum salicum infuodit. Accipe olei rosati, aquæ rosatæ, cuiusque vncias duas cum semisse, aceti semunciam. vel quatiantur duo albumina ouorum, cum duabus vnciis rosacei, & semidrachmâ aceti: illud linimentum tempotibus imponatur. Delicatulis hoc modo consulatur: Accipe florum violarum, nymphææ, rosarum, cuiusque semunciam: santalorum omnium drachmam, seminis papaueris drachmas binas, florum chamæmel vnciam: fiat puluis; irroretur aquâ rosatâ, & pauco aceto, duabus sindonibus excepta, fronti admoueantur. Si vigiliæ doloribus nectantur, Accipe farinam hordei cum oleo violato, vel rosato: fiat splenium: addimus interdum farinam seminis papaueris, cum aquâ rosatâ & succo aranciorum. vel, Accipe olei rosati omphacini vncias binas; aquæ rosatæ sescunciam; olei violacei, succi lactucæ, pampinorum, vel nymphææ, aut acetosæ, cuiusque semunciam; acetositatis citri vnciam: istud reprimit, ac somnum promouet, cùm acetum absit. Hæc linamento excepta, ac expressa capiti imponantur. Actu frigida hîc in vsum remedia illa docantur: nam feruet bilis, & ab eâ caput: maximè aëre æstu ferociente. Sin mollicu-lo deorur ægro, tepescant: maximè aëre frigidiore. febris si iam vigoris suum tempus attigerit, nec hæmorrhagia narium sperabilis sit, actu frigidis eius ab æstu dolorem temperabimus: verùm eâ cadenre ac inclinanre tepidis actu vtemur, etiamsi à bile malum enatum sit. Nec tamen ilico, sed ac-

Tempus.

cisâ materiæ copiâ, ad hæc pergendum erit: dum enim turget succorum fœdorum copiâ corpus, non æquo euentu incursum reprimentium ferre potest. Postea caput lauetur aquâ calidâ, in quâ flores chamæmeli, meliloti, summitates anethi, & folia betonicæ cum violis & rosis coxerint: nam ita temperiei fiet redintegratio. vel ex lixiuio coque rosas, betonicam, & agaricum, sed primùm masticem masticet per dies tres. Et sæpè vnguento frons ac tempora perstringantur: hoc enim vnà digerit, vt etiam alabastrinum. Roborantia, quæque redintegrare partis genium solent, vbi de intemperie flectendâ calidâ egimus, transegimus; vt conserua acetosæ, rosarum, nymphææ, violarum, cichorei, buglossi, myrobalani conditæ, cum diarrhodone abbatis, cum syrupo nymphææ, sumat semunciam manè: & theriaca noua. frictio capitis maturina. cucupha ex coriandro, & rosis, & paucis caryophyllis. Homi-

Diæta.

num in enbili turba, his ægris grauis est. absit fumus: aër sit frigidior: redoleat caphuram, salices, violas, aquam rosaram, nymphæam, pampinos, gramen, poscam. olfaciat rosatam aquam cum paucâ caphurâ lauet pedes & manus decocto foliorum salicis, nymphææ, vitis albæ. Cibi condiantur emolsione seminum melonum, acetosâ, aceto, lactucâ cucurbitâ, endiuiâ, aranciorum & citriorum succo. Prisana vtilis, & poma cocta, pruna. gallinæ, suum extremitates & vitulorum, tum horum caro, pisces saxatiles. lac acidum: quod Razes etiam causu detentis commendat. cucurbita cocta. inediam viret omnino. A cibo pyrum vel malum sumat. vel diacydonium. Potus sit tenuis cereuisia, vel aqua in quâ cocta sunt melonum semina, vel succus aranciorum, vel simpliciter aqua cocta cum saccharo: licet ad acotem acetum addere. Si valida sitis, sero lactis acidi incoque acetosam. aqua hordei, quæ tamen antiquis in vsu non fuit. iulepo rosato, vel violato. vtatur diebus 30. cottidie librâ seri lactis, cum vnciis quatuor succi cichorei. & tunc ventriculi regionem inungat oleo macis & caryophyllorum. Declinante malo, vino oligophoro vtatur: coquit enim & ferociam bilis domat. Venus capiti inimica, & focum Palladis odit hæc meretricula: caueant sibi ab hac νεόγαμοι. Somnum inituros haustum frigidæ sumat. Talem diligentiam ac industriam curandi perit biliosa, cùm caput perfudit materia. Si verò à plethora

Dolor à Plethora.

hæc querela fuerit, cùm ea continuum lacerando ingenti tensione caput fatigat, sanguine auadrome à toto corpore, vel eius genio hepate, incambente confertim: iam tunc caput tendi ac comprimi com grauitate & rubore videtur. & nondum phlegmonem, sed phlegmonodem affectum concitat; impletis venulis cunctis, ac tensis, vnde ephemera, abrepto à calore in consensum corde. Non tamen in spacia effusus est sanguis extra vasa, id est, nondum plegmone vrit, nam putrescente tunc sangui-

ne,

ne, nascitur putrida febris, vt in phrenitide cùm purrido vapore afflat cor.

Signa. Quòd si acrior fuerit sanguis, ab acri tensione, vt sic dicam, phlegmonodes dolor, & quasi lassitudo incombit. Toto corpore notæ effundunt se luxutiantis sanguinis. Modò in vigilias, modò in somnos præeipites ruunt, vi caloris ac madoris. Oculi rubent, venæ frontis turgent: frons dolet, mitis tactui se offert calor. his iunge notas ex rebus naturalibus, & noo naturalibus, & vide num solemnis euacuatio suppressa. vrina his rubet & erassa est. Tantus interdum dolor vt oculos loco mouere videatur. Interdum tenuia puerorum ossa incutrens, inquit Abincenna, suturas laxat. Narrat D. Ioubertus se vidisse in fronte puellæ. quâ latus alrerum turgebat ex longâ infantiæ cephalalgiâ. Maior hîc grauitas quàm à bile, rubor, pulsus: plenior diæta in ocio. quia sanguinis copia hîc continuum lacerat, vnde dolor, cuius laxamentum erit sanguinis effusio, ac eius æstus temperamentum.

Indicationes curatiuæ. Qui iraque capiti iam imporratus fuit, erit euacuandus: si autem nondum influxit, sed in ea agitatione iam si voluatur, hic vel iam iam influit; qui repressione arceri debet: vel iam fluxurus est, ac cursum suum in caput flexurus: qui bifaria se facie offert, vel enim is iam genitus est, & huic reuulsio debetur, vt ad longè inde positas partes abeat; & vt vnà fit metut eaput, ne adeò se fluxibus incumbentibus offerat. qui autem nondum narus est, prohibeatur ne gignatur. Gignitur enim vel hepatis potissimùm arbitrio.

Prognosis. Facilè ab hac eedit dolor causâ, nam facilis euacuationi via est. & faciliùs si tenuem meningem non ita inuaserit. Ni euacuetur, metus erit phrenitidis, aphoniæ, anginæ.

Remedia. Tensio itaque educto sanguine tollatur: nam vnà venarum infarctus, & pororum densatio abolebitur; vnde flatus & vapores exspirabunt.

Phlebotomia. Vena quàm primùm soluatur; id enim materiæ copia flagirat, ne se effundat in periculum, vt in apoplexiam paruam, quæ fit cùm spiritus vitales aditu ad cerebrum prohibentur, carotidibus arteriis ac venis iugularibus sanguinis copiâ obsessis: vt euenit his qui collum crassum ac breue habent sanguineque circumfluunt: aphoniam vocat Hippocrates hanc afflictionem, alij catalepsin. Itaque futuri etiam magni morbi metus ad venæ pertusionem nos hortabitur. Respondeant ramen his conatibus ægri robur, & ætas. Quæ si patrocinentur, plenâ manu educendus erit sanguis: maximè si vehementer dolor vrat. Quo enim fuerit vberior sanguinis copia, dolor vehementior, & robur firmius, eò liberaliùs erit sanguis euocandus. Et, vt ait Arabs, Venosum secnrè phlebotoma, id est, qui latas, tumidas, tensasque venas habet. Sed quamnam venam feriemus? Quoniam hîc totum irriguo sanguine circumfluit, num tamen æquè caput rigârit notabimus: nam si ibi etiam focum suum habuerit, cephalicam ilico pertundemus; quò citissimè is à capite reuellatur: ita transegit Razes dum caput sanguine turgeret. Caua enim vena mox dum à pectore in collum assurgit, in humerariam, & iugulares binas scinditur. nempe in iugularem internam (quæ minor est externa, & nutricatum adfert intimis capitis partibus:) & alteram externam, quæ maior est internâ; hæc nutrit quæ foris sunt capitis partes. & conspicuè iungit se humeraria eum iugularibus: nam dum iugularis se iam elauiculâ altiùs erigit, demittit à se ramum in humerariam. Ego tamen solebam maximè turgentem secare venam. Quare maxima cephalicæ venæ cognatio est cum iugularibus venis & partibus his quæ à iugularibus rigantur. Sin toto corpore abundè sparsus fuerit sanguis, qui tamen nondum caput ionasit, sed si iam eò se flexerit, ac id incurrere incipiat, secabimos mediam venam: nam hæc & euacuat & vna reuellit. Sin verò nondum se voluat ad caput sanguis is qui luxoriat reliquo corpore, tunc, auctore Abincenna, si consilium fuerit non plenâ manu eum abducere, axillarem internam aperiemus: nam hæc recessit longiùs à capite: verùm si mens fuerit plena manu exhaurire sanguinem, malleoli vel pedis venam, consultore Abincenna, soluemus: cùm enim longissimè à fonte doloris absit, potentissimè reuulsioni studebit eius apertio. Sin ab hepate mali huius calamitatem manare existimaueris, basilica tundatur: sin & à capite & hepate prolectare velis sanguinem, media vena vtiliter (quod iam dictum est) scindetur: nam vt priùs monui, cephalica vena, à capite maximè elicit. Si sinistra pars capitis potissimùm in querelà fuerit, sinistri brachij vena tundatur: maximè si lienem etiam in vitio esse suspicio fuerit: quamnis nulla id suadeat propior vena; attamen vsus docuit, mirum in modum id prodesse. Si æquè sinistra & dextra doloribus inuoluantor, dextri brachij vena feriatur. Si oborta querela fuerit à solemni mensium aut hæmorrhoidarum euacuatione suppressa, in pede saphena, quasi ibi *σαφὴς* dicta, vena scindatur. Ad libras tres eduxit Galenus, & nos interdum feliciter, luxuriantem sanguinem. Educatur saltem ad libram. Si renuunt vires, repetitis eodem die, vel postridie, vicibus, id peragatur: vel cucurbitæ lumbis, mox dorso, omoplatis, ceruici, brachiis admotæ phlebotomiæ loco sint. Toto corpore à sanguinis copiâ liberato, qui adhuc capiti insedit sanguis euacuandus erit. Si extra cranium consederit is, cucurbitulæ vsui erunt: si frons doluerit, posticæ adhibe eas parti: sin postica doluerit, anticæ. si intus abierit sanguis, occipite dolente, frontis venam aperiemus: sin sincipur, cucurbitam posticæ parti infigemus. Aretæus etiam nasi recludit venas.

Reliqua remedia. Quæ autem medicinæ dolori & iunctis symptomatis dicatæ sint, vbi de Bile egimus explicatæ à nobis sunt. Quare ad causæ dolorificæ euictionem pergo. In primis respondeat aluus, vsu eorundem lenientium, quæ, vbi bilis in vitio erat, prodidimus. Et eisdem præparetur sanguinis æstuantis ichor, quo is eisdem purgantibus, quibus exclusimus bilem, euacuetur: nam flagrat dum ab æstu sanguis, ichor eius calidior bilescit. vt accipe rhabarbari sesquidrachmam vel binas; infunde aquæ endiuiæ, & colaturæ adde electarij de succo rosarum, drachmas tres; syrupi violati semunciam: fiat haustus. & superdormiat semihoram: sed dum euacuatur, vigil sit. Pilulæ aureæ & aggregatiuæ capiti sunt dicatæ. Et si quid ichoris biliosi perfuderit caput, eisdem etiam apophlegmatismis, errhinisque eximatur, ac cautionibus præscriptis transigatur. Et euacuato toto iam corpore, à capite retudatur incumbens sanguis; id fiat remediis frigidis & crassis. Quænam illa sint, modò diximus, vbi de Bile. vt succos vuæ immaturæ, semperuiui, polygoni, endiuiæ. Sed non sit criticus hic dolor, vt diximus de Bile: vbi etiam admonuimus in oculis esse debere, alia caput ferientia symptomata. & vsum in qualitate, copiâ, vtendi modo & tempore docuimus.

Oxyrrhodinon in sanguinea materia. Accipe olei rosati omphacini vncias duas; aquæ rosatæ vnciam; aceti sescunciam: misce, ac versentur teranturque diu in plombeo mortario (nam hac arte oleum cæteris consociabile euadit) fiat oxyrrhodinon: quo egelidum admoueator fronti, temporibos & sincipiti: nisi tamen tenellulus fuerit æger. nam tunc præstiterit

tepidis vti. vel accipe rosati partes tres, aceti vnam. Et inclinato quasique euicto malo, semper tepidorum ineatur vsus. Dum malum augetur ac intenditur, tam diu influit materia: dum verò eodem filu ducitur dolor per plures horas, tunc restitit fluxio, & in vigore est morbus: tunc mitigantia misce repellentibus, vt muccilagines. Vt, accipe seminis lini, althææ, fœnigræci, florum chamæm. meliloti, cuiusque pugillum. foue eo caput. Tandem pulmones ouis, vel gallinam, &c. capiti imponimus. & tunc mitescente malo, chamæmelino, & cum serpillio tandem. horum vsus fit euacuato iam toto. Victus respondeat remediis: & biliosis iam eum præscripsimus. vt plus bordeacea, pisces, portulaca, acetosa, cucurbita, spinachia, succus aranciorum, limonum, poma, pyra. absint oleosa, vt amygdalæ, pinei, auellanæ, aromata. Potus sit ex aquæ librâ, coctæ, vnciæ tres sacchari.

Dolor à Pituitâ. PITVITA si doloris auctor fuerit, quod sæpè euenire poterit dum flatibus distenta illa tendit violatque continuum: vel acrimoniâ & salsedine abradit, & iuncta lacerat. Hæc, vt primùm monui, vel in cerebro nascitur (quod plerumque fit) ex fractâ eius œconomiâ, quæ flatus crassasque progignit materias, quæ cùm exitu prohibeantur, nec tenues in aures euaporare queant, flatibus tensæ partes doloribus inuoluuntur. vel interdum aliunde irrepit hæc materia, vt à toto per febres; à parte, vt ventriculo, vtero, iecore, pectore, intestinis.

Signa. Hîc capitis aderit grauitas, nisi tamen admodum flatulenta illa materia fuerit: dolor enim sine grauitate & pulsatione fit à flatus crudi & frigidi copiâ: tunc enim non sine tensione leue videbitur caput. Si autem à merâ pituitâ doluerit (dummodo salsa non fuerit) in somnum ruent, dolor mole quadam grauatiuus, non tamen grauis, sed obtusus, aurium tinnitus, sopores, & potiùs posticam partem occupabit, facie tumidâ pallebit; excrementa ore & naso vbertima manabunt, viscida, insipida, vel acida: his adde temperiem ægri & victum. In longum dolor excurrere solet tempus, & hyeme maximè percellit. Si salsa illa fuerit pituita, vigiliæ nascuntur, & cuncta symptomata acrioris infert succi. Si materia capite nata fuerit, illud indicabunt signa intemperati capitis: nam idiopathiâ affligetur cerebrum, quod vel flatus facillimè gignet. Si vi obstructionis materia capiti inclusa fuerit, id confertim ac ἀθρόως, incumbens dolor indicabit: & si solemnis excretio capitis sistatur. Sin aliunde irrepat materia, à toto aderit febris, vel hepar in querela erit: aut à venereo morbo assurget. & reliquæ partes, si aliunde effundatur, suas notas proferent ac suum testabuntur vitium, vt mox dicemus. Vt itaque hæc breuiter dicam; notitiam huius succi præbent causæ efficientes, effecta, pars affecta, & similitudo. Causæ efficientes, vt quæ à foris & intus luxuriare faciunt pituitam: effecta, vt si frigus sentiatur in capite, hebescant sensus & motus, tigeat pituita os, somni profundi, &c. Adde iuuantia, & lædentia. Pars affecta: nam ex Hippocrate tertio Prognosticon, decimo, cùm ad tempora & frontem dolor peruenit, fit hæmorrhagia sæpè: nam inde significatio fit materiæ subtilioris & calidioris, quæ ad extremas venarum oras peruenit. Sed, vt hîc, pituitosior & crassior, in venarum capitis radicibus, & veluti venarum vestibulo, quod chirurgi passim vocant torcular venarum, ferè consistit. & his occiput dolet, quem dolorem tollunt pilulæ cocchiæ. & huiusmodi in morbis acutis, indicantur per abscessum, & per dysenteriam. Per abscessum; nam suppuratum, per aures & nares manando, remissionem adfert cephalalgiæ, 6. Aphor. 10.

Indicationes. Hîc notiones curatiuæ, ex rei naturâ ductæ, sese offerunt, vt euacuetur ille succus. Si à sanguine abit, vt purgetur: sed quia crassior, viscidior, & lentior, medicamini trahenti, nec naturæ expellenti cedet, primò erit renuanda, incidenda, & abstergenda. Deia vt cerebri œconomia, ab infarctu liberata, restituatur. Sed si influit materia, reprimatur: si quæ iam genita est materia, mox incursura fuerit, euellatur, & robur capiti inferatur, ne tam facilè sese aperiat materiæ incurrenti. Sin materia necdum genita fuerit, eius ortus impediatur: nam ægriùs ille hostis eiicitur, quàm admittitur: propterea partes vnde erigit se roborentur.

Prognosis. Plurimo negocio mulcetur diuturnius hic dolor à pituitâ obortus: nam ad temperiei mediocritatem haud minimo negocio flecti poterit hic humor, ac parti immissa immoderatio. Materia morbifica plerumque aut intimam pericranij partem obsidet, nec adeò ægrè extruditur: aut duram inhabitat meningem, & hinc ægriùs eximitur; vel diploën inuasit, quæ ægerrimè exigi poterit. Si in cerebro nascatur, difficilè admodum cedit: cùm perennis nouæ materiæ accessio fiat à conceptâ fixâque ibi intemperie: vnde in orbem dolores toto euur vitæ curriculo. Et si constiterint in aliquâ cerebri parte, & si oculi obscurantur, suffusionis metus aderit: ni cauteriis præueniatur. Sin aliunde inchoatur, facilè reprimetur. Recens abit faciliùs: nam qui diu fatigat, cæcos reddidit nonnunquam homines. Imbelli qui viuunt cerebro facilè doloribus tentantur, maximè titubante munere partium nutritioni dicatarum. Propterea scripsit Aretæus, Chronicus dolor fit ex pituitâ & melancholiâ, aut à cerebro labefactato. Vere maximè inuadit hic dolor, aut ineunte æstate. quare hoc tempore euacuandi erunt.

Curatio. Chirurgia. Primò explorabimus num vena hîc scindi debeat. Quatuor sunt quæ hoc admittunt; materia quæ in vitio est, morbi qui præsto est vehementia, vel eius futuri metus, & virtus ætasque florens. Materia hæc pituitosa si abierit à sanguinis benignitate, & mera sit adest cachymia, non huius auxilij eget. Sed, inquit Abincennas, si sanguinea materia remixta fuerit, seca venam & purga. Hinc est quòd scripsit Aretæus, seca; sed duobus diebus antè vinum bibat. Ille ad vires collineat: nam dicit postea, tribus aut quatuor diebus interiectis liberaliùs alendi sunt. Nec hîc acutus dolor phlebotomiæ efficaciam euocat: quare si quid emittendum, parcè id agendum: quò enim fuerit sanguinis vberior copia, dolor acerbior & robur firmius, eò liberaliori mano sanguis effluat.

Si dolor sine cacochymia adsit, seca. Propterea cucurbitulæ hîc sæpè suffecerint scapulis impositæ, brachiis & manibus. Sin sanguis copiosior fuerit, media in cubito secetur vena. Et tandem, euacuato toto, Aretæus vertici imponit cucurbitam cum scarificatu: nam, inquit, remedia ad ossa peruadentia cephalæam curant. ita transigendum, dum pericranium peruasit materia: & alteram, inquit, inter scapulas minùs scarificatam imponemus. vel si opus fuerit in diuturno dolore, vbi à sanguine non libera videtur pituita capite quæ concepta hæret, à phlebotomiâ, ait, & pharmaciâ, cùm lauit & vinum bibit, firmatis viribus frontis secetur vena.

Cauteria. Cùm ab hac materiâ plerumque vetustescat malum, cauteria felici euentu hîc locum inuenient; vt perenni exhaustione illa dissipetur. Hæc affigenda erunt cruribus, modò brachiis, interdum capiti. Cruribus, vbi consilium fuerit strenuè reuellere: nam reuulsio quò à loco affecto abduxerit spaciosiùs, eò futura efficacior. Brachiis inuruntur cum

cum efficaci quidem vi, cùm non tam validè retrahere sententia est. Capiti, cùm gignitur cerebro morbifica materia: maximè si suffusionis in discrimen abripiantur oculi: tunc enim efficaci vi suturæ coronali imponuntur. *Narcotica.* Dolor quamuis hîc sæpe veterascat, non tamen ea immanitas ei adest, vt ad narcoticorum vsum nos facilè abripiat: cùm totâ suâ vi opium bellum indixerit partibus capitis ab intemperie frigidâ tactis, ac frigore strictæ materiæ pituitosæ studeat, ac inuictam contumaciâ reddat. Et Trallianus dicit, in corporibus excrementis rigatis, & vbi capitis adest grauitas, à frigidis abstinebimus. Quare reprehendit Galenus Apollonium, quòd dolore in tenui, hic vsum opiatorum admiserit: nam, inquit, ex dolore capitis nullus in lipothymiam incidit, nec se gladio aut laqueo induit, vt nonnulli oculorum auriúmve doloribus victi ἀυτοχειρίᾳ cecidere. Nec ea symptomatum hîc exsplendescit moles, quæ à rectâ lineâ curandi methodum abripiat: etenim dolor per se curationis non est indigens, sed ratione consectaneorum malorum, dum vigiliæ, deliria, inediæque inde surgentes nectar illud viuificum totamque viuacitatem humidi primigenij ac spirituum, florem scilicet nostri corporis, substantiam exhauriunt. Verùm tantâ ferociâ, in hoc segnis materiæ campo, non se effert vis dolorifica. *Lenientia.* Propterea causæ accisioni potiùs totis incumbemus viribus. Initio, etiam ante caeteriorum vsum, fœditas primæ alui eluatur. Si superiorem eius regionem insederit succus, & si ea facili vomat æger, oxymelitis vnciis duabus immacerabimus corticis interioris nucis arboris laminam duorum digitorum amplitudine; addemus succi raphani vnciam; & iusculi ex pullo vncias octo: hæc tepidè propinentur, & vomat. Si quis maiora velit vomitoria, perlegat libri secundi caput De vomitu, nostræ Methodi. Vel hoc modo agatur: Comedat primùm varia, vt lentes ex aquâ, aceto, oleo, melle; poma, offam: potet liberalius hydromel. Accipe radicum raphani siluestris, asari, cuiusque semunciam; betæ semimanipulum; sem. raphani drachmas duas: leuiter coque: sumat vncias quinque vel sex. addi potest oxymel, & oleum, vel agaricum, & ficus. Sin hi succi fuerint κατάῤῥοποι, ac ad ventriculi fundum superioraque intestina inclinuerint, sumet species hieræ picræ cum melle rosato laxatiuo, vel cum melle mercurialato: fit enim frequenti ab infusione mercurialarum, non aliter ac rosatum. Cùm autem infimam ad alui regionem abiit excrementum pituitescens, mercurialis decocto infundemus mel rosatum, oleum, & hieram, cum sale. vt, Accipe mercurialis, brassicæ rubræ, hyssopi, cuiusque manipulum; anethi, centaurei minoris, meliloti, singulos semimanipulos; seminis fœniculi drachmas tres: accipe huius decocti libram: cui adde mellis mercurialati vncias duas; diaphœnici semunciam; olei rutæ vncias *Præparantia.* tres; salis communis drachmam: fiat enema. Deinde ad exclusionem paretur materia his remediis, quæ capiti student ac cum materiâ pugnant morificâ. Tale est oxymel simplex & compositum, decocta, succi, & syrupi ex betonicâ, stœchade, corticibus citri, nicotianæ, melissæ, verbenæ, tussilaginis, menthæ, calaminthæ, origani, saluiæ, maioranæ, rorismarini, hyssopi, prassij. syrupus byzantinus, tussilaginis, arthemisiæ, mel scilliticum, & anthosatum, syrupus de duabus & quinque radicibus. Remediantur etiam huic materiei radices acori, calami aromatici, helenij, fœniculi, ireos, radices aperitiuæ cum glycyrrhiza. vt: Accipe stœchados citrinæ vncias ij: incoque aquæ ad libram: colaturæ adde mellis vel sacchari vncias tres. Ita ex dictis radicibus; & in fine decoctionis addimus mellis optimi despumatique, & aceti acerrimi, cuiusque vncias tres: hoc modo aspergimus apozema oxymelite: aromatisetur drachmis duabus cinnamomi. *Acetum elleboratum.* Si contumacior materia his blandioribus inuicta videtur, exstillabimus aceti acerrimi libras duas, cum semunciâ ellebori albi radicum; primò manabit aqua albidior, quæ seorsum ponatur: deinde secunda. Prima ab infarctu liberat omnes indomitas viscerum obstructiones. Datur semuncia cum sacchara, aut syrupo aliquo, nullâ noxâ aut molestiâ. Ita de illa testatur clarissimus medicus D. Gesnerus, qui efficax illud deprehendit etiam in febribus longis à phlegmate, vel atrâ bile, vtero etiam & lienum obstructioni, & morbis capitis à materiâ crassâ, viscosâ, frigidâ. Secunda aqua plus vitium gerit ab aceto, quàm ab elleboro. Cinnamomi aut anisi his aliquid addatur. Sed non ilico ad ea veniendum quæ fundunt materiam, ne fusione suâ tendant, & dolorem acuant. *Purgantia.* Paratâ materiâ eâque sequace, ad exclusionem agenda agarico recenter trochiscato. Accipe agarici recenter trochiscati drachmam, vel scriptulos quatuor; zinziberis scriptulum, vel semiscriptulum, infunde totâ nocte vini Rhenensis, & aquæ betonicæ, cuiusque vnciis duabus: manè expressioni colatæ adde diaphœnici, & electarij lenitiui, cuiusque drachmas tres, vel semunciam; aut si æger tener fuerit, horum loco mellis rosati aut mercurialati sescunciam: misce, fiat haustus: sumat manè. Electaria phlegmaphyga sunt diacarthamum, Indum maius & minus; electarium de citro. Alioqui accipe pilularum cocciarum Razis scriptulos duos; trochiscorum alhandel, grana tria vel quatuor; misce: fiant pilulæ quinque, sumat manè horâ quartâ, & superdormiat. Si mollius velis, cape pilulas masticinas, cum syrupo de stœchade. vel pilulas alephanginas capiat cum agarico, & pil. sine quibus. Admoneo aulicos medicos vt his vtantur: Accipe aloës septies lotæ cum succo rosarum rubrarum vnciam; masticis electæ drachmas duas; agarici trochiscati drachmas tres; specierum diamusci dulcis semidrachmam: cum aquâ vitæ, vel vino Cretico ex drachmâ fiant pilulæ quindecim. Hoc æuo solemnia sunt apozemata, quæ vnà succos euincunt indomitos, ac hos simul excludunt. In his regionibus magnam inde pecuniam medici faciunt: totaque ferè praxis eorum huc rediit. quænam illa sint, alibi enarrauimus. vt, Accipe calami, galangæ, cyperi, singulorum semunciam; radicum enulæ, vnciam; iridis florentinæ, semunciam; flauedinis citrij drachmas binas; hyssopi, verbenæ, betonicæ, calaminthæ, origani, vnius vel binarum manipulum; seminis anisi drachmas duas, vel dauci, aut ammi; seminis carthami vnciam, vel sescunciam; turbith optimi, agarici recenter trochiscati, cuiusque semunciam: coque ex arte ad libram; colaturæ adde syrupi de duabus radicibus vncias tres; aromatisetur drachmâ cinnamomi, & semidrachmâ zinziberis. vel paretur ius galli veteris. Et quamuis capite dolente iure merito excludi possit vsus valentissimorum pharmacorum catharticorum, attamen si dolor diuturnus, à materiâ viscidâ obnatus, inuictus hæserit, ad illa tandem fugiendum erit. vt sunt pilulæ fœtidæ, pilulæ de opopanace, de sarcocollâ de euphorbio; & illæ quas aduersus pleuritidem morbum describemus: nam dum stricti fuerint succi morbifici, ac quasi congiaciati, minimeque fluxiles, qualis est pituita vitrea, ex lachrymis pilulæ vtiles erunt: nam fundunt

dunt homores: verùm ab his cauendum dum tenuis fluxilisque fuerit humor. Quin tandem, si insuperabile malum integrascar, ad elleborum nos conuertemus. Quo modo id vsibus parati, ac quibus consociari debeat, aliàs, cùm de purgantibus per vomitum fortibus dissereremus, tradidimus. Sumat pilularum dictarum drachmam: vel scriptulos binos, aut semidrachmam, adiectis granis tribus vel quatuor trochiscorum alhandel, id est, colocynthidis præparatæ: fiant pilulæ quinque: & sumat has manè, superdormiat sesquihoram. Monet Trallianus, sæpiùs purgandum hunc succum esse. Euacuato toto corpore, tandem capite concepta pituita erit elidenda apophlegmatismis, errhinis, gargarismis; vt ex ore ac naribus ea effluat. Talia sunt lepromera remedia, detergentia pituitam, acria, grata: nam res illis est cum ore & larynge Optimè masticantur cubebæ, & ore renetur aqua vitæ in antiquato capitis dolore, quem frigidi succi pepererunt, vel si etiam naribus trahatur. Huic optimè inditur inmaceratione vis turbith, vel ellebori, vel colocynthidis, elaterij, staphysagriæ, saponis, tithymali, aloës, vel sinapi, piperis, zinzibetis, pyrethri, acori, nigellæ, cyclaminis, olei caryophyllorum, & per pennam aqua naribus trahitur: robustissimè pituitam educit. Si fortius remedium videatur, diluatur succo betæ, aut cyclaminis, iberidis, nasturtij, ireos, vel maioranæ, aut betonicæ, anagallidis. Succus etiam nicosianæ herbæ, vel foliorum eius in aquâ vitæ, vel aquâ nicosianæ, aut betonicæ dilutum feliciter naribus hauritur; vel nicosianæ arida folia masticantur, quin naribus foliolum aridum inseritur. & radix cyclamini naribus inditor. vel accipe succi betæ vncias quatuor: pulueris piperis, scriptulum; & tantundem ellebori albi. Sed in oculis labefactatis pax sit ab errhinis. Cerâ liquefactâ etiam excipi potest mastix puluerisata, cum turbith, vel sinapi, aut pipere, zinxibere, vel pyrethro, aut acoro, nigellâ, vel oleo caryophyllorum; vel puluis adiicitur nasturtij, origani: poterit adiici aliquid ladani. Pars huius ceræ masticetur manè. Lenissima est per se mastix. Paruâ mole masticatoria præscribi semper debent: vt & errhina. Horum vsus erit, dum iam à mole graui, quæ primùm molesta erat, caput liberatum videbitur: & cùm iam, ab vsu apophlegmatismatum & errhinorum, sequax materia ore aut naso non ampliùs funditur. Sed per horum vsum videndum ne pulmonibus, catarrhorum incursionibus fatigatis, iniurij simus; nam tunc errhinis vti præstiterit. Verùm discrimen non adeò à pituita est. Quare hîc vtiliter gargarismi præscribuntur, Accipe nicosianæ, origani, serpilli, cuiusque pugillum; ficuum pinguium vncias duas: coque ex aquâ. accipe huius decocti libram; oxymelitis simplicis vncias tres; fiat gargarismus. His includi poterunt (modò viuaciorem potentiam postules) aromata, pyrethrum & sinapi: & aquæ loco liquor stillatitius saluiæ, calaminthæ, cum scyllino oxymelite. hæc calfaciunt, extenuant, extrahunt, & abstergent. Oblinitur quoque palatum hoc modo: ficus accipe duas, has contunde cum pauco oxymelite simplici: adiice semiscriptulum origani, vel serpilli, saluiæ, vel calaminthæ, si potentius velis, iunge aromata, & sinapi illud vescum mensæque paratum Obseruandum hæc commodè adferri in vsum, cùm iam incisa est materia crassa. Et dum valentissimis his remediis vtimur, naribusque illa sorbemus, sit os aquæ plenum; ne eò ferantur. Et ab vsu horum lac muliebre, vel oleum violaceum, vel vnguentum rosaceum instilletur. Sternutamenta fiant ex elleboro albo ter siccato ex aquâ vitæ, & puluerisato naribus asperso. hoc optimum est: Accipe iam dicti elleborí, struthij, castorij, cuiusque scriptulum; piperis semidrachmam: misce, fiat puluis, ex quo parum naribus pennâ inflatur. Fit etiam tryallis vel strepton naribus indendum: vt, accipe pyrethri, piperis, cuiusque semiscriptulum; sinapi grana septem: ladani, & ceræ, cuiusque sesquidrachmam: fiat strepton. Iam ad Topica, quæ foris capiti admouentur, remedia pergo. Priùs egimus quâ encheiresi transigendum dum hæc materia capite gignitur, vel cùm ibi vi retinetur. Cùm verò aliunde affluit, excuti debet adituque prohiberi: hoc fit frigidis crassis, attamen vehiculo consociatis: ex quibus iam multa enarrauimus. Illud cauendum, ne hîc stringentibus frigidis vtamur, sed potiùs oleo rosato compléto: absit rhodostagma. nec etiam conuenit vsus astringentium vbi obstructio adest capitis: quæ facilè huic materiæ se iungit, eaque eorum vsu increscerer, maxime dum vrente febre sursum fertur ad caput succus. Nec stringentibus caput fatigandum, dum se in pulmones vberrima effundit materies. Sin nec copiâ grauis, nec fœditate contaminata illa fuerit, licebit eam à capite repellere; non tamen astringentibus. Quâ verò copiâ ac efficacia hæc admoueri debeant, doloris vis pituitæque vbertas & capitis densitas à structura indicabunt. Mediocrem vim aceti remixti medicinis perfert pituita: nam non adeò hîc vrit dolor, nec vigiliæ exanimant. Sed tamen frigidius si fuerit naturâ caput, non sustinebit immodestiorem repellentium frigiditatem: quamuis alioqui madidius caput pleniorē admittat aceti vsum. Quare in admouendis capiti remediis, cerebri temperies erit vnicè perpendenda, quod tale est vt nec valdè calida, nec admodum frigida ferat: vt enim frigore materia illo concepta exprimitur, ita & calore in fluxum laxatur. Accipe olei rosati maturi vncias tres; olei chamæmelini semunciam; aceti vnciam: misce, & capiti apponantur. Si plenâ manu affluat materia, sæpius tunc vsui huius remedij incumbendum erit. Tepidè admoueatur capiti, nisi aër æstu incanduerit. cassia cum oleo chamæmelino in omni dolore capitis valet. Horum vsum inibimus euacuato primùm corpore: nam vberrimo succo refertum corpus, non æquè fert frigidorum reprimentiúmque incursum. Et tandem prouectiore iam malo, flores chamæmelinos & melilotum, & lilia, & stœchas cum caryophyllis, & serpillum aquæ incoquemus cum betonicâ: quâ caput tepidè fouebimus ex spongiâ: nam, ait Aretæus, cùm caput purgatum fuerit, pituitâ eductâ copiosè, aquâ calidâ quàm plurimâ caput lauetur, vt difflabile reddatur: fiat id ante cœnam. & tandem hæc numerata remedia, vel solum serpillum oleo & vino incoquemus, dum euanescat vinum. ita spondylium cum anetho, & castoreo, vel aromatis, vbi digerendum, adiungere licet vnguentum de althæâ. Optima est ex vino austero cocta verbena: Initio morbi, ex aceto & vino: in augmento, ex aquâ & vino. Primò vtemur hederâ, serpillo: dein pulegio, lauro, &c. semper humectent vnà. & oleum ladani mirè prodest. Oxyrrhodina suturæ coronali admouentur, dein occipiti. Sed adsit CAVTIO, ne occipitio adhæreant olea frigore imbuta: nam neruorum initio & spinalis medullæ principio bellum ea indixere. Si adsit obstructio & astrictio, suturæ regionem coronalis illine oleo euphorbij, vel thapsiam ex cera impone, dum rubescat locus. vel oleo caryophyllorum illinc. vel accipe olei nardini rutacei, cuiusque semunciam; caryophillorum, nucis myristicæ, cuiusque semidrachmam; iridis, nigellæ, cuiusque scriptulum: bulliant, & exprime hoc etiam vesperi paucis guttulis instilletur auribus

Purgantia peculiaria capitis.

Obseruandū.

Topica.

Cautiones.

Cautio.

& naribus. Naturâ enim cùm frigidum ſit cerebrum & ventis expoſitum, non bene inde coquit, ac frigidâ languet ab intemperie; propterea calida, tenuia, & odorata remedia conferent, vt ambra, quæ ſuturæ illini, & naribus ac auribus inferri poſſunt. Ita erigent ſe ſpiritus, ac ſi qui adſint à frigore flatus diſcutientur. vt oleum ex ſemine ſaluiæ, & eius decoctum, &c. Poterit ſaluia cum chamæmel. aquæ vitæ immergi, & ea aqua capiti imponetur. ſi contumax malum, accipe olei rutacei, nardini, aquæ vitæ, ſingulorum vncias binas; piperis albi, ſinapi, caſtorei, rutæ, cuiuſque ſcriptulum: bulliant ad aquæ exhauſtionem. fiat emplaſtrum ex columbino fimo cum melle & aceto. Robur tandem concilietur capiti, vſu mithridatij, aureæ Alexandrinæ, diagalangæ, confectionis de carabe tabulatæ; ſaluia & cephalicæ res indantur aquæ vitæ, huius manè cochlearij vſus ſit, vel etiam veſperâ. cætera diximus de intemperie frigidâ. Aër ſit purus, tepeat, & perfundatur nicoſianæ nidore, vel ladani ſuffitu, aut cariophyllorum, &c. Transferat ſe, inquit Aretæus, ad regiones callidas & ſiccas. Moſci pauxillum naribus indatur, inquit Razes. oleo cariophyllorum nares illinat. Cibi condiantur pipere, zinzibere, mace, cinnamomo; hyſſopo, origano, ſaluiâ, roſmarino. Placet Aretæo ſimplex cibus, & frugalis cœna: ab acribus, inquit, temperet, vt cæpis, alliis, excepto ſinapi: nam ſtomachum firmat, & capiti gratum eſt, pituitam fundens ac difflans, aut ad inferiora deturbans. Leguminum peſſima faba eſt, inquit, & eius ſpecies piſa, & dolichi: far conceditur. Conferunt ſemina cari, aniſi, & maximè, ait Aretæus, apij, mentha, pulegium: nam & odorata ſunt & diuretica, & flatus inferos depellunt. Carnes, auctore Aretæo, vetuſtæ omnes noxiæ: gallina laudatur, & columbi, lepus. Bubula ac ouilla craſſi ſucci ſunt, ac caput replent. Lac & caſeus capiti inimica. *Piſces.* piſces laudantur ſaxatiles: nam marini piſces alij ſunt pelagici, alij petræi: pelagici, qui vaſto pelago ac in arenis verſantur: petræi in aſperis ac lapideis ſcopulis & promontoriis habitant: hi procelloſis ventorum incurſibus exercitati, puriorem carnem gerunt: vnde Celſus, *Lib. 2.* Leuior piſcis inter ſaxa editus quàm in arenâ: in arenâ quàm in limo: quo fit vt ex ſtagno, vel lacu vel flumine, eadem genera grauiora ſint, leuiórque qui in alto, quàm qui in vado vixit. pipere omnia condiantur. Sumat manè aromaticum roſatum, vel pleres archon, cum pauco vino: diamoſcum, theriaca. mithridatium, acorum conditum, confectio de acoro. Oleta, inquit Aretæus, citent ventrem & vrinam: beta, aſparagi. paſtinaca caput replet, & rapum, & ſiſarum. Omnia bellaria capiti inimica. hactenus Aretæus: qui etiam ait, vino vtendum eſſe, ad ſtomachi robur. Potus ſit exiguus, Aretæi ſententiâ. Vtatur hydromelite cum ſaluiâ, cinnamomo, pipere: non ineunte morbo, ſed pepaſmi notis effulgentibus. tenuis initio cereuiſia, vel coriandrata proderit aqua. Declinante malo, auctore Raze, vinum vetus, non tamen affatim propinetur. Decoctum guaiaci laudatur cum floribus cardui benedicti. Exercitia fiant recto corpore, ita iubente Aretæo, & crura fricentur: manè ambulent, & à cœnâ, tutò à vento & ſole. Venus releganda. marina vita, dicit Aretæus, confert, & in mari natare, & ex mari victum quærere. Studeat vt venter ſit memor ſui officij: ſi immemor eius fuerit, excitetur pilulis maſticinis, vel de hierâ cum agarico: vel paſſulis quæ infuſum agarici bibêre, & aſperſæ melle roſato laxatiuo. Anticâ parte capitis pileolum gerat ex ſindone, cui hæc inſint: accipe caryophyllorum, beniouini, florum chamæm. ſtœcados, cuiuſque drachmam. Studium id adſit, vt pedes caleant: nam magna eſt συμπάθεια pedum & capitis. Melancholica materia interdum ſua craſſitie caput *Dolor à melancholiâ.* eiúſque meatus infarcit, aut flatu diſtendit: quòd ichores ac flatus melancholici craſſiores non æquè tranſpirant: maximè dum viæ venarum, arteriarum, ac ſuturarum aſtrictiores vel obſtructæ fuerint. Plerúmque hic ſuccus in vitio eſt, dum remiſcetur cum bile aut pituitâ, vnde flatus. Ab hac *Signa.* causâ natus dolor ſocias trahea vigilias, ob ſiccitatem, cùm non rigatur cerebrum anathymiaſis benignitate vt decet: nec hic dolor mole ſuum pondus gerit, quòd magnâ non affluat copiâ talis ſuccus. &, quia facilè reſtagnat, perſeuerans ſtabiliſque ſuâ quaſi ſede ac aulâ dominatur afflictio fixa; facies fuſca eſt, nullum caloris efflorescit ſymbolum: exigua excrementorum per nares effluxio, & ſi qua, ea modica & nigra: præceſſere cauſæ fœcundæ in melancholiam. eſt dolor hic chronicus; & Saturni ſoboles: lien his ſæpè in querela eſſe ſolet. & capitis aſtrictio, cuius nota eſt ſubita doloris incurſio. ſomnia immania, & cogitationes horribiles. adde temperiem ſiccam, & conſiſtentem ætatem: nam pueri non ita melancholeſcunt. Cauſa *Indicationes.* auferatur doloris; tenuetur igitur, & flatus diſcutiantur: humectetur eius ſqualor; purgetur: à capite auertatur, & reprimatur, & caput aperiatur, roboretur: eius generatio accidatur, ſeu à toto, ſiue à *Prognoſis.* parte excurrat. Non ita ſæuus, attamen lentus hîc dolor eſſe ſolet. nam, inquit Arculanus, chronicus dolor fit ex pituitâ vel melancholiâ, aut à cerebro labefactato, aut abſceſſu qui in duritiem abit, non ſine calamitate ægrorum. Sed vbi veteraſcit, inquit Celſus, ægrè eximitur. maximè ſi neruoſa inuaſerit, longa die opus erit. Et vbi longo tempore melancholia malignitatem acquirit, ſæuos etiam dolores *Curatio. Chirurgia.* parit. Cùm hæc materia longe à ſanguinis abſit blanditie, venæ ſectionem non poſtulat. Quamuis *Galen. 2. Diff. feb. 12. de tum. præt. nat. prorrh. 2. 14. Atra bilis in capite gigni poteſt.* interdum ſanguis in melancholiam abeat in capite iam conceptus, vredine enim poteſt in atram bilem, quæ tamen inter reliquas mitiſſima eſt, aduri. Cùm, inquit Galenus, florida facies apparuerit, æger verò in mærore fuerit, in cerebro concepta erit torrida quædam affectio, quæ ſanguinem adurit, atramque bilem gignit. Quòd autem atra bilis ex ſanguine generetur aduſto, patet ex Hippocrate, libro De aëre, aquis, & locis, quo loco cauſam materialem atræ bilis, tantùm agnoſcit ſanguinem craſſum, bilem æruginoſam, & vitellinam. Si talia itaque ſigna ex tali cauſâ ſe in conſpectum dederint, licebit mediam pertundere in cubito venam aut eam quæ conſpectiùs intueguit: hinc cucurbitæ admoueantur ceruici; aut frontis ſecetur vena. Cauteria huic malo etiam idonea, nam antiquari ſolebat. Nec hîc etiam anodyna ſtupefacientia locum habent: nec vigilias, aut inediam, viriúmve proſtrationem hic dolor adferre ſolet. Sed ſimpliciter prouiſione habitâ totius corporis, ſuccus ille melancholicus à capite auertatur, & eximatur qui inſedit. *Lenientia.* Primò igitur leniatur aluus, cùm ille ſuccus, qui ſupernâ aluo conſedit, melancholeſcit, electario lenitiuo, vel melle violato laxatiuo, ſi ad atram ſe conuertit bilem; vel caſſiâ cum aniſo, ſyrupo roſato ſolutiuo: hæc mezenterium primamque aluum à fœditate liberant. Sin melancholica hæc eluuies ſupernâ ventriculi parte concepta fuerit, hanc euomat: accipe iuſculum pingue cruris vitulini, cui incoque maluas, nucis corticem, & raphanum. Quodſi catarrhopos ſuccus infimâ aluo conſederit, enematis eluatur ex decocto radicũ althææ, lilij, maluæ, furfurũ, braſſicæ, calaminthæ, betæ, paſſulis cum

aniſo

aniſo, rutæ ſem. adde electarium lenitiuum, vel diacaſſiam, mel roſatum, oleum, & irritationis causâ, parum ſalis. *Præparantia.* Deinde paranda erit materia excluſioni decoctis, ſyrupiſque capiti dicatis, quæque vnà cum materia pugnant: vt quæ melicrato includuntur. *2. Epiſt. 7. fol. 25.* Doctiſſimus Geſnerus in contumaci materia craſſa, commendat acetum elleboratum. Detur cum ſyrupo de boragine, bugloſſa, de pomis Meſ. fumaria, corticibus citriorum: cum decocto ex meliſſa, boragine, corticum citriorum, & ſeminibus citreorum. dantur manè & veſperi hora quinta. Optimi ſunt ſyrupi de boragine, de pomis odoriferis, de lupulo, meliſſæ, de fumaria vterque, de eupatorio, ſcolopendriæ, thymi, epithymi. Aliàs de his in lienis corroboratione. Radices aperitiuæ macerantur vino, cum radicibus capparorum, & fraxini, & tamaricis: & additur lingua ceruina, mercurialis, fumaria, ſcabioſa, meliſſa, capillaris, glycyrrhiza, paſſulæ, ſemen viticis, caſſutha, baſilicum nobile, dauci ſemen, thymus, cordialia, flores chamæm. hæc coque ex aquâ & vino; da cum ſyr. violato. *Purgantia.* Mitigatâ materiâ rectéque ad excluſionem paratâ, hoc modo eam purgabimus; accipiemus decoctum betonicæ, vel hyſſopi, vel nicoſianæ, aut ſtœchados, cum paſſulis, aut liquiritia, vel violis & boragine, ſi aduſtior ſuccus: huic infundemus folia ſenæ; vel folia ſenæ, aut epithymum, myrobalani Indæ vino albo immacerentur tota nocte, illud vinum manè bibatur. vel accipe diacatholici drachmas tres; confect. hamech drachmas duas; vel, ſi ſtimulum velis, adiice electarij de ſucco roſarum drachmam; cum decocto florum & fructuum cordialium, in quo immaduere drachmæ duæ ſenarum. fiat hauſtus: ſumat in aurorâ. Syrupus de pomis laxatiuus, cum decocto boraginis, & ſenarum, epithymum, & polypodium, cum caſſuthâ hic rectè vſum habebunt. D. Ioubertus laudat in vltimis purgationibus ſemunciam myrobalanorum Indarum & chebularum, infuſarum apozemati: Rondeletius dicebat, ſe plurimos quaternarios curaſſe diacarthamo. Pilulæ aſſairet, & de fumariâ. Tandem refractario in malo, ad elleborum confugiemus: quâ arte id paretur in vſum, aliàs docuimus. Pilulæ etiam cochiæ conſociari extracto ellebori poterunt: nam contumaciorem hunc ſuccum vehementiùs educunt pilulæ, & ex abditioribus euacuant partibus. Qui itaque robore præcellunt virium, minimè ab harum vſu recedant. Sumantur manè horâ tertiâ vel quartâ, & ſuperdormiat per ſeſquihoram: id enim bonis ægrorum fit rebus: maximè autumno purgandi hi ſucci. *Capitis peculiaris purgatio.* Dein maſticatoriis, vt maſtice, per os expuatur materia; vel gargariſmis & errhinis: quod ferè fit eiſdem rebus, quas aliis cauſis adſcripſimus, quibus interdum elleborum iungi poterit. *Cautio.* CAVTIO, niſi edomitus fuerit ſuccus hic, nunquam ad magna illa nos erigemus. Tandem vrinalia & ſudorifica vtiliſſimè præſcribentur: non enim temerè Hippocrates hunc ſuccum ὕδωρ vocauit, quòd plurimo ſero perfuſus ſit. *Topica.* Topica initio, cùm materia adhuc in caput effluit, admoueantur: quò illa reprimatur. Sed cùm materia hæc frigida ſit, ſine aſtrictione id agendum: nec aceto liberaliori vtendum erit: nam ſqualida & arida melancholia ſomni inopiam facere ſolet, nec ſiccum caput copioſo aceti vſu gaudet. Accipiemus oleum roſatum completum, vel violaceum, aut chamæmelinum ex oleo & floribus immaturis. & etiam naribus oleum violaceum, aut cucurbitæ, vel nymphææ, aut florum ſalicum infundatur, ſi vigiliæ laceſſant. tepidè hîc cuncta in vſum veniant: niſi æſtiuo tempore vltrò tepeſcant. Fotus hîc maximè commodi. fiunt ex his quibus in pituitâ vtimur, vbi friget ſuccus. vt ex decocto ſtœchadis, betonicæ, cum nymphæâ, violis, lactuca, althæa, liliis, boragine, ſemine lini, furfuribus, anetho. Tandem, ſi adſit adſtrictio capitis, foueatur maioranæ decocto, vel ſtœchadis, ſerpilli, anethi, meliloti, adiectâ violariâ, vel boragine, aut ſolâ ſpongiâ foue ex aquâ dulci tepidâ: & poſtea illine oleo amygdalino, vel anethino, aut ex ſerpillo, cum adipe gallinæ. maiora vbi de pituitâ dixi, inuenies: quibus mollius quid ſemper adde, ob ſqualorem melancholiæ. Cautiò adſit, vt in catarrho acri & maligno non deprimamus materiam in pulmones, repercutientium vſu. *Cautio.* Sacculi & ſuffitus nimis ſiccant. Quomodo caput poſtea in robur ſuum flecti debeat, ac relicta abigi intemperies, & quibus remediis, aliàs ſcripſimus, vbi de corroborantibus caput ſiccum, & etiam frigidum. vt theriaca, bugloſ. myrobalani, diamarg. frig. ſyrup. de pomis, enula camp. ſuperbibat vinum. Si ab vredine toſtus fuerit ſanguis, cuncta locum habebunt quæ de biliosi curatione dixi. *Victus.* Aër ſit lucidus, tepidus ac vapidus, fumo aquæ boraginis & meliſſæ, & corticum citreorum perfundatur: vel parum moſci cum pomata naribus indatur. & aromatum vi modeſtè traiiciatur aër. Condiantur cibi meliſſâ, bugloſſâ, cinnamomo, aniſo, menthâ, ſinapi. Legumina fugiat & vetuſtas carnes: extremitates vitulorum, & ſuum conferunt: bubula melancholeſcit vetus. petræi laudantur piſces. columbas damnat Vega, quòd obſeruârit peculiari ratione caput affligere. Olera non incommoda ex malua, beta, ſpinachia, lactuca, boragine, aſparagis. à cæpis & alliis abſtineat. Vino per cibos vtatur tandem; vel ceruiſia medicata ſaluia, cinnamomo. manè & à cæna ambulent, extra ventum & ſolem. Si fuerit ab aduſto ſanguine, eadem diæta quæ bilioſæ vtilis erit. Aluus molleſcat pomis, prunis, caſſia. Tandem veniat ad decoctum ſaſſafras & ſarſæ. *A febre dolor in antica fit parte, à vapore per arterias & venas elato, copioſo, vel acri.* Per febres etiam grauiſſimi eueniunt dolores capitis, quemadmodum id, dum ageremus de bile cephalalgiæ auctore, demonſtrauimus. Nam alienam per putredines formam induit, acerrimáque vi moleſtus ſuccus caput exercet. hîc putredinis notæ ſe produnt. In curatione ita tranſigendum, vt diximus de dolore à bile oborto; vel, ſi febris à pituita, vel melancholia enata fuerit, ita tractandus hic dolor erit, vt cauſam à qua febris enata fuit, exſcindendam eſſe prodidimus. Maximè tamen totius corporis ratio habenda, hoc enim totum inuoluit febris. Media feriatur cubiti vena: nam iam influit materia morbifica: deinde, ſi opus ſit, cephalica. Ea autem vbertate emittatur ſanguis, quam ſuadet materiæ copia & qualitas: morbi vis præſentis, vel eius futuri metus: modò id admiſerit robur ægri, & ætas. Nam ſi ſanguine perfuſa fuerit materia, vberiùs educenda erit: maximè ſi vehemens fuerit malum. Alioqui, viribus id negantibus, iteranda veniet emiſſio parcior ſanguinis: tunc enim, inquit Aretæus, non magnopere ſemel detrahere expedit. Quin titubantibus viribus, cucurbitis res tranſigatur. quæ etiam commodè omoplatis admouentur. *Opiata.* Hîc ſumma neceſſitate nonnumquam abripimur ad opiatorum vſum, metu delirij per febrem acutam: tunc eo modo, & iis, quæ præſcripſimus dum à bile ortus dolor vigilias ac delirij metum adfert, hoc malum compeſcemus: ne in phrenitidem ſeſe efferat hæc calamitas. *Repercutientia.* Alioqui, ſi extra periculum delirij & cum vigiliis induciæ fuerint, ſimpliciter reprimentibus retrudemus vapores à capite, quemadmodum præſcripſimus ea, vbi à bile dolet. primùm lenitâ, vt ibi tradidimus, aluo; præparatámq; materiam morbificam pharmaco excludemus. *Obſeruatio.* Sed in repercutientium vſu ſummâ

animaduerſione opus eſt; ne dum criſis in procinctu eſt ea adhibeantur: nam hæmorrhagiæ prodromos talis dolor eſſe ſolet: quam ſi interceperis, pro ſanitate mortem adferes. Num criticus, ex ſignis pepaſmi, die, morbi decurſu, & more facilè animaduertes. Et ſtringentibus minùs vehementibus tranſigendum erit, vbi febrili ab æſtu incanduit dolor: ſed vnà humectent, id enim poſtulat febris, & mox tepeſcunt & digerunt; vnde leuant tenſionem eam, quæ à ſtringentibus medicinis durior redderetur: & omnium minimè ſtringentibus retundendum, ſi pituitoſa fuerit materia febrifica: vt vbi de dolore ex pituitâ dictum eſt: attamen reprimendum. Id fiat vnctionibus aut irrigationibus. vt vnguento populueo, ſi flagranti ab æſtu incanduerit caput: ſin mitior fuerit æſtus, oleo violato, vel nymphææ, aut ſeminum cucurbitæ, cum vnguento roſato, addi poteſt ſuccus lactucæ, vel lac muliebre, cum ſucco citriorum maturorum. hoc etiam panno quadruplato excipi poterit, vt frontem & tempora cingat. vel accipe roſas cum ſemine lactucæ, papaueris, pſyllij, farina hordei, miſce cum aquâ lactucæ, nymphææ, vel ſolani. fiat ſacculus. aſpergatur internâ parte aquis. Si non ita feruens ſit vapor, vt in cottidianis & quartanis, ſed copiâ & craſſitie infeſtus, addemus digerentia initio: nam mox ſolis his vtemur, vt oleum ſambucinum, anethinum, chamæmel. ſi vis, miſce decoctum ſambuci, anethi. Si tuſſis fatigat, valida retundentia locum non habebunt. ab aceto, vt aliàs monuimus, etiam ſumma cautio: nam ſomni minimè capaces facit homines. Suturæ coronali, temporibus, & fronti imponemus repercutienda ex lineamento. naribus oleum violaceum, vel roſatum, aut nymphææ hauriat: vel vnguento illinantur omnia roſato, & auribus ex eo quid immittatur, & naribus. Diæta inſtituatur ex febris decurſu, morbificâ materiâ, & cæteris indicationibus curatricibus. Omnis capitis agitatio abſit, vt etiam alloquium, & clamor, lux, & calor aëris, ſtrepitus, odor grauis. lenioribus ducatur aluus. Iam ad ἀπὸ τῶν φυσῶν redeo, de quo antè, vbi materiei dolorificæ hiſtoriam incepi. qui imis ductuum penetralibus ſe contumaciſſimè interdum immittit. Itaque à FLATIBVS oriri etiam capitis poterit dolor. Hi vel in ipſo generantur capite, dum in cruditatem abducitur id: quod non difficile euentu eſt, cùm ventorum incurſibus expoſitum id, & foraminibus pertuſum aditum iniuriæ præbeat, ac pituitoſo excremento vberrimè rigata pars ſæpe coctionis bonitate ſpolietur. Aderit hîc dolor tenſiuus ſine grauitate, qui hinc atque inde vagatur, adeſt tinnitus aurium. A capite eſſe elucebit ex ſymbolis, quæ peculiarem eius œconomiam exprimunt; ſed plerumque vitio aliarum partium euenit. ſtatis quaſi periodis recurrit. obſtructo & aſtricto ſæpè capite enaſcitur. Scitè notandum, num ſano, an ægro, ſenſim vel ſubitò euenerit dolor. Cui ſano ἀπτέως obotitur dolor, ſæpe, vt aſſerit Galenus 6. Aphor. 51. ad flatus hæc tædia pertinebunt. Indicatio hîc erit medica, vt tenſio diſcuſſis flatibus laxetur, & prouiſione habita totius, ſtudium adſit vt fundat ſeſe capitis aſtrictio. Hæc eâ encheireſi qua pituitam excluſimus tractanda, & tandem flatibus diſcutientibus explodendus is erit, & caput roborandum. Si aliunde influit, auertatur, eiúſque prouentus impediatur. non ægrè curatur, modò cauſa & pars vnde proficiſcitur cognita fuerint. Si vetus malum, non inutiliter cauterium ſuturæ coronali inuretur, primùm lenita aluo, vt in pituitæ cauſa diximus. In frigidis flatibus, opiatorum nullus

A flatu dolor.

Signa.

Curatio.

vſus commodus: niſi dolorum ſæuitia eum euocet, quæ, reliquis inuicta, vires proſternit. tunc caſtorium iungatur his. Præparetur focus vnde erigit ſe flatus, & purgetur, eo quo diximus modo, vbi de pituitâ & melancholiâ. vt etiam quæ de maſticatoriis, gargariſmis, & errhinis huc pertinent. ſinapi hîc vtiliſſimum eſt. maſtix cum cerâ & ſinapi maſticetur; poterit aſpergi piper. Cùm in capite enaſcitur flatus, quia à frigore id potiſſimùm fit, ſunt leptomera remedia, calida, & odorata, vt ambra, moſcus, oleum ſeminis cumini, ſaluiæ. Hæc non ſolùm ſuturæ coronali illini, verùm etiam naribus, & auribus immitti debent. vt etiam caſtoreum coctum oleo anethino vel chamæmelorum. Sed primò amygdala amara cum oleo anethi & aceto contundantur, & linteolo fronti inducantur: dein adde ſerpillum. Et euphorbium ex oleo rutæ ſuturæ coronali, cum aquâ vitæ imponitur. Et primùm foue caput ſpongiâ merſâ decocto chamæmelorum, meliloti, anethi, ſtœchados, ſaluiæ, maioranæ, ſerpilli, betonicæ, roſmarini, ſpondylij; quod etiam cum caſtoreo in oleo anethino coquitur. Si ab humidis abhorret æger, vtatur foru ex milio & chamæmelis. vt accipe milij & florum chamæmeli, cuiúſque ſemimanipulum, fiat ſacculus interſutus, vt decet: iungi poterit calamus, galanga, origanum. Roborantia ibi enarrauimus, vbi quæ caput frigidum, & etiam humidum firmant, deſcripſimus. Diæta eo cultu proponenda, quo hi qui ex pituitâ dolent vtuntur. Sinapi tingantur carnes & piſces. Sed ante omnia accuratè perpendendum, num idiopathiâ laboret caput, an ſympathiâ: nam aſſiduus nonnunquam dolor ex ſyntimoriâ & contagione aliarum partium euenit: cùm vapida aſſiduò materia ab aliis emittitur partibus. Et viciſſim recrudeſcit ſpaciis quibuſdam dolor, violatâ in capite vnione: nam fractâ œconomiâ capitis, flatus inde ſurgere ſolent quibuſdam in interuallis. Quare hic nodus hîc ſoluatur. Si fuerit per idiopathiam, ferè habet coniunctum tunc dolorem ceruicis, malo communicato rachitide. Si contagione alterius obnaſcatur dolor, primò in querela fuit alia, præter caput, pars, cui ſupernatus fuit capitis dolor. præterea ille dolor qui extra caput eſt, longè acerbiùs vrit cephalalgiâ: & vnà eo inſurgente, hæc increſcit. Cùm itaque conceptum capite malum, ab alterius partis morbo fouetur, vel cauſam ſuæ generationis in aliâ parte habet, eius iniuria arcenda. Hic cautè notandum, quæ partes, in quas promptè ſe exonerent: quod vſu, & partium ex conſociatione innoteſcet. Caput in conſenſionem maximè rapi ſolet ab hepate, liene, vtero, ventriculo. Si à ventre, dolor, inquit Razes, placatur à cibo illicò, & ineditâ exacerbatur e dilutâ nondum bile. Hi à cibo ſi teneantur aliquantulum; illâ morâ, maximè moroſi euadunt. totus his habitus plerumque bilioſus eſt: alij quibus à pituitâ graue euadit caput, nauſeabundi ſunt, à cibo dolent, omnia phlegma monſtrant. Et ſolent ab hepate potiùs bilioſi, & à ventriculo pituitoſi ſucci prouenire. Fit autem ſæpius hæc afflictio, ob neruum ſextæ coniugationis: & tunc mordetur à bile, ac nauſeâ affligitur ventris os. Et interdum ob continuationem quæ ventriculo eſt cum cerebro id fit, ſine vllo materiæ refluxu. Interdum fumi per œſophagum irrepunt in caput, traiicientes ſe per odoratus organon: interdū etiam ab externis tunicis efferuntur ob arterias in cerebrum. nulli autem parti iungitur, caput maiori conſenſu quàm ventriculo, ob neruum illum: & vtero ob ſpinalem medullam, cui validis ligamentis nectitur, quare ſine materiæ effuſioue

Topica.

Num idiopathiâ vel ſympathiâ eueniat dolor.

2. Loc. aff. vlt.

Cùm ab aliis partibus.

effusione hæ solæ partes in sympathiam abripiunt caput, cùm acrimonia vellicantur, aut copiâ tenduntur. Si ab vtero per spinam occiput afficitur, & menses his sistuntur, vel immodestiùs effunduntur. Si à liene, vel hepate, illa in vitio sunt, ac ibi primùm querela fuit. *Curatio.* Vtiliter capiti topica admouentur, dum inferiora purgantur, vt tam facilè non admittat vapores & succos. Si bilis vel pituita ventriculo concepta fuerit, purgetur, ac ventriculus roboretur: famem vitet. Si ab hepate, eius intemperies flectatur: nam, vt ait Galen. 3. De locis affect. qui hepar habent calidum & sanguinem tenuẽ, repletur his facilè caput. & obstructio, si adsit, aperiatur, & euacuetur vt decet. Idem de liene dico. vt autem in vtero transigendum, vbi de mulierum morbis, docebitur. Faciliùs eluitur hoc à capite malum, quàm si à peculiari ægrotaret vitio. *Chirurgia.* Num verò secanda vena, & quâ copiâ sanguis elidendus, & quâ teemarsi, iam sæpiùs dixi Sed quænam vena, dum à sympathiâ dolor est, erit ferienda? Si, auctore Abincenna, hîc vena aperienda, tunc si vtrinque vrgeat malum, vt & pars vnde doloris focus, & caput æquè excrucient, medianam soluemus venam: quæ & caput, & iecur, & thoracem, & lienem euacuat. Sin ad caput maximè opera vertenda sit, soluatur cephalica. Quod si pars quæ in caput effundit hanc eluuiem præcipuam euocet curam, & si supra renes posita sit, axillaris interior scindatur: vt si iecur fuerit, dextri vena; si lien, sinistri pertundatur: nam vterus malleoli vel pedis venam postulat. Cruribus non incommodè hic cauteria inuruntur: nam reuellent, & educent vnà materiam. *Dolorem mitigantia.* De dolorem mitigantibus, & retundentibus succorum impetum ad caput, iam in aliis prolixè disseruimus. Nam si à bile, vel acerrimis vaporibus enatus fuerit dolor acerbissimus, qui ferendo illæsâ vitâ non sit, ad narcotica, eà encheiresi quam diximus vbi de dolore à bile, veniemus. Alioqui, ex humoris morbifici qualitate, retundentia capiti applicabimus: si vapor vel succus pituitosus, iam de eo, vt & de cæteris, docuimus. *Leuientia.* Si materia in ventriculi parte superiore fuerit, quod à bile ferè fit, & cardialgia aderit, nausea, amaror, oculorum marmarygæ, eam euomat: maximè si æger vomit ex facili, quales sunt illi qui amplo sunt pectore. Si biliosa fuerit materia, sumat ius pingue carnium, ad libram: sin pituitosa, adde oxymelitis, & succi raphani, vel corticis arboris nucis, cuiusque vnciam. vel accipe agarici albi drachmam; radicum raphani semunciam; ficus tres; sumat huius decocti vncias septem: oxymellis, olei oliuarum, cuiusque vnciam: misce, & pleno ventre sumat. azari radices ad drachmam addi possunt. *A bile.* Quòd si excrementa biliosa infernam ventriculi partem, & intestina prima occupauere, soluemus vncias duas vel tres syrupi rosati laxatiui in decocto endiuiæ, tamarindorum, myrobal. vel cassiam dabimus cum pulpâ tamarindorum, vt, Accipe cassiæ coctæ ex infuso rosarum vnciam, vel drachmas sex; pulpæ tamarindorum drachmas duas, vel tres; anisi crasso modo puluerisati scriptulum: fiat bolus, qui aspergatur saccharo: vel, si potulentum malit, cum aquâ endiuiæ fiat haustus. sed faciliùs ita transigetur cum manna, quæ liberaliùs se fundit. quare iusculo pulli, herba vel semen endiuiæ coqui poterit, cum tamarindis, illi decocto alliquetur manna. si tunicis insedit, hierâ exime. à pilulis aureis hic abstinendum, nam nocent ventriculo: at pilulæ sine quibus, concedi possunt. Sin ab intestinis biliosum irrepat in caput excrementum, fiat enema, ex maluæ, violariæque & hordei decocto: vel, si languent intestina, ex iure pulli, cum oleo violato, saccharo rubro, ovo & pauco sale. vt, accipe iusculi pulli vncias nouem; olei oliuarum vncias tres, salis semidrachmam: fiat enema. *A pituita.* Quod si pituitescat ventre concepta materia, nec supernis partibus vomibundum hominem reddat, sed potiùs ad fundum ventriculi, initiáque intestinorum recesserit: accipiemus mel mercurialatum, vel rosatum laxatiuum: & cum speciebus hieræ fiet bolus. pilulæ masticinæ, & de rhabarbaro præscribantur, vel sine quibus. abstinæ à cochiis. Sed si recesserit hæc materia ad intestina inferna, enemate eluantur: ex decocto mercurialis, betæ, hyssopi, furfurum, brassicæ: adde mel rosatum, oleum, hieram, & salis momentum. *A melancholiâ.* Cùm verò melancholescit superiore ventriculi parte detenta materia, euomat: &, vt hoc liceat commodè, iusculum sumat vituli, in quo coquat maluam, raphanum: da cum oxymelite Gesneri. Sin supernâ aluo & ad intestinorum principia obhæserit materia, & si ea ad atram abeat bilem, dabimus mel violatum solutiuum, vel electarium lenitiuum: vel cassiam, aut syrupum rosatum solutiuum. Si infimæ aluo obhæserint, fiat enema ex betæ, maluæ, furfurúmque decocto: huic adde electarium lenitiuum, mel rosatum, oleum, & parum salis: vel glans fiat. Purgatio itaque ventriculi, dum hic calamitatis huius fundus, profligatio doloris capitis erit. *A bile* Si à bile venter fatigatus fuit, dabimus, iam euacuato, micam panis infusam in succo agrestæ, aut vino granatorum: oxygala, liberalior victus, mora, cerasa, pyra, aurantia mala, acetum, omphacium, limonia. vel conseruam rosarum. hæc, inquit Aretæus, cottidie obiici debent, antequam dolor inuadit. Quidam addunt species diarrhodonis abbatis. optima est lactuca cum aceto cocta. Sin ab hepate, liene, vtero increuerit malum, his visceribus medicina adferatur. *Tragea.* Si fumi quidam à pastu caput inuadant, accipiemus coriandri parati ad vsum semunciam: rosarum rubrarum, coralli rubri, cuiusque semidrachmam; cinnamomi scriptulum; conseruæ rosarum vncias tres: fiat puluis; vtatur à pastu cochlearis mensurâ. In pituitâ, vel melancholiâ, diagalanga, diacyminum, pleres archon, diametrion piperion, aromaticum rosatum. *A caussis externis dolor.* cibi aromatis condiantur. Plurimæ res quæ foris sunt, quarum tamen beneficio vita interdum carere nequit, dolorem capiti accersere possunt. Qualis est cibus flatibus plenus, pleniórque cibus: aromata, quæ vaporibus caput opplent, vt scribit Hippocrates ἐν ἀγώματι πυρίῳ, κορυβαντιᾷ ἐμπετοῦ, motus *5. Aph. 5.* corporis & animi à cibo: & cuncta ἀθρόως incurrentia à foris. A morsu animalium, ebrietate, ictu, casu. Si à vento indoluit caput, is maximè viam inuenit per nares & aures. *A vento.* Si naribus conceptus sit, his impone oleum chamæmelinum, anethinum, cum pauco oleo rosato maturo, vel cum vnguento rosato: maximè si calidus is fuerit ventus. Si per aures inuasit, hæc tunc illis immittantur: & caput rigetur oleo chamæmelino, vel liliorum alborum. Ita calido etiam à vento oborto malo, ab astringentibus temperat se Abincennas. Dum verò à frigore dolent, castoreum, muscum, ambram naribus indebat: nos guttulas oleorum, leptomeriâ insignium, aspergimus pomata: vt oleo cumini, fœniculi, lauri, anisi, caryophyllorum, florum chamæmelorum: &, vbi de flatu dolorifico cætera diximus. *Ab ebrietate.* Ab ebrietate si illatus sit dolor, non priùs quàm aut vomitu concito aquâ tepidâ cum oleo, aut aluo solutâ onus positum fuerit, capiti remedia imponantur: dein parum dormiat. A somno

oleo rosato maturo caput imbuatur. Si perseuerat dolor, auctore Abincenna, postposito rosato, potiùs chamæmelino illinemus, aut lilino, vnà cum succo brassicæ. aut folium brassicæ ab igne flaccescens, rosato vnguento imbutum, vel aquâ maceratum calidâ rosatâ, capiti imponatur. Si οἶνος causam dederit (quam pulchrè ab ebrietate discriminat Plutarchus, tertio Symposiacon, & libro De loquacitate) eodem modo mulceatur, toto die à cibo vacet: vesperâ hordeo vtatur, vel auenatâ pulte, vel lacte acido, vel piscibus pelagicis, lactucâ, brassicâ in acetariis, ceruisiâ. Brassicæ folium rosato vnguento illitum imponatur capiti, à tertio die chamæmelino vtendum, & balneis. A dactylis abstineat, inquit Nonus, nam naturæ quadam peculiari vi cephalalgiam gignunt. Cùm ab aromate dolet, contraria vi recreetur cerebrum: vt si à mosco, olfaciat caphuram, vel aquam aut acetum rosaceum. & si squalor contractus fuerit, viola aut nymphæa nares feriat. cùm diuturnior est dolor, abigatur vt calida intemperies. Si à lue venerea, hepar recreetur, oleagineo succo guaiaci. A vulnere ni relinquatur exitus infima parte, quo elabatur pus, arroditur cranium: & nonnunquam per suturam influit pus, hinc dolor & inflammatio. Hîc laxandum sine calore, vt emplastro ex hyperico, vel de betonica. vide Holerij Chirurgiam de dolore. His peractis, pus gignatur, & detergatur. Sed lenita primùm aluo ad sectiones veniendum. A musculis, inquit Aretæus, cauẽdum, metu conuulsionis. Quidam, inquit, ad os suturæ coronalis aperiunt: quidam ad diploën: alij ad meningen vsque, in inuictis doloribus, robustis ægris, & animosis. Ab ictu si dolet, metu inflammationis aperiatur (si vires & ętas admiserint) vena: alioqui aluus ducatur. Locus rosaceo madescat; dein chamæmelino: vel cataplasmate ex hyperico, meliloto, chamæm. rorismarino, ex aquâ & vino: vel fotu. Si ad periostion peruaserit plaga, scalpris radẽdum os, deducto pericranio, inspersa sola iride Florentina: eam vsu comperi omnium felicissimè ossi aspergi: nam gummosa cætera nigrum reddunt os; hæc autem candidum ac odore gratum. Inflammatione verò foris incipiente, optimè talis curatio qualem in pueris capite contusis docti sunt. Arantius præscribit, in fine commentarij sui ad librum Hippocratis De vulneribus capitis. Nam veteribus etiam, vbi ruptis meningibus, acerbus dolor conuulsionis ac delirij metum adfert, & mortis, oleo dulci tegitur caput, vt nerui laxent se; & acetum cum rosaceo imponebat Archigenes, integro cranio: mox in statu solo oleo, vel emplastro vtendum in declinatione, vel chamæmelino. Quies adsit, sobriè victitet, euacuationi studeat. Vaporem eructantes cibi, vt cæpæ, legumina, lacticinia, fructus oleosi, vt nuces, herbæ odoratæ & petroselinum, & graues odores, auster, vehemens sonus, gyratio motióque vehemens, fœcunda sunt in dolorem capitis. His adde animi pathemata, vigilias, iram, curam grauem, inanitio acriorem sanguinem producens. Nam omnia euaporantia capiti sunt dolorifica. A Sole illato dolore, si insigni turbatione agitetur corpus, pugnandum erit, suasore Abincennâ: si igitur nulla inde trepidatio oriatur, de purgatione ocium sit: & vt simplex intemperies calida castigetur. Et à frigidorum foris vsu Paulus ad tenuia venit, vt serpillum. Cùm dolor fronte aut vertice fixus, aut temporibus hæserit, hac arte reuellunt eum in occiput. Accipiunt crudam partem carnis bubulæ, ex naribus, pollicis magnitudine, occipiti imponunt spacio quinque vel sex horarum: idque repetunt, priori carne deposita. Sed à fœtore caue. Alij accipiunt duo vel tria albumina ouorum, remiscent abrotani manipulum: hoc dicunt eò transferre dolorem, quocumque loco capitis admotum fuerit. hoc quidam in peste feliciter vtebatur. Aliud: Accipe nucleorum persicorum, seminis papaueris albi, cuiusque vnciam; fit puluis, aquâ excipitur, vt cohæreat, pepli, capiti illinunt. Cunctis, progressis aliquantulum doloribus, hoc confert: Accipe succi chamæm. vncias duas; rosarum succi ℥ j. succorum rutæ, betonicæ, cuiusque drachmas sex; succi radicum althææ vnciam; olei rosati omphacini lib. j. alabastri optimè puluerisati vncias duas cum cera alba q. s. fiat vnguentum: alabastrum maceretur 24. horis in oleo. Interdum semunciæ huius vnguenti addimus grana tria opij. Interdum miscemus muccagines fœnugræci, lini, seminis meliloti, in æquali copia, cum oleo lilino. Modicè laxando digerunt, oleum lilinum, chamæm. meliloti, lini, sambuci. Somnum prouocant hoc modo: Accipe opij scriptulum; caryophyllorum olei guttas v. dissolue lacte muliebri, vel aquâ rosatâ, & naribus, & pulsibus illinatur. Obseruabile illud, veteribus, vt ait Aurelianus, cephalalgiam vocari quæ cum febre eueniret: at cephalæam propriè inueteratum esse dolorem, quocumque modo eueniat, siue vno filo, seu variis ductibus acerbiùs vrat, & siue ordine vel temerè id fiat certis incertísve periodis, fit à congestione, vel influxu, iam fracto cerebri robore. Galenus de hac eleganter, lib. 2. κατὰ τόπους. Fit à materiâ quæ in vitio est copiâ, vel qualitate, vel his iunctis. Materia autem hæc mixta est ex calidâ & frigidâ: hoc est pituitâ & bile, vel melancholiâ & bile; hi in longo malo, malignè melancholescunt in crassum viscidúmque succum. Interdum sanguis iungitur: notæ indicabunt, ex calore, colore, diætâ, ætate, naturâ. Interdum à vaporibus fit vterinis mordacibus & tendentibus, hi facilè euanescunt, & recrudescunt. Indicatio curatiua erit roborandi, incursum succorum, à toto vel parte aliqua accidendi, mandans si adsit pars curandi: nam effert interdum se immaniter dolor, ex occasione nactâ frigoris, caloris, iræ, & cæteris quæ caput æstu perfundunt: &, inquit Nonus, strepitum, clamore, splendore, vino mero, & apepsia. Hoc fit attractâ materiâ ab imbecillo cerebro, eáve ibi commota. Nam Cassius in Problem. vbi quærit, Cur capite dolentes plus sentiant doloris expergefacti? Quoniam, ait, moto capite, maior sequitur materiei fluxus, obstructionésque adauget. Si à congestione, sensim euacuetur, & cerebrum roboretur. Cephalæa & hemicrania eisdem remediis cedunt: nam solâ sede differunt. Seca cephalicam: dein purga clysmo cum hiera: postridie da hieram cum agarico trochiscato, si pituita morbum fecit. si bilis, da pilulas aureas. Dein præpara pituitam decocto hyssopi, origani, maioranæ, betonicæ, radicibus fœniculi: propina cum oxymelite; detur in aurora, & superdormiat. Tandem ad elleborum ibis extractum: vel pilulis vtemur cocciis, vel euphorbio ad drachmæ dosin, ex cassiæ drachmis tribus, vel quatuor. Deinde repercutiendus succus, qui à toto, vel parte aliqua influit, cùm iam mediocriter euacuatum est corpus: nam vnà roborant caput, & exprimunt infusum succum: de his antea satis. A merè frigidis abstine, id est, actu & vi, nisi effera vis bilis, æstas, & robur illa velint. Ego vnguento vtor rosato, cum oleo violato; addi potest succus hederæ, & limonum. Dein, turgidis venis cucurbitæ, vel frontis venæ sectio debetur. Hinc errhinum fiat, si pituita congesta capite sit, ex succo radicis betæ & anagallidis cęruleo flore, vel cyclaminis: his immacerare licet elaterium (quod quidã ex lacte naribus sorbent)

οἶνος. — *Ab odore.* — *A vulnere.* — *Celsus 8. lib. 4. Cautio.* — *A plaga.* — *A Sole ἐγκαύσεως.* — *Empirica.* — *Obseruatio de cephalæa in quacurationes anacephalæosis.* — *Hip. De morbis 2.*

sorbēt) vel turbith,&c. & pennâ attrahatur naribus liquor. quidā fortissimâ purgantia ex aquâ coquunt, in eundem vsum. & pyrethrum masticent. A cæna detur theriaca noua cum conseruâ rosarum. Foueat caput decocto chamæm. & vngat oleo cham serpillum interdum adiice. tandem ad euphorbium surgē. Accipe olei chamæm. vnciam; euphorbij drachmam; olei caryophyllorum ʒ ij. misce: vngat caput, frontem, & tempora. Tandem ad sinapismos curatio erigenda. Mulier, dicit Paulus, multos ita curabat: radicem cucumeris asinini, & absinthium hydrelæo incoquebat, donec liquescerent. Primùm caput hydrelæo fouebat; dein ex his emplastrum derasæ capitis dolenti parti admouebat, discutit & roborat. vel accipe rutam & folia lauri, coque in oleo: colaturæ vnciis duabus adde vitrioli Romani vsti semidrachmam; croci semiscriptulum; aquæ vitæ drachmas duas; ceræ parum: fiat vnguentum. Hæc sunt remedia dolorum capitis. at, inquit Aretæus, quibus hæc non conferunt, hi veratro vtantur: &, inquit, quæ toti capiti remedia conducunt, ea singulis eius partibus adhibere bonum est; quare heterocrania, &c. iisdem sanabitur. Aluus cottidie respondeat, nihil longis cephalæis salubrius: & his vino nihil nocentius. cruditates vitandæ. Arceantur à mensâ petroselinum, brassicam, lactucam, dactylos, amygdalas, nuces. A cibo pyrum, vel malum cydonium sumat, vel saccharum tosatum. manè theriacam; vel, si mulier, auream Alexandrinam, vel triphe ram Persicam.

Problema. Cur anterior pars capitis plerumque doleat.

Problemate iam hoc, hoc caput, de dolore capitis finiamus. Cur maximè doloribus fatigatur antica pars capitis? An quia pituita plurima ibi congeritur, vbi sua effundibula habent nares, palatum? Præterea si à sympathiâ aliarum partium fatigetur, vt à liene, hepate, diaphragmate: ab his vaporea & succos accipit: quod facilè facit hepar per venam cauam; lien per arteriam aortam. Ab his itaque focis, in capitis imbecilliorem partem eructatur materia. Hæc enim vasa ad iugulum diuiduntur, & capiti dextrâ & sinistrâ parte immittuntur. Quare quod ex liene venit, non feriet potiùs sinistram, quàm dextram capitis partem, vt nec quod à iecore importatur, peculiariter dextram magis fatigabit. Nam hæc inferuntur per viam communem: quamuis alioqui illa rectitudo vera afferetur, si per colligationem & continuationem consociarentur hepar & lien capiti. Sed elatæ per vasa materiæ, in sinciput excutiuntur maximè: arteriæ enim rectâ eò cursum suum flectunt: & dum sanus est homo, sese traiicere per hanc regionem vapores solent, vbi suturæ laxissimæ, os tenue & porosum: præterea in anticâ hac regione suturarum, plurimæ sunt membranæ quæ meningem pericranio iungunt: accedit quòd venæ ibi terminentur. Hæc ita eueniunt, modò nulla sit excusatio infirmioris alterius partis: nam hæc potiùs accipiet iniuriam exclusi succi. Attamen occiput peculiariter ab vtero affligitur, ob syntimorian quâ illi nectitur per spinalem medullam: modò non vaporibus inde elatis hoc fiat: sed à partium continuatione. Capitis dolorem, inquit Marcellus, quamuis veterem & intolerabilem, protinùs tollit, & in perpetuum remediat torpedo nigra viua imposita ei loco qui in dolore est, donec desinat dolere, & obtorpescat pars: tunc enim ilico remoueatur: vix ad duas trésve torpedines respondet curatio, id est torpor, quod signum est remediationis. Hoc idem testatur Scribonius Largus: Pueris, inquit, lini semen ex aquâ imponatur bregmati. In aliis, fotus ex decocto capitum papau. & lauri, quin pueris cucurbitæ viridis ramenta capiti imponantur. Curiones oleo iocodi, inquit Aetius, prosunt: oleum inlinatur. & dicit, hemicraniam curat euphorbium cum aceto, aduersæ parti illitum. Antiquitas superstitiosa remedia plurima habuit: nam scribit Cassius Dionysius γεωπονικῶν libro nono, vbi meminit certaminis Neptuni & Mineruæ, in condendis Athenis: Postea ait, Victoribus corona ex olea dabatur: &, inquit, physica ratione cephalalgiam leuat: folio autem oleæ inscribebant Αθηνᾶ, & capiti filo alligabant: literis tribuentes, falsâ superstitione, quod oleæ viribus debebant.

Capvt XI.

De Phrenitide.

Hactenus de dolore cutis capillaræ, & pilo carneotis, pericranij, caluariæ, diploes siue diploidis; intenso, remisso, graui, acuto, omniumque grauissimo duræ meningis. qui, vti iam diximus, proprius est, sicut delirium cerebri. de quo iam. Insaniæ autem variæ sunt ideæ, mentem variis vanisque imaginibus addicentes, vnde & loqui & agere ægros aliena cogit. Verùm ex insanientibus alij quidem hilares, alij tristes sunt, alij inter loquendum desipiunt, alij furore aguntur, alij simulationem atque artem adhibent, vt pòst custodibus inferre manus valeant. Est & altera species quæ ferè inuadit sine febre; pòst verò, vt Celsus ait, febriculas excitat, consititque in tristitiâ. Tertia species eorum est, qui aut non falluntur mente, verùm imaginibus, quæ obiiciuntur; vt de Aiace, déque Alcmæone poëtæ tradunt: aut ex animo quoque desipiunt. Ita varia est deliriorū idea, pro variâ suscipientis & efficientis causæ naturâ: sunt enim deliria alterati, & quasi morsu quodam lacessiti cerebri, & repleti symptomata. Sic lethargicorum deliria sunt cataphorica, & cum citâ obliuione coniuncta, ex pituitâ putri. Comatosorum vigilum typhomania ex pari copiâ pituitæ & bilis. Phreniticorum perpetuæ cum vigiliis & febre dementiæ, à proritatione bilis flauæ, in cerebro stabulantis. Fanaticorum insaniæ, quas phreniticas manias vocamus, delirij plenæ sunt, vt qui omninò de potestate mentis exierint à bile atrâ, quam genuit flaua: quòd illius quàm huius multò sint acriores morsus. Vnde his dementiæ summa sunt omnia, quæ cernuntur in cœptis immanibus efferorum fanaticorum. Sic enim homines è phreniticis euadunt fanatici: quoniam æruginosæ bilis, quam vomunt elapsam è cerebro in ventriculum, facilis esse solet in atram mutatio. Atque vt bilis flauæ, ac inde mox æruginosæ, symptoma in cerebro est phrenitis: sic atræ mania, ob morsus acrimoniam. Nugigarrulorum dementiæ sunt à sanguine non ita multùm acri, nec multâ bile perfuso. Melancholicorum est silens ipsa dementia, vt phreniticorum garrula: quòd illa sit ab humore melancholico, mœroris & metus parente. Medici cunctas has insanias distinguont in phrenitidem, maniam, & melancholiam: nam, vt ait Celsus, Insania commune est vocabulum ad maniam, phrenitidem, & melancholiam. Hanc distinctionem ab Hippocrate mutuasse videtur: nam mania siue insania triplici ratione accipitur ab Hippocrate, vel pro valido delirio, vt primo Prognosticon, vbi ait: si in hypochondriis incendio conflagrantibus, ac tensis, & dolentibus, pulsus insit, ac oculi volubiles & instabiles fuerint,

Insania varia.

Symptomata fixorum morborum sunt partim causa morbifica, partim obsessa partis propria.

Phrenitici vt euadant fanatici.

Nugigarruli.

Quot insaniæ.

Hippocrati quot.

μανῆναι τέτους ἐλπίς, id eſt, phtenirieos eos fore metus eſt; cùm nempe flaua bilis, à flagrante æſtu, in atram degenerauit: vnde extrema inſania. ita eodem libro vbi de dentibus, ait, Dentes ſtridere per febres, μανικὸν, id eſt, inſaniæ præludium. Hæc dici poteſt mania phrenitica (vt etiam μελαγχολικὴν ἔκστασιν, id eſt, egteſſionem melancholicam dicimus, cùm quiſpiam è melancholico euadit fanaticus) quam genuit bilis atra, ex flauâ bile peruſtâ, quæ atrociora pathemata adferre ſolet, quàm ipſa phrenitia vnde ortum habuit tom febte. de hac materiâ phreniticâ loquitur Hippoctates, Phrenitici ſputatores fanatici; etiámne tremuli? Nam à phrenitide ſæuiore ad maniam facilis egreſſio eſſe ſolet: vt penè miraculo adſcripſerit Hippocrates, quòd illo cælo peſtifero, ne voos quidem phreniticorum qui tuuc ægrotabant, euaſtr fanaticus, vbi ait οὐδὲ ἐξεμάνη φρενιτικῶν οὐδείς. Secundò ſumitur mania ab Hippocrate, pro delirio ſine ſebre, à calido ſucco. vt in iam adducto loco, qui non inſaniunt mania illa feroci phrenitica, ſed leuiore ac melancholicâ, ex quâ propriè fanatici nominantur. Tertiò, pro delirio ſine ſebre, à ſucco frigido melancholico, & dicitur propriè melaocbolia, vt 6. Aph. 21. Nos iam hîc agemus de phrenitide. & de maniâ phreniticâ. Φρενῖτις nomen habet à difficultate mentis, inquit Cælius Aurelianus, ſicut dyſenteria, & dyſuria, quòd vrinam vel ventrem impediant. Phrenas enim Græci mentes vocaoerunt, quarum impedimentum phtenirica iogerit paſſio. Eſt itaque vox à ſymptomate deſumpta: quia ex te notiſſima vulgo, plerumque accidentia nomina ſortiri ſolent. ita etiam bic affectus, nomen à ſymptomate accepit, hoc eſt, à delirio, id eſt, à depraoata mentis actione: ſed delirij cauſa eſt morbus. Galenns vocar Delirium perpetuum. Abiucenna vocat Sirſen calidum, id eſt, apoſtema capitis calidum: ad differentiam lethargi. Er eſt vox Perſica, dicit Abincenna, ſir anim Perſis eſt caput, & ſen eſt apoſtema: vt birſen; bit pectus, ſen apoſtema. Arabes vocant Karabiton. Id eſt delitium perpetuum. Per Cibarren intelligit Abincenna phreniticam maniam, quæ fit à retorridâ bile; quam Trallianos vocar phrenitidem ferluam. Eſt autem Phrenitis delirium inſigne, mentis exceſſum habens, deliram actionem, palpitationem ſcilicet, linea & operimenta indecorè nec neceſſariò colligens. Adeſt enim delirium perpetuum, cum vigiliis, febre acutâ, & ferocitate, quod in cerebro ſedem habet, bile perfuſo. Quare hauc ita definimus: PHRENITIS eſt functio deprauata principum omnium ſacultatum cerebri, nata à cerebri immoderatione, quæ originem traxit à phlegmone meningum. Principes facultates (cogitatio & imaginatio maximè) deprauantur: verùm memoria percellitur taotùm: nam petunt matulam, micturiunt, & mingere interim non meminere. Quàm veriè hæ percellantur facultates, hiſtoriis id eleganter depingit Galenus libro quarto De locis affectis, capite primo; vbi de ſeipſo, & de lanifici filio præcipitato: & libro De ſymptomatum differentiis, vbi de Theophilo medico: & libro ſecundo De motu muſculorum, vbi hæc hiſtoria: Nooi, inquit, quendam per tredecem dies deliraſſe, hoc pacto: putabat ſe Athenis, non Romæ iacére: crebiò autem familiarem puerum reoocans, iubebat ſibi, quæ ad gymnaſium pertinebant, afferri: & paucâ intermiſſione factâ. Heus, inquit, Ptolemæum dico, decreui in gymnaſio diu lauari, ac nonnunquam exiliebat interea, atque indutus ibat rectà ad oſtium aulæ. Ac quum retinerent eum, qui intus erant & exire prohibebant, cur ſiſteretur ab eis percunctabatur. Hi verò (nihil enim licebat niſi vera proferre) febricitaſſe eum affirmabant, & oondum febrem abiiſſe. Ipſe ad hæc valdè modeſtè reſpondebat, ſcite enim ipſe dicebat, qoòd adhuc teſtibiles quædam reliquiæ febris perſeuerarent, ſed eas eſſe penitùs exigoas, nec verendum oe à balneo læderetur, ortam enim ſibi præſentem febrem ex itinere. An non recordaris, conuerſus ad puerum dicebat, quòd laborioſè iter heri fecimus à Megaris Athenas? Talia cùm diceret ac faceret, hæmorrhagiâ liberali ex naribus obortâ, totoque dein corpore effuſo ſudore, euaſit. Propterea ad cerebrum, & non ad ſolas meningas hæc fera ſymptomata duxi. Etenim in cuius bonitate conſiſtit trium facultatum integritas, in eiuſdem vitio hæret earundem facultatum deprauatio at in cerebri bonitate, & nó in membranis vel ventriculis, conſiſtit earum facultatum integritas: quare io eiuſdem vitio, ſcilicet temperamenti alteratione, & habitus mutatione, conſiſtet earundem facultatum deprauatio. Hæc cerebri intemperies originem trahit à meningum inflammatione, & maximè tenuis meningis: oam hæc non ſolùm ſerit cerebrum, ſed ita intertexit cerebrum, vt nulla ipſius deptehendatur particula, quæ membranâ hac careat, vt aſſerit Galenus libro octauo De vſibus partium corporis, capitis ſecundi ad finem. &, inquit, diſſerens contra hos qui cor refrigerari à cerebro dicebant, tenuem meninga calidam eſſe confitentes, rigatam vaſorum ſanguigerorum copiâ, auderis adhuc cerebrum prouunciare frigidum? Quare nos dicimus membranas cerebri inflammari, & cerebrum ſolùm in intemperiem abripi: à quâ tamen actionum principum fit deprauatio: nam & Abincenna fatetur non neceſſariò inflammari cerebrum. Adeſt itaque inflammatio. ſocia itaque aderit ſanguinea materia & intemperies, cum tumore, qui tameo hîc ambigit inter morbum & ſymptoma. ſoluta vnitas hîc locum noo habet: nam dolor fit dum in inflammatione ſoluitur vnio à tenſione: at noudum ſoluta eſt vnio. hoc eſt ſolùm ἐν γενέσει, noudum in γεγονέναι, in quo conſiſtit vlcus. Intemperie itaque calidâ & ſiccâ, eâque à validâ, affligitur cerebrum, cum materiâ, quæ per cerebri traiicitur ſubſtantiam. Ita obſidetur cerebrum quadam phlogôſi: ſine tenſione tamen, ſine quâ non conſiſtit inflammatio. Sed dices, In hecticâ tamen phrenitide adeſt vera inflammatio, nam ibi adeſt tenſio: dicebat enim de hac Abincenna, Interdum inflammari cerebrum: & Paulus dicit eſſe phlegmonem τῶν μηνίγγων, ὅτε δὲ καὶ αὐτοῦ τοῦ ἐγκεφάλου συμφλεγμαίνοντος, id eſt, meningum eſt inflammatio, & interdum ipſo cerebro ſimul inflammato; nimirum in hecticâ phrenitide. ita etiam Abenzoar. Reſpondemus, Galenus Commentario ad antepenultimum prognoſticum libri primi Prorrheticon, dicit, In hecticâ phrenitide afficitur cerebrum more lanarum coloribus tinctarum. ſed hoc fit ſine tenſione. Itaque cùm Paolos dicit (ex quo Abincenna hoc tranſcripſit) nonnomquam & cerebrum inflammari; intelligit de hecticâ phrenitide quum iam ad ſummum inſurgit vigorem. tunc enim cerebrum tam vberi circomfluit materiâ, vt etiam tendatur, adeò vt & ſuturæ rumpi videantur ex inflammato cerebro & membranis. Hîc ſolùm adeſt vera phlegmone cerebri & meningum: nam de hac loquitur Abincenna, qui reprehendit ibi ſui æui medicos, qui exiſtimabant cerebrum ab apoſtemate immune eſſe: nam dicit, cerebrum viſcoſum eſt & lene; igitur poteſt tendi; quare & inflammari. Quæ tamen tenſio, vt iam dixi, in molli hoc viſcere, à tenui materiâ; locum non

haba

Nomen.

Quid.

Definitio.

Memoria minuitur.

Hiſtoria.

Cerebrum hic affici, & vnde.

Cerebrũ hîc non neceſſariò inflammari.

Galen. 1. Prorr 19. & 13. Meth. & 2. Symp cauſ. vlt. 4. de praſ. pul. 2. *Dubium.*

habebit, nisi in sæuissimæ hecticæque phrenitidis vigore. De hac inquit Abenzoar, grauia & calamitosa trahit symptomata, adeò vt celeri pernicie curationis spem antevertat: nam motu ægri spoliantur corporis, timbatque vis totius corporis. & vt breuiter dicam, inquit, firmato ita apostemate, penitùs moritur; quare dicit, curationis curam accido. nam dixerat antè, si spes foret curationis, ea esser in phlebotomiâ, & tenui diætâ. Hæc itaque causa fuit quòd phrenitidem per intemperiem definierimus calidam & squalidam cum materiâ, quæ verè substantiam cerebri affligit, cùm adsit perpetuum delirium: citra alterius partis extra caput positæ affectum. Nam phrenitidis locus afflictus, idem est qui lethargi: igitur cerebrum occupat. Propterea dicebat Trallianus, in verâ phrenitide inflammari cerebrum, nimirum in hecticæ phrenitidis vigore; aut eam quæ cerebro adest membranam. Sæua itaque phrenitis (non loquor de sæuissimâ hecticâ cùm ad statum venit) causam ducit ab intemperie cerebri calidâ & siccâ, cum materiâ, quæ causam ducit ab inflammatis meningibus, maximèque tenui. Hactenus qualis affectus sit phrenitis: iam de eius causa, & quænam pars cerebri affligatur: de his, inquit Trallianus, cuncti dissentiunt. Hic adest inflammatio à sanguine feruente, qui nempe sanguis biliosus, hoc est, bile perfusus: vel bilis sanguine perfusa, est inflammationis huius causa continens. malignus certè hospes: nam insaniæ cacochymia, malignitate ceteris omnibus antecellit. Morbificus itaque humor & causa efficiens est bilis sanguinea, cuius proprium symptoma in cerebro, est ipsa phrenitis: quemadmodum bilis atræ, excessus melancholicus. Quoties itaque ad præparationem suscipientis causæ, accedit vis efficientis, repentina inde efflorescit mali generatio, quæ vel lenitate vel ferocia sui parentis ideam genuinè refert: vt mea dicam. Dixi sanguineam hic in vitio esse materiam: quæ si à sanguineâ indole abiret, potiùs erysipelas faceret quàm inflammationem: sed erysipelas potiùs peripheriam ferit, nec ita traiicit totam partis substantiam: at hîc tenduntur meninges. Propterea Razes dicit, ex oculis, à sanguine rubentibus, phrenitidem argui. quare iure vocari potest inflammatio erysipelatodes. Fit nonnunquam & ex pallidâ bile retorridâ. Attamen socium trahit vbique sanguinem feruentem, qui variè incurritur à bile flauâ cacochymiâ fœdatâ, aut pallidâ, vel retorridâ efferâque bile, quæ etiam efferatam insaniam infert, qualis Hermocratem fatigauit. Hinc dicit Celsus, Ex phreniticis alios esse hilares, alios tristes, alios faciliùs contineri, & intra verba desipere: alij consurgunt, & violenter quædam manu faciunt: atque ex his ipsis alij nihil nisi impetu peccant, alij etiam artes adhibent. Nam quæ à pallidâ bile est, mitior est, nec tam validas trahit febres: at quæ à flauâ bile, ferocior est, & maiorem habet febrem: at illa quæ ab excoctâ bile, omnia immanitatis plena gerit. Quare sanguinem melancholescentem à sua fæce, & pituitosum ab hac iniuriâ vindicamus. Nisi quis dicat cum Tralliano, acerrimam bilem à pituitâ dilutam insaniam hanc etiam adferre. Sed ipse respondet, eam falsam esse phrenitidem, in quâ homines simul vigilantes somniant. Et nos dicimus sanguinem admistum esse iniuriis biliosis his: nam adest inflammatio. nec nos fallit in hac consociatione sanguinem à bile superari; si non mole, certè vi; quin fœdâ cacochymiâ efferata cùm sit, suâ vi cerebrum vibrat. Propterea rectè scribunt auctores, in verâ phrenitide bilem luxuriare: nam collineant ad succum essplendescentem præ cæteris.

1. Prorrh. 1. & 4. de caus. puls. 14.

Causa.

Galen. 2. Loc. aff. 9. & 13. Meth. 3. 9. 5.

Galen. 2. loc. aff. 7.

3. Epid. hist. 1.

Attamen doctiores nō excludunt sanguinem, vt qui fatentur inflammationē adesse, aut phlogosin. Morbificam iam materiam habemus. Sed quare hæc materia sanguinea feruida, parens inflammationis, infundit se in illas membranas quæ habent cerebrum? Tribus modis fluit humor, orgasmo, doloris vi; vel pars continens exonerat se in contentam. Propterea dicimus, hanc inflammationem fieri exclusione, vel attractione. Si exclusione, igitur aderit pars suscipiens, & mittens, & ductus per quos ruit, & materia ipsa. Partes suscipientes hîc sunt meninges vulnere debilitatæ, aut languentes ab ortu primo: maximè si improba accesserit vitæ ratio. Hæ membranæ quò longiùs à cerebro recesserint, hoc minus periculi habent & furoris; vt si maximè occupata fuerit dura menina, minùs periclitabitur æger, quàm si tenuis menina maximè obsessa foret: cùm hæc vbique inequitet cerebro. Cùm enim hæc validè inflammata est, non longè ab inflammatione aberit etiam cerebrum. Ruit materia per ductus venarum & arteriarum. Materia est sanguis biliosus, vel bilis sanguinea. hæc materia cacochymiam insignem præ se fert: quin nonnunquam tantâ pernicie tacta, vt verè veneni faciem inducat. Ita scribit Galenus tertio libro Epidemiorum, perniciosam phrenitim fieri ex materiâ quæ spirat lethale venenum. & subdit Galenus, miri quid esse, quòd sani homines in phrenitidem abripiantur, & ante septimum diem eius vi pessundari. Scripsit ibi Hippocrates, phreniticus quarto die obiit. Mirum profectò, quòd commodè degentes, præter vlla præludia, & sine aliquâ præsensione in tantam calamitatem trahantur. Sed admiratio cessabit, si crediderimus morbos subitò gigni posse, quamuis causæ sensim inualescant, & malignitatem bibant. Non enim efficientis causæ tam est subitaria generatio, quàm affectus ipsius inopinata irruptio. silenti enim pede repant causæ, vt eleganter Hesiodus:

——Morbi noctesque diesque
Sponte suâ sine voce ruunt, namque ab Ione summo
Ablata est illis quæcumque potentia fandi.

Idem illud dixerat Hippocrates κατ' ὀλίγον, α. χ?? μικρὸν συλλεγόμενα, ἀθρόως ἐκφαίνεται, id est, pauiatim collecta vis, confertim essplendescit. Hoc lucidè elucet in morsis à rabido cane: nam illud venenum semel infusum consentaneum est non ociari, licet multis mensibus sileat: at tandem hi aquæ in odium incurrunt, & postea breui moriuntur. Ita venenum rabiem inferens vires acquirit eundo: & vbi eò peruenit, subitò enecat. hoc modo fœda cacochymia interdum in febrim & phrenitidem subitò exilit, dum effera bile perfusus sanguis orgasmo quodam ruens, in cerebri membranas se effundit. Mittentes inter partes est hepar; & etiam cor: nam, vt putat Alhasaranius, fit cùm sanguis abundat in corde, qui sursum repit: vel totum corpus cacochymiâ contaminatum emittit hanc calamitatem. nam plethora ab hoc crimine aliena esse solet: nisi causæ sanguinem inflammantes accesserint. Sin menina sanguinem attrahat, id fiet ob eius dolorem vel calorem: & propterea corpora calentiora & squalidiora naturâ, vel ab vsu rerum siccarum, huic morbo maximè in iuuentâ, exposita sunt. Variâ nonnunquam facie incurrit phrenitis, vt vel formâ, loco afflicto, aut causâ efficiente discriminatur. Formâ, nam diximus phrenitidem esse functionem deprauatam. Vel enim læditur imaginatio, perseuerante in officio cogitatione & memoriâ: aut cogitatio labefactatur, integrâ

ira

Fluxus unde.

Sect. 3. aph. 77. historia 4.

Differentia. A formâ.

2. Loc. aff. 2.

imaginatione & memoriâ ; vel tandem imaginatio & cogitatio obliterantur simul, superstite & emicante memoria, vt priùs diximus. Inconcussa itaque memoria perdurat ex Aëtij sententiâ: qoi eam adeò infractam asserit, vt eâ pereunte, & ratio & imaginatio vnà euanescant. Dubia profectò sententia : quin percelli eam validè nonnunquam videmus, quum mox, à datâ matulâ, mictionis obliuiscantur. Attamen prudenter hoc asseruit Aëtius: nam loqoitur de principibus facultatibus cerebri, quatenus propriâ ratione, & non per aliud peruertuntur. nam memoria cùm propriâ ratione læditur, id à frigore patitur ; quod hîc abest. Myriades vaporum in phrenitide capot opplent, vnde mille phasmata occurrunt memoriæ : hinc læditur memoria κατ' συμβεβηκός : secus fit in imaginatione & cogitatione. ita ducuntur differentiæ à formâ.

A loco. Secundò differunt phrenitides, loco affecto : nam vel totum cerebrum, vel eius pars occupata est. Si pars cerebri, ea erit antica, postica, vel media. *Quæstio.* Scio hîc disputari, vtrum principes facoltates capitis, sedes in cerebro babeant varias, nec ne. Et quamuis hæc quæstio ad signorum dignotionem faciat, palum tamen vtilis est ad medicinam faciendam : nam quæcumque sedes affligatur, semper ramen remedia futuræ coronali debentur. *Auicen. 1.1. doct 6. 5. Auerrh. 3. Collect 40. Aet. cap. de phren.* Vt breuiter transigam, Arabes, & inter Græcos Aëtius hanc hypothesin indubitatam sumunt. non tamen veterum Græcorum quisqoam ita existimasse videtur : sed horum sententia fuit, quòd facultates cerebri percelluntur modò leuiùs, modò grauiùs, vt causæ morbificæ fuerint vel tenuiores, vel graoiores : vt si fuligines tantùm perfuderint cerebrum, fiet solius imaginationis deprauatio : si inflammatio aut acerbior causa fatigauerit, flectetur in errorem cogitatio, &c. Recentiores Græcos fortè abduxit in *Aph.27 c.2.* hanc sententiam Galenus, qui scribit libro primo Prorrheticon, & libro quarto De locis affectis, cerebrum cùm affligitur apud anticos ventres suus, lædi imaginationem : sin illi medios secum ventriculos trahant, peruerti & cogitationem. quin Galenus primo Prorrheticôn quærit, quid tam variis symptomatis ludat phrenitis: curque modò imaginationem, modò cogitationem, & memoriam eludat ? Hoc euenit, inquit, ex humoris raptu ab vnâ in aliam cerebri partem. itaque hoc fieri ait, ex variarum cerebri mansionum irritatione, & alteratione prægrandi, vnde successiua opera φανταστικοῦ, ἡγεμονικοῦ, & μνημονευτικοῦ. id est, facultatum apprehendendi, indicandi & memorandi. Ex his elucet, non temere in hanc sententiam itum esse. Resistere tamen videtur Galenos tertio libro De locis affectis, capite septimo, vbi scribit anticos cerebri ventriculos planè despiciendos esse. Sed, vt verum fateamur, ibi agit Galenus de spiritu animali, non quatenus est instrumentum principis facultatis, sed sensus & motus : cùm cuncti nerui ex posticâ emanent parte. Sileant iam auctoritates, quidnam ratio contrà efferre possit videamus : illa dicet, Si principes facultates qoæ in cerebro habitant, varias mansiones occupant, igitur vnus idemque homo poterit ingeniosus esse, vique imaginandi excellere, & etiam memorandi potentiâ alios anteire : at plerumque ingeniosi immemores sunt : quin non rarò memoriâ validè exsplendescente, torpescit imagi- *Galen.4. loc. aff.2.* natio. Respondebimus, cerebri ventriculos maximâ contagione inuicem consociari ; & hinc iore fit, vt cerebrum quod anticâ parte madescit ac molle est, valeat iudicio : sed cùm hæc mollities serpat etiam in cerebri postica, fit vt quidam euanidâ memoriâ ingeniosi sint. Sin euenerit, vt homo memoriæ gloriâ singulari valeat, ob cerebri partem posticam sicciorem, poterit ea siccitas abire in anticâ, vnde iudicium labefactabitur. Hæc causa est cur rarò ingeniosi, memoriâ excellant. Sin omnes cerebri mansiones optimè comparatam temperiem gerant ad sua munia, feliciter ibi anima habitabit. Redeo. hoc modo à loco affecto differentiæ sumi poterunt veræ phreniridis, hoc est, cuius in capite mansio affligatur : de hac hîc agimus potissimum. nam ex aliis partibus afflictis etiam insania nonnunquam oboritur. videtur, inquit Aretæus, frequenter euenire phrenitis ex inflammatione diaphragmatis; & Hippocrates eam describit tertio περὶ νούσων, folio centesimo decimo sexto, lineâ decimâ octauâ. Anootauit etiam Galenus insaniam fieri *5. loc. aff. 3.* ob affectum oris ventriculi ; & à febribus ardentibus, & à pleuritide, & peripneumonia : idem censet Aretæus. Profectò apud veteres variæ admodùm sententiæ fuere de vero loco ac parte affectâ in phrenitide: nam, vt auctor est Cælius Aurelianus, *Lib. 1. acut 8.* aliqui cerebrum pati dixerunt : alij eius fundum siue basin, quam sessionem vocat Cælius: alij membranas : alij & cerebrum & eius membranas : alij cor : alij cordis summitatem : alij membranam quæ cor tegit : alij arteriam ἀορτήν : alij venam crassam: alij diaphragma. vis breuiter ? singuli eum locum pati dixerunt, in quo animæ regimen esse suspicati sont. Sed nos scimus animæ regalia in capite constituta ; exinde mentis alienationem capitis offensâ fieri asseueramus.

A causa efficiente. Tertiò, à causâ efficiente sumuntur phrenitidum differentiæ. Hæc autem est vel proxima, vel remotior. Proxima est sicca calidaque cerebri immoderatio ἐν γεγονότι : alioquî non foret morbus. Estque hæc cerebri intemperies in babitudine, vel in habitu. Si in habitudine, fit phrenitis quæ à Galeno dicitur tumultuosa : nondum, inquit Galenus, qualitate eius cerebro commista ac confusa. *1. Prorr. 33.* Sin in habitu hæc fuerit intemperies qoæ cerebrum fatigat, fiet hectica phrenitis: & hæc eueniet cum, vel sine tensione : hæc cùm nondum ad statum venit ; illa, in vigore aderit, & sine vlla salutis spe. Remotior autem causa efficiens est materia sanguinea transfusa bile. Sed quo modo hæc materia capite concepta fuit ? Dico phlegmonem adesse, quare & sanguis incurtet mixtus pallidâ, vel flauâ, aut retorridâ atrâque bile. hinc variæ ideæ phreniridis. *Galen. 3. loc. aff. 5.* Sed cur cursum suum flectit in caput talis sanguis : & qois est modus generationis phrenitidis ? Certè omnis humor tribus modis fluit, orgasmo, doloris vi, vel pars continens exonerat se in contentam. Propterea affirmamus hanc inflammationem fieri transmissione, & attractione. Si transmissione, igitur orgasmo effera ruet materia ; vel pars eam excutiet aliqua. Si attractione, id fiet vi doloris, vel caloris. Hæ itaque differentiæ nascuntur ex inflammatione, in quâ notamus vel materiam influentem atram vel flauam ; aut modum generationis, qui fit attractione, vel transmissione.

Differentiæ communes. Quantum ad differentias communes : est vitium compositum. nam est calida, & squalida, cum febre affectio. Est recens natum malum, nunquam antiquum : ob sommam vim morbi, & phlegmones ferociam, cerebrique nobilitatem. Est solutu facile malom : nam bilis pungit naturamque stimulat ad suos conatus edendos ; sed tamen plerumque funestum est malom ; quòd virulentiâ suâ pepasmi expers sit bilis, cuius ferociâ labefactatur animalis vis, & eot. Vehemens malum, nam cerebrum naturâ algens ac madens longè, hîc extra lineam suæ temperiei abripitur : validæ igitur intemperiei inuoluitur nobilis pars, cuius officio vita ca-

sere

ſere nequit. Mali moris malum, petennans & acutum. Dicoaucuiuin, non enim omnes phrenitides ſunt peracutæ: ſunt enim aliæ peracutæ, quæ intra primam hebdomadam terminantur: aliæ acutæ ſimpliciter, vt quæ ad decimum quartum ſuam abſoluunt hiſtoriam: aliæ non exactè acutæ, quæ in vigeſimum diem excurrunt. vt plurimùm tamen ſeptimum tranſeunt, cùm febres non adeò vrunt: ardentiſſimæ enim ſexto interimunt. Libro tertio Epidemiôn, ſectione tertiâ, variè finiuntur: nam Dealcis vxor vigeſimo primo obiit: alia puerpera, decimo quarto: alius vndecimo: quidam tertio: & Galenus quoſdam quinto obiiſſe ſcribit. Specie enim breuis eſt morbus: qui tamen ad vigeſimum poteſt abduci diem: vt nempe eius fuerit vehementia ſymptomatumque vis. Eſt vitium totius corporis, ratione febris, eſt parti occupatæ non analogus affectus: humet enim & alget ſuo genio cerebrum, eſt vitium ex idiopathiâ. Hæc de

Signa imminentis. Differentiis. SIGNA alia oſtendunt phrenitidem imminentem; alia præſentem: habet enim quoſdam gradus, vt primò, τὸν λῆρον, id eſt, delirium: ſecundò, παραφροσύνην, id eſt, luculentis quibuſdam notis ſe oſtendens delirium: tertiò τὴν ἔκστασιν μελαγχολικήν, id eſt, exceſſum melancholicum. Imminentem agnoſcemus ex pulſu duriore, teſte Galeno libro quinto De locis affectis, capite tertio: aderit perennis febris, quæ tamen ægrè ſe in ſuperficiem corporis effundit, inquit Aurelianus: vultus ſubinflatus ſiue plenus: vigiliæ iuges, quæ cerebrum iam

Gal. 5. Loc. 3. Cælius Aurel. 1. Acut. 2. ſiccari & in æſtum abripi denunciant: aut, ſi obrepit, turbatus ſomnus, ſic vt interruptâ quiete, ſubitò cum impetu è cubili proſiliat, vociferetur, ferociat: nam vapores caput turbantes, laborem hunc faciunt: vnde interdum effrenis æſtuat, & clamat: & inſaniæ quædam turbulentæ ſigna ſe aperiunt. mentis ſolicitudo, ac prauitas ſine ratione: iactatio cum aſſiduâ capitis commutatione. Aliquando etiam ſine causâ hilaritas, oculorum rubor cum leui lacrymatione, circuniectio manuum ſine dolore, articulorum frigus ſine febrili tremore. Aliquibus etiam ſonitus capitis, atque aurium tinnitus, præcordiorum etiam tenſio, viſus attentus, vel frequenter palpebrans. His addit Trallianus futuræ phrenitidis ſignum, quòd ægri vaticinia loqui ſtudeant. Sed vanè hîc & fanaticè, aliterque quàm

2 Acut. 3. Mira. in ſyncope vel cauſo: nam, inquit Aretæus, in cordis affectu, ſenſus aciem exquiſitiorem habent, vt videant & exaudiant plus quàm antè. mente etiam ſunt firmiore, & animo puriore. hinc non ſolùm præſentia declarant, verùm etiam futura veriſſima diuinatione prædicunt. & capite quarto mira refert de cauſo implicitis, reſoluto iam corde. Sed in inuadente phrenitide, vaporum incurſu peruertitur mens: adeò vt ea quæ iam dicuntur, mox obliuiſcantur, ita vt quæ iubere inceperant, aliæ cogitationes intercipiant. quæ primùm premebat euanuit ſitis: tranſlata ab aluo ad caput. Razes inquit,

9 ad Almanſ. ſi cum vehementi febre adfuerit grauitas capitis & oculorum; cum faciei & oculorum rubore, cum tenſiuo dolore capitis; ſi horreat lucem: pulſus velocior & frequentior: incipientis phrenitidis hæ notæ ſunt. His itaque præſentibus, metus adeſt iam iam futuræ phrenitidis: maximè ſi his acceſſerit dolor occipitis: nam iugulares venæ duos ramos in occiput effundunt. His ſi ſeſe iunxerit ceruicis ab occipitio, & ſecundum vertebras ſummas dolor, firmabit coniecturam: nam hîc grandes arteriæ & amplæ venæ ſternuntur, per quas ſe in caput ſanguis effundit: & in his prima ſeditionis conſpiratio feruet. Nunc ſi tempora ſaliant, in hy-

1. Progn. pochondriis ſentiat æger aut medicus pulſum, cum oculis vagis, iam iam δήξιν dabit, inquit Hippocrates. Addit Abincenna faciei citrinitatem præambulonem. Quare cùm ægri in his præludiis delirij, τὸ ἰνίον, id eſt, occiput, dolere dicant, phrenitidem prædicite: potiſſimùm ſi ſe his conſociat lotium clarum & aquatum. quod antea turbidum fuit: etenim turbulentia turbationem ſeri ſanguinis denunciat à flatulento ſpiritu & calore præter natu-

7. Epid. ram: at claritas, tranſlationem humorum morbificorum in caput denotat: vt in Polyphanto. Quare vrina tenuis varia ſignificat, vt ſunt eius cauſæ diuerſæ: nam aliis inſaniam denunciat, vt hîc, vbi ad præparationem cauſæ ſuſcipientis, id eſt, cerebri à ſpiritu flatulento multùm vexati, accedit vis efficientis, per anathymiaſin & peruſtionem bilis in

Galen. 5. loc. aff. 8. aluo ſtabulantis: tum, vt dixi, per eius tranſlationem, quæ crudo adhuc morbo, ingens delirium adferre ſolet: at ſi cum pepaſmo fuerit, hæmorrhagiam prænunciabit. Itaque enumerata hæc ſymptomata repleti capitis, ſi perturbationis criticæ excuſationem non habeant, neque ad criſin appareant: erunt ſigna futuræ iam phrenitidis. Sed ineuntibus iam morbis, nulla criſis: propterea que nec vlla perturbatio, ſperabilem hîc eam facit. Senibus vrina tenuis, criticè ad dyſenteriam appâret: ſæpe etiam prænuncia eſſe ſolet ἀποστάσεως per decubitum

Cælius Aurel. 1. acut. 1. in longis morbis: ſed talia non hîc. His iungebant Aſclepiadis ſectatores aëris καταστάσεως, & antecedentes cauſas, & naturam, & ætatem, vt æſtatis fine vel autumno hæc frequens paſſio: à vinolentiâ, vigiliis, ſole. ſi mente mobilis, iracundus, doctus, debili capite, iuuenis, in morbis facilè menti ſi excidat. ex multis his concurrentibus præſentiendum.

Signa præſentis. Præſens verò phrenitis qualiſcumque quoque illa fuerit, ſiue primigenia, ſiue ſecundaria, quatuor præcipuè notis apud Hippocratem innoteſcet: diſſimilitudine morum, verborum abſurditate, indecorâ corporis compoſitione, & doloris ἀναισθησίᾳ.

I. De morum diſſimilitudine loquitur Hippocrates primo Prorrheticon: A compoſito & modeſto homine ferox reſponſio, malum Vbi Galenus in Com-

Comment. 1. aph. 9. mentario dicit, Cui propria natura compoſita eſt, is non ſolùm cùm deſipit perniciosè habere affectionem demonſtrat, verùm etiam cum ferocitate reſpondens, propè ad phrenitidem acceſſit. Eſt enim ferocitas, habitus animi, quo ex profeſſo aduerſamur conſiliis & officiis ciuilibus: vel, temeraria propenſio ad exceſſum ferinum, quo truculenti ſunt homines & efferati quare ſcripſit, ἐν κοσμίῳ θρασεῖα ἀπόκρισις, κακόν: id eſt, moderati homi-

2. Lib. 25. nis proterua reſponſa; mali ſunt ominis & in Prorrheticis, αἱ ἐπ' ὀλίγον θρασεῖαι ἀποκρίσεις θηριώδεις, id eſt, proterua reſponſio vel ad exiguum vſurpata tempus, ferocientis eſt indicium animi: nam mox erunt illa deliria immaniſſima & ferina. Ferinas phrenitidas vocat, in quibus vociferantur, calcitrant, mordent obuios quoſque acſi inimici forent.

II. Secuodò, verborum abſurditate ſe prodit præſens phrenitis: nam fatuitas, ſiue nugarum garrulitas,

3. Epid. ſect. 3. hiſt. 15. phrenitidem planè denunciat, vt teſtatur Galenus de vxore Dealcis, quæ modò garriebat, modò ſilebat. vbi inquit Galenus: τὸ μὲν γὰρ, λέγειν πολλά, φρενιτικόν. τὸ δὲ, σιγῶσα, μελαγχολικόν. id eſt, nam garrulitas ipſa erat phrenitica: ſilentium autem, melancholicum. hæc ſpectantur in riſu, etiam inani, qui à deprauatâ imaginatione & cogitatione naſcitur.

III. Tertiò, ex indecorâ corporis compoſitione præſens internoſcitur phrenitis, auctore Hippocrate libro primo Prognoſticôn, vbi ait, Quodſi in ventrem iaceat, cui dum bene valeret, inſolens

ſit

sit ita dormire, delitium quoddam id præsefert, aut IV. dolotem partium aluinatum. Quatiò, præsentem phtenitidem noramus, ex falsò eredita doloris va- *2. Aph. 6.* euitate. hoc eleganter Hippoctates, Qui laborantes ex aliquâ parte, hoc est, quæ pars eausam habet quæ dolorem infert; & dolotem fetè non sentiunt, hoc est, absentia si adsit doloris, præsente ae vrgenre etiam doloris eausâ, & illas eausas dolorificas non apprehendant: mentis ægrotæ nota est, id est, sensus communis, & imaginatio impedita aut debilitata est: ita, politieo more loquendi γνώμην vocat. Vt enim dolor sentiatur, oportet qualitatem tei dolorificæ impressam sensoriis instrumentis, communicati sensui communi, qui iudicat passiones factas in sensoriis instrumentis: sed hîc multis vanis imaginibus impedita est imagina- *Galen. 5. loc. aff. 3.* tio. Quare, cùm ptemente re aliquâ molestâ, non sentiunt: vel eùm laborant partes rebus naturæ necessariis, harum inopiam non percepetint, significatio fit, disttactos spiritus non repræsentati imaginationi. Vt si spitat magnum & tarum: nam hoc est delitij proptium signum, quod tantùm in illud cidit, non tamen insepatabile. quoniam in summâ à spirandi necessitate quam febris acuta inuexit, & pari spitab lium instrumentorum libertate, quam magnitudo ostendit, sola voluntas in causâ est quamobtem talis respiratio rara sit, quæ debuit esse frequens. Est enim rum æger sui negligens neque memor, & euius voluntas non antea etigit se ad suum munus, quàm actioi sensio exeitata fuerit in phantasiâ per inctementum necessitatis. Quod elucet in rustieis, qui attoniti stupent visu tabulæ politissimâ arte depictæ, quam dum hiante ore magnaque animi contentione intuentur, non antè respirant, quàm nimiâ oppressione propemodum suffocati ad se redierint. Nam phrenitici cur alioqui non frequenter respitant? adest enim summus eorceptus calor, qui frequentem euentationem petit: nec impedit pectus ab inflammatione liberum: quod ita sit, nobis indicat magna quæ his adest respitatio: igitur hîc tarò respirant, quia deli- *3. De different. resp. 2.* rant, & non sentiunt cordis oppressionem: quare spiritus animales non transmittuntur ad pectus & diaphtagma: sed ad locum ægrum hærent: propterea Galenus vocat hoc quasi quandam obliuiscentiam. Eadem ratione phrenitiei βραχυπόται dicuntur, id est parum & tarò bibentes, ob deprauatum communem sensum: ex quo efficitur, vt rei molestæ sensio non exeitetur ἐν τῷ φανταστικῷ, nisi tarò admodùm, eùm scilieet per aecessionem eausæ sitiferæ, phantasia reddirur αἰσθητικωτέρα. historiam habemus in Philisco, Sileno, Dromeadæ vxore; *βραχύποτος.* nam in Dealcis vxore magna & rara spiratio successionem habuit paruæ & ratæ: quæ interitus iam iam futuri nota est, effœtis iam viribus. Ex dictis iam quatuor symbolis facilè deptehenditur præsens phrenitis: ad quæ varia symptomata tefetri pos- *Reliqua signa.* sunt: qualia hæc quæ dicam. Cùm dicit æger se ea vidisse quæ non vidit: propinquæ tei si adsit obliuio. nam vt inquit Celsus, tum demum phrenitis est, qnum continua dementia esse incipit: aut quum æger, quamuis adhue sapiat, tamen quasdam vanas imagines accipit, & intra verba desipiunt: Perfecta est, vbi mens illis imaginibus addicta est. Quate hæc rectè notasse maximè ad eurandum facit: nam vt canit Q. Serenus:

Non semper præsens dolor est sanabilis: ergo
Cura magis prodest venturis obuia morbis.

Incrementi signa & vigoris. Imminens enim est phrenitis, cùm adhuc influit materia in eaput, necdum firmata eùm est materia in aliquâ parte. Postea cùm intemperie suâ excitut cerebrum, euidentes notas præsefert. Facies saturato rubore suffusa, vultuosa, & aspectu terribilis. Maximè obseruari debent oculi: etenim per sanitatem limpidi spiritus animales, oculos peruadunt: at incipiente phtenitide, miscentur vapores acres: &, inquit Galenus, eùm in cerebro biliosus succus *4. Loc. affect. 1.* abundat, accedit rapida febris: oriturque tunc fumus, vt in lucernis ab oleo, qui per vasa quædam ad oculos tendens, phasmatum causa existit: & efferantur oculi. nam inde incipiunt intueri insueto aspectu: & oculi cruenti torgent, non sine scintillante igne vagi; & totuum inspiciunt squalentibus oculis, exertis, & truculentis. Quare delirij notæ potissimùm lucent in deprauato & feroci oculorum motu: vt est facilis mutuaque τῶν ἀρχῶν καὶ τῶν ποιούντων sympathia. Circumspiciunt, & crebros quoquouersum eient coniectus. Atque id faciunt vel sponte sua indecotè, vel iniusso motu penè inniti. Tale si quid θεραπευτικῶς, indecorè id faciunt signo dementiæ. Tales oculorum coniectus Poëta memorat in Didone furibundâ, & cœptis immanibus effetâ contra Æneam. Viden vt signa insaniæ se prodant ab oculis? nam omnium proximè absunt à cetebro. rectè Hippocrates, τὰ κοινὰ, καὶ τὰ ἐγγὺς, πρῶτα καὶ μάλιστα πονεῖ, id est, com- *Lib. de humoribus.* munia & proxima, omnium prima & maximè afficiuntur. Insolens itaque & vaga oculorum mobilitas flammeorum, ac squalidorum suspecta sit: squalent enim siccatis membranis & eerebro, vnde aluntur & suceum suscipiunt. Hos æger etebrò perfricat, modò siccos, modò lacryma perfusos acri. Lucem quoque aut tenebras si fugias (exhaustis spiritibus & succis) cum fixo visu atque sine vllâ palpebratione. aliquando etiam manuum ante oculos præmissio, quasi aliquid apprehendere, vel detrahere volentium, quod aut inhæsisse oculis, aut antè volare ægrotanti videatur: nam in oculis natantes tales fuligines vident, quas foris esse existimant: propterea & carphologia, & crocidismus adsant. Febris etiam indicat eius præsentiam: nam, ait Aëtius, tarò ab initio adest febris; sed die quarto, quinto, sexto, qnin & seriùs incipit: & fetè eum ipso perieulo incidens: at quidam septimo, vel nono delirare incipiunt. Cùm autem præsens *Accessiones habet.* est phrenitis, aderit febris, quæ, vt inqnit Cælius *1. Acut. 3.* Aurelianus, est intra diatritæum tempus intercapedinata. vult dicere, in phrenitide paroxysmum efflorescere tertio die: nam ita euenire magnâ ex parte ait Galenus: dicit magnâ ex parte, etenim fit *1. Aph. 12.* de quarto die interdum accessio in quartum, si ex atrâ tetotridâque fuerit bile. Adest horror breuis, vt ait Razes. Cum risu tacito, aut cum cachinno & cantilenâ, vel cum mæstitudine, silentio, aut murmure, aut vagitu, vel leui secum mussitatione, vel indignatione, vt in furorem exiliens difficilè teneatur, omnibus iracundus, vel sese percutiat, aut vestem suam vel propinquantium scindat; alloquentibus si non respondeat; nec potet, nec cibum postulet: si ore datum cibum contineat, & paululum pòst eum proiiciat. Vigiliæ iuges necessariò adsunt, aut paruus & turbulentus somnus. Ge- *1. Prorrh. 24.* narum rubor quem interdum excipit pallor: capitis siccitas, quæ statim ebibat fomenti liquorem: dentium stridor: guttæ sanguinis leuissimæ per nares, capitis freqnens acclinatio, cum aurium intentione, vt aliquid audire videatur: raptus cooperimentorum à pedibus ad superiora. Tandem cadauerosa facies, manuum tremor: præcordiorum vehemens tensio atque ad superiora adductio, impedimentum loqnutionis, singultus. Pulsus creberrimus atque submersus, & tremulus & imbecillis, aliquando etiam

etiam deficiens, & in similitudinem oleo defecti luminis marcescens: paruus ex imbecillitate: rarò magnus, nam rarò est mitis phrenitis: & si fuerit magnus, durus erit, quia membranæ sunt occupatæ: creber & celer, quia aucta est necessitas. *Galen. 4. de caus. puls. 344.* Interdum, vt scribit Galenus, fit pulsus subtremulus; quia facultas adeò languet, vt corpus arteriæ illi graue sit. talis pulsus notat phrenitidem quæ est proxima syncopi: & pessima illa habetur, à prostratis viribus. Tandem acciditur pulsus cum quadam conuulsione, ob phlegmonem membranis conceptam: hinc durities affunditur arteriis. si quid vndosi habet, hoc ei euenit ex substantiâ molli cerebri. Plerumque vera phrenitis, in quâ idiopathiâ affligitur cerebrum, perpetuum habet delirium, quod sensim nascitur & desinit: non subitò & affatim vt deliria febrium ardentium, pleuritidis, peripneumoniæ, cardialgiæ. tactus hebescit, vt & reliqui sensus: obliuio mira, vt matellâ petita, meiere obliuiscantur. lingua, inquit Razes, nigra, aspera. Hæc sunt pauca & mitia etiam impendente phrenitide, sed grauia & plura eâ præsente. Interdum etiam adest quidam ptyelismus, cùm sputandi finem non faciunt indecorè. tametsi & necessitas quædam sputandi non rarò idem denunciet, cùm exudante quodam ichore à cerebro inflammato, bullæ minusculæ assurgunt in ore & linguâ, tum idem serum mouet saliuam, prolapsum in aluum, cuius è fundo protepit ad saliuandum per tunicam eius, palato, faucibus, & linguæ interatam. Explicasse satis me puto quibus ex symbolis in præsentis phrenitidis agnitionem veniendum sit. Videamus iam quidnam subsidij ea agnitâ morbi historiâ adferre & sperare liceat.

Indicationes curatiuæ. Cùm itaque phrenitis sit symptoma quod nascitur ab intemperie cerebri, orietur indicatio alterandi, cumque hæc sit calida & sicca intemperies, refrigerandum erit & madefaciendum. Sed quia intemperiei sociatur materia, primùm erit euacuandum. materia auctor est inflammationis, in quâ efflorescit vis caloris; ac vbertas sanguinis biliosi; quare temperandum & euacuandum. Materiæ morbificæ indoles hîc notanda in substantiâ, qualitate, copiâ, & motu: nam cùm intemperies adsit cum causâ, à causæ excisione auspicanda curatio. Materia si substantiâ in vitio sit, vt cùm venenum ferè spirat, aut si copiâ fatigat, euacuanda. si qualitate, alteranda. si motu, cogitandum de influxâ, fluxurâ, & de eâ quæ partim influxit & partim influit. Si influit, aderit indicatio reprimendi. Quod si partim irruat, & partim iam insedit (quod elucebit ex symptomatum incrementis vel decrementis) notabimus num in caput ruat emissa à toto corpore, vel à peculiari parte, aut congesta num sit in capite. A toto si irruat, illod euacuandum: & vt recessit humor à sanguine, ita parciùs educatur. vt si pituita salsa mista sit sanguini. Si à parte, illa euacuanda, & reuocanda ad carceres hos atit, vnde profecta fuerat. Sin in capite congesta fuit, cucurbitis exugenda. Fluxa materia vel hæret venularum anfractibus, vel in aluos effusa est, aut imbibita poris in molem effert partem. In primâ, deriuandum repellentibus: in aliis resolutioni & scarificationi indulgendum. Cùm materia fluxura est, sese effundet vel attractione, vel translatione: vtraque erit reuellenda. Ratione doloris cùm prolectatur materia morbifica, ille mitigetur: si iniuriâ caloris, refrigeretur. A transmissione si irruat, occurrendum mittenti parti: propterea nonnunquam in frigus abducimus hepar, totumque corpus. Primùm tamen totum purgetur: nam materia orgasmo efferata est: & obuiaè alterandum. Ita à morbo, & causâ morbificâ elicitur remediorum census. iam ad alias indicationes pergendum. Num morbus in decursus sui principio, aut medio versetur explorandum: & num ex idiopathiâ vel concordiâ affligat: an sit vera phrenitis. Dein examinanda partis affectæ substantia, functio, connexus, sensus, situs. Meninges affliguntur, (sensilis pars) propterea miti medicamina percellendæ; sed leptomeriâ valeat remedium, nam etenim tectæ sunt hæ membranæ. Cúmque vnà cerebrum laborat, à stricto medicaminum gelu abstinendum, & spiritus recreandi odoriferis, studendúmque vt palato naribusque ritè excludatur materia capite concepta. Tandem indicatio à virtute ducta perpendatur: nam ea, si prostrata, totam ad se elicit curam: valida, negligitur; medio modo affecta, altero oculo obseruatur. Si breuis futura, tenuissimè habendi: nec coqui poterit materia; sed ilicò (quia effera) extrudenda. Si aër incanduit æstu, strenuò agendum. Vt breuiter dicam, repelle, reuelle; dein altera partem: tertiò, quiescat, ratione virium: nam cùm phrenitis sit inflammatio, oportet scire quâ arte curetur inflammatio: & ei tunc iungat cuncta illa quæ suadet & admittit pars occupata. Ve- *Anacephalæosis.* cùm adsit materia quæ influit & facit inflammationem, si à toto effunditur, illod vacuetur, ilque reuellatur: dein ad influxam pergendum biliosam materiam, quæ iam poris recepta est, per exiles venas, quas distendit: hæc euacuanda repercutientibus, & cucurbitis, sanguisugis, partim exodans, cùm venulæ hanc ampliùs continere nequeant, vnde traiicit partes easque rigat: hæc digerenda. Intemperies verò anneaa castiganda. Has indicationes ex naturâ partis moderabimur: vt hîc principi parti iunctæ sunt membranæ affectæ, & naturâ frigidæ, & membranæ sunt valdè sensiles: attamen validis ossibus opertæ adde aëris conditionem. vacuetur itaque vnà, & purgetur: venâ, & aluo: habita tamen ratione febris. Hactenus ex naturâ huius affectus proposuimus quidnam agendum sit; sed antequam in rem eamus, perpendemus, num illæ indicationes ex tali affectu morbifico sumptæ, felici euentu in vsum duci possint: *Prognosis.* frustra enim de curatione transigemus, si illa inanis futura fuerit. Hoc intelligemus, sumptis indiciis ex morbo, ægro, tum à parte affectâ. Quantum ad morbum, si eius contuleris speciem & essentiam, motem & magnitudinem ad ægri vires, intelligemus phrenitidis summam vim: nam, vt scribit Trallianus, Phrenitis, vt omnibus in confesso est, τῶν ὀξυτάτων ὂν καὶ ἐπικινδυνοτάτων παθῶν. id est, acutissimus periculique plenus affectus. Scies itaque num euasurus sit, si vires morbo contuleris: quod elucet ex signis coctionis & cruditatis: & notabis morbi mores ex epiphænomenis signis. de quibus abundè in Methodo nostrâ, Quamvis enim vsque ad vigesimum diem suam historiam trahat phrenitis, nonnunquam tamen ea vis *Lib 3 c. 4.* est venenati succi, vt quarto, imò & tertio die enecet, quod euênit phrenitico apud Hippocratem. Attamen *3. Epid. 3. ægro 4.* non omnis phrenitis est insanabilis: quare exactè perpendi debet vis symptomatum & differentiarum. *A symptomatibus.* Symptomata hîc sæpe calamitatem intentant: propterea affirmat Galenus, plurimos phreniticos pessundari ex perennibus vigiliis, quæ non minus [illegible] corpus exhauriunt, ac assiduos corporis labor: nam perpetuò se iactant loco stare nescij phrenitici. *1. Prorr. 8.* Præterea somni magna vis est pepasmo ad crisim, & vnde firmissima crisis ostenditur; idque cùm alias, tum verò in ecstasi, in quo infelix animi vix vnquam

Soluitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit:

2. Aph. 2. Vt Poëta cecinit de Phœnissâ. Ac beneficium somni testatur illa vox Hippocratis, Ibi somnus benignè facit, vbi delirium inde quiescit. &, quæ in phreniti-de memorantur insomnia, boni sunt ominis. & somni ἀναυδεῖς, id est, attentiores, nec turbulenti, qui ser-
1. 1. 5. Prorrh. t. punt gratissimi, curásque leniunt, & corda oblita laborum, præclarè ad salutem faciunt & apparent: nam inde fit significatio sed integrati cerebri, & sanæ mentis, nec ampliùs perturbatæ, quodque absit acris terráque anathymiasis. Sanabile itaque malum: & Alexander Trall. se multos curasse testatur: & Hip-
1 Epid. 2. 73. pocrates asserit multos, in eâ tempestate, phreniticos euasisse; & multos cecidisse. Symptomatum frequens mutatio hîc mala est: nam tunc feritas causæ phreniticæ peragrat omnes cerebri mansiones: cùm orgasmus materiæ efferæ mutationibus creber est, crebrúmque facit transcursum ab vna parte in aliam. Et talis motus materiæ tenuis, acris, calidæ, fit ineunte morbo. Si itaque ineunte phrenitide, symptomata iam terrifica, crebrò mutentur, vnde varietas in videndo, audiendo, imaginando, ratiocinando, & memorando, feritatem materiæ denunciant. & phrenitidis incrementum cernitur in actionibus ad summum deprauatis, τοῦ ἡγεμονικοῦ, καὶ τοῦ θυμοειδοῦς, καὶ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, id est, principis, irascibilis, concupiscentis; quæque ἐκ τῆς [illegible], iam factæ sunt θηριώδεις. vt in muliere Thasiâ morosâ, quam vocat Hippocrates δυνάστιν; & in Dealcis vxore. hæc enim repentina phrenitidis symptomata sunt ex inueteratione causæ phreniticæ: ob eamque causam peiora: sicut fera rabies à morsu rabiosi canis immissa. & victa facultas rimphatáque à morbo iacet. Præterea si deliriũ fiat per propagationem humoris maligni & efferi cerebrum occupãtis, nec hæmorrhagiam cientis, id prauum est: hoc modo phrenitis super peripneumonia nasci solet. Ac talis peripneumoniæ cru-
7 Aph 12. Lib. 2. ac. delitas eleganter describitur ab Hippocrate. Septimum diem agentes, aut etiam celeriùs moriuntur: mente nonnulli læsâ: nonnulli ab orthopnœa & stertore suffocati. nã calamitosa est omnis palindrome, quam feritas malignaque facit cacochymia: maximè fractis iam viribus à primogenio morbo. hoc elucet in metaptosi pleuritidis in peripneumoniam, & huius in phrenitidem: nam costis nobilior est pulmo, & cerebrum ipsum pulmone: & primigenij morbi materia est mitior, quàm ea quæ metastasi effluens cunctando computruit magis. Quare hoc modo malo periculoso accedit malum calamitosum. Ita etiam si lethargus superueniat phrenitidi, malum est: nam tunc effœta vis languet cerebri omniumque membranarum & neruorum, vt pariter voluntatis & sensus amissio inferatur. Et insania taciturna, superstite vocis libertate neque obsessis à phlegmone instrumentis respiratoriis excipientibus, deducentibus, aut mouentibus mortem denunciat. Est enim ἔκστασις, delirium in quo summa sunt omnia mentis perculsæ aut alienatæ, vnde fanatici homines dicuntur. sed mox de hac, vbi de differentiarum ratione: iam enim de symptomatum ago ratione. Conuulsio si in phrenitidem incidat, quod ex insigni feruore nerui à siccitate coarctentur, pessimum. vnde scripsit summus præceptor, Qui in deli-
Galen. 12. Method. vlt. rio vocem canorã edunt, linguâ conuelluntur (quòd nimirum in siccati cerebri contagione, trahantur musculi nouem linguæ, neruusque septimæ coniugationis) his rigida cutis morticina. Attamen hîc conuulsio potest esse salutaris: cùm materia phrenitica à validâ naturâ in neruos excutitur. Et hæc conuulsio nec inanitionem, nec repletionẽ agnoscit sui auctorem: etenim quæ à copia est, non agnoscit acrem succum. Sed quibus notis elucebit symptomatica à critica hac conuulsione? In criticâ mitescent phrenitidis symptomata, pulsus validiùs feriet. Cùm ab externâ parte manus nerui trahuntur, id malum: id sentietis, dum pulsum exploratis: nam sæpè ab inanitione id fit. Sed vix æquè funestum signum inuenies quàm si dentibus strident: πρίειν, inquit Hippocrates ἐκμανέντι γίνεται καὶ πρίοντι ἤδη, id est, si fanaticus quis factus hoc faciat, omnibus modis est funestum. illud ἤδη iam in procinctu mortem esse denotat. Nam stridores dentium, πρίσις τῶν ὀδόντων vocat Hippocrates, fiunt vt in crepitaculis crebro allisu: quod est tremoris argumentum: Belgicè dicimus *klappertanden*, ex sententia Galeni, qui dentium πρίσιν comparat vagis oculorum coniectibus. Quamvis hîc Hippocrates sub verbo πρίειν complectatur etiam verbum συμπρίζειν, idest, collidere, cùm quodam mordendi studio, mutuo attritu veluti fragosum stridorem edunt: quod Belgicè *knersтанden* dicimus: conuulsis musculis temporalibus. Iam omnis conuulsio quæ in delirium cadit, mortem in procinctu esse denunciat, & ad vltima ventum esse testatur, nisi sit critica: nam significat cerebrum exhaustum esse, & facultatem effœtam languere, cùm musculi cerebro vicini ita afficiantur. Nam multum temporis ad humiditatis redintegrationem petunt nerui, nec interim inducias præbet morbi vehementia, sed ilicò viribus exoit corpus, & citam mortem adfert. Galenus tertio Epidemion, vbi Sect. 3. 76.
de Pithone, ait, quatuor elucere calamitosa signa: partes extimæ, vt manus & pedes frigent: sudor frigidus manat: fit mutus; breuis spiritus. Si febris nullis paroxysmis feratur, non superabit septimum diem: tunc enim vel ad salutem, vel ad interitum terminabitur. Sin paroxysmorum vicissitudines adsint, vel vndecimo, decimoquarto, vel vigesimo die finietur ad salutem vel ad mortem. Vrinæ autem maximè notandæ; etenim aquosæ maximum erysipelas notant. propterea scripsit Hippocrates: Quibus (febre nimi- 4. Aph. 72.
rum correptis, nullâ spe intermissionis) pellucidæ & albæ funduntur vrinæ; tinctutæ nimirum biliosæ expertes: à translatione symptomaticâ bilis ad caput; huiusmodi ferè in phreniticis apparent: nisi id fiat criticè ad hæmorrhagiam, aut per diadochen ad intestina, quam mox sequitur dysenteria critica. illæ, inquit Hippocrates, prauæ: quòd contra naturã ægri & morbi appareant. Sin à crisi, vt à sudoris validâ vi, aut à sanguinis effusione liberali, tenuis & alba feratur, redintegrationem valetudinis significat. Sed si sub tali vrinâ phrenitis sui similis esse pergat diu, breui morietur. Alba etiam deiectio mala est: cùm
nimirum sunt tincturæ biliosæ expertes. quæ tamen Prorr. 1. 53.
non sunt eiusmodi ex colore ciborum, vt lactis: quales in Apollonio visæ sunt, qui lacte victitabat in febre: sed si ex euentu tales appareant, vacuitate scilicet bilis, translatæ in cerebrum. Atque ea translatio cita, præripit attrahendi occasionem vesiculæ fellis: causa autem translationis est, inflammatio superarum hepatis partium, quæ vnà cum sanguine bilem rapit. Quare, qui phreniticus cum deiectione albâ euaserit, Hippocrates vidit neminem. Præterea nec 1. Prorr. 10.
vomitus phreniticis prodest. Pessimus est autem vomitus æruginosæ bilis: cùm non oritur à congestâ materiâ in ventriculo. Nam tandem nigrum vomunt ex febris ardore, & ventriculi sympathiâ cum cerebro. Sic enim & sauciati capite, statim bilem vomunt συντιμωρίᾳ quâ se cerebrum & ventriculus mutuò afficiunt. Et nigra illa vomitio phreniticos efficit θηριώδεις, per accessionem peioris causæ phreniticæ. Scripsit Hippocrates, phreniticis æruginosæ bilis vo- 3. Epid.
mitio, citã interdũ mortẽ adfert. Et historiâ quarta, part. tertiâ, tertij Epidemiôn: A cerebro enim inflãmato & perẽni febre humoris maligni adest succretio,

&

& in ventriculum affluxus, qui est cerebro συμπαθί-σματος, quia est νευροπαθίσματος. Si vlcus lingua contraxerit, quod alcola Arabibus, lethale. Rigor etiam interdum bonus est, cùm hunc excipit sudor, morbum soluens: qui si symptomaticus fuerit, erit calamitosus. Sudor autem emanans toto corpore, & capite, phrenitidem soluit. Quin etiam bonum est, inquit Aretæus, ad lucem placari insaniam. Cum palpo autem periculosa insania: talis erat Dealcis vxor, quæ ἐψηλάφα, ἔτιλλεν, ἔγλυφεν, ἐτριχολόγει, id est, palpabat, floccos carpebat, sculpebat, festucas auellebat: obiit vigesimo primo. Refert Holerius, cuidam adolescenti annorum quindecim, ad malleolum dextrum tumorem inflammatorium obortum fuisse: vnde venenum sursum ferebatur, quarto die phreniticus obiit: cùm impediretus cauterij admotio, & scarificatio. Idem refert ex leui catarrho in facie suborem natum fuisse: vnde phrenitis, conuulsio, mors. Calamitatem prænuncias si sensus titubent, siccatis neruis, ac cerebro à potenti æstu: cibi immemores; virolenta si vomant: vigiliæ contumaces; in spinâ si iacet retractis & implicitia cruribus: nam cùm delirij plenus sit hic iacendi modus, conatum etiam & vim habet: quod in languentibus, & in dorsum, ob infirmitatem iacentibus, absurdè fit. Floccos si prostratis viribus vellant, aut ex pariete stipulas si carpant aut si legant festucas, vel pulices captent: lotium album, quod priùs rubebat: stridor dentium: aluus stricta & vesica, deiectio alba, spasmus: alcola linguæ: hi in Libitinæ rationem concedunt. Ita à symptomatis iudiciũ petitur. Iam ad illa præsagia venio quæ ducuntur à morbi essentiâ & eius causis. Si omnes cerebri facultates frangantur, ita vt imaginatio & cogitatio memoriaque titubent, res erit plena periculi: at quo plures fuerint minùs labefactatæ, minus periculi suberit. A causâ efficiente: vt intemperies hæc calida & squalida cerebri si fuerit in habitudine, non tantum periculi inferet, quàm illa quæ hectica dicitur. Sed estne hectica hæc phrenitis vllis remediis expugnabilis? Certè si ad vigorem suum progressa fuerit, calamitosa erit. Sin eò nondum peruentum sit, aliquid spei supererit ad curandum: dummodò tertia illa naturæ humiditas non fuerit exhausta. Propterea fatetur Galenus hecticam phrenitidem prauam affectionem esse, qualis est hectica febris, quæ cùm ad statum deuenit, ægrè mitescit: ita & hectica phrenitis. quare non temerè promittendum. Hinc est quòd phrenitis cum tremore ad interitum deducat: exhausto iam cerebro: nam tale symptoma, est cerebri, post alterationem magnam, alterati: proptereáque insanabile; vt in Theodori vxore: & in Dealcis vxore. Hic leuis tremor cernitur in subsultu, & gesticulatione manuum, linguâ tremulâ, dentium collisione, vt priùs dixi. Et, phrenitici sputatores, indéque fanatici, tandem tremuli moriuntur: nam primùm indecorè tantùm delirant sputando, & aliis delirationibus: hinc fanatici sæuiont: tandem prostrati tremont. Itaque primùm sunt phrenitici, dein fanatici, inde nouissimè tremuli. Quare, primò sputatores sont, inquit Hippocrates, dicuntur autem sputatores, qui aut familiares suos conspuunt; aut qui sine conspuendo, sputandi finem non faciunt. Id aut necessariò faciunt, aut indecorè: si indecorè, id primùm vestigium est ad insaniam: si necessariò, propter stomachum nimia humiditate perfusum per seri phrenitici prolapsũ; vel quod id ex cerebro in palatum exudet: quemadmodum in vulnera capitis sicco, pustulæ biliosæ pullulant in palato & linguâ. Sic, exudante sero, ophthalmia fit lacrymosa: pleuritis tussiculosa: hepatis magna inflammatio, singultuosa. Quare ptyelismo phrenitico succedit insania θηριώδης, id est, ἔκστασις, μελαγχολική, plena immanitatis atrabilaria insania: vnde postremò tremor, cùm mors in procinctu est. exhausto iam cerebro atque neruis, vnde facultas fatiscit in officio. ita tremor symptoma est alienati cerebri; sicut insania fortiter alterati. Quare cùm ad funestum morbum accedat summa virium infirmitas, retinendæ hîc vitæ erit desperatio. Non tamen, vbi ab atrabilario est sanguine, de salute conclamatum erit, vbi in hecticam nondũ abiit. Refert Trallianus suâ ope conualuisse, qui adeò efferi erans, vt, teli copia si adfuisset familiares trucidassent. Hæc de causâ immediatâ phrenitidis, nimirũ intẽperie. Sin ad causam mediatam collineauerimus, scilicet ad inflammationem; si illa à sanguine bilioso originem duxerit, non tantum periculi inferet, si sãguineâ benignitate bilis morsus abũdè perfundatur. vnde scripsit summus præceptor, Delirium cum risu obortum; à mitioribus nimirum vaporibus, & ichoribus sanguineis; minùs periculosum. sin ab atrabilario sanguine fuerit, plus periculi inerit. nam in ἔκστασιν abripiuntur. Est enim ἡ ἔκστασις, deliriũ in quo summa sont omnia mentis perculsæ aut alienatæ, vnde fanatici homines dicuntur Progressus huius insaniæ huiusmodi esse solet, vt lacessito cerebro à bile perusta, exoriatur insania melancholica, quæ cernitur in corporis immanibus fanaticorũ, qui paulò antè phrenitici fuerant: quia bilis atræ sunt acriores morsus quàm flauæ. Vnde ἔκστασις illa μελαγχολική, id est, excessus melancholicus est θηριώδης, id est ferinus: nam ineunte morbo pacatiores sunt ægri, mox, dum in atram flaua vritur bilis, ferocissimi fiunt ægri; hinc languent & tremunt. Vel si atrabilarius fuerit initio sanguis, mox ferociunt: ab acriori morsu bilis vstæ atræque. vnde dicebat Hippocrates, delirium quod cum studio iungitur, minùs tutum: quòd fit ab adustâ & feruidâ bile, cum agresti sero, & vapore. Fiunt itaque primùm phrenitici à mitiore succo; dein fanatici, excessu ac feritate melancholicâ: vltimò, alienatione cerebri à diuturnâ & vehementi alteratione, cùm nimirum exaruerit cerebrum, aut inebriatum fuerit bile, vt lanæ inficiuntur veneno fucatæ Assyrio; tum pro clamore silentium: pro iactatione quies: pro artuum cribratione, leuis tremor: pro vigiliis, coma & cataphora veternosa: quales erant in pestilentiâ apud Hippocratem. ita Dealcis vxor tacita erat, nec tamen voce capta vnde Hippocrates, Qui cum silentio in ἔκστασιν abeunt per febres, nec voce sunt capti, calamitosè ægrotant. Si quis Hippocraticas auctoritates velit ad prognosin: hæc loca inspiciat: Deliriũ quòd denũcient signa, quæ cerebrũ à calidis succis vel vaporibus testantur affligi: 6 Epid. 3. 36. & 3. Epid. 1. 5. & 3. Progn. 15. & 5. Epid. 3. 19. & 1. Prog. 31. 32. & 1. Pror. 35. & 5. Epid. 3. 19. & 6. Aph. 21. 23. & 5. Aph. 40. Phrenitidis, 1. Pror. 33. 1. Progn. 13. 1. Pror. 13. & 4. Aphor. 72. & 6. Aphor. 53. 12. 11. 1. Prorrh. 10. & 1. Prog 24. & 2. Aphor. 2. & 7. Aphor. 5. & 2. Progn. 1. & 7. Aphor. 7. 9. 14. 10. 18. & 5. Prorrh. 14. 9 8. 28. 33. & 3. Epid. 1. 7. 8. & 3. Epid. 3. 45. & 1. Prorrh. 1. & 1. Epid. 2 63. Læsæ mentis, 2. Aphor. 33. obliuionis 3. Epid. 1 5. Deliria cum silentio, tremore, & palpo, sunt valdè phrenitica. Sed validi hîc tremores, citam mortem denunciant; nam illud symptoma est alienati cerebri: & à priuatione habitus comparari non potest itaque obscura deliria, claris contraria, vt melancholicâ dementiâ taciturni, qualia erat Dealcia vxor: vel cum phrenitidis inueteratione, ac cerebro iam bile perfuso & infecto, vt lana alba veneno Assyrio fucata, vnde effœtæ titubant vires, nec potis est membra iactari, vocem canoram edi. calamitosum. Ad curationẽ pergo. Si itaque curabile videbitur malũ: maturè in latur: id ni fiat, hominẽ tullit: nã eũ semel insedit capitis inflam

Galen. 3. Cris. 3. Epid. sect. 3. hist. 15.

Historia.

Atrace phalosis symptomatum mortif.

A morbi essentiâ & causâ.

5. Pror.

7 Epid. 3 Epid sect. 3 hist. 15.

5. Aph. 53.

Curatio.

inflammatio, vix ab eâ euadet: itaque venienti occurrendum malo. Hic adest inflammatio, morbus vehemens: itaque valido auxilio opus est. Propterea locum habebit phlebotomia si infirmitatis omnis absit metus: idcirco Razes dicebat, opus est apertione venæ, si æger ineunte morbo, validus fuerit; nisi adsit metus futuræ infirmitatis. quare in hecticâ phrenitide ab eâ erit supersedendum. Et si successerit ex alio morbo, ob vires, parciùs erit euacuandum. Seuerè Asclepiades pronunciauit, vt, sanguinem mittere, hominem occidere dixerit; quòd sit affectio cum summâ & continuâ febre: sanguinem autem non nisi remissâ in febre detrahendum. Contrà ratio est, & Celsus, qui asserunt, cùm facies rubet, venæ tument, & vel post quartum diem secandam esse, constantibus viribus. Sed dices, frenum bilis, est sanguis. Ita est, & malè sanguinem sine bile educeremus: sed iam plus bilis educimus quàm sanguinis. &, si solius causâ deriuationis, educeretur sanguis, id bene fieret. Sæpe autem frustra ferè educi sanguinem scimus, cùm iam facta est inflammatio, dubiáque salus. Sanguis itaque educendus est: sed quando? intra diatriton, inquit Cœlius Aurelianus, vltra nunquam: vexantur enim in eiusmodi ægritudinibus corporis vires. Ilicò igitur pertundit e venam: nam dicit Abinceñas, postea iniiciatur enema. Et Razes ait, antequam eluceant conspicuò signa phrenitidis, primo vel secundo die, inquit Aretæus: si quarto die phreniris inuaserit, à septimo elapso pertundatur: si sexto vel septimo die, omittenda: nam est criticum illud delirium. Si, inquit Aëtius, primo die phrenitis irruat cum febre, aut secundo die, vsque ad quartum, & non consectaria fuerit alterius morbi, vrinis subcruentis, facie rubrâ, ætate integrâ, succipleno corpore, mediam pertundite venam. Tertio die transacto, vult Guainerus omittendam phlebotomiam. In hac re difficili authoritates posui. Bertrutius ait, ad summum, quarto die transacto, reuulsionis causa venam secandam non esse: sed potiùs in fronte. Diocles post sextum & octauum diem phlebotomabat etiam quosdam iuuenes fortes, inquit Cœlius: sed hoc, iudicio Cœlij, est iugulare ægros; iam vexatis viribus sanguinem educere. Verùm quâ copiâ euacuabimus? Si fuerit maximâ bilis copiâ perfusus sanguis, parciùs abducatur. hoc dicit Abincennas, in medio capite, vbi inquit, in apostemate cholerico non prolixè sanguis exhauriri debet. quasi dicat, postea pharmaco opus erit. Sin sui causam agnoscet phrenitis sanguineam maximè materiam; inde efflorescet phrenitis acuta, aut peracuta. si peracuta, eâ ineunte, ad animi deliquium exhauriatur: nam vltra septimum diem non excurrit: éstque vehemens inflammatio, febris peracuta, & dolor summus. In his enim tribus historiis, non iunctim, Galenus dicit, se non inuenisse maius remedium euacuatione ad lipothymiam vsque. Verùm hæc ita iunctim in phrenitide occurrunt; etenim caput & membranæ æstu inflammatorio ardent, febris intentissima, & summa doloris adest causa. Propterea rectè dixit Abincennas, ad lipothymiam vsque sanguinem educendum esse. Vires enim robustæ esse possunt; nam sanguini mixta est materia morbifica. Si vires firmæ, ineunte morbo tales sunt: nam rarò aliòqui pulsus eorum est magnus: & propterea admonuit Galenus, periculi plenam esse sanguinis ad lipothymiam eductionem: ob iactationem enim atteruntur vires, vt canit Q. Serenus:

Amissásque refert frendens amentia vires.

Et Aretæus scribit, inueni saginato cui venæ turgent, minus in phrenitide eliciendum, quàm si non phreniticus foret. Optimum fuerit hac in re sequi consilium Hippocratis, qui in inflammatione lateris educit sanguinem ad mutationem coloris. Plerumque tamê hic infra lipothymiam subsistat effluuium, excurrat ad vncias quartuordecim. Quodsi maximè bilescat sanguis, suffecerint vnciæ sex; robustis decem: nã pharmaco postea opus erit. Si à præcordiis, inquit Aretæus, orta est, audaciùs secandum: nam fons sanguinis ibi habitat. Vnicâ vice hæc fiant: nam morbus non dat inducias. Fotamen angustum inferatur, pice obducatur. Sed quæ vena est secanda? hæc non perpetuò est in nostro arbitrio: quòd æger brachium auertat: Trallianus & pragmatici ab eo abducti tunc se vertunt ad frontis venã sed hoc est incrementa morbo adferre; maximè si sanguinea fuerit phrenitis, corpúsque si circumfluat sanguine: nam ita cursum suũ flectet sanguis in caput; & euacuatio fiet per locum ægrum: quod malè fit. Præstaret primò, cũ Aëtio annuente, mediam venam brachij aperire; dein cũ Paulo recludere venam frontis: vel cum Diocle venam sub linguâ. Sin vena secari nequit, eius loco succedaneæ veniant cucurbitulæ: nam Galenus libro De curandi ratione per sanguinis emissionem, in mulieribus albis crassis, vbi tenues venæ, scarificatione vtitur loco venæ sectionis. Dorso & lumbis admouentur: nam sanguis in caput effundit sese ex hoc, qui ibi est, oceano cauæ venæ: nam inde tepunt duo ramí ad iugulum, posticam ad partem. & ita κατ' ἴξιν fiet vnà auersio. Sed si manum porrigat æger, quænam tunc vena ferienda? Galenus dicit maximè euacuari viscera sectâ venâ internâ brachij: Hinc vulgata opinio fuit, hanc imprimis aperiendam esse, si summa adsit plethora: quodsi minor illa foret, mediam venã soluebant: sin adhuc minor plethora in vitio esset, cephalicam pertundendam affirmarunt. Sed Galenus ibi non loquitur de repleto capite, sed de reliquo corpore sanguinis pleno. Itaque nos aliter: si maxima adest vbertas sanguinis, primo cephalica tecludatur: si parcior copia sanguinis adsit, mediana teseretur: sin adhuc minutior sanguis fuerit, feriatur basilica. Auctor huius sententiæ est Abincennas, vbi ait: si sãguis quidem in toto ac capite circũfluit, soluatur cephalica: sed si nondũ caput occupatum sit, sed est in hoc vt occuperur, aperiatur media, quã nigrã vocani: sicut si extima pars capitis causam tractionis conceperit, vt ex calore, ictu, hic pertundatur basilica: & si vis vt extrahas plus illo, solue saphenam. Ita transigendum in morbis capitis qui non dãt inducias: nam hac ratione tollitur capiti infesta plenitudo illicò, vaporũ impetus sursum tepentium reuellitur, & succorũ lasciuientium æstus cohibetur. Si sit ab atrabilio sanguine, vel à solemnibus hæmorrhoidibus suppressis, illæ euocentur. si turgent, acuto scalpello fodiantur, aut hirudinem admoue. Sed dicet quis: tenuis sanguis hîc in vitio est: & affirmat Galenus 6. Aphot. 11. & 21. Crassum sanguinem prolici per hæmorrhoïdes. Dico ex Galeno, 4. Sanit. 4. posse per hæmorrhoïdes totum corpus euacuari æquè ac per phlebotomiam. quamvis maximè opituletur, vbi ab atrâ bile & ab hæmorrhoïdibus fœdatur sanguis. Hirudines ponè antes, & tẽporibus, fronti, quattuor, aut quinque, circulo quasi, inquit Aurelianus; faucibus parũ sub autes, & naribus applica. Quin morbo pergente ad vigorẽ, aperiatur vena frontis. & hoc est quod ait Alhafarabius, si vena ei soluta non fuerit antequã intellectu exutus erat æger, incidenda iam tunc erit vena frontis aut narium. Itaque si morbus in rabiem exæstuat, & plena phrenitis si debacchetur, non salutarius remedium vel ex ipso feres Epidanto, quàm si confestim frontis venam pertundas. id agendum à reuulsionibus etiam ilicò. totosiot

fiet

Phlebotomia.

Quando & qua copia.

5. Aph. 3. & 51. & 1. Aph. 23.

Auic. initio capitis De phrenitide qua 7. non transit.

9. Meth. 3 4. in.

Qua vena.

Dubium.

4. De victu ration. acut.

Phen prima, tertiu vt dicit lasfa... transit.

Hæmorrhoides.

Frontis vena.

fiet vena, si fasciola constringatur collum. Nil salutarius hoc remedio: sed non tam diu cunctandum vt cadant vires, quæ diu in hac iactatione non perseuerabunt. quin his fractis, nares potiùs recludendæ. *Historia 1. lib 12.* Ego sanè, inquit Trallianus, magnâ adeò phrenitide correptum curaui: & nisi multi fortésque famuli eum continuissent, & vinculis vndique constrinxissent, neutiquam ne in fronte quidem venam secare potuissem; adeò ferociter agitabatur, & si gladium habuisset, non paucos iugulasset. hic celeriter curatus est. Cùm itaque iam symptomata consistunt & vrgent, ad hanc venam veniatur: maximè si eminens hæc vena fuerit, vt quibusdam hominibus est. Guainerus post horas sex à brachij incisa vena, has aperit. alij post quartum diem hoc faciunt. Si his remediis nihil remittat dolor, inquit Aretæus, refectis priùs viribus, vertici cum scarificatu affigatur cucurbitula. *Cucurbita.* verùm interscapulio priùs inanis affigatur. ita etiam Galenus. & Octauianus Horatius eas sæpe profuisse testatur. *13. Meth. 21. 1. Acut. 1. Encheiresis imponendarũ cucurbit.* Aliâ diatrito, dicit Aurelianus, rasis partibus cucurbitam apponimus occipitio blandè, & sub ipsâ fronte sanguisugas facimus inhærere quattuor vel quinque, vt non ex vnâ parte detractio sanguinis fieri videatur, sed veluti circularis, vt totum spiret atque releuetur caput. At si plurimum laxamentum facere voluerimus, totum caput radentes, & per circulum plurimas cucurbitulas affigemus; alteram occipitio, alteram medio capitis, quod bregma vocant, alias duas superiùs à temporibus: sed neque cum multâ flammâ, nec multo tempore hæreant. *Abucasis cap. de vsu cucurbit.* Arentes enim atque siccæ cucurbitæ (hoc est, quæ cum flammâ admouentur. interdum enim cum aquâ calidâ imponebantur) caput implent & turbant. Detractis cucurbitis, si erubuit pars, leniter scarificetur: sin minùs, mitigabimus spongiis vapidis: & vbi in ruborem abit pars, scarificabimus, & sanguinem prolectabimus cucurbitâ. Eo tempore vicinis partibus, collo, capiti, læues sinéque scarificatu cucurbitas imponemus. *A mensibus* Si malum enatum sit à suppresso menstruo, primùm brachij recludatur vena; & dein pedis: nam morbus non dat inducias, propterea postea causæ occurrendum erit. Vincula crurum, frictiones, & vacuæ cucurbitæ conferunt ad auersionem materiæ à capite, ad tertium vsque diem: nam quatto die hæc plærumque ægritudo in statu ac summo vigore est. Propterea iubet Trallianus, vt ante paroxysmorum incursum imponantur cucurbitæ, vt deorsum flectatur materiæ sursum ruentis impetus. *Pharmacum.* Quantùm ad pharmaciam, purgentur ilicò phrenitici; nam efferus est humor, & pepasmi expers, vnde summa symptomatum vis, aut eorum frequens mutatio. *4. Aph. 10.* Quare de phrenitide etiam loquens Hippocrates, dicit, φαρμακεύειν αὐθημερὸν, hoc est, eo ipso die purgandum: quo scilicet feritas ipsa percipitur, non exspectatâ paroxysmi remissione: nam, inquit, in huiusmodi χρονίζειν, id est, cunctari, periculosum: nam metus erit ne tota se morbifera materia in partem afflictam effundat, vires frangantur, cùm calor febrilis etiam inde incrementa ducat. Absque præparatione itaque transigatur: ne inflammatio meningia se in apostema firmet. propterea scripsit Razes: priusquam perfectæ phrenitidis signa elucent, soluatur vena & aluus. vt, *Purgantia.* Accipe electarij de succo rosarum, catholici, cuiusque drachmas tres: syrupi ex multiplici infusione violarum & rosarum, singulorum semunciam; decocti hordei vncias quattuor: fiat haustus. Aliud, Accipe syrupi rosati laxatiui vncias tres; mannæ vnciam: ex decocto tamarindorum. Aliud, myrobalanorum citrinarum, & Indarũ drachmæ duæ; tamarindorum semuncia; pruna decem: eoque ex aquâ violarum: expressioni adde mannæ sescunciam. Aliud, Accipe pruna, eáque coque ex diluto violarum: traiice pulpam; cui adde cassiæ & tamarindorum pulpam & mannam: &, si lubet, electarium de succo rosarum: & cum syrupo rosato laxatiuo fiat instar opiatæ: sumat vnum aut alterum cochlearium: vel diluatur decocto tamarindorum. Si sit retorrida bilis in vitio, iunge fumariam, epithymum, myrobalanos Indas, buglossum, pruna, senæ folia, polypodiũ. rhabarbarum laudatum hîc remedium. *Cautio.* Sed summa hîc adsit cautio, ne mota materia non educatur: quare sit satisfaciens remedium. Propterea iungit Abincennas scammonium his purgantibus: iu meritóque hîc à neotericis reprehenditur. Sed ille non sine cautione eo vtebatur: nam in tali corpore vsum eius init, quod sine incommodo eo vti solet. & hoc ex Galeno dicit: & ait ad grana quattuor eo vtendum esse vt non sit euacuatorium sed adiuuans rhabarbarum, idque exstimulans in suum munus. *6. Acut. 12* *Praeparantia.* Sin autem malum non sit tam subitarium & acutum, ita vt se remittat per accessiones, materia parari potest, & postea pharmaco educi. Eodem modo agendum si restibilis à phrenitide materia aliqua fœda fuerit: nam scripsit Hippocrates, Quibus excussa insania, febris acuta superuenit, phrenitici rursus fiunt. Hic relapsus ex insaniæ fit reliquiis in cerebro: nam tanta est insaniæ feritas, tantaque cerebri alteratio, vt vel solum empyreuma superstes nouam illi fœturam proferat: quæ ni exhauriatur, in proximo erit relapsus. Quare euacuandum, nam insaniæ cacochymia, malignitate cæteris omnibus antecellit. Primò itaque leniendum; perpetuóque in hoc morbo irritanda aluus, si elysmis, ex lactucâ, violariâ, cucurbitæ foliis, maluâ, seminibus frigidis; cassiâ, oleo violato, melle rosato. si per os, accipe pulpæ tamarindorum, cassiæ recentis, mannæ, cuiusque vnciam; cum syrupo rosato laxatiuo formetur ad opiatæ ideam: sumat interdum cochlearia duo. hoc acui potest electario de succo rosarum. Præparantia abunde præscripsimus vbi de dolore capitis ex bile. Si adsit alui astrictio, à stringentibus syrupis abstineat, & vtatur syrupo violato, cum aquâ decoctionis prunorum, & seminibus quattuor frigidis. Lactucæ hic frequens sit vsus in decoctis & syrupis: nam somnifera est, naturæ studet, & vnà cum morbo pugnat, ferocientémque materiam domat. Bibat interdum boraginis vel buglossi stillaritium liquorem: adde interdum syrupum nymphææ, vel papaueris. Aquæ endiuiæ, libra; succi granatorum acidorum, & dulcium, cuiusque vncia; sacchari selibra: fiat iolabium. Ita citriorum, & acetoso syrupo vtimur, vt etiam iolabio rosato, & violato æstate. Trallianus laudat diacodion: vbi ab ardentissimâ est bile, & si vires non reclamant: nam vnà somnum euocat & febrem exstinguit. Optimum etiam est remedium aqua nymphææ, & myrtillorum, cum tantillo olei vitrioli, quò acescat leniter. Potet ex sententiâ Razis, aquam prunorum, cucurbitæ, vel citrullorum, cum muccagine seminis psyllij tenui, si ardeat retorrida bilis. Corroborantia scripta sunt vbi De dolore capitis ex bile. da granata à cibo, & conseruam rosarum, boraginis, nymphææ. Accipe corallorum rubrorum, drachmas tres; margaritarum, sesquidrachmam; sacchari albi, selibram: solue in aquâ rosarum, in quâ drachmæ tres santalorum immaduere; fiat confectio in morsellis. suaue balneum caput recreat. *Causa coniũcta remedia. Topica.* Tandem ad causæ coniunctæ curationem veniendum. Hæc vel loco migrare potest, vel non. quæ migrare potest, in vicinis venis hæret, & nondum phlegmonem fecit, reprimatur oleo violaceo, cum lacte muliebri. sed illicò pili auferẽdi, quò peruadãt remedia. *Cautiones in Topicis.* Sed magnâ cautione quantitas reprimentis remedij, hoc est, frigoris eius &

& strictioois, captari debet. Quare signis quibusdam explorandum quantus sit materiæ phreniticæ æstus: & quæ causa eam capiti intulerit. Si ratione attractionis fiat phtenitis, significabunt illud calor & dolor qui præcessere: & causæ aliquæ ptodromæ fuere, vnde æstu caput incaoduit. Si hæc non præcessere, dicemus translatione materiæ motbificæ ab aliis partibus caput occupari. Quantùm ad causas efficientes, aliæ sunt proximæ causæ phtenitidis, aliæ mediatæ proxima, est iotemperies calida & sicca, quæ est vel in habitudine vel in habitu. Si fit io

Galen. 1. Pror. 35. habitudioe, erit tumultuosa & clamosa phrenitis: sese iactant, gestibus & verbis delirant. Si verò in habitu iam sit phrenitis, illa est hectica, quam Hippocrates obscuram vocat: quòd non ita se prodat; non iactant se, silent, dormire putes, sed mouent occultò manus tremulas, ob summam infirmitatem. Hoc illis euenit, inquit Trallianus, quia cetebrum ab æquabili his perfunditur iotemperie: quare aiysmos iam abest, cùm ob imbecillitatem vocem via efferant, nec ampliùs eailire possunt. & irritationis suæ causam non ampliùs sentiente cerebro. &, inquit Traliianus, τρομώδεις γίνονται, atescente cerebro, eiúsque neruis: καὶ δυσαισθητοῦσι, id est ægrè sentiunt: adeò vt eacitati vix exaudiant. si eacitentur, claudunt iterum palpebras. Hæc si adsint cum languido

3. Epid. hist. 15. pulsu, erit hectica phrenitis, quæ ad mortem pergit.

Mediata causa. Causa autem mediata est sanguis biliosus, vel atrabilarius, inducens variam inflammationem. Si

A mitiore bile signa. itaque inflammatio inducta fuerit, à tenuiore & biliosu sanguine, qui æstu copiàque peccat; erit hæc mitior phrenitis: cum risu, nugigerula est hæc dementia, qualis erat in Thasiâ muliere vultuosâ & iracundâ, quæ à menstruis non de more proruptis delirauit. oculi rubent cum vultuosâ facie, substillum aderit sanguinis è naribus, pulsus maior: vere inuadit iuuenes bene habitos, qui succi plenis cibis & vino indulsere, rebúsque qui dulcibus delectan-

A bile signa. tur. Sin à biliosò sanguine enata fuerit, his vehementiùs febris æstuat, vigiliæ inuictæ perennant, & cuncta symptomata sunt grauiora, vt iactatio, linguæ asperitas; quin inuadunt aut feriunt astantes, cadauerosa euadit hotum facies: inuadit maximè æstate homines calidos, qui vino & aromatis in-

Ab atrâ bile signa. dulgent: flauet horum facies, & rixantur. Quodsi à retorridâ bile, quæ in atrorem se vertit, incubuerit phrenitis, illa effera erit, & excessum habet θηριώδη, perfacilem ὑπομονὴν, id est, transitum bilis flauæ in atram, cuius actiores sunt morsus quàm flauæ, & propterea hi euadunt, vstâ iam bile, ea phteniticis fanatici, & efferati. Cernitur autem illa summa immanitas in iis, mordendo, percutiendo, sæuiendo in eos qui adstant: vt etiam sibi ipsis manus adserant, & cœptis immanibus efferi sese præcipitant: calcitrant, fetiunt, pro hostibus & dæmonibus hos qui præsto sunt habent. ita flaua bilis in cerebro facit phtenitidem; bilis atra maniam siue insaniam, vnde fanarici: nam æruginosæ bilis, quam vomunt illapsam à cerebro in ventriculum, facilis esse solet in atram mutatio, cuius malignæ & efferæ cacocbymiæ morsus sunt acerrimi. Iam ad

Topica. Topica remedia redeo. Quo itaque magis æstuauerit motbifica materia (viribus ægri, & tempore morbi animaduersis) eò validiora, algore & repressione & mitigatione, adferenda erunt remedia. Præscribuntur autem Topica ad symptomata hîc vrgentia, vel ad materiam morbificam. Ad symptomata, vt ad vigilias: nam vt dicit Trallianus, maximum

Ad vigilias. delirantium remedium est somnium. De bis egimus io doloris capitis curatione; vbi de symptomatis. Id notandum, Abincennam prudentes admonuisse, opium non esse admouendum fronti aut temporibus, ni validæ eapleodescat naturæ vis. tunc accipe opij, croci, cuiusque scriptulum; vini albi, aquæ rosatæ, singulas vncias; linteo admoue: à somno abluatur chamæmeli & aoerbi decocto: vel aquâ calidâ, in quâ coxit quid castorei: Commendat Aretæus serpillum, vel hederæ succum ex oleo, cum pauco aceto. ita spondylio etiam vtitur: nam hæc difflant materiam crassam, vigiliarum auctorem, & roborant. Crocinum vnguentum naribus & auribus quoque indit Aretæos: imò & opio ita vtitur. Cúmque vigiliæ nullas ioducias conce- *Lotio.*

dunt, lauentur, suasore Raze, manus & pedes: nam refrigeratio harum partium, ratione neruorum, fecit cerebrum: accipe violarum, corticum papaueris, hordei mundati, semiois lactucæ, radicum mandtagoræ, singulorum manipulum: coquaotur ex olla ænea, dum rubescat aqua: capiti superfunde, quud reciinatum sit ad peluim: vel petiâ laneâ admoue, & collo circumda, nam vasa arctat. Hoc, inquit, cottidie sæpe repetitum, recreat refrigerando, & reprimit influentem succum. & Aretæus dicit, quòd torpens caligo sit somni initium. Roudeletius his addit flores chamæmelinos, anethum, anisum, iridis radicem. nos de dolore capitis à bile, etiam alia describimus. hæc ad symptomata. Ratione au- *Ratione materia.*

tem materiæ motbificæ Topica admouemus, perpendentes num ea materia adhuc influat in caput; vel num iam iam ibi stabuletur. Fluentis autem materiæ ratione, commoda sunt ea quæ huius influxum cohibent. quare in initio morbi sint frigida topica: in statu mista: in fine morbi purè resoluentia. Primò itaque repellatur influens succus, calor re- *Abeunte morbo.*

primatur, dolor sedetur, & robur afflictæ sedi addatur. vt, Accipe olei rosati bene parati, partes quatruor; aceti partem vnam. vel aquam rosatam, cum oleo rosato. Si æstuat vehementer caput, adde aquam solatri, maluæ, vel psylij decoctum. duo pittacia adsint, quæ frontis longitudinem & latitudinem æquent: de bis inuicem altera in rosâ & aceto habetur, altera in fronte. vel, ineuote morbo, coque in aquâ rosatâ rosas, vel plantaginem, aut solatrum; & flores nymphææ, vel violarum, aut cortices papaueris: postea iunge oleum rosatum omphacinum, & parum aceti, vel succum limonum. Hæc tantùm primo die locum habent; nisi symptomata efferantur: nam Aretæi sententia est, cùm maximè insaniunt, maximè reprimendum esse: non autem, inquit, hoc agendum initio. Cùm symptomata non cresceunt ampliùs, sed cùm in eâdem ideâ hærent, adde tunc oleum violarum cum lacte. vt initio, Accipe aquæ nymphææ, rosarum, lactucæ, solatri, cuiusque vnciam; muccaginis seminis psyllij, sesquidrachmam: misce; & cùm muccaginem concepit inde aqua, capiti admoueatur piciâ, vnáque addatur quid succi limonum. Altimarus iubet vt caput rosaceo cum modico aceto irrigetur: æstate te- *Cap. 6.*

pido, hyeme moderatè calido. & si aëris frigus adsit: ex æquo adde chamæmelinum. ita Indicum Picolomineum, ducis Amalfiæ filium, cùm ab omnibus esset destitutus, liberauit. Vel fiat cataplasma ex farinâ hordei, cum oleo violato. Razes irrigat caput ea oleo violato, temperato lacte muliebri; hoc mollis lana imbuta capiti admouetur. Alij accipiunt iam olei rosati binas vncias, aceti semunciam; mox loco aceti chamæmel. vtuntur: & tandem solo chamæmelino. Cautio adsit ne validis repercutientibus vtatur, ab exacto primo die. Attamen ex Aëtij sen- *Hæc etiam somnifera.*

tentiâ, si vehementius fuerit delirium, ab euacuatione, caput rigato oleo io quo capita papaueris coxere: à fotu aquæ in quâ capita papaueris fuere decocta,

decocta. & frontem somniferis illine. Si itaque fuerit æstas, naturâ si æger calet, & si accerrima fuerit materia morbifica, dum influat materia, Accipiemos seminis lactucæ, portulacæ, singulorum drachmas binas cum semisse; florum violarum, rosarum, cuiusque pugillum; seminis anethi semidrachmam; omnia contunde, & confunde cum oleo de papauere, & pauco aceto: fiat frontale. Aliud, olei papaueris, olei rosati, singulas vncias: misce his æquas partes farinæ hordei, & seminis papaueris, & cum albumine oui quatiatur, vt fiat cataplasma: adiice scriptolum capburæ: admoue fronti & temporibus. Spongia naribus apponatur irrigata decocto papa-
Lib. 2. c. 7. ueris & mandragoræ. vel eam, quam in Methodo nostrâ ad praxin descripsimus. Cælius Aurelianus, post phlebotomiam, caput fouet, atque occipitio lanas oleo calido ac dulci madidas apponit: similiter vertebris, præcordiis, atque pectini: nam consentiunt in hoc affectu. Si biliosa admodum fuerit materia, accipiemus rasuram cucurbitæ, cum oleo nymphææ, vel violarum, aut rosarum; addi potest aqua solatri, & muccago psyllij, & folium nymphææ,
Cautiones. vel lactuca superponatur. Cautio adsit in rerum frigidarum vsu, ne quid nimis. nam, vt scribit Auer-
3. Sell. collect. 3. rhoës, totò calfit caput, at non citra periculum refrigeratur. Themison, duobus aut tribus diebus transactis, serpillo, hederâ, ex oleo fouebat. sed passionis motum considerabimus. Assiduus itaque rerum frigidarum vsus vitandus, ne quem dormire volumus, postea excitare non possimus, vt ait Celsus: nam in lethargum calamitosum ita abire solet
Ordo in Topicis. phrenitis. Quare eo filo ducatur curatio, vt in initio sint frigida topica: in statu sint frigida mixta resoluentibus; in fine morbi, purè resoluentia. Sed
Cautio. sint ferè semper tepida actu, ex Aëtij sententiâ. Cautio præterea adsit, ne immodicè aceto vtamur in topicis; nam vigilias siccitate sua affert & dolorem. sed sit eius hæc copia, quâ solùm peruadere possit remedium in locum affectum; vel potiùs eius loco vtemur succo limonum. Præterea, si materia foras fertur, non reprimenda erit, vt prudenter admonuit Abincennas: sufficit acetum naribus admouisse, &
Post principiŭ Topica. caput decocto maluarum fouisse. In fine autem augmenti, & in principio status dentur mollia resoluentia. vt florum chamæmeli, meliloti, rosarum, cuiusque manipulus; maioranæ pugillus; coque ex aquâ vel lacte: fiat fotus: dein vnge oleo rosato, chamæmelino, & maioranæ oleo: cum pauco succo limonum. In declinatione purè resoluant, vt chamæme-
Galen. 13. Meth. 11. lum. Quare ratione iam influxæ materiæ resoluentia, & euacuantia sensibiliter commoda sunt. Quantum ad ea quæ sensibus competit vacuatione ex-
Ad materiā quæ influxit. hauriunt, ea sunt errhina, & apophlegmatismi: quæ admouentur cùm ad declinationem iam ventum est, purgatóque corpore. De his vbi De dolore capitis. Sed hic masticatoria inutilia: nam reuuunt ea ægri. Resoluentia calfaciant, attenuent. hac ferie cis vtendum, cùm diuturnum fit malum. Primò vtemur oleo rosato completo, ne quid attrahatur: deinde addemus chamæmelinum: tandem chamæmelino cum lilino, & anethino, & incoquimus spondylium: dein ad castorium & euphorbium venimos: & viuas fectas, que columbas capiti imponimus: vel omentum calidum calefcat in sartagine cum oleo chamæmelino; vel pulmones bruti æstate tepidè, hyeme calidè Sed si influat adhuc materia, à valdè calidis erit abstinendum. propterea prudenter scribit hoc Octauius Horatianus, vel Theodorus Priscianus, cùm iam, dicit, aliquantulum resedit morbus, quod tertio die ferè euenire solet, cùm imminutus est calor, & dolor consopitus aliquantulum, vtemur oleo chamæmelino, vel anethino, in quo papauer, vel lactucæ semina coxere. vel aquæ incoque folia violarum, cucurbitæ, maluam, parietariam, rosas, chamæmelum, cortices papaueris, semen lactucæ, & maluæ & lac super caput rasum semper emulgeatur muliebre, si malum à sanguine maximè nascatur. Sed vbi delirium morum trahit, inquit Aëtius, serpillum aut spondylium oleo incoque, nam crassos exhauriunt vapores. Quidam calentes pecorum pulmones (quia molles & leues arterio soque sanguine perfusi) capiti imponunt: quod notum etiam fuit Q Sereno, qui ita cecinit:

Siue calens febris iactatos excedit artus,
Siue meri gustus, seu frigoris efficit aura,
Conueniet calidis pecudum pulmonibus aptè
Tempora languentis medicâ redimire coronâ.

Quidam frigefactos hos pulmones iterum in decocto maluarum, rosarum, violarum, nymphææ, chamæmeli, meliloti, serpilli, (vt suadet tempus morbi) madentes tepidósque exprimunt, ac iterum his repetunt caput. Sed præstaret vitali illo caloris blandimento ab animali vti: & quoties mutatur, toties aqua tepida caput abluere. ita gallinas & catulos per spinam sectos imponimus. aut lacte recenter emulcto foue caput. aut aquâ calidâ, in qua coxit quid castorei. Fouet caput Aurelianus oleo, & aquâ, miscet fœnigræci, vel seminis lini succum: nam dicit, omnia sine odore, & fumi afflatu esse debent, ne caput impleant. Monet Aretæus cauendum esse, ne mador in ceruicem descendat: neruis enim inimicus est: puto id in stringentibus succis locum habere. Idem suadet vt maxima cura sit humectandi thoracis, gratis rebus: nam, inquit, cunctus calor eo æstuat. fiat epithema ex aquâ rosatâ, aceto, santalis; & caphurâ Viriles globuli, & mulierum vbera inuoluantur linteo madente aquâ halicacabi, vel portulacæ cum aceto Renes vnguantur vnguento rosato loto ex aceto, adde caphuram. Hæc de dignotione & Phrenitis per sympathiam.
curatione veræ phrenitidis, cùm homines è potestate mentis exeunt ob inflammatas meninges cerebri. Sed fit nonnunquam vt insaniæ plena sint omnia, non tamen idiopathiâ occupato cerebro; sed aliunde concepta perturbatione. Itaque quidam ab initio phrenitici sunt, vt, apud Hippocratem tertio libro Epidemiôn, ille phreniticus qui tertio die obiit, Erasinus, & Philistes; hi ab initio phrenitici erant. Sed interdum sequitur alia mala, quod euenit in Hermocrate, quinto die. & ei qui in Dealcis horto iacebat, & vxori Philini, & Philisco. Dicitur autem hæc insania, consectaria paroxysmis febrilibus, Parophrosyne, vel paraphrenitis, quæ est via quædam ad phrenitidem, elatis ad cerebrum vaporibus. In hac delitia non sunt perpetua, qualia esse solent in phrenitide, & inde nata insania: sed pressa leuiter, atque fugacia. Exoriuntur enim κτ̓ τὴν ἐπιγένεσιν vitiorum quæ cerebrum in sympathiam ducunt. Atqui in primo Prorrhetico, scribit Galenus, Quæ ex pituitâ & bile in cæteris partibus natæ offensiones, cerebrum in sympathiam possunt adducere, nihil habent perpetuum. Ita ab vtero inflammato delirant aliquantulum mulieres: propter sympathiam quæ vtero intercedit cum cerebro, * διὰ τὸ κοινὸν εἶναι τῆς ὁμογενείας. Hoc enim interest inter .... & ...., vt .... sit vix apud se esse, & nonnihil fiue paruumper è potestate sui exire: nam, vt diximus, nullum delirium potest esse ......, quando in cæteris partibus, pituitæ & bilis offensiones, cerebrum in contagionem adducunt. Quare leuato accessionis impetu, mens redit; & propterea delirium, ex febribus, plerumque breue est: & excusso hoc delirio ferè profundus somnus obrepit. Accuratè itaque digno-

Galen. 3. loc. aff. 5.

*Id est, propter cōmunionem & generis similitudinē.

tio horum malorum captari debet; nam, vt fcribit Aleaander Trallianus, plurimi in διαγνώσει phrenitidis tradenda decepti fuere: vt etiam ὁδαφοριῶντας pro phreniticis haberent.

Ab aliis partibus.

Poteft itaque delirium nafci ea afflictis neruis, ventriculo, diaphragmate, pulmone, vtero. Communis itaque nota eft hæc, quòd omnia quæ ex fympathiâ nafeuntur, fubitò eueniant: fed phrenitis paulatim fit: nam fympathiâ delirant, cùm in vigore fuo tantùm funt dictarum partium morbi: quo fedato, cedunt & deliria. at in phrenitide perpetuum adeft delirium. quod tamen ita intelligendum, vt interdum tamen aliquantulum æger ad mentem redeat, dum nondum fanaticus euafit. Nec tamen minùs perpetua hæc dicetur infania: nam nullas habet certis vicibus remiffiones.

5. loc. aff. 3.

Annotauit Galenus delirium etiam fieri ob affectum oris ventriculi, & à febribus ardentibus, & à pleuritide, & peripneumonia. idem fcripfit Hippocrates libro tertio De morbis: & Aretæus De morbis acutis.

A DIAPHRAGMATE.

Fit autem frequentiùs ea diaphragmatic inflammatio, inquit Aretæus: & Hippocrates eam defcribit tertio τῶν νόσων folio 160. linea 18. in Græco codice. Ab aliis partibus nullis perpetuum proficifcitur delirium, dempto folo diaphragmate;

Gal. 5. loc. aff. 3. in fine.

quare antiqui illud τὰς φρένας, id eft, mentem vocarunt, tanquam fapienti parti conferat quicquam. Antiquorum fententia fuit, ab hac parte phrenitim fieri: nam eius vis à perpetuo delirio parum diftat. Attamen ita diftinguemus: nam differt oculorum affectibus, & fubftillo fanguinis, & refpirandi ideâ: nam phrenitici ex idiopathiâ cerebri, rarum & magnum fpirant: at à diaphragmate inflammato qui delirant, fpirant inæqualiter exiguum & frequentem fpiritum ducunt: nam ineunte inflammatione magnam & anxiam fpirationem edunt, præcedit enim tenfio, quare ob dolorem fe pandere nequit. Hîc non æquè cruenti oculi, nec tantus ardor capiti; fed potiùs præcordia vruntur. Vox acuta, quæ antea erat grauis: & hypochondria intus furfum reuulfa

Coac. & 3. De morb.

funt. & queruntur de diaphragmate, ita vt fe contingi non finant. hæc Hippocrates. Vox enim hæc acuta expreffionem violentam arguit materiæ vocalis, ab inftrumentorum oppreffione: qualis in fibilo per angufta viarum auditur cùm erumpit fpiritus. introrfò autem trahitur, quòd diaphragma obliquo fitu collocatum, per focietatem peritonei tunicæ quæ adiacet hypochondriis, ipfa in fuæ contractionis fympathiam attrahente, paribus lineis, velut manibus quibufdam obliquis.

Curatio.

Hîc frigidum nequaquam bibant, nifi pepafmo mitigata fuerit materia: alioqui fpafmi metum adferet. His fecetur liberaliter vena in brachio: & dein, fuafore Cælio Aureliano, cucurbita tumori imponatur cum fcarificatu. Locus inflammatus oleo rofato completo illinatur, inquit Aretæus, cum anetho, conyza: fi inflatio adfit, cumini & apij femina inicito. Rofmarinus etiam commendatur. Fiat cataplafma, fuafore Aretæo, ex farinâ hordei, femine lini, & fœnigræci, ex melle: linteis exceptum, imponatur. Abftinebimus tamen, quod admonet Trallianus, à validis fotibus, vbi valida exfplendefcit febris. fufficit, euacuato iam corpore, folum lini femen, hydrelæo incoctum, vel ex chamæmeli decocto, vifceribus inducere. Ita enim feruor mitigabitur, & vifcera diftenta laxabuntur, & mitefcent febres. Notandum autem eft,

Catochen fociam poteft habere.

delirium & catochen non ita fecum pugnare, vt fint ἀσύστατα fymptomata: nam in prorrheticis legitur, φρενιτικοὶ καὶ κωματώδεες, ἄγρυπνοι. id eft, phrenitici comatofi, vigiles.

Diæta. Aër.

In his hyffopum coquimus ex aceto, quod fpongiâ naribus admouetur. Aër lucem & tenebras inter medius fit. Antiqui tales ægros in tenebris ferè habebant, inquit Celfus, eò quòd eis contrarium effet exterreri, & ad quietem animi tenebras ipfas aliquid conferre iudicabant. At Afclepiades, tanquam tenebris ipfis terrentibus, in lumine habēdos effe dixit; neutrum tamen perpetuum eft. Alium enim lux, alium tenebræ magis turbant; reperiunturque in quibus nullum difcrimen deprehendi vel hoc vel illo modo poffit. Optimum itaque eft; annuente etiam Aretæo, vtrumque experiri, & habere eum qui tenebras horret, in luce: eum qui lucem, in tenebris. At vbi nullum tale difcrimen eft, æger, fi vires habet, loco lucido, fi non habet, obfcuro continendus eft. ea adfit cura, vt fpiritus animalis redintegretur. Si in luce quæ non funt cernunt, aut alia pro aliis agnofcunt, aut fi nouas vanafque imagines accipiunt, obfcuro loco contineantur. Picturæ abfint, & aulæa vario colore diftincta: ftragula plana fint, fine floccis: nam exiftimant fe claris oculis cernere, quod nufquam vident. læues fint parietes: nam præ oculis falfa fimulachra verfantur, hinc manus agitant, quòd propè effe eminentia exiftiment. Aër fit frigidus æftate; quod pampinis, falice, filanis, obtinebimus. Lintea aquæ rofatæ & aceto immerfa circa lectum pendula tendantur, redolentia poma & pyra fruftatim incifa, & aqua rofata irrorata hinc inde cubili reponantur. Vini odor abfit: Theodorus Prifcianus adeò à vino alienos effe habendos fuadet, vt aceti odorem fugiendum præceperit. Odor adfit camphoræ ex aquâ rofatâ vel nymphææ. Aërem præftat effe temperatum; fed initio frigeat. Vbi fe recolligunt, folis æftum æquè ac ebrietatem fugiant.

Cautio.

Non diu, ait Aretæus, à cibo abftineant, fint pauci & continui: nam cibi animum demulcent. fed arte quadam, ex motu morbi ductâ, id peragendum. Nam phrenitidi non exactè acutæ, quæ excurrere poteft in vigefimum diem, victus tenuis fimpliciter conuenit; vt tota ptifana. ad decimum quartum quæ efficitur, huic vtilis erit ptifanæ fuccus. ad feptimum quæ fiftitur, fruetur potu, cum pauco cremore ptifanæ: fumat manè, & vefperâ fucci ptifanæ vncias tres; vel fumat lactucas, aut emulfionem feminum frigidorum. quarto quæ finietur die, inedia illi commoda erit. Inclinato morbo, pifcibus vtetur. Sit cibus madens & frigidus vi, hordeum, pruna, iufcula alterata lactucâ, boragine, fpinachio, maluâ, acetofâ, omphacio, vel capite, aut feminibus papaueris, & frigidis feminibus nodulo inclufis. Lactucæ commendantur coctæ & afperfæ faccharo violato. & portulaca ex aceto, cichoracea. Coquantur in cibis femina melonum: vel accipe feminum frigidorum, & papaueris cuiufque femidrachmam: fiat nodolus, imponatur iufculis. Aretæus vtitur diureticis, maluâ, betâ, cucurbitâ, opio: nā aluum emolliunt. Aetius laudat vbique mellis rofati additam partem: &, inquit, ptifana ità detur, vel mica panis: & mitigata febre, dentur oua, & lactucæ feruefactæ. Optima eft pulticula hordei cum fucco granatorum, cydoniorum, omphacio, aceto: hinc enim denfati humores, non facilè curfum fuum in caput flectent. Cucurbitas laudat Abenzoar, & in omnibus acetum, & fuccum citriorum Non diu, fuafore Aretæo, à cibo abftineant: nam cibi animum demulcent. fint pauci & continui. Sit tamen diæta tenuis, leuiter aftringens: non enim implendus æger, nec ieiunio vexandus, vt ait Celfus. Tempus quo paftum inire debet, prodidit Aretæus; id fit, ait, in remiffione febris, & delirij.

Potus.

Quod ad potum: abftineat à frigido actu, fi in diaphragmate hæreat malum; ne crudior inflammatio euadat, & ne febris ferocior poftea infurgat; quare tepidum bibat. Vtatur iolabio ex granatis,

natis, rosato, vel violato, aut syrupo nymphææ, & de ribes, cum aquâ hordei: hæc sitim exstinguunt, & cum morbo pugnant: nam generationem bilis prohibent, & incursua in caput reuocant, & acrimoniam bilis infringunt. Sæpe & parum bibat, auctore Alexandro Trall, arantia mala dulcia laudantur. Actuarius accipit vnam partem hordei, fricat cum panno aspero, coquit in aquæ partibus viginti: cùm ad dimidium excoxit, colat. A vino, dum vires florent, arcendi ægri: nihil enim æquè ac vinum caput phreniticis causis implet. propterea olim, vt prodit Ælianus, Locrenses capitis supplicio cauerunt, ne quis ægrotorum inscio medico vinum biberet. Attamen Aretæus vinum concedit, vbi atteri incipiunt vires: nam, inquit, insaniam demulcet; emollescenteque animo, ira cadit. dabitur itaque cùm trahitur morbus, & ignauâ febre. Idem affirmat Abincennas, vbi vigiliæ perennant prostratis viribus, languidóque ventriculo si primùm vixit, maximè si homo vino assueuit, iam tum vsum eius ineat. aliquos ita sanatos fuisse perhibet. Sit oligophorum, parcaque detur manu. Pragmatici malè hodie id exhibent, vbi iam ad vltima ventum est: anteuertendum hoc periculum quin, inquit Aretæus, cùm metus est, ne in vaporem homo resoluatur, vnicum subsidium vinum est: citò peruadit ac nutrit, diffluentia coërcet, insaniam demulcet. His enim annuit Trallianus, modò non adsit ferox febris, nec valido præcordia calore æstuent, & aliqua coctionis modò noscentur signa, & vbi vigiliæ fatigant titubantibus corporis viribus, maximè si vino assueuerit, frigidóque ventriculo præditus si sit; his inquit, modicè detur. nam eorum ferociam transfert in hilaritatem, & somnum conciliat; cibum enim coquit & distribuit. Hactenus. ad hanc rem auctoritatibus opus fuit: vt habeatis quò vinum propinatum à vobis excusetis: nam quidam medici cum Aureliano censent vinum omninò negandum esse, tanquam repugnans, & nihil à veneno differens: etenim datum, inquit, statim furorem exasperat, atque in nimiam magnitudinem tollit. Vitium itaque ratione dentur; si inde plus commodi, quàm ex aliis, auctis inde, incommodi euenturum sit: Haud enim potis est, inquit Trallianus, id quod iuuat, vt aliquâ etiam parte non noceat. Vino immadeat asparagus. Si stomachus à bile mordetur, ac arescat à siti, suadet Aretæus, vt lac exhibeatur cum aquâ, plenâ manu: hoc etiam laudat Raxes. Vel frigida semina decorticentur, & in mortario contusa, per cribrum distringantur cum decocto furfurum, & saccharo dulcescat. Conferunt mirum in modum diuretica frigida. propterea etiam illinitur pecten oleo scorpionum composito. Rigentur ora aquâ in quâ maduit semen psyllij vel cydoniorum malorum. Quos odit, absint; amica videat & audiat: refert enim Censorinus, Asclepiadem, phreniticorum mentes morbo turbatas, sæpe per symphoniam suæ naturæ reddidisse: nam, inquit, in corporis & animi motu est harmonia. certè animi turbationes hîc plurimùm possunt. Absit strepitus omnis, & hominum multitudo: nam acutè audiunt, & strepitu irritantur. Quiescat quantum fieri potest: nam, inquit Aretæus, à turbis in furorem aguntur: &, vt refert Constantinus Afer, hoc malum hos incurrit, qui magno ac subito exercentur labore æstate, maximè si squaler temperies: vt Sileno euenit, primo Epidemiôn, historiâ secundâ. igitur contineantur illi qui exiliunt de lecto, multis ministris, inquit Cælius, vt leniter retineantur. vel ligationibus vtemur ea vinculis latis & fortibus, qualibus nulla imprimitur vexatio. Sit cubile mediocre, vt nec volutari, nec delabi facilè possint molli sint lecto, id gratum neruis. Stramenta omnibus mollia atque operimenta conueniunt. Sit etiam lectus, inquit Cælius Aurelianus, omni ex parte firmè locatus, vt cùm fuerint impatienter iactati, immobilis perseueret. foribus etiam atque fenestris aduersi, ne ingressu hominum asperentur. Omnibus sic affectis, inquit Celsus, somnus & difficilis, & præcipuè necessarius est. sub hoc enim plerique sanascunt. Silanus iuxtà cadens, ad somnum facit, & lectus eorum, ait Octauius Horatianus, suspendendus est, & ad vicem gestationis agitandus: frequenti enim ea eâ lecti motione somnos dulcissimos procurabimus: nam ita ex oculis eorum, simulachris firmis abreptis, minùs occupata mens in perscrutandis simulachris, quæ oculis offeruntur, se remittet, & quieti dabit. Cuique vsitata, inquit Aretæus, somnum accersunt: nautis, nauis odor, & ventorum turba. Somno maximè studeatur, somno mitescit delirium. Fiat lotio manuum hypnotica, vt dictum De dolore capitis: & huic immersa spongia naribus admoueatur. & si fieri potest, pedes etiam hoc modo lauentur: quia soli nerui mulcebri tepore vaporis irrigant cerebrum: vnde somnus, qui est affectus sensus communis interni, id est, sentientis animæ, sensuúmque arbitri, stipatus phantasiæ ac memorandi facultate. Iuscula cum capite papaueris coquantur, vel accipe syrupi papaueris, vnciam, vel sescunciam: aquæ lactucæ, vel nymphææ, vncias tres; pulueris diatracaganti frigidi, scripulum: misce, bibat horâ somni. aut accipiat pilularum è styrace grana nouem: capiat sub noctem. tutum est remedium. Perperuò humectari debet aluus in hoc affectu. Fluat vrina, nam hæc sæpe supprimitur. foue pubem ea decocto parietariæ, radicum asari, petroselini, ea vino. fiat etiam cataplasma ex parietariâ, cum oleo scorpionum. prematur pubes. Alkekengi fructus sumat. Ab his cauendum, ne barbæ medici accedentis lanienam inferant: noui qui hac inscitiâ mediæ barbæ iacturam fecerant: nam interdum fallaci astutia sanitatem præseferunt, vt violent. Cùm delirium, mitescente morbo, in fatuitatem vertitur, nec dura sint præcordia, sed si fucus morbi in capite fuerit, audacter lauare oportet, ac sæpe caput perfundere: id facit corpus difflabile, siccitas mitigabitur, ac mens stabilietur, auctore Aretæo. Nam corpus horum est astrictum, vt etiam asserit Cassius medicus; dum enim quærit, Cur phrenitici in paroxysmis robustiores sint? respondet, eos auctas habere vires, quòd habeant corpus malè ad perspiratum comparatum, idque ex vehementi adstrictione. Iaceant in loco omni ea parte deuio, ne aliquâ transeuntium voce pulsentur. fenestris altioribus, ne se præcipitent. Iterum moneo, sit aër nec feruens, nec algens, nec lucidus, nec nimium obscurus. absint pigmenta, ne phantasmatis exasperetur mens, aut in risum soluatur: nam falsa pro veris vident, ac mentem agitatione lacerant. omnis splendor colorum absit. Laudat Cælius Aurelianus, vt solus ægri vultus, sine aliâ corporis parte, luce perfundatur, quasi per quandam cauernam arguto vsu machinatam sed notandum quibus asperentur, & mitigentur. Aliis assentiendum, aliis non, vt offensentur. eos quos verecundè coluerunt, per interualla intrare permittemus; ne frequentia contemptum faciat. Suadet Cælius vt pubetenus, hoc est, inter vmbilicum & pectinem, quod ἦτρον Græcis, lanæ oleo calido expressæ apponantur. Sic cauetur ne vehementiâ febris, & cerebri contagione vesica inflammetur, quod sæpiùs euenit, præterea ne vrinâ distendente vesicam anaiè, iscuria succedat. Spongiâ molli

Lib. 1. De variâ historiâ 37.

De vino.

Nota.

Quiet.

Eadem suadet Aurelianus lib. 1. Acut. 11.

Aluus & vesica.

Cur robusti phrenitici.

Vrina.

molli detergeatur sudor qui per vultum & thoracem emicat. Dabimus semper congrua, fingentes ea quæ ipsi petebant. Cùm se in fortitudinem erigere corpus cœperit, volantum dabimus carnes, pisces, cerebrum. Moneri debent iam qui euasere, vt rectè mentem componant, cachinnos, & tristitiam deponant, vt in vulneratâ sede rectè mens habitet. Visus hic etiam notauit quædam remedia. Annotat in Euonymo Gesnerus, hirudines iuuenes tritas in puluerem, mixtas cum castoreo, & pauco booo aceto, esse destillandas: nouem dies pota hæc aqua, à ieiuno, curat phrenitidem. Matthiolus suadet vt maluæ succus potetur, octo vnciatum pondere. Accipe illud pingue & spumam quæ bullieoti sero lactis supernatat: hoc vnge caput sasum. Alij caput vngunt cùm aphrogalis. Alij aquam boraginis & buglossi admouent capiti; vel ex floribus nymphææ liquorem, aut rosaceum liquorem, ioeunte morbo. Quidam illinuot oleum ranatum, cum paucâ caphurâ. Matthiolus solani hortensis tum foliorum tum baccarum succum sincipiti cum linteolis superponit. Meorum quidam in Italiâ præceptorum hoc oxyrrhodino frequenter vtebatur; aquæ rosatæ, olei rosati, cuiusque sescuncia, olei nymphææ vncia; philonij Rom. semidrachma: misce, fiat oxyrrhodinon. Quidam ex emulsione quattuor seminum frigidorum & papaueris, eum sescunciâ syrupi de papauere, & pauco violato, vel de citreis, horâ somni haustum exhibent. In vigiliis immoderatis hoc etat Montagnanæ remedium: papaueris albi semuncia; corticum mandragoræ drachma; croci grana quattuor: leniter cuntusa, & sindone excepta immitte horis sex aquæ nymphææ, fiat expressio: datur ad vncias tres. sumat duabus horis à cænâ & prandio. foris: accipe vnguenti populnei semunciam; olei violati drachmas sex; corticum mandragoræ drachmam; opij grana tria, vsque ad semidrachmam, croci semiscriptulum; succi limonum, parum. hoc extremum Montagnanæ est somniferum. Aliud, Accipe opij, croci, cuiusque scriptulum; aquæ rosatæ, vini albi singulas vncias; fiat frontale ex linteo: hoc commodè adhiberi vidi. Si licet eafum in consilium vertere, ægros subitò & nihil rale cogitantes, io ingentem cadum frigidæ plenum præcipitaremus, in caput peruolutos, nec eriperemus nisi post affatim haustam aquam; vt subitâ formidine tactis, ad infernas partes abriperetus materia morbifica. Sæpe vsu compertum, hos euasisse, qui œstro perciti phrenitidis, sese in profluentem præcipitassent. Quare rectè Celsus, multa in præcipiti periculo rectè fieri, aliàs omittenda. Hæc de curatione, quam breuiter ita ob oculos reuoco: primò enemate vel purgatione, aut venæ sectione vtendum: repellentibus, & dein sensim resoluentibus: cordi dicatis potibus homeꝺantibus & frigidis: vtinam & aluum prouocantibus. In paraphrenitide autem, in quâ plus timoris quàm periculi, admitti poterunt loco phlebotomiæ, si vehemens illa fuerit (ne abeat in veram phrenitidem) cucurbitæ, oxyrrhodina, somnifera. habitâ tamen ratione partis obsessæ morbo. Vt, si à pulmone, miscebimus violatum & papaueris syrupum, vel capillorum Veneris. Si ab hepate inflammato, cum syrupo de granatis, & aperitiuis, vt cichoraceis. Si à diaphragmate, accipiemus aquam hordei, in quâ violæ immadeure, libram; olei violati, vncias tres, vt fiat epithema. At comatosa phrenitis vix curationem recipit.

Empirica.

Somnifera.

Temeraria.

Anacephalæosis curationis.

Capvt XII.

De lethargo, *Veterno Latinorum.*

Lethargvs quamuis inflammatorius sit affectus (vnde Constantinus Afer perhibet frigidam phrenitim à Galeno appellari) attamen symptoma est phreniridi contrarium. In phrenitide enim diuûm gratissimum illud donum, somnus, noo fertur: at in lethargo inexpugnabilis adest dormiendi necessitas. Quare qui hunc affectum lethargum & lethargiam primi nominarunt, ad obliuionem & pigritiam eius oculos conuertêre: Græci enim lethen obliuionem vocant: & argiam vacationem quam corpori atque animo ingerit hæc passio. Quare hoc nomen à symptomate inditum est. Abincenna appellat sirsen frigidum, id est, apostema frigidum, collatione facta ad phrenitidem: cùm alioqui nulla plegmone algeat. sed tanto hîc madore circumfluit cerebrum, vt in perennem somnum dilabatur. Ita vinum quoddam frigidum dicimus, & cereuisias, quin & febres, cum aliis si committantur. Sed naturam huius mali peruestigemus, & primùm quid sit videamus. Si collineare velimus ad accidentia quæ hîc fatigant, dicemus esse delirium intermissionis expers, cum febre, sopore, & cirâ obliuione consociatum, cerebri malè affecti per idiopathiam symptoma: sicut phrenitis. Ac delirium quidem notamus io morum alienatione, corporis indecorâ abiectione, & ἀναισθησίᾳ laborum: soporem in veterno & exolutione: febrim in feruore vrinis, & arteriis: citam obliuionem in necessariis naturæ rebus, vt oscitatione, respiratione, alui secessibus, & lotio. Sed præstat causam symptomatis definitioni includere. Est itaque lethargus actio deficiens principum facultatum, ortum ducens à phlegmone œdematosâ cerebri, cum febre continuâ. Si itaque quis oculos vertetit ad actionem læsam, rectè lethargum symptoma esse profitebitur: sin verò ad phlegmonem, morbus erit. Quare Galenus meritò nonnunquam lethargum morbum esse affirmat; & aliàs symptoma id vocauit. Nam phlegmone est morbus cui lethargica symptomata cooſectaria sunt. Dixi in definitione febrem adesse: hæc autem fit à pituitâ quæ in cerebro putrescit: sed hæc ibi stabulans auctos febris non euadet, ni adsit inflammatio; quæ proxima causa est horum symptomatum. Dum à tali pituitâ nondum inflammatur cerebrum, febris nondum manifesta adest: alioqui, vt scribit Cælius Aurelianus, semper eum difficultate sensuum, atque febribus hæc intelligitur passio. Remotiorem itaque causam vnà agnoscimus, cerebri immoderationem calidam & madidam, cum materiâ pituitescente, cerebrúmque tendente: ni enim id fiat, phlegmones ratio aberit. Quidam hunc morbum non proximè ad phlegmonem, sed ad cerebri madorem & algorem abducunt: quòd somni libido adsit inexpugnabilis, & memoria ablata. Respondemus; dormiendi necessitas fit à solo madore: ita Galenus affirmat comam nasci ab intemperie humidâ: at in eâ est infracta dormiendi cupiditas. Et alibi, in lethargo altus somnus, quòd cerebrum ob insignem madorem expandi neqeat. nihil hîc de frigore. Comâ detenti nil respondent excitati, veterno pressi respondent: nam à madore sine algore, imò cum quodam calore est. At dices, memoria euanuit: itaque à frigore. Respondemus demonstrasse Aristotelem varias ob causas memoriam deleri: vel quia

Nomen

Quid sit.

Dubium.

4. De præsag. ex puls. 3. De caus. puls. 10.

Lib. De memor. & remin.

quia simulachra rerum non suscipiuntur à sensu communi: vel suscepta non detinentur: vtrisque his opus est, vt sit quis memor. Hinc enim tenuem stabilemque substantiam à SVMMO DEO cerebrum obtinuit; quod enim tenue, accipit; quod stabile, retinet. Propterea firmari dicitur siccitate & calore: calor enim tenuat cerebri corpus: siccitas id stabilit. At in lethargo frigoris vi non obliteratur memoria: sed pituitæ inebriantis cerebrum adeò, vt simulachra non accipiat: & quamvis admissa essent, effluerent à nimio madore. His rationibus consentaneum non est, à frigore homines memoriâ exui. Quod autẽ scribit Galenus, lethargum fieri ex forti refrigeratione, id verissimum est de antecedente causa: sed ea postea putrescit, & phlegmonem accersit, cum febre perpetuâ. Hactenus de naturâ & definitione huius affectionis: iam ad causas. His cerebrum pituitâ putri velut inebriatur, tenditur, & inflammatur; eiúsque membranæ, venæ, arteriæ, circumfluunt pituitâ. Verùm vnde hæc pituita? Duplex huius talis causa. vna generans: altera generatam putredine contaminans. Generant eam, quæ cum madore algent, sumenda, admouenda corpori, & agenda. Heraclides Tarentinus libro primo De internis passionibus, ait à copiâ cruditatis hanc nasci. ita crassi & frigidi cibi cum multo vino. & aër qualis medio Autumno, inquit Aurelianus: quies torpida animi & corporis, temperies quin etiam pituitosa: propterea dicebat Soranus, senes frequenter hoc affligi, quòd & aptior sit sensuum difficultati, & demersioni ipsa senectus alij tamen mediã ætatem ponunt hoc malo maximè infestari. Hyems & primum ver fœcunda in hoc malum: & pingues naturâ: & si vomitus pituitæ solemnis fuerit interceptus. Causæ autem putrefacientes congestam materiam, sunt cuncta quæ infarctus adferunt: quæ si cerebrum feriant plenum, intercipiunt transpirationẽ, hinc putredo. Scribit Abincenna à cæparum vsu lethargum etiam nasci; quòd nimirum congestam pituitam in putredinem abripiant. ita esus fungorum. fit & à potestate frigidis venenis: vt ab opio, cicutâ, largiùs sumptis: nam, auctore Galeno, deleteria frigida solâ necant copiâ. his peculiaria remedia scribit Dioscorides. Fit itaque lethargus ex refrigerante materia quæ putrescit & opprimit cerebrum: interdum à resoluto cerebro vi morbi acuti incidit, vt euenit Hermocrati apud Hippocratem. At Heraclidi Tarentino etiam nasci videbatur ex humorum acrimoniâ, vt testatur Cælius Aurelianus. existimo eum ad putredinẽ collineasse. Hæc de causis primigenij lethargi. iam ad signa. Repleti capitis symptomata sunt cataphorica, aut cephalalgica, aut catarrhoïca. Inter cataphorica numeratur lethargus. Hi oscitando diductam inferiorem maxillam claudere immemores sunt; nec micturientes matellam se poposcisse: magnum & rarò spirant: iniussa excernit aluus, & iniussa vesica. hæc sunt præcipua signa, de quibus latiùs aliquantulum dicamus. Sunt signa lethargi duplicia, alia quæ imminentem, & alia quæ præsentem arguunt. Signa inuadentis lethargi sagaci iudicio captare oportet: nam iam tunc aderit occasio medendi: quæ abiit cùm iam insedit morbus visceri. Tunc futuri lethargi metus adest cum sensim somniculosis obrepit obliuio: non enim subitò veloti catochus inuadit. anteambulonem habet caterbariam. vicissitodo adest fugacium vigiliarum, & actioris somni: ex contrariâ vt putredinis materiæ putrescentis. falso, inquit Theodorus Priscianus, somno deprimuntur. tremat si interdum caput; propagatione causæ lethargicæ, à parte posticâ cerebri in ceruicem. Hæc sanè plethoricis causis percelli cerebrum denotant. Præterea si putridus catarrhus diu multúmque molestus fuerit. vultus inflatio, taciturnitas, in multo somno nihil somnians, iugis oscitatio & extensio artuum. saltuosi sunt. febricula lenta à torpido calore his iunge procatarcticas. Præsentem autem lethargum noscemus ex actionibus læsis, excrementis, & qualitate à mutatâ. Et actione læsâ animali: vt ex oppressione & hebetudine sensuum, tum principum etiam facultatum, quæ in imaginatione, cogitatione, & memoriâ. Non delirant vt in phrenitide, sed fatui sunt & amentes: etenim est actio hîc ablata, non deprauata. Vt progressum fuerit malum, ita memoria tantùm, mox mens & cogitatio, non rarò vtrumque afficitur, vnà cum sensu communi. Nam præsente in malo omnes sensus sopiti iacent, & motrix vis grauiter afflicta languet. magna capitis segnities: crescente passione, vt scribit Aurelianus, in dorsum semper reuoluitur æger: nulla iactatio fatigat, æmula mortis quies, somnóque similis demersio & pressura. Qui moderatiùs ægrotant, inquit Trallianus, inclamantibus palpebras aperiunt, & rursus conniuent: & tunc iussus linguam exerere inspectioni, tardè id facit, tardéque reducit: intercepta enunciatio dum loquitur, ex obliuio: tremor: sputator ex refluâ saliuâ: nec mingit nisi monitus: tam grauis obliuio vt os claudere obliuiscatur dum hiat: nam. vt videtur Aëtio, inferior mandibula veluti resoluta videtur. Labitur ad pedes: respiratio tardior ac maior, cum quodam gemitu. Tandem non nisi puncti excitantur, sed solùm leuiter motis labiis, atque conductis rursum demerguntur in somnum. in peius cùm ducit ægrum passio, respiratio crassescit, ita vt exstincta videatur: palpebræ non omnino conniuent: oculorum cauitas, linguæ ariditas, stridor dentium, aut demisso ore ita propendens mentum, vt neque manu conduci possit: stridor pectoris: saltus inferioris labij, guttur exstans: non audiunt, nec palpebras mouent. Notandum hos, *διὰ τ̃ φρενοβλαβείας, magnum & rarò respirare: cùm ob febrem crebrò respirare deberent: imò stertit nonnunquam. Razes inquit, si quis cum profunda animi in somnum delatione iacet, & tamen si vrgeatur, sentit & mouetur, verùm oculos semper occlusos habet, ad quos si altiùs inclametur, aperit atque ilicò ad somnum redit, hic Sopore oppressus laborat. Neque iste somnus est, ait Cælius Aurelianus, impeditis omnibus officiis naturalis actionis, sed est oppressio quæ mergit ægrotantem. Vitalis etiam facultas consensu trahitur. pulsus magnus, tardus, inanis, ac languidus ob fractam facultatem: latus videtur pulsus ab irritatâ facultate: est enim inflatus, vndosum vocat Paulus; attamen debili percussu, quòd tamen inflatione erectus videtur, non fortitudinis causâ, sed passionis nequitiâ id efficitur. Ita Soranus Ephesius ei ascripsit pulsum magnum, tardum, atque inanem. Hippocrates inquit, σφυγμῷ νωθρῷ, id est, cum pulsu effœto, hoc est pigro, tardo, vndoso, cum ἀνοχῇσι intercalati, per exolutionem facultatis pulsificæ, in vsu pulsandi pernecessariæ est autem mollior, ob cerebri inflammati mollitiem. Lenta adest febris, à lento humore, non valdè mordax; interdum quasi intercapedinata. Quin & naturalis facultas sympathiâ vnâ fatiscit. Scribit Abincenna lotium respondere asinorum lotiis: à spirituum ac flatuum perturbatione in venis, quæ fit his exilientibus ex pituitæ copiâ. Deiicit aluus pituitosa. Color plumbeus vel liuidus crescente passione, conductus vultus ac caperatus quasi luctu obsessus: sursum elata hypochondria Excrementorum non voluntaria emissio. Nec potum nec aliud quippiam sibi dari contendunt: cùm nulla sitiferæ causæ sensio excitetur alienatis mente, vnde se negligunt. ac tã immemores, vt si quid fortè poposcerint, cùm in manus sumpserint id

Marginal notes (left): 2. Aph. 3. — CAVSAE. — Generantes. — Putrefacientes. — 3 Simp. 17. & 3. De temp. & 2. Aph. 17. — 3. Epid. — 2. Acut. 9. — SIGNA. — Imminentis.

Marginal notes (right): Præsentis. Ex actionibus læsis Animalibus. — * Id est, dementiæ causâ. — Ex Vitalibus. — Galen 3. caus. puls. 13 — Ex Naturalibus & à Qualitate mutatâ.

id se tenere manibus non meminerint. Aliàs ventris atque vrinæ officium cessat, adeò, inquit Aurelianus, vt liberati tandem ab vrinæ interceptione moriantur. Aliàs biliosa aluus à bilis dominatu, à febris corruptione: profusiórque vltrò & iniussa fertur, nam hi non sunt suæ mentis: & quia partes excretioni dicatæ hîc sensu carent. & tumida est hæc profusa aluus, vt in hydropicis. Quam si astrictiorem forte habuerint, attamen arescentes fæces & vrinæ exeunt iniussæ. Decolores sunt, faciei sympathia cum cerebro pituitâ inebriato: est autem consentaneum, vt color humori similis efflorescat. Quamvis alioqui calor toto fundatur corpore, ex febre pituitosâ: quæ tamen leuis interdum. Os albet, & excrementis scatet: & tussiunt à pituitâ labente, liquidúmque spuunt multum. Lingua à pituitâ albescit. Sunt turgiduli: cuiusmodi sunt qui somno indulgent meridiano: aut qui ad multam lucem dormiunt exhalandi vini, & concoquendæ crapulæ causa. Nam diuturnior somnus facit τὴν ἑψδέντα, id est, elixationem: quæ causa est cur lethargici videantur leucophlegmatici. Apparent enim genæ sublimes, vt ebriosis, laxaris vtriusque canthi musculis ad oculos. Tandē vnguium liuor: sudor frigidus & glutinosus ad vultum & ad collum. Signa habemus vnde agnoscimus lethargum adesse: qui si ex variis partibus obsessis, diuersisque causis effectricibus oriri possit, etiam peculiaribus notis pars obsessa, & causa efficiens notari debebunt. Nam differentiæ sumuntur à loco qui morbo premitur, & à causis effectricibus. A loco affecto, qui hîc est cerebri substantia ex Abincennæ sententiâ: cuius notas iam narraui. fieri etiam potest à meningibus occupatis: sed non erit exquisitus ille lethargus. Ita varias lethargi species recenset Aëtius. Quin etiam diaphragma phlegmone pituitosâ obsessum in parte carnosâ, ideam lethargi præse fert: sed pulsus est durior, & præcessit dolor in eâ parte, & tensio; & tumcut media, inquit Aurelianus: at cùm à capite est, præcessit somnus vberior, capitisque tremor, & sæuus est lethargus, quin oculi propenduli videntur afflictâ cerebri substantiâ. Quare ex modo generationis facilè distinguitur. De diaphragmate obsesso, ita Aretæus. Si præcordia inflammata sint, aut si intrò tracta præcordia caua fiant, cataplasma & madefactiones vtiles erunt, descriptæ capite de phrenitide à diaphragmate. Aëtius cataplasmate vtitur ex pane, & malo cotoneo coctò, aut pampinis: & progresso morbo addit semen lini, absinthium, & althææ folia. Postea ex hordei farinâ, & fœnugræco, & althææ radice fiat cataplasma. omnibus adde absinthium. Sit latum linteum, vt latera & pectora sub mammis amplectatur. Amoto cataplasmate, fiat illitus ex nardino, vel cyprino. & dorso etiam illinatur. Si flatus adsint, adiicies cataplasmati cuminum, baccas lauri, rutam, & similia. Si quid induruit, adde farinas emollientes. Aurelianus etiam cucurbitam imponit à scarificatu Itaque vt bilis flaua in cerebro facit phrenitidem, bilis atra insaniam, pituita putris lethargum; ita in diaphragmate, pituita putris cum febre quæ palpitationem inducit, delirationem quoque facit, quæ proportione respondet lethargo. Hæc pituita in diaphragmate inflammationem mouet. Adueniente autem crisi per pepasmum, ptoritatione & in meatuum libertate, naturâ duce, pituita per aluum excernitur. Quantum ad differentiam aliam quam duci ab efficientibus causis dixi, ex hic à pituitâ, quæ vel iam iam putrescet, aut putrescit, vel cōputruit. Est vel primarius lethargus; vel secundarius, id est, alius morbi consectarius, vt phrenitidis. Constat lethargus ex plegmone: quare non simplex morbus. Est solubilis, vehemens, mali moris. Peracutum malum, quod septimo die finitur interdum: ob afflictam nobilem partem, quæ cæteras in consensú trahit. Cerebro proprius: perpetuò idiopathiâ infestans. Sed sunt quidam lethargo vicini affectus, hi, ne fallant, ita discriminantur. Si is qui prostratus morbo iacet non respirat, ab apoplexiâ id erit: sin respirat liberè, clausis oculis, cum febre, nec alteri morbo superuenerit, lethargicus iacet æger. Si manus tunc etiam tremant, palleat, turgeat, pulsus tardi, & alia quæ diximus adsint, firmabunt significationem. Et sensim abeunt homines in lethargum: at apoplexiâ subitò deiiciuntur. Quod si febris expers alij morbo successerit, caros erit: & maior dormiendi necessitas in caro vrget; stimulati enim vix excitantur, interrogatique non respondent: liberè tamen respirant, quod apoplecticis negatum est: nam apoplecticus stertit tantùm. A caro autem lethargus discrepat: nam, vt dixi, febris caron præcedere solet, eaque vehementior. Nam qui sopores in periodicis febribus συμπτωματικῶς ægros occupant, sunt non ληθαργικοί, sed καρωτικοί: nam caros est symptoma alterius morbi: at non ita lethargus. A comate autem differt lethargus, quòd pituita comatis, non sit putris, ideóque adiungitur lethargo, non comati lethargus. Lethargus proximè accedit ad Typhomaniam vel coma vigilans, quia dormire videntur, & somni sunt expertes: nam delirant. Sin oculi pateant rigido corpore, catalepsis erit, à sanguine vel melancholiâ. A lipothymiâ quæ in febres cadit discernitur: quòd hi denso & paruo sunt pulsu illico. Quidam à mandragorâ falsò lethargo tenentur; vel alterum bibentes: quidam à lumbricis. A mandragorâ vel alterco, plenior pulsus: at in lethargo est inanis & inflatus. A lumbricis adest pulsus densus & velox, & paruus & deficiens: & maximè cùm febris dimittit: nam accessionis augmento, quantum creditur, non valent stomachum vel ventrem lactare. Causis deprehensis huius mali, quâ arte illæ iam abigi debeant, ex earum naturâ intelligemus. Adsunt symptomata, vt torpor, adest & proxima causa morbi, putrescens humor in cerebro: & etiam antecedens causa, quæ in venis magnis concepta, fouet & auget cerebri malum: quin & remotior, plenitudo toto fusa corpore. Fluens itaque materia erit reprimenda: & fluxuram fluentémque reuellemus. phlegmone autem, quæ iam in γεγένηται, curanda, eâ arte quâ phrenitis. Pituita quæ madet siccetur: viscida abstergeatur: crassa attenuetur: putrida euacuetur. Itaque quinque exigere videtur hîc curatio: euacuationem; diuersionem; tertiò, ineunte morbo retusionem influentium succorum, in medio repressionem & exhaustionem, labente morbo resolutionem & causæ consociatæ eductionem: quartò, corroborationem: quintò, vitæ modum vt præscribat. Hæc si peragi poterunt, quæ ita causa mali transigenda iubet, ilicò ad curationem pergendum. Sed ægrè hæ indicationes absoluuntur, ob summam vim morbi, qui septimo die sæpe finitur; ita vt ægrè toti corpori medicinam facere liceat: obque partis principia ab inuictâ ferè causâ occupationem. Rarò enim excutitur materia à cerebro: ægrèque restituitur eius temperies in tam malignâ cacochymiâ, tantâque naturæ oppressione. propterea etiam de ceruicis dolore interdum queruli sunt, propter transitum materiæ à cerebro in spinalem medullam, eius sobolem: vnde vigente lethargo, manibus contremiscebant, per propagationem materiæ, tunc cerebro conceptæ. & dicunt flatus sibi per aures vi exprimi, cum sibilo, à flatibus. Acutum hoc genus morbi, & nisi succurritur, celeriter iugulat, inquit Celsus. Nam cùm factus iam constitit tumor, facilè in vomicā abit: ac die in

Margin notes (left column): *2. Acut.* — *Differentias.* — *A loco.* — *2.2.3. A diaphragmate.* — *Curatio à diaphrag.* — *A causis effic.* — *Vt distinguatur à vicinis sibi morbis.*

Margin notes (right column): *Indicationes curatiuæ.* — *Prognosis.* — *Corruptio cerebri.*

in sphacelum, hoc est corruptionem abripit cerebrum. Quare antequam curationem aggrediamur, prudenter notas obseruabimus, quibus significatio adfertur num redintegrabile cerebrum, an calamitosum potius malum illud habeat; & quisnam euentus expectandus ab hoc malo. Si septimum diem egrediatur, aliquid sperandum. *Nota.* Nota benè vires; & maximè respirationem: nam inde vim morbi facilè *Galen. 3. loc. aff.* assequeris. Si enim validè lædatur respiratio, ad Apoplexiam nutat. Et Cælius Aurelianus admonet lethargum esse grauiorem phrenitide; nō aliter quàm negatus in toto visus, ab ex parte impedito. Si symptomata mitescant, bene sperandum: vt si redintegretur respiratio. Ponè aures si tunc tumor effloreścat, vel tumorem si concipiat foris caput, illa in bonis ducenda; est enim paroris peculiaris lethargi crisis, à foras protrusa materia: nam longiùs frigida *3. Cris.* materia non abscedit, sed ad proxima loca. Galenus etiam affirmat sudore solui. Tremor, & frigidus circum caput sudor, malum: nam tremor fit quando lethargi inueteratione fit cerebri alienatio: vel propagatione causæ lethargicæ à parte postica cerebri in ceruicem: sudor autem initio fit per expressionē, ab oppressione; postea verò, ab exolutione partium solidarum. Lethargici in phrenitidem deciderunt interdum, auctore Cælio Aureliano, & deinde ad sanitatem peruenerunt aliqui, cui subscribit Theod. Priscianus, qui ait plus lethargicos periclitari: nam phrenitici ampliùs grauati fiunt lethargici: lethargici verò releuati in phreniticos permutantur. Hoc ex Hippocrate affirmant, qui asserit bonam translationem eius esse in phrenitidem: sin contrà eueniat, malum: exhaustâ nimirum cerebri viuacitate, vt in Hermocrate, quem somni vacuitas, comatosum reddidit vndecimo die morbi: nam intemperies frigida febrilis ardoris consectanea, est insanabilis. Si sociam etiam traxerit validam febrem, ægrè curabitur. Si vrina ab vsu remediorum ad colores non erigatur, malum. sed si superuenerit frigus, rigor, vel tremor, sine consectaneo sudore & euphoriâ, calamitosum; indomitam enim copiam frigidi succi denotat. Ita etiam sudor è capite manans frigidus, mortem præsagit. Quin etiam vrinæ quæ effluunt immemoribus, lethales. His si accesserit vrinarum perturbatio, vocant οὖρα θολερὰ, tanto peius. Nam Hippocratica schola docet, si lethargico immemori aluus feratur liquidis excrementis, vel vrinæ fundantur similes iumentorum, mortem subesse: nam indomitam materiæ copiam denotant. Qui seruantur, inquit Hippocrates, ferè his purulenti redduntur pulmones nisi tamen antè cadat ex peripneumonia, quæ ex prolapsu fœdæ huius materiæ insilit, fractis iam à lethargo viribus. A magnis febribus plerumque calamitosus euenit: à resoluto cerebro. *Historia.* Attamen, non temerè quod dixit Celsus, monstra in medicinâ eueniunt: audite quæso historiam quam doctissimus ac diligentissimus D. Schenckius narrat ex Valeriolæ obseruationibus, de sene pro deplorato à medicis relicto triduum totum: qui tamen reuixit paulatim vi naturæ tacitè operantis. Medicus, inquit Valeriola, Lusitanus septuagenarius, febri continente grauissimâ Auenione correptus, soporatus & ferè apoplecticus factus decimoquarto die, ad multos dies sine cibo & potu vitam ducens, sine voce, & sensibus omnibus destitutus, tanquam mortuus iacens, & pro deplorato relictus à medicis (in queis & ipse ascitus eram) tandem sensim naturæ ope reuocatus, post bimestre tempus, & eo ampliùs conualuit. Temperie erat frigidâ & humidâ, pituitosus & excrementis abundans, carnosus, vorax, & parum in victu cautus. Vnde videtur non à resoluto cerebro vi febrili, sed materiæ illi copiâ oppressum cerebrum fuisse: quâ euictâ, febrili calore, euasit. *Curatio.* Si spes aliqua redintegrationis affulserit, ad remedia illicò properādum: primúmque à reuulsione auspicandum: est enim acutissimus morbus, & induciarū nescius. *Quid primo agendum.* Remedia ordine in vsum ducantur. Primū iniiciatur clyster aliquantulū acrior: quo excitetur æger, simúlq; corpus & caput euacuetur. hoc modo: Accipe parietariæ, betæ cum radicibus, mercurialis, cuiúsque manipulum; foliorum rutæ, betonicæ, saluiæ, pulegij, singulorum semimanipulum; seminū anisi, rutæ, vtriusque binas drachmas: agarici non trocbiscati, duas drachmas; foliorum senæ, semunciam: coque ex hydromelite: colaturæ libræ adde catholici semunciam, hieræ duas vel tres drachmas; aut succi betæ duas vncias vel tres; olei rutæ vncias duas; salis communis drachmas duas: misce, fiat enema. *Phlebotomia.* Deiecta aluo, si vires, ætas & plenitudo sanguinis respondeant, pertundes cephalicam. *Dubium: an secanda vena.* Sed estne hoc modo, nimirū per venam sectam euacuandum & reuellēdum? nam hic humor crudus coctione potius eget: & frigidus morbus sanguinis eget. nec æquè ac bilis meabilis est pituita viscida, quæ hic in vitio est, quare ex vulnusculo non effluet. Respondemus, suadet venæ solutionē magnitudo morbi: si vires vegetæ fuerint. Quare, modò nulla adsit inopia sanguinis, nec validum succorū vitium, vena liberanda: nam vbi validâ circumfluit cacochymiâ corpus, vires titubāt. Nec profectò tāta adest cruditas enitescentibus corporis viribus, quæ arceat sanguinis eductionem in morbo acuto. Coqui certè succus possit, si morbi vis non æquè efflorescéret. Et ita est, frigidus affectus indigus est sanguinis: at nos etiā non copiosè eum educēdum putamus. & tamen hac euacuatione vna subducimus frigidum succum, qui copiâ obruebat calidum natiuum. Et certè fusa est hæc materia in venis, ideóque fluxa, facilèque pertusâ è venâ meabilis. Itaque secanda est vena: nam celere est remedium. Suadet inter cæteros & Actuarius venæ sectionem; quò, inquit, expeditiùs eius in vasis sit excursus. Sed, vt eidem auctori etiam placet, exiguum quid sanguinis detrahatur. *Cautio.* Cautionem quandā addit doctissimus Aretæus; si ait, alius morbus hunc exceperit, vena nōn secetur (nam languent vires) vt si phrenitidi superuenerit: sed ventrem subluito, addito castoreo: etenim imus venter veternosis frigidus est, & ad excretionem emortuum intestinum. *13 Met. 21.* Galenus etiam commendat inter omnia phlebotomiam: nisi quid impediat, vt crudus succus, ætas, tempus in quo sit extremus æstus aut frigus. tunc enim ad clysmata potiùs acria deueniendum esse admonet Paulus. Cælius etiam Aurelianus phlebotomiam adhibendam intra primam diatriton, aut in ipsâ existimat. Secat etiam venam Trallianus, si vires ferant. & Aëtius, modò adsit sanguinis copia. sin, inquit, pituitosior & lenta materia fuerit, vt hîc solet, attenuantia erunt præscribenda: vt, si pars neruosa non fuerit in querela, acetum mulsum damus: quibus verò hæc fuerit in querela, his propinamus decoctum apij, fœniculi, adianthi, de quibus mox. Ad hæc collineans Abenzoar, phlebotomiam prohibet. Ego maximè venam tundendam puto, vbi sanguinea euacuatio solemnis supprimitur; vbi tunc facies turgidula rubet. *Quæ vena.* Sed quæ vena erit secanda? Cephalica vena cubiti, inquit Aretæus, sed cuius lateris? è regione partis magis afflictæ, inquit Arculanus; & prudenter addit, si modò sanguine misti fuerint humores. Quare si turgidulæ fuerint venæ, & reliqua annuant, cephalica in brachio primùm tundatur: dein frontis vena scindatur: hoc est, si à venâ sectâ facies turgidula rubeat ac ardeat, & venæ conspicuæ sese efferant. *Quā copiā.* Verùm quantum sangui-

uis eliciemus?parcè hoc agemus;ad vncias quatuor
Cucurbita. aut sex. Si metus adsit vt ferat venæ sectionem, ad-
mouebimus cucurbitulas lateribus colli ponè aures,
iuxta venas:in iis partibus quæ syntimorian habent
cum capite:non vt Arabes dorso & humeris.nam,ex
nostro præscripto, ita promptiùs euacuabunt, & di-
uertent.Quin in vigore morbi occipiti admoueatur:
ad eclampsin calidi natiui.& vnà extrahe sanguinē.
quod etiam voluit Aurelianus,qui ait,radendum tūc
caput,sacrificandum appositâ cucurbitâ:& sanguisu-
gis releuandū.Idem profitetur Aëtius,qui ita scribit,
Occipitio affige cucurbitam, ad vertebram primam
& secundam,& sanguis effluat. Admonet iterum hîc
Aretæus, inutilem esse cucurbitam si à phrenitide in
hunc morbū venerit.Sin,ait,atra lingua est,& tumor
in præcordiis fuerit,cucurbita opus est:nā à diaphra-
gmate inflammatorio affectu obsito hoc erit. Fronti
& temporibus etiam sanguisugas olim affigebant,vt
Excitantia. annotat Theodorus Priscianus. Venâ sectâ excitetur
æger.suffitibus hoc fieri hîc licet:nam respiratio ad-
huc est integra.Accipe capillorū humanorū inciso-
rū drachmā;castorei semidrachmā,assæ fœtidæ dra-
chmas binas;lapidis gagaris drachmā:misce.aliquid
ex hoc puluere carbonibus iniiciatur , & fumus per
traiectorium naribus excipiatur.Ruta etiam naribus
imposita egregiè excitat:teratur cum aceto. Verùm
cùm febris adsit,vehemētia non sunt temerè præscri-
Frictiones. benda.Reuellemus etiam frictionibus.Priscianus ar-
ticulos eorū vngit frequēter & fricat oleo vereri,vel
cucumeraceo,mixto castoreo:&,si frigidi fuerint,si-
Vincula & illitus. napi admiscet.Hęc fiēt duas horas à cibo:ita etiā vin-
cula tunc iniiciemus.Hoc modo ventriculus suo offi-
cio non fraudabitur : cùm iam tunc cibū arcto am-
plexu retineat:quin tunc alioqui in cerebrū se ex vē-
triculo effūdit vapor,cùm coquitur cibus.Quare nō
ilico à pastu frictiones & vincula adferātur.Aretæus
etiam iubet vt pharmacis genua & pedes illinantur:
vrticâ crura verberato, inquit, vel illine euphorbio:
scyllæ laminis aut succo fricentur.Vel ex aceto ela-
terium cum sinapi cum frictione admoue:vt demor-
Cautio. tui languor discutiatur. Sed cautio adsit ne his vta-
mur inuasionū paroxysmis.Ab vrticâ tamē verbera-
tionē,quod etiam Plinius, reliquis præfert Aretæus:
non enim malā vstionem relinquit,aut vlcus.Plinius
Lenientia. frontem & crura eâ ferit. Et gilua charta geminata
imbuatur smegmate, sale,& fermento:impone pedū
plantis.Ineunte tamen morbo illico deponenda erit
fœditas regionis aluinæ. Quare si vomat ex facili,
gulæ inserat pennam,suasore Abincenna,delibutam
melle & sinapi.Et Mesue etiam vomitum initio mo-
uet.quod bene fit in stomacho repleto,inquit Aure-
lianus,vnde surgit vapor.sed tamen vt plurimum no-
cere admonet. Clysmis eluatur aluus,id meliùs hoc
modo quàm pharmacis in hoc malo:nam,vt testatur
Actuarius, bis aut ter elui aluus debet, quò faciliùs
eat,nihilque hæreat quod in caput cursum flectat,&
vaporando malum augeat.Hoc modo:accipe folio-
rum maluæ,althææ, liliorum,betæ, parietariæ,rutæ,
centaurei minoris,cuiusque semim anipulum;florum
meliloti,chamæmeli,stœchados, singulorum pugil-
lum;seminis maluæ, lini,anisi,cuiúsque semunciam:
coque ex hydromelite: colaturæ libræ adde diaphœ-
nici semunciam;benedicti vnciam:mellis rosati vn-
cias binas,olei chamæmel. vncias tres ; salis drach-
mam:misce,fiat enema. Postridie à molli clystere,si
opus,imponantur fortiores. Si fortè clyster immitti
non possit ; fiant balani : hoc modo, Accipe mellis
quod satis sit,adde benedictæ vel hieræ vnciam:salis
semunciam : fiat magna balanus filo ligata, & oleo
rosato irrigata:& agitetur filo, vt irritetur excretrix
facultas intestini.Themison antiquæ methodicæ se-
ctæ author aloës dabat appensum triobolum , hoc
est,dimidiam drachmam,inquit Aurelianus,ante ci-
bum, cum aquâ : priusquam passio augeretur id age-
bat. ita multa detrahuntur quæ ad caput concur-
runt. Soranus tamen Ephesius id reiicit , quia nihil
agit , sed retinetur. Quare Heraclides Tarentinus *Aurel. 2.*
clysmis potius vtebatur, ex aquâ in quâ centaurium *Acut. 9.*
fuerat decoctum, vel absinthium. Postea materiam
præparabis, & deiu purgabis. attamen si febris fue-
rit æstuosior , à calidioribus abstinebis. Si sumere *Praepa-*
potiones possunt , hîc bene paranda erit morbifica *rantia.*
materia, ex his attenuantibus , vt satureia, pulegio,
nepetha,& similibus.Quin hæc etiam ex aceto fer-
ueant, & halitus naribus excipiatur ; id capitis suc-
cos parat. Alhasarauia syrupo de mentastro & de
melle vtitur. In his præscribendis stomacho & vis-
ceribus semper consulatur : & flatus discutiant , &
sint diuretica, hoc est,vrinalia, vt ex mulsâ coctum
hyssopum, dictamnum,origanum, adiantbum, gra-
men, scabiosa, betonica, melissa, helenium,anisum;
cubebæ si languidior febris , thymus : hæc calfa-
ciunt,secant,& roborant.His adde mel rosatum, vel
syrupum capillorum veneris,& alia quæ vbi De do-
lore capitis à pituitâ. Vellem certè mihi rem esse *Excusatio*
cum his,quibus formulis remediorum opus non es- *authoris.*
set:perpaucas certè adferrem. Ita enim non molem
duceret opus , nec fouerem quorundam ignauiam,
qui ad hæc se vertunt , priusquam intellexerint ea
quæ ego & me præstantiores alij clarè docuimus in
Methodo medendi.nollem certè formularum farra-
gine,quod hodie malè fit,librum farcire. Accedit &
illud,vt istam remediorum ῥᾳθυμίαν ad temerariam
periclitationem impetitiores abripiant ἄσκεπτα π-
ξάοντα :qui hodie tot, quot vix vna vehat nauis. Et-
enim cùm nullus morbus sit idem omnibus , nec
certè vllum remedij genus eandem vim habebit in
singulis : nam ex distinctione corporum & causa-
rum, singula singulis opportuna sunt præscribenda:
nam non homo,sed Dion aut Socrates curandus ve-
nit.Itaque variæ indicationes, quæ polydædalâ ideâ
sese offerunt in singulis corporibus morbo obsitis,
tanquam Limentini quidam dij remedia,iam à mor-
bifico affectu decreta,limare debent. Sed de his, vt
dixi,abundè nos & alij in Methodo medendi.Id ta-
men agam , ne alicui in querelam veniam, vt quan-
tum fieri potest , singulis causis suas formulas præ-
scribam : vos amici ex sese in vsum offerentibus in-
dicationibus mutate , & in vsum vertite vestrum.
Vt iam hîc, accipe oxymellis simplicis, vel scillitici,
syrupi stœchados, vel betonicæ, aut boraginis, quo
cætera temperentur , horum ℥ iij. decocti calamin-
thæ, origani, stœchados, betonicæ, aliquorum ho-
rum libram:misce,detur per triduum,vel dum mite-
scat materia.omnibus semper misce aliquid castorei.
Sin febris valida, abstine à stœchados syrupo. Præ- *Purgan-*
paratam materiam pharmaco excludemus. Vtemur *tia.*
pilulis cocciis,vel fœtidis,aut de hierâ cum agarico.
hæ aquâ melissæ vel simili soluantur:& adiice sem-
per aliquid castorei:vt semiscripulum. Medici

Hac potiora putant,quàm dulci morte perire. *Q. Sereni versus.*

vel diaphœnicum,aut benedicta,indum maius,dan-
tur ad sex drachmas. Interdum hoc modo , Accipe
trochiscorum alhandel,castorei,cuiusque scriptulos
duos ; extracti ellebori nigri drachmas duas ; masti-
ches,zinziberis,singulorū grana sex:excipiantur lin-
teo raro,& macerētur in quatuor vnciis aquæ origa-
ni;& syrupi de stœchade vnciis tribus. huius deglu-
tiat duo vel tria cochlearia cotidie,aut etiā alternis,
ternísve diebus,vt fuerint vires. Veruntamē si febris
exsplenduerit,ab his calidioribus abstinendū,vt etiā
ab hierâ : & clysmis potiùs transigendum. Aretæus
præbebat hieræ binas drachmas,cum aquæ cyathis
duobus. & carthamo vtebatur ex cremore hordei,
antiqui

anriqui ptiſanatium vocant. quin etiam elleboro nigro, ineunte morbo. quare ſi febris non æſtu incanduerit, poterit extractum ellebori ex oxymelite propinari ilico. præſtaret tamen cuncta cichoraceis remiſceri, ob febrilem paſſionem. Ita aquæ meliſſæ & betonicæ immacerabunus ſemina cichorei vel endiuiæ contuſa, aut horum flores, vnà cum pugillo ſtœchados, & agarici trochiſcati ſcriptulis quatuor, ſi ita videbitur: colaturæ adiiciemus aliquid electarij Indi maioris. Quòd autem Abincenna & Trallianus ſcammonio hîc vtantur, eo conſilio hoc illi, vt pituita, mota bile, cedat: quæ alioqui reſtagnat: eſt enim bilis quaſi vehiculum, quo effertur pituita è corpore. Poſt quinque horas à ſumpto pharmaco, acri balano irritabimus ſopitam inteſtinorum excretricem: vt; Accipe euphorbij, pyrethri, zinziberis, ſalis, ſinapi, cuiuſque ſemiſcriptulum; ellebori ſcriptulos binos, hieræ drachmas duas; mellis quod ſatis ſit, fiant ſuppoſitoria. Sed cæteris per os quæ dantur purgationibus præferenda clyſmata ſunt: nam materia morbifica hæc indomita nondum trahenti pharmaco cedit. quin pharmaca cuncta quæ propinantur ineunte morbo, potiùs anerſione quàm purgatione iuuare videntur. præterea febris viſcere concepta eam à pharmacis concuſſionem ægrè fert: at clyſma non malè viſcera obſeſſa fatigat. Razes etiam laudat clyſmata acria; & Paulus in eadem ſententia eſt, qui, vbi reclamant vires ſectioni venæ, acre clyſma iniicit. etiam Aurelianus (cui inter medicos pragmaticos aliquid tribuo) caput curationis in clyſmis poſuit: & hos cottidie, dum Induciæ ſunt cum aliis pharmacis, immitti iubet; & valida præſcribit. Satisfacere præſcriptus hîc De lenientibus poterit, ſi adiecerimus radicum cucumeris aſinini ſemunciam; pulpæ colocynthidis drachmam. Sed hæc non miſcenda antequam deiectæ fuerint fœces. Vel accipe colocynthidis, & agarici in puppa ligatorum, cuiuſque binas drachmas; ſeminis carthami, vrticæ, calaminthæ, anethi, florum chamæmeli, centaurei, ſingulorum ſemimanipulum; bulliant in aquâ: accipe huius libram: olei communis vncias quatuor; mellis anthoſati vnciam, ſalis drachmas duas: fiat mixtio, quæ iterum parum bulliat: dein coletur, & imponatur quotidie, à molli clyſmate. Quidam ſelibram infundunt tantùm: & coquunt ex libris tribus aquæ, ad ſeſquilibrum. Ferè eodem modo tranſigendum vt ſcripſimus De dolore capitis ex pituitâ. Si ſolemnis aliqua euacuatio fuerit ſuppreſſa, euocetur. *Sudorifica.* Itaque quia ſudore interdum ſuam hic morbus criſin habet, eò ſi pergat natura, nos lateres ab igne calentes exſtinguemus ferè, & madidis ab aceto pānis inuoluemus in quo vis hæret lauendulæ: hos pedibus, femoribus, & axillis apponemus. Habitâ prouiſione totius corporis, ad ea veniemus quæ caput ipſum euacuant. *Euacuantia caput.* Sed cautione in his opus eſt, ne vnquam ineunte morbo hæc admittantur: *Cautio.* ne ſe fundat materia, & validiùs infarciat, metúmque apoplexiæ acceſſat. *Sternutatoria.* Talia ſunt ſternutatoria, quæ in hoc malo præclarè ſanitatem promouent. Hoc vtimur cùm perſeuerat affectus, & cùm ægri excitantur ægrè. nec continuò bis vtendum, ob vires, & quia caput replent. Siccatur elleborum album quod ab aquâ vitæ maduit, cum caſtoreo & pipere in pollinem redactum naribus inficitur. *Auicenna De ſternutat.* Hic vide: ſi à tali remedio non ſternuat, conclamatum erit de ſalute: reſoluti enim cerebri ſignificationem dabit. Errhina etiam hîc locum habent: quale hoc. *Errhina.* Accipe ellebori, caſtorei, pyrethri, ſingulorum ſemiſcriptulum, nucis moſcatæ ſcriptulum: linteolo excipe & naribus impone. vel radix cyclaminis & naribus immittatur. *Cautio.* Sed ſumma adſit cautio, vt horum vſus abſit ab his qui longo ſunt collo, & ab his qui ophthalmiæ ſunt obnoxij. Præclarè caſtoreum naribus inſpiratum: nam coquendi quadam vi excellit, & Aretæus magnis id laudibus cæteris omnibus præfert, quòd non vt cætera caput turbet. In horum vſu claudere oportet os ægri; ita per nares attrahent. *At ſi ſtupent tij.* Quod ſi iam ſenſum recuperet, inquit Aretæus, pondus tamen aliquod in capite inſit, & ſonus aut bombus obſtrepat, maſtichen in primis mandendam exhibe, & continenter exſpuat. poſtea ad grauiora inſurge, vt ſinapi: nam hoc etiam flatus diſcutit, vel ſi poteſt pyrethrum maſticet. Perſeuerante verò grauedine, & ſenſus occupatione demerſis expedit excipere, auctore Priſciano, ad menſurā cochlearis vnius caſtorei puluerem cum melicrato. Et ſi poteſt apophlegmatiſare, id faciat ex decocto hyſſopi vel origani, thymi vel pulegij, cum oxymelite. Si ne ſic quidem capitis depreſſio deponatur, tunc ad ſinapiſmos deueniendum, & nares ſollicitandæ. Palatum acribus inungendum: vt mithridato cum pipere, zinzibere, ſtaphyſagria, pyrethro, ſinapi. Aut ex duabus drachmis theriacæ veteris, cum caſtorei drachmâ. Quin tenui linteo, inuoluatur pyrethrum, ſinapi & origanum: quæ acero madeſcant: his palatum fricetur: & pituitā extrahat miniſter digitis, ſæpe id fiat: id mirè caput alleuat. Paulus mel addit ſinapi, & palato illinit. Si os fuerit clauſum aperiatur vi, & eluatur pituitā decocto pulegij vel ſerpilli: & manibus eximatur pituita. *Auribus.* Auribus inde oleum cinnamomi & lauādulæ. *Sartago.* Si his non excitetur, ad ſartaginem veniēdum; ſi phthiſi non ſit obnoxius. & ſutura coronalis illinatur euphorbio. *Topica.* Cautione quadam in Topicis trāſigi, debet, vt maiora hæc, inquit Priſcianus, grauatis lethargicis admoueamus, vbi febrium acutarum non interuenerit neceſſitas, quæ nos ad topica phreniticis dicata compellit. Itaque ab enemate & à venæ ſectione reprimentia præſidia hîc locum habēt: nam, inquit Aretæus, ſenſus pleni halituum ſunt. Vt ſuccus hederæ, ſerpilli, cum roſaceo & aceto. Etenim repellentia omni humori ſunt adhibēnda, etiamſi pituiteſcat materia morbifica. Sed hæc repellētia nō aſtringant. Et hyeme tondeatur tantùm caput, æſtate radatur. *Galen. 13. Meth. 12. Non vltra tres dies reprime.* Razes primis tribus diebus aceto cum roſaceo irrigat caput: & à tertio die ſternutationibus irritat cerebrū. Exiſtimo, ſi febris non valida fuerit, primo die elapſo ab oxyrrhodinis abſtinendum eſſe. Abincēna vtitur oleo roſato completo, cum caſtoreo. Aurelianus in acceſſione iugi fomento caput curat olei dulcis atque calidi: & mollibus lanis collum tegit, laxamēti causâ locorum capiti vicinantium. Ineunte itaque morbo accipies oleum roſatum, cum pauco aceto, & raſo capiti ex ſtuppâ impone. & quia pituita adeſt, vult Trallianus incoqui oxyrrhodino caſtoreum, thymum, vel calamintham. Aetius his incoquit ſerpillum; & maiori in malo, loco ſerpilli, radicē peucedani. dein fouet oleo chamæmelorum & liliorum: tandem, hoc eſt, ſecundo die, cum caſtoreo. Etiā Celſus raſum caput fouet ex decocto rutæ & lauri in aquâ: altero die caſtoreo ex aceto & oleo roſato. vel ſecundo aut tertio die accipimus vnguentum alabaſtrinum cum oleo chamæmelino, & inungemus caput. Archigenes accipit acetum ſcilliticum quaſſatum cum oleo roſato; addit caſtoreum. & prouectiore morbo, loco roſati irinum infert, & iungit luſtos capillos. vel foue decocto ſerpilli, ſatureiæ, pulegij, origani, ex oleo & aceto. dein illine oleo de ſcilla, vel de euphorbio, & caſtoreo. Eadē vi præditis remediis vtebatur Heraclides Tarētinus: nā caput fouebat poſcâ in quā fuerit rutæ & laurus decoctæ: & vngebat caput caſtoreo vel ſpondylio, ex aceto & oleo veteri. *Cælius 2. Acut. 9.* A primo die, ſecundo, vel tertio, vt fuerit febris, oleum ex decocto ſatureiæ admoueatur. Aut hoc modo; accipe olei laurini vncias binas: huic inco-

que in diplomate ſemen rutæ, & caſtoreum, & anethi ſemen: hoc caput & ceruix, ſpina, manus & brachia, vſque ad inguina, ſi nerui totúmque corpus doleat, vngantur. Quin & veſica, auctore Aretæo, quibuſdam eſt humectanda, neruoſa pars, vrinæ iter, afficitur acrimonia mordacis lotij. Poterimus ad imitationem Andromachi hac ſuccurrere capiti: accipe radicem ſcillæ ſub prunis coctam: ſubigatur cum oleo lilino, vel irino, cum pauco euphorbio & caſtoreo: fiat cataplaſma, occipiti applicandum. Aretæus in eâ ſententiâ eſt, flatus infra & ſupra eliciendos eſſe. veternus enim flatus colligit: rutam cum melle & nitro admouet. & fotus ex pulegio, origano, hyſſopo, & ſimilibus. Ægineta ſacculum facit pro capite, ex ſale & milio. Ita ex caſtoreo, pyrethro, & calaminthâ.

Dropax. Tandem in diuturno malo ad dropaces ſurgemus: nam præclarè reſoluunt materiam, & ſopitam naturæ vim nobile in hoc morbo remedium excitat. Fit emplaſtrum ex pice, pipere, & euphorbio: occipiti raſo & ceruici apponitur. Sed Cavtio adſit ne in horum vſu epilepſiæ obnoxius fit æger. primò tamen præſcriptis vtemur, vt oleo lilino, chamæmelino, rutaceo, cum euphorbij & caſtorei drachma.

Sinapiſmus. Vltimò ad ſinapiſmos vim medicam efferemus; vt, Accipe ſeminis ſinapi triti ſemunciam, pyrethri, caſtorei, cuiuſque ſeſquidrachmam (addi poteſt piper, nigella, euphorbium) ammoniaci, opopanacis, ſingulas binas drachmas; olei, & reſinæ quod ſatis ſit, vt fiat emplaſtrum. Vel accipe farinæ lupinorum duos manipulos; baccharum iuniperi, lauri, ſiccatæ iridis, ſingulas vncias; radicum althææ binas vncias; fimi columbini tres vncias: coque ex lixiuio caulium braſſicarum: contunde, & adde olei lilini tres vncias. Sed ſi ſtrenua adſit febris, leniùs erit tranſigendum calidis præſidiis: ſin ignaua febris, ſtrenuò agemus. Sinapi aquâ non aceto miſcent Aëtius & Oribaſius: Aretæus, cum duplâ panis portione linteolo illitum, capiti imponit horæ ſpacio: dein ſpongiis calidis fouet. Sinapiſmus hæreat loco ad ruborem vſque: poſtea foue oleo tepido: vel decocto chamæmelino, ſi dolor ſit vehemens à ſinapiſmo.

Corroborantia. Idem dixit Aëtius. Denique corroborantibvs finem curationi imponemus. Si caput & manus contremiſcant, accipiet caſtorei ſemidrachmam: quam ex mulſæ cyathis ebibet tribus: hoc aget per plurimos dies, inquit Aretæus: nam flatus diſcutit, vrinam ac fæces promouet, neruos firmat, calorem & ſiccitatem afflat. Theriaca prodeſt, & mithridatium, diamoſcum, diambra, aqua theriacalis cum liquore betonicæ, caſtoreum cum oxymelite. Et aqua vitæ, in quâ maduit flos lilij conuallij, & roſmarini, nux moſcata, zinziber, calami aromatici radix, galanga, pæoniæ ſemen: vnum vel quædam ex his. Paulus propinat diaſpolitici cochlearium ex poſcâ: vel caſtoreum ad drachmæ vſque pondus. Guttulæ olei vitrioli, cum aquâ rutæ ſilueſtris, vel ex aquâ liliorum alborum. Naſturtium ſæpius comedant huic morbo obnoxij. vtatur conſerua roſmarini cum pauco caſtoreo. Fotus fiant ex ſaluiâ & betonicâ. ſacculus ex milio & ſale toſto.

Diaeta. Victvs tota ratio naturæ ſtudeat, & vnà cum morbo pugnet.

Cibus. Condiatur cibus pipere, cinnamomo, roſmarino, hyſſopo, aniſo, cumino, Aëtio auctore, caryophyllis. Sit victus tenuiſſimus ob robur morbi. Aurelianus vſque ad declinationis tempus alternis diebus à cibo abſtinet, permittentibus viribus, ſolo mulſo vtens: alioqui ſorbilia mediocria dabat. Præclarè Aretæus, Inedia malum eſt & cibi multitudo: quare, inquit, exiguo cibo quotidie vtatur: nec ſubitò & penitus ieiunandum eſt. os enim ventriculi toto die refectione & calore indiget. Sit itaque cibus tenuis & tenuans, & aluum leniens. gallinæ iuſculo, & mercuriali aſſidue vtitor cum aceto, fœniculo, apiô, cumino, cum braſſicâ.

Aretæus hæc. Sed ratio habeatur febris, ciúſque ob vim ptiſana detur; ratione verò pituitæ aſperge cinnamomo vel pipere. Cicerum decoctum erit accommodatum. Vt breuiter tranſigam, ſi vires ferant, ſit cibus mediæ naturæ, conſiſtentiâ ſolidâ, qualitate humidâ, deducendo alteram partem cibi aſſueti, ſeruando tamen numerum & ordinem paſtuum. Alexander vtitur ſucco amygdalorum cum melle; ſed pro remedio ille ſit: mel enim abſterget, calfacit, tenuat: iungit ſuccum amygdalorum, vt feratur mel ad caput. ſed manu hæc propinanda, nam amygdala caput feriunt. Auiculas concedit Aëtius. fiat puls ex farinâ auenæ, cum amygdalis. Cuniculi; biſcoctus panis. cæpæ abſint.

Potus. Potvs ſit mulſa cui quatuor vel quinque grana piperis incoxere. Vel accipe mellis optimi anthoſati libram; aquæ betonicæ vel ſaluiæ libras binas: coque dum deſpumatum ſit optimè: dein adde aceti vncias duas vel quatuor; in fine decocto adiice parum betonicæ, fœniculi, vel anethi, caryophylli, nucis moſcatæ. Razes admonet, vt quæ ori infunduntur dimittat per fauces ſollicitandum eſſe: ſunt enim alimenti loco. Mulſa etiam imbui poteſt hyſſopo, thymo, iride: nam, auctore Hippocrate, melicratum ἔχει σμηγματῶδές τι, id eſt, deterget: & eſt ἐρεθιστικόν. At declinante malo, hoc eſt, vt interpretatur. Trallianus, vbi coqui incipit morbus, vini paululum dabimus: nam iam ſanguis emiſſus eſt, & mediocriter purgatum corpus. Propinabimus vinum tenue; ſubaſtringens placet Aëtio. Fauces ſiccitate arentes rigat Cœlius Aurelianus; nec vult vt aquæ indulgeant.

Somnus. Somnvs nimius rumpatur. Propterea fiant ſuffitus ad nares, ex aceto cum caſtoreo: ita non nimium dormiet. Singulis tribus horis excitentur; ne eâ depreſſione mens obruatur, calor emicet, quid ſumat, & excernat. Hoc eſt quod Aurelianus iubet, in acceſſione per interualla leniter excitabis, ſuo nomine exclamatum: acre acetum naribus opponatur non dormiat à cibo per horam, inquit. Sit ſomnus diurnus, ſupino corpore. Pedes vult Aretæus vt premendo tractentur: & vt deterreatur iis quæ timere conſueuit: quæ in ſpe erant nuncientur, conſultore Aretæo. Ita hic tranſigunt medici, ſubtrahentes ægros * ὕπνῳ καὶ θανάτῳ διδυμάοσιν, vt loquitur Homerus.

*Iliad. 16. * Id eſt. ſomno & morti gemellis, Aluus & vrina.* Aluus officium faciat cuiusquia immemor, ſollicitanda erit glandibus, & enematis. hoc agit Aurelianus oleo calido, & aquâ in quâ decoctum ſit fœnigræci ſemen, cum melle. Vrina exprimatur manibus; & fiat cataplaſma pectini, ex radicibus lilinis, floribus chamæmeli, meliloti, calamintha, parietariâ, ſemine petroſeli cum oleo chamæmeli. hoc à necroſi futurâ tuetur veſicam. Et pecten vngatur oleo rutæ, cum caſtoreo. vel foue decocto parietariæ, cum ſemine petroſelini. Aliquid mithridatij vel theriacæ tranſglutiat. Paulus iubet vt aluus & vrina irritentur clyſmis Sæpiſſimè admoneantur mictus & egeſtionis. Duo enemata vno die poterunt dari: non vltra tria. Sed quamdiu enematis vtendum? dico dum conſectariam euphoriam accerſerint: hæc enim accitæ materiæ morbificæ felicia nuncia dabit.

Aër. De aere ſcribit Aretæus, & dicit in luce & Solis radiis collocandos eſſe ægros (morbus enim hic, inquit, nihil aliud eſt quàm tenebræ; quod & Aëtius affirmat) & magis in loco calido habeantur: ipſius enim cauſa eſt inſita frigiditas. Aurelianus laudat locum lucidum & calidum mediocriter. Siccefcat aër lauri fumo, iuniperi, roſmarini nidore. Acetum olfaciat lauendulæ, aut origanatum. Cubile agitabile ſit; ſtragulæ, veſtes, picturæ parietum, omnia ſint varia,

quò

Balnea. quò visum prorirent. multus habeatur sermo. Balneum vtile ab vsu celebrium remediorum, adhuc corpore torpente. Id valdè Trallianus commendat, vbi morbus inclinare inceperit; capite intacto ab aquâ. *Motvs.* De MOTV. à medicamentis vtilis frictio, gestatio, & quælibet lenis corporis agitatio: nam firmat motus neruos. Quare blando articulorum fricamento vtendum vult Cælius Aurelianus. Strepitus & fragores fiant, serra de limæ morsu stridente, aut nepbrendium grunnitu. & setis nares fodiantur. Rusticorum facies melle tingatur, quò rostellis *Historia.* muscæ flagellent. Ab hoc sopore cùm quondam Diogenes euigilasset, medicúsque rogaret quid ageretur, Rectè, inquit, nam frater fratrem amplectitur: hunc morbum fratrem mortis appellans. *Empirica.* EMPIRIA sua etiam remedia iactat. Guaiaci decoctum, & sassafras. Decoctum pentaphylli, hyssopi, cari; cui dein additur mel. Castoreum porum per horam ante paroxysmum, ex oxymelite. Cerebrum leporis assum. Accipe castorei semunciam; bulliat in succo rutæ, aceto, & oleo: ex quo fiat valida occipitij confricatio. Fumus capillorum humanorum crematorum eos excitat. Nouus eos ambustos ex aceto terit: & ita frontem vngit: & inquit, ἀντιπαθεία τοι eos excitat. Et spongiam aceto madidam naribus obtrude. in acero vis recepta sit florum caryophyllorum, rutæ, maioranæ, sambuci. Optimum hoc, Accipe angelicæ, ostrutij, zedoariæ, tormentillæ, dictamni, rosarum rubrarum, cuiusque semimanipulum; maioranæ, lauendulæ, cuiusque pugillum: incoque aceto, obturato vase. Impone spongiâ vel linteo exceptum. & brachia, manus, crura, & pedes hoc etiam fricentur. si flatus adsint, adde anisum, &c. Si recreatur à pharmacis, fiat cauterium in suturâ coronali: & aliud in occipitio sub duabus occipitis prominentibus partibus. Vel saltem vesicam euocans medicamen suturæ coronali imponatur, ex cantharidibus. Suffitus ex galbano & cerui cornu depressos euocat. Accipe olei irini, & aceti scillitici, cuiusque sescunciam; in eo coque pugillum origani: colaturæ adijce castorei drachmam, & vstorum capillorum semidrachmam. misce, nares & frons illinatur. *Anacephalæosis curationis.* Hoc filo ducatur itaque breuissimo curatio: Primò molli clysmate eliquetur aluus. Secundò si è re fuerit pertundatur cephalica vena. Tertio clysmate euacuante sæpe vtemur. Et dum hæc fiunt, oxyrrhodinis caput firmabimus. Deinde tertio vel quarto, aut quinto die, hoc est, cùm constitit fluxio quæ caput petebat, dissipantia oxyrrhodinis committemus. Et vinculis, fricamentis auertemus. Tandem corroborabimus, postquàm peculiaribus purgamentis caput onus pituitosum exuit. Hac malitia mortis frater lethargus fugatur, si S DEVS velit.

CAPVT XIII.

De MANIA, *id est, Insaniâ, aut Furore, vel Ecstasi melancholicâ.*

Nomen. MAnia nomen inuenit ab empusarum matre; aut à Maniis, id est, laruis & lemuribus mormonibúsque. Vel ita vocant Græci, quòd animum vltra modum laxet: manon enim demissum siue mollem appellant. vel certè quòd polluat ægrotos: nam id λυμαίνειν vocant: aut quòd solitudinis ægrotos amantes facit, quod μονάς: vel quòd difficilè *Descriptio mali.* curetur, μονία quasi dicitur. O homo quæ humanitatis tuæ transmigratio? illa imago Dei efferatáne homo esse desijt? ceritúsne exutus homo mente? Vbi illa decora religionis, societatis, necessitudinis queis splendescebas? omnia exuta; ferox, intractabilis, immanis, metuendus cunctis se oculis, linguâ totóque corpore iactat, plenus iracundiâ, iurgiis, clamoribus non sine horrendo aspectu. Ita ferarum more redduntur effrenes & furiunt homines è potestate mentis exeuntes: dicas efferatas belluas, adeò in obuios dentibus, vnguibus, telis immani rabie feruntur. Profectò non sine dæmone sæpe hæc calamitas. Permissu summi DEI illi spi- *Dæmones.* ritus sensibus incomperti se corporibus insinuant; receptique visceribus valetudinem bonam vastant: somnis terrent; ac formidine animum quatiunt. Euenit, dum medicinam Vltraiecti facerem, vt in- *Historia.* uiserem virum non omnino genere & opibus obscurum, nuper qui vxorem duxerat: hic annos habebat fere viginti octo, bene habito erat corpore, facie vultuosâ ac fuscâ. Hic maniæ implicitus iacebat: cottidie illum inuisebam: habitabat spaciosas & augustas ædes: decumbebat cubiculo à primo limine remoto. Hoc in limine socrus eius me tenui alloquio excipere solebat, multáque de historia morbi quærebat. Hinc cùm ad ægrum à nobis ventum esset, & mea & socrus verba referebat ordine, nec fallebat, horresco referens, & horrendò vultu toruum inspiciens, illudebat. Tandem conuulsionibus amens interiit. Plato variam etiam agnoscit *Varia mania.* maniam in Phædro: nam duas ideas eius celebrat; vnam * ὑπὸ νοσημάτων ἀνθρωπίνων: de quâ nos iam hic. ** Id est, Ab humanis morbis.* alteram autem ὑπὸ θείας ἐξαλλαγῆς, hoc est, ex alienatione diuinâ, quâ extra consuetum vitæ morem quis rapitur. Diuinæ huius maniæ partes celebrat quatuor: vaticinij inspirationem Apollini tribuimus inquit. nam & Cælius Aurel. testatur vetustissimos Græcos, maniam appellasse, quæ nunc mantice dicta est. poëticam autem maniam Musis ascribimus, inquit Plato: hanc protrepticon ab eo vocatam testatur Aurelianus. amatorium autem furorem Veneri & Amori, omnium optimum, dicauit Plato. Hoc volebat Cælius Aurelianus, cum ait, Empedoclem sequentes aliam maniam dicunt ex animi purgamento fieri: aliam ex alienatione mentis, corporis iniquitate. Nos de morbi sobole ma- *Qvid sit.* niâ. quæ est functio deprauata principum cerebri facultatum, cum excandescentiâ, febris expers, pendens ab incendio conflagrante cerebro. Dixi *Explicatio definitionis.* esse facultatem deprauatam, quia extra mentem & omnem rationis vsum hominem vocat, cogens in vanas cogitationes, & exprimens absurdas loquelas, & in nefanda facinora præcipitans. Quin iunxi iracundiam: quò eo symbolo à melancholiâ discriminarem; in qua metus est; & tristitiæ ibi plena sunt omnia. hic verò cuncta immani rabie turbantur; non sine iracundâ iactatione. Quare falluntur illi qui omnem melancholiam, iter in maniam existimant: non enim tenuitate symptomatum, sed totâ facie differunt. Præterea subnexui maniam euenire à cerebro, ab incendio conflagrante: nimirum * ἐν ** Id est, in esse & conseruati.* γένεσις, καὶ ἐν γεγονέναι pendet hæc affectio ab ardore; cuius soboles est ira & tumultuosus furor: quemadmodum algor focus est metus & mœroris. Febris etiam fateor expertem; nam hac notâ à phrenitide abit. Hoc etiam testatur Aretæus, qui asserit hanc ex toto esse mentis alienationem diuturnam, vacans febri. Quippe, inquit, & vinum mentem inflammat, & per ebrietatem delirare cogit, & mandragora, & altercus, sed hæc celeriter eueniunt, & conquiescunt: at furor, stabilis est. Quamuis tamen, inquit, euenire posset maniacum febri imolicari, attamen illa non est maniæ symptomatica: hæc est, non fit ex illâ intẽperie cerebri, sed est febris aliqua primigenia. at in phrenitide est secũdaria, illiq; symptomatica: sequitur enim inflãmationem febris

ex quâ inflammatione infertur illa phrenitis. Dixi flagrante cerebro: ex Galeno, qui asserit ex ardore cerebro concepto eam enasci: interdum tamen ex succis mordentibus eam oriri fatetur. Hactenus de definitione & natura huius passionis: iam ad causas. Mania per idiopathiam nascitur ex intemperie ardenti cerebro inustâ ab æstiuo Sole: vel à pharmacis calidâ vi flagrantibus capiti admotis. aut ex aromatum liberaliori vsu, & vini generosi. Quin nõnunquam ex materiæ vitio enascitur hoc malum, auctore Galeno. Hæc autem materies feruet: nam vel est sanguis, flaua bilis, & melancholia vsta, vel putrida. A sanguine enim feruente inferri maniam, docuit Galenus, & etiam Fernelius. A bile dico gigni maniam, eáque plerumque retorridâ, cùm calor citra febrem in eam acerbitatem prælicenter eualescit, vti vrat succos quò tapidæ flammæ adigunt. Ita quod in succis fluidum est, in obscœnas fuligines subducit; reliquum verò in atram fæcem assat. Hinc fœdi exiliunt spiritus, quasi balneum diaboli: vnde fera iactatio. & vt acrior flamma, ita maior vel tenuior incrudescit feritas. Bilis enim semper suâ acerrimâ vi stimulat, qualiscumque ea etiam fuerit: at acerrimi sunt stimuli vstæ bilis flauæ. Quare cùm à succorum crimine enascitur mania, hi non alij erunt quàm mordaces succi; at solùm huiusmodi sunt flaua & atra bilis, ita asserente etiam Galeno: nec à melancholiâ euenier, inquit, nisi illa vel putredine contaminata fuerit, vel vredine torridâ, vnde indoet malignam acrimoniam. itaque pituita ab hoc crimine abest. Attamen existimari possit, melancholiam meram hoc vitium facere posse: nam Hippocrates scribit, maniam autumno maximè affligere, plurimósque inuadere. Respondemus, id eâ ratione euenire, quòd in autumno supprimatur accerrima bilis, enata per tempus Caniculæ, at vi tempestatis frigidioris corruptio illi adfertur. Nam interdum in putredinem abit, sine adustione, vt clarè in quartanâ febre illud elucet. Vt breuiter transigam, ortus sui primordia agnoscit mania, vel intemperiem feruentem cerebri sine materiâ: vel materiam retorridam, hoc est, sanguinem feruentem, aut bilem flauam assatam, vel non ita excoctam, vel melancholiam putredine affectam, aut adustam. Refert doctissimus & diligens D. Schenckius historiam, ex Commentariis Brassauoli ad Hippocratis Aphorismos, ex tuberculo in collo oborto grauissimâ insaniam insecutam. Ad Raphaëlem Hebræum iuuenem circa secundam noctis horam accersitus sum. Hic iuuenis corpus tumoribus obsitum habebat anthracum æmulis, quorum non minimus collum obsidebat, qui ilico extabuit; & mox ridere cœpit Raphaël & astantibus venam secare volebat. At hæc desipientia ilico in furorem abiit, omnes perturbare nitebatur, huc & illuc currens, cuncta lacerabat, accitis baiulis, vix sex contineri poterat. Nos præscriptis quibusdam abiuimus. Postridie sedatiorem inueni: sed à prandio tam altus somnus eum cepit, vt astantium vi eo exui nequierit. Hic tumor anticam partem occuparat, dextorsum nutans: cæteri tumores anticam corpus habebant. A somno cùm redijsset, nonnunquam hypochondria feriebat sua, & quatuor horis in ecstasin ducebatur, currens tanquam à cacodæmone agitatus, omnium interim animalium fingens voces, secú loquens, membra præter naturam mouens. Ita bis die mouebatur: & motus initium ab hypochôdriis erat: hinc ita redibat, vt nihil passus videretur. Deinceps curari noluit: nam domesticis fascino tactus dicebatur: tamen frustra fuere amulera cuncta. Dein existimatum eum dæmone agitari; nec religione profecere: nam morbus erat, qui vel auxiliis, aut die eliditur. Post octo menses conualuit per se, & sanus viuit.

1. De causis sympt.
Causas.
2. Sympt. caus. vit.
5. Aph. 40.
3. Lib. De sympt. morb.
6. Aph. 51.
Quæstio.
3. Aph. 22.
Breuiter de causis.
A tuberculo historia.
5. Aph. 65.

Natura iracundi, air Aretæus, maniæ facilè patent, & qui negociosi acriter exandescunt: præterea faciles, hilares, qui iocosis ac puerilibus delectantur. sed hi suauiter cum risu, illi autem cum studio insaniunt. Copia ciborum, saturitas in ætate sanguinis plenâ, & ebrietas in obliuiosis copiam sanguinis, actimoniámque accersunt. Et immodesta illa meretricula Venus furoris mater notata fuit: vt si melancholicus habitu & temperie, æstate mediâ effreni vtatur venere: hic certè embrochis, & madidâ diætâ restitui debebit. Et amor interdum maniam attulit; cuius historiam & curationem narrat Aretæus: Fama est, inquit, ex melancholicis quendam calamitosè ægrotantem, nihil proficiennbus medicis, ab Amore fuisse sanatum, cùm amatæ puellæ sese consociasset. Ita refert Iosephus Herodem Magnum, postquam coniugem Mariamnen Hircani filiam trucidari iussisset, eius desiderio insaniisse. Est enim geminus Amor, vnus honestus, qui focum suum in cerebro habet: alter in hepate habitat, qui iunctam trahit perpetuam curam, & sollicitudinem, timoris & tristitiæ plenus, cerebrum in squalorem abripiens. Ita infelix Phœnissa:

Sæuit inops animi, totámque incensa per vrbem Bacchatur.

Et vacuatio solemnis aliqua suppressa hoc malum accersit: vt mensium, (& à menstruorum anadrome ad mammas, vnde systrophe) sanguinis, hæmorrhoidum, bilis. Philtropota etiam fœcunda in hoc malum sunt, mentémque vehementer commouent: Ita Carus Lucretius ab amante vxore amatorio poculo in delirium abiit: verùm ita vt interuallara & interfecta insania carminibus concinnandis spacium daret: mox tamen ægriùs ferens, sibi manus admouit. Itaque philtra nocent animis, vímque furoris habent: vt pie cecinit ille amator Sulmonensis. Mente quin etiam plurimi exuti fuere, ex morsu rabidi canis: alij commanducato celuri cerebro. apud Heracliam Arcadiæ vinum pronenire narrant, quod sanos viros insanos facit. Quin vinum fulmine gelatum, cùm tedit ad pristinam consistentiæ ideam, potum, exanimat aut demenrat. Menses mulierum primi pori furorem gignunt. Diaboli aucupia ad scelera, philtra fingit amoris, amaræ mortis astu. Ita coriandrum recens, solanum, hyoscyamum, cicuta, de quâ mira historia est apud Matthiolum: & herba Sardinia, & ea quæ apud Tegeam gignitur cardui idea, quam quum Pandius statuarius comedisset, mente exutus fuit. Scribit Theophrastus, Vesicariæ alterum genus, alij brioré, alij perissum vocant, quod constat radice candidâ & cauâ, longâ ad cubitum, si detur eius radicis drachmę pôdus, luderis qui sũpsit, & se pulcherrimum putabit: sed ad magnam insaniam binis drachmis opus erit: nam iuncta fiet insania à tribus drachmis: verùm semuncia interimit. Horum remedia describit Dioscorides libro sexto, & alij, inter quos Pareius. Dioscorides in præfatione ad librum sextum rectè admonet: Si, inquit, procrastinat veneni vis, nec illico prostrauerit, cognitâ re, curatio non erit difficilis. Acerbitate enim nocendi exutum, in diuturnas valetudines translatum venenum, communia quibusdam morbis remedia recipiunt, nullâ poti veneni proprietate posthac remanente. Venenum sæpe causam habet vel intus natum, vel foris datum: Minyæ cuiusdam filias legimus eo percitas furore, vt humanis vesci carnibus appeterent. imo etiam filios ad eam rem sortirentur: ac Leucippam Hippasum filium, quem perierat sors, laniandum exhibuisse. Inter causas etiam externas est vstio capitis eiúsve concussio, vigiliæ, cupiditas animi impotens, validáque animi perturbatio. Ita Aiax ille scutifer indigna

Qui, & vnde huic obnoxij.
Causa antecedentes.
3. Lib. 3.
15. Antiquit.
Amor.
4. Æneid.
Philtra.
9. Hist. plantar.

indignatione quòd fraudatus armis fortissimi Græcorum esset, insaniit, & sibi manus intulit. Et Orestes occisæ matris à furiis agitatus, in furorem abiit. Cleomenes Anaxandriæ filius, cùm fractæ fidei crimen illi obiiceretur, se gladio confodit demens, ac incidit ab imis pedibus ad vitalia loca, & ridens diducto ore obiit. Amurathes etiam Turcæ, quòd vrbem Coriam, quam ei insigni dolo eius alumnus Scanderbechus eripuerat, infeliciter oppugnasset, animi dolore in furorem versus obiit. Refert Platina de Pontifice Bonifacio octauo, quem, quòd Columnios ex paternis oppidis eiecisset, Sarra Columna Anagniam, vbi Bonifacius æstiuabat, improuisus veniens, in arctam custodiam coniecit; vbi in rabiem versus obiit. Tantum potest animi dolor, ad animi alienationem. Hactenus de causis & proximis, & remotioribus: iam ad signa, quibus noscatur passio hæc, & eius distinctim causæ internoscantur; sed primùm pauca de differentiis. Differunt maniæ, essentiæ ideâ, materiâ efficiente, & loco primario generationis. nam apud Hippocratem duplex est mania: vna sine febre, de quâ nos hîc: alia illi est cum febre: illa nimirum quæ à phrenitide euenit, hanc genuit atra bilis, ex flaua perusta, cuius sunt acriores morsus quàm flauæ: sæuior quàm phrenitis; in quâ spes in angusto est; de quâ ita Hippocrates, phrenitici sputatores fanatici: hæc non est vera insania, sed quæ est in feroci excessu phrenitico, in quâ insaniæ summa sunt omnia, & cœptis immanibus etiam efferi sunt. De hac egimus vbi De phrenitide. Sed nos nihil hîc de excessu phrenitico, sed de excessu melancholico, quem vere medio cùm fabæ florent, euenire auctor est Hippocrates, qui febris est expers, & dicitur μελαγχολικὴ ἔκστασις, id est, egressio melancholica, cùm ex melancholico quis euadit fanaticus. Hæc autem mania melancholica habet ideas varias, sed celebres inter eas sūt duæ: prima est ecstasis melancholica, de quâ nos hîc maximè: altera est mania canina siue lupina, λυκανθρωπίαν appellāt: quasi homines lupinam naturam induentes: hi noctu circumcursitant solitudines & sepulchra luporum more: interdiu verò ad sese redeunt, ac domi manent. Hungariæ & Bohemiæ familiare malum. Aëtius & Arculanus huius curationem tradunt. Rondeletius distinguit huius causam ac medelam à cynanthropiâ: ab Aëtio eisdem transigitur. Differunt etiam causis variis, vt primùm enarrauimus. Differunt & loco primariæ generationis: nam locus eius est vel in præcordiis, aliâs in toto corpore, aliâs in solo capite congeritur. Societate quadam iungi videtur cum aliis passionibus: sed ita discriminatur: phrenitis vehementem sibi iungit febrem, & ilico prosternit hominem: at mania febris est expers; & trahitur in diem. A melancholiâ, nam hæc est rixarum & iactationis vacua; sed quieta; quæ tamen sæpe in maniam erumpit, & in audaciam vertit metum: & materia melancholiæ alget. Est etiam furor ab vtero apud Aëtium, cuius causam, notas, & curationem docet. Ad communes differentias venio; est vehemens malum, attamen sanabile ferè, quamuis non sine periculo: cùm non vlla desipientia tuta sit. Contagij nescium malum, & cerebro proprium. Iam ad Signa venio, quæ notant vel imminentem furorem, præsentem, vel causam ex quâ ortum duxit. Imminentem denunciant aurium sonitus, quos ipsi expauescunt, cum querelâ de capite: nam in capite adeò bombi perstrepunt, vt tubarum aut fistularum voces sese audire existiment. Ob oculos vana simulacbra versantur, marmarygæ, fixis in terram obstupescunt oculis, iterumque mussitant quid indignabundi. Tristes & longæ curæ præcessere. Mulieribus

Paul. Iouius Elog. 3.

Differentia.

3 Aph. 20.

A causis differentia, & loco.

Ab aliis morbis vt distinguatur.

Tetrabibl. 4. 4. 74.

Signa imminentis.

quibus à menstruorum palindrome in mamma fit systrophe, interdum euenit. Præsentem indicant horrendi intuitus cum acerbâ rixâ, & truci in vulnera impetu. Nonnulli sub adulabili palpo versipelles pericula intentant, laniant, mordent, strangulant, præcipitant, iugulant. interdum intermittit furor, vt etiam cautè admonet Aretæus, sed ea intermissio non est sincera: & fallunt astantes. Varia certè idea huius mali. Quidam, inquit Aretæus, propria membra dilacerant piâ cogitatione, Diis suis quasi id postulantibus gratificantes. Quidam rident, ludunt, & insania voluptati est his, coronati vt quinquertiones victores incedunt. Auditu prompti sunt, mente tardissimi. Vigilant, & vigilia famem his suscitat, nec emaciantur, nisi viscus inflammetur: tunc oculi concidunt, appetitus prosternitur. His notis iungit Aurelianus oculorum frequentem palpebrationem, & cordis saltum. Inclinante morbo mœsti quiescunt, redeunt, suamque calamitatem deplorant. Nunc pergo ad signa causarum. Ab intemperie feruidâ materiæ experte si fuerit, illi quasi temulenti & amentes erunt; & erit perpetuum illud delirium, sine remissione: & paulatim incrementa duxit, ita vt nullæ causæ in aperto sint quæ illud intulerunt. Si sit à flauâ bile, non retorridâ, repente inuadit, adest iactatio, somni expertes fiunt; & studium quoddam aderit citra immanitatem, cogitabundi erunt, & diligentes: nam mobilis bilis. multi hac maniâ laborant: opinionum varietate fluctuāt ex fugacibus imagunculis in mente, vnde varius sermo à turgente succo. vigiles sunt. Omnium acerrima insania venit à retorridâ flauâ bile, quæ iam in atrorem commigrat; hîc immanibus ausis omnia plena; iactatio, vociferatio, omnia truculenta & temeraria. Sin fuerit à melancholia putredine contaminata, nec tamen assata, iracundi erumpunt in furorem, cum fletu & taciturnitate. A præassatâ autem melancholiâ si sobolescat, in iram excandescent, & taciti homines inuadunt immani ferociâ, & cum loqui cœperint, non desinunt. hi sunt maligni, nec tamen æquè procellosi ac à bile. hæmorrhoïdes vel menses suppressi sæpè hoc malum pepetere. his iunge diætam. est mediæ ætati & iuuenibus familiaris passio. Quodsi ex æstuosi sanguinis copia pullularit malum, suauiter insanient, & risu diffluent; lætâ exporrectâque fronte cantillant, ac rubicundo vultu saltant: nam musica quædam harmonia aures illorum ferit. hi eminentes habent venas, ac lusibundos oculos. Hæc signa certè naturam causarum satis aperient: iam ad mali, rectè percepti, profligationem pergo. Postquam causa furoris ex his notis comperta fuerit, quibus oppugnari præsidiis aduersariis possit videamus. Hîc sanè opus medico sanæ mentis, nam citò his remediandum, ne malum veterascat. Si itaque ortum fuerit malum ab intemperie capitis calidâ materiæ experte, orietur indicatio refrigerandi. Quod si sociam agnoscat materiam capite coaceruatam, indicabitur vtilem fore euacuationem eius; vtque flectatur ferox illius materiæ à naturâ abalienatio. Verùm si illa materia nondum stabuletur in capite, sed si metus adsit ne eò cursum suum flectat, hæc vel iam corpore genita est, vel iam enascetur. Si genita fuerit, & iam si influit in caput, orietur indicatio reprimendi, & reuellendi, vnàque euacuandi. Sin metus est ne sobolescat & gignatur morbifera hæc materia, euocabit curam firmandi partes principes, ne promptè se laxent in eius fœturam. Et cùm potissimùm enascatur ex iecore æstu flagrante ac siccitate squalente, illud rigandum erit ac frigore redintegrandum. Redintegretur quin etiam cerebrum, &

Præsentis.

Causarum notæ à calore 6 Aph. 53.

A bile flauâ.

Ab atrâ bile.

A melancholiâ putridâ.

A melancholiâ assatâ.

A sanguine.

Indicationes curatiuæ.

cor: & symptomata restibilia tandem castigentur. Ita transigendum: attamen primùm prouisio rotiua corporis haberi debet, quàm ad hæc aditus fiat felix. Hi sunt scopi ad quos flectere curationem decet: id antequam fiat; perpendeudum uum malum eoa etiam admittat: ne frustrà simus. quare prognosea consulemus, ex quibus num superari vis mali possit intelligemus: ideoque ad illas abeo.

Prognoses.

Scribit Raxis, melancholica symptomata si præualoerint, ægrè sperabilem salutem fore: at in maniâ sunt illa præualida. certè Cælius Aurelianus hanc passiouem vocat magnam & tardissimam. Quid magnam? immanem dixeris, audi.

Historia Benenenij.

Nobilis viri filiam deprehendimus adeò furentem, vt obuia quæque arriperet, frangeret, iaoiaret. Proprios capillos, brachia, manus, ita mordicùs tenebat, vt sioe laniena ex eius dentibus euelli nequierit. A somno, euasit. At recrudair malum à mense, ac vnius diei spacio è medio sublata est. A bile retorridâ quæ fit mania est omnium periculosissima.

6. Aph. 21. 51.

Et Galenus asserit morbum hunc periculi plenum esse; sed non affirmat omnino lethalem. Abenxoar auctor est hos diem obire cùm ad aquæ fugam deuenerint. Animaduertendum quòd eùm vitrò, hoc est, in crisis vacuitate, & medicamentosa absque molitione furor placatur, nec anni elementiâ sedetur, insida hæc pax erit. Nonnullos siquidem qui penitus morbo defuncti videbantur, aut vernaos tempus eùm fabæ florent, aut susque deque victus inira ratio, vel ita aliquo euentu protitata denuò in furorem prouocauit. Et ij qui olim hoc morbo tacti fuere, facilè in eundem procidunt. prompti etiam in maniam sunt, qui facilè in cachinnos se soluentes, præproperè in iram ruunt. attamen quæ cum risu euenit, minus periculi gerit.

Ita etiam putat Arculanus.

7. Aph. 5.

Si fuerit ex idiopathiâ cerebri quæ inueterauit, est curationis expers: nam per sympathiam antiquata curatur. Crisin suam interdum habet: scribit enim summus præceptor, A furore dysenteria aut hydrops, aut ecstasia, bonum. nimirum quòd diadosi fiant illa priora & vltima autem crisi: Quodsi crisis non fiat, pharmaco opus erit. Varix etiam bonis ægrorum rebus superuenit. Est autem varix hiatus apertæ in coxendicibus & tibiis venæ, à sanguioe melancholescente, quem natura in partes repellit ignobiliores, qui humor furorem committebat: tum verò maximè cùm crassus fuerit & melancholescens varices adfert, & mentem laxat. hoc modo doctissimus Schenckius narrat vicinum suum ahenarium, à validâ insaniâ euasisse. Hæmorthoïdum effusio salutariter etiam his euenit: ita si aluus liberiùs feratur nigris: aut si atra vomat æger. quin fusi menses effundere morbum solent. Ab his cauendum: quidam enim se & suos occîdunt. De his, ne longior sim, pulcherrimas, attamen truculentas historias vide apud Cælium Rhodiginum 17. Lect. antiq. 2

Cura.

Si itaque redintegrabile malum appareat, ilico auxilium adferatur, ac oppugnetur. Sanguinis à copiâ si ortum traxerit, secàbis venam.

Chirurgia.

Quare hîc examina vultum, & oum habitus corporis sanguinis copiam indigitet, turgeántne venæ, victúsne plenior fuerit. hi enim periodis quibusdam, & non perpetuò delirant. eum risu horum est insania, abest ira. Ilico ô medici hia mediam pertundite venam dextri brachij: vel eam saltem quæ thorosior turget.

Galen. 13. Method.

Infligatur foramen latum: nam ater sanguis à crassamento restagnat. Et si niger fuerit elabens sanguis, exhauri ad pondus quinque vel sex vnciarum. Sin ille subtilior exilierit, non vltra tres ferè vncias protrahatur eductio. Quodsi vbertate sanguinis non circomfluat corpus, temperandom à venæ sectione: nam petulantior euadit bilis, excusso sanguinis freno. hîc enim potiùs incendium restinguatur. Sed illud etiam potest venæ sectio? esto, si ætas, habitus corporis, & cæli constitutio admittant. Attamen hæc cautio adsit, si fluat à venâ sectâ limpidus tenuisque sanguis, sistatur. Si hæmorrhoïdes solemnes, aut menses substiterint, malleolum iuxta secetur vena.

Cautio.

Summa tamen adsit cautio, vt vesperi ab abducto sanguine, somnus coocilietur. euacuato enim sanguine, si vigiliæ successerint, magis efferantur ægri. Propinabimus itaque diacodium cum succo ptisanæ, vel cum aquâ: nam sæpe à soporiferis resipiscunt. Et post biduum iterum propinetur diacodium. dein parciùs id agendum. Suadet hîc Mesue vt caput foueatur decocto papaueris, chamæmeli, & seminis lactucæ: nimirum vt æquæ partes ex aquâ coquantur, ad dimidij exhaustionem. postea humidis illinatur, vt mox dicemus.

Linguæ sectio.

Auicenna pertundit venam linguæ. non tamen id agit ad totius exhaustionem: sed capitis. nec id in qualibet maniâ, sed in eâ in quâ in vitio est sanguinis copia quæ caput obsidet. Si itaque caput plethoram noo habeat, à linguâ abstinendum. Ita narium venulas stimulabimus, & frontis secabimus: & hirudines capiti admouebimus: hæ enim, quæ furis est materiam hauriunt; vt vena ibi secta, quæ intus sunt elicit, auctore Auicennâ. A venâ sectâ, scapulis, brachiis, auribus cucurbitæ admoueri possũt. Cælius Aurelianus in statu morbi, capiti raso scarificatu imponit cucurbitam; vertici, occipitio, & temporibus; priùs tamen in metaphreno.

Pharmacia.

Iam ad pharmaca accedo. Hæc varia sint, vt vel bilis vel melancholia in vitio fuerint.

Cautio.

Adsit hæc saltem cautio, vt perpetuo remisceamus frigida; tam in aluum lenientibus, quàm præparantibus ac purgantibus: etenim succi mordaces & feruidi vitium intulerunt.

Lenientia.

Vt itaque prima liberetur aluus, sumat cassiam cum tamarindorum pulpâ, vel diacatholicum, cum mannâ, & syrupo rosato laxatiuo: nam instar opiatæ inde effingi forma poterit, vt sæpiùs cochleario vtatur. ita & prunis. Trallianus, vt vtili astu falleret ægros, pharmaca propinabat cum vino lymphato: & in ouis. Vel molli vtantur elysmate, ex maluâ, althæâ, violariâ, betâ, parietariâ, semine lini, psyllij, anisi, anethi, prunis, ficubus, seminibus frigidis, floribus chamæmeli, meliloti; adiice vnciam foliorum senæ, & epithymi semunciam, cum oleo violato, & anethino, sacchara rubeo, & pauco sale; vel adde hamech semunciam, fiat clyster, qui interdom iteretur.

Præparantia.

Lenita aluo, præparabimus, ad exclusionem, ferocem morbi materiam, si ferocia ægrorum id admiserit. Temperetur itaque feruor sanguinis, refrigerando & humectando eius acrimoniam. Vtemur decocto hordei, capillorum veneris, seminum maluæ. ita vel aquis farfaræ, melonum & cucurbitarum, buglossi, acetosæ, fumariæ, lupulorum, asparagi, melissæ quid immacerantes, scolopendrij, violarum, nymphææ, rosarum, endiuiæ, cichorei, tamarisci. Decoctis iniice vnà passulas, pruna, tamarindos, semina frigida. His mox iunge syrupom endiuiæ, fumariæ, boraginis, violarum, nymphææ, epithymi, de bysantiis. Optimus est syrupus de pomis ex descriptione Sabor apud Mesuen, capite De maniâ: vel syrupos de succo cucurbitæ. dantur etiam bene syrupi cum sero caprillo. Non opus est vt cuncta simul coniiciantur, vt malè hodie fit: sed tres vel quatuor res sufficerit coxisse, aut, si tenuioris sint substantiæ, infudisse (vt primo libro Methodi nostræ docuimus) ac maceràsse: mox libræ liquoris addidisse syrupi alicuius vncias tres.

Admonitio.

Remedia præparantia scripsi; sed ad vsum ducantur vt suadet causa morbi; quam primùm docui quibus notis deprehensuri sitis: nam si vredine bilis fuerit torrida, maximè

ximè vtemini ex his iam præscriptis, quæ feruorem exstinguunt & madefaciunt, qualis est nymphææ syrupus, cum aquâ cucurbitæ & solatri: sin putrescat melancholia, ea quæ putredinem castigant locum habebunt, vt melissa. si biliosa, detur aqua boraginis, eum syrupo boraginis. Ita vbique prudenter transigendum: nam hunc ob vsum primùm accutatè suis symbolis morbificas causas notauimus. Si hac prudentiâ mitescat efferus succus, placidiùs pharmaco cedet, & edomitus mentem fatigare desinet, cerebri tempetie redintegratâ: dum enim animi sedem æstus peruolitat, immemor officij sui ratio ferocit. *Cautio.* Caueat tamen ægro suo qui astat, ab illis distillatotibus, qui susque deque, sub vmbrâ arcanorum, & calida & frigida remedia propinant. Hine enim squalor perniciosus & grauior calamitosaque conflagratio. quod rectè olim Pythagoras, Ignem gladio ne fodias: quasi dicat, hoc fiet eum metu grauioris conflagrationis, sparsis circumquaque fauillis. samper sint præparantia humida non obstruentia: quare optimè præscribitur serum lactis, *Purgantia.* imbutum violis, boragine, nymphæâ. Post vnius aut alterius præparantis potus vsum purga, quò fermentum inquinans sanguinem exigatur. Si fit ab vstâ bile, propinetur confectio hamech cum sero caprillo, in quo ebulliit epithymum, sena, myrobalani. cum floribus buglossi. vel exhibe electarium de psyllio, tripheram Persicam, vt etiam in melancholica materia pilulæ de fumariâ, de lapide lazuli, Indæ, senæ, & diasena Nicolai. In biliosâ autem materiâ vtemur cassiâ, mannâ, & rhabarbaro, tamarindis, myrobalanis in decoctis, electario de succo rosarum, pilulis aggregatiuis eum scripulo rhabarbari. Omnibus his confert diacatholicum, electarium lenitiuum: fumaria, lupuli, myrobalani. Accipe diacatholici semunciam; hamech binas drachmas; syrupi violati semunciam; ex decocto florum & fructuum cordialium epithymi, & glycyrrhizæ, fiat haustus. Si fit à putridâ melancholiâ, immaceta sero lactis folia senæ, epithymi, & myrobalanos, colaturæ adde syrupum rosatum laxatiuum, vel violatum, & mannam: cùm enim gummiferis ex arboribus colligatur & eatum ex vaporibus nascatur, putredinem arcet. sio bilescat vnà materia, infundes rhabarbarum: & diluto addes quid electarij de succo rosarum: ita etiam si ab assatâ fuerit melancholiâ, iungit flotibus buglossi, violarumque syrupo, vel de pomis. His prodest etiam decoctum galli veteris purgans ex maluâ, buglosso, fumariâ, thymo, polypodio, senâ, cum saccharo rubro. *Notandum de ellebore.* Cælius Aurelianus in contumaci malo (contumax enim ex malancholia vsta) vtitur elleboro albo, & sæpe: quin & Q. Horatianus præcipit vt sæpius vomant, qui & elleborum admittit. *Methodi nostræ 2. lib. vbi De valida vomitoria.* Nos felicissimè vtimur cotide nostrò præparato elleboro albo, de quo aliàs. Si non facilè vomant, vtemur extracto ellebori nigri, cui quid addi potest electarij rosarum & dacrydij, si ab vstâ bile insaniant: vel quid hameeh, si à retorridâ melancholiâ. Ita regis Argiuorum Prœti filiæ, quæ se boues esse credebant, à Melampode Amythaonis medici clarissimi filio, curatæ fuere. *Cautio.* Quare antiquissimus est huius remedij vsus. Fugite ergo noua remedia, quæ turbant & non purgant quod decet. Modestè tamen quantùm licet, & sæpiùs purgare præstat. Itaque non confestim purga, ne fiat laboris plena purgatio, sed sensim, si licet. Et sinc, quantum res admittit, benigna purgantia. Quin semper adiice humectantia, & lenientia: præstant hic siccis humida. *Euacuatio per vrinas.* Vltimò id cura, vt roborantia quædam purgantibus semper accedant. Licebit & per vrinalia remedia tandem euacuare: accipiemus emulsionem seminum melonum, factam ex aquâ hordei, in quâ coxete semen & radix fœniculi, & radicis vitis albæ sesquidrachma. *Per sudores.* Et sudorifica locum hîc habent: nam balneum suauis aquæ maximè celebratur à Galeno: nam ab apertis poris, materiam exhaurit morbificam. *Euacuantia caput.* Cùm ita prouisio habita est totius corporis, pergemus ad ea quæ caput euacuant. Trallianus capiti tepidam admouet, dum æger in balneo est. Quin & per os & nares materia proliciatur, & id magnis pharmacis. Aëtius elleborum cum lacte, & elaterium naribus imponebat: nam ferox materia citra cunctationem deponenda est. Laudandum est & cautetium actu vtens, futuræ coronali immissum, vbi eum sagittali committitur. Osse denudato, de eo particula dematur, nec ante menstruum spatium sese locus consociet ab enatâ carne. *Topica.* Et fotis impositis remediis auxiliandum, à venâ sectâ, cucurbitis, hirudinibus. Si flaua bilis auctor morbi fuerit, ea tepimatur: admoue oleum rosatum omphacinum. Accipe caphuræ drachmam: liquescat in vino, vt lactescat; his conquassa albumina ouorum, cum duobus cochleariis aquæ rosaræ, & aceti rosati: capiti eum stuppâ imponantur. Si causam ducat à tetorridâ bile, vnaque, vt fit, vigiliæ premant, granum opij, & aliquid mandragoræ liquescant in oleo violaro & nymphææ, cum pauco succo de citreis. *Nota.* Laudarem etiam cordi admoueri frigidum vnguentum, vbi vsta bilis ferocit: nam ita irasci ac furore incandescere, sine flammeo cordis calore eiusve sanguine vix posse existimo. *In arte medica.* idem etiam putat Abenzoat: & Galenus vbi agit De notis calidi cordis, Si cor, ait, ad validum æstum abierit, furor & maniaca confidentia his est. Si itaque in vitali specu habitat officina iræ, procellæ ibi iam motæ componantur. Quare epithemate, si fieri possit, rectè tractatentur: accipe aquæ rosarum, nymphææ, buglossi, aceti rosati, cuiusque vncias tres: his immacera folia melissæ; colaturæ iunge specierum diarrhodonis abbatis semidrachmam; caphuræ, & croci, singulorum grana tria: tepidè regioni cordis inferatur. Vel illinatur pectus vnguento rosato & melissato, vel anthosato, vel violato; adde quid santalorum; & caphuræ, croci, euiusque grana quatuor, eum pauco aceto rosato. iungi potest semisctiptulus trochiscorum de caphurâ. Si foueri epithemate posset cor, id optimè fieret immarsu sacculo, qui fabricatus sit ex rosarum rubrarum manipulis tribus, florum anthos, & melissæ manipulo; santalorum drachmâ: caphuræ granis tribus; spicæ granis duobus. Hepar etiam recreetur epithemate ex aquæ endiuiæ semilibrâ: rhodostagmatis vnciis duabus; omnium santalorum drachma; caphuræ granis tribus; aceti semuncia. Viriles globuli linteolo infunduntur rosaceâ madenti, vel solatri, aut nymphææ eum aceto. Melancholia autem si morbum pepererit, ab astringentibus abstinebimus, ob succi crassitiem. admouebimus oleum rosatum completum: vel violarum oleum. & si ardor adsit maior, vtemur oleo de seminе lactucæ, vel de floribus cucurbitæ, nymphææ, & papaueris, si vigiliæ vrgeant. hæc satis humectant. *Cautio.* Cautio adsit, vt à valido algore abstineamus: & auctor est Abineenna magis hîc humectandum esse quàm refrigerandum: nam, dicit, madorem leniùs fert crebrum quàm algorem. Cúmque validâ opus est refrigeratione, remiscebitis flores chamæmeli, inquit Abineenna. Non vtendum igitur merè frigidis. Resoluentia mox succedant. sint ea initio cùm vsus eorum primùm initur moderata, ne allectent materiam meabilem adhuc. mulgeatur super caput lac, inquit Mesue; misce oleum chamæmeli cum oleo florum cucurbitæ; ita vnà humectabis. Ita oleum

oleum, amygdalinum, violatum, cum lilipo. Omentum tepidum agni capiti impositum commendat Albasatabia Arabs. Commodè fouetur caput decocto maluarum, fœnigræci, seminis lini, psyllij, hordei, violariæ, cucurbitæ foliorum, salicis, nymphææ, chamæmeli, meliloti, senarum, paucâ adiectâ stœchade. Vel verueeis caput & pedes com dictis seminibus cocta. Cottidie bis eluat caput calidè, nisi cælom æstu flagret. Si vigiliæ vrgent, adiiciemus seminis lactucæ & papaueris drachmas duas vel tres. A fotu illinatur caput oleo amygdalino dulci, ranino, vel œsypo cum lacte muliebri, adipe anserino vel gallinaceo. Inde secti catelli capiti calidè imponantur. His non iuuantibus, surgit Aëtius ad sinapi. Si vigiliæ premant, quod hîc nimis frequens (vt enim Dei gratissimum donum, somnus, serpat, tribus opus est, animo quieto, anathymiasi suaui, & cerebro temperato, quæ hîc absunt) his pugnandum, vt sopotetur. Refert enim Fernelius diuturnas adeò & contumaces interdum vigilias incidere, quidam vt menses quatuordecim insomnis duxerit. Accipe olei amygdalini vnciam; olei violati semunciam; olei nymphææ drachmas binas: capitum papaueris albi numero quinque; seminis lactucæ drachmas binas; florum chamæmelorum pugillum; vini albi subdulcis sescunciam: misce; coque in duplici vase, ad vini exhaustionem, refrigerat, madefacit, somnum inducit citra noxam. Naribus trahat oleum violatum, vel papaueris, cum succo lactucæ. Postea totum corroboretur. & quia fermet squalidum hepar, id placet sero lactis cum cichoreo. Ab vnâ aut alterâ purgatione pergemus ad ea quæ cor, cerebrum & hepar redintegrant, vffuscatum sanguinem serenant, fuliginosos spiritus exhauriunt. vt sunt, myrobalani citrinæ conditæ, conserua rosarum, adianthi, melissæ, calendulæ, rosmarini, violarum, nymphææ, cum paullo stœchados, florum arantiorum, radices buglossi, calami, enulæ, citreum pomum in aquâ rosata coctum dum tabescat, cum saccharo: diarrhodon, diamargariton frigidum, manus Christi, electuarium è pomis, electarium resumptiuum; aromaticum rosatum, & caryophyllatum, alchermes, de hyacintho. His intabescant tria vel quatuor grana caphuræ, & vnum mosci. Accipe aquæ rosarum vncias binas; vini granatorum, vini Rhenensis, singulas vncias; his immadeant per noctem folia melissæ; sacchari crystallini adiice vncias duas: lentè coquantur, & adde conseruæ boraginis, buglossi, cuiusque vnciam; corticis citrei conditi, myrobalanorum citrinarum conditarum singulas sescuncias; diarrhodi abbatis, electarij è gemmis, amborum drachmas binas; passulatum Corinthi duas drachmas; specierum electarij resumptiui drachmam; croci grana sex; bracteolarum auri numero quindecim: misce, fiat instar conseruæ. Robur etiam afflandum spleni emplastro: ex duabus partibus radicum capparum, & absinthij parte vnâ, bulliant diu in oxymelite scillitico; pistentur, & adde oleum rutæ & lauri, vel linum, cum cerâ: extendatur super peciam. Lauandum etiam caput: Accipe caput castrati, quod confractum bulliat in aquâ, cum rosis, violis, floribus nymphæ, buglossi foliis salicis, singulorum semimanipulo; schœnanthi & stœchados singulas semuncias: hoc caput alternis diebus madescat & foueatur: vel omni die, & pluries in die si opus sit. & si non possit dormire, addi poterunt capita papaueris & lactucæ: & ad humectandum, oleum de cucurbitâ, si squalida sit temperies. Iam curandi modos claudam, si modò subiecerim quo modo transigendum cùm à rebus externis enatum vitium fuerit, vt à percussione, & maximè si à Sole æstu conflagrante. Sol suo feruore trahit & vrit melancholicum succum, dum caput torret. Seca cephalicam brachij; hinc purga; tertiò tepidâ aquâ, ex sententiâ Razis, humectetur & frigescat caput infusâ: dein oleum rosatum cum quartâ parte aceti infunde capiti: ita etiam oleum seminis cucurbitæ, cum lacte muliebri; & etiam hoc naribus sorbeat. Tandem balneum tepidum ineat, aquámque multam capiti infundat. Aquam odoret rosatam, violatam: & talibus transigat. iam ad diætam: nihil in his peius, cibum cibo incocto addere. Sit victus mediocris, non accisus, non plenus: nam morbus ducitur, & metus est cacochymiæ. Sit cibus humectans: mirum quantum, adferat is solarij. Qui autem se auertunt à cibo, ægrè curantur. Sit coctu facilis, flatus expers, non squalidus aut in æstum corpus abripiens, ne causis plethoricis caput feriat. Vtatur cremore hordei cum saccharo vel lacte; huic adde emulsionem frigidorum seminum, cum paucâ agresta. Vitulina caro proderit & agnina, pulli gallinacei, pisces saxatiles: & lactuca, spinachia, cichoreum, endiuia, asparagus: aliquid adiice anisi vel fœnicoli: cerasa comedat & poma. A coriando abstineat, & à croco. Lac calidè emulctum sine alio cibo detur manè cum saccharo. Vitet acria, vt piper, sinapi, cæpe. Sorbile aliquid aut tenerum laudat Aurelianus: quare biscoctus panis nocet. sit panis triticeus, confusaneus. Caueat etiam à diureticis validis: nam tenue eliquant restibili crasso. Sitim non ferant. Zeno naturâ tristior hilarescere in conuiuio solebat: nam & lupinus aquâ marceratus dulcescit: ita cibus & potus etiam tristitiam fugant. Vtatur aquâ hordei cum succo granatorum dulcium. Tandem veniendum ad vinum album, tenue, dilutum: nam vt eas euocat, & diuûm gratissimum donum, somnum facit, humectat corpus, ac bilis frangit ferociam. Si temperatione eget vinum, affunde aquam buglossi, boraginis, endiuiæ, cichorei, fumiterræ, vel pluuiam aquam Maialem puris vasis collectam. Vino etiam melissato & boraginato vtatur is, qui ex metu prodromo huc venit: sit tamen oligophoron. Aër declinet in frigus, sitque suaueolentibus perfusus odoribus: is enim auido admittitur rictu, ex rosis, violis, nymphæâ, pomis, santalia, caphurâ, caryophyllis, tride: quædam horum etiam aquâ rosatâ coquantur, quò vapor inuadat cubile. Methodici cunctus furiosos in tenebris continendos esse dicebant. Principiò iaceant loco mediocriter lucido & nullo turbore pulsato, nulla quoque picturæ distinctione. Præcipitij facultas absit in fenestris. Auersus sit lectus ab ingressu, ne vultus vexent ingredientium: illa enim vultuum varietas auget furoris vanitatem. Oblectamenta adsint, offensio absit. Mandandum ministris vt eorum errores quodam consensu accipientes corrigant: nec tamen omnibus consentientes augeant furorem, eorum visa confirmantes: nec rursum repugnando asperent. Sed nunc indulgeant, nunc insinuando corrigant vana, recta demonstrantes, ac contrarietate quadam alienationis corrigatur qualitas. Blandisonis modulis & sonorum concinnitate demulceantur, hæc enim mentis tempestatem sedant. Sciebant id Arcades olim: ita Clineas musicus iram mulcebat lyrâ: ita Dauid procellosam Saulis meotem citharâ componebat. Si quid adhuc mentis adsit, amici ob oculos ponantur, dei misericordia, diaboli astus, vxor, liberique chari. Quidam minia reuocantur, loris flagrisque commitescunt. Non sint soli, nec inter ignotos, aut quos auersantur. Balnea dulcis aquæ fundunt & exhauriunt bilem, & feruorem mitigant. Cotidie his vtatur ex oleo & aquâ. Et madescat omni ratione cerebrum

Animaduersio de vigiliis.

Ccaaoso-rantia.

A rebus externis si sit, vt remediandum.

Diaeta.

Potus.

Aër.

Galen. ad Thrasybulum, cap. 22. Aurelianus.

Motus & quies.

Athenæus 14.

Balneum.

brum vnguentis, oleis, & embrochis. A balneo vngatur pectus & spina óleo violaro, amygdalino, nymphææ, adiice æqualem partem pinguedinis porcinæ. *Somnus.* Si peruigilio fatigatur, somno stude: nam hoc gratissimum Dz r donum non minima curationis pars: propina diacodium: vel sumat lac seminum papaueris, cum syrupo papaueris, vel requiem Nicolai. Accipe sytupi papaueris vncias duas; aquæ nymphææ, violatæ, lactucæ, singulas vncias: misce, detur serò. Opium etiam lacte solutum naribus impone. *Externa.* Habeat & pilulas familiares, quæ sanguinem ab inquinamento melancholico serenant; quæ fiant hoc modo: Accipe succi melissæ, vini aromatici, cuiusque vncias tres; aloës puluerisatæ vncias tres: madescat his succis; & ex Solis calore inarescat: ter repete perfusionem: tandem adde senæ pulueris tres drachmas; rharbarbari binas drachmas, thymi, epithymi, caryophyllorum, cuiusque drachmam, macis semidrachmam, scammonei scriptulum, croci semiscriprulum. hæ tristissimum sanguinem serenant, & opacos spiritus illustrant. Si nullis remediis placetur feritas, hæc inutiliter cuncta moliemur; potiùs vinculis coërceantur. Sed semper cautio adsit vt caueas ab his, ne in calamitatem te præcipitent: sæpe ego periclitatus sum capite apud hos. *Empirica.* Inter Empirica commendat Dioscorides, libro de Euporistis, hippomarathri radicem & semen coctum ex aquâ, ac potum: huic subscribunt Paulus, & Aëtius. Alij contenti sunt solo potu aquæ boraginis. Ego accipio serum lactis, cui infundo folia buglossi, boraginis, violas, nymphæam, lactucam, acetosam, vel capita papaueris, cum pauco epithymo: vt eo fruatur loco potus per aliquot dies. Aliud, Florum rorisinarini, boraginis, radicum buglossi, singulos manipulos; croci semidrachmam, mali cydonij vncias quatuor, vini albi clari libras duas: misce, & per diem integrum macerentur bene pistata: dein fimo equino imponantur dies quindecim in vase vitreo. dein bis aut ter distillentur. dosis est vnius drachmæ: efficax in melancholicis cunctis remedium, & tremulo in corde. *Lycanthropia. λυκάνθ.* LYCANTHROPIA qualis sit affectio primùm diximus dicitur Arabibus chatrab, sumpto nomine à bestiolâ quæ sine serie certâ super aquas huc & illuc fertur: ita hi etiam stare loco nesciunt. *Historia mira.* Refert D. Schenckius ex Io. Fincelio, libro 2. Mirac. hanc historiam. Parauij lupus sibi videbatur agricola anno 1541. multósque in agris insiliit, trucidauitque. Tandem non sine difficultate captus, confidenter se asseuerauit verum esse lupum, discrimen solùm existere in pelle cum pilis inuersâ. Quapropter gladiis feriunt eius tibias & brachia, amputántque, veritatem rei exploraturi. Cognito verò hominis errore, eum chirurgis tradunt curandum, sed post dies non multos exspirauit. *Curatio.* His singulis mensibus emittatur sanguis: & vere ad lipothymiam id fiat; nam à pleno vstoque, iámque se fundente sanguine nascitur. Victu curentur humido, balneis, & theriacâ, vbi non ita sanguine circumfluunt. manè vtatur sero lactis cum epithymo & senâ, per plures dies. Dormiat plurimum, si sit ab vstâ bile, & humidis frigidiusculis indulgeat. Cauterium suturæ coronali inuratur.

CAPVT XIV.

De HYDROPHOBIA, *hoc est, Aquæ metu, qui fit à morsu rabiosi canis.*

Nomen. NAscitur interdum furor à morsu rabiosi canis, vocatúrque ὑδροφοβία, hoc est, aquæ metus; alij ὑδροφοβίαν appellant; quòd non solùm aquam, sed & cuncta liquida auersentur, ab aliis cynolyssus vocatur: quibusdam phobodipsos, quòd cum timore sitiant: aliis pheugydros, hoc est, aquifuga dicitur. Tristissima certè morbi calamitas, quæ hominem rabie, siti, & aquæ formidine exanimat. *Definitio, eiusque explicatio.* Est autem hydrophobia phantasia deprauata, dependens ex intemperie calidâ & siccâ venenatâ principum partium, maximéque cerebri, quâ, peculiari ratione veneni, homines liquida omnia fugiunt & horrent, causam ducens ex rabidi canis morsu, sanguinem inquinante. Dixi dependere ex calidâ & siccâ intemperie venenatâ: est enim morbus totius substantiæ: quòd talibus solùm remediis cedat, quamuis sub calidâ, & siccâ intemperie cõsistat Dixi principum partium: nam plurimæ partes hîc in vitio videntur esse: Democritus neruos hîc affici dixit: Asclepiadis autem sectatores membranam cerebri: alij diaphragma: Artemidorus Erasistrati sectator, & Artorius stomachum culpam agnoscere: plurimi tamen capiti vitium hoc ascripsere, maximè cùm iam mens fuerit alienata, cùm & antea notæ plurimæ futuri mali per faciem efflorescant. *Mira res.* Dixi eos peculiari ratione liquida horrere: nam ea est vis huius veneni, vt vel metuenda sibi quædã simulachra in illis videant: vel quia maximo fastidio madoris (in quo tamen medela esse deberet intemperiei huius) teneantur, misertimum profectò morbi genus, quo æger & siti, & aquæ metu cruciatur. Quod autem in aliis venenatis morsibus calamitosis, peculiares quædam symptomatum immanium ideæ non æque elucet, in causâ fortè est horum ferocia, quòd priusquam eò deueniatur vt partes principes ira in suam naturam vertant, homines occumbant à pernici vi. Quin venena illa biliosum sanguinem, aut pituitosum, vel purum putúmque sanguinem tum spiritus incurrunt, eóque celeranter ad internecionem belligerant. Sed hoc canium, lentum venenum cunctantiùs serpit, & melancholicum potiùs analogiâ ferit; hinc non se prodit, nisi traiectis partibus principibus, potissimúmque cerebro, vbi prauum in liquidis simulachrum iam tunc fingit. Quanquam auctor sit Theodorus Priscianus, hydrophobiam etiam ex serpentium morsu euenire. *2. Euporist. 8.* *Causa.* Causa huius mali, vt dixi, est virus perniciosum, quod in rabidi canis saliuario humore stabulatur. Est autem illud calidum & squalidum, venenatum, & contagiosum, quod per arteriolas facilè toto se corpore fundit: adeò vt, si Galeno fidimus, eius sola saliua corpori aspersa ad venenum spargat. *6. Loc. aff. 5.* Puto tamen, tactu saliuam non lædere illæso corpore, modò ilico vrinâ aut sal-â ab aquâ abstergeatur. *Historia.* Quosdam læsos rabidi animalis vnguibus fanaticos euasisse testatur Aurelianus. ita refert quendam læsum parumper à gallo gallinaceo pugnãte, in rabiem incidisse Aliud exemplum narrat sartricis, quæ cùm chlamydem scissam rabidis morsibus sarciendam sumeret, atque ore stamina componeret, & linguâ pannorum suturas lamberet assuendo, quò transitum acus faceret faciliorem, tertio die rabiosa est facta. Quare quidam etiam putant, ex aëre, canis halitu inquinato, hanc luem contrahi posse. Alij poculo eodem, quo æger bibit, si quis vtatur: aut si ab ægro attentati cibi degustentur. Attamen si sanguinem emiserit lacera cutis, in eo propriè se condit hoc veneficum seminarium. *Signa.* Iam de signis. Cùm quis iam iam morsum accepit, nihil magni sentit mali: cõtrarij prorsus euenit ac in aliorum venenatorum animalium morsu. Quare vbi canis momordit qui in suspicionem rabiei venit, accuratè perlustrandum num postea homo reddatur cogirabũdus præter morem, necnon an vanâ imagine perfundatur cogitatio. Ita si eueniat, ac longiùs si cessant remedia, his tunc noctu

noctu somnus violatur, familiares vitant, fetido aspectu secum mossitant, locum splendoremque fugiunt: nam iam tunc germen veneficum bibit cerebrum, vnde mox, vt ait Thucydides. * ἐξ ὀλίγων πολλά. Deinde præcordia anxie permutant, ita vt stare loco nescius, furibundus huc illuc ruat facie tubrâ, cum sudatiunculâ. Hinc incipiunt ὑδροφοβεῖν, hoc est, aquæ conspectæ metum incutiere: & tunc, vt loquitur Theodotus Priscianus, passio eos plena possedit, cùm quantum in desideranda pótione accesserit desiderij, tantum timoris in accipiendâ generatur. Vel enim abominatur & nauseat ad liquida, vel in eis horrenda simulachra conspiceatur, aut canem ibi latere putans, formidine tactus in clamorem erumpit non sine horrore. Tandem cùm altiùs irrepsit venenum, partesque principes traiecit, tunc in his omne rationis lumen exstinguitur, ac fanatici euadunt, vereque mente eaouuntur; nec contubernales agnoscunt, mordent, latrant; nam canes se existimant, gonorrhœa alij tentantur. Aquam & specula fugiunt: conuelluntur extremæ partes, singultiunt: sunt qui in apilepsiam abripiuntur, qui dein fanatici redduntur: sitis inexhausta, sudores frigidi, syncope, mors. Dioscorides fatetur tunc, esse malum inexpugnabile cùm de aquâ verentur demorsi: cùm nimirum allatâ aquâ horrent, ac lattatu astantes terrent: & si diutiùs aqua adsit, tremunt, sudant, delitant, ac lipothymiâ tentantur. Sed interdum latet num rabiosus fuit qui momordit canis: quid tunc agendum? Accipitur mica panis, admouetur vulneri, ac eius sauie tingitur: ea vorata à sano cane, si ei insaniam non intulerit, rabiei ea pers fuit qui morsum intulit. Imò sanus canis plerumque talem auersatur micam: nam canes odorâ vi excellunt. Domicellæ etiam arceant catellos suas ab vsu aromatum, hæc enim canibus rabiem accersunt. Scribit Plinius Columellâ auctorem esse, si quadragesimo die, quàm sit natus, castretur morsu cauda, summúsque eius articulus auferatur, sequenti neruo exempto, nec canes tabidos fieri. Canem autem rabidum occurrentem ita agnosces, hi immemores cibi & potionis perseuerant, truces oculi scintillant, demissis auricolis ac caudâ linguam exerunt, spumam ore voluunt, vmbræ suæ allatrant, itetumque latratus expertes anaij currunt, ac in cuncta obuia morsu feruntur, incerto oberrantes cursu, & quasi titubantes ebriorum more modò dextorsum, modò læuorsum ad humum depressum talis canis gerit caput ac ad latus conuetsum, hianti est ore, ac linguâ exertâ nigricante, & sanies naribus manat, sani canes eum fugiont. Priusquam autē hos rabies inuadit, tristes sunt, & in quiete, quasi ex cursu anhelosi. Huic passioni canes obnoxij viuunt qui se saturant carnibus animalium quæ pestilentiâ aut fulmine, aut venenatorum morsibus interierunt, & qui vetminosâ escâ vescuntur, aē putidam vnà aquam lambunt; & is qui morsus fuit ab alio rabido cane. Ad prognosin venio. Hi homines siti plerumque enecantur. Si spacio inualuerit hæc insania, medelæ est expers: hoc est, cùm mente exutus aquam metuit. Quamuis Eudemus, citante Dioscoride, quendam euasisse asserat; & Themisonem medicum; quem tamen non demorsum, sed ab amico hydrophobo ita affectum fuisse asserit alios prodidisse. Sed & ipse Dioscorides ita loquitur, * ἀλλ' ἤδη τινὰ ἐβοήθησε πάλαι ... Tamen in pauoris, initio cùm nondū partes principes petuasit venenum, aliqui curantur, vt euenit illi philosopho apud Aetium, qui initium dedit prouerbio, Quid cani cum balneo? nam hi elleboro curari possunt, ac phlebotomiâ, vt moa dicemus. hi sunt qui se in speculo adhuc agnoscuot: nam huic,

* ex paucis multa.

Rabidi canis signa.

Prognosis.

* Hoc est, inde periculum incurabile hominē manet, nisi multis vtatur auxiliis.

inquit Abincenna, nondum petiit salutis spes: nam nondum ita demersam cetebro vim veneni denotat, quin elui possit. Variè autem aquæ metus superuenit. quibusdam à decimo quarto die postquam demorsi fuere: aliis à quadragesimo, aut sexagesimo; aliis post sextum aut septimum mensem: tanta enim segnitie tepit malum, vt ratò se prodat ante vigesimum diem: & plerumque à trigesimo die. Quin septē annis tegitur hæc pernicies, inquit Paulus Ægineta: Galenus aliquos post sextum & octauum annum à morsu eò venisse narrat: Albertus post annum duodecimum quosdam sensisse tandem hanc iniuriam: Guainerius quendam refert elapsis octodecim annis in hydrophobiā incidisse, ac intra d ē tertium obiisse; cùm malum post decimum octauom annum eo tēpore se aperiret, cùm vmbram sorbi arboris transiret. Nam ferunt, si quis sub sorbo arbore iacuerit qui aliàs demorsus à cane rabido fuerit, torsus in rabiem verti. Quare quamuis hoc venenum diu latitet, cùm tamē se aperuit, celeriter enecat, fraudatis potu ægris, adeò vt quidam intra triduum moriantur ab oborta hydrophobia: vt exemplis id prolixè demonstrauit diligentissimos & doctissimus meus Forestus. Lentum itaque adeò cùm sit in quibusdam hoc malum, antiquis ob moram ignotum fuit, ita vt nesciuerint à vulnere tabidi canis illud euenire Nam vsque ad tē pora Aristotelis morbus hic in homine nondum innotuit; quare idem asserit, hominem solùm commotsum à cane rabido, à rabie non occupari. Et Plutarchus ex sententia Athenodori medici affirmat hydrophobiam morbum nondum fuisse tempore Asclepiadis: is tempore Pompeij viait. Hippocrates nusquā eius meminit, nec Nicander qui sub Attalo vltimo rege Pergami vixit. Nec me mouet Aurelianus, qui certè incommodè eius antiquitatem probat. nam Ouidij tempus, qui paululum ab Asclepiade viait, nullum adhuc nouo malo remedium nouit:

——nam, dicit, medicina

Nec formidatis vlla medetur aquis.

Setius aut citius symptomata eluceat, vt fuerit aër calidior, temperies corporis, venenum prauius, grandius aut tectius vlcus, vt corporis cacochymia ad putredinem aptior; venarum, arteriarum, omniumque ductuum amplitudo vel strictio. Conclusum nec paruulum vulnus plus periculi habet, quàm amplum, vnde laxare se vires potest. Sed, vt hoc iterum, cùm ad hydrophobiam deuentum est, non redeunt. quanquam non despondet curationem Abincenna, modò se adhuc agnoscant in speculo: qui istis pet valentes purgationes redintegrari mentem posse potat. Iam ad curationem veniamus. Aër cubiculi sit calidus & lucidus, quò foras se vertant spiritus & sanguis. Et ob eandem causam vitet somnum, quousque vis veneni sit exhausta. Edat arantia & citrea mala; & his cibi condiantur, vt etiam tormentillâ, pimpinellâ, calendulâ, boragine. Caro sit vitulina, veruecina, gallinarum, & taliom. Caueant astantes ne comedant teliquias ciborum degustatorum ab his hominibus. Vitetur inedia & satietas; vt enim hæc vires deiicit, ita illa suâ copiâ ad cacochymiam & focum veneni facit. vrinalia cibis temisceantur. In primis curandum vt aquam bibat: & si iam metus præludia adsint, tegatur proculum, vel tubolum habeat, vnde bibat æger. Demorsus ilico generosum vinum hauriat, & cæpas comedat; ea enim dissipant seminaria venenata. Poculis indantur folia pimpinellæ, & cacumina cum floribus calendulæ. Familiaris potus sit vinum oligophorum, vel solabium ex syrupo citreorum, cum decocto acetosæ, vel hordei. Laudat Dioscorides vinum & lac, cæpas, allium, aromata: nam dicit, diu hæc vires suas

Quando incipiant aquā metuere.

Tract. De venen. cap. 12. De morsu rabidi canis.

De curat. morb. 10. lib. 28.

8. Hist. animal. 22.

8. Symp. 9.

Curatio. Prophylactica ne hydrophobi euadant.

Victus.

sun

fundunt per corpus. Comedat cancros; & olus ex cichoreo. Scribit Matthiolus, demorsos in Hetruriâ abstinere integro anno à contactu ligni corni, & sanguineæ virgæ: nam si hæc ligna manibus eorum incalescant, ilico rabie exagitantur. Ita habendus in victu; nunc remedia perlustremus. Si ilico abstergeatur vrinâ sauies spumâve aspersa, nihil magni metus erit: nec enim fomite aut contactu omni lædit: sed maximè si morsu elicitus sanguis, is spumâ aut sauie tangatur: ille enim focus mali. Attamen spuma leuiter contemni non debet: nam refert Galenus, eam inficere: & Matthiolus duos vidit solâ spumâ infectos. Plinius scribit, tantam vim mali esse, vt vrina quoque calcata rabiosi canis noceat, maximè vlcus habentibus. Demorsis maturè remediandum: nam ob cunctationem moriuntur: pauci alioqui perierunt. Argumento est Baldus Iurisconsultus: is à catellâ labium perstrictus, cùm rabire eam nesciret, & ob exiguitatem negligeret vulnusculum, quarto mense fanaticus interiit. Non secetur in morsus principio vena: sed sit aluo libera. si non spontè feratur, da mannam cum diacatholico, & syrupo rosato laxatiuo: fiat instar opiatæ: sumat cochlearium ante cibum. Alia aluiflua pharmaca absint ineunte morbo, vt & phlebotomia, ne intrò trahatur venenum. Sed eunte curatione, si citiùs quàm par est vulnus coaluerit, tunc si plethora adsit, phlebotomia; vel si cacochymia fœdàrit, pharmacia locum habet. Nostri, iam iam demorsos, antequam hydrophobi euadant, ter in Oceanum mergunt. Multa remedia quæ tuentur à pauore aquæ prodit Plinius libro vigesimo nono, capite quinto: sed non omnibus fidendum; publicis potiùs standum. Tale est illud ex cancris fluuiatilibus, quo vtebatur Æschrion Empiricus, præceptor Galeni & conciuis, medicamentorum peritissimus senex: huius meminit Galenus vndecimo simplicium libro, hoc modo: Patella erat ænea rubra, in quam impositos cancros viuentes hactenus vrebat, donec in cineres abirent, vt facilè ad læuorem redigi possent. Hic Æschrion semper hoc in ædibus habebat medicamen, tempore æstiuo vrens cancros post ortum Canis, quando Sol in Leonem transisset, Lunâ decimâ octauâ. Cottidie dabat hos cineres, vsque ad diem quadragesimum mensurâ magni cochlearij, inspersos aquæ. At si non protinus ab initio, verùm aliquot post dies à morsu curam cœpisset, tunc cottidie duo cochlearia aquæ inspergebat. Ad ipsum verò vulnus emplasticum applicabat medicamentum, quod ex pice Brutia, opopanace, acetoque conficitur: habens picis libram, aceti acerrimi vnum sextarium Italicum, opopanacis verò libras tres. Asserit Galenus, neminem vnquam mortuum esse, qui hoc antidoto rectè fuerit vsus. Et dicit Galenus, fluuiatilium cancrorum cinerem, substantiæ totius proprietate contra rabiosorum canum morsum efficacem esse, eumque tum solum, tum cum gentianâ & thure multò præstantiorem. Thuris sanè vnam partem esse oportet, quinque autem gentianæ, porrò cancrorum decem. rarò enim, inquit Galenus, aliter illis vstis sumus vsi. Dioscorides in quaternos cyathos meraci vini, bina cineris cancrorum cochlearia, vnumque gentianæ conijcit: hæc in polentę dilutioris modum subacta, quatriduo exhibet potu. In principio hoc remedium dabat. Sin ab illato morsu, bini ternive dies fluxissent, à triplicato pondere curationem auspicabatur. Commendat Aëtius bitumen Iudaicum Asphaltites, drachmæ pondere ex aquâ potum: quin eos qui iam primùm pauorem aquæ incurrerent, hoc curati asserit. Plinius commendat cynorrhodi, hoc est, syluestris rosæ radicem. vnicum, inquit, remedium oraculo quodam

Remedia.

Æschrionis remedium.

§ Lib. 4. 25. lib 3.

nuper repertum: nam demorsi militis mater monita in somno, vt radicem cynorrhodi mitteret filio bibendam: casuque accidit, vt milite incipiente aquas expauescere, superuenerit epistola orantis vt parêret religioni, seruatusque ex inspetato, & postea quisquis auxilium simile tentauit. Insanabilis, inquit Plinius, ad hosce annos fuit rabidi canis morsus, pauorem aquæ adferens. attamen ante Plinium, Celsus & Scribonius multa remedia prodidere: vel his cunctis ille cynorrhodon prætolit. Quidam accipiunt radicum gentianæ drachmas duas, astacorum fluuiatilium in furno combustorum drachmas tres, terræ sigillatæ semunciam; præbent horum drachmam ex decocto astacorum; hoc sæpe. Aëtius ne seminaria venefica materiam sibi analogam corrumpant, arceaturque corruptionis promptitudo, laudat decoctum oxylapathi potum; nam etiam vrinam cieri inde asserit, & id saluti esse: atque idem decoctum vulneri imponit. Celebrat Scribonius Largus mirabile antidotum Apuleij præceptoris Celsi, & alij alia: verùm cùm theriaca cuncta ferè accipiat quæ illa, hac vtendum potiùs suadeo ex decocto astacorum, vel gentianæ, aut acetosæ, pimpinellæ. Poterit gentiana & theriaca infundi in aquam vitæ, vt cottidie sumat cochlearium ex decocto oxylapathi & pimpinellæ, vel ex infuso calendulæ diluto. Dum ab impresso morsu ita de internis cura peragitur, simul ex vlcere omni arte prolectetur venenum: & diu & multum effluat sanguis: nam omne à cane vulnus diutiùs patêre debet, etiam si suspicio absit rabiei. à rabioso autem quod est, ante quadragesimum vel sexagesimum diem non tutò obserabitur, asperso cinere ficulneo si conniuet. Ilico scarificato vulneris ambitu, diductóque, si conniuet, vulnere, cucurbita magna imponatur, mox vino calido eluatur & abstergeatur locus. Nam hîc maximè opus est chirurgiâ, quin vulnus amplius reddatur, rescissâ per ambitum carne lacerâ, ne ante tempus coëat vlcus, fluatque pleniùs sanguis, & dein scalpello altiùs adacto, subinde cucurbitis amplius tentetur. Mox vratur ferro, tam altum vt seminaria venefica absorbeat, modò nerui & tendines id non impediant. Si ferrum reformidat, fiat id vnguento rosato cum sublimato; & butyro eschara illinatur dum decidat. Studendum vt quàm primùm crustâ se exuat vlcus. & cottidie præcipitatum tunc vlceri inferatur: nam arcet coïtum, & venenum extrahit. Vel misce præcipitatum tractorlis vnguentis aut emplastris, & interdum inferatur vulneri, nihil enim potentiùs extrahit virus ab alto. tegatur vlcus brassicæ folio butyro illito. Alij sinapi soluto in vrinâ vel aceto lauant & fricant locum, & pannum duplicem eo madentem vulneri imponunt. Alij accipiunt alliorum radicem mediam, cum semuncia theriacæ & fermenti, & semipugillo melissæ, & marrubij fœtidi, omnia pistillo comminuta superponũtur. Quidam erucam cum butyro & sale coctam imponunt. nonnulli fimum equinum coquunt in acri aceto, & imponunt. Pix etiam liquida cum sale & euphorbio imponitur. & pili eiusdem canis vulneri impositi remedio sunt. Sed fidissima & optima inter præsidia est theriaca, in aquâ vitæ vel generoso vino soluta, & diu parti affricta, sic vt cruor manet, illo absterso: linamentis eodem medicamento madentibus impositis, mox superpone allia vel cæpam cũ sale & terebinthinâ tritâ Sed cautio adsit in cauteriorum impositione, vt, vbi morbi principium (quod varium est, duorum, quatuor, & plurium dierum) præteriit, à cauterio pax sit: nam altiùs iam se insinuauit venenum: scarificabimus tamen, & siccantia euocantiáque imponemus, & phœnigmos, & quæ vesicas efferunt. Optimè facit & per se caprifici

Vlceris cura.

Cautio in cauteriis.

liber, inquit Scribonius, contritus & impositus vlceri: item laser per se. Sed, inquit Dioscorides, si hæc interna auxilia primis diebus prætermissa fuerint, nec scalpro carnem circiuara nec vtera oportet: non enim quod iam transiit in viscera satis euocara poterit: frustra itaque doloribus corpora prosternemus. Tunc potiùs validè corpus purgetur elleboro, & ante & post quadragesimum diem sæpiùs: nam hydrophobas quosdam sanauit hoc pharmacum, cùm iam iam pauor aquæ illos tentaret (nam nemo sanatur iam cùm insedit omnino aquæ formido) & cibis acribus indulgeat, & sudores ciear. Itaque cùm hoc periculũ herbescere incipit, necdum adeò titubet æger, quin se adhuc in speculo agnoscat, id periculum non nisi periculo vincitur. da extractum ellebori, cum extuso liquore cæpæ, in quâ, cineribus obruta, theriaca coxit: cùm extunditur liquor, adiice aquam pimpinellæ vel cardui benedicti, adiice quid confectionis hamech: nam præcipiti hoc in malo opus est deiectiona, vomitu, & sudore. Balnea etiam venenum deiiciunt: in eo desudent aperto vlcere, donec vires ferunt, & dein meraco vino excipiantur: hæc per triduum si fiant initio vlceris, tutus erit. Si autem, dum interna optimè curantur, ante tempus carne vestiatur vlcus, expediet, ex sententiâ etiam Dioscoridis, iterum diducere aut inurere vlcus. Sed cùm iam coiit iusto tempore, hoc est, post quadragesimum diem, vult Dioscorides locum adhuc tegendum esse emplastro quod è salibus conficitur: nec multo pòst sinapismo vtandũ esse. Si itaque iam aquam metuit, suasore Celso, proiiciatur nil tale cogitans in piscinam non præuisam, & modo mersus bibat, modò attollatur, vt inuitus aquâ satietur: ita sitim & aquæ metum eluet. Cautio adsit, ne fatigatum corpus, à frigidâ aquâ, conuellatur: quare à mersione, ilico in oleum calidum demittatur. Mirandam historiam refert Philostratus in vitâ Apollonij Tyanei: Rabiosus canis adolescentem momordit, qui mox in caninos deflexit mores latrabat, sedebatque vt canis, & ceu quadrupes gradiebatur, manibus tanquam pedibus vtens. iamque dies triginta hoc morbo laborabat. Apollonius ciuibus præcepit vt canem inquirerent qui momorderat. illi negabant se canem vidisse, quòd extra mœnia morsus fuisset adolescens. O Damis, inquit Apollonius, is canis albus est, villosus, custos ouium, magnitudine amphilochicis canibus æqualis. Stat tremebundus iuxta fõtem, aquã cupit, & timet. ipsum ad ripam ducite, & immurmura auribus hoc tantùm, quòd à me vocatur. Adductus canis eiulans ad Apollonij pedes procubuit. iussit mursum vt lamberet. Rediit adolescenti mens, parentes & amicos agnouit, & ex flumine aquam bibit: nam remedium rabiei est aqua, si eam attingere rabiosus audeat. hæc Philostratus. Narrat Aëtius, si hydrophoba semel tantùm ex coagulo catuli comederit, statim eum inuadere aquæ cupiditatem. D. Iulius Palmerius scribit se omnes qui iam aquam timerent, & rabidi essent (modò non vltra tres paroxysmos durasset morbus, & morsus factus in capite, aut facie aut collo non esset) hoc illos antidoto feliciter curasse: Accipe foliorum rutæ, verbenæ, saluiæ minoris, plantaginis, foliorum polypodij, absinthij vulgi, menthæ, artemisiæ, melissophylli, betonicæ, hyperici, centaurei minoris, omnium æquale pondus: fiat puluis. dosis est duarum vel trium drachmarum quotidie, cum duplo sacchari, vel ex vino, aut pomo, vel iusculo, aut ex melle, & in formâ tabulati. sumitur ieiuno stomacho, & horis tribus ante pastum. & puluerem hunc vulneri inspergit. Idem ait Fernelium de pimpinella scripsisse, eam ad præcautionem facere, si eius folia sumantur. hoc habuit ex Regis Galliæ venatoribus, qui demorsis à rabidis canibus, quotidie folia aliquot exhibere solebant, idque vnicum iis esse medicamen prophylacticum. Scribonius Largus refert quendam barbarum naufragio Cretâ appulsum hydrophobas curasse etiam cùm latratus edebant, spasmoque vexabantur, sinistro brachio alligata hyænæ corij particula, panno illigatâ. id, inquit, ego pro magno munere accepi à Zopyro legato inde misso, hospite meo. Theodorus Priscianus chalasticis admotis iuuat pectus & stomachũ. dein cerotario ex mastice & nardino oleo. Caput foueatur decocto anethi, chamæmeli, betonicæ. Vrinalia præberi vult Abincenna, adeò vt ad cantharidum vsum surgat, dum sanguinem mingat æger. Hæc credo aptissima & optima esse ad huius mali profligationem.

Iam hydrophoborum curatio.

Historia. 6. lib. 28.

Capvt XV.

De Memoriæ *detrimento: & quo modo ea sit firmanda.*

** Memoria.*

Memoriæ præconia.

Mvtis factum caput iam aggrediamur, ac de * Mnemosyne Musarum parente, ac Iouis amasia agamus. Antiqui ex tribus quas statuebant Musas in templo Delphico, Mnemen, id est, memoriam, tanquam imaginationis sacrarium & conceptaculum, maximam posuere. Etenim ruant ac soluantur omnia ingenij ornamenta necesse est, nisi hæc memoria in præsidiis excubet: nam quibus hæc non attigit benignâ venâ, hos perpetuis inscitiæ latumniis damnauit Iupiter. hæc enim eruditionis ταμιεῖον: & oportet eum qui ad palæstram literariam tendit, μνημονικὸν εἶναι. hoc est, potestate retinendi pollere. Necessarium itaque vitæ bonum memoria, & thesaurus scientiæ ac lumen. Attamen res ex omnibus animi partibus maximè fragilis, in quam primùm senectus incurrit, sæpeque, vt Plinius inquit, tentat deficere vel quieto corpore & valido, sõnoque serpente amputatur, vt inanis mens quærat vbi sit loci. Ictus lapide oblitus est litteras tãtùm. Ex prælalto tecto lapsus, matris & affinium, propinquorumque cepit obliuionem. Alius ægrotus seruorum etiã: sui verò nominis Messala Coruinus orator. Talia refert & Valerius Maximus, & Fernelius. Miranda alioqui hæc splendida homini insita vis memoriæ, quæ reuocat atque exhibet vetusta, ac acta puerorũ in digitos mittit, hesternorũ sæpe oblitis. Quod quæris, altiùs se sæpe illatebrat & recondit, mox aliud agenti reddit se, atque postliminio ludens se affert. Hanc admirãs Tullius, inquit, An sit animus ignisve, nescio, nec me pudet, vt istos, nescire, quod nesciam: quicquid sit, iurarem esse diuinum. Augustinus dicit memoriã esse animum: modò ventrem vocat animi, cuius aula sit ingens, & opidò quàm admirabilis: modò memoriæ cauernas nuncupat, nunc antra, vel etiam sinus. In quibusdam animalium hæc propè est nulla, ceruario quamvis in fame mandenti, si respexerit, obliuium cibi obrepare aiunt, digressumque aliud quærere. Ita inter homines quidam mirè obliuiosi, quidam memoriæ tenacissimi. Seneca hac ita excelluit, vt duo millia nomina recitata ordine referret: ducentos etiam versus, ab vltimo incipiens recitaret. Cyrus in exercitu penè innumerabili, omnium militum nomina tenuit. Mithridates duas & viginti linguas calluit, & totidem iura dixit. Themistocles anno vno Persicam linguam didicit. Theodectas versus quàm plurimos semel auditos ita reddidit, vt pars nulla subsultaret. Cyneas Pyrrhi legatus, postero die quàm Romam venerat, vtriusque ordinis

7. Natur. hist. 24.

1. Lib. 6. in patholog.

De se ipso præf. lib. Declam.

Qui excelluerint memoria.

virus

viros nomioatim appellabat. Carmadas qoidam in Græciâ, quæ quis volumina in bibliothecis poseeret, ea legentis modo narrabat. Cæsar simul scribebat, legrbat, dictabat, & audiebar. idem prodit de Adriano Imperatore Spartianus. Ita summos Devs variè io hominibus hanc poreotiam micare voluit.

Causa memoria. In sensu enim principe Devs simulachra inseuit: princeps aotem sensus in qoibosdam mollior & dilutior habetur: io quibusdam rigidior. item aliis in motu est, aliis quiescir, ita simulachra in eo condita imitaorur eius condirionem. hinc illa memoriæ varietas. Desultoria & fragilis in patuolis memoria est, ex iogi motu; in coostanti adultáque ætate firma & tenax. Sicuti verò in profluentem impressos signatorius annulus, imprimir nil obsignátque, ita illorum memoria conseruare nil potest, qui agitationis fluxu raptantur cootinuo. Et in iis ferè memoriæ nulla vis, quibus duriusculi & inflexibiles sensus: qui enim fiat vt annuli impressionem accipiat lapis? Etiamsi ferè fatear (quod in consolatione probat Boëthius, & qoidam Platonici non negant) à sensibilibus non imprimi formas in animâ, tanquam à sigillo in cerâ: verùm sicut sunt in animâ naturales substantiæ vires, intellectus, ratio, imaginatio, sensus, ita rerom quoqoe cognoscendarum rationes educit. Quodsi attentiùs meditatur, & diotiùs idem, in hoc ipsum se valentiùs confirmat, idqoe est meminisse. Quin

10 De Republ. & in Legibus. & in Epist. & Plotin. lib. De animar. immort. auolans anima è corpore, memor est actorum, si Platoni credimus, qui asserit sese internoscere animas hîc quæ iunctæ fuerant cognitione. Si formæ, inquit Plotinus, residerent, consideratiooe ad reminiscendũ nequaqoam indigeremus. Spiritus conglutinat animam & corpus. hic quoquouersum fusus, euehit animæ vires. Quin sensuum picturas suscipit: nam hæ in animæ substantiâ primò figi nequeunt, quia incorporea. Sed ipsa anima in spiritu vt io terso speculo idras intuens, de obiectis iudicat. hoc iudicium, sensus perceptio dicitor. His similes sed multò lucidiores anima suâ vi in seipsa fabricat: hanc conceptionem phantasiam vocamus, hæc in temperato cerebro diu condit se: &, cum opus est, euocatur animi imperio ad sensum communem, quæ phantasiæ præest, ex quibus excitabula speculationis oriuntur, quæ sia educta, suggerunt intellectui quæ olim sensu percepimus: vt pictutæ aotiqoas res referunt. Quicquid sit, ait Tullius, iuratem diuioum. Quid obsecro te, tertáne tibi, aut hoc nebuloso. & caliginoso cælo, aut sata esse, aut concreta videtur tanta vis memoriæ? An capacitatem aliquam in animo potamus esse, quâ tanquam in aliqood vas, ea quæ meminimus infundantur? Absurdum id quidem: quis fundus, quæ tanta capacitas intelligi potest? an imprimi vt ceram animum putamus? & memoriam esse vestigia singularum rerum in mente? & quæ possunt esse verborum, quæ rerum vestigia? Sed satis sit hæc innuisse in lyceo philosophico; ego interim Pæoniam familiam deserere nolo, & receptam in ea antiquirùs sententiam amplectar, qoæ medicis rebus (cùm ea corpori proximas causas accommodet) accommodatissima, cerebri temperiei aot habitoi memoriæ felicitatẽ & titubationem ascribat. Est autem reminiscentia felix, facilis promptáqoe peruestigatio ex perscrutatione, imaginis quæ aliâs inhæserat. fit enim ex imaginatione memoria, huiusqoe est conseruatrix. Acceptas enim ideas ab imaginatione condit in thesauris, quas deiu promit, si præsto sint: sin confusæ, per euolutionem repetit, hoc est, per reminiscentiam. Quare memoria singularium est repetita phantasia. De hac vi labefactatâ hîc agimus, hoc est, de memoriâ quæ læditor per se, & non per aliud: nam in phrenitide per se non læditur memoria, sed propterea quia imaginatio & cogitatio ibi percelluntur.

Alguerim. Affectâ memoriâ, inuiolata perseuerare imaginatio potest, & contrà: cùm verò horum medius dux ratiocinatio violatur, vnà & imaginatio, & memoria affliguntur. Sed in per se afflicta memoria, illa titubat, suique officij immemor reddita, obliuiom patit. Iam ad causas venio quæ suo munere memoriã exuont.

Cavsas morbificas. Valet memoria ex probâ cerebri tẽperaturâ: nã vt scribit Hippocrates, Cũ in corpore pars ignis siccissima, & aquæ humidissima æquè tẽperantur, in cà tẽperie anima memoriosissima efficitur.

De diæta. Nam ita ignis nutrimẽti non indigus, haud vagatur: nec aqua motus egens, multùm leuatur.

Senilis iuuenta. Quare senilis iuuenta præcoxque ingenium minimè laudandom, in qoo aëreum potiùs quàm aquulentus mador exundat: quod, vt inquit Fabios, quicquid potest protinùs ostendit. Non est hæc vera solidáque vis, nec penitùs immissis radicibus nititur. vt quæ summo solo sparsa sunt semina, celeriùs quidem se effundunt, & ante messem herbulæ cassis aristis flauescunt: ita hi Daretí & Entelli, triarios de ponte excussuti.

In Theæteto. Sed audiamus prudentissimum Platonem de memoria disserentem: Cùm, inquit, alicuius in animo cerea effigies illa, profunda & multa, lenisque & probè subacta est, quæ per sensus influunt in hoc insculpta quod Homerus animæ cor vocauit, ceræ hãc similitodinem iotelligens, vtpote pura signacula & funditus insidentia, diuturna fiunt. Hi homines ita facti dociles sunt & acuti, & memores, & sensuum simulachra noo commutant, vnde & vera opinantur. Nam cùm sint ea in amplâ & pellucidâ regiooe, velociter distribuunt, diuiduntque in propriam effigiem singula: & hi sapientes dicuntur. Sed quando densum est alicuius cor, vel cùm lutulentum, nec ex defæcatâ cerâ, vel molle oimis, vel durum, non rectè omninò se habet. Nam mollis nimiùm cera, celeres quidem ad percipiendum efficit, sed eosdem obliuiosos: dura verò contra, dio memores, sed tardos ad percipiendum. Et qoi densam & asperam lapideamque & terream, vel fæculentam habent ceram, obscura simulachra continent. obscura quoque qui duram; profunditas quippe non adest. Obscura præterea qoæ molliorem, nam ex confusione facillimè euanescunt. Quodsi præter hæc inuicem etiam congesta sint, ob sedis ipsius angustiam, si quidem exigua sit animula, obscuriora quoque illis simulachra fient. Hi cùm quid vident, audiunt, aut cogitant, quia singula singulis mox reddere nequeunt, tardi sunt: nam aliud pro alio, cogitando decepti concipiunt. hæc magni illius philosophi sententia.

Artis medicæ 12. cap. 5. De locis aff. 5. Galenos scribit obliuium nasci ex fluxâ cerebri substantiâ. Quin asserit violari memoriam vel à solo frigore, vel cum humiditate, vel cum siccitate. Quare falluntur qui putant tantùm à frigore memoriam lædi.

Ratio rei. Vt enim enitescat memoria, opus est simolachrorum receptione, & tutela. Quare memoriæ studebit calor, & siccitas: nam tenuatur cerebrum caloris potentia, hinc facilè admittit imprimenda: & stabilitas est à sicco. Igitur in fractâ memoriâ, aut simulachra non excipiuntur ob crassitiem cerebri, quæ illi est à frigore simul cum siccitate: aut suscepta non hærent in fluido cerebro. sunt enim duæ memoriæ virtutes, citò recipere, & constanter retinere. Quare cùm tenuitas cerebri potissimùm fiat à calore: stabilitas autem à sicco: hæc robur ei adferent. At algor & mador bellum ei inducent. Vnde apud Cæcilium in Epicleto, Itáne Antipho profluá fide, itan' est immemoris, itan' est madida memoria? Quòd autem pueris, quamvis humidis, memoria est, id, inquit

6 Naturalium. Abincenna, quòd animi motibus plurimis nõ distrahãtor, nec eorũ cõuellitur cogitatio. adiicit Thumas,

ſimul ob motus vehemeotiam: nam quæ admiramur, meliùs adglutinantur memotiæ, omnia autem noua & inſolita mirantur pueri. Vt autem primariam vim obtinet caliditas, tenoando, ad memoriæ fabticam, & ſecundam ſiccitas; ita ad lædendum primas pattes habet frigiditas. an noo timentibus exeuritur memoria, ob frigus ſtringens, & veſtigia arcens? Secuodum autem locum ad memoriæ debellationem obtioet humiditas. oam io humido cerebro multi ſpititus commeantes, ſeſe, tanquam eireoli io aquâ ſecant. qood etiam fieri poſſe non oego in ſieeis cetebris, ſi ſint bilioſa, propter ſpirituom mobilitatem. Quare leoiter à madore affligetur memoria. Humor autem in vitio erit copiâ, aut qualitate: vt ſi craſſamentum quoddam gerat, vnde ſpiritos cerebri dcoſeſcant, & ſubſtantia cerebti eombinetor. Vetos etiam abſceſſus offendere poterit. Quare frigus ſuâ vi, aut mador per ſe memoriæ iniuria etunt. nam frigus in causâ eſt ne deſignari & exprimi terum formæ poſſint, ſed quaſi fruſtrantur & deſiliunt plagæ. at bumiditas in causâ eſt, quod non retineantur *1. Loc. aff. 15.* initæ imagines & quæ hauſtæ fuerant. Quare Galenus, ad animi igoauiam inferendam, ptimum locum habere ſetibit frigus: ſecundum humiditatem.

Dubium. Non exigua bîe ſurgit difficultas, cùm perperuò in hoc malo idiopathia affligatur cerebrum, & medici ſemper hìc ſtudeant quò calore afflent cerebrum, videtur memoriam labeſactari non poſſe, ni adſit frigida cetebri dyſctaſia. Reſpondemus, bifariam lædi cetebrum; primò, cùm ita affligitur, vt extra lineam ſanitatis abripiatur, ita vt ægrum dicatur. Secundò, cùm ita cerebrum læditur, vt intemperatum quidem ſit, non tameo vt ambitum ſanitatis deſerat. Cùm itaque ita cerebrum à ſanitate abit, vt ægrum dici poſſit, hæc iniuria grauis erit, & neceſſariò fiet à frigore; & non à ſolo madore. Et hoc eſt quod volebat Galenus ſecundi De ſymptomatum cauſis vltimo, & tertij De locis affectis qointo. nam tranſigit ibi de paſſionibus contra naturam, quæ ſanitatis ambitum deſeruere. Propterea rectè ibi dicit, eas naſci ex frigore: nam dicebat, Vbi memoria periit, vel grauiter preſſa iacet. Cùm verò ſermo eſt de eâ intemperie, quæ nondum ſanitatis limites exiliit, & cùm nondum cerebtum ægrotat, tunc à ſolo madore turbare poteſt. & hac ſententiâ ſcripſit Galenus in Arte medicâ. Obliuium notat fluxam *82. Cap. de inſalubri ſimpliciter.* cerebri ſubſtantiam. Nos hîc maximè de eâ memotiæ iniutiâ, quam incurrit ab algidâ cerebri intemperie. Hæc intemperies nonnunquam eſt materiæ expers, & interdum materiæ iuncta. Iungitur enim pituita, aut melancholia: quin interdum vtraqoe: nam amentia vtrumque bunc agnoſcit ſuccum ſui auctorem. Obtunditnr autem à melancholico ſueco memoria, cùm is vitium facit qualitate aut copiâ. Qualitate cùm ille ſuccus rigidâ quadam frigoris poteotiâ craſſeſcit, longéque magis quàm in afflictione melancholicâ hinc eſt quòd melancholici tandem amentes euadant, eniteſcente validiùs algore, ſtrictioréque à ſueco. Præterea percellitur memoria & ratio ab abſceſſibus cerebro eonceptis, nam longâ die, efficaci vi *Lib. 2.* ſuâ, frigus iourunt; quod ab atroci illâ peſte Athe- *Lib. 6.* nienſi, cuius vis populo ignoti Dei aram exptefferat, eueniſſe legimus apud Thucydidem, quod ita reddidit Lucretius:

Atque etiam quoſdam cœpere oblivia rerum
Cunctarum, neque ſe poſſent cognoſcere vt ipſi.

Quin etiam ſeoiom exhauſtis ſpiritibus memoriâ homines exuit. quod euenit Franciſco Barbaro, & Georgio Trapezontio. vel etiam à primo ortu & *Externa cauſa.* naturæ primordijs ineoncinna capitis figura, aut pauca cerebri ſubſtantia. Valida interdum capitis eoncuſſio memoriam excuſſit. quod Valerius Maximus ſcribit Athenis viro cuidam erudiriſſimo eueoiſſe, cùm ictum capite lapidis exeepiſſet. Quare parentes & præceptores puerorum caueant, ne puerorum capita aot tempora feriant. Sunt & aliæ à foris eauſæ: nam Aëtius exiſtimat ob purgationes quaſdam, aut alias immodicas euacuationes, aut animi deliquia, fra- *t. 5. 23.* ctis viribus, memoriam percelli. Sed, ioquit, ſolo victu hi tedintegrantur. Veneno quinetiam hauſto memoria amittitut: ita Bamba rex Gotborum, hauſtu veneni ab Heringio ſucceſſore dati, memoriam amiſit. Obſeruatum fuit, ex terrore & repentino motu memoriam excuſſam euaoiſſe. ita memorat Apollonius, Artemiderum grammaticom, metu crocodili in atenâ iacentis, hactenus expauiſſe, vt litterarum memoriam exoerit. Retum etiam agendarum moles & cogitationum polydædala facies, totum in modum memotiam obruit: cùm enim memoria ſit qooddam fonoarum promptuarium, quas ipſa ab imaginatione ſumit & ſemper validiori actioni cedat imbecillior actio facultatis animalis, ita omnia tumultuaria & quaſi aliena taotùm apparent, ſine certá ideâ, & effluunt. Interdum capiti illata, non dextrè, medicamina frigida, memoriam afflixere. Vt etiã ſtricto à frigore vrens aër; vt etiam his euenit qui iter per ventos gelidiſſimos leguot & niues. Frigori iungit ſe interdum humiditas, interdum ſiccitas: hioc Galeous refert, ex valido ſtudio ioexhauſtiſque *3. Loc. aff. 5.* laboribus, cæteriſqoe ſiccantibus & refrigerantibus memoriam obtuodi. His iunge cræpalam, ebrietatem vigilias intempeſtiuas, cibos frigidos; immoderata venus eneruat & conuellit memoriam: deſidia etiam *Pars affecta.* & protractior ſomnos. Conſiſtunt autem hæ intemperies, ſi Paulo credimus, quandoque in bumonbus, vel cerebri ventriculis, vel in ipſius vaſis, aut diſperſis ſuccis cerebri eotpore, vel muſculis temporalibus. Eſto: ſemper per eſſentiam afficitur cerebrũ: non enim oppugnatur validè memoria, ni adſit cerebro frigida concepta intemperies. & ſatis vehemens virium curatúque non facile. Signa optimè expli- *Signa cauſarum.* cantur à Galeoo, tertij De locis affectis quinto. Si à frigore ſit, his facies albet, venæ in his fugiunt non conſpicabiles, capilli recti, ruffi, ſtabiles: nullus ſentitur in capite dolor: frigoris impatientes ſunt: indulſit pituitoſis, & eò nutat tota victus ratio, temperies, *Paulus 3. lib. 1. c. 2. 23.* habitus corporis. Si humida intemperies ſola in querelâ fuerit, torpor aderit & ſomnolentia. Qoaptoptet ſcripſit Aëtius, Obſeruare oportet ſomnos eorũ qui memoriã perdiderunt, an valdè ſint ſomnolenti: ita enim repereris intemperiem prædominantem. His ſunt capilli plani & recti: nec caluefcunt: os, nares, oculi madent: celeriter percipere ſolebant, ſed euanidâ memoriâ. Siccitas ſi cauſa fuerit, vigiliæ moleſtæ erunt. Quare vode ſit dicent excreta, habitus, temperamentum, victus, regio, tempus anni ætas, diæta. Conſidera itaque vtrum plurima excer- *Prognoſes.* nantur per os, nares; vel an ſiccitas in his ſit. Et num capilli robuſti, criſpi, ruffi, ſi calui. Cognita mali huius natura, iam nom curari poſſit videamus, & præſenſiones perloſtremos. A ſenio euanida memoria eſt inſanabilis. hîc, inquit Aëtius, diæta contenti ſimus, nec quicquam curioſè moliamur. Quibus autem repentè deficit memoria, cæteris ſanis, in his futuræ epilepſiæ aut paralyſis metus eſt, aut de apoplexiâ verendum. & in ſummâ, inquit Aëtius, magnum aliquod malum præſagit. quare hic cum morbo pugnandum. Si à peſte vel lethargo fuit impreſſum malum, contentioſiùs, ex Aëtij ſententiâ, curatio erit aggredienda: ne longo die inualeſcat inte *Indicationes curatiua.* peries. Sed ad quas metas flectemos totam curationum velitationem? has rei debellandæ natura indicabit.

cabit. Si itaqoe mera potáqoe frigiditas vitium inuſſit, orietur indicatio calfaciendi ſine ſiccitate. Si humiditas, areſaciendum. Si ſiccitas cum frigore auctor mali fuerit, humectandum, & calfaciendum. Ego, inquir Galeuus, noui quendam qui ferè memoriam amiſerat ex nimio litterarum ſtudio. alium etiam vinitorem, ob vineæ labores ſimiliter affectum. & vterque eorum palàm à calidis & ſiccis lædebatur: ab humectantibus & calidis opem ſentiebant.

CHIRVRGIA. *Vena ſectio.*

Iam ad curationem. Nullus auctorum phlebotomiæ meminit: oam intemperies frigida adeſt: & ſi qui ſucci crimen gerant, longè à ſanguine receſſere: nam algent. Attamen quamvis frigus cerebrum fatiget, ſi totum alioqui reliquum corpus ſanguine circumfluat, vena percundi poterit, ob metum qui adeſt, ne à calidorum admotione magnus inducatur morbus, quod innuit Paulus tertij libri vndecimo.

Cauteria.

Alſaharauius ad cauteria venit: hæc vtilia, vbi à materiâ frigida malum eſt. Brachiis & cruribus inuruntur. quomodo ſine igne & tutò hoc agas, docui libro primo Methodi noſtræ ad praxin, vbi de cauteriis.

PHARMACA.

Pharmaca lenientia, præparantia, & purgantia hîc eadem ſint, quæ in dolente capite præſcripſimus. Sed pauca ſubdam. Aluus exoneretur à pilulis alephanginis; idque ſæpe. Præparetur ſuccus pituitoſus mellitis potiùs, quàm ſaccharatis, oxymel hyſſopites, & betonicæ vi afflatum optimè facit ad pituitæ euictionem: cum decocto origani, pulegij, maioranæ, rorismarini, meliſſæ. ſtœchados, viſci, ſatureiæ, hyſſopi, betonicæ, verbaſculi odorati, hoc eſt, herbæ paralyſis, baſilici, inulæ, acori, radicis pœoniæ, nucis myriſticæ, cinnamomi, caryophyllorum, cubebarum, zedoariæ. coque ex his tria vel quattuor, ex aquâ vel vino, & in fine coctionis adde libræ, tres vncias mellis & aceti. Præparata materia purgetur hierâ picrâ ſimplici.

2.2.19.

Aëtius commendat Hieram Ruffi. Ego lubenter ſequor Meſues conſilium, qui primò vtitur hierâ cum trochiſcis alhandel; iuncto caſtoreo. Aëtius alioqui miris encomiis vehit hieram Ruffi; nam affirmat hanc prauas materias ſolùm, intactis bonis, excludere, ventriculum firmare, appetitum redintegrare, flatus diſcutere. Sed vt ex animo ſententiam aperiam meam, non tutus mihi videtur vſus magnarum hieratum. hoc vſu & ratione ductus affirmo. Vſu, nam dum in Italiâ eas exhiberi vidi à doctiſſimis alioqui medicis, nunqnam impunè & ſine trepidatione id factum noui: grauiſſima enim ſymptomata pariebant. Ratione, nam colocynthidem accipiunt, non ritè paratam, & cuius vis aromatum acceſſione illâ non æquè miteſcit. Quare qui bis vtuntur, auctor ſum vt loco eios imponant trochiſcos alhandel. Affirmat etiam Aëtius hanc à capite prolicere aliiſque à partibus citra violentiam, ſine dolore, ardore, ac ſtomachi faſtidio, & ſiti. Hanc deſcribit Aëtius Tetrabibilij primo, ſermone tertio, capite 115. Et poſtea exhibet binas drachmas ſeminis maluæ, ob eius ſtrenuam purgationem. Præbet autem huius hieræ ſemunciam, bis in menſe, purgationis ergò Dat etiam ad diſcutiendos flatus, & ad ventriculi robur, cotti die ſcriptulū; vt maxima doſis ſit ſemidrachmæ: hanc enim per fabam indicat Aëtios molem. Quare ratione purgationis, bis menſe dari poterit, vt cedat materia pituitoſa: ſed ratione flatus & roboris, ſæpiùs vſus eius ineundus, ſuaſore Aëtio. Innuit his idem auctor, bonis ſanitatis rebus inſiri remediorum vſum, non ſolùm robur afflantium, ſed & excrementa aluinæ regionis excludentium, vbi frigidâ à materiâ morbificâ fatigatur ventriculus. Elleborum album laudat Aëtius non modò prouecto morbo, ſed & ineunte; ne vires cadant: & quid opus eſt multis auxiliis, inquit, fatigari hominem, cùm ex maximo auxilio maximā medelam conſequi liceat? Si quis mitiora velit, vtatur pilulis ſine quibus, cochiis, arabicis, aureis, aggregatiuis, adiecto pauco caſtoreo: hæ dantur ad drachmam. vel ſumat electarium Indum, aut de citro ſolutinum, diacarthamum; cum melle roſato laxatiuo. Sin malit apozema, id fiat ex capiti dicatis herbis, adiice agaricum, carthamum, turbith. Sed ſi à melancholica materia malum eſt, ad elleborum cogit, nec ellebori albi vſum differri vult, quod vt parandū alibi diximus

Capitis purgatio.

A purgatione totius, caput euacuabimus apophlegmatiſmis, ex cubebis commanſis; errhinis, ex cyclaminis radice; ſternutatoriis, ex caſtoreo & elleboro albo. auribus etiam indeiur olei quid caſtorei.

TOPICA.

Iam ad Topica quæ admouentur venio Hæc occipiti, vertebræ primæ, & ſuturæ coronali admouentur. quod fiet, cùm iam prouiſio totius corporis habita eſt, magnaque materiæ pars per os & nares euacuata fuerit. Vbi frigus peccat cerebri, Aëtius laudat, ſi hyems ſit, oleum irinum: & ſi robur huius augere velis, remiſce quid aceti, in quo coxit ſerpillum, baccæ lauri, piper, thymbra, calamintha, pulegium: nam, inquit, totum foris & intus calfieri debet. Nam æſtate, ſolum oleum ſatisfecerit. 2.2.23.

Interdum medius cerebri ventriculus hac contagione etiam abripitur, vnde cogitatio percellitur, tunc irinum oleum cum caſtoreo vtiliter illinetur toti capiti. Inunctiones etiam fiant inter primam & ſecundam vertebram, ex oleo caſtorei & macis. Lotio interdum inſtituatur ex decocto in lixiuio ſarmentorum vitis, in quo coxit ſaluia, maiorana, pulegium, ſtœchas, betonica, hyſſopū, ſerpillum, thymus, chamæmelum. Sumat manipulos aliquot duarum aut trium harum herbarum: & in fine coctionis adiiciat binas vncias aceti, ad perſuaſionem lauetur ita caput, ſingulis quinque. decem, aut quindecim diebus, & mox vngat. Si quis extremo prematur obliuio, occiput & ceruix vngatur oleo caſtorei, nigellæ, euphorbij, coſti, erucæ. optimum eſt oleum caryophyllorum cum oleo euphorbij & caſtorei. & intus parum ſumat confectionis anacardinæ, aut lingua eâ fricetur, liquat enim pituitam Vel fiant ſacculi ex ſaluiâ, lauro, betonicâ, maioranâ benioiuino, ſtyrace, caryophyllis, nigellâ. Aëtius audet venire ad emplaſtrum de ſinapi, vbi materia in virio eſt; & à ſinapiſmo vtitur balneo. laudat etiam Nonus ſinapi ex oleo, vt & pyrethrum ex oleo affrictum. Magnus ſi adſit mador, portetur in capite papyrus gilua, odore ligni aloës, ladani, ſtyracis, caryophyllorum, aut maſticis perfuſa. Sin ſiccitas ſe conſociauerit, vt euenit à peſte febribúſve acutis, fiat lotio ex decocto capitis veruecis in lacte, cum hordeo, violis, roſis, nymphæâ boragine, lactucâ, cucurbitâ. & dein vnge adipe anſerino, vel oleo violato, & amygdalino.

CORROBORANTIA *Si frigus & mador vexet.*

Tandem ad corroborātia ductum hunc flectemus. Si Intemperies quædam reſtibilis fuerit frigida & madida, hanc ita caſtigabimus, & eiſdem intus datis remediis, quibus talem ſuccum hîc parauimus ad excluſionem. vel hoc modo: Accipe aureæ Alexandrinæ, diamoſci dulcis, diambræ, mithridatij cuiuſque ſumat ſemidrachmam, cum hydromelite; hoc agat ſingulis decem diebus Ita diacaſtoreum, vel pleres cum muſco. Aëtius, notato iam loco, ſumit mulſæ quaternas vncias, quibus adiicit caſtorei drachmam, vt fiat hauſtus. Commendat etiam cornu cerui, vel raſuræ eboris drachmam cum mulsâ, ab vſu hieræ Ruffi. Auicenna his iungit acorum conditum cum melle, zinziber conditum, & radices eryngij; à paſtu. Radices pyrethri conditæ. Meſue addit condito zinziberi olibanum & piper. Doctiſſimus tocique amantiſſimus Foreſtus hoc commendat, Accipe radicum acori vericōditarū, hoc eſt, galāgæ maioris, confectæ

florum betonicæ, rorisinarini, cuiusque vnciam; conseruæ herbæ paralysis semunciam, cubebarum, cinnamomi, nucis myristicæ puluerisatæ, singulas drachmas: confice cum syrupo de stœchade: sumat manè cupiam castaneæ. & fricet nucham aquâ hederæ arboreæ, ter vel quater distillata. Abluat occiput aqua vitæ. Vsu vim compertam probat talis remedij Abincenna, quod accipit olibani, cyperi, croci, piperis albi, myrrhæ, partes æquales: singulis diebus sumat drachmã. Aliud, Accipe syrupi stœchados, mellis anthosati, singulas vncias; theriacæ veteris vel mithridatij scripulũ vnũ aut alterum: diamusci dulcis scriptulum: cum aquâ betonicæ, saluiæ, primulæ veris fiat haustus; vtatur sæpe. Aliud: Accipe conseruæ stœchadus, conseruæ rorisinarini, & florũ lauendulæ, singulas vncias. si fortius quid velis, adde diamosci dulcis, vel diambræ, aut galangæ quid: & cũ syrupo stœchadus, vel corticum citriorũ, fiat electarium liquidum, vel conditum; sumat manè castaneæ molẽ, & superbibat parum vini. Condiatur melle diatrion piperion, cum myrubalanis, & pauco musco. Aquæ vitæ indatur cortex citrij mali, vel galanga, caryophylli, calamus, cubebæ: eius aquæ sumat guttas aliquot manè, cum cocbleariu vini. Ita vtimur floribus rorismarini; &, si lubet, omnibus iam dictis. Decoctũ sassaphras miram potentiam spirat in hac intemperie madidâ algidâque. Nun abstinendũ à syrupo de stœchade: nam stœchas, inquit Diuscorides, omnia viscera & vniuersum habitum extenuat: & vt auctor est Galenus, exterget & roborat cuncta viscera: nam cõpositam temperiem gerit, amata est & subastringens, & Mesues ait hanc cerebrum & sensus organa mundare. & prudenter admonet bilio sos, ne hanc tangãt; nam sumpta hos turbat, ac in sitim & calorem abripit. Frequens in vsum veniat dianthos dulcis, aurea Alexãdrina, diacastoreum, pleris, theriaca, & mithridatium. Experimento compertum est lignum aloës illud odorum, & suffitum, & naribus admotum mirâ vi facere ad robur cerebri: Accipe huius puluerem cum caryophyllis, atque offe de corde ceruî, misce cũ oleo nigellæ: mirè confert cerebro. In deploratâ re; vt si ita excidat memoria vt nec amicorum nec proprij nominis meminerit, fiat pessus naribus indendus. pro vice non diutiùs, quàm quis numeret semicentesimũ numerum: & dein paulatim crescat die mora, dũ quis integrã perlegat paginam. Accipe euphragiæ siccæ, menthæ, betonicæ, verbenæ, singulos binos scriptulos, florũ rorisinarini scriptulos quatuor; caryophyllorum, galangæ, cinnamomi, cuiusque drachmã; nucis myristicæ, styracis calamitæ, singulas drachmas, galliæ moscatæ scriptulum: mellis anacardini, vel aquæ betonicæ affuso fiat pessuli, ideâ nucleorum dactylorum, & naribus imponantur. Hoc fiat dies quinquaginta Et interim dum naribus pessum continet, legat vnam lineam in auctore, & discat. Vega hanc rationem celebrat 3. De arte medendi 10. Et vult vt quinquaginta noctibus passulis & amygdalis paucis cõtentus viuat. Prandium sit assa gallina. & vt singulis noctibus horâ somni fetè pessulum sinistræ nari inferat, & vt narem cuto obturatam seruet, dum decem carmina Virgilij recitarit. His elapsis diebus, recens pessulum nari sinistræ inferat, & ipsam coto obdat, & discat per integram hurã vel duas, dein seclusõ pessulo dormiat: manè tenebit omnia: & omnes memorandi vi excellet. sed vita cruditatem in horum vsu. Intus sumat parum anacardinæ confectionis, vel eâ lingua fricetur, quò pituita soluatur. Sed hybernis diebus id agatur, ne febrem excitet. sumat semidrachmã cũ conseruâ rosarum, semel in hebdomade. Aqua vitæ, quæ habet semen erucæ, validum est auxilium, si eius semicochlear hauriatur. Et vngantur

Simpl. (margin, beside "ra & vniuersum habitum")

In deploratâ re. (margin)

dictæ partes aquâ vitæ, quæ gerit castoreum cũ mithridatio, caryophyllis, nuce myristicâ, euphorbio. Hæc potenti vi flagrãt: nam, vt ait Serapio, quæ tertio ordine calida sunt & sicca, memoriæ iacturam resarciunt, auxiliantur cerebro & neruis afflictis à frigidâ iniuriâ: sed sanguinem exurunt, vt febres inde fiant. quare bis cautè vtendum: quod si fiat, hæc sacra anchora in deploratis. uxymel scylliticum in viscosâ pituitâ vtile erit. Sed si sicca & frigida intemperies fatiget cerebrum, vt euenit ob longas morborum iniurias, vel labores duros corporis aut animi, victu contrario hi optimè cuadent. Itaque hic à rebus siccis & frigidis ucium fit. absit vsus anacardiorum. ita, inquit Abincenna, transigendum quoque vbi à febre vel incendiu viscera conflagrant. Sed fiat potiùs vnctio ex oleo amygdalino, adipe anserino & gallinaceo. &, vt fit, si quibus calidis indulgendũ, hæc temisecbimus seminibus maluæ; vt decoctum castorei, vel eius pulueres. Seniculis atidis, exhaustis, qui τύμβινοι Græcis, quòd pompa funebris iam illis paretur: irrigatio conferi, ac suaui alimentorum nectare madescant, ac nutricatus ambrosiæ rore perfundantur. Accipiant cortices citreorum conditos, conseruã boraginis, buglossi, passulas, mel, saccharum, vinum subdulce, butyrum, oua recentia, pineos, amygdala, castaneas molles, auellanas: nam iuglandes & cæpæ bellum memoriæ indixere, vt & lactuca. Rapum confert, ob humidos & calidos flatus. Cerebella perdicũ, & passerum. Hoc modo castigatur nuda illa sicciras, quæ grandæuis senibus molesta est: & his quibus memoria cespitat à graui inediâ, & ab exhaustione à laboribus, & à perurgiliis: nam bis danda sunt alimenta succi plena, quæ facilè mitigantur: & plenâ manu pastum ineant: & vinum maturum, vt dixi, bibant: prolixè & molliter dormiant: dulcibus, absque sudore, balneis indulgeant. Caput rigetur decoctu maluæ, althææ, seminis lini, chamæmeli ex lacte. butyrum, vel agninum omentum capiti inferatur. Accipiat conseruam buraginis, & nymphææ, cum corticibus citreorum conditorum, electarium resumptiuum. vtatur multo butyro, & penidiis, cæterisque iã dictis. Madore nimio si circumfluat cerebrum, illum absorbebimus, hoc modo: Accipe cinnamomi, caryophyllorum, cuiusque drachmam; seminis vrticæ, masticis, saluiæ, calaminthæ, origani, singulas semidrachmas; galangæ, zinziberis, granorum paradisi, piperis, cuiusque scriptulum; castorei grana sex: fiat tenuissimus puluis: & cum vino & succo betonicæ fiant trochisci: detur horum semidrachma, horis quatuor ante prandium, cum vnciâ vini, vel cum conseruâ stœchadus, aut rorisinarini. Admonitione dignũ puto, ad memoriæ stabilimentum mitum in modũ facere studiorum moderatiunem. Nec illis credendum, qui studiis assiduò incumbendum putant, quòd omnia euoluenda sint, vt aliquando optima excerni possint. Addunt vitam breuem esse, & infinitam exhaustamque esse librorum segetem. Ita est: sed hi nos audere hortantur, quod adipisci non possumus; quodque assequi nemo potest, sequendum afferunt. Quis quæso si Nestoris vitam viuat, tantum auctorum cumulum legat, aut meminerit? Multum, nun multa legenda, si memoriæ consulendum: alioqui quæ infarseris, quasi per vas Danaidum effluunt: id ne fiat, meditatio remedio erit: consistit enim memoria, in fidâ ac stabili imaginum conseruatione. Quare assiduitas lectionis obest semper, nunquam prodest. Nam animi nostri promptuaria ita sunt expedita, vt alia pars excipiendis imaginibus, alia iudicio, alia reseruandis iis quæ recepta sunt attribuatur. Quoties itaque tanta est imaginum frequentia, vt altera alteri occurset, vt quasi vnda vnda prupellatur, tunc irritus omnis labor.

Si frigus & siccitas nocent. (margin)

Si humiditas nocet. (margin)

Admonitio ad memoriæ cultum. (margin)

labor. certè remissione studia acuuntur, ac vegetiùs ad remissa studia reditur. vidistin' vt concertantes sæpe non modò aduersarij viribus, sed suopte conatu atterantur? hoc nimium studiis inhiantibus vsui venire solet. At qui refori reuertuntur, reparatis viribus ingenij, & squalore illo longi incubatus deterso, veluti repubescentes nihil non arduum perficiunt. Nec quenquam moueat Musonij philosophi sententia, existimantis remissa studia omitti. Respicit ille ad philosophica studia, quæ ad bene beatéque viuendū faciunt, ne vitia irrepant his cessantibus, ne virtute ablegatâ, sobolescant vitia, ceu videndi facultate extinctâ, cæcitatem subnasci. Ego studiis immorandum, non immoriendum suadeo: rerum multitudine opprimitur memoria. Quæ quisque meminisse velit, subinde ab animo reposcat, ac in mentem reuocet, atque reuoluat. Mirum dictu, inquit Fabius, quantum nox interposita adferat firmitatis. Siue requiescit labor ille, cuius sibi ipsa obstabat fatigatio, siue maturatur & coquitur, seu firmissima eius pars sit recordatio. Quæ statim referri non poterant, contexuntur postero die, confirmatque memoriam idem illud tēpus, quod esse in causâ solet obliuionis. Attamen negligentia nimia, quasi situ enecatur memoria, vt moderatâ à curâ explendescit. curam voco meditationē. Recentandi labor adsit eorum quæ percepisti, vt eūdem quasi cibum commolas; & mentis oculus in amabilem quasi rem defigatur. Socrates apud Platonem litteras in memoriæ offendiculum inuentas putat, quòd consignata his, è mente laxamus: animo potiùs inscribenda, & vt inhæreant, sub indaginem reuocanda: alioqui postergato memoriæ cultu, illa stupescet. Adhibeatur in discendis semper ordo (qui anima est memoriæ) ac ratio rerum: excludatur tumultuaria ac confusa lectio: vitetur semper oscitantia & ignauia. Viden' vt agri cultu fœcundentur, incultu sterilescant? ita & hic fundus incultu arescit, industriâ vigescit. Maximè autem memoriæ hærent quæ vel cum voluptate, vel cum admiratione admittuntur animo. Admirationem adfert maiestas rei, dicentis auctoritas, vel narrationis breuitas: voluptatem, rei vtilitas, aut venustas & iocus, vel dictionis

Diæta. amœnitas. Victus ratio sit bona & inculpata. Aëris salubritas facit ad lucem spirituum cerebri hos etiam recreat odor ligni aloës, caryophyllorum, rorismarini, ocimi, nigellæ, ladani, styracis, beniouini, rosarum rubrarum. Vbi materia frigida madidáque cerebrum fatigat, (cùm pituita in sanguinem vertatur) sit victus extenuans, calidus, siccans. vitentur tamen quæ validâ vi frigoris aut caloris exsplendescunt: nam plethoricis caussis grauant caput: hæc attrahendo. illa cohibendo euaporationem. Cibus exactè coquatur: & frugaliter instituatur cœna. Sit friabile nutrimentum, inquit Aëtius, aliquoque modo calidum, & tenuans: quin acria ex interuallis exhibeantur, inquit, vt thymbra, origanum, pulegium, raphanos: sed horū copia vitanda. cruditas omnis absit, nam mentem vitiat. Cibi condiantur origano, thymo, hyssopo, saluiâ, rosmarino, maioranâ, mace. Oua perdicum laudantur, turtures, passercoli, turdi: cō satureiâ, caryophyl-

Aët. 2. 2. 23. lis, pipere, cinnamomo, & cæteris talibus. Fugiat olera frigida, fructus, lac, caseum. inflantibus abstineat: alia enim ex illis spiritum condensant, alia conturbant. absint crassefacientia & humectantia. Sin hu-

Humida ab intemperie. mida intemperies cerebrum occuparit, fugiat nuper ædita animantia, cerebra. caseum; fructus vitet fugaces, & aquam. Palustria loca nocent, & auster: ceruix à ventis tuta sit. confert sinapi, cappares, cæna parca, non prolixus somnus. A pastu coriandri grana, cum diacydonio & mastiche, vel quid anisi, aut corticum

A siccitate. citrij mali. Si à siccitate langueat memoria, vtatur ptisanâ, nucleis pineis, electario resumptiuo, diatragacanto frigido; humidóque victu. Vinum in fractâ memoria laudatur ab Aëtio tenue, album, non valdè vetus: copia vini & aquæ vitanda: nam cerebrum madefaciunt. vitetur ebrietas. Somnus sit moderatus, nec à repletione ineatur statim: & à cæna parca nihil serij agat. Post sesquihoram quieti se dedat: diluculo expertectus, meatus omnes purget; linguam, dentes lauet, nares emungat, & pectore pituitam expectoret, eburneo pectine caput demulceat: capilli sint æstate curti: ventrem deponat. vtatur sæpe pilulis de hierâ cum agarico. Veneris vsus sit rarissimus: nam stuporem ingenio adfert, à succedaneo frigore. Lassitudo capitis & mentis fugiatur: sitque mens affectibus libera, animus tranquillus & placidus, ne quid menti caliginis offundat. sitque mens omnibus negociosis occupationibus libera. Empirica pauca

Empirica. iam addo. Sumat manè aquæ vitæ melissatæ cochlear. Ita radicibus caryophyllatæ, pæoniæ, ex saluia, origano, pipere, nuce myristicâ, citrij flauedine, calamo aromatico, caryophyllis, cubebis, ligno aloës, castoreo, baccis iuniperi, rosmarini, mithridatio. Si hæc ardentiora, adde flores boraginis, violarum, rosarum, nymphææ; sic etiam laurus, stœchas, maiorana, galanga, & parum musci. Ex tali aquâ vitæ aliquibus ex præscriptis imbutâ, sumat manè aliquot guttulas: & illinat nares guttâ, occiput etiam & tempora. Si ardentior eius vis intùs flagrare videatur, temisce cochlearium syrupi violati. Talia sint etiam balsama quæ foris illinuntur, qualia plurima describuntur in Euonymo Gesneri. Tomo 2. & quod describitur folio 211. & 213. in 16. Oleum terebinthinæ, vel caryophyllorum, aut rorismarini ex floribus pennâ illitum naribus, & occipiti postremo affrictum vertebræque primæ, & sincipiti. Imple cucurbitam floribus rorismarini, sepeliatur in arenâ ad medias: & tunc soli expone per quatuor dies, & inspissabitur. Scribit Simeon Sethi fel perdicis arteriis temporum illitum semel in mense, ita tamen vt pe-

Ex vegâ. netret, plurimum roboris memoriæ afflare. Pullum gallinaceum assum prandeant, & cænent passulas cum amygdalis, & vinum tenue bibant; & cum eodem cottidie sumant huius pulueris semidrachmam: Accipe origani, pulegij, calaminthæ, maceris, cinnamomi, singulas drachmas; piperis galangæ, zinziberis, caryophyllorum, singulas semidrachmas; castorei scriptulum. hæc agat viginti dies: & bis in hebdomade caput abluat lixiuio ex decocto stœchados & maioranæ cum cinere vitis.

Capvt XVI.

De Somno, *& de* comate *somnolento, vel Cataphorâ. Latinis Sopor. Arabum Subêth.*

Nomen. Veteres passim apud Homerum, stragulis lectorum è pellibus factis vsi sunt. Vnde Æetus, Medeæ pater, apud Pindarum de aureo vellere lo-

Vetus. Pyth. 4. *Id est. immortale stragulum reportet. quens, inquit, *ἄφθιτον στρωμνὰν ἄγεσθαι. Et Pindari interpretes ait, veteres substrauisse pelles: hinc à κώδιον, κῶμα, id est, somnum dici, eò quòd super pellibus dormirent: vnde Aristophanes, ἐν σισύραισιν ἐγκεκορδυλημένος ἐν κῳδίοις. Fuerunt qui τὸ κῶμα ἀπὸ τοῦ κωμάζειν dictum veteribus scribunt, quod est crapulæ & comessationibus indulgere: nam & ebriosi sopiuntur: siue quòd οἱ κωμάζοντες omnium promptissimè, ex vinolentiâ, incurrant in hoc vitium.

Est autem coma inexplebilis dormiendi cupiditas. Sed vt huius affectus natura conspicua fiat, primùm de Somno qui fit ex lege naturæ paucis transigam, quid sit, & quî fiat. Somnus est vinculum primi sensifici. hoc est, sensus communis relaxatur ab assiduo opere: nam somnus est eius quasi nexus & impedimẽtum, à quo se non potest extricare, vnde functiones deiectæ, manus dant sopori. Nam in somno non solùm motus, verùm etiam sensus, omnisque functionis animalis adest ocium. Ita vt sit somnus quasi requies animi, pars melior humanæ vitæ, omniúmque perfugium laborum. Occupatur tunc cerebrum instauratione spirituum animalium, quibus penè erat exhaustum; mouendi, sentiendi, & cogitandi assiduitate per vigilias, dum res geruntur & mens intenditur. Vnde Auerrhoës spiritus comparat militibus qui pugnâ fracti ad ducem suum redeunt sub signa, quò inde redintegrati, vegetiores exiliant. & ἰδιότης quædam δυνάμεως videtur inesse spiritibus à suis principiis ac parentibus, quâ, vt genuinæ soboles, ad ipsa viam affectant. Et tunc ex reti mirabili, venis, & arteriis cerebri, in cerebro nascitur quædam oppressio ex anathymiasi, ita vt spiritus tunc exitu prohibeantur ad sensus & motus organa. Surgit autem anathymiasis in cerebrum in primâ, secunda, & tertiâ coctione, & ibi à cerebri frigore & madore crassescens opprimit has vias. Ita vt materialis causa somni sit suauis & benigna sanguinis & spiritus vitalis anathymiasis in cerebrum delata: vbi, quòd inciderit in locum algidum, refrigescit, & in crassamentum cogitur, sensúmque communem obligat. Quare vt ducatur naturæ filo somnus, vapor ille qui rigat cerebrũ, nullâ ratione in vitio esse debet consistentiâ, qualitate, nec copiâ; & cerebrum frigore & madore non solutum sit. Causa autem finalis somni est, restitutio virium & spirituum, per vigilias dissipatorum: nam ad horum restaurationem his fruitur cerebrũ. Quod enim absumptis spiritibus obruat nos somnus, docet Hippocrates; vbi ait, πόνος τῶν ἄρθρων, καὶ σαρκῶν σῖτος, καὶ ὕπνος σπλάγχνων. id est, exercitatio est artuum, atque carnium cibus, & somnus viscerum. Ab inopiâ siquidem spiritus animalis, colligit se primum sensitiuum, & auidè rapit illam anathymiasin. vt somnus nihil aliud esse videatur quàm tempus illud, quo cerebrum fruitur suo pabulo, anathymiasi nimirum, quam in spiritum animalem conuertit. Quare naturalis somnus non prolixior erit, quàm vt illa anathymiasis benigna euicta naturæ vi fuerit: nam si hæc interceptio (de quâ modò diximus) fiat à vaporibus crassis, & succis viscidis obligantibus sensum communem, fiet coma, vt mox ostendam. Quare animali spiritui reficiendo & instaurando, placidâ est opus quiete, quæ dono Dei gratissima serpit. Ac somnus ille qui animalitatis quiete absoluitur, sensu motuque cessante, virtuti addit partium nutritiarum atque vitalium: Inde enim ciborum & sanguinis coctio, tum copia, viuifici nectaris, corde repleto veluti cornu Amalthææ: vnde caloris & spiritus propagatio est ad cerebri τὰ ἡγεμόνικα: quorum copia comparata hominem somno excutit, alacrémque operi promit qui ante somnum vix loco stare poterat. Certè rerum omnium quæ naturæ ad sui vegetationem concessæ sunt, nihil est melius, nihilque magis consociale quàm illa quies quæ Dei dono grata serpit mortalibus. Fit itaque somnus, vt ad immediatam causam eius veniamus, calore natiuo ex labore & siccitate ad alimentum se referente, hoc est, viam affectante foris intrò. Ita per veram & continentem somni causam somnum definiuit Abensina, quæ est contractio caloris naturalis à sensoriis peculiaribus, ad eorum principium: hæc est causa immediata somni. Iam quot sunt quę reuocant calorem à sensoriis instrumentis, tot sunt causæ mediatæ fouentes & iuuantes: quæ plurimæ sunt, vt quæ in causâ sunt quò anathymiaseos copiâ rigetur cerebrum. Quare fit somnus intrò rapto calore. Propterea vt calor natiuus intrò vel foras viam affectat, ita vigiliarum vel somni inclinationes fiunt. Ita Hippocrates dicere videtur, quòd quò ventres calidiores fuerint, eò sanguis absoluitur perfectiùs, & maior succrescit anathymiaseos copia: & suauitas huius materiæ somniferæ, dormiendi necessitatem veluti nectare quodam cælesti saturat: nam, inquit, Aluus hyeme & vere calidissima, & somni longissimi. Quare vt somnus ex lege naturæ fiat, opus est vt calor foris intrò moueatur, & vt adsit copia vaporis benigni in cerebro: tunc enim fiet somnus suauis; quando nimirum ipsa dormiendi necessitas commodè fouetur à causis somniferis, suauis & copiosæ anathymiaseos cerebri ex lege naturæ constituti, & mẽtis tranquillæ bonarum cogitationum epulis saturatæ. Vnde Apollonius Tyanæus apud Philostratum, ad Phraotem Indiæ regem ait, Nisi quieta mens fuerit, nequaquam oculi somnum suscipient. propterea furiosi homines dormire nequeunt, agitatâ mente assiduò; quæ cùm iugiter transiliat ex aliis in alia cogitando, toruè aspiciunt, vt insomnes dracones & reliqua ibi eleganter disserit ille rex cum Apollonio de somniis. Suauis ille somnus Homero μελίφρων, νήδυμος, & ἀμβρόσιος dicitur; quin & μαλακὸς, & γλυκερὸς. Abensina mihi optimè somnum definiuisse videtur, cùm ait, somnum esse reditum spiritus animalis ab instrumentis sensus & motus ad cerebrum. Hîc somnum qui fit ex lege naturæ, & eum qui præter naturam euenit complectitur. Somnum qui ex lege est naturæ partitur in tenuem, ex quo facilè excutitur homo; & in altum & arctum. Quin hunc qui naturæ lege fit duplicem ponit, vnum naturalem omninò, alterum verò non merè naturalem appellat. Omnino naturalem dicit eum, in quo colligit sese princeps vis ad cerebrum, cum raptu spiritus vitalis ad centrum: quò spiritus restaurentur qui vigiliis exhausti fuere. nec vltra nutricatus mitigationem protrahitur naturalis ille somnus. Verùm in somno naturali non merè, laborum vi exhausti spiritus resarciuntur. Sed somnus præter naturam vltra omnem naturæ necessitatem & nutricatus (ex quo alioqui naturalis somnus fouetur) euictionem superat: impeditque cunctas actiones animales, exceptâ respiratione. De hoc iam hîc agimus, & dicitur coma, quod est symptoma carphoricum, in quo non potis est lucem accipere oculis, cùm illi semper noctem accipiant: quamvis nonnunquam difficile non sit è cerebro somnum excutere, nonnunquam etiam difficillimum, quando sopore sepultum est. Duplex enim est coma, vnum ὑπνῶδες, alterum ἄγρυπνον. Sed vtriusque communis est iniussa oculorum conniuentia. In omnibus comatosis apparent oculi conniuentes, quemadmodum in lethargicis genæ sublimes. Est igitur coma inclinatio veternosa quæ cernitur in conniuentiâ oculorum, quam facit exolutio virtutis naturalis in phantasiâ debili & infirmâ. Est enim coma phantasiæ infirmæ symptoma; vt caros abolitæ: nam coma significat nõ simpliciter productiorem somnum, sed δυσδιέγερτον, hoc est, ex quo ægrè excutitur. De hac specie nos iã agimus, nimirum de comate somnolento: & non de caro propriè appellato: quod ideo dixi, quia Galenus nonnunquam carum vocat somnum arctum. Est autem coma vel somnus præter naturam, collectio spiritus animalis in cerebro præter naturam, orta ab obstructione vel intemperie. Dixi esse collectionem præter naturam: nam dum naturæ vi hæc fit, surgit naturalis somnus:

Somnus quid, & quo modo fiat.

2. Collect. cap. De opere somni.

6. Epid. 5.

5. Aph. 15.

2. Lib. 14.

Coma duplex.

3. Epid. 3.

1. Prorr. 2. 59.

QVID sit coma.

somnus: at dum à causâ præter naturam fit, cuius causæ vi spiritus exitu diu probibentur, fit somnus præter naturam: præpedito, vt diai spiritu caloris vehiculo ab humore immodico, aliáve vi. Causæ proponuntur à Galeno 3. De causis pulsuum: & 4. De præsagit. 8 & 3. loc. aff. 4. 5. Prorrhet. 2. 29. Causa est intemperies vel obstructio. Intemperies frigida, & humida; consociatæ materiæ, vel materiæ expertes. Frigiditas, auctore Galeno, principem ad hanc vim locũ obtinet: nam spiritibus magis refragatur quàm mador. Attamen mador primum à frigore locum occupat ad hunc effectum. Hic enim solus luxurians, altos ac proliaos somnos efficit, vt sola siccitas vigilias. Sin consociatur ei frigus, nascentur soporiferæ stupidæque passiones. Obstructio etiam huius causa est. At dicet quis, obstructio quoque carum adfert: Respondemus, id differunt, quòd in comate materia tantùm copiâ in vitio est: at in caro, hæc etiam qualitate & copiâ infesta est: nam à frigore alget. Propterea comate detenti respondent: caro impliciti silent. Fit autem obstructio à vaporibus, qui nascuntur vel à toto corpore, vel ab aliquibus partibus. A toto: ita Posidonius antiquus medicus scripsit hunc affectum etiam fieri à vaporibus calidis & humidis, in febribus, qui caput incurrunt. A partibus, vt ventriculo, cæterisque membris quæ in querela sunt. Ita repletio capitis cataphorica, quæ soboles est afflictorum viscerum, & importias vasorum, comatis causa est. Quod etiam Aristoteles censet, somnum nimirum nõ naturalem fieri ab oppleto cerebro à vapore halitnoso: vt à balneis, à cibi vinique copiâ, aluo suppressa vel, dicit, humoris à copiâ qui nec frigoris nec caloris modum vehementer excedat. Si enim pituitosus frigidus valdè fuerit, & magna copia cerebrum rigarit, altum soporem, quem Græci καταφορὰν βαθεῖαν appellant, inferet. Hi autem vapores à toto vel parte soggesti, vel copiâ vel qualitate vitium habent. Si solâ à copiâ in crimen trahantur vapores, coma inferre non poterunt ni obstruant. Cùm verò solâ qualitate frigidâ in vitio sunt vapores, coma non dabunt infarciendo (foret enim caros) sed solâ frigoris potentiâ, cerebrúmque affligent tanquam partem similarem. Dixi comatis somniferi causas esse obstructionem cerebri à vapore, vel intemperiem frigidam, vel humidam, materiæ expertes, vel materiæ consociatas. Materia hæc est simplex pituita viscida & cruda, nihil aliud quàm cerebrum obtundens & somnos suadens, vel coacto inducens. Sed non idem fit in lethargo: ibi materia in cerebro putrescit: comatis verò pituita non putret: ideo caros adiungitur lethargo, non comati. Humoris huius ingressu, in comate, neruorum τόνος exoluitur. Sed ne varia auctorum lectio turbet, illud obseruabile, omne coma diuisum esse in mixtum & simplex. Ac mixtum nascitur ex pari dominatu bilis & pituitæ, pariter inter se concertantium. de hoc hîc non ago. Simplex verò, de quo hîc, ex obstruentibus vaporibus, vel intemperie, vel à pituitæ simplicis & incorruptæ abundãtia, vt iam diximus; vel interdum à cerebri exolutione, vel ab eiusdem perfrigeratione febrilis ardoris consectaria. Atque mixtum coma semper est ἄγρυπνον, id est, somni expers at simplex ὑπνῶδες, id est, somniferum: illud tantùm oculis noctem excipit, hoc cerebro & oculis noctem fugit, nec potest eam accipere. Vtriusque autem commune est, oculis, veluti somno arctissimo conniuere.

Anacephalæosis causarum. Quare, vt breuissimè dicam (nunquam enim satis dicitur, quod nunquam satis discitur) tres sunt ferè causæ comatis, refrigeratio, vt Hermocrati euenit: de quo Hippocrates illud scripsit κατεκοιμᾶτο κωματώδης, id est, quiescebat comatosus. Non enim ille somnum iniuit naturæ vi conciliatum, vt conciliari solet, quando ad dormiendi necessitatem accedunt tres illæ somni naturales causæ, vaporis somniferi suauitas, cerebri temperies, & mentis tranquillitas. Sed fuit soporatus Hermocrates, conniuendo nimirum palpebris, quas aperire non poterat, ob fractam facultatis vim, ab exhausto cerebri, & frigidâ intemperia per consumptionem retorridam à febrili ardore. Secunda causa est oppressio, à vapore vel materiâ frigidâ; vt cùm talis pituita stabulatur in cerebro, à diuturnâ tempestate austrinâ, vel edacitate, aut bibacitate collecta. Vel etiam, quod mirum videri possit à materiâ calidâ, biliosâ, spumante, vaporosâ, & efferâ. Cùm eius vbertate circumfluunt venæ: adeò vt interdum satis sit quòd excludatur aluo, satis quòd in capitis arcem à febre subleuatum ascendat, inuadentibus paroxysmis, inde soporantur & comatosi fiunt. Nam per accessiones succus primùm ergastulis venarum coërcitus mouetur, hinc surgens vapor cerebrum ferit. hi sub finem febris excitantur. sed hoc ad carum potiùs referatur, de quo mox. Tertia causa est resolutio. Et cunctæ causæ refrigerantes & humectantes, auctores somni arctioris & comatis esse possunt: vt aër frigidior, medicamenta stricto quodam algore rigentia & quicquid cerebro frigus inurere potuit. Et vapores sursum elati, vt qui ex intestinis vermiculantibus puerorum. Venenum etiam in causâ esse potest: hoc euomatur, clysmis dein eluatur, tandem theriaca castigetur. Iam breuiter varias comatis ideas ob oculos ponamus.

Differentiæ. Coma est duplex, ὑπνῶδες καὶ ἄγρυπνον, id est, vigil & soporatum. Hippocrates cataphoram appellat omne coma, & somnolentum, & non somnolentum: Galenus non somnolentum vocat simpliciter cataphoram. Vigil est, cùm commissis palpebris inoitò, nec lucem accipientibus ægri nihilominus vigilant. At soporatum, de quo hîc, cerebro, & pectore, & oculis dormiunt. Hoc nascitur ab intemperie cum vel sine materiâ. Sine materiâ, est vel simplex, vel composita. Simplex, vel frigida, vel humida. Vel enatum fuit coma ab obstructione, aut à fractâ facultate, vel ab oppressione. vel venenum.

Vt à cæteris passionibus distinguatur. Discriminatur symbolis certis ab aliis passionibus. à catoche, quòd illud sit ἐν τῇ ὄψει: hæc verò ἐν τῇ τάσει. à caro, quòd caro detenti, oppressis cerebri sinibus, non respondeant concussi: nam adest absoluta resolutio imaginationis: in comate verò eius debilitatio. ab apoplexiâ; nam hac detenti non sentiunt, & spiratio læditur. In syncope adest cadauerosa facies, & pulsus languidus: non ita in comate. In præfocatione ab vtero, punctæ sentiunt, sed non loquuntur, at in comate stimulatæ loquuntur, & altiùs inclamati respondent comatosi. A lethargo differt: nam lethargus est somni libido inexpugnabilis, cum febre & delirio, & in lethargo materia putris in cerebro stabulatur: at comatis materia non putret. Coma est vitium solubile, attamen validum ratione cerebri, quod fatigat. non agit contagia. cerebro congener affectus.

Signa. Facilè agnoscitur; nam palpebris conniuentibus iacet æger: impulsi eas quidem aperiunt, sed rursum somno merguntur. Æger pendula inferna obdormit mandibula, vt obseruauit Posidonius apud Aëtium: qui etiam dicit, hos habere caput humidius. *2. 2. 6.* Si ab infarctu enatum malum fuerit, repentè hoc malo occupantur. Si intemperies materiæ expers hoc vitium fecerit, nulla erit inflatio in facie: color nigrescet, nullum pondus caput sentiet, pulsus tardus erit. Si fuerit à materiâ, ponderis molem sentiet caput. Si à pituitæ copiâ pondus habuerit caput, os, nares, oculi, excrementa pituitâ circumfluent nausea adfuit, diæta in pituitam præcessit fœcunda. his iunge temperiem ægri & cætera indicia ex naturâ ducta. albet facies, lingua pituitascit.

pituitescit. A sanguine rubet facies,& venæ turgent iugulares,& quæ ponè aures; caput & facies calent, rubent oculi, tempora pulsant. Verùm verò vapores sorgant es pulmonibus, ventriculo, intestinis, aut aliis ex partibus, agnoscetis ex earum partium affli-
INDICATIONES *curatrices.* ctione. Peruestigata ex mali naturâ,facilè mente accipiemus quâ contrariâ vi expugnari debeat. Quia calor spiritusque intrò viam affectant, indicabunt hæc foras euocari debere. Sed cùm hic intrò raptus proficiscatur ab aliquâ causâ, hæc erit abscindenda. Quare si materia adsit,euacuetur:primùm tamen totius habitû prouisione; nam deinde pars erit adeunda. Si obstructio copiæ vitio adest, euacuetur. Si vapores inferantur cerebro, reprimantur, & focus vnde proficiscuntur extinguatur, firmenturque ventricu-
PROGNOSIS. lus,pulmo. Sin à virium imbecillitate coma enatum fuerit,illæ celerrimè erunt recreandæ. Hæ cynosuræ curationis. Sed antequam arma expediamus, quibus velitatio hæc inibitur, perlustrandum num redintegrari cerebrum possit. Somni arctiores nec tumultuosi, qui eos inuadunt qui aliquot dies in vigiliis exegerunt, boni sunt, etiamsi penè carotici esse videantur. Quæ causa impulit Hippocratem, vt illam quæstionem posuerit ad disputandum, τὸ καρῶδες ἀγαθὸν
1119. *Prorrh.* πανταχοῦ κακόν; hoc est, éstne sopor vbique malus? non enim malum est soporati à crisi post diuturnam somni vacuitatem. Vnde eleganter Bacchylides, *οὐδὲ συλᾶται μελίφρων ὕπνος ἀπὸ βλεφάρων, ἄμβροτος θάλπει κέαρ. Sed coma interdum iungitur morbo calamitoso, vt funesto lethargo. Hîc dormiendi finem non facit æger:quod primùm oppresso cerebro, mox inde accidit exoluto. Hi dormiunt cum oris hiatu, quem edit laxitas temporalium musculorum.
14. *Iliad.* Talem somnum appellat Homerus κασίγνητον θανάτοιο. Quare à virium si fuerit imbecillitate, quæ ex morbo periculoso superuenerit, lethale. Quare in Epigrammatis est, ὕπνος γείτων τοῦ θανάτου. Coma ab oppressione natum,vel parotidibus excutitur,vel aluo prorupta subrubris excrementis in crisi. Si autem criticus non euenerit profluuies alui prærubra, coma reddit funestum. nam vitio animalitatis accedit effœta vis œconomiæ naturalis:quóque plures principatus in vitio sunt, eò res ægri peiùs eunt. Scribit in Coacis Hippocrates, κωματώδεσι [illegible] liquida deiectio pessima esse solet. hoc est aquosa deiectio in iis qui labuntur subinde ad pedes: nam fractam œconomiæ naturalis vim significant, & animalitatis effœtæ. Mortiferum est coma quod cerebri inuexit refrigeratio, quam ardor febrilis reliquit exhausto cerebro. Tale erat Hermocratis coma: nam hunc comatosum reddidit somni vacuitas vndecimo die morbi. Calamitosum hoc fuit Hermocrati; nam febrilis æstus consectarium frigus,est funestū. Quod-
CVRATIO. si à tali vi enatum coma videbitur, quæ debellari possit, ad auxiliandum nos accingemus. A sanguine
Chirurgia si fuerit, aperiatur vena cephalica: & digerentibus siccantibusque applicitis curetur. Hirudines ponè aures & fronti admoueantur. A menstruis cùm enatum est malum suppressis,recludatur pedis vena. Sin languor non ferat venæ sectionem, cucurbitæ dorso imponantur: hoc faciet ad euacuationem & reuulsionem Quin cucurbitæ scarificatus expertes, coxis cruribusque hæreant. Et frictiones fiant validæ,vinculáque iniiciantur infernis artubus. Postica pars capitis si ferro,candenti ab igne vreretur,bonis id ægri fieret rebus. Coxendici etiam & cruribus dropaces,
Lenientia aluum. phœnigmi,& sinapismi inferantur. Aluus eliquescat glande acri, si pituita in vitio fuerit; ita immemor officij admonebitur. Quin cottidie clysmis acrioribus eluatur aluus: & ab iis auspicabimur curationem; nam auertunt à capite morbificam materiam, excitantque oppressam animalitatem. Inde itaque proficiscator curatio, & dein ad acetum & Topica veniemus. Clysma fiat ex hyssopo,calamintha, stœchade,centaureâ,verbenacâ,semine cari,ameos,calami radice,enulâ. carthamo,agarico,polypodio,colocynthide:cum oleo rutæ, chamæmelino, melle rosato, & salis drachmâ. Parentur succi ad exclusionem *Præparantia.* ex hydromelite,quod fiet ex vnâ parte mellis,& octo aquæ partibus, coquatur ad tertiæ partis exhaustionem.dein ius cicerum.syrupus de mentastro ex melle. Vomitus si eueniat his ex facili, concitetur. Pur- *Purgantia.* getur pilulis de hierâ cum agarico, iunge parum castoreum, vel detur hiera cum trochiscis alhandel, & castoreo. Aliud: Accipe pilularum cochiarum scriptulos duos; trochiscorum alhandel grana quattuor; castorei grana octo: fiant pilulæ quinque,cum syrupo de stœchade. Aliud: Accipiat cochlear mellis rosati laxatiui,in quo trochisci alhandel quid intabuit, vel elleborum aut eius extractum. Si sit à sumptâ cicutâ, vomat primùm, & dein bibat vinum aromaticum. Si ab opio,aut papauere, mithridatium bibat cum vino. Apophlegmatismos & errhina phlegmagoga aliàs descripsimus Euacuato corpore ad Topi- *TOPICA.* ca nos flectemus. Si adsit materia quæ aliunde capiti importatur, illam retundemus frigidis remediis, & ex sententiâ Abensinæ & Razis oxyrrhodinon capiti imponemus. Accipiemus aceti tres vncias;olei rosati completi vnciam. Ad tertium morbi diem, inquit Razes, his vtemur. Quare sinistrè pragmatici perpetuò calida capiti admouent. Ita Posidonios, antiquus *Aëtius 2.2.6.* medicus,vtebatur irrigatione rosacei,aut chamæmelini,cum aceto: sit autem, ait,acerrimum. Dein acetū forte naribus & fronti admoueatur, eique incoquatur abrotanum,ruta, castoreum;& quarto die morbi volebat Razes admisceri his sinapi. Ex his etiam fiat rigatio capiti; vt ex abrotano,thymo, rutâ, lauendulâ,saluiâ,rosmarino, serpillo,& acerrimo aceto. Pòst vngemus oleo & succo calido. Commendatur valdè verbenaca recta,si viridem oleo incoxeris, caputque inde rigaueris:nam crassos succos potenter exhaurit, & roborat: in omni antiquo dolore nobile remediū. Declinante febre vtemur sternutamentis ex castoreo,euphorbio, & ellebero. Et palato affricetur theriaca,mithridatium,aurea Alexandrina. Errhina fiant ex cyclamine cum elaterio. A nudâ intemperie frigidâ si malum enatum fuerit, fouebimus caput decocto rutæ,saluiæ,rosmarini,maioranæ, stœchados,lauendulæ, lauri. Dein illinemus oleo lilino, costino, laurino: bis iunge castorei aliquid & piperis. oleum euphorbij commendatur etiam, & oleum ex semine saluiæ. Surgimus in vsum sinapi: quod occipiti admotum probat Alsaharauius. Si, inquit Posidonius apud Aëtium,frigidius apparuerit caput,anethino ex oleo fiat irrigatio, cum oleo dulci ex æquo permixtum,ac calfactum adhibe. Si validius sit frigus,dicit, pulegium & rutam oleo coquemus. Præstat sacculis vti ex floribus rosmarini, stœchados, chamæmeli, meliloti,maioranâ,caryophyllis,cubebis,macere. Et multùm calidis linteis fricetur caput rasum. Quodsi *Ab opio.* originem ducat ex admoto populneo cum opio, vel mandragorâ, vngetur oleo castorei, nec dormiat æger:& vnge nares mithridatio veteri cum aquâ vitæ. Cùm verò humida intemperies auctor mali est, siccantia remedia opitulabuntur; schœnanthos, castoreum,sinapi. Absint embrocha & olea: nam hæc ad somnum faciunt. Potiùs pulueribus caput aspergatur: vel fiant sacculi ex cineribus caulium brassicæ,vel culmorum fabarum,sarmentorum vitium, vel quernis cineribus: vel ex arenâ maris,milio retorrido,cum sale tosto,verbenacâ: adde quid cinnamomi vel macis; vel ex furfure cum betonicâ, maioranâ, stœchade,

* Hoc est neque surripitur mellitus somnus à palpebris, nostrum qui souet cor.

stœchade, rosmatino. Imbecillitas virium hoius calamitatis parcos si fuerit, infundemus capiti decoctum rosarum, spicæ, chamæmeli, meliloti. Et accipiat æger odorem aquæ rosatæ cum santalis. Cùm tædium hoc effugir æger, cerebrum firmari debet. Si itaque auctor mali fuir intemperies frigida, vtetur manè mithridatio, theriacâ, diacalaminthâ, diamosco dulci, diagalangâ, & quod ex piperibus, aromarico caryophyllato, zinzibere condito, pyrethro condito & molâ: adiice semper quid castorei. Aqua vitæ saluiata vel lauendulâ imbuta. Si humida sit intemperies, rhus albissimum in pollinem attritum, & cum vino vel hydromelite potum in lunæ augmento oriente sole: adiice quid castorei. Aër talis sit qui foras euocat spiritum & calorem, qualis est lucidus, serenus, calidus: strepitus adsit & hominum turba: perpetim somno excutiatur æger. Naribus admoue nigellam. Detur hydromel hyssopites, vel origano imbutum. quod cùm ori impositum est, stringantur nares, ita vi depellitur in ventriculum: hoc erit pro cibo. Nam tenuis hîc victus vtilis est. Alioqui nutriantur prisanæ succo, vel iure pulli: aut decocto fœniculi & cicerum cum oxymelite. Deferuescente morbo da carnes, & quid vini. Laudatur nasturtium mirum in modum ad excutiendos somnos Si à madore enatum fuit malum, parcitas soliti adsit potus. Sed & ipse somnus remediis arceri debet. Inuehitur Ælianus in eos qui philomelis vescontor ad vigilias: quare videntur antiqui ex illâ auiculâ remedium petiisse. Sumat castorei cochlear & tantillum ex pipere albo cum melicrato, vbi febris segnis est. vel potetur theriaca soluta in aquâ vitæ. Aut lamina ferri ardens poretur aceto acri, fumus feriat nares: hic madores sorbet validissimè, somnumque fugat. Cùm efficacios velis, iunge semen nigellæ, vel rutæ, castoreum: nam hæc deiiciunt fumos & ventriculorum cerebri madores absorbent. Adferantur tristia nuncia, vt cogitet.

Corroborantia. *Victus.* *Naris.* *Ad symptomata, lib. 34.*

Capvt XVII.

De Pervigilio, *seu* Insomnia.

Sahara *Abensinæ.*

Vigiliarum immoderatarum noxa.

Tria sunt quæ maximè viribus bellum indicere, inedia, dolor, & vigiliæ. Profectò in tenebris nocto somni vacuitas ipsa per se, instar grauissimi morbi molesta est: tum verò ad illud malum hoc accedit etiam, quòd, vt inquit Hippocrates, fortis vigilia potionem & cibos, omniaque quæ assumuntur cruda omninò reddit, & coctionis expertia. Et per alios morbos vnà corpus facit infirmum, & feritatem humoribus maiorem adiongit. Hinc noua seges & vicissitudo symptomatum grauiorum. Adeò vt ego nesciam nunquid tædiosius, extra dolorem, homini euenire possit, quàm si in somnum solui nequeat. Hæc enim est illa calamitas quæ totam naturæ œconomiam labefactar spiritus exhauriendo, quibus reficiendis & instaorandis placidâ est opus quiete. Quare corpus suo fraudatum genio arescit, &, vt ait ille:

4. Acut.

Attenuant iuuenum vigilata corpora noctes:

Nam triplicis nostræ substantiæ effluuium promouet, dolores, si qui diuexant, acuit, mærores & iras exacerbat, mentemque turbat, & insaniam procrear: nam in peruigilio spiritos perpetuo iactantur motu, hinc excalescunt, & vnà succos inflammant. Quare in Trœzene aram fuisse narrat Pausanias, super quam Musis & Somno rem diuinam faciebant accolæ illius loci: nam inter Deos existimabant Somnum maximè Musis & sapientiæ gratũ esse. Nec profectò est vllum animal cui perpetua sit vigilia. Itaque vt rerum omnium quæ naturæ ad perfruendum tributæ sunt, nihil est melius, nihil amicius, nihilque magis consociale amicâ illâ quiete, ita nihil æquè durum ac eâ spoliari. Vt enim & in magnis morbis, somnus ægrotum reficit atque recreat spirituum instauratione, ciborum coctione, & morbificæ materiæ pepasmo: sic admirabile est, quàm tam principibus partibus noxam adferat, quantumque cuncta naturæ præsidia labefactet, si quid vel in causis somniferis vel in somni ipsius necessitate naufragij euenerit. Comperti sunt tamen, vt narrat philosophus, qui nouem dies inconniuis oculis egerint. Scribit Seneca in libro De prouidentiâ, Mæcenatem tribus annis integris, sine somno perseuerasse: & tandem ab hac ægritudine liberatum esse, solâ placidâ & leni harmoniâ. Vir sanè doctus Hieronymus Montuus scribit se nouisse nobilem matronam, quæ triginta quinque annos insomnis permansit citra noxam, vt ipsa cum marito & totâ familiâ narrabat. Cùm Papiæ in Italiâ operam litteris dabam, retulit qoidam, Nizolium illum Ciceronianum decennio somnum non vidisse. Est autem hæc afflictio contraria somno præter naturam: quam ita definimus: Peruigilium est effusio animalis facultatis ad instrumenta sensus & motus, contra naturæ legem. Hæc enim est proxima causa quæ vigilias efficit. Sed quænam huius effusionis causa? ea sanè varia esse potest. Nam sunt vel internæ vel externæ effectrices noctium insomnium causæ. Interna si fuerit, ea erit materia, vel intemperies materiæ expers, vel dolor alicuius partis. Intemperies materiæ expers, vt cerebri intemperies calidissima, vel siccitas: vel vtraque hæc intemperies iuncta simul molesta est. Maximè autem calida intemperies hîc in vitio esse solet, & vaporis somniferi prauitas. Causæ enim tres ex naturæ lege proferre suauem somnum solent, vaporis somniferi suauitas, cerebri temperies, & mentis tranquillitas. Si fuerit intemperies cum iuncta materia, illa erit vel biliosa, vel salsa, vel vaporosa. A biliosâ dico acri vel adusta: excludimus sanguineam & pituitosam: hæc enim veternosam, illa autem comatosam vigilem affectionem procrearet. Quare vigilia gignitur à bile, & bilem gignit: vnde his est quædam συμμαχία in ægri perniciem. At à pituitâ salsâ plerumque hoc tædium nascitur, vnde & senum insomnes noctes. Hæc vel in cerebro congeritur ac procreatur, cùm id æstu flagrat, vel diutius ibi cunctando, putrescit in salsuginem, ab infractu dum laborat caput, aut dum calidum natiuum titubat; argomento sunt senes: vel aliundè influit, & à toto corpore fertur in cerebrum, maximè per febres biliosas. A vapore si fuerit, is erit acerrimus, qui bellum infert potiùs cerebri substantiæ quàm meningi, cùm non ita doleat: calfacit & siccat cerebrum, spiritusq; tenoar nimiùm ac disiicit. Vel malignâ qualitate deliburi vapores sunt. quales per febres exspirat biliosas. Vel ab aliquâ effetuntur parte, maximè à ventriculis vitiatâ coctione: nam inde acres vapores sese in cerebrum effundunt: maximè vbi ructus nidorulenti fatigant. Quin & ab inediâ anathymiaseos peruigiliũ fit, dum nimirum ventriculi vitio nulla surgit: vt in lienteriâ: sed rugitus & flatus adsunt. Causæ quæ à foris sunt interdum somni vacuitatem adferunt; inter has adfert Abensina lumen validum: nam id effundit animales spiritus Perturbatio animi potens est in hoc tædium: vt cùm mæror animum fatigat, qui conceptus est metu futuri mali: nam qood præterit,

Quid sit. *Causæ.* *Causa externa.*

teriit, potiùs somniferum esse solet. ita dolor, æstus, oppressio. Cibus etiam parcior, acrior, ac flatibus plenus, quales fabæ; vel etiam cræpala, alui profluuium, immodica venus: & corruptus in ventriculo cibus (vnde pueros fatigant acres fumi illati cerebro) excutere quietem nocturnam solent. Et vinum si pleniori hauriatur manu, insomnes adfert noctes;

Historia ex Galen.

exemplo Pergameni pueri. nam grammaticus quidā cum singulis diebus balneum peteret, ac domi relictus esset puer, qui vehementiori pressus siti, cùm aquæ nulla esset copia, vetus vinum largiùs perpotauit: mox in reliquum euasit vigil, ac homo esse desiit.

Natura mali.

Curari tamen hoc malum potest, quamvis alioqui vehemens sit, cùm cerebrum exhauriat, naturæque prædium depascatur. nullo est fœdum contagio. e crebro peculiare vitium, attamen illi non analógum, cùm à squalore ortum ducat.

Signa causarum.

Causarum signa petantur à clinicis, ægris ipsis, & ab iis quæ prodita sunt De dolore capitis. vel si lubet breuiter. Si fuerit à calore, id manus ipsa explorabit: & his imi oculi æstuant. Siccitas squalore linguæ ac faucium se prodet: nares nullo madore rigantur, tensáque in fronte cutis conspicua est. Alioqui grauitas, materiæ soboles est. Si à bile, lucem, agitationem, ac turbam omnem reformidat. Quodsi ex falsâ fuerit pituitâ, oculi ac nares à pituitâ acri madescent.

Indicationes.

Historia ac natura mali indicat quo modo exigi debeat. Nam cùm adsit effusio spirituum cerebri, orietur indicatio inhibendi illos spiritus, ne ita se pandant. Sed hoc fieri nequit, ni primò eius accidantur causæ. Causæ vt fuerint, ita opponenda remedia: nam interdum & calidis vtendum, iterumque humidis ac aperientibus.

Prognosis.

At diligenter perpendendum num his indicationibus satisfacere liceat: nam interdum hoc facilè obtinemus, nonnunquam vix, & ne vix quidem. Graue itaque malum hoc cùm sit, rectè illud pronunciauit Galenus, Vigilias corpora siccare & attenuare: & Hippocrates, vbi ait: ὕδωρ βορόν, ἀγρυπνίη βορέη, hoc est, aqua edax; vigilia edax. Scripsit idem Hippocrates, calamitosum esse non dormire nec interdiu nec noctu.

3. Sanit. 12.
6. Epid. 4. 20.
2. Progn.

Aut enim à dolore (vt nulla sit curarum excusatio) vndeacrior fit phantasia: aut à labore sic laborauerit, hoc est iactatione à squalore & calore cerebri, retroque vapore somnifero. Aut de hoc signo non erit suæ mentis: nam facilè in phrenitidem trahuntur turbati animi, quam facilè admittit cerebrum squalidum, quod incurritur à terrâ anathymiasi. Quare hoc symptoma medicam manum postulat: propterea etiam Galenus de hoc mitigando egit, cū vires prosternat validissimè. quin scribit Hippocrates, consectarias ab hoc trahi conuulsiones non absque lethali vi, quæ siccanda & exhauriendi potentiâ enecat. dicit enim, ἐπὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν. Ex phrenitide periculi etiam plenæ sunt vigiliæ: nam ab inflammatione quæ nascuntur sunt calamitosæ.

12. Method. 1.
7. Aph. 18.

Si absit inflammatio, minus periculi adferent. Ex cancrosâ inflammatione si inductæ hæreant, conclamatum erit, ait Abensina. Desipientiæ metus aderit, si natæ sint à siccitate: nam sanguis à perennibus vigiliis acuitur, & biliosior redditus delitia mouet. Ab effœto senio est immedicabilis. Si fuerit ab intemperie citra materiam, quæ à causis externis impressa fuerit, curari poterit. A dolore si obortæ vigiliæ fuerint, vt ex variis emicant hæ causis, ita & varium sortiuntur euentum. Præterea contumaces vigilias si exceperit tussis, funestum, si Abensinæ fides: nam hæc mutuas operas in perniciem conferunt: cùm & tussis somnium excutiat, & somni vacuitas tussim acuet. Pueris sunt calamitosæ vigiliæ: nam minimè congener est pueris hic affectus: & grauissimi morbi puerorum solo somno tolluntur: cùm tamen aliarum ætatum morbi acuti vel excretione, vel abscessu solùm finiantur. Hoc addo, si quis somni expers ferè viginti dies in languorem, & tremorem, & spasmum trahatur, indicium erit exhaustum esse cerebrum spiritibus animalibus: malum id est. si itaque redintegrabilis fuerit naturæ, remedietur.

Remedia præparantia & purgantia. A pituita salsa.

Fiant leues frictiones. Pituita salsa si auctor noxæ fuerit, ea parabitur ad exclusionem serapio cichorei, vel de soncho, aut endiuiæ, & melle violato vel rosato. ex decocto cichoraceo, & fumariæ, lupulorum, boraginis, eascuthæ, radicum aperitiuarum, passularum, liquiritiæ, polypodij, seminis carthami. Dein purgetur pilulis aureis cum pilulis de fumariâ, vel de hierâ com agarico & rhabarbaro: vel pilulis assairet. vt. Accipe pilularum aurearum & cochiarum, singulos scripulos; dacrydij grana tria vel quattuor: fiant pilulæ quinque. vel accipe diacatholici vnciam; diaphœnici semunciam; electarij de succo rosarum drachmas duas: cum melle violaceo, vel serapio de cichoreo cum rhabarbaro fiat instar opiatæ. addi potest turbith vel rhabarbarum. Deinde theriacam nouellam, vel recentatam Antonini exemplo sumat.

A bile.

Si bilis fuerit soboles peruigilium, paretur exclusioni cichoraceis: Accipe aquam hordei bene cocti: huic infunde folia cichorei & semen eius, ita & endiuiam eiusque semen, & semen lactucæ, foliaque buglossi; vel seminum maiorum quattuor & papaueris drachmam, & etiam tamariodos Fiat ex his maceratio & emulsio: cui adiice serapium nymphææ, violarum, rosarum, granatorum, acetosæ, vel papaueris. Vel accipe foliorum lactucæ, maluæ, salicis, cuiusque pugillum: coque ex iusculo pulli, & sumat. Deinde accipe cassiæ, mannæ, pulpæ tamarindorum, diacatholici, electarij de succo rosarum, cuiusque semunciam, cum syrupo de succo cichorei cum rhabarbaro, quod sufficit vt fiat instar opiatæ liquidæ: sumat alternis diebus cochlearium. addi potest rhabarbarum. & hæc etiam solui possunt in sero lactis

Topica.

Purgato corpore, si quid vberioris succi contineat, veniemus ad ea quæ foris admouentur.

In calore sine materiâ.

Si itaque fuerit ex intemperie calidâ, frigidis recreetur; vt portulacâ, lactucâ, cucurbitâ: & confert oleum seminum recentium cucurbitæ; folia & flores nymphææ. hæc etiam coqui, & foru admoueri possunt. Et, si æstu flagret caput, adiiciemus capita papaueris vtriusque, & radices mandragoræ. Cautio sit de hyoscyamo: nam caput lædit. Accipe vnguenti rosati, olei violati singulas semuncias: addi potest nymphææ oleum; misce. vel admoue capiti placentam ex rosis. oleum ex floribus cucurbitæ, & oleum florum ligustri, & populneum. Frontalia hic commoda, & somno dicata remedia descripsimus libro secundo nostræ Methodi, De his quæ capiti calido foris admouentur: folio 163.

In siccitate.

At sicca cùm intemperies fatigat, vtemur iis, quibus spiritus torpidiores redduntur: vt oleo amygdalino, axungiâ vitulinâ, ansecinâ, oleo violaceo: ex his fiat hapsus. Coquatur cucurbita oleo, & in eo flores eius macerentur. Sorbeat naribus oleum violatum cum oleo papaueris. Lauetur caput decocto maluarum, lini, althææ, chamæmeli. Vel coquantur maluæ in oleo, ita & lactucæ, adiice quid vini albi & dulcis, vt peruadat liquor. Abensina commendat capiti admulctum lac; vel eo recens mulcto foueatur caput. Aut, abraso capillo, spumâ seri lactis feruefacti illinatur caput. Sin labor & siccitas in vitio fuerint, præscripta medicamina vtraque misce. & auribus instilletur aliquid olei nymphææ, violati, cucurbitini. De his vide Æginetam 2.98. & Aëtium a.t.116.

Cū materia.

Si consociata fuerit intemperies materiæ, hæc primùm euacuetur. Cùm ab inflammatione vitium est, illi erit primò occurrendum.

occurrendum. Mareria in capite si enata fuerit, vi calidâ, ab euacuatione, frigidis iam præsetiptis erit vtendum Qund si prolixiùs cunctando in capite pituita molesta est, à purgantium vsu calfaciendum erit & aperiendum; pax sit à frigidorum vsu. Hinc est quòd Abensina vtitur oleo de croco, & pulegio. Oribasius serpillum & melilotum coquit ex passo, & capiti imponit. Hæc mulcebri ea vi somnum euocant, quâ vigiliarum causam expugnant obstructionem: non aliter ceu rhabarbarum refrigerat, elisâ bile. Quare foue caput ex chamæmelis, serpillo, pulegio. hæc in decocto, quò attenuetur ac discutiatur materia morbifica. Quod si hæc materia in caput repat ex toto corpore, notandum erit, num febri implicitus æger iaceat, quam qui rectè curarit, & vigilias facilè expugnarit. Hoc tamen in negocio illud notandum, num quæ à febre surgit materia, fit biliosus vapor (vt fit in febribus biliosis) vel num sit salsa pituitosa, vt euenit in causo notho, & putridis à salsâ pituitâ. Si exspiretur biliosus vapor, frigida odorata exhiberi vult Abensina, vnde tuitescat bilis, & quodammodo pituitescat. vt si fiat irrigatio ex decocto lactucæ, nymphææ, salicis, papaueris, mandragoræ cortice. Et fiat illitus. Accipe olei rosati vnciam; succi citreorum drachmas tres; oui albumen quassatum: sed priùs despumetur concussum cum aquâ rosatâ. Aliud: Accipe vnguenti rosati, olei vinlati, aquæ rosatæ, singulas semuncias; populnei binas drachmas. Vel accipe lactis muliebris binas vncias: albumen oui concussum cum aquâ rosatâ & pauco succo citrei mali maturi: & cum farinâ seminis papaueris, fiat frontale inter duo lineamēta. Aëtius his vtendum ait vesperi horâ vnâ à cæna. Accipe olei rosati & violati æquas partes; bulliant cum cucurbitarū succo dum ille exhaustus sit; id fiat septies: dein adde caphuræ parum: vngat tempora & nares. Senēs rosaceo, & anethino tecenti perungant caput. Manus & pedes si fouendi sint, id fiat vt frigescant, non ad calorem: nam in cerebrum spiritus proiectari debent, non alio diffundi. Accipe foliorum salicis, lactucæ, nymphææ, rosarum, violarum, papaueris nigri, maluarum vel pampinorum, singulorum manipulum: florum chamæmeli, meliloti, summitatum anethi, cuiusque semimanipulum; calycum papaueris albi vnciam: bulliant in aquæ pluuiæ partibus tribus: adde interdum vnam vini, lauet, dum somnum tentabit, pedes, manus, & vaporem facie accipiat. Suffitus etiam ex mandragorâ & papauere, ex aquâ nymphææ coctâ. Naribus etiam lac muliebre cum oleo violato aut nymphææ vel papaueris trahat. Aëtius puluinar soporiferis implet: ex lactucis, mandragoræ pomis, foliis papaueris: adde melissam quâ peruadat vapor: nam vel styrax vel serpillum, aliúdve penetrantis potentiæ adiicimus, quò penitus vis se inferat cerebro Spongiam somniferam aliàs descripsimus. ab his cùm excitare ægrum vis, poscâ tepidâ lauanda erit facies. His non iuuantibus ad narcotica veniemus, si biliosus fuerit vapor: nam à salsâ pituitâ quæ enata fuit in obstructo cerebro, horum vsus alienior esse debet. His itaque frons, tempora & nares illinantur: vt ex oleo violato, nenupharis, vnguento populneo, cum succo lactucæ. Et ductim ad maiora veniatur: Accipe vnguenti populnei, philonij Romani, singulas drachmas: dissolue cum modico oleo nymphææ, fiat linimentum. Aliud: Accipe opij semunciam, styracis, calamitæ drachmas duas; croci scriptulum, iridis sesquidrachmam: misce, fiat pomum. Aliud: Accipe opij scriptulum; croci grana octo; aquæ rosatæ vncias quinque: misce, fiat epithema fronti. Aliud: accipe opij scriptulum; castorei, croci, cuiusque semiscriptulum: fiat puluis, adde guttas olei papaueris, vt fiat forma strepti, & naribus immittatur filo alligatum. Si quid mitius velis, Contundantur rosæ ex oleo violarum, nymphææ, & oleo de ranis, adiice muccaginem psyllij, & farinam hordei: cum pauco croco vel myrrha, si non flammeo torreatur caput ab æstu. Vel vnge frontem & tempora oleo de ranis, & de mandragorâ. Aut accipe florum nymphææ, violarum, lactucæ, anethi, maluæ, papaueris albi, singulorum manipulum: coctæ ex aquâ herbæ contundantur cum oleo ranarum & vnguenti recentis populnei vncia; adiice farinam hordei quò inspissetur: admoue capiti tepide. Aliud: seminis papaueris, lactucæ, cuiusque drachmam; florum nymphææ, violarum, anethi, singulos pugillos: excipe duplicato lineamento, & fumum excipiat aquæ rosatæ in quâ maduit beronica vel serpillum. Aliud: accipe olei papaueris albi vnciam: vnguenti populnei drachmas duas: albuminis oui despumati, & lactis muliebris ℥ j. fiat frontale. Aliud: vnguenti rosati, olei violacei & anethini cuiusque semunciam; cinnamomi, croci, myrrhæ, opij singula grana septendecim: illinantur tempora & nares. vel opium copia enti, muliebri lacte tabescat, eóque lacte linteum tinctum naribus indatur. vel grana duo opij & caphuræ liquescant oleo violato, & eodem modo naribus indantur. Razes grana bina caphuræ naribus indit ex aquâ rosatâ. Effingi etiam potest oleum somniferum hoc modo, Accipe opij, seminis lactucæ, corticum radicum mandragoræ, singulorum drachmas tres: corticum papaueris semunciam: crasso hæc terantur modo, & adiice decocti mandragoræ & papaueris libram; olei vncias octo: coque in diplomate dum aqua exhausta sit, cola, & colaturæ adiice florum violarum, nymphææ, anethi, chamæmeli, singulos pugillos; iunge quid croci & cinnamomi: frons hoc vngatur, & naribus quid sorbeatur cum lacte. Aëtius etiam pectori talia quædam imponit, & præparare hæc ad somnum ait. Si hæc remedia vi mali deuicta fuerint, intus dabimus narcotica, suasore etiam Aëtio. Attamen ex sententiâ Abensinæ, ab his supersedebimus, nisi labentes vires à vigiliarum perennitate, erigi hoc modo postulent. Quare foris audaciùs hæc admouenda, quàm visceribus committenda: ideóque à moderatissimis exordiendum. Detur conserua foliorum lactucæ; & potiōnes ex acetosâ, lactucâ, semine papaueris, & lactucæ semine, fiat emulsio. Accipe hordei mundati vnciam; seminum quatuor frigidorum maiorum excorticatorum, seminis papaueris singulas drachmas: fiat emulsio ex aqua ad vncias quatuor, adde syrupi papaueris vnciam: fiat hordeatum. vel fiat lac amygdalinum cum emulsione seminum frigidorum ex aqua lactucæ. Commendat Aëtius diacodium, quod asserit inter cuncta narcotica esse iucundissimi saporis. laudat Abensina syrupum papaueris. Accipe syrupi rosati, diacodij, singulas vncias: sumat hora somni. Vel accipe syrupi nymphææ, diacodij, cuiusque drachmas sex; decocti lactucæ, vel emulsionis seminis lactucæ, aut si fortius velis, decocti capitum papaueris vncias duas, hauriat hora somni. Notandum, vt, dum tussis adest, conserua addatur rosarum. Aliter: accipe decocti florum nymphææ, vel lactucæ & portulacæ singulas binas vncias; diacodij vnciam. Cautio hîc adsit, vt talia propinentur remedia quinque horis à cæna: hoc est inter decimam & vndecimam: & si vires fractæ fuerint, adiice scriptulum diarrhodonis. Cottidianus horum vsus est formidabilis: nam natiuum calidum enecant. Præterea cautio de his sit in pueris; nam his memoriam affligunt in reliquam vitam. Nec his dentur qui ventriculo sunt frigido & cruditati obnoxio: sed ab his ore tantùm diacodij semicochlearium retineatur, & exspuatur, id repetat dum

A bile.

NARCOTICA *foris.*

Oleum hypnotficum.

Intus.

CAVTIONES *in Narcoticis.*

dum somnus obrepit, & posttemum degluriat: & manè diarrhodi quid sumat. Et qui horum vsum ineunt non sint repleto capite, aut catarrho impliciti. Et narcotica non alia dentur quàm quæ vsu salutaria deprehensa fuere: alioqui mortem dabis, non somnum. Nec etiam ad illa deueniendum, si morbus aliis debellari potest; alioqui vt vires stabiliantur his vtemur, & non ampliùs.

Ex Aëtio & Gualnerio.

Et vt vnciæ vnguenti quod foris admouetur tutò inditur semiscriptulus opij: ita potibus tutò additur semũcia diacodij. Qui plura de his velit perlustret quędam à nobis prodita libro secundo Methodi, vbi De capite sicco; folio 170. Accipiat interdum aquæ lactucæ binas vncias: syrupi papaueris vnciam vnam aut alteram. Quidã grana aliquot opij cum croco & cinnamomo peciã colligunt, & in syrupo coquunt, & exprimunt: hoc cum philonio agi præstat. Vel distilletur philonium cum floribus violarum, nymphææ, papaueris, lactucæ, cucurbitâ, mace, cinnamomo, & pauco croco.

Cautio.

Sed cautio semper adsit, vt narcotica dentur viribus validis, & calido semper ægro; & ab euacuatione; & cùm cætera frustrà sunt; & à tenui cæna. His victis etiam à mali contumaciâ, surgemus in vsum philonij Romani, & mithridatij theriacæque recentis. Vel sumat pilulam vnam, duas, vel tres de styrace: fiant ex drachmâ pilulę sex: adiice interdum quid diatragacanthi frigidi. Celsus papaueris syluestris (quum iam ad excipiendam lacrymam maturum est) manipulum in vas dimittit, & superfundit aquam, quæ id contegat, atque ita coquitur. vbi iam bene is manipulus coctus est, idem expressus proiicitur, & cum eo humore passi par mensura miscetur, inferuétque, donec crassitudinem sordium habeat. Quum infrixit, catapotia ex eo fiunt ad nostræ fabæ magnitudinem. somnum faciunt vel per se sumpta, vel ex aquâ data. Si exiguâ mole magnam vim propinare velis,

Nouus modus parandorum medicamentorum.

Accipies totam compositionem trochiscotum Aster Galeni: soluatur aqua (sed aquâ paucâ vitæ præstaret primùm hæc solui: nam ita opium vnà soluetur; & dein cum aquâ remisceantur) & obturato vase maceretur aliquot diebus ad focum tepidè. Dein exstilletur aqua per philtrum, more quo hippocraticum vinum manat: vel potiùs imponantur philtri longæ tenuésque partes: & in aliud inferius vas prolectetur liquor. quem deinde tenui foco admotum exhauries: & quod restibile manet argenteo vasculo excipies. & propinabis eius granũ vnum, ad tria vsque. Cautio adsit in remedij fabricâ, ne in cineres exarescat exhaustum remedium: satis est ad crassiorẽ mellariam formam reduxisse: nam melligo illa perennat diu. Ita cùm à calore & per febres premit vitiũ, transigendum.

A frigidioribus vaporibus.

Verùm si à salsâ crassâque pituitâ densi surrigantur vapores, vt in febribus quæ ex bile pituitáque consociatâ nascuntur, potiùs ex Abensinæ & Aëtij præscripto, vtemur decocto serpilli, anethi summitatum, meliloti, chamæmeli: nam hîc aperiendum, tenuandum, exhauriendum quod molestum est in capite. ac illinemus oleo anethino, chamæmelino:

Cautio.

& Alhasarauia vtitur oleo de croco. Paulus cautionem adhibet hanc, ne in ipso periodi paroxysmo frigida admouenda existimemus: sed euanescente in eo paroxysmo febre: quin potiùs, inquit, calida accedente febre impone capiti: quò tenues in auras vapores euanescant. & mitescẽte tandem febre somnus inducatur.

Ab alio morbo.

Si vitium sit ab alio morbo qui in vitio est, vel si ex mœrore, cræpala, mali focus primùm exstinguendus erit.

Anacephalæosis curationis.

Hoc itaque filo ducatur curatio, primùm mali causam peruestiga: si causa fuerit à foris, eam in contrarium flectes. Sin intus nata, vt si dolor, eum mulcebis: si febris, eam vt decet fugabis. Succus causa mali elidatur à præparatione Dein Topicis indulgendum: foue lotionibus, linimentis, emplastris, suffitibus. & errhinis indulgendum. Dein intus propina pharmaca; quin tandem ad opiata insurge.

Diaeta.

Victus etiam probus imperetur qui morbi cum causa pugnet, & naturæ propugnet.

Aër.

Aërem frigore, si talis non fuerit vltrò, perfundes. Et blandioris auræ murmur inter arbusta, vel auicularum aut suauis voculæ modulatio ægrum demulceat Si sit ab animi ægritudine, silanus aquarum frigidarum vt iuxtà cadat fabricetur, cuius illabentis in subiectam peluim murmure animus à variis cogitationibus vertatur in vnius sonitus animaduersionem: nam ita quies ei obrepet. Et humi fusis herbis, vt pampinis, iuncis, aër humescat. Odorem captet ex nodulo, cui insint flores violarum, nymphææ, cuiusque pugillus; corticum mandragoræ drachmæ binæ; seminis anethi drachma, & croci scriptulus: fiat puluis, qui sindone excipiatur. Quin facies sæpe irroretur aquâ nymphææ, rosatâ, lactucæ, cucurbitæ. Iaceat æger loco obscuro & silenti. Spongia somnifera nonnunquam naribus apponatur.

Cibus.

Cibus elixus melior est quàm assus. Confert caro vitulina, agnina, & leporina commendatur hîc Catoni, & esus pullorum, piscium. Lactuca est commoda postremis epulis, portulacæ, asparagi cocti, cum aceto & oleo; cucurbita, pepones. Ex hordei farinâ & lacte acido fiat puls tenuis: vel ex ceruisiâ, aut aquâ hordei hæc fiat, in quã capita papaueris tria vel quatuor coxere: hanc cæner. Amygdalis conditi sint cibi, quò fiat euaporatio in caput.

Amygdalatum.

Vel fiant amygdalata: accipe amygdalorum dulcium infusorum in aquâ rosatâ, hordei mundati cocti dum quàm maximè inturguit, singulas binas vncias; quatuor seminum frigidorum maiorum mundatorum, seminis lactucæ, & papaueris albi cuiusque drachmam: simul cuncta contundantur & parum coquantur, & dulcor afferatur saccharo. Aspergantur etiam cibi semunciâ emulsionis seminum papaueris albi. Nam Oribasius tantum sorbitionis indit seminis papaueris albi, quantum tria impleat cochlearia: vt rectè scripsisse videatur Matthiolus, huius vsum liberaliorem minimè reformidandum esse. Fugiant potiùs fabas, brassicam, erucam, cæpas, allia. Quidam à parco cibo, alij à largiore meliùs suaui somno merguntur. Si sit ex mœrore, tenui vino demulceant animum: iolabum alioqui violatum & rosatum hos recreat ex aquâ coctâ. vnguento rosato, oleóque violato & anethino se inungant. Motum commendat Auicenna & Paulus: & balneis serò indulgeant.

Aët. 2. t. 116.

Galeni ex consilio fiat strepitus coram ægro, & loris facilè solutu arctè eius nectantur manus & pedes ad articulos, dum defatigentur: subitò liberentur: & eodem temporis momento, subductis candelis, quæ ægro multæ admotæ fuere, indicetur silentium. nam spes est vt ex subitario illo motu, rapto calore ad penetralia, obrepat somnus. Sed cautio adsit, ne chiragræ vel podagræ obnoxij sint ægri: neque vlcera habeant stringendæ partes. Vitetur venus, & immoderatum studium. Si à diuturnâ vigiliâ, quâ ferè ad vigesimum diem iactatus fuit æger, metus adsit conuulsionis in tremebundo iam ægro, corpus hoc humectandum erit nutricatu madido & frigidiore.

Senum.

Senes plerumque hoc malum exercet: in his mœror abstergeatur, & vesperâ balneum ineant à coctione: & notetur in iis, num largiùs cænati vel parciùs, meliùs dormiant. comedant lactucas vltimis cænæ epulis.

Puerorum.

In pueris fœlicissima curatio huius mali est, ne lac in corruptelam fatiscat ventriculo acceptum. Quare cautio adsit, ne hoc copiâ aut qualitate virium faciat. Nutrix plenâ manu pastum ineat lactucarum, amygdalorum dulcium, cum papauere albo. Caueat à valido vino nutrix. Regio ventriculi puerilis foueatur decocto menthæ, & masticis, ex aquâ

&

& vino: hinc illinatur oleo macis cum contusâ mastice. Vnguento rosato cum oleo violato tempora illinantur pueri: adde quid populnei, si calor iubet. Requies Nicolai vltimum sit remedium: nam hebescunt acumina ingenij eius ab algore in pueris.

EMPIRICA. Addo Empirica: Quidam è floribus croci, demptis staminibus, aquam destillant, & eius vncias quatuor propinant horâ somni. Et, si nimius obrepat somnus, naribus admouebis spongiam aceto imbutam, in quo fœniculi radix, hyssopum, vel nux myristica coxit. Alij accipiunt opij vnciam, alliorum duo capita, simul pista hæc destillant: manat aqua non fœtida: cuius guttulæ aliquot propinantur cum vino. Tales plurimas describit Euonymus Tomo 1. folio 226. & Tomo 11. folio 99. Dioscorides vnciis binis seminis papaueris tritis superfundit aquæ selibram: post octauam horam emulget aquam: propinet cum saccharo. CAVTIO adsit, vt à cruditate vbi languet ventriculus, abstineas à frigidis intus quæ dantur, dum ille recreatus fuerit: & interim admotis foris somno studeas. Alij dentem canis nigri subdunt capiti: quidam præferunt serpentis exuuias & vulpis pelles. Somnum prouocat vinum anethinum: & etiam vinum petroselinites, vt scribit auctor Γεωπονικῶν folio 206. & 208. quæ scripta videntur Cassij Dionysij.

CAPVT XVIII.

De COMATE Vigili, Græcorum Typhomania, & Arabum Subethsahara. Alij vocant Phrenitidem comatosam.

SCribit Galenus libro De comate quosdam Hippocratis interpretes existimasse, comatis nomine somnum ab Hippocrate intelligi, inducti Homeri auctoritate, vbi hoc ita sæpius * κοιμηθεὶς μοι ζῶον ἦν. Alij delationem in somnum ab Hippocrate ita appellari aiunt: Nonnulli veternosam passionem. At, inquit Galenus, non ita vtitur Hippocrates hac voce: nam cum vigiliis coma euenire etiam asserit. Et dubitare videtur Hippocrates, num illos liceat appellare phreniticos, an aliud quid. Nam phreniticos appellare illos qui nondum delirant veretur, etiamsi cuncta symptomata phrenitica esse videat, vt caput, collum, lumbos, præcordia dolere. Et Galenus libri De comate capite quarto ita scribit, multos inuenies phreniticos qui surgunt, nec oculos attollere possunt, sed in eodem loco perseuerant vt lethargici. vnde imperiti medici, neque nomen dare huic affectui nouerunt, & penitùs ambigunt, videtúrque ipsis insolens passionis idea, quæ nomen non habet. Quidam ex lethargo & phrenitide mixtam putant, & vocant Typhomaniam. Quin inuenitur coma non phreniticum vigil, de quo ita Hippocrates, Nec quisquam phreniticus insaniuit, sed quadam in somnum delatione peribant. Paulus asserit Galeno vetustiores coma appellasse catochon: At recentiores catochen dixere pro catalepsi. Vt reliquidè intelligatur, dicemus duplex esse coma: vnum ὑπνῶδες, id est, veternosum; aliud autem ἄγρυπνον, hoc est, vigil. Coma autem vigil, vt auctor est Galenus libro De comate, aliud est phreniticum, aliud non phreniticum. Coma vigil phreniticum iúctam habet phlegmonem, idque iterum geminum est, vel enim ignauum, aut expeditum, perpetuò tamen his, ob phlegmonem, adest delirium. Coma itaque vigil phreniticum ignauum fit, cùm phlegmone pituitosa, hoc est, lethargica superat phreniticam, hoc est biliosam. Hîc vix ægri mouentur, & maximè delirant cùm ad somnum se componunt. In comate verò vigili phrenitico expedito, nimirum in quo biliosa inflammatio exsplendet præ pituitosâ, ægri expeditè & vi quadam exiliunt, ac nonnunquam astantes inuadunt: hi dormire videntur, & somni sunt expertes. Cùm quidam ita spem somni fecisset amicis, illi abiere vt locum quieti concederent, solo custode monacho clinico relicto. Hic etiam fatigatus vigiliis, cùm iam dormire ægrum putaret, somno concessit. Astutus æger sopitum animaduertens monachum, exiliit, monachíque sopiti cultro, caput monacho abscidit: quod cùm palam ante fenestram proposuisset, iterum eâ clausâ, lectum & antiquum somnum repetiit. Hi autem maximè delirant cùm à somno eluctantur. Coma verò vigil non phreniticum fit, cùm materia biliosa remiscetur cum pituitosâ, & est phlegmonis expers. Hi non delirant, somnum quidem captant ob pituitæ vim, at eum non capiunt, ob bilis ferociam: de his ita Hippocrates, Nec quisquam phreniticus insaniuit; sed quadam in somnum delatione peribant. Coma itaque vigil enascitur ex geminâ causâ, nimirum cùm remiscetur calida frigidæ; hæc enim vigiliarum, illa somni auctor est. Verùm, vt iam dixi, hæc miscella consociatur phlegmoni, vel phlegmones est expers. Paulus à veneno etiam induci hoc tædium auctor est: quod periculi plenum esse fatetur: & hi statim vomant aluúmque deponant, visceráque his cumino & rutâ foueantur. Sæpe causam agnoscit labefactatum corporis robur, quòd præ imbecillitate palpebras apertas sistere nequeat æger. Inter externas causas est mensa plena dubiáque in bilem ac pituitam prompta, in quâ cibi calidi pugnant frigidis: & artocreæ putidæ quas auido rictu degulant. Et infausto coniugio variè maritata pocula. & ab ocio in negocia inconcinna migratio. Ad signa communia venio. Duplex diximus coma; vnum ὑπνῶδες, alterum ἄγρυπνον. Sed vtriusque communis est iniussa oculorum conniuentia: nam ita oculis conniuent, quasi somno arctissimo necterentur. In omnibus enim comatosis apparent oculi somno conniuentes, quemadmodum in lethargicis genæ sublimes; attamen non dormiunt. Quoniam in summâ dormiendi necessitate non suppetit opportunitas causarum somniferarum: quamuis in somnum solui reipsâ videantur. Hi itaque commissis inuitò palpebris, nec lucem accipientibus vigilant ἄυπνοι, inquieti & iactabundi. Hoc igitur non sola facit pituita, sed vel bili permixta, vel ipsa per se putris & salsa; quarum vtraque quantum copiâ & crassitie ac viscìditate opprimit & soporat, tantum exsuscitat temperamento acriore. Conniuent tamen continenter oculis, oppressione cerebri, quam mixta facit cacochymia bilis & pituitæ pariter inter se concertantium. Illa quidem ad somni excussionem, hæc verò ad soporiferam impressiorem facit. è quarum mixtione monstrum hoc nascitur biceps phrenitidis & lethargi, quod τυφομανίαν veteres nominant: quod est symptoma phantasiæ infirmæ, quemadmodum caros abolitæ, ab exolutione nerualis virtutis. Excitati quidem oculos aperiunt, liberéque sentiunt & mouentur, & tamen desipiunt, ob polydædalas simulachrorũ obuersantium ob mentem ideas: & enormia loquuntur quidam eorum. Iterúmque conniuent oculis spe somni, & vigiles tamen manent. Propterea dicit Nonus antiquus medicus, ἀγρυπνοῦσι καὶ καθεύδουσι: hoc est simul vigilant & dormiunt. Cùm in his bilis emicat vis, dicitur rabies somnolenta: nam peculiare nomen vix agnoscit hoc malum: sed vt mixta est eius causa, ita & compositum agnoscit nomen, in quo vtriusque vitium sonat.

Marginalia: 14. Iliad. — * sopora mihi Iouis oculos. — 1. Prorr. — NOMEN. — 3. Lib. 6. 3. Epid. — CAVSAE & SIGNA caussarum. — Historia tragica. — Caussæ generales. — A veneno. — SIGNA. communia. — Caussæ.

sonat:nam nunc propiùs ad phrenitidem,nunc propiùs ad lethargum nutat:hoc est,modò bilis, modò pituitæ symptomata hîc expleudescût:nunc in somnum, nunc in vigilias pronus. Quòd autem cœma natum est ex imbecillitate virium, notatur pulsus languore,& hoc consectarium est exhaustioni.Cùm est phreniticum cœma cum inflammatione,adest his tunc febris & delirium,inquit Nonus.sed febris maior in cœmate vigili expedito, quá in eo quod ignauum vocauimus.Qui dominatu tenentur pituitæ,eos à lethargicis discriminamus, eò quòd nec tumeant,

PROGNOSIS. nec liueát admodum,& modicè exudent.In his malum denunciant vigiliæ multæ,vrinæ suppressio,spirandi difficultas & collisum in gutture murmur, sudor miliaris, natibus elisus cibus tenuísque pituita. qui moderatiùs affliguntur, infusum aliquem liquorem deglutiunt: victi verò ad nares relidunt. Fit interdum in his dolor ceruicis atque lumborum, mox epiphænomenon sequitur mutatæ oppressionis (quà premebatur cerebrum)in exolutionem,sanguinis nimirum substillû è naribus:idque quarto die,in acutis,hæc conspirant ad mortem. Iam ad curationem

REMEDIA. venio.Si redintegrabilis videatur sanitas,talia medicamina adferemus, quibus euocari somnus & vigiliæ possint. Hoc est, partim phrenitidis, & partim etiam lethargi remedia locum habebunt vtrum verò superare debeat,ex notis deprehendemus: si enim phrenitidis ideam referat propiùs, eius ad præsidia proximè accedemus.Primùm itaque aperiatur vena: nam huius sectio æquè lethargicis & phreniticis studet:maximè hoc peragatur si facies quid rubeat, & febris admoneat,viréique admittant.Sin nauseet, vomat: pluma inferatur gulæ intincta oxymelite cum succo raphani & oleo: tepidè illinantur. Suppositoria aluum irritantia hîc maximè commendátur. Si bilis vis exsplendeat in symptomatis, oxyrrhodinon capiti admoueatur cum chamæmelis: vel cum Nono oleum; &, inquit, si vigiliæ magis fatigant quàm somnus,oleo papaueris illinemus caput, aut calyces papaueris incoque oleo, &, si delirium vrget, serpillum. Vel ratione vigiliarum inferemus oleum violatum cum lacte muliebri: addi potest vnguentum populneum, vel requies Nicolai. Sed monet Razes ne vltra triduum oxyrrhodinis vtamur. Tunc enim, inquit, sternutationem mouebimus,& rasum caput illinatur sinapi cum castoreo ex aceto. Si pituitæ vis validior emicat, vincula artubus iniiciantur, & crura cum sale & oleo fricentur: & glandibus acrioribus irritetur ignaua aluus.Si inducias concedat morbus, vtraque materia paretur ad exclusionem: Accipe quinque radicum aperitiuarum,& liquiritiæ,cuiusque semunciam: coque ex aquâ ad sesquilibram,& aceti adiice quatuor vncias: amotis ab igne affunde betonicæ, melissæ, tussilaginis,cichorei,vel endiuiæ, scabiosæ,aut menthæ manipulum vnum aut alterum; florum cordi dicatorum cuiusque pugillum:macerentur tepidè totâ nocte:colaturæ adde syrupi de cichoreo cum rhabarbaro, vel syrupi de fumariâ vncias duas: syrupi de hyssopo vnciam. Deinde purga electario de sebesten, vel Indi,aut diaphœnici, & electarij de succo rosarum, singulis drachmis tribus. vel, Accipe agarici recenter trochiscati, rhabarbari, singulorum drachmam; cinnamomi, zinziberis, cuiusque semiscriptulum: hæc infunde vino albo & aquæ endiuiæ: manè adde colaturæ mellis rosati solutiui vncias binas:misce, fiat haustus. Tandem robur affletur capiti, temperiem restituentibus & his quæ exhauriunt id quod restibile est. Oleo itaque violato, nymphææ, costino, & lilino illinantur:his vt decet remixtis eâ lege quam exigit mistus humor morbificus. Incoquemus etiam satureiam, thymum, serpillum aceto. Auribus indemus etiam quid castorei ex oleo violato. sternuat, masticet, & gargariset. Vtatur pro potu hydromelite non robusto. sitque ratio victus anceps inter eam quam phrenitidi,eámque quam veterno dicatam esse voluimus.

CAPVT XIX.

De CARO.

INter cataphotica mala ὑπνώδη, hoc est, inclinationes in somnos, vt neque oculis neque cerebro lucem accipiant, sed semper noctem commissis oculis, siue dormiant siue vigilent, caros est habitus eximius semper. Hunc veteres ἀπὸ τῆς κάρης, hoc est, à capite nominauerunt,quia cerebrum occupari videbant cum phantasiæ exolutione. Etenim vt cœma est symptoma phantasiæ infirmæ,ita sanè caros abolitæ. Est enim caros omnis sensus motúsque *Definitio.* ablatio, illæsâ tamen respiratione; in quâ homo somno profundo opprimi videtur, oborta, duo in angustum arctantur cerebri sinus. Dixi illæsâ respiratione: nam maximè hac notâ abit ab apoplexiâ, quæ perpetuò consectariam trahit violatam respirationem.Scio tamen in vehementi caro percelli *Galen.4. loc.aff.2. & 5.loc.aff.2.* respirandi munus, sed tunc propè ad apoplexiam abeunt. Dixi cerebri sinus arctari: nam medius & anticus oppressi in carum abripere hominem solent: maximè autem media cerebri regio crimen habet. Hæc de naturâ mali, iam ad causas. Dixi in CAVSAE. arctum redigi sinus cerebri, innuens malum hoc suam hyparxin habere in violatâ organi confirmatione. Sed vnde illi sinus ita præter naturæ conni- *Galen 1. Prorrhet.* uent legem?id euenit infarctu, oppressione,vel sub- *29.* sidentia. Infarctus primordia sumit à materiâ quæ non solùm copia in vitio est (nam hæc comæ somniferæ est causa) sed & qualitate.Hinc est hoc symptoma exolutæ phantasiæ:nam exolutionis causa est prægrandis frigida intemperies quam acida pituita plerumque inuehit. Pituitam dico:nam cari natura & hyparxis versatur ἐν τῇ λύσει, hoc est,in resolutione:quemadmodum ἡ κατοχὴ ἐν τῇ τάσει,id est,in tensione. Atqui non existit ἡ λύσις, quin nerui madescant, vnde exoluitur tonos & robur eorum. Pronascitur autem hæc pituita à capite præfrigido & humido. Conuenit enim caros cum lethargo in generatione materiæ, non corruptione: quia non trahit secum febrem symptomaticam: at lethargus habet symptomaticam febrem: habet enim suam hyparxin in œdemate phlegmonoso,vt phrenitis in erysipelate. Quin non solùm à congestâ cerebro materiâ hoc malum surgit, verùm & à ventriculo, pituitæ sede: & ex intestinis: vel ab vtero, aut à totâ corporis œconomiâ algidâ madidáque. Argumento sunt serpentes, qui hyberni frigoris iniquitate in specubus correpti caro, minùs vegeti enecantur. Ita à pituitosis febribus surrigunt se succi & vapores crassi à toto corpore in caput quæ vigente febre exspirant. Proficiscitur etiam hæc calamitas ab inflammatione musculorum temporum: nam ibi omnium facillima cerebri sympathia,ex ossium tenuitate,vasorum amplitudine, & subiacentis cerebri vbertate, & neruorum virtute. Interdum non causâ infarctus, sed concidentiæ causâ in angustum sinus capitis se colligunt: cùm nimirum vi morbi animales spiritus exhauriuntur: quod non sine calamitosâ vi euenire solet. quod etiam atrocitati dolorum ascribitur per morbos acutos: quorum potententiâ, disiectis spiritibus, consectariam trahunt sinus conniuentiam. Prǽter has causas agnoscit carus

compressio

compressionem sinuum cerebri, & cerebri substantiæ oppressionem, à contusione vel fracturâ cranij. His consocia remotiores quasdam causas, vt alimenta stricto frigore algentia & madentia, quæ importunè sumuntur vel capiti admouentur. & ex opio, mandragorâ, fungis, cicutâ. Et etiam sub lunâ iacere capite plethoricis causis aucto: & à stomachi repletione validâ, & verminationes in pueris nonnunquã hoc efficiũt, &, vt dixi, locorum perstrictiones in fæ-
4. Loc. aff. 3. Signa. minis. Hæ causæ cari: iam notas aggredior. In caro antica cerebri potissimùm affliguntur; hinc est quòd phantasia, & per contagionem medij sinus cerebri cum primis, cogitatio lædantur, perítque sensus & motus, præterquam respirationis. Succedit carus plerumq; febrium paroxysmis: nam ita eum discriminat Paulus à lethargo, quòd consectarius sit vehementiori febri: at febris lethargo consectaria est. Attamẽ non nego interdum febris expertem esse carum, vt nec illa consectaria sit, nec præcurrat: cùm primarius cerebri morbus est: nam enascitur à pituitâ algidiore, citra putredinem: ita agnoscimus apoplexiam febris minimè capacem Sed tamen plerumque caros præambulonem haber febrem vehemẽtiorem, quòd alioqui crassior vapor non ita se cerebro immitteret. Magna caro cognatio est cum apoplexiâ: in ea enim nec mouentur nec sentiunt, nec intelligunt, nec meminere: idem fit in caro: Aëtius ait, si pungatur & nõ sentiat, erit apoplexia: sin punctionem sentiant, erit cari nota: quamuis non eius meminere in caro postquam paroxysmum euasere: nam in caro æquè aufertur memoria ac in apoplexiâ. Caro itaque occupati, dum punguntur, paulatim partem retrahunt. Notas autem causarum dico breuiter: si nulla cerebri compressio aut subsidentiæ sinuum causæ prægressæ fuerint, necessariò erit ab infarctu caros. si acerbissimo cruciatu tentatus fuerit ventriculus vel vterus, aut si exhausti fuerint, febris immanitate, spiritus, erit à subsidentiâ: hoc testabitur languens pulsus. Præterea facilè interstinguitur à lethargò, in quo interrogati respondent, nec omnino mutescunt. A comate verò; nam id perseuerat toto paroxysmo, & interloquuntur nonnunquam, audiunt, & mouentur subinde. Carotici non sentiunt, si quis illos tetigerit; attamen sentiunt, si quis punxerit: ita interpretanda est
4. Loc. aff. 2. illa Galeni sententia, vbi scribit, κ᾽ ἀν᾽ αἰσθητ@, κ᾽ ἀκίνητ@ ὑπὸ πάθων. Vltrò cùm oboritur caros plerumque causam agnoscit infarctum: sed num illa materia à congestione in capite enata fuerit, aut à ventriculo, vel à toto corpore capiti importata (quod euenit per febrium pituirescentium paroxysmos) propriis indiciis elucebit. Hæc facies mali &
Indicationes curatrices. causæ morbificæ. iam ad medelam. Diximus in definitione, cerebri sinus in angostias redigi per hoc malum: itaque suadebit ratio hos esse laxandos. Et si angusti fuerint ab infarctu, aperiantur. Quin ille infarctus si agnoscat materiæ copiam, ea excludatur: sin frigore stricto, vt fit, viscosa lentescat; incaleat, & abstergeatur & attenuetur Hoc modo ad exclusionem cùm parata materia fuerit, erit purganda. Dein impressa capiti temperies frigida erit castiganda, & id robore afflandum calfacientibus & siccantibus, vnáque ventriculus firmandus Sin mali causa fuerit collapsio sinuum ab exhaustu spirituum, illi fideli nutricatu erunt reuocandi. Si acerbus dolor vẽtris vel vteri disiecerit spiritus, ille mulceatur. Quod si opprimantur sinus à lapsu vel ictu, illud quod comprimit erit erigendum vel eximendum. Sed priusquam hæc in vsum flectantur, noscendum, non redintegrari valetudo pristina possit:
Prognosis. quare iam ad Prognosin. Hi tacito, attamen feroci exitio conficiuntur, quod agnoscens summus præceptor hoc ad disceptandum proposuit, cùm rogat,
τὸ καρῶδες (ἢ ῥάχε) πανταχοῦ κακόν; hoc est, an soporari vbiuis malum? Certè τὸ καρῶδες quod venit à prægrandi intemperie τοῦ πρώτου αἰσθητικοῦ, hoc est, sensorij primi, siue primigenia, siue consectaria sit vt in Hermocrate, siue à mutuâ contagione musculorum temporalium & cerebri, semper tale καρῶδες malum est. At ὁ καρώδης quod sine vllâ cerebri offensione fit, quæ firmiter fixa sit, sed tantùm leniter pressa, vt in ebrietate, & somno critico non turbulento, tale καρῶδ spem salutis præsefert. Nam fugat delirium, & cephalalgiam soluit, & in pueris febrem placat. Ita somnus altus ægréque excussilis à causâ non morbificâ, in ægris qui iam diu vigilant superueniens, nocte diéque perseuerans, magnum auxilium adfert. In infantibus etiam superueniens duobus seriatim diebus, remedium sæpè attulit. Quare καρῶδες significat symptoma morbi cephalici & arctioris somni necessarium excessum: vel etiam necessitatem dormiendi, quam peperit longa somni inopia, cum copia causarum somniferarum coniuncta, vt etiam liberalior vini vsus, vnde copia soporiferæ materiæ. Nisi dicere velimus, id ad coma referendum, cùm bonis ægrorum rebus à perennibus vigiliis superuenit sopor: ita nimirum, vt caros malus semper habeatur: nam ita carus perpetuò comate erit periculosior. Si ortum ducat caros ab infarctu, vt plerumque fit, excuti poterit, at à compressione vix curatur. Et qui à concidentiâ enascitur sinuum cerebri, periculi plenus est, cùm dolori, à quo nascitur, non facilè mederi liceat: nam vterini & stomachi dolores nonnunquam ægrè mulcentur. Cúmque morborum acutorum sanatio maxime in virium integritate spem suam habeat, & caros in hos incidat ex virium iacturâ, profectò in angusto sanationis spes erit. Caros dum ad melius se vertit, finitur plerumque citra periculum. Aëtius curatio- Curatio. 2. 2.
nem cari prosequitur Trallianus scribit eodem modo curandum, vt lethargus: fortioribus tamen attenuantibus & incidentibus id præstandum. Imò curetur vt coma somniferum ferè. Actuarius venam pertundi iubet, si adsit febricula, inquit, & temperamentum, anni ratio, & ætas permiserint: exiguâ tamen copiâ. Alioqui quis in caro emittet sanguinem? certè nullus: nam frigidior est materia cari quàm lethargi: neque enim putrescit. Si sit symptoma, respondeat curatio medelis phreniticis. Vt si incidat in cotidianam, vel hemitritæum, aut tertianam notham, secetur vena: & cucurbitæ humeris apponantur. Initióque oxyrrhodina adferantur capiti: mox oleo calido cum succo rutæ fiat illitus, & inspergatur puluis ex castoreo, euphorbio, chamæmelo, caryophyllis, nuce moscatâ, stœchade, betonicâ, calamo. Et ineunte hoc tædio fiant frictiones validæ brachiorum & crurum: ita fatigatis partibus vincula iniiciantur. Olfaciant acetum forte. Sed natura febris, cui consectarius est caros, perspecta sit. Initium itaque huius consectarij cari, ciúsque finis admittet eadem, quæ phrenitis remedia; sed cùm suum percurrit statum, vigiliæ erunt concitandæ, frictionibus & agitationibus, pilorum tractu, enematum vsu acriorum; primus tamen clyster esto mollis. Dein rasum caput abluatur, decocto foliorum lauri, maioranæ, chamæmeli, stœchados, ex lixiuio. Dein perfricetur caput oleo rutæ, cui insit castoreum; mox hoc puluere aspergatur caput: Accipe capillorum humanorum combustorum vnciam; castorei drachmas binas: succo rutæ exceptis, posticam & anticam partem capitis illine. Excitetur olfacto humanorum capillorum qui macerati fuere aceto: qui exspirẽt super prunas tetrum odorem. Tandem roboretur cerebrũ conseruâ acori, diamosco dulci, theriacâ, mithridatio: & foris, oleo

castorei, rutæ, chamæmeli, irino. Si fuerit à primigeniâ obstructione, parentur succi saluiâ, sampsucho, rosmarino, hyssopo, stœchade, primulâ veris, decocto satureiæ, pulegij, cum seminibus quæ excutiunt ventos, cum passulis, seminibus carthami, agarico, polypodio: adiice mel. Si fortiùs purgare velis, vtatur pilulis sine quibus, solutis aquâ saluiæ. Et quædam horum incoquantur aceto, cuius vaporem sorbeant nares. Robora dein mithridatio cum conserua saluiæ, rosmarini, betonicæ: vel sumat manè theriacæ drachmam. sinapismus capiti imponatur. Sit calidior hic cibus, quàm cùm ex putidis succis flammat febris, quamuis illa segnis. Parum sumat; & id optimè coquat. Eluatur perpetuò aluus, ne

Ex ventriculo. quid vaporum se erigat in caput. Si fuerit à ventriculi vitio, vt si ille antea doluit, irritetur ad vomitum: vel detur hiera cum oleo: vel eo fauces ex pennâ irritentur. Sin ægrè vomat, sumat hieram cum melle tosato, & decocto hyssopi. Dein oleum tosatum & acetum fronti tepidè impone. & enemata acriora abducant fœditates. frictiones tunc proderunt & cucurbitæ. & olea calida vnáque cataplasmata stomacho imponantur. Si ab vtero ortum duxerit, & si ille ante doluit, reuellendum erit, & balneis indulgendum: si menstrualis sit mulier, & ab eâ cloacâ querela, euocentur menses: & emitte sanguinem ex saphænâ venâ.

A veneno. A venenoso edulio obortum cùm fuit malum, propinetur alexeterium, vt theriaca: & cicuta si hoc vitium fecit, porriges vinum giluum: si fuerit ex opio, dabis mithridatium ex vino: si hyoscyamus, da aquam theriacalem, cum pauco croco & castoreo: vel aquam cinnamomi cum theriacâ. Si à fotis admotis ita stupeat cerebrum, illinatur caput oleo castorei, & aquâ vitæ. A subsidentibus in se sinibus cerebri cùm ortum ducit, tunc, quia exhausti sunt spiritus, recreentur vires prostratæ: ideoque ne verearis propinare parum vini, efflorescente etiam paroxysmo: modò valida phlegmone non prohibeat: tunc enim succus à carne elisus vtilior erit: vel ille qui ex semiasso armo veruecino sæpius confosso emanat. Ex vino & aceto odorem hauriat. A paroxysmo solidorum ciborum vsum ineant.

CAPVT XX.

De CATOCHE *seu* CATALEPSI. *Recentiorum* CONGELATIONE. *vel* STVPORE VIGILANTE.

NOMEN. QVidam hunc affectum κατοχὴν vel κάτοχον, alij κατάληψιν vocant, ἀπὸ τοῦ καταλαμβάνειν, quòd eo habitu manent quo correpti erant. Et quælibet harum vocum est homonyma. vocis itaque πολυσήμου certa & distincta constituatur significatio, quâ vniuocè sumi possit. Duo significat catoche; nimirum congelationem, & coma vigilans, auctore

3. Lib. 10. & 6. Æginetâ; qui scribit veteres κάτοχον appellasse hanc passionem quam recentiores κατοχὴν, quam nunc congelationem dicunt; de quâ nos agimus iam: sed qui Galenum antecesserant, vocabant catochi no-

Prorrhet. 1. 56. mine Coma vigilans. Ita scribit Galenus Archigenē & Philippum catochum à comate distinxisse: iterumque eodem libro, vbi scribit Hippocrates, capite dolentes, cum catoche delirantes: id interpretatur de eodem affectu quem descripserat Hippocrates

33. Prorrh. his verbis, Tremulæ, obscuræ, blandæque, & ψηλαφώδεις, id est, tractabiles desipientiæ, valde phreniticæ, vt Dydimarcho in Co obuenit: loquitur de comate vigili. Quin catalepsis nonnunquam significat subitariam vocis interceptionem, cum sensus & motus fraudatione, quam ἀφωνίαν Hippocrates vocauit, veteres ἀπόπληξιν, quæ est secunda apoplexiæ species; cùm spiritus vitalis à cerebro arcetur, hanc phlebotomia sanat. De his non ago iam, sed de congelatio-

Prorrhet. l. 1. 60. ne. Quin apud Hippocratem symptomata catocha, non solùm dicuntur, quę vocatam hanc inferunt catochen; sed & illa etiam quæ fiunt firma & fixa. Nos hîc de eâ passione, quâ detenti κάτοχοι & κατεχόμενοι dicuntur.

QVID sit. Quæ Catoche vel Catalepsis propriè dicta, est subita quædam facultatis animalis detentio, tactu, motu, imaginationéque ablatis, in quâ ægri eo charactere ac habitu quo apprehensi sunt immoti permanent, affectis maximè posticis partibus cerebri. Stupendum profectò genus mali, quo instar marmorei saxi, quis constringitur ac gelatur subitò: dicas Medusam occurrisse, ac in rigorem hominem obstupuisse. Huius morbi ideam imitatus videtur Socrates, cùm exerceret se in vestigiis patientiæ: nā à Sole oriente in alterum Solem inconniuis cōstitit oculis, eudémque vultu, & in iisdē vestigiis. Narrat & Philostratus Brachmanos Indorum, ab ortu in occasum vsque Solem intentis oculis contemplari, rimantes secreta quædam in flammifero eius orbe.

Definitionis explicatio. Dixi in definitione motū auferri & tactū: nam spiritus animalis in singulis partibus, nec solo cerebro, à valido frigore & siccitate concrescit, & ad traiiciendum neruos, & etiam in motum ciendos minimè aptus

Differt à tetano. euadit. Hoc autem differt à tetano, quòd hîc musculi immemores sint sui officij & in otio: at in tetano, etiamsi nihil agere videantur musculi, validè tamen insurgunt, non aliter ac auis pendula in cælo, pansis minimėq; concussis pennis volat. Quare tetanus est à deprauato motu musculorum: at catoche à motu abolito. Et vehementer percellitur sensus tactus: nā,

Prorrhet. 1. 2. 56. vt perhibet Razes, nec etiam puncti sentiunt: & Galenus scribit illos audire & videre, non tamen sentire. Phantasiam etiam concidere dixi: resolui enim

De diff. symp. 3. hæc vis ab hoc malo videtur. Quin dixi esse subitam detentionem animalitatis: nam catoche est symptoma quod in γνώμαις & conseruari depēdet ab infar-

3. Loc. affect. 7. ctu. Demonstratio huius rei hæc est, quod citò fit, citóque desinit, ad intemperiem referre non licet.

Dubium. Dixi posticas cerebri partes maximè affligi: sed dices, Igitur memoria magis labefactari debuit, quàm imagi-

3. Loc. aff. 4. 12. artis medic. natio. Respōdeo, Siccitas imaginationi inimicior est quàm memoriæ: vnde, quamuis affligatur memoria,

CAVSAE. magis tamen imaginatrix percellitur. Causas mali iam venemur. Idem certum est quod de catoche Philippus & Archigenes memoriæ prodidere, eam in tensione quam siccitas fecit consistere: quemadmodum omne symptoma cataphoricum, in exolutione virtutis nerualis, à nimio madore natâ. Sic in catoche quasi constricti gelu obrigescunt homines, eóq; situ quo deprehensi à morbo fuerant, perseuerant. Hoc fit à stricto quodā frigore & siccitate quâ percellitur cerebrum; hinc tēsio præsertim musculorum ophthalmicorum, vt & cæterarum partium. Nam nō solùm cerebrum, sed etiam spiritus animalis in singulis corporis partibus concrescit, ac ad permeandū minimè aptus euadit. Id verò non fit quòd in arctum adducantur cerebri sinus à squalidâ ariditate ac frigore: nam si id foret, non ilicò ad se rediret homo: cùm malum duret tam diu, quàm perseuerat eius causa. Quare necessariò à conglaciante materia aliqua, primordia ducet. Aëtius existimat hanc materiam esse melancholiam (est enim sine dubio hæc

Paul. 3. 10. frigida & sicca) infarctu cerebrum fatigantem. Ita & Paulus existimat posticam cerebri sedem à frigidâ siccáque materiâ obturari: alij putant

Prorrhet. 1. 2. 56. venas & cerebri arterias copiâ melancholici succi nimium rigari. Galenus melancholiæ hoc ascribit,

citra

citra adustionem quæ nata fuit: imò potiùs ex eâ, quæ congelatione orta fuit. Sed profectò hæc morbifica materia corporeâ mole non grauis videtur: etenim λύσιν potiùs adferret quàm rigiditatem neruorum, si humor densus in cerebri sinus subitò illaberetur eâ copiâ quâ rigidum reddat corpus totum. Itaque potiùs flatulenta est hæc huius morbi causa, vt rectè asseruit Arculanus, sicca, melancholica: vel, vt putat hic auctor, vapor elatus è phlegmate vitrao, non putredine contaminato: nam nonnunquam ternis horis hoc malum cedit, citra vllam euacuationem sensui conspicuam. Hæc flatulenta gelidaque materia, vel congeritur in cerebro, vel illi aliunde infertur. Congeritur, cùm cerebri fractus titubat calor cum siccitate, vnde fœcundum redditur in crassos vapores, qui in ventriculos cerebri irruentes, eosdem tendunt, & spiritus congelatos immobiles reddunt. Si aliunde inferatur vapida illa materia cerebro, ea immittetur à toto corpore, vel à parte aliquâ peculiari; attamen quacumque ratione hæc cerebrum innaserit, tamen catoches auctor nunquam erit, ni comitem trahat frigidam siccamque cerebri intemperiem. Quare rigidi perseuarant tacti calamitate hac homines, quia congelantur illi vapores melancholici permixti spiritibus animalibus, non sina impensè algidâ siccâque cerebri intemperie.

Dubia. Sed dices; si hæc certa origo mali, itaque melancholici omnes fient cataleptici. Respondeo: non omnis melancholia tam validam comitem trahit cerebri intemperiem: nisi hæc per idiopathiam afflixerit: quin tunc hæc in catochen abire poterit, auctâ intemperie frigidâ. Sed dices: vbi adest melancholica, hæc abit in mentem, vel in epilepsiam:

3. Loc. aff. 7. Hic adest melancholica materia: Itaque abire deberet in epilepsiam: sed consequens est falsum: igitur & antecedens. Respondeo: melancholicus vapor hîc concrescit valido à frigora, & posticæ partes maximè affliguntur cerebri: at in epilepsiâ & anticæ &

4. Loc aff. 1. posticæ æquè laborant. Quin, dicet aliquis non videtur à vapore nasci malum hoc, sed potiùs à siccitate & frigore comprimente, vnde fit tensio ventriculorum cerebri: vel saltem erit à compressione, vel subsidentiâ sinuum cerebri. Respondeo: excludi has causas ab origine huius mali satis demonstratum est

3. Loc. aff. 7. & 1. De caus. sympt. vltimo. à Galeno: nam citò fit, & citò desinit: itaque non erit ab intemperie solâ, nec à compressione, nec à subsidentiâ: sed ab infarctu. Sed regeres; cùm adest maxima frigiditas & siccitas, arctatur cerebrum: At hæc adsunt in hoc malo: Itaque ab arctatione, & non à materiâ fiet. Respondeo: Id si fieret, non ilico ad se rediret homo: quia tam diu durat vt causa: sed ternis horis interdum cedit: quia materia est flatulenta. Sed hoc adferes ex Hippocrate: vbi ex ictu

7. Aph. 14. fit affectus, nulla materia in vitio est: At catoche oritur ab ictu, auctore Hippocrate: Itaque non à melancholiâ, sed à compressione. Respondeo: Hippocrates illum affectum ἔκπληξιν, hoc est, obstupescentiam appellat: Homines quidem, vt ibi scribit Galenus, manent oculis apertis, ac quasi attoniti, vt hi qui valido metu percelluntur: & decidunt instar mortui in terram: nam, dicit ibi Galenus, indicium est, quòd ictus penetrauit in cerebrum. At in catoche eodem habitu, vt compositus erat homo

1. Pror. 46. perseuerat. Sed nonno scripsit Galenus condiscipulum suum ex studiis immoderatis in hoc malum incidisse? sed illa auctores sunt intemperierum. Ita est,

2. Aph. 3. sed vnâ trahunt copiam melancholiæ. Sed vrgebis nos: Galenus scribit, vt vigiliæ nascuntur ab intemperie calidâ cerebri, aut ob humorem biliosum, ita eodem modo catalepsis fit ab intemperie; si itaque vigiliæ referuntur in temperiem, ita & catalepsis. Dico rationem clamare non nasci ab intemperie solâ hanc calamitatem, quòd citò fiat: itaque opus esse dicimus materiâ frigidâ & siccâ vapidâ, consociatâ intemperiei cerebri, quæ crassefaciat, congelet, & inurat maius ei frigus: quin cùm tali in cerebro cespitet calidi vis, surrigunt se flatus frigidi & sicci, hi tendunt ventriculos cerebri. Sed quid igitur Galeno ibi in mentem venit, vt solius intemperiei meminerit? Certè Galenus ibi ad causam huius mali mediatam, non autem ad immediatam collineauit. Itaque in catoche locum suum agnoscit intemperies frigida & sicca, sed non immediata, attamen quia hinc surgunt flatus melancholici. Collimat enim Galenus ibi ad caput curationis: vt, vbi vigiliæ à calore, hoc deleto, vigiliæ cedent. Cùm exstinguitur frigida & sicca intemperies in cerebro, cerebrum curatur à catoche, & extra hoc periculum ponitur. Itaque arx curationis erit, frigoris cerebri castigatio. Quare catoche refertur immediatè in obstructionem & tensionem, obortam à flatu melancholico, qui surgit à labefactato calore, ex vitio frigido ex quo laborat cerebrum: & spiritus animales concreti, antiqui motus immemores redduntur, ob immixtos flatus. Attamen dices, vbi nascitur malum, quòd aliunde importatur materia, id non eget intemperie vllâ: quare à solâ materiâ citra capitis intemperiem enasci poterit catoche. Respondeo: Vt fiat catoche, non sufficit materiæ copia, sed opus est gelu quodam, quo maximè algescat vapor hic morbificus: etenim marmoris more perdurant homines frigidi ab hoc malo: itaque vaporum melancholicorum congelatione opus est: hoc fit à frigidâ & siccâ cerebri intemperie. Alius dicet, Aëtium scri- *2. 2. 4.* psisse, quendam catalepticum decubuisse tres dies, quarto euasisse hæmorrhagiâ: itaque & ex sanguine venit. Dicimus Aëtium non loqui de verâ catoche, quæ fit exquisita: sed respexit ad obstupescentiam ex compressione posteriorum ventriculorum cerebri, ad differentiam cari: nec aderant signa veræ catoches. Quin obiici possit; à pituitâ & bile, omnium ex sententiâ, enasci hoc tædium. Respondeo: eos loqui de comate vigili, quod etiam catalepsin vocabant. Nam à bile corpus non stupet in im- *4. Loc. aff. 2.* mobilitatem: & certè à pituitâ laxum potiùs quàm rigidum redditur. Est præterea catoche quædam fir- *Ab exhaustio.* miter semper fixa nec lauiter pressa, quæque exhausto cerebro humore primogenio, facit vt attoniti stupeant, eodemque statu maneant quo deprehensi fuerint, vt videre videantur, nec videant tamen. *Externa*

Inter causas externas est aër hybernus, aquilo- *causa.* niâ tempestate asper. & pluuia algida impetu procelloso feriens caput. & cælum ningidum grandinosum. Ita qui hyeme per Alpes iter faciunt, gelicidio concreti animam interdum efflant: & equis insidentes distenti manent cadauerosi homines ac frena tenentes. quin & vnâ equi gelu rigentes in vestigio consistunt mortui. Nam spiritus animales afficiuntur in hoc vitio ipsi, & quasi concrescunt à frigoris siccitatisque vi: propterea enim minimè apti euadunt spiritus vt abducant vim sentiendi & mouendi in partes neruosas; sed iisdem locis quibus intercipiuntur, quieti manent, & hæ partes rigidæ fiunt. Liberalior frigidæ potus stomacho ieiuno inter causas quæ à foris sunt referri etiam potest. quin fungorum esus, aut torpedinis. Nidor etiam argenti viui. & cerusæ, aut vsus opij vel mandragoræ. Et qui aquam fœtidam fatigari potant, hanc noxam accersunt. aiunt etiam ex vermibus intestinorum aspirari hanc fœditatem. & in febrium paroxysmos incurrit interdum catalepsis. Hæc de causis: ad differentias pergo. Propriæ hîc differentiæ nullæ sunt: *Differentias.*

nam catoche vnicam agnoscit causam. Attamen inuenias catochen debilem, & fortem. Debilis, vt testatur Serapio, non omnino aufert sensum & motum. Nam quidam ingemiscuot, alij iussi linguam exerere nituntur, alij obtusè audiunt, sed muti & immoti: quidam manus mouent. Quidam, inquit Fernelius, dum literis sedulò inuigilaret, repentè hoc malo perculsus, ita quidem obriguit, vt sedens calamumque digitis premens oculis in libros desixis putaretur in eorum studia incumbere, donec impulsus deprehensus est omni sensu carere. Alterum mortui ritu iacentem inuisi, qui neque cernebat, neque audiebat, neque compunctus sentiebat quicquam: facilis tamen inerat spiratio, & quicquid in os inserebatur, promptè vorabat. è lectulo sublatus solus cõsistebat impulsusque incedebat, & quocumque vel manus, vel brachium, vel crus inflecteretur, illic quasi fixum & stabile permanebat. Expressam quandam dixisses statuam, aut arte progredientem statuam. Vna itaque causa catochen facit, sed an non flatus illi vnde catoche, vel congeri in capite, vel aliunde importari puterunt, vt inde differentiæ catochæ nascantur? Profectò si aliunde afferentur capiti, catoche non nascetur, ni adsit valida cerebri immoderatio à frigore & siccitate: etenim non satis est vt vaporum adsit copia, verùm opus est prealgido frigore: Hoc volo, flatus cerebro immissi longè ibi frigidiores reddi debeot: nam marmoris instar algent homines isti. Itaque vaporũ congelatione opus est. Differentiæ communes: Est vitium hoc redintegrabile, attamen vehemens: oam valido infractu tenentur, & longus adest à naturæ lege abitus in parte principe. Contagio abest. Cerebro est analogon à frigore, at minimè à siccitate, affligit per idiopathiam cerebrum. Iam ad symbola quibus noscitur hic affectus abeamus. Hi stupent attoniti, hisque est impotentia conniuendi à siccitate & frigidâ intemperie contrariâ comati, quod cernitur in cooiuentiâ penè innitâ planeque iniusiâ. Sed catochi palpebris nunquam cooniuent, oculosque ostentant firmiter fixos atque immobiles. Quamuis scribat Paulus, clausis oculis deptehensos, ita manere: quod tamen negare videtur Galenus, cùm ab hac nutâ illi abire videatur à cato, dum ait, * ὁ μὲν κάρος, ... τῶν βλεφάρων ... ἢ ἀγρυπνῶν. Quare Paulus de comate vigili illud protulit: nam dicit hoc ita ab antiquis vocatum fuisse. Subitò in hoc malo homines sensibus cunctis exuuntur, licet vigilantis imaginem præseferant, ea quâ prehensi forma perseuerantes. Vt si priùs genu vel brachium flexerant, eo in flexu perennant; os si fuerat apertum, ita perseuerant. Mera idola sunt. Adnitere vt deprehensi inflectas brachium, flecti non poterit: hoc non fit in apoplexiâ: & oculos claudunt apoplectici. Aspicite oculos: nam semper oculi catochurum sine palpebratione aperti consistunt; eiusmodi esse solent eorum qui magnâ cootentione aliquid intuentur. At comatosorum oculi sunt planè grauati, nec potis est ipsos continere apertos & palpebris explicatos. Sed catoche ἐν τῇ τάσει, vt coma ἐν τῇ λύσει consistit. Motus primatiâ ratione aboletur hîc, quòd sit affectus postremâ cerebri parte conceptus: gustus & tactus, quia propius recessere à materiâ, magis percelluntur, quàm visus & auditus: maiori enim facultate iis opus est. Respiratio leuiter impeditur, nec pulsus admodùm extra naturæ lineam abit; nec faciei color in plurimis mutatur admodum. Aluus & vesica immemores redduntur officij sui, sopito à sensu. Hæc tabella lucidè sopotiferorum affectuum discrimen dabit:

Historia.

4. De loc. affect. 2.

** Hoc est. Catos conniuentibus fit palpebris at his apertis catalepsis.*

Vt differat ab eam.

4. Loc. af. 2.
4. De causis pul. 16.

Signa.

In soporifero affectu respiratio si fuerit
- læsa, erit apoplexia.
- libera, tunc oculi vel erunt
  - clausi, & tunc vel
    - adest febris, nec superuenit alteri morbo, & erit lethargus.
    - adest febris, & post alium morbum accessit, vel est cum paroxysmo febris: tunc caroticus æger est.
  - aperti
    - cum rigido corpore, tunc catoche erit.
    - non rigido corpore, partim vigilant, partimque dormiunt; erit agrypnon coma

Indicationes curatiuae.

Deinde naturâ mali deprehensâ, ad curationis scopos nos vertemus. Flatus quia melancholici tensionem in cerebro faciunt, illi erant discutiendi. Præterea nascitur occasio castigandi intemperiem cerebri, ne nooui flatus insurgant. Vnà etiam videndum vt melancholica materia euacuetur. Sed tamen primùm de toto habenda est prouisio. At priusquam remediis agamus, prudenter transigendum, videndumque num sperabilis sit sanitas. Videtur ex naturâ passionis, indicationes has absolui posse, cùm mali causa sit dissipabilis flatus. Attamen fortis catalepsis vix, imò ne vix quidem, curatur, ob principatum cerebri. Secundò si iam superuenerit, hominem abripit: non enim natura potis est bis affligi in tam prænobili arce exitiali bello. Præterea non bono loco sunt catochi in febre: nam huiusmodi ferè sunt à translatione materiæ siccæ, quæ ipsos & ἀτόνους, id est, rubicundos reddit & cephalalgicos: deinde à suppressione alui quæ cephalalgiam auget, peioremque facit. Et talis catoche, non ita multò post conuulsionis successionem habet. Si in febrim inciderit, grauis est qui fit in algore; minùs grauis in tremore: minùs offendit si citra algorem fiat febris insultus. Quod autem prodidit Aëtius, hanc periculi pleniorem esse lethargo, & quòd affirmat pulsum deficere in languorem: is potiùs de melancholicâ phlegmone differit, quàm de catoche: vt qui admonet capiti papauer. Si itaque redintegrabilis spes adsit salutis, felix accedat manus medica. Quoniam itaque demonstrauimus materiam quandam hîc cerebrum fatigare cum intemperie frigidâ & siccâ, erit euacuandum, & alterandum. Ratione conceptæ cerebro materiæ flatulentæ, notio nascitur hanc eximendi: & influxuræ, si ab ea metus; & adhuc influentis, auertendi. Conceptam materiam tollemus euacuando: influxuram auertemus trahendo irruentem ab affectâ sede humorem. In vsum itaque euocanda auertentia, euacuantia, & insidentem cerebro materiam resoluentia. Nec hîc cuoctanter agendum, nec à paruis auspicandum; ni enim iuues, occideris si curabile malum. Horum autem remediorum quædam dicata sunt curationi, hoc est, paroxysmo: alia autem præseruationi. In præsente atque vrgente paroxysmo vtemur medelis veterni, hoc est, calidis & siccan

Prognosis.

Curatio.

Galenus.

Ratione paroxysmi praesentis curatio.

siccantibus: nam flatus disiici debent: quare ab humidis paa sit. Præscribatur validum clysma, ex thymbrâ, thymo, pulegio, fumariâ, aniso, fœniculo, epithymo, rutâ, polypodio, elleboro, senâ, colocynthide; coquantur ex iure galli veteris: colaturæ adiice oleum chamæmeli, electarium ea lauri baccis, Indum maius, vel hamech. Si lenioris programma exigas: Accipe mercurialis, betæ, chamæmeli, anethi, epithymi, stœchados, cuiusque seminanipulum; polypodij vncias tres; senæ semunciam: coque ad tertiæ partis exhaustionem ea aquâ: huius decocti accipe libram, catholici, mellis anthosati singulas vncias; olei lilini vncias tres: misce, fiat enema. Sed glandes commodiùs admouentur ex hicrâ, diacolocynthidos semiscripulo, & salis drachmâ, cùm vnciâ vnâ mellis puri.

Cautio. Cautio tamen adsit: Si febris iuncta fuerit, præstat eam priùs abire, nec antè per os aut sedem quicquam infundere, & solùm, dum paroxysmus febrilis placetur, frictionibus crurum vti.

Topica. Inunctiones & fotus fiant ex calidis & siccis remediis. Accipiemus, ea sententiâ Razis, oleum sabacinum, hoc est, iasminum (calet enim secundo recessu) cuius duodenis partibus, vnam iunges euphorbij: vt, Accipe olei sescunciam; euphorbij drachmam. ita etiam castoreum remiscemus ob flatus. Accipe olei rutæ vnciam, olei spicæ, aquæ vitæ, singulas semuncias; castorei, euphorbij singulas drachmas: misce. Commendatur à peculiari vi oleum lilinum: prodest & chamæmelinum, laurinum. Maximè posticæ parti capitis fomenta admouebimus, occipitio raso ad postremam suturam: Ibi infundes decoctum betonicæ, calaminthæ, verbenæ, lauri, lauendulæ, satureiæ, hyssopi, chamæmeli, meliloti, sabinæ, maioranæ, senæ, sinapi: tres vel quatuor ex his coquantur ea aquâ & vino. Eatersus locus illinatur oleis iam dictis; vel Accipe olei lilini, & aquæ vitæ, singulorum binas vncias; castorei drachmam; euphorbij semidrachmam; sulphuris drachmas duas; fimi columbini semunciam: misce hæc, & stupis cannabinis aptetur occipiti. Illitus etiam fieri poterit ex oleo carui destillato, quod remisceatur cum oleo castorei. Fouere quin occiput licet ex aqoâ vitæ. Poterunt oleo incoqui thymbra, hyssopum, castoreum, ammoniacum, bdellium, myrrha, iris, cum vino.

Ptarmica. Sternutet ea elleboro nigro, cum pipere, cumino, sinapi. semen nigellæ naribus imponatur exhibeatur etiam aliquid quod discutiat flatus: Accipe theriacæ drachmam; mithridatij scriptulum, infundatur cum aquâ cardui benedicti, ab enemate exclusо. vel detur quid diambræ aut diamosci cum aquâ theriacali. Si effœtus fuerit senex, propina aquam vitæ, modò metus absit fundentium se humorum: sit pura hæc aqua, & sæpiùs destillata. Frictiones fiant dorsi & extremorum artuum: qui etiam vinculis istitentur.

Ab externis. Clamores fortes dissipant flatus. Si fuerit à fungis, vomat, & enemate eluatur. Si sit à frigore externo congelatus homo, statim in solium dimittatur aquæ putealis: etenim hæc tepet si cum stricto hoc corporis frigore committatur. Nam si alioqui subitò calidis dimittantur partes, putrescent: hoc in Noruegiâ & sub polo vsus deprehendit. Dein sensim solio affunde tepidam, & oleum chamæmeli, liliorum, vel lini, aut lumbricorum, & sambucinum; vel bruti animantis sanguis immittatur. Cautio sit ne fatigentur balneo: nam vitæ spiritus his euanidi sunt. Dein occiput & spinæ filum illinantur oleo laurino cum medullis, & pauco oleo laterino. Theriacâ fricetur os: rutam inde naribus: auribus instilletur castoreum. Gallinaceus per dorsum scindatur, & aspersus puluere caryophyllorum, cubebarum, & calami, raso capiti imponatur: id ter repete. Cautio vbique sit de aceto, ne hoc vnquam admouendum in hoc malo potes: ne pauci spiritus restibiles exstinguantur: abstinendum enim à repercussione, cùm humor vapidus à frigore algeat. Atque hæc erunt tentanda, quò euinci possit acerbissimus huius paroxysmi insultus. Iam mitescente malo, vel eius in metu, aliam curandi seriem trahemus.

Ratione præseruationis curatio. Etenim præseruationis ratione, opus est calidis & humidis cephalicis remediis. Vtilis est hydromelitis fœnicularij potus: nam hic minimè collineamus ad vapores, qui iam minimè in vitio sunt, sed ad castigationem intemperiei frigidæ algidæque. A paroxysmo fiat balneum ea oleo communi: & cùm omnino euigilauerit à feroci hoc malo, coctioni succorum & eorum euacuationi studebimus.

Preparatio. Tunc præscribantur syrupi de epithymo, fumariâ, stœchade, buglossâ: ex decocto melissæ, lupulorum, betonicæ, apij, fœniculi, calaminthæ, anethi. vt, Accipe radicum buglossi, calaminthæ, fumariæ, singulorum sescunciam; florum stœchados, buglossi, cardui benedicti, epithymi, singulos manipulos; seminis fœniculi drachmas sex: hordei mundati vncias duas; passularum sescunciam: coque ea aquâ buglossi & betonicæ ad libram; sub finem adiice parum vini, quod nucem myristicam affusam habuit horas duodecim: colaturæ affunde syrupi stœchados, & epithymi singulas sescuncias: fiat potus.

Purgans. Purgetur decocto fumariæ, lupulorum, polypodij, senæ, epithymi: in hoc diasena soluatur, vel confectio hamech, & catholicum: cum syrupo de stœchade. Hæmorrhoïdes si antè se fundebant, cieantur.

Corroborantia. Restibilis tandem intemperies corrigatur theriaca, vel mithridatio cum conseruâ boraginis: & diamosco dulci, pleres archon cum musco commendatur, & conserua radicum buglossi. Bibat parum vini maluatici, vel Hippocratici. Accipe specierum lætificantis Galeni drachmam; conseruæ buglossi vncias binas: nucis myristicæ scriptulum, infunde maluatici vini sesquilibræ horis duodecim: ter bibat de die. Aqua & radix angelicæ, cum melissa infusa. Vino indatur maiorana & betonica, eaque à vi splendescentia. Inungat occiput oleo lilino, chamæmelino, amygdalino, sambucino: his immacerata sint thymus, hyssopum, serpillum, flores buglossi: adiici interdum poterit quid vnguenti althææ. In hoc malo proderit aër calidus: quin panni calidi toti & capiti applicentur.

Victus. Cibus exactè tenuis in morbi paroxysmo præscribatur, & attenuans, flatusque discutiens. Hydromel propinetur fœniculi quod bibit vim vel semel die nutriatur iusculo pulli in quo cicere decoxere. Ratione verò præcautionis sit victus humidus & calidus, quò cedat squalida algidaque immoderatio. Ab acetosis cunctis abstinendum, vt & ab aliis siccantibus. Vinum bibat album, tenue, subastringens: de præseruatione loquor: nam Galenus scribit, vino fuluo igneoque

3. Simpl. se curasse catalepsin. Aër in præcautione huius mali sit calidus & madidus.

Caput XXI.

De Vertigine.

Nomina. VErtigo ab accidenti nomen sumsit, quòd repentinas gyrationes oculis ingerat: Græcis δῖνος: cum caput falsò circumrotari videtur. σκοτόδινος vel σκοτοδινία constat duobus, δίνῳ & σκότῳ (nam σκότωμα pro vtroque accipiunt) in quo falsò creditur circumagi caput, ex falsâ imagine; ac veluti spectris quibusdam visorum mendacium ludun-

tur caligantes oculi. hæc Cælio Aureliano dicitur scotomatica passio: Hippocrati ἴλιγγος, nam Hippocrati ἰλλαίνειν, est oculos peruertri: à dictione ἴλλος, quod est oculus apud Iones, auctore Polluce, aut ab ἴλλω, hoc est, voluo. Est autem vertigo facultatis phantasticæ praua actio, affecta cernendi vi oculisque caligine offusis, non sine lapsus periculo, orta à conniuentibus cerebri anticis finibus. Definiuimus ad phantasiam hoc symptoma pertinere: falsæ enim imagines visorum mendacium ludunt vim τῆς φαντασίας, ita vt cuncta & se circumrotari existiment. Nam spiritus ministri, τῆς φαντασίας, in anticâ hac parte turbulentè mouentur à flatu impuro. Etenim vis illa, τῆς φαντασίας diffundit suas vires in externa sensuum instrumenta: ita vt eorum simulachra impressa concipiat. nam τὸ πρῶτον αἰσθητικὸν, hoc est, ea pars animæ quæ sensu viget, eadem & phantasiæ, & appetitus & motus facultates habet. Præterea definiuimus hanc esse Prauam actionem. nam animales spiritus, quasi tumultuarie quodam motu agitantur, ac veluti vi feruntur, impuri redditi à fumido vapore: cuius vi finus cerebri conniuent. quare sedis domiciliique angustiâ, exitus spiritibus impeditur; inde tumultuantur illi, & in gyrū se voluunt: hinc vertigo & deprauata phantasia. Adiecimus definitioni, Affectâ cernendi vi. nam spiritus qui tigant oculos affliguntur ab angustiâ & à vaporibus: illisque commisti, horsum, vorsum voluunt. Quare cùm vacillant spiritus, simulachrorum visibilium vehicula, cuncta ita etiam gyrare videntur. Hinc vel deprauatur visio, vt in hac circumrotatione fit: vel aciditur vis cernendi, vt cùm quasi per nebulam vident: vel visus aufertur, & dicitur vertigo tenebricosa, hoc est, ἴλιγγος & σκοτόδινος. Definiuimus, Cum lapsus periculo. contagione posticæ partis cerebri: nam ni fulcro arrepto sustineant se, labuntur. Scripsimus in definitione, A finuum cerebri conniuentiâ id fieri. nam sit ilico, iterumque abit: hoc ergo non à dyscrasia, sed à violatâ conformatione. Est itaque hic parua obstructio, maior est in epilepsiâ, at maxima in apoplexiâ. Ita quidam morbi breuissimo euanescunt spacio. Iam ad causas huius mali propiùs accedamus. Circumagitur spiritus animalis in semiangustiam arctatis finubus cerebri à flatulento spiritu atque maligno. Flatulenti huius spiritus generatio & impulsus vel est indigena cerebri, vel aduena sursum infernè translatus. Indigena est à repletione particulari, vel intemperie & cacochymiâ quadam malignâ firmiter fixâ, qualis esse solet tinctura lanarum veneno Assyrio fucatarum: qualis vertigo in cephalalgiâ sine febre & echus varietate, prænuncia esse solet vel epilepsiæ, vel apoplexiæ. Aduena verò vertiginis causa est anadrome symptomatica vel critica sanguinis in febre acutâ, cum vapor fumidus qui vel ab impuro stomacho, vel à pulmonibus inflammatis, vel ab vtero sursum exhalat. Ita breuiter causas habes, sed quia caput curationis est harum notitia exacta, bis latiùs fundamus. Morbus hîc est conniuentia anticorum finuum cerebri. Conniuent autem finus ab obstructione, compressione, vel subsidentiâ. Ab obstructione cum sit, agnoscit causam conniunctam * αἰσθητικὸν τι ἢ ταραχῶδες, ἢ ἀτακτον κινεῖ τῶν τι χυμῶν ἢ τῶν πνευμάτων, vt inquitur Galenus. Ea humoribus mediatè nascitur vertigo: ex vaporibus immediatè. Ea humoribus, dum illi in flatus abeunt. ita dicit Galenus hos inuadi à vertigine, si sub Sole æstuauerint, vel aliâ ex causâ sit incalueit caput; vt à valido motu corporis vel animi, & ab assumptis cibis; vel à materiâ quæ se insinuat capiti maligna, turbulenta, vapida: nam vt fumus in furno circumagitur, ita vi vapores. Vapor itaque est causa conjuncta huius mali: nam hic replet ac obstruit finus cerebri. Hic vapor fumidus nascitur interdum in cerebro, ita vt indigena ibi sit, hoc est, à cerebro protopathiâ laborante oritur: vel aliunde, vt sursum infernè transfertur. Cerebrum protopathiâ laborat, vt si tactum fuerit intemperie frigidâ, vnde synathrismus fit pituitæ, vel, vt auctor Auicenna, melancholiæ, cui si accesserit calor (vt à rebus non naturalibus) vapor inde surgit fumidus & impurus. vel in ipso cerebro æquo calidiore gignitur. Cum aliundè infertur fumidus cerebri finubus vapor, id fit vel à toto corpore, vel à parte aliquâ infernâ. A toto febre implicito, vel febris experte. Corpore toto febre correpto fit, à calidis vel à frigidis vaporibus. à calidis, cùm vbertas sanguinis calidi & biliosi luxuriat: vt si in tertianis per venas iugulares & arterias carotidas spiritus vaporosus & calidus in cerebri ventriculos se effuderit, maximè æstu flagrante corde. vel frigidus halitus à toto febri fatigato cerebrum ferit, vt euenit in pituitosis febribus. Vel à vapore proficiscitur à toto corpore febris caperte; vt si vberes adfuerit acerrimi, feruidi, & spirituosi sanguinis in biliosi corporis habitu. quod fit ex recursu hæmorrhoidum, & mensium, vnde per venas & arterias caput repletur: maximè corde feruidiore. A parte, vt à ventriculo bile fœdato: ita ab hepate, liene, pulmone, vtero, totoque hypochondrio inquinato. etenim bilis aluina, perusta fuliginem ad caput transmittit, spiritumque visorium inficit, vel occurrit humori vaporique frigido cerebri, vnde agitatio & repletio, finuumque occlusio ferè, inde caligo; qualis in aëre purissimo cernitur, quando fumidâ aurâ nigraque suffunditur. Vel à pituitâ in ventriculo corruptâ id euenit, vt asserit Actuarius: vel in vtero, aliisque partibus. In partibus verò his vel coaceruatur humor vnde eructatur fumus; vel aliunde influit, vt bilis à calido hepate in ventriculum: vel à cibis corruptis; cùm nimitum secernitur vapor, sed non excernitur. hoc est in συνόχῳ spiritum fuluitur humor, vt quibus cruditas molesta. Hæ sunt partes vnde vapores surriguntur. Sed quæ sunt causæ vaporum? has ferè diximus. Nam hæ sunt internæ, vel externæ. Internæ causæ vaporis calidi, sunt bilis, sanguis biliosus, & atrabilarius, febris æstuosi succi: & cerebri calor, qui prolectat vapores fœdos ac extenuat succos. Quin, vt scribit Aretæus, fœcunda in hoc malum materia pullulat ab hæmorrhoidibus suppressis, vel ab intercepta narium hæmorrhagiâ solitâ: aut si corpus non diffletur sudore. Frigidi vaporis causas iam diximus. Nam quamuis Galenus ad calidum vaporem referat hunc affectum, vbi agit De locis malè affectis, non tamen excludit frigidum; cùm ibi non agat de causis, sed de locis. Quin in Aphorismis scripsit, Senes, ob pituitam, vertigine tentari: & inquit, hyeme grassatur. Aretæus causæ humidæ & frigidæ ascribit hoc malum. Externæ causæ sunt vel corpus ad vertiginem disponentes, vel impellentes. Disponentes, vt exercitij neglectus. ita affirmat Cælius Aurelianus affici plerumque vacuos homines, hoc est, sine aliquo exercitio vitam ducentes: crapalatores & vinolentos; vel consuetos ventrem purgare medicaminibus potis, & ab eorum vsu tepentè desistentes: & ab hæmorrhoidibus suppressis. Sic cæteræ causæ calidæ & frigidæ: vt aromata, & potus frigidus. Impellentes causæ externæ iam paratum corpus, vt balneum à cibo, aër calidior, inspectio gyrantium, exercitia immodica, austrini flatus, dolor, ira, cunctaque quæ subitò in feruorem & motum abripiunt. Nascitur interdum ob alias causas vertigo,

Marginal notes (left): Quid sit. — Definitionis explicatio. — 3. Loc. aff. 7. — 1. Loc. aff. 1. Causæ. — 3. Loc. aff. 8. * Id est, inæqualem, turbulentum & ordinis expertem motum cum humorum, tum spirituum.

Marginal notes (right): Pars affecta, & causa obstruens. — Causa vaporum. — 3. Aph. 3 & vltimo. — 1. Tardarum pass.

tigo: nam si opptimantur in semiangustiam sinus
Paulus. Aëtius. cerebri à fracto cranio, fiet hæc imaginationis depravio. Nonnunquam à subsidentia proficiscitur hæc semiangustia, ex dolore dum vires languent, vel à malâ qualitate. Dum Auicenna asserit vertiginem ex inediâ inferri, subsidentiam hanc sinuum innuit; cum stomachus iniuriâ fatigatus modò cerebrum, modò cor in sympathiam abripiat. & hoc
4. Aph. 17. scripsit ex Galeno, qui ait id fieri, τοῦ στόματος τῆς κοιλίας ὑπὸ μοχθηρῶν χυμῶν δακνομένου. non ergo semper à materiæ infarctu, sed etiam à virulentâ qualitate. ita ab vtero aliisque vt diximus partibus. Nam, vt ex vulnere capitis, ventriculus in contagionem ducitur, adeò vt bilem euomat; ita cùm nimiâ fame ventriculi fatigatur os, oboritur vertigo. Non quòd semper transferatur materia in caput, sed ob neruorum qui repunt per os ventriculi cum cerebro cognationem,
DIFFERENTIAE. vt ait Galenus. Hæc de causis. iam reliqua. Differentiæ tot sunt huius mali, quot causæ ac diuersæ partes vnde infertur. Est solubile plerumque malum; verùm senes nonnunquam comitatur toto vitæ itinere. Est vehemens malum ob partis fatigatæ principatum. à contagio liberum. acutum ratione paroxysmi. breue. si à frigore fuerit, erit cerebro analo-
SIGNA. *1. Diuturn. 3.* gum. SIGNA describuntur ab Aëtio ex Posidonio & Archigene. Eleganter hæc Aretæus, Tenebræ, inquit, oculis prætenduntur, & caput in turbinis modum circumduci videtur, & auribus murmur (à flatu) veluti dilabentis cum strepitu fluminis insonat. Aut velut ventus flatu vela percutiens, aut tubarum fistularumque cantus, aut veluti stridor plaustri currentis obstrepit. Grauitas adest capitis, splendida quædam oculis, inter multas tenebras sese offerunt, sui æger & amicorum ignarus est. Cumque morbus augescit, tunc tibiæ soluuntur, atque humi repunt. Nausea fit atque vomitus pituitæ, bilisve iam atræ quàm flauæ. quando flaua vomitu reiecta, furor nascitur: atra verò, melancholia: pituitâ exeunte, epilepsia efficitur. Cælius Aurelianus ait ante oculos sentiri marmorum tractus, marmorigas Græci vocant. sedere volentibus timor, nam secum putant omnia impelli vel cadere. superiorum corporis sudor. Asperatur passio si ex alto inspexerint meatum fluminis, aut totæ vertiginem, & si proni quicquam gesserint. Cur vero mentis arx versari illis videatur,
Saturnal. 7. 9. disseruit Macrobius. Deprehenso malo, iam perue-
SIGNA *differentiarum. A ratione afficiendi.* stigandum quæ sint notæ peculiares cuiusque causæ morbificæ, & partis ægræ. Notabimus formam mali, partem vnde dimanat vapor, & vaporis naturam. Formam & characterem mali ex ægro intelligemus: num nimirum visio accidatur, auferatur, vel deprauetur. & num res & caput volui videantur. Nam aufertur interdum visio, quòd maximè conniueant sinus cerebri qui oculis proximi sunt: nam exitu ad oculos prohibentur spiritus visorij. Si mollior sit pressio sinuum, fit visio accisa. At deprauata visio nõ fit adeò subsidentibus sinubus, sed spiritibus fœdatis à vaporibus: hinc circumagi ac in gyrum res volutari apparet. Si fortior fuerit, caligo excipit oculos: si maior, casus metum adfert; nam vesti-
3. Loc. aff. 3. gium, gyrantibus rebus, figere nequit, non aliter ac ebriis vsu venit. Si fit ab idiopathiâ cerebri, præcurrit validus capitis dolor & grauitas, aurium sonitus, & aliquis sensuum, vt olfactus, gustus, sensim violatur: & leui ex causâ malum incurrit. Si euenerit à calido vapore, feruidum caput erit. Si à frigore, grauiditas algida percipietur, totus habitus pituitescet, muccus manabit, somnus protractior aderit, facies liuescet, nec rubore suffunduntur. Quia à calidis & subtilibus halitibus vertigo, erit tenuis illa ac tenebrarum expers: nam tenues euanescunt fumi illi in auras. at quæ à pituitâ, tenebras habet, & diu fatigat. Si à toto corpore halitus exspiret in capitis sinus, totius crimen aliquibus notis elucebit in colore, charactere, mole corporis, & excrementis. Si sanguis toto corpore in vitio fuerit, aderit venarum tumor, carebaria, somnolentia, oculorum rubor. Si bilis, aderunt vigiliæ, æstus siue graui mole, pungens dolor, corpus gracile, hirtum, & alacre, caput flagrabit & frons. Quibus hoc à toto corpore venit, his cerebrum est infirmum: & per pseos tempore his insurgit malum, & cùm à somno surgunt, vrina illis tenuis, pauca: dura aluus, color malus. Si irrepat vapor per arterias & venas quæ foris sunt, sentitur ipsarum tensio, pulsio, & tumor maior solito. Si per internas, intus sentitur tensio & pulsio: si per neruos, dolet collum totum. Si à parte aliquâ eructetur halitus in caput, eius exacerbata à noxâ, manifesta fit vertigo: quâ delinitâ, etiam vertigo placatur: vt si ab vtero. & hæc quæ ab aliis partibus, non ita continuò afficit. Si à mesenterio, collum dolere affirmat Arculanus. Sin à stomacho oboriatur, ibi morsus, nausea, oris amaror; & ieiunis maximè. hoc fit à bile. hæc pars & causa fœcundissima est in vertiginem. Nam si à pituitâ fœdatus sit ventriculus, cruditas præcessit: & id habitus temperiesque corporis, & diæta detegent. Iam curationis scopos inducamus ex his causis exploratis. In primis nota num sit per INDICATIONES *curatiuæ.*
idiopathiam vel per sympathiam. Si ex idiopathiâ, num iam paroxysmus fatiget, vel num potiùs eius futuri adsit metus. nam vt primum curandum, ita vltimum præcauendum. Ratione itaque paroxysmi, sopita vis erit excitanda, & oppressa erigenda, ne in apoplexiam degeneret. Primò itaque virtus exoneretur, dein excitetur. Quare ante vsum errhinorum & sternutamentorum (quæ vim naturæ exstimulant) diuertendum, & quæ longè absunt partes fricandæ. Sed si magna fuerit vertigo, balanis acerrimis supernè deorsum vocabimus. Si à pituitâ capite congestâ & flatu, curetur vt dolor capitis à pituitâ. Si aliunde efferatur halitus in caput, is erit intercipiendus, & reuellendus, reprimendusque. Quodsi metus adsit iam iam venturi halitus, solâ reuulsione opus erit, prohibendumque ne aliunde irrepat: dein vt corroboretur caput, ne recipiat iniquum hospitem. Arcebimus ascensum halituum, si prohibuerimus eorum ortum. Vbi à feruido in arteriis sanguine, reprimendum; vel, si per externa vasa importetur, arteriotomia vtemur. Si à crudo in ventriculo humore, coquatur. si à bile refusâ ab hepate in ventriculum, purgetur. Sin à suppressis hæmorrhoïdibus vel mensibus, aliáve euacuatione solemni suppressa, hæc euocentur. Itaque commoti spiritus sedentur, vapores euacuentur, reuellantur, alterentur, reprimantur; robora tandem partem. Quæ à foris est remedij non eget: sed si externa, internam concitans, curationem petet, exactâ eâ quæ à foris venit, id confecerimus. Sed cur mouetur à circumrotantibus inspectis spiritus animalis in orbem? quia hi internam causam fauentem habent ei motui, quæ facilè abripitur in contagionem à talis motus initio. Num his indicationibus satisfacere li- PROGNOSIS.
ceat iam videamus, & quæ inde pericula. Est hæc passio, vt annotauit Cælius Aurelianus, saluti innoxia, hoc est, sine vllo periculo, nisi quis ex alto cadens, ratione casus potiùs quàm passionis violentiâ perire videatur. Ita scribit Hippocrates in Coacis, febres cum vertigine tenebricosa cõiunctas, mortiferas esse: nam vertiginosæ causæ febrium paroxysmis exacerbantur. ita à metastasi apostematis, est calamitosa: vt etiam ab erysipelate vteri. Sed vertigo ipsa suâ vi, certos periculorum limites agnoscit. etenim

etenim tenebricosa vertigo est periculosior simplice: quia angustissimi sinus cerebri argumentum est; proximèque abest ab epilepsiâ & apoplexiâ. horum enim prænuncia esse solet, si quidem in cerebro localem habeat generationem, sique gignatur à flatu crassi humoris. Perseuerans itaque hoc malum, decrepitis apoplexiam, aut epilepsiam iam iam denunciat: nam veteres, inquit Aurelianus, paruam epilepsiam vocarunt. Affirmat vnà Aretæus hanc, aliorum morborum, cùm insanabilis euasit, initium esse: vt maniæ, melancholiæ, & iam dictorum; cuique suis symptomatibus accedentibus. Nam cùm spectra rubentia obuoluuntur oculis, maniam: cum rubore saturata, epilepsiam præsagiunt: spirituum enim & flatuum notant motum contra naturæ filum. Quare ob futurarum calamitatum metum non negligi debet. Quæ tamen ex sympathia obrepit, minus periculi affert, quàm quæ ex idiopathiâ, cæterarum rerum sine calamitosâ sociatâ vi. Scribit hoc Aretæus, vbi ait, Malum, si capitis symptoma est: malum quoque si cephalææ successit: aut cùm ex vetusta ægritudine principia duxerit. Vehementescit hæc passio hyeme, vel verni temporis initio.

CVRATIO. His perfectis ad curationem pergemus. Cælius Aurelianus non aliam curam huic adferendam suadet quàm cephalææ. Si, inquit Aretæus, à cephalæâ orta fuit vertigo, curetur vt cephalæa. & si à supressâ euacuatione, illa moueatur: naturæ omnque salutaris est materiæ recursus.

Paroxysmi cura. Oribasius. Vbi paroxysmus fatigat, fiant reuulsiones vinculis extremarum partium, earumque frictionibus vtemur, & glande ex melle &

Totius cura. hierâ diacolocynthidos, cum sale acri. Excitur etiam naturæ tunc vis odoratis rebus, quæ tamen fumis caput minimè repleut: si sit calida causa morbifica,

Phlebotomia. Paulus. Aretaus. olfaciant acetum, aquam rosatam. Vbi verò paroxysmus remisit se, venâ vide num iure secare possis. Si solemnis excretio tardat, malum verò increscit, vt in sudorum & sanguinis suppressione, è venâ cubiti sanguis emittatur. Non autem hoc ages vbi à frigore ventriculi malum profertur. Sed vbi plethora adest, acerbo in malo, & ætate firmâ. secetur vena, inquit Aëtius, ex Archigenis sententia, non vnicà vice, ne subsidant sinus. Sed quænam vena pertundenda? Auctor est Razes, si in paroxysmo facies & oculi rubent, & venæ ponè aures turgeant sanguine, eas (finito lenitoque paroxysmo) incidendas esse: &, inquit, cucurbitas tibiis & collo adhibebimus. Sed, ait, si hæ venæ lateant, ex axillari venâ sanguinem depromemus, & cucurbitas tibiis

Explicatur Rasis locus. apponemus. Quasi dicat, si solùm in capite sanguis redundat, venas ponè aures pertundes: vt cùm caput & oculi rubent, & turgent venæ. Sin toto corpore redundarit sanguis; primò cubiti, dein aurium feries venas. Sed semper collinea ad suppressam euacuationem: vt si menses suppressi, primò pedis, dein cubiti vena aperiatur. ita si hæmorrhoides. vide etiam num substiterit aurium sordida effusio. A solotâ venâ vtemur oxycrato ex oleo rosato, & aceto; addit Marcellus succum intybi. Vena frontis tandem diuidi poterit, vbi solùm repleti capitis notæ elucent. & hirudines venis capitis admoueantur. Sed si sit ab ardore viscerum, vena erit recludenda: & partibus primùm amotis à capite. mox collo hæreant cucurbitæ.

Arteriotomia Galen. 3. loc. aff 5. & 6. Sanit 9. Aret. 1. diut. 3. Galenus & Paulus arteriotomiæ meminere. Secantur eo loco citra aures & frontem vbi calor, tensio, & tumor arteriæ. Alioqui, si hæc absint, nolite secare: nam cùm per carotidas internas se effert vapor, frustra externas ferietis. sed tunc crassefacientibus materiam commiscemus, vt conserua rosata, cum corallis, & succo granatorum. Sed cautio sit, ne qua obstructio subsit viscerum. conserua etiam acetosæ, cichorei. vel bibat per 12. dies manè seri lactis libras tres. Ita ages si à sanguine feruente prodit vapor. Sed si à bile, purga, tamarindis, myrobalanis, rhabarbaro, saccharo rosarum. Fiat non alia sectio quàm quæ venis solemnis est. Aretæus laudat vt in angulis vtrisque hæc sectio fiat. Si quis vereatur de arteriotomiâ, loco eius hoc cerarum adstringens arteriis apponat: Accipe masticis drachmas tres: pulueris myrtillorum, coralli rubri, gallæ, cuiusque semidrachmam; olei myrtini, drachmas binas: succi plantaginis drachmas tres, ceræ quod satis sit vt cerati capiat formam. si valdius velis, iunge terebinthinam.

Frictiones. Frictiones ineantur à brachiis, collo, vsque ad pedes: caput in otio sit,

Cauteria. ne repleatur. Tandem ad cauteria eundum. si, inquit Razes, à peculiari membro exspiret, vratur cutis. Quare si caput repletum fuerit à congesta materiâ, nuchæ inter secundam & tertiam vertebram illa imprimemus: vel suturæ coronali; exhaurit enim congestionem. quidam ex fermento & aceto. cantharides occipiti post aures apponunt. Cùm verò ex toto corpore cacochymia fœdato frigus exspirat habitus, brachiis & cruribus cauteria inurantur.

Præparantia. Paranda etiam est ad exclusionem materia. sed hæc aut est biliosa, pituitosa, vel melancholica. Si biliosa, præscribemus syrupum rosatum cum aquâ violatâ & melissæ; serum lactis cum fumariâ; syrupum acetosum cum fumariâ; syrupum acetosum cum aquâ pentaphylli aut acetosæ: nam pentaphyllum diureticum est; syrupum acredinis citreorum, syrupum violatum, nymphææ, cum aquâ farfaræ; syrupum cichorei, lactucæ, papaueris. Si sit pituitosa materia, eam incidemus & attenuabimus citra validum calorem, vt oxymelite, melle rosato, calaminthâ, marrubio, stœchade, hyssopo, betonicâ, centau[rio], rutâ, radicibus inulæ, acori, pæoniæ, aniso, carui, rosmarino, euphragiâ, menthâ, maioranâ, galangâ, cinnamomo. Si à melancholiâ, illa præparatur syrupo de pomis, de buglossâ, de melissâ, de stœchade; & horum saccharo. Ad exclusionem parata materia euacuetur. Si bilis vitium dedit, vtemur mannâ, myrobalanis, tamarindis, pilulis aureis, syrupo rosato laxatiuo

Purgantia. cum mannâ, ex decocto endiuiæ, electuario de succo rosarum, syrupo de cichoreo cum rhabarbaro, pilulis sine quibus, & de myrobalanis, electario de psyllio, hierâ, diacatholico. Accipe decocti florum & fructuum cordialium vncias quatuor: infunde fumariæ semimanipulum; tamarindorum semunciam; rhabarbari drachmam; agarici (si opus sit) semidrachmam; zinziberis grana quinque: expressioni adde mannæ vnciam. Cùm pituita peccat, ea purgetur pilulis cochiis; si imbecillior est æger, piluli masticinis, vel alephanginis dictis à Barbaris (nam sunt hiera Logadii Galeni) pilulis de hierâ cum agarico, ex pilulâ vnâ assairet purgetur. diacarthamum. diaturbith. Laudatur ab antiquis elleborum; iam parato corpore id etiam commendat Aretæus. Scribonius priùs dat hieram, illa enim aut ex toto remedio est, inquit, aut certè cottidie minuitur impetus vitij, interuallaque maiora accipit, & hoc ipso opportuniores fiunt ad ellebori potionem, quâ maximè hoc vitium tollitur. extractum ellebori innocuum descripsimus libro secundo Methodi nostræ. Si bilis & pituita simul conspirarunt, accipies pilularum de hierâ, aggregatiuarum, cuiusque scriptulum. vel iunge cochias aureis. Dein in auroiâ sumat mithridatium, vel theriacam, conseruas anthos, melissæ, stœchados, acori; cum diambrâ, diacalaminthâ, piaspolitico. Si à melancholiâ, purgetur myrobalanis Indicis, epithymo, senâ, pilulis aggregatiuis, & extracto

tracto ellebori. A purgatione roborentur viscera,& maximè lien. Dein vsus peculiaris purgationis ineatur, masticatoriis, errhinis,& sternutatoriis:mox caput roboretur. De his agerem, nisi varij huius mali foci me ad peculiares curationes euocarent, hîc ergo de his commodius. Quod facimus hac iam serie.

à stomacho. A stomacho si obuenerit vertigo (quod plerumque euenit)pituita lenta referto, paretur syrupo marubij, hyssopi,de radicibus,de betonica,de stœchade.Dein purgetur melle rosato laxatiuo, cum hiera & agarico. Accipe pilularum mastichinarum sesquidrachmam : agarici recenter trochiscati scriptulos duos: cum melle rosato laxatiuo fiat massa. sumat interdũ drachmam. Postea roboretur ventriculus & cerebrum,Accipe macis drachmas binas:macerentur in aceto horis 12. & misce cum conseruæ betonicæ, vel anthos,aut euphragiæ vnciis tribus.sumat manè iuglandis copiam. Masticet semen carui,& eo aspergat cibos. vino indat carduum benedictum. Vtatur mithridatio,theriaca, diarrhodone,aromatico rosato,diambra,diacymino, diatrion piperio, acoro,diacalaminrha, diaspolitico,inula ex melle, xinxibere, nuce myristica,myrobalanis conditis.Et memor sis, cùm à ventriculi impuritate hæc mala surgunt, potiùs purgatione quàm venæ sectione opus esse. Illinatur stomachi regio oleo masticis & menthæ. & impone emplastri stomachalis vnciam, cum specierum aromatici rosati,diambræ,cuiusque semidrachma:adde oleum menthæ, & parum ceræ. Si verò à bile vellicatur ventriculi os, & si vomat ex facili, hausto pulli iusculo, in quo maduit nucis cortex & asari gemmæ,remixto syrupo acetoso euomat. vel à cibo,tepido pinguíque iusculo hausto id agat. Cautio adsit ne nimio madore oleíque vi nimis mollescat stomachi robur. & fascia stringatur caput dum vomiturit.sin ægrè vomat, purgetur deorsum cholaphygis moderatissimis, nec ventriculum fatigantibus,vt decocto tamarindorum, myrobalanorum,endiuiæ, cum rhodosyrupo solutiuo, vel manna. Mox firma ventriculum,rhodosaccharo, conserua cichorei, nymphææ. & sistemus spirituum motus violentos,halituúmque sursum raptus,syrupo cydoniorum malorum, & granatorum, miua de ribes, succo berberis, diacotonio. his interdum iungimus diarrhodon, trionsantalon, diatragacanthum frigidum. ita studemus ventriculo & vna hepar refrigeramus. Confert & aqua lactucæ,violarum,plantaginis,melissæ,cardui benedicti;& iolapium ex violis & rosis, semen portulacæ. Quosdam hoc malum incurrit ab inedia: hîc fames placanda, & stomacho robur addendum, & si qui attracti sint fœdi succi exigantur. agresta & vino granatorum intinctus panis offeratur:& interdum vino generoso immersa crusta panis sumatur.pyra etiam agrestia roborant.

à capite ipso. Si in ipso capite halitus procreatur qui sinus infarcit:is erit calidus,vel frigidus. si calidus, nascetur à sanguine vel bile.si à sanguine,habita prouisione totius,setis suillis reclude venas narium, quò halitus vnà cum suo foco exspiret. sin bilis capite concepta fuerit, vnde ille halitus surrigitur, errhinis & apophlegmarismis,vt diximus de dolore capitis à bile,exigemus illam.Euacuatum caput firmetur frigidis; trahat naribus oleum violaceum, cum lacte, vel succo lactucæ. Aretæus vtitur rosato oleo cum acero, & dein his incoquit serpillum, folia hederæ,& spondilij.Si verò ex synathrismo pituitæ in capite vapor exspiret,tunc nec rubor faciei, nec nausea aderit;hic sæpe cochiis pilulis vtatur suasor est Razes:dein errhinis,apophlegmatismis;& cauterium coronali suturæ inuratur.& interdum puluere caput aspergatur ex stœchade,rosmarino, rosis, caryophyllis,coriandro, calamo,cypero.& à totius curâ,fiat decocto ex salsâ & ligno guaiaco. Hîc,vbi à solo capite frigidus halitus prodit, caue ne reuerberes. potiùs errhinis & apophlegmatismis incumbendũ : nam sternutatoria paroxysmis vtiliora quã præseruationi à paroxysmo. Aëtius venit ad errhinum elaterij ex lacte. radice ad id vtemur cyclamini, & nigellæ oleo. Commendat Aretæus succũ cyclamini & anagallidis. accipe succorum betæ,maioranæ,singulas vncias;succi foliorũ cucumeris asinini semunciam;nigellæ Rom. drachmam. Cautio tamen adsit ne his fortioribus incumbamus, dum iam iam vertigo in procinctu est ; etsi illa frequens fuerit. Accipe passularum, sine acinis, vnciam ; hyssopi, origani cuiusque semidrachmam; acori conditi,sinapi,piperis, singulorum semidrachmam;masticis & mellis quod satis sit, vel cum oxymelite,fiat masticatorium.addi potest iris,pyrethrũ, staphysagria. Aëtius vtitur gargarismo ex origano, pulegio & acero mulso. Pectinetur caput & fricetur tandem. conficiantur sacculi ex milio & sale, in sartagine ex vino & pauco aceto torrefactis,vel ex mastice,olibano, ladano,iunipero gummi, floribus betonicæ,saluiæ, stœchados. Auribus immittat parum ex oleo de caryophyllis. Sumat manè theriacam cũ diambrâ.naribus nucis myristicæ pars inseratur.vtiliter etiam capiti admouentur illi trochisci quos describit Actuarius in fine capitis secundi, libri sexti Methodi.Sed hæc omnia agenda vbi prouisio habita sit totius corporis In criticâ vertigine nihil ages. Hæc potio frigus capitis castigat, Accipe foliorum saluiæ manipulos tres:seminis pæoniæ vnciam;anisi semunciam;glycyrrhixæ drachmas sex;castorei scriptulum:coque ex vino, fiat potio. Conserua anthos & stœchados cum rosatâ nouellâ,aromatico rosato, galangâ,xinxiberis syrupo.

Diæta. Victus formam iam præscribamus.Aër sit lucidus & purus,fugiat crepusculi auram,& ventos Australes,radiósque Solis & Lunæ. Odoramenta fiant ex caphurâ, rosis,& aceto:sistunt enim turbulentos spirituum motus. Aretæus iubet vt ex aceto mẽtham & pulegium olfaciant. vúltque vt locus sit arboribus consitus,aut herbidus.calidus tamen & siccus aër proderit, vbi à pituitâ languor adest. Si à pituitâ obortum malum fuerit, fruatur diætâ tenui ineunte malo. Sit cibus flatus expers, stomacho gratus,vitet satietatem.abstineat à fabis, piscibus viscosis,conchiliis,caulibus,raphanis,auellanis,castaneis,crudis humidísque fructibus, cæpis, sinapi. Sit hîc potiùs tenuans victus, calidus & siccus, vt pituita mitigetur. & in secundâ mensâ, quò robore afficiatur ventriculus, & vapores vt crassescãt, offerantur pyra cocta, mala cydonia. & à cibo coriandrum cum aniso, corallo, & semine pæoniæ,vel carui semine passulæ vuæ conueniunt.Accipe diacotonei, conseruæ rosatum, singulorum vncias duas; coriandri præparati semunciam : spodij drachmas duas : misce,vtatur à mensâ.vel deuoret à cibo grana tria vel quatuor masticis, olibani, & coriandri. Procuretur proba concoctio quæ celebratur in ventriculo & hepate abstineat ab aliis. Si à bile,à fame caueat. da quæ frenant materiæ ferociam & tenuitatem,ne caput feriat. sumat hordeum & acetosam, semen melonum:hæc attenuant etiam. Raxes commendat stiptica, portulacam, pyra, mala cotonea, oryxam, endiuiam. Si à subsidentiâ obortum sit vitium,porrige crassefacientia:nam hîc Auicenna dat panem agresta tinctum, & granatorum succo, quò vapor reprimatur. Carnes commendat Aretæus ex pinguibus non pingues, suum pedes & capita, volatilia, lepores, & gallinas. Si à fame, ilico cibi offerantur. Vino arceantur vbi à bile natalitia hæc prima. At vbi à pituitâ, sit vinum potens quod parca porrigatur manu: alioqui vinum album tenue modicè bibat. hoc est,

nec copiâ nec vi caput repleat vinum. Quietem caput postulat: hinc est quòd ambulationem laudet Aretæus, & frictionem crurum per aspera lintea vsque ad ruboré, deinde dorsi & lateris, postremò capitis. &, inquit, vocibus grauibus vtendum: nam acutæ voces capitis distentiones, cerebri pulsationes, & tinnitus aurium efficiunt: at mediocris vox capiti prodest. Gestatio postea proderit longa, citra fatigationem, neque in tortuosis regionis tramitibus, nec assiduis itineris flexibus, sed rectæ, & longæ, & lenes. Saltum & cursum laudat Aretæus; pilam reprobat, quòd caput & oculos circumuolat. Ocium sit ab audiendo & loquendo. Nihil capite inclinato inspiciat: profunda vitet. Aluus sit memor officij, ob difflationem. vtatur maluâ, blito, betâ. In mulieribus curæ sit maximè suppressa solemnis euacuatio. Somnus æquè atque insomnietas his inimica sunt. nam vaporum exuberantiâ torpet omnis actio, hinc grauitas & soni in auribus, & splendores in oculis. at vigilia cruditatem facit, alimentúmque corpori subducit. A cibo non dormiat, saltem à duabus horis. caleat non admodum caput. caueat ab irâ, mæstitiâ, cantu, venere. De Empiricis ait Marcellus, Si plantâ vlmeâ caput circumligaueris, & coronatus ita triduo dormiueris, iuuat. & abrotanum ex vino sumptum, vel ex oxymelite. vel veronicæ fasciculus, ex aquâ nitidâ ad tertias excocta. Marcellus etiam cochleas maiores comestas valdè probat. laudat vt tempora succo betæ nigræ illinantur.

Aretæus.

EMPIRICA.

CAPVT XXII.

De INCVBIS, *&* SVCCVBIS, *& de* INCVBONE.

NOMEN.
* extendo,

INcubo, quem ἐφιάλτην Græci appellant, à verbo * ἐφάλλω, quòd quis se super hominem extendens, incumbere, ac quasi inequitare illi videatur, dicitur. Quidam ἐφιάλτην insultorem dæmonem nominarunt. nocturnam suffocationem alij: nam pondere suo pressos grauat ac præfocat. Pulchrè videtur Homerus huius phantasmatis depingere pericula: Neptuni & Iphimedeæ filium breuis æui: nouem tamen cubitorum in longitudine: & latitudine, nouem passuum, cùm nouem esset annorum. hic diis in cælo minabatur; quod & perfecisset, si ad ætatem vsque adoleuisset. sed hunc Iouis filius Apollo interfecit. Ita est: si diu premat hoc malum, enecat: sed sol calidi natiui exsplendescés fugat hanc perniciem. Themison, inquit Cælius Aurelianus, secundo Epistolarum libro pnigaliona vocauit, siquidem præfocat ægrotátes. &, inquit, quidam veterum epibolen, hoc est, insidiatorem vocarunt; quòd hostilis patientibus perhibeatur. Quòd neque deus, neque semideus, neque Cupido sit, Soranus explicauit. Sanè qui incubone infestantur (sensi id ego) veluti ascendere, ac insidere sentiunt suo pectori quicquam. Ego sanè puto duplicem causam esse, vnam naturalem, alteram dæmonem. Memini, dum puer essem, me cubare apud matronám quandam optimam; cùm dormiret, ei, super stragula, vir niger mihi incumbere visus. manè querebatur incubone se infestatam fuisse. Ego, quámuis puer, nihil de nigro illo audebam indicare, quòd minitari si quid protulissem visus mihi fuisset. Quare mulieres olim putabant se à Faunis opprimi, qui hac mali parte tentabantur. & dæmon Faunorum faciem induens profitebatur se incubonem esse. Exemplum quæris? D. Hieronymus in vitâ Pauli Eremitæ, vbi de Antonij peregrinatione loquitur, ita scribit: Interea conspicatur hominem equo mistum: cui opinio hippocentauri vocabulum indidit. quo viso salutaris impressione signi armat frontem: & heus tyro, inquit, quanam in parte Dei seruus hîc habitat? At ille barbarum nescio quid infrendens & frangens potiùs verba quàm proloquens, inter horrentia ora satis blandum quæsiuit alloquium: & cum dextræ manus protensione cupitum indicat iter: ac sic per patentes campos volitando transmittens se in fugam, ex oculis mirantis euanuit. Stupens itaque Antonius, & de eo, quod viderat, secum voluens, vlterius progrediebatur. Nec mora, inter saxosam conuallem haut grandem homunculum videt aduncis naribus, frôte cornubus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Ad hoc spectaculum Antonius scutum fidei, & loricâ spei bonus Dei præliator arripuit: nihilominus memoratú animal palmarum fructus eidem, ad viaticum quasi pacis obsides offerebat. Quo cognito gradum pressit Antonius: & quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit. Mortalis ego sum, & vnus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos, & Satyros, & Incubos colit, &c. malus certè ille erat dæmon. Hic nequitiâ potés, quondam falsâ venere se mortalibus miscuit: succubi viris: incubi fæminis: sese in hominem induentes. Ægyptij fatebantur dæmonicum spiritum mulieri misceri posse: viris nequaquam. Fallunt fictâ venere mortales credulas: replent enim, malâ arte, quisquiliis, veretamétis, scrutis mulierum corpora. Semen enim incubones illi dæmones non habent: nam semen plurimo circumfluit humido primigenio spiritúque vitali, qui à corde erumpit humano: quod semen si vel tantillâ morâ ab vtero diuertat, tabescit in eo viuifica illa vis: Nam vel sola virilis virgæ longitudine interdum effœtum semen redditur. Dæmones fraudantur cibo & potu, quî ergo semine circumfluent? vnde illis veniret libido veneris? immortales sunt, si gignerent illi, iam dudum totum mundi theatrum occupassent: & quam turbationem ac deformationem hic κόσμος mundique mundicies compta & ornata pateretur! quot monstra horrenda occurrerent! vellet certè id malus ille turpitudinis & confusionis antistes. Sed hæc iam dæmonum vafrämenta, ab exsplendescente puro Dei verbo, apud nos fracta & exclusa exulant, hoc remedium, hoc fuga: ita

Odyss. x.

Fauni.

Historia mira.

August. 15. lib. ciuit. Dei 22. & 23.

Securus atras inter & aspides
Deges, ferarum & pignora tigridum:
Tutúsque calcabis dracones,
Et Lybica catulos leana.

Psalm 91.

Alius verò, Incubo ex causis naturalibus ortam ducit. De quo ita Macrobius: Est quoddam φάντασμα, hoc est, visum, cùm inter vigiliam & adultam quietem, in quadam primâ somnij nebulâ, adhuc vigilare se existimans, qui dormire vix cœpit, aspicere videtur irruentes in se, vel passim vagátes formas, variásque tempestates rerum, vel lætas vel turbulentas. Est itaque incubo, actio praua imaginatricis facultatis, qua aliquis noctu, cùm in somnum ingreditur, se à grandi mole incubantéque phátasmate premi inuadíque putat. vnde oppressionis metus, voce ac motu accisis, anxiáque reddita respiratione, ex sinuum cerebri infarctu orta, eos incurrente halitu crasso. Diximus imaginatricem lædi: nam, inquit Razes, imaginantur quiddam ponderosum sibi incumbere, cùm tamen interim laborent dorso, musculis, tendonibus, vt piscator ille Theocriti. Quin, ait Cælius Aurelianus, quidam ita inanibus afficiuntur visis, vt & se videre credant irruentem sibi, & vsum turpissimæ libidinis sibi persuadentem: cuius si digitos apprehendere nixi fuerint, fugientem existimant, & Ægineta affirmat quosdam, existimare eum qui in eos irruit audire, verùm pressis digitis aufugere. itaque malè se suffocari imaginantur. Diximus à grandi mole: id fit

1. Lib. 3. Somnij Scip.

DIFINITIO & eius explicatio.

fit ab obstructione sinuum cerebri, quæ à vapore crasso, vnde ferè exitu prohibetur animalis vis ad subditas partes. Hinc manus & pedes impediti sunt, ac præcordia pressa. Causa est, quòd mole maximæ partes, egeant valido motore: sed intercepta animalis vis ferè excluditur, proptereáque ferè suffocari videntur. Inde scripsit Razes, vocem his supprimi, aut incertam & indiscretam edi. & Cælius Aurelianus dicit, pressura adest, & quasi præfocatio, quâ sibi irruisse quenquam repentè existimant, qui sensibus oppressis corpus exanimet, neque clamare permittat. Adiecimus, voce ac motu accisis: nam, vt testatur Actuarius, nec vllum membrum mouere queunt. Dixi, anxiâ redditâ respiratione: nam thorax vel animali vi fraudatur, vel ex venis thoracis repletis flatus exspirant. Vltimò definitioni adiecimus, ex sinuum cerebri infarctu: maximè interiorum; nam læditur imaginatio. Iam ad causas venio

CAVSAE.

eius incubonis, cuius mali causa intra corpus est. Causa proxima mali est obstructio anticorum sinuum cerebri. Sed vndenam impediuntur hi? Scripsit Posidonius, vaporem crassum & frigidum ad

Aëtius.

cerebrum deferri, qui infarciunt, non tamen exactè, sinus cerebri; vnde exitu prohibetur facultas, quò minùs exilire in neruos queat. Generantur plerumque halitus hi in præcordiis, vnde diaphragma & thorax premuntur, & inde elatis vaporibus cerebrum afficitur. Impedit is vapor motum thoracis, eáque oppressio mouet imaginationem, vt existimet thoracem ab aliquo premi. vnde pauor, metus, anxietas, & plurima mortis imago. quibus halitibus difficili luctâ tenuatis, tenues euanescunt in auras, euigilátque homo etiamnum horrens hæc occursacula & idola. Interdum & in capite ipso gignitur crassus ille halitus. In nonnullis pars orificij superior stomachi maximè videtur hoc affectu premi: deprimitur enim ipsa cartilago xiphoïdes, quæ orificio stomachi respondet. id fit à crassâ pituitâ, vel humore melancholico: sæpiùs tamen à pituitâ, quum illi fatentur interdiu sibi onus incumbere ventriculi regione. Auicenna dicit hunc vaporem exspirare à pituitâ, melancholiâ, vel sanguine crassiore. hic vapor ineunte somno, subitò repit in cerebrum: qui alioqui per vigiliarum motus resoluitur. & in somno non æquè ac per vigilias liberè spiramus. Crapulosos, inquit Ægineta, & assiduâ cruditate tentatos inuadit. pueris & pinguibus familiare est malum. Auicenna affirmat ab aëre frigido incubonem etiam nasci: is enim exprimit halitus in cerebri sinus: & ex imminentibus lunæ radiis Sed à crapulâ præcipuè nascitur: nam onustus venter fumos ad caput eructat. propterea scribit Cælius Aurelianus, affici maximè crapulâ vel indigestione iugi vexatos. à cibo etiam flatulento incumbit. Sed

A reliquorũ affectuum causis vt differat.

quid differt huius causa à cæterorum affectuum causis? vertigo fit à tenuiore halitu: carus à materiâ oboritur: catoche à gelido humore & melancholico. Signa ex iam dictis accipe. Innitentis mole

SIGNA.

præcordia stringi putant: vox supprimitur his, vel incerta & obscura eliditur, si altum inclamare nitantur. propterea, inquit Suida, βαβαζιάκος quibusdam dicitur. fortè à βαβάζειν, quod est inarticulatè loqui. motus his est difficilis; imò, inquit Actuarius, aliquando manent immobiles, deinde verò multo labore & conatu, subitò excussâ molestiâ, è somno exiliunt, tenuato iam discussóque spiritu, eluctantur. Cùm somno surrexerint, ait Aurelianus, faciem & transforationis partes vuidas & humectas sentiunt, & attestante grauedine ceruicis, cum tussicula leui. pallor & tenuitas corporis: nam somnum timendo non carpunt. Signa causarum su-

SIGNA causarum.

muntur ex ratione vitæ, quam iniit homo antè: ætate, anni tempore, &c. Et phantasma, inquit Auicenna, tingitur eo colore, quo excellit succus vnde dimanauit vapor. Si itaque fuerint phantasmata rubra, erit à sanguine. si alba, à pituitâ, & his albidus plumbeúsque est color. si a melancholia, tristes sunt. si venerea, est a semine: nam his frequens est ὀνειρώττειν: est autem onirogmos somnium semen prolectans. Per idiopathiam si euenerit, sonori adsunt in capite flatus, & vertigine tentantur, & caput primùm in querelâ fuit. Sin per sympathiam affligantur, symbola aliqua partium affectarum enitescent. Contagium huius passionis causa non est: quamuis referat Silimachus, Hippocratis sectator, contagione quadam plurimos, ex istâ passione veluti lue, apud vrbem Romam confectos. Iam ad curationem. Indicationes curandi, ex indole affectus qui

INDICATIONES.

contra naturam est ritè explorata captari debent. vapor est causa, obstructio sinuum est morbus, incubo est symptoma. Cùm itaque materia morbifica originem mali dederit vnde eriguntur vapores, orietur notio hanc excludendi, & à capite auertendi, attenuandi & discutiendi, & roborandi caput, ne vapores aliunde elatos admittat: & si qui adsint vt discutiantur. Et si concepta intemperies in cerebro fuerit frigida, nascetur indicatio calfaciendi cerebrum, à purgato toto corpore & capite. Sed priusquam ad curationem manus admoueamus, explorabimus num hæ iam positæ indicationes absolui a medico possint: & quorum periculorum metus impendeat, quò prædici possint. Quare ad prognosin pergo. Est solubile malum, vehemens ratione paro-

PROGNOSIS.

xysmi. Attamen, teste Cælio Aureliano, non semper incumbit incubo sine periculo salutis, quosdam enim interficit præfocatio, vt pueros & obesa corpora. & Scribonius scribit, vitæ periculum interdum inde afferri. Sane grauiorum morborum anteambulones sunt incubi. qui si sæpius incurrant & grauiùs premant, & diu fatigârint, sæuioris iam iam futuri mali prænuntij esse solent. qualis est morbus comitialis, cuius est quasi quædam tentatio. & apoplexiæ metum adferent, & insaniæ, inquit Ægineta & Auicenna: dum, ait Aëtius, paulatim in ventriculis cerebri crassus humor coaceruatur quod enim halituosius erat, frigore crassiorum partium euadit, nec facilè, sicut priùs, perspirans. Ex pituitâ incubo abit in epilepsiam vel apoplexiam. ex atrâ bile, in maniam. à sanguine, in spasmum, & subitam suffocationem cordis. hinc scripsit Auicenna, Si cordis palpitatio successerit, pessima. Pessimus incubo est ab idiopathiâ cerebri Grauis interdum hæc euenit passio, veluti quæ sit antesignana apoplexiæ. Quo au-

CVRATIO.

tem rectè remediari huic symptomatis causæ, hoc est, morbo possit, eius causa erit abigenda. hoc obtinebimus accommodatâ pharmaciâ, & victus ratione rectè institutâ. Si sanguis copiâ luxuriarit, vt

Chirurgia.

euenit à solemni euacuatione suppressa, & in corpore pleno, licebit venam pertundere: modò ætas reliquæque indicationes non reclamant. Idque fiat tunc magis, si capitis & colli dolor molestus esse pergat. Cælius Aurelianus etiam hoc audet in plurima stomachi querela: & hinc vngit ex oleo calido. Si à suppressis incubo fit mensibus, aperiantur venæ malleoli: aut cucurbitæ crurum suris affigantur ex Razis suasu, qui eas loco venæ sectionis posuisse videtur. Aurelianus verò ex vtraque parte gutturis, quam Græci anthere na vocant, nos rumam. Quidam venam frontis & linguæ secant: quod ages dum prouisione totius habita, plethoricis à causis premitur caput. Quin cauteria à capite reuellentia proderunt. Præparentur succi ad exclusionem. Si à

PRAEPARANTIA.

pituita, eadem vsui erunt, quæ in epilepsia A vomitu & clystere, paretur materia decocto calaminthæ,

thymi, thymbræ, chamædryos, chamæpyt. melissæ, anisi, pæoniæ, betonicæ, inulæ, seminum citreorum, macis, nucis myristicæ, caryophyllorum. Scribonius Largus & Marcellus laudant hyssopum & marrubium. Addimus his oxymel, syrupum stœchados, menthæ, absinthij, marrubij, hyssopi. vel propinamus mulsam cum hyssopo, origano, & talibus. Si fuerit à sanguine, offeres decoctum fumariæ, lupulorum, ceterachi, capillorum veneris, boraginis, cassutæ, florum cordialium, passularum, sebesten. Adiicimus syrupum de cichoreo, & de bizantiis. Si à melancholiâ, mitigetur illa decocto buglossi, scabiosæ, fumariæ, florum cordialium, radicum aperitiuarum, corticis tamarisci & capparorum, radicis pæoniæ, inulæ, glycyrrhizæ, seminis anisi, melissæ, passularum. His consocia syrupum fumariæ, byzantinum, & de epithymo, de scolopendrio, de cichoreo, vel mel rosatum. Parata materia, apertísque viis, excludatur.

Pvrgantia. Si à pituitâ, vomat ilico, & enemate vtatur: diaphœnico, diacarthamo, diaturbith cum rhabarbaro, electario Indo, pilulis de agarico, & cocciis: nam has laudat Razes: ellebori extracto. Cùm à sanguine, diacatholico, mannâ, fumariâ, electario de psyllio, & talibus purgamus. Vbi à melancholicâ materiâ vitium fouetur, purga senâ, epithymo, myrobalanis, diacatholico & hamech, cum decocto melissæ, pilulis de fumaria. accipe foliorum senæ semunciam: macerentur in diluto fumariæ & anisi: colaturæ vnciis quatuor adde syrupi de epithymo vnciam: de buglosso semunciam. tandem ad elleborum extractum eundum.

Roborantia. Postea roboretur caput. Quando pituitæ vitio malum enatum fuit, hac exclusa, sumat conseruam rosmarini, vel calendulæ, lauendulæ, electarium exhilarans cum conserua menthæ. sumat hæc sub noctem. sub auroram verò propina theriacam, mithridatium, auream Alexandrinam. Commendant veteres pæoniæ nigræ si quis acceperit grana quindecim, trita & macerata in aquâ pæoniæ. hæc dantur quatuor horis ante prandium; & id agat integro mense. Præterea decoctũ guaiaci & sassafras vtiliter præscribitur cum pæoniâ. Accipe theriacæ drachmam; angelicæ scriptulum: aquæ angelicæ, & cardui benedicti cuiusque sescunciam; fiat potus. vel aquis illis adde aquæ theriacalis drachmam. A sanguine si fuerit incubo, sumat sub noctem poma aurantia, myrobalanos conditas, cum semine pæoniæ & coriandri. A melancholiâ enato malo, vtetur conseruâ boraginis, melissæ, citreis conditis cum cortice, cornu asini Indici, bezoar.

Topica. Foris admonet Cælius Aurelianus diachylon, & diameliloton, & dropacē. Accipe picis partes quinque: olei spicæ vel mastiches, partem vnam; calide admoueatur. sed ne pertinaciùs hęreat, detrito linteolo implicetur. Si incurrit à nocturno frigore, oleo rutino, costino, laur. anerh. vngatur caput. Sacculi fingantur indito rosmar. chamæmelo, stœchade, caryophyllis, mace, styrace calamitâ, beniouino. Quod si ab humido aëre immineat, illinatur caput masticino, absinthino, adiecto caryophyllino. Aurelianus stomacho etiam admouet lintea ex oleo calido. caput etiam purgetur gargarismis ex decocto hyssopi, cum oxymelite. masticet pyrethri conditam radicem.

In infantibus. Infantuli hoc malo occupati gemunt ac quassantur dum dormiunt, excussi mox somno eiulant atrociter: calor & color illis alienus est à naturæ lege; animáque fœtet. Castigetur improbum lac qualitate vel copia, ne corrumpatur, desinátque stomachum vellicare. Cibus omnis extra noxam sit copiâ, & vi suâ. duros vitet cibos, & etiam vinum. Si purgandus, id fiat melle rosato. Venter foueatur decocto absinthij, & rosarum ex vino rubro: etiam ceratum stomacho admoue. Corallum rubrum appendatur ventriculo. insperge quid pulueris archon vel diamoschi cibis.

Victvs. Victus ratio eorum qui hoc malo inequitantur, hoc modo ineatur. Loco dormiat modestè calido: vitet nebulosas sedes. fugiat Solis ęstum, Lunæ radios, gelu, vẽtum, ignem, fumum. Victum tenuantem & incidentem præscribit Razes, vbi à pituitâ. imò Cælius Aurelianus diatriton illis imponit; & hinc cibum simplicem, facilem, paruum, sorbilem. quin, auctore Æginetâ, tenui qui victu vtuntur, ab hoc liberi sunt. Latrante itaque stomacho cibum ineant. fugiant cibos duros, & veterem carnem bubulam, & ceruinam, grandes aues, & in aquis escam captantes, oua frixa, caseum. Cœna sit frugalis; & à flatulentis abstineat. Condiantur cibi betonicâ, maioranâ, rosmarino, &c. Vtantur carne vitulina, veruecina, auibus montanis, piscibus saxatilibus, capparibus ex oxymelite. A cœnâ, vt arceat vapores, partem accipiat talis edulij: Accipe diacotonei, conseruæ rosatum, singulas sescuncias; coralli puluerisati drachmam; coriandri drachmas binas: seminis pæoniæ drachmam; macis, cinnamomi singulos scriptulos: addi possunt semina cuminantia, mentha, caryophylli. A sanguine si sit, dehortandum erit à dulcium ciborum esu, & à vini potu: nam sanguinis copiam suggerunt. Bibat melicratum hyssopites: qui à pituita fatigatur bibat cum radicibus incoctis fœniculi. & cereuisiam mediocrem. in fine pastus non bibat. Non accedat lectum nisi tres horas à cœna, hoc est, cùm in imum ventrem dilapsus est cibus: nam ita vapores non incurrent caput. Vitet supinum decubitum; is enim caput replet. Circa lectum sternatur ruta, thymus, pæoniæ radix, lauendula, nigellæ semen. Puer etiam ilico à cibo non dormiat: mel lingat: & solus non cubet. Venus vitetur. Exercitationem inferarum partium præscribit Razes, & frictiones. Densi pectinis capillorum decussionem, capitísque detonsionem præscribit Aurelianus.

Empirica. Collo gestet corallum, & pæoniæ radicem, pyriten lapidem. lupina pelle tegatur noctu: ita mormonem hunc fugabimus.

Capvt XXIII.

De Epilepsia, *seu morbo Comitiali.*

Nomen. Epilepsia vocabulum sumsit, quòd sensum atque mentem pariter inopinatóque apprehendat. ab ἐπιλαμβάνω, quod est apprehendo. vel quòd ἐπιλήπτους à dæmone occupari crederent. Hac eadem de causâ sacrum dixere morbum, vel quòd diuinitùs putaretur immissus: siue, vt ait Aurelianus, quòd sacram contaminet animam: siue quòd in capite sit, quod sacrum templum est animæ, vt aiunt philosophi.

De morbo sacro. In capite enim, dicit Hippocrates, nobis lætitiæ, voluptates, risus, lusus, mærores & anxietates, sapientia & intelligentia, cognitio turpium & honestorum. quasi dicat, natura est diuina; ea autem maximè elucet in capite.

Aretaeus. Verùm & aliâ ratione hoc nomen habet, aut ob magnitudinem (omne enim magnum, sacrum dici consueuit) aut quòd non humanâ ope tolli queat, sed diuinâ: aut quòd dæmone correptus homo esse videatur: aut ob hæc consociata, morbus sacer appellatus est. Veteres etiam νόσον μεγάλην appellarunt, Sonticum vertit Gellius. (20. lib. 1.) vocant & ἡρακλείαν νόσον: quòd * τὸ δυσκαταμάχητον significent. (* insuperabile.) Hippocrates etiam παιδικὸν πάθος nominauit, vtpote solemne pueris madidioribus. Quidam Elephantiasin appellarunt, à magnitudine. Plurimi Lunaticum dixerunt, quod Luna sub Sole latenre nati, hoc occupentur. in sacris literis lunatici dicuntur quorum morbus lunæ ascensu increscat; quòd diabolus

bolus lunaria seruet tempora, vt creaturam infamet, in creatoris blasphemiam. ita σεληνιαζόμενοι appellantur σεληνιαζόμενοι. & luna præest frigenti humentique naturæ. Latini etiam morbum caducum, & comitialem denominarunt: quòd in comitiis & hominum frequentiâ maximè inuadat. *Calamitas huius.* Deterrimum genus morbi. Plinius sua ætate (quod nec iam insolens) ad nomen epilepsiæ despui suerum scripsit. Quæ trepidatio doctissimo medico Aretæo hanc sententiam expressit: Varium & portentosum genus morbi est epilepsia, terribilis vtique, in accessionibus peracutus & perniciosus, quandoquidem accessio vna hominem rapuit. At si vim morbi ferat æger, molestè tamen vitam ducit inter fœditates, ignominias, & dolores. Nec facilè recedit, sed ætatibus melioribus, & pulchriori tempore viget. Triste spectaculum, turpis & eius finis, cum spontinâ alui & vesicæ solutione. Exhorresco quoties laboriosum & periculi plenum malum in mentem venit, eiúsque fœditas, & calamitatis opprobrium. Si se in accessionibus spectarent ægri, & quæcumque patiuntur cernerent, non vltrà vitam ducere tolerarent. Verùm quæ singulis atrocia fœdáque insunt, sensus priuatio intuendíque sublata facultas abscondit. *Solus homo an epilepsia tentetur.* Tam fœdà calamitate Aristoteles solum hominem inter cuncta animalia rapi dicere viderur, vbi quærit, Vnde fit quòd vni animalium cunctorum, oculi per limitatem deprauentur. *10. Lib. 23.* Plinius verò coturnices damnatas mensis prodit comitialem propter morbum, quem solæ animantium sentiant, præter hominem. Eadem ferè Iulius Solinus in Polyhistore. Plutarchus capram etiam hoc morbo tentari refert, proptereáque veteres sacerdotes, eâ vt morbidâ abstinuisse; quòd gustantibus, aut tangentibus modò, aliquid morbi eius affricetur; & qui eo tenentur morbo, similem capellæ vocem ædunt. *Definitio.* Est autem Epilepsia, iniussa vniuersi corporis conuulsio, cum læsione sensuum atque mentis, quam ædit cerebri proritati contractio, mox spinalis medullæ, & inde neruorum omnium, motui atque sensui præfectorum. *Explicatio definitionis.* Dixi esse Conuulsionem. est enim spasmus totius corporis, non tamen perpetuus. variè, modò hæc, modò alia mouentur, nunnunquam cuncta simul inæquabiliter quatiuntur. vnde Razes inquit, in terram subitò cadit, ac conuellitur. Dixi, Vniuersi corporis. subiectum tamen morbi est cerebrum: at symptomatis subiectum est totum corpus: nam morbus est conniuetia sinuum cerebri, oppresso cerebro in concussione ad excussionem; vnde conuulsio vniuersi corporis per contractionem τῶν προφυέντων, id est, propaginum. qui tamen nerui ἰδιοπαθῶς non affliguntur: cùm, cerebro ab iniuria vindicato, membris ilico vsus redeat. *Galen 1. loc. aff.* Dixi, Cum læsione sensuum atque mentis, vt discriminaretur à tetano & eius ideis: nam epileptici non audiunt, non sentiunt, nec quid circa illos fiat meminere: nam bis ratio & memoria læditur: quare, caligante animâ, non vident; statúmque sensus, vt loquitur Theodorus Priscianus, penitus alienat. inde enim dicta, quòd sensum atque mentem pariter apprehendat epilepsia. Non itaque sentiunt, quia spiritus eò non perueniunt animales: vel quòd communis sensus sit caligine obductus, ob nimiam cerebri compressionem. id ei euenit quod homini cogitabundo, qui prætergredientes familiares, quamuis apertis oculis, non videt, locúmque ad quem tendit præterit: occupata alióque conuersa mente. nam, vt scribit Quintus Horatianus, mens à propria sede exterminata, grauiùs attentatur: vnde antiquiores sub religionis cuiusdam imagine, sacram passionem nominauerunt. Dicet quis, per vnum neruum cùm defertur sentiendi & mouendi facultas, non poterit motus persistere, sensu exstincto. Respondeo, vt sensio fiat, duobus opus est, alteratione instrumenti, & huius alterationis perceptione: at hîc sensus communis præpeditus est, & alterationem in instrumento factam non percipit. Dices, Auicenna ait sensum non prorsus tolli. vult dicere quòd actio communis sensus impedita est, etsi prorsus exstincta non sit, vt dormientibus. In definitione scripsimus hanc edi à cerebri proritatione. illa etenim proritatione contrahitur cerebrum in semiangustiam, ab illita viscosa materia, vel aura maligna & venenata: ita ex corrupto semine circa locos, sursum quid effertur. illam malignitatem cùm abigere à se nititur cerebrum, in semiangustiam se arctat: nam hæc nasci potest à subsidentia, vel obstructione. etenim asserit Galenus cerebrum non aliter expellere posse ac ventriculum. Adieci definitioni, Spinalis medullæ: cuncti fatentur sinus cerebri anticos & posticos in querela esse. sed Galenus sexto Epidimiôn penultimo Aphorismo, præter hos sinus meminit initij spinalis medullæ. *4. Loc. aff. 2.* verùm hoc locum solùm habet in contumaci epilepsia; quæ per idiopathiam solùm enata fuit. Sed semper hîc affligitur cerebrum: dum enim Sol splendet, luce eius totus mundus non fraudatur. *Dubium.* Sed dices, cerebrum tamen non sentit; igitur non proritabitur ad motum. sed quæ exactè sentiunt, sunt sensus principia: talia membranæ. Respondeo, propriæ qualitates rerum quarumlibet comites sunt substantiarum, quarum sunt propriæ qualitates: at medullæ neruorum proprium est vt sentiat & aliis sensum præbeat: Ergo cerebri etiam medulla sentiendi vi prædita erit: nam eiusdem est cum neruis substãtiæ: sola siccitate & duritie differt. Quòd verò membranæ accuratè sentiunt, non probat sensus esse principia: sed apta esse docet, quæ hoc modo sensus vim recipiant. Vt quòd aqua validè humectat, id Peripateticis non persuadebit aërem non omnium humidissimum esse, quamuis non æquè conspicuò humectet ac aqua. Si verum est cerebrum non sentire, hoc fieri potest ineptitudine instrumenti: nam valdè humet. Si dixeris optimè ad sensum comparata esse instrumenta humida: dicam, non quantumcumque humida esse debent, sed symmetriâ quadã. Nec sentiunt mẽbranæ, nisi neruos alicunde recipiant. nec nerui in se & ex se has vires habent: sed à cerebro continuò accipiunt: eo modo vt aër lumen à Sole. sed sunt instrumenta & vehicula facultatum & spirituum quæ fluunt ex admirabili cerebri fabricâ. Nec spiritus suâ substantiâ, sed quoad est perfusus radiis animæ, sensum adfert membris. *Lib. De odor. instrument.* Et Galenus non inficiatur ventriculos cerebri sentire: nam inquit quosdam aëria attracta, in profundo cerebri sentire. Addidimus definitioni, Inde neruorum omnium: non quòd hæc conuulsio epileptica sit neruorum conuulsificam causam intra se habentium, nimirum repletionem vel siccitatem: sed quòd, vt ait Aurelianus, afficiatur omnis neruositas, sed principaliter caput. Hæc de definitione: nũc ad causas. *Causæ.* Morbi origo est mirabilis, inquit Aretæus, & præter hominum opinionem, quippe nonnulli hominibus flagitiosis à lunâ immitti existimant. Variè & doctè de eius causâ disputat T. Erastus parte quartâ contra Paracelsum, & D. Schenckius fol. 9. Disputationum physicomedicarum: hinc qui subtilibus delectantur hauriant.. nos breuiter quæ curationi opportuna sunt adferamus, primúmque focum mali exploremus. Totum corpus concuti hoc in malo diximus, ac sensus lædi: itaque principium sensus & motus, nimirum cerebrum affligi consentaneum est. In cerebro tria spectantur, membranæ, cerebri substantia, & sinus, in sinuum affectibus, motiuæ facultatis actiones corrumpuntur: sensitiuæ auferũtur.

acerbos dentitionis dolores, maximè vbi infirmum fuerit genus neruosum, & ob voracitatem. Sed plerumque aduersa lactantis valetudo, temerat eam quæ felix lactentis erat. Quare puerorum epilepsia non solùm ex semine parentum contagione quadam inseritur. sed tamen nonnunquam ex vtero ducitur, etiam integris intactísque ab hoc malo parentibus. Fœtus, inquit Hippocrates, in vtero interdum non expurgatur; vnde euadit spissior, crassior, & iusto excrementosior. hinc cùm in lucem æditus est, madores ore dimanant naribusque effluunt, vel pueri vlceribus circumfluunt, &c. Si ab ortu hæc illi euenerint, ab epilepsiâ illi non erit metus. sin muodus ab ortu perseuerarit, epilepsiam incurret.

Lib. De morbo Sacro.

Hoc modo per protopathiam & idiopathiam obnascitur epilepsia. nimirum ex materiâ crassâ, vt ex pituitâ, maximè in pueris, à voracitate: & in senibus interdum ex melancholiâ: nam hi interdum melancholici fiunt. Diximus epilepsiam nasci ex obstructione, vel subsidentiâ, obstructionem verò proficisci ex materiâ crassâ, eaque corpulentâ, vel vapidâ. hactenus de crassâ corpulentâ. Fit epilepsia ex materiâ vapidâ; hæc est vel copiâ vel qualitate in vitio. Vapor si copiâ epilepsiam committet, hæc non surget à materiâ calidâ aut acri, sed à materiâ pituitosâ vel melancholicâ. Hic vapor prodit à toto corpore, vel ab aliquâ peculiari corporis parte, maximeque à ventriculo pituitâ fatigato. vt verò infarctus fiat, opus est copioso vapore. De hac causâ loquitur Auicenna, cùm ait, Et multoties fit epilepsia sine spasmo sensato: ideò quòd materia faciens eam est subtilis, & operatur cum repletione, non cum malitia vehementi. Sed obiicies, Si hoc verum, quid causis differet epilepsia ab incubo? nam hic nascitur ex crasso pituitosóque vapore, à ventriculo elato. Respondemus, necesse est vt illa vapida materia epileptica se immisceat sinubus cerebri, ac vt figatur horum sinuum latebris: quod in incubo minimè fit. quare incubus primum vestigium ponit ad epilepsiam. vel surgit hic vapor à toto corpore, vt in pituitosis interdum febribus earúmque crisi. Sed dices, cur quibusdam solùm hominibus hoc euenit? Respondeo, * ἰσυμπτωσίας causa est cerebri imbecillitas, vel quod sit ἰσαίσθητον cerebrum ob texturam membranarum nimis raram, vnde facilè irritatur, quemadmodum ob imbecillitatem facilè repletur. Hoc ergo modo epilepsia nascitur ab obstructione, à materia nimirum crassa, vt à pituita, melancholia, vel vapore crasso copioso: sed quæ ab his succis prodit, est vera illa epilepsia, quæ fit per protopathiam & per idiopathiam, estque grauissima quam verò à copia vaporis enasci diximus, fit ferè per sympathiam. vtraque tamen infarctum quendam inuehit. Fit etiam epilepsia per sympathiam sine obstruente materia, ex conniuentia sinuum cerebri, his nimirum contractis à qualitate vellitante, eaque pura, mera, & maligna, vt ait Auicenna; vel ab aura quadam tenui. Malignam enim hanc noxam cùm sentiunt sinus, eam nituntur exprimere. Sed qualis illa praua qualitas sit, nescio: ἄρρητον quiddam esse mihi videtur. mole sanè est minima, vi maxima. Hæc naturæ aduersa qualitas ascendit à parte aliqua, in qua virus latet. vt in abscessu diuturno, carie corrupto osse. ita à febris malignæ vapore si adsit cerebri εὐπάθεια. & à parte quæ foris est, neruosa, vt manu, crure. pessima est à pericranio. Non itaque omnis epilepsia consociatur veneno, sed hæc solùm, si enim omnis epilepsia iunctum haberet venenum, in pueris & cunctis qui ab idiopathia cerebri laborant, nunquam desineret, sed perpetuò à causa venefica ocij oescia exacerbaretur. à vermibus

3. Loc. aff. 7.

Aëtius.

Dubium.

a facilis lapsus.

3. Loc. aff. 7. & 2. Loc. aff. 9.

etiam intestinorum hæc idea contrahi potest. hoc est à vapore mordaci, putrida exhalatione, & fœtida virulentáque, vt à bitumine cornibúsque caprarum vstis euenire videmus hoc malum. Sæpe etiam à ventriculo nascitur hæc calamitas, vnde vellicatione quadam sidunt sinus cerebri. non loquor iam de vapore illo crasso qui ex pituitescente ventriculo exspirat (nam de hoc antea egi) sed de prauo succo, vt euenit quibusdam gracilibus hominibus, hoc est, venis & ossibus amplis: his ieiunis influit sanies biliosa stomacho sensili. nam maxima est cognatio stomachi cum capite. hoc contigit illi Grammatico. Sed opus est vt succi illi admodum corrupti sint qui à ventriculo hanc passionem mouebunt. corruptio etiam chyli insignis hoc faciet. Auicenna ait à cunctis abdominis partibus huc tædium proferri posse: & à suppressis mensibus, aut ab humiditate in vterum effusa. Breuiter, epilepsia ex protopathia cerebri, fit ex materia crassa. vel per sympathiam, ex venenosa qualitate vel aura, ex parte neruosa: vel ex ventriculo, à materia pituitosa, vnde vapor crassus semiangustiam facit: vel acris succus vellicatione neruorum, qualitatéque vel aura naturæ aduersa subsidentiam facit sinuum cerebri. Hactenus de causis internis. Externæ causæ sunt duplices, aliæ promptum faciunt corpus ad epilepsiam: aliæ iam promptum corpus impellunt in epilepsiam. Aurelianus plerumque de vinolentia, aut indigestione, vel contusione incumbere scripsit; Asclepiades verò percussu meningum. Galenus ex nimio ocio huc abduci putat: hinc enim succrescit cruditas & pituitæ copia. Montanus duos nouit qui ex animi ægritudine in hanc calamitatem tracti fuere. consternatio subita. Pueri à terrore, vel atroci spectaculo, aut à terribili sonitu, vt à subito clangore tubarum in hunc morbum interdum incidunt, maximè si habitiores fuerint. scribit enim Aristoteles, pueros εὐτρεφεῖς, id est bene nutritos & obesos, maximè tentari spasmis. Vernus aër epilepsiam profert: non æquè hyems: scribit hoc Auicenna secunda primi, vbi ait, epilepsiam Septentrionalibus non ferè contingere, quia sint introrsum sani & calore exuperanti: quod si eueniat, esse atrocem, quia causa sit præpotens. Quibusdam cùm in lue venerea vnguntur hydrargyro, quid in autem incidit, quo tracto in cerebrum, epileptici euadunt: nam eius etiam vapor dissipat spiritus animales: viden vt stannum & plumbum in puluerem comminuat, si his mixtum incandescat foco? Aliæ sunt inter externas causas, quæ corpus quod eò nutat, in epilepsiam impellunt. vt nimius motus à cibo si ineatur ab his, quibus caput pituita natat. Gagatis lapidis odor si cerebro hæserit, prosternit epilepticum. ita quicquid caput implet, vt nimis bonus vel malus odor, vt styracis, thuris, bdellij, cornu ceruini vel hircini, bituminis: esus apij, & hepatis hircini vel hircini, & myrrhæ. ira, fames, vigiliæ, frigus, consternatio subita. Hæc de causis: ad signa veniamus. Notum cunctis ferè malum. quidam tendonibus conuulsis iactitant crura: id genus calamitatis, inquit Aretæus, non dissimile est iugulatis tauris: ceruix incuruatur, caput variè distorquetur. linguam magnam habet: periculumque est, ne illam dentibus abscindant. vox eorum nihil nisi gemitus & suspirium est. spumam fundunt ore, & quatiuntur, & instar caprarum vocem exilem edunt. Sed maximè laborandum vt imminentem deprehendamus, ne subito casu periclitetur homo à præcipitio. Hos, inquit Q. Horatianus, ante commotionem aliquando casus occupat repentinus. Qui grauiùs exagitantur, hi, imminentibus commotionibus, grauari sua membra præsentiunt, pigrescontque

5. Loc. aff. 5

Externa causa.

5. De sanit. tuen. 6. Consilio 50.

7. Hist. animal. 12.

3. Aph. 20.

Cal. Aurelianus.

SIGNA.

que, & oscitant; oculus ferocior euadit, dentium stridor sequitur, præcordiorum cum tensione à flatibus, confunditur vox. insolens quædam obrepit obliuio cum carcariâ, vertigo, venarum colli repletiones, inquit Aretæus. *Aretaus.* Et cùm iam iam imminet accessio, prosplendentia macularum marmoris similia, marmarygmata vel marmarygas Græci vocant, vel araneatú cassibus similia ob oculos versantur, & quasi iris cæli prætenta videtur, aures sonant, fœdum odorem sentiunt, & irâ percelluntur. Fragor quidam interior, quasi à lapide vel ligno verberentur, quare in nouo malo, cùm surrexere existimant aliquem eos ex insidiis verberasse. præ oculis, inquit Aurelianus, scintillarum fingibilis visus circumferri sentiunt: & oculorum adest intentio. difficilis egestio ciborum. sudor roscidus rigenti corpore. dolor à tergo inter scapulas. pauores in somno. expuitiones frequentes. Qui plura velit, legat Aëtium. Iam ad differentias pergo. *Differentiae.* Differentiæ epilepsiarum variæ sunt, pro varietate caussarum, & locorum in quibus stabulantur. Aut nascitur ab obstructione, vel à subsidentiâ sinuum cerebri. ab obstructione, à materiâ pituitosâ vel melancholicâ parietibus sinuum adhærente, aut à vapore crasso & copioso. quæ fit à materiâ, est vera conuolsio ex repletione cum tensione (nam cùm à sympathiâ oritur, illa abest) efficitque epilepsiam per πρωτοπάθειαν. vel prouenit epilepsia ea subsidentiâ sinuum. verùm hæc non est conuulsio ex inanitione, vt voluit Auerrhoës, *9 Collect. vit.* sed per consensum. nam conuulsio hæc faciliùs abigitur; illa verò, quæ à repletione, ægriùs. Quare quæ fit ab aurâ venenatâ, nec repletionem, nec inanitionem agnoscet sui caussam: est tamen conuulsio, qualis in singultu. Hinc est quòd scripsit Auicenna, in epilepsiâ conuulsiones fieri, vel ea repletione, vel ex contractione, vt excluderet inanitionem. Ab inanitione enim fieri nequit, quia subitò incumbit: ita non euenit spasmus ab exhausto. nec ad tantam siccitatem, integrâ vitâ, cerebrum peruenit. *6 Epid. in fine.* A loco affecto, vel afficiuntur tantùm sinus cerebri, vel etiam initium spinalis medullæ, vel cerebri substantia validiùs vnâ affligitur contumacior est, cùm cerebri substantia validè obsidetur, vt scribit Alsaharauius & Nonus. id ita accipe, vt semper tamen sinus cerebri præcipuè in querelâ sint. Cùm ex πρωτοπαθείας est epilepsia, tunc & sinus & spinalis medulla affligetur. dum verò sinus soli afficiuntur, ex sympathiâ erit. Interdum à parentibus ducitur malum, interdum est accessorium. accessoria epilepsia est antiqua, vel noua. estque fortis vel debilis. à materiâ, vel materiæ crassioris expers. per protopathiam; vel ex aliis factâ morbis, vt ex incubo, melancholiâ. est epilepsia quædam periodica, alia periodi expers. Est acutum malum ratione paroxysmorum: longum verò si tardum fuerit motu. contagij est expers. Cælius Aurelianus à præfocatione vteri distinguit atquòd in vltimâ accessionis parte, non afficiantur spumarum fluore per os & nares. *Signa differentiarum.* Iam notas dicamus, quibus singulæ caussæ arguantur. Quæ signa præsentem, quæ mox futuram denunciant, diximus. iam quæ fortem & mitem; quæque eam ab idiopathiâ aut sympathiâ enatam indicent, scribemus: vnaque à quâ materiâ surgat perscrutabimur. Fortem præcedit vertigo: vel dyspnœam habet paroxysmus, cum totius corporis validâ diuturnaque concussione, atque spumæ reiectione: grauis est si paroxysmum exceperit diuturna refrigeratio & stupor ab exhausto spiritu animali. Mitem epilepsiam ostendunt paroxysmi mites, ratioque si ilico redintegretur, & ægrum morbi pudeat. Raxes inquit, si semen excernatur, vehementis mali nota est. Maxima corporis conquassatio & conuulsio, à materiâ eam esse corpulentâ significationem dabit. nam à materiâ quæ fit vapidâ, quæ copiâ tantùm in vitio est, non ita agitat. Num sit per idiopathiam, ita notabis. hanc præcurrit mœror, obliuio, somnia anxia, catebaria, pallor, linguæ balbuties, interdum vertigo, hebetudo omnium sensuum: nam bis plerumque caput debile est, vnde facilè repletur, vt cùm irascitur grauedo adest, nam frigida crassaque materia hîc vegetat. *6. Aph. 18.* subitus rimor, quia tenebræ miscentur spiritibus. nec vlla querela de aliis partibus est. tanta violentia mali, vt interdum partem processuum cerebri abrumperit, naribusque exeluserit, inquit Erastus. *Tom 4 Disput. contra Paracelsum.* Si à pituitâ, ea elicitur crassa & spumosa interdum, & in vrinâ quid fuso vitro simile: hebetudine corpus ignauescit, obliuio vexat, facies albet, res naturales fœcundæ in pituitam sunt; in somnum sunt proni. Si fuerit à melancholiâ, tristes erunt ac taciturni, nisi quòd secum loquantur interdum: adde res naturales, & non naturales. si adusta sit melancholia, diu mente exuuntur, multa effutiunt, vociferantur, vlulant. Quæ à melancholiâ, habet mitiora symptomata quàm quæ à pituitâ crassâ oboritur. Si à parte inuaserit, ipsi ægri clamant vt stringatur pars, & ipsi eam vellunt. Si sit à ventriculo, is in querelâ erit, & trahit ferè cor ipsum: nam, dicit Auicenna, tremor cordis adest. credo eum illud Pauli reddere voluisse, παλμὸς αὐτῷ τοῦ στομάχου συμβαίνει. nonnunquam aderit nausea à pituitâ, & cardialgia à bile, maximè vacuo ventriculo. vomunt quidam bilem, alij pituitam. pituita satietatis tempore, affligit: bilis, inediæ tempore, adestque oris amaror, cardiogmus, sitis, & calore æstuat corpus. pituita verò nauseam adfert. qui ventriculo sunt nimis sensili, ab acri si incurrantur succo, facilè trabuntur: sed hæc concussio non est tam valida, nec tam frequens, potiusque palpitationes & tremores videntur. *Galen. & Aurel.* Tandem symbolis deprehendendum num quis epilepticus sit: vel si fuerit, num sanus euaserit. *Num curatus.* Induantur corio caprillo recenti, cadent, ac non curati se prodent. vel edant & olfaciant hepar hircinum, vel olfaciant cornu hircinum igni impositum, galbanum, myrrham, bitumen quin, inquit Auicenna, interdum boni odores hos præcipitant; & etiam vigiliæ: nam, exhaustis spiritibus, caput replent. validæque etiam animi concussiones hæc possunt. Naturâ itaque epilepsiæ cuiusque deprehensâ, videamus quâ arte excludi ea possit. *Indicationes curatiuae.* Hoc symptoma cùm ortum ducat ex conniuentibus cerebri sinubus, nascetur hæc curandi notio, vt aptis remediis illa conniuentia sese pandat. Et cùm hæc conniuentia auctorem sui agnoscat obstructionem vel subsidentiam sinuum cerebri, peculiaribus cuique horum medelis opus erit. Nam obstructio loquitur hîc euacuatione opus esse, ad exhaustionem genitæ materiæ, quæ obstruit, & etiam ratione materiæ quæ est * ὡς γίνεσθαι, firmandum cerebrum, ne fœcundum fiat in hanc materiæ generationem. ** gigni possit.* Primùm tamen totius corporis est habenda ratio. Sin materia aliùnde inferatur, vt à toto corpore, vel ab aliquâ peculiari parte, de hac curâ habenda. vt si à ventriculo veniat, is erit purgandus & roborandus. Quòd si à materiâ sursum repente ac cerebro sese immiscente malú efflorescat, reuellatur in alias partes, & intercipiatur eius aditus, & robur afferatur parti, ne re diuinâ fœcunditate nouam procudat materiam. Videris quidnam sit agendum: sed vnà videte, num mali vis hæc remedia contemnat, anve vires corporis etiam hæc admittant, hoc dicet prognosis. Si, inquit Celsus, simul totum corpus afficiunt, neque antè in partibus aliquis venientis mali sensus est, sed homo ex *Prognosis. 2. Lib. 3.*

impro

„ improuiſo concedit, cuiuſcumque is ætatis eſt, via „ ſaneſcit. Si verò aut mens læſa eſt,' aut neruorum „ facta reſolutio, medicinæ locus non eſt. Sanè vſu & „ ratione compertum eſt, ægrè hoc vitij genus eximi. „ ratione, nam pars cuius officio vita carere nequit ægra eſt: & cerebrum non ſolùm ſinuum infarctu affligitur (vt euenit in caro & in incubo) ſed illa cerebri ſubſtantia quæ effingit ſinus, maximo percellitur malo. propterea ſi altiùs ſerpat in cerebrum hæc ægritudo, apoplexis calamitoſa excipit. Quare ratio loquitur, contumax hoc malum eſſe, ſiue idiopathiâ, aut infuſo alicunde ſucco affligatur hoc malo cerebrum. propterea Galenus fatetur illum Grammaticum integrè ſanari non potuiſſe. Si natalitia in vetuſtatem cadit, in mortem comitatur. Recens facilè; antiqua (cùm mala per longas inualuere moras) ægrè eximitur. ſi tamen extingui nequeat, ſaltem mitigari poterit. Sed dices, Hippocrates affirmat congenitam ægrè eximi poſſe ſed Galenus libro ſexto Epidemiôn aſſerit eam quæ à malè inſtitutâ diætâ ſuccreſcit, auxiliis medicis euinci: at congenerem vltrò ab ætate domari. Reſpondemus, congenitos morbos ægrè excuti: nec hoc negat Galenus: ſed ait epilepſiam à victus prauitate ortam, vltrò nunquam cedere: ſed quæ innata eſt, etiam vltrò naturæ vi abigitur. quaſi dicat, hæc miteſcere poteſt ſine medicâ manu; at illa, non. Sed cur ætas remedio eſt? quia ſicciora reddit corpora. Et cur quæ à mutatâ ætate perſeuerat vel enaſcitur, non poteſt curari? quia cauſæ immanitatem denunciat, quæ id robur ætatis contemnit; talis eſt melancholica materia, Saturni filia. Si tamen ſuperuenerit quartana, ante viceſimum octauum annum tolli poterit. Scribit Celſus poſt annum viceſimum quintum ægrè tolli, multoque ægriùs iis quibus quadrageſimo cœpit: adeò vt in eâ ætate aliquid in naturâ ſpei, vix quicquam in medicina ſit. Ætatis itaque mutatione cedit, non tamen abſque difficultate. puerilis enim epilepſiæ finē adfert * ἡ τῶν καταμηνίων ῥῆξις: ſicut & viris ἡ ἔκλαμψις, hoc eſt, lumen & ſplendor caloris natiui, ſimulatque ventum eſt ad pubertatem; nam ea abſumit materiam, & neruos confirmat. Ita narrat Hippocrates feminam illam Δυσάνιος Thaſiam, cui oborta febris à menſtruorum ſuppreſſione, conuulſionibus crebra erat, graui periculo defunctam fuiſſe ac reſtitutam, liberali exitu menſtruorum. Prodidit Scribonius pueros vel virgines liberari per complexum & deuirginationem. Celſus ait, Morbus comitialis ante pubertatem ortus non ægrè finitur: & in quo ab vnâ parte corporis, veniens acceſſionis ſenſus incipit, optimum eſt à manibus pedibuſque initiū fieri, deinde à lateribus: peſſimum inter hæc à capite. Sæpiùs, inquit Celſus, viros, quàm feminas occupat. quod malum ſi longum fuerit, vitæ ſolet non eſſe periculoſum. interdum tamen cùm recens eſt, hominem conſumit. Scribonius ſcribit viris faciliùs quàm mulieribus remedium inueniri. A partu tamen mulieris deſerit; niſi antiqua epilepſia fuerit. Hydropicis, inquit Hippocrates, quæ ſuperuenit epilepſia, funeſta. contrahitur enim appulſu cauſæ malignæ & proritantis, quæ à lumbis & ilibus cerebrum incurrit, quæ olim per mēſes vel hæmorrhoides emanabant. cùm enim, inquit, mutuo certent inter ſe maleficentiâ (quaſi dicat, cùm mutuas tradant operas in ægri perniciem: nam vix maior vis αὐτομάτω naturæ inferri poteſt, quàm ab hac reginâ conuulſionū: & hydrops efferam naturam indicat) tum verò, dicit, faciunt profuſiores aluos: nimirum ea ἀτονίᾳ ventriculi tracti in ſympathiam cerebri, vnde lienteria. eſt enim ventriculus omnium νευρωδέστατος, propterea que cerebro omnium συμπαθέστατος. Mulieribus, dicit Auicenna, cunctiſque quibus eſt ſanguis paucus, hic morbus eſt acutiſſimus. & pueris ſæpe ob acumen eſt exitialis: nam venas anguſtas habent, inquit Hippocrates; deinde cùm venæ pituitam non accipiant, in cerebro permanet: & his neruoſum genus imbelle eſt. Scribit ibi Hippocrates, quòd pueri qui ab epilepſiâ euaſerunt cum alicuius partis læſione, non iterum ab hac tentantur: nam fit via excrementis ad illam partem. Prodidit Aurelianus validam acceſſionem ſtrabos oculorum contortione fingere. Peior eſt illa epilepſia quæ per idiopathiam nata fuit, modò æquè ac alia progreſſa fuerit. Peſſima eſt quæ recens continenter & validè, cum anxia reſpiratione recrudeſcit, & ſi deſinat in altam quietem, nec à remediis ſternuat, ſpumaque abſterſa ſæpius recurrat, cum ſtertore, immemorque actorum ſi ſurgat: & ſi ea improuiſo concedit. Illud obſeruatum, epilepſiam quæ fit ab humidiore cerebro, in pueris cùm vtero concipiuntur, diætâ abigi poſſe. at eam quæ ex prauâ diætâ naſcitur, non cedere ſoli victui; verùm vt & ætas, & regionis mutatio concurrant neceſſarium eſſe. Auctor eſt Aretæus, hanc interdum vnà cum ætatis flore euaneſcere; ſed & tum abiens, inquit, quoſdam deformes efficit; pueros quoque pulchritudinis inuidiâ perdit: aut manum inutilem reddens, aut faciem torquens, aut ſenſum aliquem prorſus auferens. Vno die interdum hominem perdit, ob paroxyſmorum perennes exacerbationes. quòd ſi aſſueſcat malo, perpetuus efficitur nonnullis: nam ætatis florem cùm excedit, commoritur: nec medicus nec ætas eam remouet. Interdum, inquit Aretæus, mentem in furorem adegit. & ita deiicit ingenium, vt interdum infatuentur: nam in melancholiam abit. eſt autem melancholia mentis; vt epilepſia corporis. Hæc itaque mala ſibi inuicem ſuccedunt. non quòd ſit ſucceſſio cauſæ morbificæ in alterutrum, vt nimirum, ægritudo mutetur in morbum, & morbus in ægritudinem, relicto priore foco; ſed vtroque malo & vtriuſque foco ſuperſtite, propagatio fit vnius ad alterum. nam epilepſia primigenia, ægritudinem parit animo, ex diuturno metu cadendi: hinc mentis demiſſio & veluti quædam infractio. Iacobus à partibus dicit ſe ſæpiùs obſeruaſſe, quòd ingrauidatæ mulieres hac minimè fatigantur: quas tamen expeditas à fœtu, imò quum his adhuc puerperalia fluerent, grauiſſimè afflictas vidit. Aurelianus ait quibuſdam primi partus tempore hoc malum abire. Refert Cælius Rhodiginus, Si à dextro morbus occipiat, difficiliorem eſſe medelam: ſiquidem dextra validiora ſunt, eoque minus ſpei ad ſanitatem relinquunt. tuncque dextræ auris crebriores fiunt tinnitus, morbo penitùs adacto. Alia itaque grauior, alia mitior: generaliter tamen eſt maligna: & frequentius tarda quàm celer. In quā ſtertor, ſtridor dentium, euerſio partium faciei, vehemens iactatio totius, multa ſpuma. ſeminis effuſio, inque ipſo caſu acclamatio, grauis ea eſt, & rarò curatur; vbi multa ea his abſunt, leuior eſt. Ferè hoc dixero, qui primariâ epilepſiâ occupatur, ni fuerit puer, aut is, qui ea diætâ prauâ in epilepſiam tractus iam non admodum fuerit, nunquam talem curabis. Quare ſi victus ratio & adoleſcentia natiuam humiditatem cerebri non eiecerit ad viceſimumquintum ætatis annum, & ſi impreſſa fuerit hæreditaria imbecillitas cerebro, vertigo quoque acceſſerit, & dyſpnœa, cum tumore & frigore totius corporis, vix depellitur. Si itaque curari malum poſſe exploratum ſit, ad curandum id, nos ſtudium omne conferemus. Veteres variis remediis hoc delere annisi ſunt. Antiqui non

Metho

Marginal notes: 5. De ſanit. (beside "lo cerebrum. propterea Galenus"); 1. Prorr. 1. (beside "ſaltem mitigari poterit"); 6. Epid. (beside "lica materia, Saturni filia"); Ex 5. Aph. 7. (beside "geſimo cœpit"); * menſtruorum purgatio: (beside "rilis enim epilepſiæ"); 2. Lib. 8. (beside "Celſus ait, Morbus comitialis"); Lib. De morbo Sa. ro. (beside "Hippocrates; deinde cùm venæ"); Non eſt μετάστασις, ſed ἐπιγένεσις. (beside "nem, relicto priore foco"); CVRATIO. (beside "tumore & frigore totius corporis")

bito, & frontis recta secentur. Auicenna tandem ad linguæ venam venit. sed intercurrant dies quædam fodicationes has. Si à visceribus attollatur materia, media vena scindatur, suasore Aretæo. Razes malleoli venam pertundit, vel quæ in pollicem pedis excurrit; & ea suris elicit sanguinem per cucurbitulas, dein ex axillari. Sed acurate hæc distinguantur ratione plethoræ, & paroxysmorum. Si enim adsit totius plethora, nec in procinctu sit paroxysmus, & si ab hæmorrhoïdibus vel suppressis mensibus ea enata fuerit, primùm secetur aaillaris interna: dein malleoli ad pedem vena: postea linguæ aut frontis. & si hæmorrhoidum solemnis stricta sit purgatio, hæc concitetur. Si venæ sectio non fieri poterit, ad cucurbitulas deueniemus. has scapulis, dorso, ac tandem occipiti admouebimus: etiam cruribus, coxis, malleolis, poplitibus. Si sit ab idiopathiâ, capiti eas admoueri suadet Aretæus. Si à parte aliquâ efferatur aura illa, huic scarificatæ admoueantur. Aut cutis in vesicas attollatur ab admota flammula Iouis, vel rapsia, sinapi. vel cantharides incorporentur theriacæ: sed tribus diebus antè lac bibat, consultore Aretæo, nam vesicam vlcerant. & locus diu pateat. lepidium ad hoc munus celebrat Aleaandec. Razes consultò vinculis auram intercipit, & vesicas inurit, & cucurbitas etiam admouet. Ita agendum dum aura venenata in cerebrum repit. redeo ad illam quæ succorum fit vitio. Cælius Aurelianus vult vt à phlebotomiâ fotus admoueatur, &, inquit, abstineant à somno cum pauco potu, refectoque ægro cucurbita occipitio apponenda, vertici & temporibus cum scarificatione, & illinendi musculi siagones laxantibus, vsque ad diaphragma, & vesicam & præcordia laxantibus cataplasmatis, oleo communi, vel cyprino, irino, & spongiarum euaporationibus fouebimus. Frictiones occipitis ad ruborem maximè conueniunt. Dropaces laudat Cælius primò longè remotis partibus, hinc vicinis, & patientibus. & sinapismos. Sed vitanda quæ tetri odoris sunt. dicit veteres non Methodicos manus ac pedes sinapisasse: & ante accessionem caput thapsiâ perunxisse. id ille reprobat, & potiùs mitiganda omnia esse dicit. Sed tamen, vt prudenter scripsit Aretæus, nonnunquam opus est ignem capiti inferre. imò ille perforat primam calnariæ laminam. Hoc modo itaque transfigatur: Cauterium inuratur interstitio duorum musculorum, quatuor digitos sub geno, foris. vel in brachiis id fiat: hoc laudat Montanus: & is encheiresin docet Consilio quadragesimo secundo: hæc reuulsionis agenda causâ: nam tanta copia materiæ nonnunquam succrescit, vt capiti sese confertim immisceat: prosilit illa ex labefactatis visceribus, ex quibus perennis quædam succrescit materiæ vbertas. Aut, si perpetua adsit materiæ congestio, occipitio hoc imprimatur. nam in Italiâ pueros vrunt tirione in occipitio, duobus vel pluribus locis, vel etiam in nuchâ. siccat enim. Idem ferè refert Herodotus, Libyæ populos quosdam facere. Si nihil hæc cauteria iuuerint, tandem, & vltimò ad commissuram coronalem venimus; cùm nimirum idiopathiâ omnino fatigatur cerebrum. vel hîc cantharides suffecerint. & fluant dies sexaginta. De paracentesi vide Parei Chirurgiam. Sed cautio adsit, ne vlla fiat vstio aut sectio, nisi post plurimas repetitas purgationes, modò non vrgeat morbi vehementia. Quidam, si illæsa sint ea quæ ab anticis neruis mouentur, vt os, lingua, oculi, illi vertebræ cauterium imponunt, vnde neruus conuulsi membri deriuatur. Quodsi à collo infrà totum corpus conuellitur, à tertiâ ad quintam vertebram cauterium inurunt. Cerulei, & post aures, & in collo propè scapulas vesicatoria admota prosunt maximè his, quibus causa morbi in partibus capitis externis sensim subirascitur: vel aliunde adrepens sensim iis, consederit. Quibus verò in ventre, iliis, inguinibus, femoribus causa delitescit, eturi inseratur cauterium. Hactenus de chirurgicâ curatione, iam ad alia Remedia quædam commodè præscribere videtur D. Gesnerus libro tertio Epistolico, cùm scribit Foreto. In curatione vide quæ sit ætas laborantis. nam si infantilis fuerit, ad nutricem præcipuum curationis studium verti debebit; hæc vtatur plurimo hyssopo. nam iam de Præparantibus agimus, mox in reliquorum remediorum serie etiam puerorum meminerimus. Detur pueris lac cum melle despumato; & si ei adsit creber vomitus & animæ fœtor, deterge pituitam cochleario mellis rosati à somno manè: & ventri tunc imponatur emplastrum ex mastice & absinthio cocto in aquâ & oleo. Nutrix à vino abstineat: vt enim id adultorum capita ferit, ita & lac inde genitum pueri caput inuadit. Quidam his propinant coagulum leporis cum melicrato, & addunt scrupulum visci quercini puluerisati tenuissimè. laudo mel despumatum cui immaduit hyssopum, pæoniæ maris semina nigra, & viscum. & bibat nutrix multum, &, si habitior sit, carnium esum vitet aliquantulum. si ex cachexiâ illa laborat, erit inutilis. Alioqui si crassius eius lac fuerit, tenuantibus vtatur, vt fœniculo, anetho, aniso, rutâ his viridibus, nam sicca, nimis tenuando menstrua concitant: quo nihil est calamitosius, accidit enim lactis copiam, & venus fœtore inquinat lac, & macrum id reddit: quod bonum esse debet consistentiâ, colore, & odore. nec illis propinentur nigra pæoniæ semina, nec eius radix, menses enim euocant. Si non sit infans, præscribemus potiones ex seminibus nigris pæoniæ maris eiusque radice (modò non sit ingrauidata mulier, nam concitat menses) primulâ veris, rutâ, hyssopo, pentaphyllo (quod maximè aduersatur epilepsiæ) nam de eo prodidit Auicenna, si triginta dies cum vino bibatur, epilepsiam curari: vel ex stœchade, pyrethro, origano, acoro, aristolochiâ dulcoratus melle rosato, syrupo de stœchade, oxymelite: si melancholescat materia, syrupo de epithymo, de pomis, cum decocto thymi & epithymi. Conuenit etiam saluia agrestis, betonica, prassium; flores rosmarini, & stœchados; radices asparagi, inulæ, acori; semen rutæ, baccarum lauri; à pæoniæ seminibus abstine, nam astringunt: agni casti, piperis; adiice glycyrrhizam cum passulis. In pituitosâ materiâ si neruosum genus fuerit robustum, propina oxymel scilliticum: sin nerui infirmi, dabis mel scilliticum: & maximè si à melancholiâ fuerit. nam acetum & neruis & melancholiæ bellum indixit. Dabimus mel ad vncias duas. Sed diu perseuerare debet in eius vsu; vel ad dies quadraginta. Accipe radicum pæoniæ maris semunciam: coque ex aquæ libris duabus: dum media aquæ pars exhausta sit; & in fine coctionis adiice hyssopi, origani, thymi, singulos pugillos (hæc inter cætera commendat Aurelianus) adde oxymelitis vel mellis scillitici sescunciam. bibat bis quotidie, dies quadraginta. Alexander affirmat se plurimos curasse decocto hyssopi; id hyeme exhibet cum oxymelite: æstate verò anethi decocto. Accipe succi cardui benedicti depurati & ad crassitudinem cocti vncias quatuor: succi millefolij eodem modo parati vncias tres; sacchari albissimi vncias quatuor: coque ex artis lege: sumat alternis diebus cochlearium; sumat interdum scrupulum theriacæ. Cautio adsit ne vtamur quinque radicibus aperitiuis, nimiùm enim humores tenuant, & vapores excitant. Scribonius

Cucurbitae.

Vndines.

Lib. 4.

9. Lib. 24.

Præparantia. Folio 126 secunda pagina, & fol. 128.

Pueri vt præparandi.

Trallianus.

Cautio.

nius maximè thymum exhibet. Accipe betonicæ, stœchados, cuiusque semimanipulum; seminis nigræ pæoniæ maris drachmam: visci querni drachmas binas; fiat ex aquâ decoctio ad libram vnam: adde oxymelitis & syrupi de stœchade singulas sescuncias. à maiori coctione iungemus oxymel scilliticum, & syrupum betonicæ compositum. Galenus pro puero epileptico quassatam scillam recondit in vase, in quo mel repositum fuit: pelle occludit, toto caniculæ tempore, quod est quadraginta dierum, Soli meridiano obuertit. deinde liquor qui è scillâ desudauit excipitur, & melle addito dulcoratur: dantur paruulis drachmæ duæ, ad sex. Aliud: Accipe syrupum ex succo cardui benedicti, cum decocto cardui. & destillatū cardui, & millefolij, cum syrupo violato. Alij, ob vim siccandi, fimos quosdam exhibent, vt pauonis, cum distillato cardui & millefolij. quibusdam caninum stercus in vsu est. noui qui primùm præbent aquam quæ vim bibit sabinæ; mox drachmam cranij asinini propinant ex vino hyssopi vel pæoniæ. Præclarè ad salutem facit decoctum ligni guaiaci cum violis: vel cum hyssopo & pæoniâ, aut betonicâ, vel cum visco quercino: vtatur quinquaginta vel pluribus diebus. Guttulæ quædam liquoris vitrioli si aspergantur decoctis, præclarè auxiliantur. Si melancholescat succus morbifer, vtemur boragine, fumariâ, absinthio, centaurio, radice capparorum, aniso, pæoniâ, passulis, glycyrrhizâ; decoctis inde adiice syrupum epithymi, & de fumariâ. Corpore materiaque exclusioni paratis, purgantia in vsum vertemus. hoc est vbi viæ patent, & vi naturæ materia morbifica sit mitificata, & ad temperiei consistentiæque mediocritatē redacta. tribus enim opus est vt rectè instituatur purgatio; naturæ vi, meatuum libertate, & materiæ lubricitate. Aretæus ingentibus medicamentis atque valentissimis opus esse scribit: nam, inquit, sunt dolorum patientissimi. Sint sanè valida, cùm ex idiopathiâ laborat cerebrum: nam hîc Auicenna elleborum propinat. sed tamen eâ cautione, inquit, ne frequenter ægrum cogamus in vomitum, dum epilepsia cerebri adest. Nec etiam frequenter purgandum: id enim exhaurit spiritus animales, vnde apoplexiæ metus: saffecerit singulis septimanis id egisse semel, ita etiam materia non nimis agitabitur. Si à medio corpore malum sit, videtur vsum pilularum de laureolâ commendare Aretæus. verùm Cælius, cui alienior, commendat elleborum longè à paroxysmo datum, sitque, ait, melle præparatum. tale nos descripsimus libro secundo Methodi nostræ ad praxin medicam: quod sine vllis grauioribus symptomatis præclarè vacuat; vsúque hîc compertâ vi eius innoxiâ, passim vsurpatur iam apud nos, non sine maximo hominum commodo: nec memini vnquam frustrà exhibitum fuisse, S. Deo fortunante tam præclarè hoc remedium. Tentatis itaque lenioribus, mox veniemus ad elleborum nigrum, deinde ad album. de quo ita Celsus, Ter aut quater eo vtendum, non ita multis interpositis diebus: sic tamen ne iterum vnquam sumat, nisi conciderit. Aëtius amplissimam colocynthida cauabat reiectâ medullâ & seminibus, vndequaque pastâ induebatur, vino dulci implebat, adiectis 4. foliis rutæ, & cinnamomi granis decem: feruebat vinum in calidis cineribus: per noctem relinquitur in colocynthide: postride per linteum colabatur, & propinabatur. Mitioribus autem vicissim purga, nunc ventriculum, nunc hepar, nunc caput. Ventriculum (si inde suspicio fuerit) hoc modo, Accipe specierum hieræ drachmas tres: diaphœnici sesquidrachmam: hydromelitis vncias tres. sumat quinque horis ante pastum. Ita interdum offeremus diacatholicum, electarium lenitium. Si in hepatis regione quid latitet, Accipiemus radicū acori semunciam, hyssopi, betonicæ, florum cordialium, stœchados, singulos pugillos: fiat decoctio ex aquâ: colaturæ infūde agarici recenter trochiscati drachmam, vel rhabarbarum: vel horum loco syrupum de cichoreo cum rhabarbaru, vel syrupum de pomis, paratū cum foliis senæ. vel detur extractum agarici & aloës, cum syrupo de succo cichorei cum rhabarbaro. Vel huic præscripto decocto infunde agarici drachmam, cum tantillo zinziberis: & rhabarbari scripulos quatuor, cum tantillo cinnamomi; oxymellis simplicis drachmas tres; catholici drachmas duas: capiat in aurorâ. Sin querela maximè in capite hæreat, præscribantur pilularum cochiarum scriptuli duo: & statim superbibat aquæ pæoniæ vncias tres, cum vnciâ syrupi de betonicâ. dein quinque diebus paretur materia exclusioni. & validiùs purga, adiectis granis aliquot trochiscorum alhandel: vt, Accipe pilularum cochiarum semidrachmam; trochiscorum alhandel grana quatuor vel quinque. ita dantur (vbi melancholica est materia) pilulæ de fumariâ, pilulæ sine quibus: misce semper quid castorei. pilulæ aggregatiuæ, hamech, cum decocto hyssopi & origani. Razes coccias pilulas maximè commendat, cùm à capite nascitur malum. Vina purgantia describit VVeckerus. In melancholicâ materiâ bene coquitur gallus vetus, cum senâ, polypodio, epithymo, thymo, hyssopo, semine pæoniæ, passulis. Si fuerit à ventriculo, & nauseet, vomat: sumat vncias tres diluti raphani cū elleboro & aniso: cui adde oxymellis vncias duas: & pennâ cum oleo irrita gulam. dein da hieram mox emplastrum ex spicâ, rusis, mastice, thuris cortice, vino odorato subactis ventriculo imponit Razes. Si à parte surgit vapor, purgetur homo tryphera Persicâ. si externa sit ea pars in quâ focus auræ malignę, misce pilulas cochias cum pilulis de hermodactylis. Infantulus si laborat lactens, eius nutricula leuiter purgetur prunis, mannâ, cassiâ, fumariâ, myrobalanis, rhabarbaro, agarico, senâ, diacatholico, diaphœnico. deinde sumat theriacam, mithridatium, conseruam anthos, inulæ, acori, melissæ, diamoseum, diacastoriū, oxymel scilliticum; vel quotidie accipiat cochleare mellis scillitici. Si grandior fuerit puer, Accipe radicum & seminis nigri pæoniæ maris, singulorum drachmam; seminis contra vermes drachmam dimidiam; rhei electi sesquidrachmam; mellis despumati vncias binas: vtatur cochleari vno semel vel bis septimanâ, postremâ lunâ, tempestate austrinâ. Si à vermibus, sedes pueri melle illinatur. & accipe agarici semunciam, macera per noctem, exprime, & coque cum melle rosato; adiice drachmas duas seminis pæoniæ maris: lingat puer per interualla aliquid manè. Poterit etiam puer purgari drachmis tribus mannæ: vel syrupo de pomis cum senâ. Vtatur puer lacte cum melle despumato. Infunde semunciam agarici trochiscati in aquâ decoctionis saluiæ: detracto agarico passulæ infundantur dum turgeant: & in nouo decocto saluiæ, hyssopi & pæoniæ coquantur; deinexpressæ coquantur ad mellis consistentiam. bimatum qui superant pueri hoc melle vtantur. Si à stomacho sit, vtatur melle despumato frequenter. Mulier si laborat ob suppressos menses, effusioni eorum studebimus: nepitam & pulegium arida contundes, cribroque subtili excernes: repetes id, dum in pollinem redigantur: da cum melicrato & cinnamomo. si validius velis, iunge sabinam & dictamnum. hæc dabis dum in expectatione sunt menses. Euacuato toto corpore, ad peculiarem capitis purgationem veniemus. Fouebimus caput ex thermis. Errhina non validi odoris offeremus. Sternutatorium commendat Razes ex puluere radicis pæoniæ tenuissimè

contra

Marginal notes: Pvrgantia. — Mitiora. — Fol. 393. — A ventriculo. — A parte. — Si puer. — Menses vt purgentur. — Topica & peculiaris euacuatio.

contusæ: hic puluis naribus per pennam inspiratur. Apophlegmatismus commendatur ex pyrethro cum mastice & cerâ, fiant morsuli auellanæ mole. Vel ex mastice, cubebis, pæoniâ: contunde cum passulis. vel, Accipe pulueris cubebarum, masticis, olibani, singulas semidrachmas; gummi tragacanthi dissoluti semunciam: fiant pilulæ ciceris formâ. Cælius Aurelianus laudat sinapi, piper, staphysagriam; & sternutamentum ex elleboro, pipere, castoreo, & struthio; non tamen, inquit, accessionis tempore: nam præstat soluere turbationem. & acetum quoque per nares reiicit: nam, dicit, stringit cerebri membranas. Balnea sulphurea conducunt. eorum loco hoc fit: Accipe aquæ optimæ libras triginta, sulphuris ignem non experti libras duas; aluminis semilibram: contunde illa crassè; bulliant donec spuma euanescat, ac coletur. Hoc alternis diebus instilla coronali suturæ. His peractis illico hoc admoue: Accipe agarici non præparati semilibram; saluiæ, betonicæ, singulorum manipulos tres; fiat ex artis lege decoctio, & exprimatur: hoc abluatur caput. quod siccatum illinatur oleo abrotani & amygdalino, pari modo remixtis. Gargarismus fiat ex decocto hyssopi, pyrethri, rutæ, cui iunge oxymel scilliticum. Cælius hoc facit ex sinapi. poterunt cubebæ adiici, & passulæ. Semper remisce ea quæ epilepsiæ dicata sunt, vt pæoniam. Puluis spicæ inspiratur auribus, quemadmodum pæoniæ naribus; & id perfectè curare hominem affirmat Arculanus. vbi ab idiopathiâ laborat cerebrum hoc agemus. iniicitur etiam naribus puluis mustelæ vel hirundinis, & auribus quoque balsamus. & oleum caryophyllorum. Audet Razes, vbi oculi & facies rubet, rigare caput oleo & aceto rosato Fiant sacculi ex stœchade, rutâ, pæoniâ, maioranâ, iride, floribus chamæmeli, ligno guaiaco, milio, gummi iuniperi, nuce moscatâ. ex duobus vel tribus horũ fiat sacculus capiti. Sed præstat pulueres inspergere capiti: ex iride & cypero pueris conuenit: & vnge prouectiores guttulis paucis olei caryophyllorum. vel cerotum fiat ex ladano, thure, succino albo, corallo rubro &c. Spinam dorsi moderatè calido oleo inunge: nam ea hic etiam patitur. Tandem, si per idiopathiam obsessum sit cerebrum, si eiusmodi malum poterit, hac arte poterit: Fiat succorum tractio à centro capitis ad peripheriam: quod efficies emplastro, quod ponatur super magnam partem capitis, & maximè imponatur coronali & sagittali suturæ, capite raso. accipe ammoniaci dissoluti, cum pinguedine anatis, vel milui, aut humanâ, vncias duas; fermenti vnciam; sinapi subtilissimè comminuti semunciam; cantharidum semidrachmam; seminis pæoniæ drachmas duas: fiat emplastrum: hæreat dum rubescat & vesicas faciat; deinde aufer, & ex pinguedine miluij fiat inunctio. postea iterum emplastrum apponatur: id toties vicissim fiat, dum exulceretur cutis: quæ per duos menses pateat. Alioqui optimum erit derasum caput sinapismo, vel lepidio solo exulcerare. vel iberidis radix salso adipe suillo excipiatur, & quatuor horis imponatur. Circa quartam & tertiam ceruicis vertebram hoc imponatur: Accipe sinapi puluerisati partem vnam; micæ panis albi tertiam partem: adde ficus, mel & acetum: addi potest euphorbium, sapo, cantharides. Victis omnibus, cauterium imprimatur suturæ coronali: pateat ad duos vel plures menses. Si hysterica fuerit mulier vel prægnans, emplastro pro matrice tegatur venter. Si à parte exspirat aura, à cucurbitulis emplastrum rubificans cum theriacâ imponatur. Si fuerit à punctura acus vel ferri, aperi ferro locum, vt effluat è neruo virus, & oleum rosarum in quo lumbrici coaêre infunde. si dolor non adsit, iunge sulphur. Cùm euasisse videbitur

æger, ne restibili quadam fœcunditate in nouæ materiæ generationem perennet cerebrum, illud roborandum, & ad pristinam vim flecti debet. Accipe seminis agni casti, rutæ, pæoniæ, visci querni, pyrethri, singulas drachmas; castorei semidrachmam: cum melle puro fiat electarium. Auicenna commendat hoc, Accipe seseleos, baccarum lauri, singulorum drachmas tres; aristolochiæ rotundæ, radicis pæoniæ, cuiusque drachmas duas; castorei, trochiscorum scilliticorum, singulas drachmas: misce cum melle despumato: sumat cotidie cum oxymelle. Si fuerit materia melancholica; Accipe conseruæ melissæ, calendulæ, corticum citriorum conditorum, myrobalanorum nigrarum conditarum, singulorum vnciam, specierum aromatici caryophyllati, diamargariti, seminis pæoniæ singulas drachmas: misce cum melle scillitico. Theriaca est præstans remediũ, cum decocto hyssopi, rosmarini, saluiæ, betonicæ, pæoniæ, galangæ ita & mithridatium. Alexander celebrat lapillos in hirundinum stomachis deprehensos, & in puluerem comminutos; hos propinat. & caninum stercus æstiuis caloribus editum. canis 14. dies ossibus nutritur. hoc vtitur (calet & siccat) & spacio quinque dierum exhibetur. laudat etiam craniũ asininum crematum alij illud distillant, & præbent ad grana quatuor id distillatum, cum decocto pæoniæ vel hyssopi. Alexander etiam offert pyrethri conditi cochlear per interualla, donec vndecies acceperit. & vsu id commendatum esse asserit. id interdum cum melle contundit. Accipe cranij asini sesquidrachmã, pulueris pæoniæ maris semidrachmam; mithridatij drachmam; cum syrupo hyssopi, fiat bolus, sumat septem horis ante cibum. vel, seminis pæoniæ, visci, anisi, seminis betonicæ, partes æquas: cum melle fiat bolus. Condiantur radices pæniæ maris. Conserua acori, stœchados, inula condita. syrupus de pomis cum visco querno. Aquæ vitæ indatur theriaca, pæonia, helenium, stœchas, corallum rubrum, & talia: sumat cochleatium, & superdormiat. Accipe castorei, radicis pæoniæ, singulos scriptulos: fiant pilulæ: & vna detur ad lecti ingressum. Manè vtatur oxymelle Iuliani cum aquâ anisi. Doctissimus Forestus describit ex Erasto & Langio aquas quasdam huic malo dicatas, libro decimo, De cerebri morbis, Obseruatione quinquagesimaquinta. vel hoc modo: Accipe visci querni, radicis pæoniæ maris, singulas vncias; polypodij querni, epithymi (si melancholescat) cuiusque vncias binas, specierum lætificantis Galeni & de gemmis, cuiusque drachmas binas; conseruæ inulæ, capillorum veneris, anthos, singulorum vncias tres; aquæ melissæ, buglossi, saluiæ, cuiusque vncias sex; seri lactis libram: comminuantur, & fiat destillatio in balneo: Accipiat sescunciam ter in hebdomade, & misceat quid aquæ theriacalis. Suffitus ex ligno aloës caryophyllis, pæoniâ, mastice, ladano: hoc tegumenta capitis imbuantur. Matthiolus oleum præbet ex fæcibus humanis. Mercurialis teritur cum sacchari æquali parte: macerantur in retortâ octo dies, & distillantur: huius olei datur manè drachma. Aretæus laudat castoreum ex mulsâ potum sæpe in mense. qui etiam theriacam & mithridatium propinat: nam, inquit, coctionem promouent, & vrinas cieunt. Illud ex Septimij Florentis apologetico est, in arenâ iugulatorum nocentum sanguinem recentem de iugulo decurrentem, auida siti solitum hauriri; quòd sic comitiali morbo remedia quæri opinarentur. Aretæus etiam narrat nonnullos se vidisse fiolam subiicientes vulneri iugulati hominis, ac haustum cruorem bibentes: ô fac nus, grande, inquit, malum, malo piaculo depellere! & num ita ad sanitatem peruenerint, nemo mihi, ait, affirmare

Corroborantia.

Fol. 399.

Humanus sanguis an curet epilepsiam.

potuit. Quin, inquit, quendam auctorem legi, qui humanum iecur epulandum proponebat. quin hoc Scribonius Largus proponit, qui ait, quosdam etiam esse, qui sanguinem ex sua vena emissum bibant. Quid diceret ergo, vel quò non fugeret, si nunc hæc monstra videret Pythagoras? Crediderim sanè hæc ex obscurâ Magorum obscœnáque sagarum scholâ profecta esse: nihilque aliud, quàm aucupia Satanæ ad crudelitatem: vt hac vmbrâ velent Magi sua scelera. Mirum enim quàm auidè sagæ sanguinem & carnes humanas affectent. Refert Bodinus obstetricem magam exceptum in partu fœtum in aërem attollere assueuisse, ac ita clam satanæ offerre: mox, cùm adstantes qui aliud agerent, aciculam prægrandem capiti infantulorum impegisse. cumque dati terræ essent, eruisse, ac in tabum sorbilem totum infantem coxisse. ita quadraginta vnum infantes ab illâ, nefario ausu, absorptos fuisse. ad quod alludit Horatius, vbi ait,

Neu pransæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo.

Nam, vt dixi, hæ lamiæ vel sagæ humanum sanguinem sorbent auidissimè. ita sectis faucibus Socratis (id sodalis Apuleij nomen est) accubantis ei atque dormientis sanguinem excepit lamia vase, & obduxit plagam. quod expertrectus Socrates se non sentire dicebat, ludificabaturque, & postridie tamen vitâ defunctus est. Refert Philostratus formosissimam lamiam in suburbano Corinthiaco ab Apollonio Tianæo repertam fuisse, cuius amore Menipus formosissimus adolescens tenebatur, quæ fatebatur se iuuenum corpora deuorare, vbi ad summam sanguinis copiam deuenissent. Propterea iusto Dei iudicio in lupos vertèmutantur magi quidam, restibili ratione, ac in hominem redeunt. quod Septentrionalibus hominibus magis frequens euenit vltimis diebus Decembris. ita permittente S. Deo Nabuchodonozor in bouem transformatus fuit, depascentem herbam annos septem, versâ pelle, pilo, vnguibus, formáque totâ: dein figuram pristinam recepit. Quin ipsi magi & sagæ à Satanâ plectuntur in suis conuentibus, si nil tale commiserint erudelitatis. His in more est postquam Satanæ (horrendum commerciũ) fidem dederunt, ab ipso, eâ maximè nocte quæ inter diem veneris & sabathi, eâque quæ inter lunæ & martis diem interuenit, exportari, vbi illorum occulti nefandique celebrantur conuentus, ibique hirci (qui diabolus est) posticam vel pudendam osculantur partem: mox auerso vultu in orbem saltant, & cum diabolis coeunt: hinc mensa fine sale (qui æternitatis symbolum) sternitur, & edulia ex humanâ carne parata importantur. hanc carnem coguntur sagæ adferre: mille suppliciis dignæ, quæ ita multis variisque sceleribus petunt Maiestatem S. Dei. Hinc puto astutum dæmonem medicinæ humanarum partium intulisse vsum: vt hac nebulâ fucet magorum facinus, quasi ad morbos his vteretur. sed monuisse sat est: tedeo. Pyrethrum conditum præstans est remedium. Optimum quin etiam est electarium Razis, modò, vt ipse ait, hîc sanguis mali auctor non fuerit: Accipit pyrethri, seseleos, stœchados, singulas drachmas decem; agatici drachmas quinque, cardamomi recentis & acuti, liquoris cyrenaici, aristolochiæ rotundæ, cuiusque sesquidrachmam: exprimito ex scillâ succum, & illum æquali mellis portione cõmixtum decoquito; illóque exceptis medicaminibus, fiat electarium. indies æger manè, & tribus horis à frugali cœnâ assumet nucis auellanæ instar, cum cephalico liquore: & interim à crassis cibis abstineat. Matthiolus, De hyssopo, illud commendat: Accipe hyssopi, marrubij, castorei, singulorum semidrachmam; radicis pæoniæ drachmas duas; assæ scrutulum. teratur, & cum succo hyssopi fiant catapotia septem: sumat cottidie vnum, horâ somni. Accipe succi card. benedicti, millefolij, rutæ, melissæ, hyssopi, omnium vncias duas: cum sacchato coque ad spissitudinem: adde visci quercini, radicum pyrethri, puluetis radicum quinquefolij, cornu cerui præparati, singulorum semunciam, cranij asini puluerisati, drachmas duas; mithridatij, theriacæ antiquæ, singulas drachmas sex; conseruæ lilij conuallij vncias duas; aquæ vitæ sescunciam: misce lento igne, manè à somno, & vespeti ante somnum capiat drachmam. Aqua florentis hyperici distillata. hirundines aspersæ castoreo, aquaque macetatæ totâ nocte, exstillantur. Guttæ aliquot exttacti castorei in aquâ vitæ, dantur cum decocto florum rosmarini, saluiæ, & betonicæ. Hactenus de curatione, iam de diæta. Aër vitetur carbonum fuligine inquinatus. & lumen splendidum validè incurrens, & horrendi sonitus absint. Castigetur aër foliis lauri, rutæ, iuniperi baccis, pæonia, ladano, caryophyllis, saluiâ, rosmarino. Sed caue ne vapor nimius caput repleat, aut materiam exagitet. igne interdum luculento alteta aërem. Iubet Auicenna vt vitet capitis frigus & calorem. Olfaciat sæpe nigellam. Finem epilepsiæ iuuenibus adferunt, loci, victus, ætatis mutatio. hæc in calorem & siccitatem transferri vult Aretæus. Nam si victus in quo morbus alitur desietit, non vlterius hominem infestat. Victus sit tenuans, siccans; & copiâ mediocris (dum non sit ab inediâ, qualis illa Grammatici fuit) nam plenitudo & media caput grauant: quare cum allatrante ventre non colluctandum. A frigidis & humidis abstineant, & ab omnibus, inquit Razes, quæ plethoricis causis caput replent. Condiantur cibi pipere, fœniculo, mace, caryophyllis. Carnes sint assæ, vt turtures, turdi, montanæ aues maiorana alteratæ. Auicenna cauendum monet à petroselino. abstineat etiam à leguminibus flatuosisque cunctis, & à piscibus qui crassos succos gignunt. quinetiam lac dulce & pingue vt vitemus edicit Auicenna. Ad mensæ initium veniant folia rutæ viridis, maximâ enim vi siccandi & absumendi madores vegetat, teste Hippocrate. in postremis epulis laudatur biscoctus panis, & radix eryngij melle condita. Parcissimè potet, & à vino potissimùm vespeti abstineat: & omnem crapulam fugiat. Si stomachus in vitio fuerit, cottidie vult Auicenna ea pottigi, quæ ei stabilimentum adferant; sintque cibi euchymi & eupepti. Galenus in consilio pro puero epileptico iubet vt liberali manu cœna præbeatur: at prandium accidit: Auicenna contrà: quid dicas? dico Galenum ad mores puerorum collimate, qui die somnum etiã captare solent. Date in prandio copiosiorem cibum: nam minimè caput repleri debet: maximè autem repletur in somno nocturno. Liquamenta fabricentur ex aceto & cymino. Laudat Aretæus, dum curationi incumbitur, à carne abstinentiam: alioqui, dicit, fiont faciles, vt lepores, & suilli pedes. olera etiam concedit acria & vretica, vt asparagum, vrticam. Sed tamen, vt rectè admonet Razes & Cælius Aurelianus, abstineat à cæpis, allio, sinapi, porris & fabis. vt breuiter cum Cælio dicam, declinet omne quod fuerit acrioris virtutis, siue inflare valentis, aut carnosæ, vel grauis. releuatur corpus ieiunitate: & inquit, veteres non Methodici interbant abstinentiam vini & carnis, & magis porcinæ, caprinæ, & bubulæ. Sed, inquit Razes, fiot cibi attenuantes, incidentes. si sit à sanguine natum malum, abstineat à vino, carne, & à dulcibus: & succum acidorum fructuum potet. Cappares mirè conferunt in cibis. accipe eorum semilibram: adiice aliqoid sacchari & mellis: seruentur per medium annum: ita exuunt noxiam ventriculo

4. Lib. 8. De vita Apollonij.

Diaeta.

2. Aph. 45.

Lib. 2. De morb. caus.

ventriculo vim. Cauenda multo tempore omnis nimietas, vt frigus, vstio, indigestio, viuolentia, libido, fatigatio, lauatio, splendor lucis, odores. Nutricula puerorum epilepticorum eos cibos fugiat qui viscidum gelidúmque succum progignunt; vt bubula, suilla, agnina, pauo, grus, cycnus. Vtatur veruecinâ, gallinis, gallinaginibus. Fugiat veterem carnem pecmaeram, sale fuméve induratam. ex piscibus vescatur solea, passeribus, lupis, gobione, percâ. nec vnquam vltra ventriculi robur se impleat. olus ex fœniculo, hyssopo, chætefolio, melissâ ficus, amygdala, pyra cocta, cappares interdum comedat. Abstineat veteri caseo, lactariis, bellariis, leguminibus. cereuisiâ mediocri vtatur. nigrum vinum fugiat. si crassum sit lac, album vinum modestè bibat. sin tenue fluctuet lac, hydragogis purgetur, vt mechiacan. absit his alui fluxus, peruigilium, multus sudor, animi querela, venus. Optimum autem lac colore, odore, sapore, & consistentiâ noscetur. sit lac casei expers: si enim id caseosum fuerit, facit epilepticum infantem. Puer non plus lactis prolectet, quàm conficiat. sæpe ori eius indatur mel pæoniatum. cunæ coronentur thymo, maioranâ, calaminthâ. & pedum plantæ castoreo illinantur. Caue ne nimio ignis ardore feriatur, vel aëris frigore ne contundatur, vel nimio clamore irritetur, vel somno ne sepeliatur. Pueris grandioribus cibi conspergantur puluere iuæ; puerisque veræ & fictæ absint formidines. heliosin, quâ Sole corpus torretur, prætecto capite, laudat Cælius Aurelianus. Potus cibis respondeat: & alteretur hyssopo, maioranâ, saluiâ, pæoniâ. & melictatum his viribus afflatum: vt si coquatur betonicâ, saluiâ, zinzibere. Si à ventriculo sit qui bile fatigatur, vtatur granatorū succo, endiuia, acetosa. Vinum propinetur paucâ copiâ, sitque oligophorum nam vinum datur solùm ad necessitatem: cùm in tam diuturno malo, ægrè ægri ab hoc detineri possunt. & laudat illud Auicenna si paucum sumatur: nam, inquit, dilatat animam & cōfortat spiritum, & ipsum acuit. Si, inquit Cælius Aurelianus, non adsit membri torpor aut punctio (tunc enim aquâ tepidâ foueri debet) vini dabimus semunciam vel vnciam, medio cibo aquatissimè temperatū. In pueris verò Aristoteli & antiquis non placuit vinum. narrat in Problematibus Plutarchus, Romanos cauisse ne in sacrificiis nutricum adhiberetur vinum, sed lac: ne vinum pueris noceret. Sed bibat cereuisiam mediocrem, imbutam betonicâ & coriandro: puero addat saccharum. ante & vbi Dei incubo, cætera diximus de pueris. primum pultis cochleare aspergatur aniso, cypero, & semine pæoniæ. Si epilepticis vino fuerit vtendum, illud sit guaiaco medicatum, vel hyssopo, saluiâ, pæoniæ radice, visco, rutâ. Aretæus sitim optimam esse ait: alioqui sit vinum senue, album, quod lotium mouet. sed, ex Razis etiam sententiâ à vino abstinuisse præstiterit. A pastu, hoc vtatur: accipe visci querni, coralli rubri, seminis pæoniæ, anisi, singulorum scriptulum; cinnamomi drachmam; coriandi præparati semunciam; sacchari rosati simplicis tabulati vncias tres; ligni aloës scriptulum: fiat puluis: vtatur à pasto. Alius: accipe anisi, fœnicoli, coriandri, singulorum semidrachmam; mentæ odoratæ scriptulum; macis, nucis myristicæ, caryophyllorum, seminis pæoniæ, rutæ, cuiusque semiscriptulum. Ambulationes laudat Aretæus inter suaue olentes herbas: & vt rectæ fiant; non ad mare aut flumina, ob vortices: nec turbines inspiciat. non spectet spectacula. Confert excandescentia carens iracundiâ, auctore Aretæo. Præ cæteris tamen si quæ fides Aureliano, animi laxatio erit procuranda: à disputationum intentione abstineat. refert Suetonius, Iulium Cæsarem bis inter res agendas comitiali morbo fuisse correptum. absit timor, maximè à pueris, si Platoni fides. Somnus non ilico à pastu ineatur: nec in dorso iaceant. nec etiam à cœna studiis inuigilent. verè hoc Celsus, Quibus caput affligitur, iis ne cogitationem quidem à cœnâ tutam esse. Nec etiam somnus nimium irrepat: nam, vt præclarè ait Aretæus, Somnus multus crassitudo est: ocium, nebula sensuum: bonum verò mediocritas. A somno requiescat paulùlum iacens. Prohibuere veteres supra pellem caprinam dormire, quòd passionis faciat motum: id fit, ait Cælius, à graui odore. Caueant à balneis & aceto, à conuentu hominum, & ab iis qui ex eodem morbo laborant. lassitudinem vitet & ignē; & à vaporosis rebus abstineat. Aquas tamen naturales laudat Cælius Aurelianus, sed quæ nullâ odoris vexatione afficiant. Venerem etiam abigit Cælius, quam tamen laudasse ait Asclepiadem. Hippocrates, ait Macrobius, diuinâ vir scientiâ, de coitu venereo ita existimabat: partem quandam esse morbi teterrimi, quem nostri comitialem dixere. namque ipsius verba hæc traduntur: τὴν συνουσίαν εἶναι μικρὴν ἐπιληψίην: id est, coïtum esse paruum morbum comitialem. Alui excretio & flatuum eiectio à somno optima est. Quidam medici Empiricâ delectantur: bis etiam, in hoc maximè morbo, quid tribuendum. Galenus carnem mustelæ siccatam summè commendat. Sextus antiquus medicus, præbet cor leporis siccatum cum thure, ex vino albo: hoc agit septem diebus, quos auspicatur à luna recenti, dum nimirum illa quartam cæli partem abierit. in senescente verò morbo, xxix. diebus id propinat, dum nimirum à synodo, totum orbem luna peragrarit. Scribit Misaldus sibi compertum esse, quòd radix pæoniæ maris euulsa lunâ crescente ac illi blandiente sole radio sextili aut trino, dum is sub Leone decurrit, ab epilepsiæ accessione tuetur; si non fuerit antiquarum malum. Antiqui illi Empirici dabant bibendum lac asininum cum sale: vel sanguinem testudinis marinæ, vel vituli marini, & coagula quæ lacti miscentur; corda equorum, asinorum, vel mulorum; fluminalis cancri testas, & porcelliones; canis aquatilis veretrum atq; testes; cerebrum gauiæ; aquam ferri exstincti: sanguinem mustelæ commendat Dioscorides, & eius ventriculum coriandro fartum & inueteratum. Sed sanguis periculosè bibitur, ni priùs fibræ eius quassu attritæ fuerint: Themistoclem taurinus sanguis potus interfecit. & negat Cælius Aurelianus ex occultis causis, quas Græci ἀδήλους αἰτίας vocant, talia rationes ducere; neque, inquit, ex aliquâ tentatione approbata in vsum venerunt hæc odiosa materiarum genera. Diocles dabat absinthium, centauriū, & lac asininum. Lapis in felle bouis inuentus, lentis magnitudine immissus naribus. Nouus antiquus medicus, lapides ait duos inueniri, In primigenia sobole hirundinis: quorum vnus giluus est, alter albus, album collapso comitiali impones, & surget. nigrum verò cuti alliga. Matthiolus aquam præbet distillatam ex hominum fæcibus: & cineres visci querni vt bibat quadraginta diebus. idem commendat aquam distillatam ex radicibus hyperici dum floret. Quædam nobilissima matrona hac arte sanabat epilepticos, Accipit acetum caryophylleorum rubris floribus imbutum, miscet fæces pauonis recentissimas, traiicit per linteum: propinat hoc nouem continuis diebus. Andreas Balenus olim Hebrææ literaturæ apud Louanienses professor, hoc in secretis habebat, ac cunctos ferè sanabat qui nec in ignem aut aquam vi huius morbi præcipitati fuissēt: Accipiebat mercurialis, & florum tiliæ aquam, quæ ex his remixtis, arte simplici exstillauit: & manè ante cibū vtebatur ex hac tribus cochlearibus, tribus cōtinuis diebus. Sed

Alricula puerorum vt habenda.

Gesner. 2. Epist. 15. in fine.

Lib. 2. De Rep.

Satur. 2. in fine.

Aretæus.

EMPIRICA.

Cæl. Aurel.

Fol. 290. 292

cochlear superstitione non vacat, quod hoc modo parabatur. amputabat mense Maio ramum ex arbore tiliâ, eâ crassitudine præditum, quâ imam humani cruris partem æquet. Hic ramus terram non feriat, sed fune ex arbore dimittatur, & in cubiculo suspendatur ad siccitatem vsque: quod mense vno suffecerit fecisse. inde fingatur cochlear vnum aut alterum. sed tactum à terra cochlear, inutile erit. ab vsu huius remedij, semel grauissimè laborabit, sed postea nunquam. Cranij hominis non humati rasuram misce cum spiritu vini saluiati, vt supernatet sex digitos: digere in balneo quatuordecim dies: exprime, iterumque nouam rasuram infunde. hoc fiat ter: eius quod in fundo est exhibe semiscriptulum cum aquâ tiliæ: in paroxysmo & antè hoc ages. Alexander commendat asini cranium: Scribonius tamen humani meminit. Vel accipe cranij os hoc in quo quiescere cerebrum videtur; id combure, eiusque pulueris semidrachmam bibat ex aquâ pæoniæ. Quidam præbent succum vel aquam primulæ veris cum puluere cordis lupi: alij leoninum excrementum potant, & collo gestant. Semina pæoniæ crasso modo contusa immitte vini spiritui: da cochlearij dimidium cum aqua tiliæ. Quidam annulum gestant ex vngulâ dextri pedis asini. Accipe specierum pleres archon, diamargariti, diambræ, singulorum drachmam: seminis pæoniæ, ossis cranij humani combusti cuiusque drachmas duas; tormentillæ drachmam; seminis rutæ semidrachmam: fiat puluis, quem impones aquæ vitæ: sumat manè drachmas duas cum syrupo corticum citreorum, & guttulâ vnâ spiritus vitrioli. Panis, vbi è furno extrahitur, calentis medulla vitreis organis distillatur: propinantur quattuor vnciæ magno successu. adiiciunt drachmam rasuræ dentis lupini. Paracelsus in paroxysmo oleum gagatis imponit. dein purgat elleboro: postea olei cranij & spiritus vitrioli guttas dat cum aquâ lauendulæ. Heliogabalus, vt Spartianus prodit, comedit sæpe camelorum calcanea, cristas gallinaceis dempias viuentibus, pauonum linguas & lusciniarum: quòd qui his vesceretur, epilepsiam non sentiret. Arculanum meminit radicis & seminis pæoniæ flore albo. præbet etiam coaguli leporini guttas sex ad decem, ex mulsâ vel aquâ rutæ. scribit idem auctor antimonium tota proprietate conferre. cornu cerui potum: cinis hirundinum, hepar milui. Dioscorides asininum iecur assum esui offert: puluis mustelæ potus celebratur etiam. Democritus Atheniensis, inquit Alexander, oraculum Apollinis in auxilium huius mali tentauit: Respondit ille dæmon in hanc sententiam: gregariarum caprarum caput iuxta cerebri basin plenum esse vermibus. oportere ergo veste substratâ, ne terram attingant, illos excipere, vnum vel tres, & indutum pelle nigræ ouis, tenero collo alligare. Potui detur semen nigrum pæoniæ maris, & radix eius de collo gestetur: decrescente luna hæc colliges, Sole Leonem felici pede percurrente. Accipe seminis nigri pæoniæ maris, & radicis eiusdem, aristolochiæ rotundæ, pyrethri, rasuræ cranij asini, singulas sesquidrachmas: fiat puluis: sumat nouem diebus drachmam ex mulsâ, vel ex aquâ tiliæ: vtatur à lunæ synodo dum illa totum impleat orbem. Decoctum rutæ ex vino laudatur ab Alsaharauiâ. & vt pyrethri radix de collo pendula sit. Quidam præbent radicem ireos cæruleæ cum lapide topazin ex aquâ vitæ. Cardanus refert se duos curasse post omnia remedia aliorum medicorum: horum vnus febricitabat, alter clamabat: id egit somniferis capitis lotionibus, & solo potu pulueris chrysolithi ex vino. octo, inquit, dierum spacio conualuere, ita vt nunquam redierit morbus. Nonus, Græcus medicus, præbet ἰερὰν συάγρε fumo siccatam, & tritam cum aceto mulso, ad dies triginta. interpres vertit caudam porci syluestris: puto veretrum vertendum esse. Alij exhibent vesicam apri cum vrinâ siccatam in fumo: fit inde puluis; cuius drachmam propinant ex aquâ pæoniæ, vel ex semuncia oxymelitis: laudatum Alexandro remedium ab vsu: Accipe cranij asini vsti vnciam, rasuræ vngulæ alcis, cornu cerui vsti, visci querni, granorum pæoniæ, radicis pæoniæ maris, tormentillæ, diptammi albi, singulorum binas drachmas; coralli vtriusque præparati, eboris recenter rasi, margaritarum præparatum, singulorum drachmam; foliorum auri, numero xxx. sacchari albissimi vncias duas. tere omnia in lapide porphyrij: fiat puluis subtilis: propina drachmam cum iulapio violato; vel cum aqua liliorum conuallium, aut florum tiliæ, vel cerasorum. Aut accipe rasuræ vngulæ alcis, radicis pæoniæ maris, succini candidissimi, singulorum æquas partes: bibat cum dictis aquis. Aqua cerasorum datur in paroxysmo: alij præbent aquam hirundinum vel picarum. Accipe vernicis, carabæ præparatæ, thuris, caryophyllorum, cuiusque scriptulum: styracis liquidæ, petrolei rubri, quod satis sit ad vnguenti ideam: vngat hoc coronalem suturam. Inure ἰνίον incensâ candelâ cereâ: & vtatur pæoniæ maris radicibus in sartagine cum butyro frictis. Iaspis viridis collo pendeat, ait Nonus. Alexander Trallianus ait: puncta ægri qualibet parte, sanguine os eius oblinito, & surget: sed postea dixit cum è magnis pedum digitis petendum esse. Quidam puerulorum totum corpus inuoluunt linteolo, quod immaduit decocto tussilaginis & visci querni. Mel ex buxo depastis apibus epilepsiam ilico arcet, inquit Geoponicôn auctor. semen gallitrici, flos anagallidis rubens, inula. Plura qui velit, legat Aëtium a. a. 16.

Capvt XXIV.

De Apoplexia, *vel Sideratione.*

Apoplexia dicta ab ἀποπλήσσειν, quod est grauiter percutere: quod tanquam ex lethali percussu, repentinum faciat casum. Sideratio dicitur Latinis: nam veteres fulmen sidus esse putabant: hi enim quasi fulmine tacti concidunt. Attonitum morbum quidam vocant, quia mens & corpus stupent. Hunc morbum vocabant Paralysin tempore Celsi: at, inquit, veteres partium resolutionem paralysin vocabant. Hippocrates, inquit Cælius, vniuersi corporis paralysin vocat. ita & Diocles, Praxagoras, Asclepiades Titiensis, & Demetrius: nam paraplecticos particulis vitiatos vocant. Themison paralysin cum mentis impedimento, apoplexiam vocabat: sine mentis impedimento, paralysin vocabat. Galenus vnius lateris resolutionem paralysin appellat: quòd si parti alicui ea euenerit, eius partis resolutio dicitur. Est autem Apoplexia, functio ablata tum principum facultatum animalium, tum sensus & motus, eò quòd prohibeatur spiritus animalis exitu à cerebro, vel vitalis aditu ad cerebrum, ab oppressione cerebri eiusque sinuum & pororum obstructione. Dixi esse priuationem motus. Sed dices, cur igitur respirant? Respondeo, Respirationem esse actionem partim iussam κατὰ προαίρεσιν, partim iniussam, καθ' ὁρμήν: hoc est, quando nullâ sponte nostrâ, sed tantùm suâ respiratio suscipitur & absoluitur. nam necessitas spirandi, neruos musculosque excitat ad functionem. etenim actio respirandi est animalis: vsus verò est naturalis. ita actio musculorum thoracis in vigilantibus est voluntaria,

Nomina.

3. Loc aff. 10. & 7.

Quid. sit.

Galen. 2. De symp. caus. vlt & lib. De sympt. diff. 3. & 4. De loc. affect. 2.

Definitionis explicatio.

voluntaria, ab electione: in dormientibus verò est ab instinctu, ob necessitatem quæ neruos impellit. Attamen ipsa spiratio hîc vehementer impeditur. hîc enim musculi pectoris omnes coguntur in hoc opus: non ob auctã necessitatem respirationis, sed quia vis est imbellis: & propterea omnes musculi mutuò auxiliari coguntur: nam in omnibus examines sunt, si respirationem exceperis & pulsum. ob summam itaque necessitatem (quæ vim neruis contentam excitat ad actioné) seruatur aliquid anhelitus. Ita in grauissimo hoc malo, quasi animalitate exuitur homo, iacet enim stipes & truncos sine motu: cuius vnius spoliatio satis fuerit ad animalitatis excussionem, vt loquitur Galenus, qui ad essentiam animalis motum spontaneum maximè exigit, vbi ait, * ἡ κίνησις τοῦ ζώου κατὰ τὴν ὕπαρξιν αὐτοῦ ὑπάρχουσα. Iunximus definitioni spiritus exitu prohiberi à cerebro; vt cùm omnes meatus cerebri in angustum arctantur subitò. Dico non solùm ventriculos cerebri obstrui, sed omnes meatus & poros corporis cerebri, vt etiam Vega colligit ex Galeni libro quarto De locis affectis, capite secundo: vbi asserit, illud discrimen esse inter apoplexiam & epilepsiam, quòd quamuis in vtroque hoc affectu affligatur cerebrum in anticis & posticis partibus, veruntamen in epilepsiâ grauius affligi cerebrum circa ventriculos, minùs verò penes corpus: at, inquit Galenus, in apoplexia, ex aduerso, cùm potiùs cerebri corpus in hac affligatur, minùs verò ventriculi eius. Si enim apoplexiam referas ad sinuum cerebri solam obstructionem, oporteret perpetuò præcurrere epilepsiam. & apoplexiæ solutionem sequeretur semper epilepsia; nam tota non potest tolli obstructio, priusquam media auferatur, nec totus sinus implebitur, priusquam medius. Sanè in epilepsiâ fatigantur maximè sinus, ab adhæsu materiæ: at in apoplexiâ obstruuntur etiam neruorum initia. hoc est quod dicit Auicenna, apoplexiam enasci ex obstuctione ventriculorum cerebri, & cursuum spiritus sensibilis & motiui: hoc est, initium neruorum. Quare referimus apoplexiam non tam ad sinus, quàm ad ipsum cerebri corpus. Nec tamen ad intemperiem cerebri hanc calamitatem trásferimus; sed cum Galeno ad malam compositionem. qui asserit cerebri corpus bifariam in vitio esse, vel quòd intemperie affligatur, aut quòd madore repleatur. Aliud profectò est madere, aliud madore repleri. Ergo pori cerebri arctè conniuent, ita vt atrocior horum adsit occlusio, quàm sinuum cerebri. quod aliter in epilesiâ euenit. Dixi in definitione, vel quòd spiritus vitalis aditu prohibetur ad cerebrum: quod fit ab interceptis iugularibus venis, & carotidibus arteriis infarctu aliquo occupatis; vnde nascitur debilis apoplexia; vt mox, vbi De differentiis, ex Auicennâ ostendam. Sed quare hæc pituitæ in neruos incursio non potiùs conuulsionem adfert? Respondeo, Conuulsio fit propriè distentione musculi: sed paralysis fit oppressione vel obstructione nerui. Hactenus de definitione, iam ad causas venio. Causa apoplexiæ, hoc est, eius symptomatis morbus, est cóniuentia meatuum & ventriculorum cerebri. Hæc ita conniuent à compressione, vel ab obstructione. Compressio fieri potest à sanguinis vbertate, vel à phlegmone phreniticâ, aut lethargicâ: quibus aliquando succedit apoplexia. A sanguinis copiâ asserit fieri Galenus, libro De curandi ratione per sanguinis missionem, ea confertim in cerebrum irruente, & cùm asserit.* φλεγμονώδη διάθεσιν apoplexię causam esse, quod fit, venis & arteriis pressis sanguinis copiâ; hinc tensio, vnde in angustum contrahitur cerebrum. Vocat Galenus hanc affectionem quæ referat ideam phlegmones: nam à sanguine est, qui auctor esse solet phlegmones. & talis hîc fit tensio, qualis adest phlegmoni. Pulchrè Galenus vocat hanc affectioné velut inflammatoriam: quòd in phlegmone non solùm sanguis luxuriet, ac ruat ad partem ægram, sed traiicit se per aluos potésve partis, vnde tensio. hac quoque ideâ hîc adeò replentur cerebri vasa, vt pori cerebri opprimantur. non tamen obstruuntur, sed pressioni cedunt. Hoc vidit Auicenna cùm ait obstructionem fieri clausione, vel repletione. Ita à compressione nascitur apoplexia. Alteram conniuentiæ causam retulimus in obstructionem ventriculorum & meatuum cerebri. Sed vnde incurrant hanc obstructionem non eadem est omnium consensio existimant quidam ex crassiore frigidioreque pituitâ hanc perpetuò proficisci: nunquam verò à sanguine aut melancholico succo. Hippocrates tamé neque hunc nec illum succum perpetuum putat in huius mali euacuationem, sed cunctum restagnátem quadam crassitie succum, siue pituitescat, seu melancholescat, aut crassus ii fuerit sanguis, aut copiosus, vel ille grumescat aut concrescat. & libro De flatibus adiicit flatus vasa intercludentes. Eadem sententia Galeni, qui ex crassâ materiâ pronasci hoc malum fatetur. & talis plerumque pituitescit: interdum tamen melancholescit. hinc est quòd à 40 ad 60. annum plerumque homines apoplexiâ percellantur: tunc enim corpora melancholico succo circumfluunt. at senium ab hac periclitatur ob pituitæ copiam. Externæ causæ quæ fœcundæ sunt in iam dictas causas, promptè apoplexiam inferunt. vt iugis adustio capitis, fundens pituitam; & perfrictio vehemens, & indigestio frequens. aër frigidus, casus, ictus, fulmen, copia vini, euacuatio nimia. adiicit Cęlius Aurelianus vsum veneris, maximè in senibus. fit hyeme & autumni fine. Auicenna videtur alias etiam causas adferre; sed id fit, quoniam in eodem capite loquitur de affectu quoque simili apoplexiæ: nimirum de caro. quare quas alias causas adducit eò referantur. Vt breuiter colligam: apoplexia fit ratione compressionis vel obstructionis. à compressione erit, vt si sequatur inflammationem phreniticam vel lethargicam, vel affectum illum qui similis est phlegmoni, quem vocant apoplectiam sanguineam. Si ab obstructione, ea euenit à pituitâ, vel à melancholiâ. Huius iam virij varias ideas videamus. est validissima affectio hæc; malignitatis, contagij expers, cerebro analoga & per ἰδιοπάθειαν. Quo modo enim non sit grauissima hæc afflictio? nam quamuis sit apoplexia quædam debilis, non tamen est absolutè debilis: est enim omnis apoplexia toto genere vehemens. Quare per debilem intelligas minùs vehementem, etenim nulla est apoplexia quæ non plurimùm abripit corpus extra naturæ suæ lineam. Itaque quatuor apoplexiæ differentias constituimus à vehementia sumptas: nam anhelitus in debili apoplexiâ non est omnino ordinis expers: in forti est inæqualis: in fortiori magnâ vi ducitur: in fortissimâ deficit. Et est sine stertore & spuma, quam primam hîc posui: quæ ferè sola curari potest. Quam verò vltimam posui, nó puto omnino expertem esse spirationis; nam spiratio à vitâ, nec vita à spiratione separari potest. adeò vt viuentem non spirare, vel spirantem non viuere sit impossibile Sed adeò exigua esse potest, vt sensum fugiat. Auicenna ad varios ortus apoplexiæ collineans, eam duplicem esse ait: vnam, per idiopathiam: hæc fortis est, in quâ prohibetur spiritus animalis exitu à cerebro. Altera est debilis, & per sympathiam, in quâ aditu prohibetur spiritus vitalis ad cerebrũ. vt inde gignatur spiritus animalis. In priori vitium consistit in iis meatibus qui descendunt a cerebro: qui sunt nerui, ventriculi, pori

Marginalia (left column): *2. Aph. 42.* — *11. De vsu part. 15.* — * quatenus est animal, ex seipso mouetur. — *Galen. 3. loc. aff. 7. 2. De caus. sympt. vlt. Artis lib. 3.* — *Prima 3. tract. 5.* — *& 3. loc. aff. 5.* — *Quæstio.* — CAVSAE. — *Cap. 6.* — * affectum similem inflammationi. *4. Acut. 23. 2. Aph. 42.*

Marginalia (right column): *3. Loc. affect. 7. De flatibus 5. 6. Aph. 56. 57. Ae. 2. 2. 27.* — *Externæ causæ.* — *9. Meth. 10.* — *Anacephalæosis.* — DIFFERENTIAE. — *2. Aph 42. 3 L. c. aff 7. 6 Loc. aff. 5.* — *6 Loc affe. 3. 7.*

cerebri,& radix medullæ ſpinalis. In poſteriori conſiſtit vitium in iis meatibus qui aſcendunt ad cerebrum,qui ſunt venæ iugulares, & arteriæ carotides, illæ vnde rete mirabile gignitur.Et hæc ſpecies(quæ per ſympathiam) accidit iis, qui breuiore ſunt collo : oppreſſis nimirum illis meatibus , quibus prohibetur ſpiritus vitalis aditu ad cerebrum. Hoc eſt,interceptis arteriis per quas ſpiritus ex corde in cerebri ſinus influit. Cùm enim illæ non inſigni obſtructione vel coarctatione afficiuntur, tunc ſtupidus & incertus ſenſus adeſt, & quaſi ſenſus nothus. Fit & debilis apoplexia,vel potiùs imago quædam apoplectica,à flatu,vel vapore craſſo , intercipiente vaſa,vt accidit ebriis : vnde cohibito ſpiritu , ſanguis infrigeſcit & concreſcit. Sed dices , Galenus ſecundo De dogmatibus Hippocratis & Platonis negare videtur compreſſione vel ſectione venarum iugularium, aut arteriarum carotidum apoplexiam inferri. Reſpondemus , Diſputat is ibi contra Peripateticus , ac demonſtrare vult quòd non animalis vis,vt illi dicebant, à corde per arterias cerebro ac corpori influit. Quare demonſtrat quòd non ſtatim fiat inde apoplexia (quod neceſſarium eſſet , ſi ſententia illorum vera foret) ſed poſt aliquot horas vim animalem exolui , & animal moti. quod & in aliis libris ſæpe demonſtrauit. Spiritus enim animalis (vitali,ex quo fit,in carotidibus intercepto) externo aëre aliquamdiu recreatus , non ilico cadit , ſed vbi contabeſcere & diſſipari incipit. Ex his abundè apoplexiarum naturas percipi poſſe exiſtimo : quare ad ſigna pergo. Quibuſdam ante caſum nullum præuidetur ſignum. Quibuſdam præcedit tremula locutio , vel interruptio ſermonis , vel obliuio modò dictorum , vultus plenitudo, egeſtionũ difficultas, grauis dolor ſubitò caput incurrit, vertigo, motus in ſolitos vſus difficilis. Ita imminentem agnoſcimus apoplexiam : nam hæc indicant cerebrum germen habere morboſum. Irruente verò paſſione, vocis amputatio ſequitur, & mentis oppreſſio ex repentino caſu, immobilitas perfecta totius corporis: quibuſdam etiam ſuſpenſio palpebrarum , atque oris hiſcens diſtantia : pulſus denſus & quadam perſecutione fugatus, articulorum gelidus torpor , color plumbeus, atque inuoluntaria (reſolutis oculorum canthis) illachrymatio. Peiorante paſſione , atque exitium ægrotantis creſcente, vultus adductio, ita vt longior notâ videatur imago, præcordiorum prominentia , atque totius corporis frigidus torpor : pectoris ſtridor, & ſuperiorum partium ſudores frigidi. Breuiter ita accipe , Grauis dolor capitis, mox incidente ſtertore , cum corporis prolapſu , & ſummâ difficultate ſpirandi , cum ſenſus & motus vacuitate. habes omnia. & hæc ita indicat Razes, cùm quis iacet quaſi dormiens, ſtertit, nec punctus ſentit , erit apoplecticus. Mali , inquit, magnitudo æſtimanda eſt , ſecundum quod fortiter ſtertit aut reſpirat æger. In exquiſitiſſimâ apoplexiâ non adeſt ſtertor, quia non adeſt tanta reſpiratio. Fit enim ſtertor ex viis interceptis bronchiorum , dum ſpiratione ibi luctatur aër. viæ illæ vel concidunt effœtâ vi thoracis motrice, vel à materiâ infarciuntur. & quo viæ ſtrictiores fuerint , eò ſtertor erit maior. At hîc,& à materiâ & à collapsâ vi arctantur viæ: tamen ſi non ſit ea vis reſpirandi vt aëra trahat eâ vi quâ colluctetur cum anguſtiâ , ſtertor non naſcetur. Ex inflammatoriâ diatheſi ſi fuerit, iugulares in collo ſanguine repletæ turgeſcent,&, vt ſcribit Hippocrates, rubor adarit faciei, oculorum ſtatio. extremitatum perſrictiones: erit [illegible], venæ plenæ, pulſus magnus, ſuppreſſa euacuatio ſanguinea : adde res non naturales. Si ex pituitâ fuerit , ea in naribus & ora appâret: ſi iecore & ventriculo frigido humidóque,& tali diætâ vſus, vel crapulâ, ſi morbis frigidis obnoxius, ſi pituitoſa euacuatio ſuppreſſa, ſomni profundi. Ex melancholiâ erit ſi ſale fumoque induratis vſus fuerit carnibus & piſcibus , pane atro , lente, braſſicâ, caſeo duro, cereuiſiâ craſsâ, ætate declinante, liene morboſo: ſi mœrer. Si ſummam vehementiã attigerit apoplexia, ablata videbitur reſpiratio Quòd ſi receſſerit à tantâ vehementiâ , tunc erit moleſtiſſima reſpiratio. ſin adhuc lenior fuerit morbus, tum non tantâ vi ducetur ſpiritus : erit tamen inæqualis & interceptus. In infimo gradu vehementiæ ſi conſtiterit , tunc ordo aliquis aderit in ſpiritu ducendo. Diſcernitur à ſyncope , nam ibi cadauéroſa adeſt facies, & pulſus languet. à præfocatione matricis diſtinguitur , quia capitis querela non præcedit matricis præfocationem , & matrix in acceſſione ſeſe ſuſtollit , quod nunquam euenit in apoplecticis ; & ceſſante acceſſione , apoplecticæ mulieres neſciunt geſta: illæ verò præfocatæ reſipiunt , & narrant quo modo fuerint oppreſſæ : nam ſentiunt , ſed non loquuntur. A paralyſi, nam, vt ait Aurelianus, propria quæ dicitur paralyſis , tarda ſemper intelligitur : at apoplexia eſt celer, & acuta, & vehemens. A caro diſtinguitur, maximéque à caro vehementi vbi læditur reſpiratio , quòd dum caro oppreſſi punguntur , ſentiũt; apoplectici non ſentiunt. nam caros eſt momentanea tantùm motus & ſenſus priuatio , incidens in febrium paroxyſmos : vel vbi quis in temporalibus muſculis vehementi ictu percuſſus fuit. at apoplexia eſt proprius & primigenius cerebri affectus: caros verò ſemper eſt ſymptomaticus, & fit per ſympathiam, & facilem liberamque reſpirationem ſine ſtertore conſeruat : at ſpiratio in apoplexiâ ſenſim ingraueſcens , ſtertorem acceſſit. Id monendum ne libitinarij ac veſpillones præpruperè hos qui extinctæ animæ ideam præſeferunt loculo includant; multi enim effracto capulo reuixere. Quare ante 74. horas non ſepeliendi : nam tunc fœtor hominem mortuum proclamat. Depictâ morbi hiſtoriâ , naturâ , ac indole , ad curationis indices notas abeamus. Cùm apoplexia ſit ſopita facultas animalis , eiuſque ablata functio , inde proficiſcetur indicatio excitandi facultatem. & cùm ſit ſymptoma quod proximè pendet ex oppreſſione ſubſtantiæ & ventriculorum cerebri , naſcetur indicatio dilatandi hos meatus. Et ſi oppreſſio hæc profecta ſit à compreſſione phlegmonodi, hæc, ſi redintegrari poſſit, vt phrenitis & lethargus erit tractanda. ſin compreſſio hæc à diatheſi phlegmonode naſcatur , ob ſanguinis copiam venis & arteriis capitis conceptam , indicatio aderit vt is ſanguis qui influxit euacuetur , & is qui adhuc influit, auertatur : & toti corpori vt prouideatur. Si fuerit ab obſtructione à pituitâ vel melancholiâ , totius habitâ prouiſione, obſtructa aperiantur. His notis poſitis , videamus num ſatisfacere liceat : quare ad prognoſes eamus. Difficilis curatu eſt hic affectus, nec facilè admittit vt dictæ indicationes abſoluantur: nam magnitudo cauſæ, coniuncta cum pari ſymptomatum vehementiâ, nec cedit remediis , nec dat inducias vt remedia adhiberi poſſint: reſpiratio enim tollitur, quâ vita ad punctum temporis carere nequit. Eſt enim hîc meatuum pertinax occluſio , non tantùm in cerebri ventriculis, ſed & in corpore cerebri, & reſpiratio , vt dixi, grauiſſimè affligitur: at cor, vt teſtatur Galenus, reſpiratione fraudatum fatiſcit, antequam ventriculi cerebri ab humore craſſo & viſcido expediri poſſint. Quare ſcripſit Paulus , nunquam aut rarò hos curari. & Celſus teſtatur celeriter hos rapi ſolere , & rarò ad ſanitatem peruenire , & plerumque miſerum ſpiritum trahere, memoriâ quoque emiſsâ : nam ſi ſoluta fuerit, in partis reſolutionem

Margin notes (left column): *Quæſtio. Cap 6.* (beside "dogmatibus Hippocratis"); SIGNA. (beside "diu recreatus"); *Cal. Aurelianus.* (beside "turas percipi"); SIGNA *differentiarũ.* (beside "ſtertit aut reſpirat"); *4 Acut. 56.* (beside "Ex inflammatoriâ").

Margin notes (right column): *Vt diſtinguatur à cæteris morbis.* (beside "cendo. Diſcernitur"); *Galen. 4 loc. aff. 2.* (beside "Id monendum"); INDICATIONES *curatrices.* (beside "apoplexia ſit ſopita"); PROGNOSIS (beside "ad prognoſes"); *3 Loc. aff. 7.* (beside "& reſpiratio"); *3. Lib. 28.* (beside "antequam ventriculi"); *3. Lib. 27.* (beside "quam aut rarò").

nem discedit: aut, dicit Archigenes, violatur ratio. idem Razes, vel mox iugulat suffocatione, vel in paralysin abit. Minùs tamen calamitosa est, vbi cum spiritu non difficillimo, sumpta pocula per nares non resiliunt, sed sorbentur. Primis quatuor diebus in paralysin abire solet: quod ni fiat, & eò perueniat, calamitosum. Incumbere solet ab anno quadragesimo

Galen. 3. Loc. aff. 10.

ad sexagesimum, ocio & poculis deditis. Adolescentibus æstate si euenerit, causæ atrocitatem denunciat. Itaque determinatur apoplexiæ magnitudo, vt rectè iudices hæc notator ex noxæ quam spirationi infert vehementiâ. cùm enim naturalem ordinem plurimum egreditur, magnam: cùm parum, paruam noxam cerebri denotat. sanè pessima spiratio putanda est, quæ & intermitit, & magnâ violentiâ trahitur. nam ob id moriuntur, quòd spiritum trahere non

2. Aph. 42.

possunt. Hæc res hoc oraculum expressit summo medicinæ præceptori, Apoplexiam fortem discutere non potis est, debilem verò non facile. Fortem cùm dicit, intelligimus summum vehementiæ gradum: ob magnitudinem causæ, & symptomatum incidentium repente vim funestam: respiratio enim tollitur quasi. At, inquit, debilem, nec tam vehementibus comitatam symptomatibus, quæ in vitio consistit meatuum ad cerebrum viam affectantium, cùm aditu ad cerebrum probibetur vitalis spiritus. hanc dicit non est facile soluere: quia non dat inducias; nam animalis spiritus vitali destituitur, ex quo fit: proin eius penuriâ tabescit. Sed dicet quis, Hippocrates

Quæstio. 6. Aph. 51.

scripsit, Quibus sanis dolores subitò fiunt in capite, si subitò obmutescant, & stertunt, intra septem dies moriuntur, nisi febris superuenerit. Igitur liberantur hi quibus stertor adest. Sed dum stertor adest, erit apoplexia magna: ergo fortis apoplexia soluetur. Respondemus, illud notandum quod monuit Galenus ad quadragesimum tertium aphorismum, libri secundi Aphorismorum, vbi ait Hippocrates, Qui strangulantur aut resoluuntur, necdum tamen animũ efflarunt, non restituuntur quibus in ore spuma apparet. admonuit ibi Galenus id intelligendum esse, vt in pluribus: quamvis vniuersim ita pronunciarit. Idem dicimus de forti apoplexia, quòd plerumque

Stertor vnde.

solutu impossibilis sit. Igitur etiam dum stertor adest sanari possunt: nam Razes proponit curandam apoplexiam cui stertor adest: & non incurabilem ille proponit. ergo in curabili potest adesse stertor & ægra respiratio. Plerumque tamen moriuntur hi qui stertunt. Quare causam stertoris rimemur. Fit stertor interceptis aut astrictis faucium nariumque meatibus. quod fit à cerebri humiditate ad hos meatus defluente, & flatu ibi concepto: tum à motricis debili vi. vtraque causa adest in apoplecticis, nam concidũt musculi & partes omnes vi motrice ablatâ. Sani quidam, cùm primùm somnum ineunt, stertunt à defluẽte humore: nam dormientibus opus est maiori respiratione, intùs rapto calore, & vaporibus sursum elatis à coctione validiore: & fuligo copiosa affluit. Cùm ergo in apoplexiâ stertor à materiæ copiâ & musculorum respirationi dicatorum infirmitate nascatur, pauci hoc tentati euadunt. Scribit tamen Arculanus, se quosdam sed paucos apoplecticos vidisse cum forti stertore & spuma rediisse. scribit tamen Razes, si spuma cum difficili respiratione ori insedit, illi non esse medendum. Causa est, quia plerumque

Quæstio de spuma.

moriuntur. Obiicies, in epilepsiâ sæpe adest spuma, & tamen non moriuntur. Respondeo; prodit in apoplexiâ spuma statim ineunte morbo, non postea vt in epilepsiâ: nam in apoplexiâ fit ex oppressione & obluctatione cordis, quod magno nisu captat auram, & rursus in se concidens, fuligines per impeditos tramites excludere nititur, quæ pulmonis humido immissæ bulliunt, idque exprimunt. Galenus

2. Aph. 43.

enim agnoscit duplicem materiam vnde nascatur spuma, spiritum vapidum, & corpulentam materiam: & causam adfert triplicem, calorem, motum, & vtrumque. In epilepsiâ, materia spumæ est sputum, quod gignitur in imo palato: & vapida materies eius est à pulmone, quæ remiscetur sputo: fitque à motu. Sed spuma in apoplecticis gignitur ceu in strangulatis: nam, vt dixi, materia eius non est sputum, sed propria humiditas pulmonum. Nam tanta vi concutitur pulmo ab hac luctâ quæ in suo regno celebratur ab acri fuligine, in illâ impotentiâ exsufflandi, vt ea fuligo madores tenuiores pulmonis vnà rapiat, ac se aëri remisceat. Etenim incandutt ab æstu cor, & resolutum corpus ægrè respirationi sufficit, vnde fit motus violentus. Quare non per se spuma denotat calamitatem: sed quatenus interceptam validè respirationem significat. nam apoplecticorum spuma fit à motu & calore: vt in epilepticis à solo motu. Phrenitidi vel lethargo quæ succedit apoplexia, nullam spem relinquit saluris: nam euenit quòd exhaustum iam sit vi febrili cerebrique incendio calidum natiuum, indéque exolutum cerebrum. suadet ergo Auicenna prudenter, ne minus talibus admoueamus. Si fuerit à diathesi phlegmonodi, poterit salus polliceri. difficiliùs curatur quæ à pituitâ: difficillime à melancholiâ. Ferè transegimus de his quæ ad fortem apoplexiam. quod verò attinet ad debilem, Galenus ait hanc citò tolli: non tamen asserit hanc facilè admi:

2. De præsag. ex puls. 4.

nam grauibus remediis opus est vt tollatur, ipso Galeno censure: nam sæpe in paralysin abit lateris, ideò quòd fiat à materiâ non copiosâ, nam propterea non ferit vtrumque latus. Hanc etiam febris superueniens soluit. Sed non omnis febris, sed quali & quantâ est opus: quæ nec maior sit, ita vt vires exoluat; nec minor quàm vt nihil attenuet & soluat humorum & flatuum. Id fit tertio vel quarto die, aut pluribus: non tamen vltra septimum diem: ob magnitudinem morbi, & partis nobilitatem. varios enim terminos habet apoplexia, ex vario acumine quo fertur. vnde Aurelianus: alij statim sese resumunt; quidam primo die moriuntur; quidam duobus vel tribos diebus superuiuunt. Respirationis difficultas, curandi difficultatem aperiet. Sed dices, hystericæ mu-

Quæstio.

lieres sine spiratione viuunt: cur igitur non & apoplecticæ? Respondemus: quia hîc maior est necessitas euentandi calorem cordis: at ab vtero cùm præfocantur, totum corpus refrigeratur, & vitæ sufficit transpiratio bis, ait Auicenna. In corpore calido asserit idem auctor ægriùs curari hoc malum, ratione respirationis. Et qui breui sunt collo apoplexiæ obnoxij sunt. Post sanguinis missionem si non redit motus & mens, nihil spei superesse asserit Celsus: si

3. Lib. 2.

redit, sanitas quoque prospicitur. Senex, inquit Aretæus, non liberatur, & morbi magnitudine, & ætatis miseriâ oppressus. magnam etiam necessitatem indicat cùm iuuenem æstate incurrit: attamen hîc téntandam curationem suadet Aretæus. feminæ etiam viris difficiliùs curantur, & tabidi, & pueri, ait Aurelianus; nam oppressionibus superantur: nã in fortibus etiam hominibus ægrè curatur apoplexia. Si in paralysin abit, non priùs in toto ægrum puta, quàm cũctis in aliis partibus sanus fit: nam sæpe recrudescit. vt si denique sopor grauis incidat, id maximè calamitosum erit senibus. Si in remotissimas spinæ partes incidat paralysis, id salutare: ex aduerso, si proximæ cerebro partes resoluantur, vt collum, manus, id periculosius. Si non sternutat à sternutatoriis, lethale. Scribit Aretæus, cùm ægrotus iam morti proximus est, eius ceruicem & spiritum congelascere. Cruenta etiam vrina & vinosa in apoplexiâ, certam

 mortem

Cal. Aurelianus 3. ac. mortem denotat: resolutâ venarum retentrice. Sin verò passio fuerit leuigata, & in salutaria deuenerit signa, corporis fugabitur torpor atque frigus, redeunte feruore: partes etiam quædam saltu errante mouebuntur, distillatus humor faucibus transuoratur, pondus vel inclamatus ægrotus palpebram mouet, ac labia conducit. Hæmorrhoides superuenite, salutare. Si itaque aliqua salus sperabilis, suadet Mesues vt ilico omnia admoueamus: dilatio enim occidit, ait: quare non sine prædictione periculorum rem aggrediaris: nam si vltra duodecim horas tardâris, seriùs adhibebis cuncta, auctore etiam Arculano: Si ergo fortis fuerit apoplexia, & signa calamitosa se prodant, nec venam seca, nec pilulas propina: sed vincula & frictiones, & glandes impera, vt astantibus satisfiat. Sin spes salutis adsit, prædicto periculo (sine quassatione validâ corporis pleni) seca venam, si vires & reliqua id admiserint. frica, calfac brachia, crura, humeros oleo calido: nam ita etiam strictus sanguis meabilis reddetur. Omnia hîc agenda vt paroxysmus fugetur: nam cùm induciæ dantur à paroxysmo, facilè præseruationi operam damus. Vnde in eipiam ferè incertus sum: quia morbi huius acumen, peruertit suâ ferociâ omnem curandi legem, adeò vt nec coctioni studere liceat: sed ilico surgendum ad reuulsiones, deriuationes, vacuationes quacumque ratione liceat. Cuneus ligneus intra dentes ponatur. In forti à clysmis: in paruâ à catharticis per os initium facies, inquit Razes. Hæc optima mihi videtur agendi ratio tollendi paroxysmi, vt tantùm de causâ antecedente auferamus, quantum satis esse possit vt fiat subita quædam causæ continentis accisio, ob vehementiam paroxysmi: vt deinde plenè veniamus datis induciis, ad curationem causæ antecedentis. Nam concurrentibus multis indicationibus, auspicandum ab eius accisione, vnde maius periculum imminet. Fiat tamen ilico reuulsio & euacuatio à toto & à parte obsessa, dein à foris & intus datis remediis excita virtutem sopitam. Vt breuiter dicam, in primis prognosi vtaris. Secundò, si fit sanguinea materia, liga, frica, caput modicè refrigera, sed id fiat ilico: sanguinem ex cephalicâ ducas, si materia sit sanguini mixta, etiamsi pituitosa fuerit, ad vncias sex, repetitis vicibus: alioqui pilulas da cochias & fœtidas cum castoreo, solutas aquâ rutæ. & tunc narium vel frontis reseca venam: & educantur ferè tres vnciæ sanguinis: id fiat post sex horas à sectâ venâ brachij: si nolint illam venam pertundi amici, dabis tunc pilulas. & interim etiam cucurbitulis vtaris. dein sternutet, daque ioi hieridatium. Si à pituitâ, cuneus ligneus dentium separet ordinem, vincula iniice, digitos rete, verbera nares & coxas vrticâ vel agrifolio, frica extrema aceto & sale, figanturque variis locis cucurbitæ: si sanguini mixta materia videbitur, findatur cephalica, dein clysmos iniice vel glandē; à castoreo naribus iniecto sternoret: & opopanacis, galbani, & euphorbij parū dissolue in oleo amygdalino amaro, & de eo guttulas aliquot naribus & auribus impone. Deinde castoreum infundatur cum pipere ea aquâ saluiæ, & oxymelite, vel transglutiat anacardinæ compositionis drachmam vnam aut alteram cum pauco oxymelite, vel tantundem theriacæ vel mithridatij: pennâ oxymelite delibutâ vomitus prouocetur. cucurbitæ collo imponantur: sed ante admotionem fortiter crura fricentur, & bis cucurbitas admoue cum scarificatione, dein femoribus, super natibus, tandem iugularibus venis. vnge caput rasum oleo euphorbij & terebinthinæ, cum sagapeno, opopanace, castoreo. vel fiat emplastrum ex sinapi cum castoreo. vel accipe castorei drachmas duas; sagapeni, euphorbij, singulos scriptulos quatuor; sinapi drachmam, cum oleo de piperibus vel de euphorbio fiat vnguentum: quo vnge caput & spinam. Tandem ad fastiginem veni. & si noodum 24. horæ elapsæ fuerint, cauterium suturæ coronali actuale inuratur, quod pateat diu. Ita ea præseruti conditione ordinem agendi venari debetis, cuius adumbraui iam tenue quoddam programma. sed iterum singula remediorum genera in grauissimo atrocissimoque hoc malo ad examen reuoco. In sanguineâ apopleaiâ, quia vires adesse possunt, admittitur phlebotomia: nam affectus spirituum non prohibet venæ sectionem, cùm partes solidæ & carnosæ sunt integræ. & non laborant spiritus à resolutione, sed à copiâ sanguinis opprimuntur & sæpè eâ detractione repetitâ, mouetur materia, hinc liberatur obstructio. Aëtius refert iuuenem quendam multi sanguinis repentè obmutuisse, tres dies integros ita iacuisse: quarto largo profluuio è naribus liberatus est. Vide num solemnis aliqua euacuatio sit suppressa, vnde palindrome ad caput: vel num Sol phlethoricum caput vsserit, vnde humorum attractio & fusio. inspice ætatem, corporis temperiem, & num sit tempus vernum. Audent etiam quidam in corporibus ioanitis paruam copiam extrahere (ad commotionem humoris cerebro concepti) vtraque vicissim pertusâ cephalicâ, vel hirudinibus vel cucurbitis toto corpore affixis. Sed illud agendum suadent vbi liberiùs spirat, & vbi partis torpor alicuius cœpit egelari, & pulsus vbi emicat melior; quòd alioqui exitus materiæ negetur. Scripsit idem Q. Horatianus se, in cognoscentibus & respondentibus intrepide phlebotomiam adhibere. Sed dico vbi à sanguine malum est, in paroxysmo venam esse secandam. nam quo modo recreabitur virtus, ni expedita reddatur à premente onere? Frica ante sectionem corpus, ita fundetur sanguis: Razes id innuit ita agendum, qui ait, vide num liuida aut cruenta facies ægri appareat, vt in his quibus vinculis strictis sanguis in parte continetur, tunc enim ilico ingularibus aut cephalicis duabus incisis euacuandus erit. At hoc non facies, inquit, si, dum æger aëtem inspirat, auditur in thoracis & asperæ arteriæ capacitate aëris sonitus & murmur, & si his se signa ionacrint pituitam indicantia: nam hic clyster melius infundetur. Oribasius etiam à clystere venam secat. Paulus etiam quid amplius addit, imò, inquit, qui quomodocumque curari possunt, statim his vena secanda est: & si remissionem aliquam habuerint, reperatur, eodem vel sequenti die. hoc asserit etiam Galenus in introductione, & Auicenna ait hoc modo, si sit à sanguine, paroxysmi tempore vberrimè sanguis detrahatur; & à sectione, enema iniice. Aretæus etiam venæ sectionem laudat, nisi plus iusto educatur: & suadet vt minus detrahendo potiùs delinquamus, nam, inquit, si alleuari videbitur æger, repeti poterit. Videre, omnes auctores (quos in re ambiguâ, & grauissimo remedio, vbi de virâ agitur, lubenter consulo) sectionem venæ commodare. Tu tamen distingue num sanguis luxuriet in eo corpore; vel num crassi illi sucei, auctores mali, sint sanguini remiati: tunc seca. sin humor separatus sit à sanguine, nec vlla nota eius redoleat naturam, non abducas sanguinem, nam prædium vitæ bis sanguis est: quòd si abduxeris, hominem strangulasti. hoc est quod scribit Celsus, vbi ira, Si omnia membra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit vel liberat. aliud curationis genus via vnquam sanitatem restituit, sæpe mortem tantùm differt, vitam interim infestat. Moneo, si habitu sit tenellolo, laxo, molli, pingui, & gracilibus venis, huic, maximè ninosâ hyeme, sanguinem non adimas: sed potiùs totum eius corpus vngatur oleo calido, fricentur manus,

Curatio.

2. Continent. & lib. Diuis.

De phlebotomia.

Cap. D. cataleps.

5. Aph. 29.

Helor.

3. Lib. 18.

3. 3. Tract. 5.

3. Lib. 17.

manus, pedes, cucurbitæ coxis, & vincula cruribus, & frictio ceruici subiectæ parti præstentur. vena ergo vbi sanguis vberior est vel ei mixtus humor, secabitur, si id ætas admiserit. Sed quo modo hoc agemus, quâ copiâ educemus sanguinem, quo tempore, & quę vena secanda? Modus sit, vt locus secãdus calefiat, fricetur oleo anethino vel chamæmelino. fiat amplum vulnus, & totum tunc corpus agitetur quò fluat sanguis. fiat lata incisio, nam sanguis restagnat strictus. Quâ copiâ? hoc dixit Hippocrates quarti Acutorum vigesimo quinto, vbi ait, hanc definiendam esse ex corporis habitu & ætate. Non emittatur vnicâ vice, sed sensim, bis vel ter factâ repetitione. ita vires non accîdes, & eueniet id quod vouet Aëtius, *[Aët. 2.5.17.]* materiam morbificam moueri per venæ sectionem: hinc tollitur compressio. Inspice ægri colorem, ac tenta eius pulsum cùm sanguis effluxit: nam si facies viuidior reddatur, & respiratio facilior, bene sperandum etiam repetitâ phlebotomiâ. Quo tempore? tempore dixi paroxysmi, alioqui suffocantur ægri, & paroxysmus est qui enecat: nec potest sopita facultas excitari, ni primùm excutiatur onus. vel fiat cùm meliùs aliquantulum respirat à clysmatis vsu. Ab ictu vel lapsu si sit, in aliud tempus sectio venæ differatur, inquit Aretæus. Quæ vena pertundenda? Ex Razis sententiâ primùm eephalicæ in brachio feriantor, causâ euacuationis totius: deinde pedis venam, causâ reuulsionis: tertiò ad proximas venit venas, vt colli, narium, ratione particularis euacuationis. Quare si malum dederit inducias, nec adeò vehemens fuerit, primùm pedis tundatur vena, dein narium vel frontis. Si tamen plethorâ graui premeretur corpus, præstaret ilico axillarem venam ferire ex Hippocratis sententiâ. Caue ergo ne ilico narium *[4. Acut. 23.]* aut capitis venas feceris: nam non bene vacuatur totum corpus per partem læsam, nec consultum esse videtur vt remotas admodum ilico aperiamus venas: nam præsenti remediorum vi hîc opus est ob morbi acumen: cephalicas ergo pertundendas statim puto. His peractis reclude feris narium venas, imò seca venam frontis. Si conspicuæ apparent in collo iugulares venæ, secentur angusto foramine, modò sanguis copiosus capite constiterit: nam ita amouebis causam; compressionis coniunctam. Hoc tamen ægrè fieri putant chirurgi. fit tamen hoc modo, pollice supposito parti inferiori, vulnus exiguum rectâ lineâ infligator: deinde sanguine draconis, thure, mastice, & albumine oui glutinetur, & diutiùs digitus apprimatur leniter. Si ab his metus sit, frontis vena soluator; quam affectus capitis omnes à sanguine *[Capite De cephalalgia.]* persanare affirmat Auicenna. Quidam iubent vt post duas aut tres horas à brachij venæ sectione, aperiantur apoplecticæ venæ ponè aures. & si necessitas dicunt vrget, hinc incipiendum: indicatione sumptâ à præcipiti motu, vt prompta fiat auersio & deriuatio. puto id verum esse, si sine totius corporis plethorâ, caput solum sanguinis à copiâ obsideatur. vbi ergo plenitudo, vena secanda, nisi præcesserit magna exhaustio, vnde cerebrum algeat, vt hæmorrhagia valida, venus immodica: tunc clysma iniice, fortes fiant frictiones, denique cucurbitæ adferantur. & si inde melius respirat, colorque melior venerit, ad alia pergendum quæ alterant & calfaciunt cerebrum. Alioqui vt hoc iterum dicam, phlebotomiâ ilico factâ nihil in hoc malo præstantius, si modò vires pares sint: nihil enim citiùs cerebrum vindicat à compressione quàm sanguinis ablatio: & homines hîc moriuntur, quòd induciæ non dentur difficili respira- *[Cvcvrbitvlae.]* tioni, quæ fit ab oppresso cerebro: oppressionem adimere potest ilico phlebotomia, abstine tamen in pituitosis senibus. Cucurbitulæ cum scarificatione loco phlebotomiæ brachio nonnunquam admouentur. &, inquit Aëtius, à phlebotomiâ & post illigationes cucurbitis concutere conamur magnis & fortibus, retrorsum iuxta lumbos affixis: & vbi per tem- *[5.2.24.]* pus aliquod attraximus, aliò transferimus; non tamẽ hypochondriis, ne respiratio lædatur, & cùm morbus diu trahitur, occipitio & iugularibus venis affigatur, & largè sanguis hauriatur: plus enim interdum quàm venæ sectio prodest, nec vires prosternit. sed interscapulio prius inanem cucurbitam admoue, vt qui succi intersunt reuellantur. *[Aretaeus.]* Cælius Aurelianus occipitio atque omni spinæ adhibet cucurbitas cum scarificatione. Scribit Razes se regi Hamech ventosam collo apposuisse, qui ilico reualuit. *[3. Aph. Ad Mesuem.]* Petrus Aponensis post scapulam sinistram cucurbitam imponit, & in plurimis affectibus eam commendat, vt in suffocante ilico catarrho; & suturæ coronali hanc adhibet: sed prouisione habitâ totius. Fracastorius dum sibi, balbutiente linguâ, plurimas herbas admouisset, amisso sermone, manu in verticem exporrecta, indicabat vt ilico capiti cucurbita admoueretur; sed re non perceptâ exspirauit. Quare cùm crassus & frigidus humor obstruit cerebrum, in morbi statu, cucurbita summo capiti admoueatur. *[Galen. method.]* Ligaturæ dolorificæ à venâ sectâ adferantur, inquit Auicenna: quæ modò stringantur, modò laxentur. *[Ligatura & frict.]* Frictiones fiant à prouisione totius habitâ, manibus vnctis oleo lilino, chamæmelino, amygdalino, quò pars aliqua soluatur & apostasio accipiat: & oleo costino, castorei, euphorbij, de carthamo, laorino, cum aquâ vitæ. Si fuerit tenellum corpus; misce oleum amygdalinum amarum, anethinum, & chamæmelinum. Razes sartaginem admouet capiti, dum capilli vrantur. Sed quidam inepti cerebrum aflant, non vrunt capillos; pax sit, dum illi vri inceperint. Quin ex sententiâ Aëtij cauterium licet inurere coronali suturæ: ad resolutionẽ materiæ, vtque vis sopita excitetur. *[Lenientia.]* Quantum ad lenientia, ilico imponatur glans sedi, ex melle, sale, hierâ, elleboro. Accipe hieræ diacolocynthidos drachmas duas; castorei, seminis rutæ, carui, singulorum scriptulos duos; salis gemmæ scriptulum; mellis quod sufficit fiat suppositorium. vel finge balanum longam ex sapone duro, infusam felli bubulo, in quo sal fusus sit: quæ filo alligata in anum immittatur, & agitetur ad irritationem. Interim dum suppositorio vtimur, paretur clyster acris, quo excitetur facultas. Si itaque apoplexia fuerit ab affectu similĩ inflammationi, à phlebotomiâ iniiciatur clyster. sed ea acrimonia ei absit, quam debemus pituitosæ apoplexiæ. Coquatur mercurialis, cum furfuribus & colocynthidis drachmâ, nec non agarico, in peciâ ligatis, adde centaurium minus. Quodsi pituitosa illa sit, vtemur clysmis ex betâ, calaminthâ, hyssopo, saluiâ, pulegio, cyclamino, centaurio, foliis lauri, rutâ abrotano, origano, seseli stœchade, aniso, semine basilici, aristolochiâ, elleboro albo: coque ad duarum partium consumptionem: colaturæ iunge hieræ picræ vnciam salis drachmam; vel hieræ diacolocynthidos Galeni drachmas tres; aut mellis anacardi, olei castorei vncias binas. Sed ægri natura sit explorata: nam ni rusticus fuerit, tantam vim enematis absque intestinorum abrasione non feret. Et ea cautio adferatur, vt clyster semper paruâ copiâ, hoc est, ad semilibram inferatur, quo diutius retineatur. Si non reddatur, suppositorio euocetur. Aretæus clysmis addit obolus tres euphorbij ex oleo & aquâ. Accipe aristolochiæ rotundæ, centaurei minoris, hyssopi, rutæ, cuiusque pugillum; ellebori albi drachmas tres; colocynthidis in peciâ ligatæ semidrachmam: coque ex libris tribus aquæ ad consumptionem duarum partium: Accipe eius libram semis, adde adi-

pis

pis anserini, vel anatis vnciam: oam mitigane vim ellebori: si validius velis, adde benedictæ semunciam, cum oleo chamæmel. & rutaceo. Reddito clystere, aliquantulum quiescae ægee: & si aliquantulum à marcore recreetur, hiera pee os detur cum mulsâ: nam hiera caput purgat. Vomitus ineunte morbo nō conuenit, cùm erigere se oequeat æger: in eum ergo non irritetur, nisi primaeia causa in ventriculo sit, &

Aretæus.

æger vomat ex facili. Nonnunquam longano intestinum & vesica resoluuntue, ita vt magnam fœcum molem aggerant: hîc subluendum, ac iterum oleum castorei intestino miiciendum: Quidam lenitâ aluo in pituitosâ apoplexiâ, ilico ignieum ferrum capiti apponunt, & sinapismos; theriacam præbene. Hæc in senibus pituitosis locum aliquaodo habere

3. Aph. vlt.

ilico possunt: nam Galenus dicit talia in bis mala, iisdem ferè remediis curari quibus paralysis & epi-

PRÆPARANTIA.

lepsia. Præparantibus in paroxysmo non vtimur, nam morbus non dat inducias. Versus declinationem tamen præscribi poterune. vt melicratum tinctum hyssopo, vel origano, calaminthâ, thymo, aut pulegio, saluia, herbâ paralysis, stœchade, rosmarino, betonicâ Vtatur quotidie oxymelite scillitico, & syrupo stœchados, de betonicâ, melle rosato. vel sumat syrupum de iuâ & de hyssopo, cum decocto sal-

PVRGANTIA.

uiæ & hyssopi. hæc in prouisione habendâ etiam locum habene. Tandem instituatue pharmacia non sine præparatione quadam hoc modo: accipe radicum & seminum pæoniæ semunciam; foliorum hyssopi, lanil, maioranæ singulorum semimanipulum; florum stœchados, rosmarini, betonicæ cuiusque pugillum; seminis fœniculi drachmam, foliorum senæ vnciam; agarici præparari semunciam; zinziberis albi scriptulum; liquiritiæ deachmas tres: sumat huius decocti vncias quatuor; syrupi de betonicâ & stœchados, singulorum semunciam; misce. Si non satisfecerit, inde pilularum cocciarum ad drachmam vsque. Postea vtatur pilulis: accipe pilularum cocciarum, pilularum fœtidarum, cuiusque semidrachmam; castorei semiscriptulum: misce. hæ pilulæ vnà calfaciunt & siccant. Nec nocet si hiduanæ fiant purgationes, maximè si vires valeant, & ægrum inde leuari, & corpus inde non molestè purgari animaduerteris. Hæc ad præcautionem, vel recreato ægro rectè & tutò præscribuntur: sed êstne in paroxysmo his vtendum, cùm cetera non iuuant? Sanè si protrahitur accessio, periclitandum erit eo periculo, sine quo nulla spes salutis: nam, auctore Aëtio, permittit hæc

2. 2. 7.

affectio & cogit temerè omnia agere. solue pilulas coccias & castoreum in hydromelite: & si se iunxerit melancholia, adiice elleborum. vel drachma pilularum de euphorbio diluatur decocto betonicæ, rutæ, hyssopi. quò his propinatis, capiti admoueri possint topica, & sternutamenta. In progressu morbi vomitoriis potiùs est vtendum, vt dixi, quod Celsus etiam voluit. & Aëtius ait, summè curandum vt facilis fiat

TOPICA, & *excitantia facultatem sensuum.*

per vrinas & aluum excretio Prouisione habitâ totius corporis, deueniemus ad topica remedia, eaque quæ vim pressam corporis excitant. Quando sanguis in capite efferuescit (quod maximè fit terrium circa sinum qui falcem repræsentat, cùm impetu sanguis in caput ruit) vtemur modestissimis repressionibus: non enim est astringendum, sed tantùm repellendum. Non ergo ex aquâ rosata id fiat nec ex oleo myrtino Sed à phlebotomiâ & reuulsione admoue cum Raze oleum rosatum complectum cum aceto acerrimo vini: idque primo die. Oribasius mox incoquit oleo rosato spondylium aut calaminthâ. Scribit. Cælius Aurelianus, omnes sectas medicorum ace[illegible] & oleo caput fouere, cæteras verò partes hapsis [illegible] intrectari. & [illegible]udibus.

secundò, inquit, studiosè capot foueoc miscentes hederam & eiusmodi. id reprehendit, sunt enim nimis calida, ait, & stringeneia: sed oleo potiùs dulci vtendum, existimo eum loqui de eâ apoplexiâ quæ ideam phlegmones præsefert. Abstinete etiam hîc à magnis illis confectiooibus anacardiorum. Admoueâtue potiùs odores ex cinnamomo, & ambrâ coctâ in aquâ rosarum, ne capue incalescae. A venæ sectione, inquit Aëtius, vocifetationes adhibe, & odotamenta excitatoria, & corpus totum inungatur oleo copioso calido, cui anethum vel serpillum incoxit; vel oleo rutæ cui scilla incoxit. In apoplexiâ ab obstructione est nequaquam repercutiendum Sed foue caput decocto anethi, chamæmeli, liliorum alborũ: vt euaporet materia, sine ũonæ attractione. vel oleo chamæmelino, anethino, in quo coctum sit spondilium aut calamintha. Aretæus putat vnctiones irrigationibus præstare, nam hærent, nec ita lectum polluunt: & iubet vt iungamus semper castoreum: interdum adiicit euphorbium, piper, pyrethrum. Cornelius Celsus laudat vt totum corpus oleo illinatur sulphurato. Cucumeris agrestis radices, calamintha, stœchas, iua, & eiusmodi coquuntur ex oleo, & illæ partes vnguntur quæ paralysi videntur tentari: & ita paralysin accersimus: nam illa diadosia bona est. Quare quæ paes magis restrixit fricetur hoc oleo: uam præstat vsum partis amittere quàm totum. Ita oleo anethi & oleo costi adde castoreum. Aretæus epiplasmata quoque duris ac distentis partibus admouet ex semine lini, fœnigræci, farinâ hordei, melle, oleo rutæ, & anethi. & althææ radix ex mulsâ in pultem cocta ab eo admouetur. Spinæ etiam principio & suturæ coronali admouemus emplastra ex sinapi cum ficubus. fiant dropaces, ex pice nigrâ & terriâ parte olei rutæ, cum pyrethro, sinapi, pipere: admoue in alutâ. aut adde emplastro oxycroceo pyrethrum, sinapi, euphorbium. Capiti raso hæc admouemus. vel accipe ficus pingues sex; seminis sinapi duplicem copiam: coque cum vino, fiat cataplasma, admoue sincipiti raso: miscemus interdum castoreum, euphorbium, piper, columbi fæces, vrticæ semen: bis materia foras vellitur. Vngantur oleo de piperibus, descripto à Rondeletio capite De apoplexiâ. & huc viriles globi illinantur: vel pannus laoens aquâ vitæ rigatus hos inooluat. & guttula auribus instilletur. stomacho & visceribus etiã consulatur & hapsis fomẽtis. Hæc dũ fiunt, nimirum post vniuersam euacuationem, reddieóve saltem clystere, vi os aperiatur, & fiat palati; vnctio ex theriacâ, vel ex anacardiorum confectione, quò excitetur facultas. Hierâ etiam palatum inungeinos: & attractum humorem linteolo eximemus. Tandem castorei sesquidrachmam; & seminis rutæ semidrachmam; nucis miristicæ scriptulum, aquâ vitæ exceptâ, syphone gulæ infunde. Vel accipe theriacæ, mithridarij, singulorum scriptulos duos; oxymelitis scillitici vnciam; aquæ vitæ semunciam; aquæ rutæ, vel calendulæ vncias duas. Si ob frigus & vapores theriaca suspecta tibi sit, accipies semidrachmam castorei, cum pauco pipere, & zinzibere, & calamo. Sinapi comminutum salique commixtum, & in aquâ vitæ maceratum ori indatue & naribus illinatur: vt pituita descendat pee nares & os, & tandem fiat paralysis. Cùm ad sensum redire cœperint, gratioribus vngatne palatum & lingua, ve sinapi: alioqui quæ amaeore ingrata sunt, habentue efficaciora ad extimulandam facultatem. Dum hæc agimos (hoc est, à pilularum exhibitione) ferè voà ad sternutamenta deueniemus, ex ostrutio, elleboro albo, cum castoreo & euphorbio. Caue ne ineunte morbo vtaris sternutamentis, nam fumis caput replent.

replent. Vaporatione primùm vtemur, quà tenuetur ac fecetur contumax fuccus, ita rectè parabuntur ad fternuendum. Quare fiat vaporatio ex aceto in quo coxit hyffopus, thymus, origanum, pulegium, calamintha, dictamnum, caftoreum; interdum & euphorbium. Reliqui graues fuffitus non placent: nam hic maximè periclitantur ab oppreſsa reſpiratione. Errhina etiam ab initio non conueniunt, ob eandē cauſam: ſed ſolùm in declinatione vtilia. Recreatus æger, ſi poſſit, gargariſmo hoc vtatur: Accipe ſinapi, ſeminis & radicis pæoniæ, ſtœchados Arabicæ, viſci querni, ſingulorum binas drachmas: coque in
Corroborantia. aquâ maioranæ: colatutæ adde oxymelitis ſimplicis & ſcillitici, cuiuſque vnciam. Tandem à paroxyſmo robur affletur cerebro. Sed vbi à ſanguine fuit, à calentiſſimis remediis caue. Sed tamen remoto paroxyſmo, quia caput eneruatum eſt à iam atroci ſymptomate, tum ex ſpirituum exhauſtione, tum à perfrictione, robur ei addi debet. Proptereà in pituitoſâ apoplexiâ probantur electaria diſſoluentia materiã, & caput roborantia, quod iam frigidius euaſit. rectè laudat Aretæus vſum caſtorei cum mulsâ. alij guttulam olei ſulphuris vel ſpiritus vitrioli propinant cũ maluatico. Razes exhibet anacardiorum confectionem ad ſeſquidrachmam ex mulsâ, idque in frigidis corporibus. Denjorominia liquore diluta: premantur oates, ita deglutient. Calamus aromaticus conditus, & conditi caryophylli vnà cum conſeruâ ſaluiæ contundantur, & exprimantur cum aquâ vitæ calendulatæ; hanc ſumat interdum. Vel flores betonicæ, ſaluia, nux moſcata, caſtoreum, maſtix, macerētur aquâ vitæ: hanc interdum ſumat. Aurea Alexandrina, diamoſcum dulce, diambra pituitoſis ſolatio ſunt. Et ſæpe repetitâ iniectione in aquam vitæ vtimur hyſſopi, ſaluiæ, roſmarini. Accipe decoctum ſaluiæ, primulæ veris, betonicæ, roſmarini; his adicie guttulam extracti caſtorei in aquâ vitæ facti. ſumat, & etiam fotis illinat. vel vngatur oleo caſtorei, quod rigatum ſit aquâ vitæ. Accipe ſaluiæ, foliorum lauri, origani, ſingulos ſemimanipulos; florum roſmarini, ſtœchados, medullæ nucis Indicæ, cyperi, caryophyllorum, myrrhæ, cuiuſque ſemidrachmam; radicum acori ſeſcunciam: immitte aquæ vitæ: hanc miſce cum oleo terebinthinæ, adiice patum gum-
Diaeta. mi elemnij: fiat vnctio ſpinæ dorſi. Hactenus de remediis: ad victum venio. Qui apoplexiæ obnoxij viuunt vitent frigora, valles vliginoſas, auſtrum & boream, ſomnum prolixum, cibum pituitoſum, crapulam, ocium & exercitium validum. Qui apoplecticus iacet à ſanguine, aëre fruatur moderato: ne ſanguis in cerebrum vlam affectet. Si fuerit apoplexia à ſuccis craſſis frigidiſque, ad calorem vertatur aër.
3.Lib.58. Degant, ſi id res eorum admittunt, in locis maritimis, ſuaſore Paulo. Victus remittente malo ſit tenuiſſimus in ſanguineâ, noo ſit calfaciens & ſiccans, neque exactè extenuans. hordeo vtatur. In apoplexiâ ab obſtructione ſit victus tenuis & tenuans. Primo die da ſolam mulſam. ſequentibus vtatur mulsâ cum ſaluiâ, vel cum roremarino, calaminthâ, origano, vuis paſſis, ſyrupo de corticibus citreorum. vel accipe cinnamomi vncias duas; zinziberis ſemunciam; cubebarum, caryophyllorum, cuiuſque drachmam; aquæ libras ſeptem: coque ad dimidias: colaturæ adde ſaccharí quod ſatis ſit. Quibuſdam tamen aromata non placent. quod caput replent. Deinde detur ius pulli vel columbarum cum melle; vel puls ex auenâ cum melle & aniſi puluere. Deinde perpetuò cibi condiantur maioranâ, origano, hyſſopo, thymo, roremarino, ſerpillo, calaminthâ, ſatureiâ, vno aut altero horum. Et ſinapi incruſtetur ſaccharo: ſæpe vtatur: &
Aët.4.1.17. nuce moſcatâ conditâ. Et cottidie accipiant cibos

paucos, leues, calidos, & exterſoriâ vi præditos, ple-
rumque cum melle edulcatos. Interdum gula reſolui- Aretaeus.
tur, vnde infuſus cibus in arteriam labitur, cùm neque tonſillæ ad impulſum ciborum concidant, nec epiglottis in proprium locum ſubſidat, quæ aſperæ arteriæ operculum à naturâ facta eſt. quare longâ fiſtulâ ſuccum ac mulſam infunde, ac ſupra arteriam aſperam attollens, in gulam demitte. Fruſtra verò laborant qui ſub mento cucurbitam vt gula dilatetur affigunt: quia compreſſione, non dilatatione ad deglutitionem opus eſt. dilatat autem cucurbita, & cùm vorare velis prohibet, reuellens ac retrahens. & replet arteriam aſperam, vnde ſtrangulatio. nec gutturi affige. Vinum in principio nuſquam vtile eſt. inclinato verò morbo, da non nouum, nam excrementitium eſt: non vetus, ob penetrandi vim. Auenzoar præbet vnciam vini in fine morbi, ad membrorum robur. Paulus vino inſtillat calidam aquam. Exerci-
tij vice ſint frictiones & vectiones curru factæ. Poſt 3.Lib.18
diem decimumquartum ad geſtationes eum Paulus deducit, & tunc vocis & loquelæ curam habebimus: & poſtea etiam dabimus modicum de hierâ, inquit.
Empirica quoſdam delectant, de his hæc accipe Empirica.
pauca. Accipe tincturæ corallorum extractæ cum aquâ vitæ ſemunciam; ſpiritus vitrioli binas drachmas; ſyrupi de hyſſopo & de ſtœchade ſingulas vncias duas: miſce: da ter die cochlear ex vino albo. Spiritus vitrioli gutta ex liquore hauriatur. Aquam è ſpicâ & lauendulâ bibitam laudat Matthiolus. Iniice aquæ vitæ, zinziberis, caryophyllorum, granorum paradiſi, nucis myriſticæ, ſingulorum duas drachmas; foliorum ſaluiæ binas vncias; cubebarum, cardamomi, maſticis, galangæ, cuiuſque drachmas duas; roſmarini, lauendulæ, maioranæ, meliſſæ, betonicæ, ſingulorum pugillum; ſpicæ nardi ſcriptulum. adde ſi lubet ſemen rutæ, & granum muſci & ambræ. Ægidij aquæ octo deſcribuntur ab Euonymo tomo ſecundo. Quidam probant radicem rapi barbati collo appenſum. Smaragdus ſi collo pendeat confert, inquit Zoar. Ego puto ſi corallâ ex corallo collum implicetur, optimum ἀντιπάθειαν fore: cùm mihi conſtet dentium dolores à catarrho ortos hoc aueiti. Excitant apoplexiam fungi, mandragora, & pomorum nimios vſus & eorum odor. Moneo tandem non temerè incumbendum eſſe in vſum rerum calidarum ordine tertio, maximè ſi fuerint tenuium partium, & ex plurimis actis ſpirituoſiſque partibus conſtiterint. nam in illis affectibus vbi humorum luxuriat copia, præſertim ſanguini permixtorum, ſuſpectus horum vſus eſt. Hæc enim cùm calore ſuo caput plethoricis cauſis augeant, æger in periculum abripitur: maximè nondum euacuato corpore, & ſi corpore non admodùm fuerit frigido. Alioqui enim, ſuſis humoribus, caput implent, & morbus vires acquirit eundo. Accipe folia & fructus buxi, & nucleos perſici, extundantur cum aquâ lauendulæ, & colaturâ fricetur lingua: & cochlear vnum aut alterum ori infundatur.

CAPVT XXV.

De PARALYSI, *quam Reſolutionem, vel Mollificationem vocant, Græci etiam* πάρεσιν, *hoc eſt, languorem & defectionem.*

INTER affectus neruorum, primùm ſeſe offert eorum eneruatio functionumque ablatio, cùm neo motus nec ſenſus ſuum officium facit: ſi caput exceperis.

Definitio & eius enarratio.

peris; Paralysin vocant: quam ita definimus. Est neruorum relaxatio, non tamen omnium: & interdum musculorum mollificatio cum priuatione motus & sensus, à vi causæ morbificæ. Dixi neruorum: sunt enim hi sensus & motus instrumenta. nam principes functiones, imaginatio, cogitatio, hîc non sunt officij immemores: sed sensus & motus auferuntur. Adieci, non omnium: vt symbolo hoc abiret ab apoplexiâ, vbi cunctorum neruorum & musculorum adest paralysis. Sed hîc alterutrius partis maximè adest resolutio, nimirum lateris dextri, vel sinistri: nam talis propriè dicitur paralysis. cùm verò membrum peculiare soluitur, dicitur eius partis paralysis: vt linguæ, œsophagi, vesicæ, penis, oculi. At Apoplexia, κυρίως dicta est resolutio totius corporis. Definitioni adieci musculorum mollificationem: nam non soli nerui, sed etiam musculi sunt instrumenta motus, cùm Galenus asserat in paralysi nonnunquam affligi musculos, interdum neruos: ita vt intactis neruis passio aliquando feriat musculos: est etiam vbi vtraque affliguntur. Addidi mollificationem; vt noscamus musculos occupari conuulsioni contrario affectu: nam ibi durities est, cum motu deprauato. Conclusi definitionem his; à vi causæ morbificæ: sunt enim in ocio præcipua instrumenta facultatis animalis. Sed ocium trifarium est; vel à causâ morbificâ, vel à facultate; aut nullum harum agnoscit. Primum conspicuum est in hoc affectu: secundum in motu tonico, vt cùm quis porrectum tendit brachium: est sanè ficta hæc quies, quæ tamen aliena est à vi morbificâ. tertium, cùm quis brachium abiicit in scamnum, hoc nascitur a neutrâ causâ, sed ob pondus membri. Iunxi etiam hoc, cum priuatione motus & sensus: ita euenit in perfecta paralysi. nam si ea non perfecta fuerit, vel motus vel sensus solùm stupebit, aut interibit. Hoc voluit Aretæus, cùm ait: Si solus tactus deficiat (quod rarô euenit) ἀναισθησία dicetur. Hæc in definitione; iam ad causas. Hic affectus est symptoma, quod consectarium est malæ conformationi, vel solutæ vnioni. Nam nerui immodicè humectantur & refrigerantur, vt in frigidissimo aëre; vnde densi redditi, facultatis Solem non vident, vel resolutus crassus humor in principium eorum incumbit, quo replentur; quod euenit ab apoplexia. vel fit obstructio ad vertebras colli, vel ad inferiores partes, aut ictu, lapsu, incisione violantur. Saltem fit à tali causâ quæ aditu prohibet facultatem à membris: quicquid enim facultatis motricis radios arcere potest à parte aliquâ, paralysis causa est. Vel etiam si aditu & appulsu non arceatur facultas à sensoriis, per quæ suscipitur omnis actio animalis, ea tamen resoluuntur, quòd facultas non suscipiatur. Expendamus iam quas ob causas facultas aditu à membris prohibeatur: & cur, si transeat, non suscipiatur. Aditu arcetur vel ratione neruorum, vel ratione facultatis. Ratione facultatis, impedito spiritus animalis appulsu, qui non fertur vt debet, ad partem à qua suscipitur actio. Vt cùm spirituum inopiâ laborat. Neque enim sensifica vis locet in vllo sensorio, cùm spiritus animalis inclusio est in fonte ipso, vel summa eius paupertas. vel cùm aliò ea abducitur: vt cùm dexter musculus temporum inflammatur, eò se vertit tota facultatis vis, indèque sinister musculus resoluitur. ita in capitis vulneribus calamitosis, aduersa pars laxatur. Vel interceptio est spiritus animalis in cursu, quem ipse per neruos inflectit. Neruorum itaque vitio si fiat, hoc ita euenit, quòd illi vel abscindantur, vel quòd nimis conniueant. Conniuent aut pressu, vel ab acceptâ copiâ. Pressu, vt à loris, & ab ictu aut lapsu contusi ac inflammari. Conniuent etiam nerui, à frigore dum densantur in opacitatem; non aliter ac per densas cùm nubes fulgor Solis erumpere nequit. Pori enim neruorum nonnunquam densi euadunt nimis: atque illud adeò est quòd non in intemperiem hoc malum retulimus: rarum enim & densum ad conformationem spectant; vt molle & durum ad temperiem. sed hîc neruus non redditur durus, sed densus. Asserit Trallianus siccam, vt & calidam intemperiem paralysin inferre posse: si densent, fateor. alioqui atrophiâ ideam resolutionis fingunt. nam calida & sicca intemperies non est resolutionis auctor: argumento est hectica afflictio, quæ paralysin non adfert. Non suscipitur interdum facultas quamuis ea allabatur, quòd pars illa sit vel phlegmone obsessa, vel quòd ex infarctu laboret. Si à phlegmone, id fit quòd illius tumore opprimantur nerui: id etiam subito quodam sanguinis affluxu euenit, vt in febribus: nam si bilis eò se verteret, vt quidam putauere, potiùs conuulsionem accerseret. Infarctus autem fit à materiâ pituitosâ, vel melancholicâ. Ita fit ex prolapsu materiæ apoplecticæ; quam fortis naturæ contentio illuc transmisit è cerebro, ex quo prolapsu etiam madescit altera pars spinalis medullæ; aut ipsa neruorum propago illinc diducta densior redditur, nec animali spiritu illustrantur. Tunc modò pars dextra, modò sinistra affligitur: pro vario humoris motu, naturæ impulsu, & meatuum conditione, & situ partium excipientium Hic infarctus quin etiam inferri potest à bile crassiure permixtâ cùm pituitâ. Nam tenuis & liquida aqua plerumque in paralyticorum cerebri ventriculis & spinâ dorsi inuenitur, quæ à capite eò defertur. Quare hoc malum nascitur interdum per catarrhum, qui à cerebro foras transmittitur in cerebri propagines, vel vt Græci dicunt ἀπονεύρωσιν, nimirum ad spinalem medullam & neruos. Fit igitur mollitudine, densante, neruorum & membranarum, per ingessum catarrhi. Plurimùm itaque à pituitâ, aliquando à sanguine, rarò à melancholiâ; nunquam à flauâ bile, nisi cum cæteris misceatur; quia potiùs contraheret. Et humidi proprium est laxare & resoluere, vnde motus quædam impotentia nascitur neruis ceu habenis trahentem facultatem minimè sequentibus, vt in pueris præhumidis euenit; quòd tendi in suum robur nequeant nerui, vel saltem spiritum non ita accipiunt. Dico hoc locum habere vbi madent nerui: nam in hyposarca non fit paralysis, quòd carnosæ partes ibi madore tementur. Hæ verò materiæ quæ infarciunt neruos, nascuntur vel congestiune in parte, hoc vitio tentata: vel aliunde irrepunt. Succrescunt congestione, à partis imbecillitate, quæ hebescit frigore, a calido natiuo titubante: hinc obstructio. cùm enim cespitans pars ægrè suo genio fruatur, materiæ morbificæ congeruntur, quæ facultatem animalem à parte arcent. Aliunde verò prodit, cùm à toto corpore, vel à peculiari aliquâ parte influit. à toto corpore, cum inclinantibus febribus transfertur materia morbifica in neruos. Nascitur etiam ex tumore: vt si phlegmone non bene habitâ, in scirrhum abierit, qui suo pressu aditu spiritum à neruis arcet. Quâ ratione interdum sensus, nonnunquam motus auferantur, exposuit abundè Galenus. Vbi monet obseruandum esse, num membrum neruo duro vel molli sit rigatum. Hæc de intimis causis; venio ad eas quæ à foris. Inter has refert. Aretæus pauores, mœrores, in pueris terrores, ingens gaudium, risus vsque ad mortem implicabiles. Hæc, inquit morbi prima initia sunt, sed vltima & præcipua causa est, calidi natiui refrigeratio. Et huius auctoritate sex causæ numerantur paresis, vulnus, ictus, refrigeratio, cruditas, venus, vinolentia, & immodicæ animi perturbationes. & omnes iniuriæ ex quibus spinæ

dorsi

Marginal notes (left column): *1 Loc. affect. 6. 3. Loc. affect. vlt.* — *Galen. 2. Sympt. caus. 2.* — ** sensus ablatio* — *Cavsae.* — *4 loc. aff. 1.*

Marginal notes (right column): *1. Sympt. caus. 5.* — *2. Sanitat. 5.* — *1. Symp. caus. 5.* — *Auicenna.* — *Galen 4. loc. aff. de piscatore.* — *Auicen.* — *Galen.* — *Galen. 3. loc. aff. vlt. & 1. loc aff 6. & maximè 1. De Symp. caus. 4.* — *4. Symp. caus. 2.*

dorsi contorsiones, & neruorum compressiones. His adde vaporem argenti viui, vsus carnium porcinarum, ac tuberum, somnum in antris, vel in domo recens polita, lunæ radios, importunum exercitium.

DIFFERENTIAS.

Hactenus de causis: iam paucis de differentiis. Hæ sumuntur à formâ mali, loco affecto, & causâ effectrice.

A forma.

A formâ, nam sensus vel motus facultatis animalis percellitur; vel, quod plerumque fit, vtraque. Sed cur modò motus, modò sensus deficit? Sensus minori negocio fit, nam in passione & susceptione consistit: at mouere actio est: ergo plurimâ illi facultate opus est.

A loco.

A loco affecto: nam, inquit Aretæus, interdum vnum resoluitur membrum, interdum plura: nonnunquam pars aliqua, vt nares vsque ad mediũ, & lingua media, vna tonsilla, & isthmus, ipsáque gula dimidia resoluitur. Idem fieri existimo, inquit, in stomacho, intestinis, vesica, & longanone. Et in pupillâ quoque oculi id euenit: quæ cùm in amplitudinem magnam diffunditur πλατυκορίαν, id est, pupillæ amplificationem vocamus: aut in angustum contrahitur, dicitur μύωσις. Et vesica paresin incurrit: aut enim per extensionem resoluitur, cùm lotium effundit, ob impotentiam retinendi: aut in seipsam conuoluitur, cùm vrinæ plena, nil reddere potest.

Aret. 1. Diutur. 7. in fine.

Columella etiam interdum afficitur, vnde inopinatus sonus redditur. Quin in eadem parte modò hæc modò illa particula affligitur.

4. Loc. aff. 2.

Lædi enim poris est vel neruum, vel musculum. Si neruus, id ei accidit in suâ origine, vel dum longiùs abit. Si in abitu; is neruus peculiari alicui parti dicatus erit, vt manui. Si verò in nerui origine vitium hæserit, vel cerebrum affligetur, vel spinalis medulla. quodsi cerebrum, vel pauci, aut plerique nerui in vitio erunt: non tamen simul cuncti. Cùm hi ad spinam dorsi affliguntur, vel ipsa eius substantia vitium agnoscet, aut neruorum inde ductus. Spinæ cùm læditur substantia, tum vel tota spina obsidetur: vt cùm capitis partibus intactis, latus resoluitur vtrũque, si in spinalis dico medullæ origine hæserit vitium. Aliqui vnum ferit latus. Ratio huius euentus est, quòd, auctore Auicennâ, bifariam diuisa sit spina, non diuisore membranâ: sed Auicenna dicit eam diuidi in dextram & sinistram partem. Mirum sanè naturæ artificium, quæ vbique affectat hanc geminã vbertatem: quò vnâ parte oppressâ, altera officio sufficiat. Si materia morbifica in ductus spinæ effusa fuerit, tunc, vt sunt variæ vertebræ, ita & variè paralysis fiet: vt mox trademus, vbi de signis. Hoc modo à parte afflictâ differt interdum hoc vitium. Accuratè discatur quæ pars laboret. Quidam meorum præceptorum resolutionem vidit sinistri renis, neque vrinam reddebat. admouit castoreum collo, itidem naso; nam ex resolutâ meninge vitium erat: reddidit sex vrinæ libras, tamen obiit. Dein à causâ efficiente discrimina mali huius notantur. quas vt varias diximus, ita & variæ huius passionis differentiæ deprehendentur.

A causa. 4. Acut. 23.

Hoc malum cùm apoplexiæ succedit, propriè παραπληγία dicitur: quæ tamen Aretæo est, cùm sola pars aliqua suo officio exuitur, vt pes, manus. quæ ab apoplexiâ est, in eam plerumque recurrit. Cùm nerui afficiuntur qui musculis non inseruntur, inferunt solius sensus solutionem, quam Aretæus anæsthesian appellat. Quæ alterum latus occupat, propriè vocatur ἡμιπληγία, quamuis ita etiam dicatur interdum παραπληγία.

Quid differat ab aliis morbis. 2. Prorr. 26.

Ab Ischiade differt, nam in ischiade adest motus difficultas: at in paralytico ablata est facultas. in paralytico medulla spinalis agnoscit vitium: in ischiatico, tunica. A conuulsione: nam ibi musculi, hîc nerui ægrotant. Tremor est symptoma infirmæ facultatis, illæsis etiam instrumentis: vnde motus deprauatio. Ab arthritide: nam paralyticus audet progredi, sed non potest: ex aduerso arthriticus: nam huic tunica nerui est affecta. Quod ad differentias communes, est vitium potens, ob refractariam suam potentiam: citra contagium: diuturnum: modò hanc, modò illam partem inuadit: quare indifferens. Iam ad signa veniamus.

SIGNA.

Sensus hebetudo apparet, quando sensilia non exactè percipiuntur in proprio quæque sensorio; nec libera motio est earum partium quæ sponte nostra mouentur, idque παρὰ τὸ ἴδιον, hoc est non proprio ipsorum vitio, sed alieno, hoc est, facultatis ipsius. Quædam partes contractæ etiam officium suum deponunt, sed id non fit à paralysi. sed resoluta pars alget, labitúrq; si erigatur, mollis est & fluxa, sine motu & sensu, & tandem macrescit. Quare examina excrementa etiam, & qualitatem corporis in colore, mole, & charactere.

Hip. De vulner. & fract.

Sed hoc nota: quòd faciei pars laxata in aduersam partem contorquetur. Nam quacunque in parte musculi congenere sunt, pares numero, magnitudine, & robore, resolutio vnius partis, efficit conuulsionem partis sanæ oppositæ, idque ex euentu. Sed, quod vtilissimum est, scrutemur singularum causarum paralyticarum notas, & afflictarum partium signa.

SIGNA differentium causarum.

Signa quæ formam indicant narrabunt ipsi ægri: vtrum motus tabescat, an verò sensus, vel an vterque stupescat. Locum ita deprehendemus affectum: Si fuerit vitium à musculo, principium neruorum integrum erit, vegetúmque in suum munus. Quodsi nerui origo malè affecta fuerit, vel cerebrum, vel spina vitium habebit. Sin progressus neruus in vitio fuerit, principium integrum erit, vnáque peculiaris pars in querelam veniet. Hæc optimè distinguentur à causis procatarcticis, & ex lædentibus & iuuantibus, & ex numero partium læsarum. vt si præcesserit ictus vel lapsus in spinam, erit in origine nerui, non in progressu. sin ictum manus excepit, erit in nerui progressu. Ita si remedia spinæ admota iuuant, erit malum in nerui origine. Ita ex numero: nam vbi ductus nerui læditur, vnicæ solùm parti, cui ille inseritur, molestiæ euenient: nam ab origine, plures nerui in varias se effundũt partes. Sed quâ arte distinguemus musculum ignauescere à tacto iniuriâ neruo, vel propriâ suâ vi num exuatur? Si à musculo resoluto enata sit paralysis, pars contabescet: carnosa enim fatigatur eius pars, multo nutricatu quæ eget: cúmque ex idiopathiâ laboret, subitò in maciem & languorem abit. verùm non tantâ mole alimenti eget neruus, propterea serò inde pars macrescit.

Vnde pars quæque sit in vitio.

Faciei pars si sensus expers fuerit, in cerebro causa hæret; nam affligentur nerui tertiæ coniugationis: sin motu fraudetur, primæ colli vertebræ crimen habent. Si totum corpus, excepto capite resoluatur, vitium hæret spinæ principio. In transuersum si afficiatur spina, malum subditas feriet partes cunctas: sin altera solùm spinæ pars lædatur, quæ illi respondent partes iniuriam sentient. Si brachia resoluta sint, in quintâ, sextâ, septima ceruicis vertebrâ mali materia delitescet. Nerui pectus mouẽt, ex ceruicis vertebris nascuntur. Quintâ ceruicis vertebrâ laborante, manus spoliatur officio sentiendi & mouendi. Sexta colli vertebrâ occupatâ, non in totum petit vis sentiendi & mouendi in manibus; nam primæ brachij partes illæsæ seruantur. id magis etiam si septima spinæ vertebra fuerit malo inuoluta. octaua spinæ vertebra paruam noxam manibus infert: sed thorax inde potissimùm affligitur. Sin inferiores artus langueant, lumborum & ossis sacri vertebræ incursu morboso fatigantur. Crus si solutum, infra lumbos mali focus erit.

A causa efficiente nota.

Iam agam de signis variarum causarum quæ proferũt paralysin. Aditu si prohibeatur facultas, id fit ob immanem phlegmonem, vt fit in vulnere musculorũ [illegible]: quòd eò abducta facultas, alteram partem deserat: quare inopiâ

facultatis diuersa pars resoluitur. Aditu etiam prohibetur facultas, quòd neruus crimen agnoscat solutæ vnitatis, à lapsu, ictu. vel pressione is opprimitur, vt vinculis, ictu, casu, vel à luxatâ vertebra. hæc luxatio à phlegmone etiam musculorum ceruicalium ortum trahere potest. Vel densior si redditus fuerit neruus: id dicent præcedentes vsus rerum refrigerantium: & tactu alget pars. Sin nerui infarctus auctor resolutionis sit, hæc præscripta aberunt: & eorum loco venient causæ internæ, quæ magnam pituitæ vim adferent, vel luxuriantem melancholiæ copiam proferent. hîc se in conspectu dabunt causæ in hos succos fœcundæ. Sed infarctus auctor materia, vel à congestione, vel ab influxu ibi consedit. Quæ à congestione, illa succreuit à parte tactâ intemperie frigidâ: ideóque tales notæ se in conspectum proferent: quin talis paralysis sensim arrepit: etiam nonnunquam stuporem prodromon habet, tanquam prænuncium futuræ resolutionis. Propterea dicebat Aretæus, prælonga interdum initia hanc sortiri, grauitatem, torporem, motum ægrum, frigus, & interdum ardorem oppositæ partis. Cùm verò alicunde incumbit, ἀθρόοι in paralysin trahuntur; & si quis anteuerterit stupor, breuis is fuit, cùm, dato impetu, præceps materia irruat. Vel adsunt notæ afflicti corporis totius, vt si febricitet: vel ab aliquâ parte incumbit, vt ab apoplexiâ. Fluit materia, concita orgasmo, doloris vi, vel quòd pars continens exoneret se in contentam. Si vi doloris influit, is

3 Loc. aff. vit. præcessit & calor, quorum est attrahere. Si vsus rerum frigidarum vberior adfuerit, à parte virtutem non accipi significatio erit: quod piscatori illi euenit. Vel id fiet à tumore, vt à phlegmone ita habita, vt tenuibus dissipatis, partes crassæ restagnent. Cùm vrina non redditur, & vesica in duritiem exturgescit, id fit à resolutis musculis abdominis, & stupentibus neruis vesicæ, vt euenit interdum his, quibus crura resoluuntur: prome, prodibit. dixi id etiam

Vt noscatur pars opposita cum labore. euenisse à meningis resolutione. Antagonistarum musculorum affectum noscemus in ore: nam sana membra loquuntur, conniuent, sentiunt, rident. Quare, scribit Aretæus, deprehenduntur loquendo, ridendo, conniuendo. Nam in affecta parte labrum risu caret, & inter loquendum non mouetur, palpebra non volubilis, oculus riget, nil sentiunt partes læsæ. Hæc ideonam decipiunt in caninâ conuulsione partes: nam integræ, spectantibus, laborare videntur. Illud notandum, quòd paraplegia & conuulsio simul existere nequeunt in eodem subiecto: quod illius natura & hyparxis ἐν τῇ ἀνέσει: huius verò ἐν τῇ τάσει consistat. & paraplegiæ sedes est in neruo

INDICATIONES. medullari: conuulsionis autem in musculo. Ex his puto naturam paralysis conspicuam esse: quare ad remedia abeo. Capita ad quæ collineandum sit in curatione, hæc sunt, quæ ex deprehensâ eius naturâ manant. Cùm paralysis sit symptoma, variis morbis consectarium, certè variæ remediorum ideæ sese offerant necesse est. Si facultas ab instrumentis motui sensuique dicatis excludatur, quòd lacera sit eorum vnio, erit solidandum. Sin angustiâ arctentur, dilatentur: si ab infarctu id fiat, aperiatur. Quòd si paralysis enata fuerit, quòd vis animalis non suscipiatur ob nerui intemperiem, si frigus obsit, erit calfaciendum: si consociat se mador, vnà siccandum. Cùm verò ob tumorem durum hoc euenit, erit molliendum & exhauriendum. Succus auctor cùm est mali, elidatur. & quia attonitum remanet cerebrum à spirituum resolutione & conceptum ob frigus, quare calfaciendum & spiritus noui gignendi. spiritus calidiore & tenuiore sanguine nutriuntur: in hæc ergo conueniant edulia & aër: vt nimirum calfaciant & siccent: vnde & foris dropacibus vtendum. Sed antequam manum medicam porrigamus, notabimus

num redintegrabilis sit sanitas: id dicent signa. Certè omnes neruorum affectus ægrè sanabiles sunt: *PROGNOSIS.* quòd nerui naturâ algeant à calidi inopiâ, inde vix redeunt paralytici senes, effœto calore natiuo. Si iuuenis fuerit eusarcos, bene sperandum: sic si sensus manent integri. Sed dum veterascit malum, ægrè excutitur. Cùm causa paralysis est phlegmone oppositæ partis, quæ in se euocat totas facultatis opes *A differentiis causæ efficientis.* (quod non fit sine horrendâ vi inflammatoriâ) calamitosum denuncia malum. Sin id euenit ab accisis neruis, sanè sectus neruus combinari nequit. Quod si nerui angustia adsit, vt à loro, id remoueatur: si ab ictu sit valido attritus neruus, extra spem habebitur. si tamen mitior ictus fuerit, sanabilis erit. Sed quâ arte dignoscam validâ compressionem, à tenui? Razes hoc nos docet; si ilico iam iam ab ictu oborta fuerit paralysis, nota erit validæ contusionis: sin longâ die ab ictu arrepserit, tenuioris attritionis symbolum erit, & manus curationi dabit. Vertebra- *3. Loc. vlt.* rum intrò luxatio si mali auctor, desperata erit curatio: nam vehementem compressionem neruis adfert, nec illæ reuocari possunt in suam sedem. Si foras fuit luxatio harum, reponitur: non æquè facilè si ad latera. A phlegmone musculorum ceruicis nata paralysis, redire ad sanitatem potest. Quæ ortum ducit à nerui densitate, quæ à frigore nata fuit, sanatur, attamen ægrè. Id cùm fuerit ab obstruente pituitâ vel melancholiâ, curari poterit; sed à melancholiâ non sine summâ difficultate: ægrè enim hæc cedit, validissimis etiam remediis. Quòd si facultas non admittatur à neruo, ob intemperiem vel tumorem durum, superari hæc iniuria poterit, modò in scirrhum non indurerit. Præterea pars inspicien- *Galen. 3. loc. affect. vlt. & 4. loc. aff. 2.* da, & oculis lustranda. Si enim pars eneruata non tabescat, nec colorem exuat, spes est redintegrationis: nam validam facultatem spirituúmque copiam denotat. Senes, inquit Aretæus, vix sanantur: nam eorum calor titubat, luxuriante madore. at pueri facilè redeunt. Vrinis cumulatè multis proruptis exoluitur atque sanescit. Sed sudoribus confertim manantibus, ruit in peius. His etiam pororis *Coac.* mala est, à refrigerato nimiùm cerebro. Quæ apoplexiæ consectaria, ægrè curatur. & metus est, ne in eam recurrat. Si à marcore partis, quæ ei opposita est calore & colore vegeta reddatur, calamitosum est: nam effœtæ partis indicium est, quæ facilè fert sibi subduci succum. Febris & tremor concurrens est pro valetudine. Recuperandæ sanitati indolentiam vehementer prodesse tradit Aretæus. Pingues, *Aretæus.* humidi, desides facilè hoc vitio corripiuntur. Hyems hanc gignit præcipuè, dein ver, mox autumnus, at minimè æstas. Si diu afflixerit corpus cholericum dolor colicus à pituitâ crassâ & flatulentâ, illi, si tandem tenuetur (vt inediâ, vigiliis, medicinis calidis) in spinam irruit, & τέτανον facit. Sed hæc materia non videtur ab intestinis ablegari: nam promptior ei per sedem foret exitus, sed ex venis eò ablegatur. Curabile si sit malum, in primis humoris *CVRATIO.* instituatur euacuatio, præparatio, reuulsio, deriuatio, residua dissipatio, roboratio, & victus ratio. Si sāgui- *Chirurgia.* nis notæ efflorescunt, pertundemus venam: sed modicè sanguis subducatur, nam frigore, resolutis spiritibus, cerebrū stupet, corpúsque friget. Nā si à phlegmone obnata fuerit, nihil periculi à frigore erit, etiam si copiosiùs sanguis effluxerit. Sed vbi resolutio oborta fuit ab obstructione, religiosè transigendum: ne in frigido corpore, & frigido morbo facultas retentrix resoluatur, nectárque viuificum dissipetur. Sed quam venam pertundemus? partis intactæ, maximè si ab ictu vel febre inciderit. At quid si vtramque partem tetigerit resolutio, quid agas?

Si

.Si circumfluat sanguis, vt sectione opus sit, vtrum latus acerbiùs affligatur notabimus; quod firmius videtur, vulnusculum accipiat. Quod si æquè vtrinque affligatur, dextrum brachium feriemus, ob hepatis situm. *Cucurbita.* Vel cucurbitulæ hæreant dorso & lumbis, modò ibi enata non fuerit paralysis. hoc modo vicem dabunt sectæ venæ. Cùm verò in dorso vel vertebris lumbalibus consederit vitium, cruribus vel coxis, & manibus eæ admoueantur. A prouisione habitâ totius, parti, in quâ focus eius consedit inserantur: nam flamma partem calfacit, & exanguem succo implet, & sopitam vim concitat. *Cauteria.* Cauterium quod ferro imprimitur crudele est, sed tutum. Aëtius id partibus afflictis admouet: & etiam vertici capitis, ad exhaustionem reuulsionémque, si ibi stabulârit fons insatctum faciens. Si brachium resolutum fuerit, prima vel secunda colli vertebra cauterium accipiat. Si simul crus soluatur vel pes, vltima spina vratur. eisdem vtemur si totum latus hebescat solutum. Quin interdum aduersis partibus cauteria inurimus, ad materiæ auersionem. Frictiones excipiat pars sana. *Lenientia.* Iam videamus quibus vtendum aluiducis remediis, cùm ea suadet vsus. Ea erunt varia, pro materiæ discrimine; vt illa fuerit tenuis vel crassior. Propinabimus mel rosatum laxatiuum, cum hierâ. A cassiâ abstine; cùm enim magna eius pars nutricatui studeat, eneruat compagem corporis. Ego ita agere solebam: Accipio benedictæ laxatiuæ, vel antidoti Indi vnciam: cui remisceo vncias quatuor mellis rosati laxatiui: iubeo vt alternis ferè diebus cochlearium vnum aut alterum sumant. Si clysma velit, hoc proderit: Accipe parietariæ, brassicæ, mercurialis, florum chamæmeli, betonicæ, saluiæ, cuiusque manipulum: stœchados, rutæ, calaminthæ, centaurei, hyssopi, cuiusque semimanipulum; seminis seseli, fœniculi, ammeos, cuiusque binas drachmas: potest addi agarici in puppâ ligati semuncia, & semen carthami: coque ex aquâ: huius libræ adde benedictæ laxatiuæ, antidoti Indi, cuiusque semunciam; mellis rosati vnciam; olei rutæ, laurini, vel lilini singulas sescuncias; salis communis drachmam. maximè prodest cùm pudendum, coxæ, vesica, & cæteræ vicinæ partes resoluuntur. *Pharmacia.* Ad vsum purgantium sensim veniemus, proptercáque materiam morbificam exclusioni parabimus. *Preparantia.* Pituitam calfaciemus, siccabimus, incidemus, attenuabimus, detergemus. Ea tamen cautione, vt sensim veniamus ad valentiora: alioqui liquefacta fusáque materia ad partem præcipitata irritabit malum. Cauendum ergo ne ante quartum diem validis vtamur aperientibus: ne magis partes dilatemus, quàm materiam præparemus. Fruatur æger oxymelitis exiguâ copiâ, tinctúmque id sit vi hyssopi, & betonicæ. Sit id fabricatum ex aceto non acri. Vtemur etiam syrupo acetoso simplici, syrupo stichados, prassij, betonicæ, hyssopi, de iuâ Nicolai, primulæ veris, calaminthæ; nam siccat & tenuat, melle anthosato. Hæc dantur cum decocto anisi, fœniculi, cinnamomi, saluiæ, origani, pulegij, summitatum thymi, vrticæ, seminis rutæ. duæ vel tres ex his coquantur ex hydromelite, vel aquâ. Accipe mellis rosati colati, sescunciam: cum duplo decocti saluiæ & betonicæ: fiat haustus. hoc coquit, tenuat, terget. Si puero oxymelite opus sit, id corrigatur melle rosato. Quatuor vel quinque dies mitigationi materiæ incumbemus, mox clementer purgabimus: *Purgantia.* dein pax ab vtrisque sit aliquot diebus. *Modus agendi.* & interim auertatur incumbens materia balanis, errhinis, apophlegmatismis. Postea ad validiora pharmaca surgemus, & in præparantia vegetiora: iterúmque, ne noua materia sobolescat, robore afflabimus partem ægram. Deinde ocium interponatur ab omnibus remediis, &, subductâ aluo cucurbitæ inhæreant spinæ. Tandem ad validiora te erigas remedia tum præparantia, tum purgantia. Razes offerebat pilulas fœtidas, postea quietem indicebat triduanam (alij scribunt trium hebdomadarũ) & interim vtebatur cicerum decocto, & oleo & sinapi nutriebat. *Nota.* Sed illud obseruabile, materiæ copiam plerumque exactam materiæ morbificæ edomationem non admittere. Purga tunc ilico pilulis de hierâ cum agarico. dein paulatim præpara, & vicissim (vt dum vrina ex crudore in flauum abit) purga. vt, accipe agarici recenter trochiscati sesquidrachmam; aquæ absinthij vncias tres, zinziberis grana quinque: macera: colaturæ adde benedictæ laxatiuæ drachmas tres, mellis rosati ℥.j. misce. Aliud: Accipe pilularum assairet, & de agarico singulas semidrachmas. Sæpe purgatio instituatur, modesto remedio, quod ter vel quater aluum irritet. Aut bibat veteris galli decoctum, in quo ferbuit turbith, cnicum, polypodium, hyssopum, stichas. *Cautio. 2.3.* Monet Auicenna, ineunte morbo, validis pharmacis non esse concutiendum corpus: imò, inquit, cunctaris ad quartum vel septimum. sin fortè malum fuerit vehemens, ad decimumquartum diem supersedeas. ita Paulus initium fecit à semidrachma hieræ. Non incumbe etiam perpetuò pharmacis, sed ab illis, vt dixi, pax sit insertis diebus. Videndum tamen ne cunctatio fraudi sit, si non sit extra censum acuti mali, ita vt subitæ mortis discrimen adsit. Et iubet Abincenna, vt robur aliquod pharmaca habeant: nam longè ab aluo recessere nerui, maximéque cùm infarcti sint materiâ cõtumaci à crassitie: nec principatu aliquo œconomiæ humanæ præsunt. Hoc ordine transigemus. In primis vtemur pilulis de agarico cum trochiscis alhandel, dein cocciis, fœtidis, de opopanace, de sarcocollâ, de euphorbio: quæ vltimæ validissimæ sunt, ratóque in vsum veniunt. Si pilulæ non placent, detur diacarthamum, quod grati saporis sit, vt & electuarium de citro solutiuum, diaphœnicum, & Indum maius, benedicta laxatiua ad sex drachmas. Si licet, robustioribus sensim vtemur, elucescentibus notis perfectæ coctionis. Attamen si ineunte morbo materia adhuc influit, validè purga: alioqui sensim. Nam hoc æuo fons huius mali plerúmque est obstructio contumax: hinc est quòd Razes præscripserit binas drachmas cum semisse pilularum fœtidarum. sed non semper eò surgendum: sed in inuicto reliquis malo, valentibúsque viribus sine infirmitatis metu, tenacibúsque succis renitentibus. Non tamen huic tam valida debêtur ac apoplecticis. Quare, si licet, iteratis vicibus pugnetur: nam lentus est morbus, lentéque bellum eius conficiendum potiùs, quàm magnâ agitatione pugnare, ne ex paucis multa. Phlegmaphygis iunge quid cholagogũnam bilis est vehiculum pituitæ & melancholiæ. Pilulæ hîc vtiles sunt: nam feliciùs trahunt à partibus remotis. Vsui erunt alephangiñæ, imperiales, assairet, de agarico, cochiæ, & fœtidæ, quas in curatione huius mali describit Razes. Si melancholia vexet, detur confectio hamech ex diluto epithymi. Accipe pilularum de opopanace scriptulos duos (fundit crassam pituitam pilularum fœtidarum, castorei, vtriusque semiscriptulum: fiant pilulæ. Si velit potiùs æger apozema, hoc modo id paretur: Accipe radicum inulæ viridium, acori, galãgæ crassioris, singulorum semunciam, saluiæ vtriusque, polij montani, menthæ, betonicæ, vel origani, aut calaminthæ, pulegij, cuiusque manipulum, hyssopi semimanipulum, seminum anisi vel fœniculi, aut carui drachmas sex, glycyrrhizæ rasæ semunciam; medullæ seminis carthami crassè contusi, polypodij, singulas binas vncias; turbith gummosi tantundem; florum stœchados, vel rorismarini, aut saluiæ, & centaurei minoris, singulos manipulos.

pulos. Coque ex aquâ,& libræ affunde mellis rosati,syrupi de hyssopo, amborum duas vncias; pleres archon,diambræ,singulos scriptulos. Conficiantur etiam syrupi magistrales, hoc est,perfectè cocti,qui per interualla propinentur:nam in vsum seruari possunt. Accipe ramentorum ligni guaiaci semilibram; corticis eiusdem semunciam: infunde hæc horis vigintiquatuor in libris aquæ septem: coque ad medietatis exhaustionem: colaturæ infunde radicum ireos recentis,pythetri,acori vulgi,galangæ crassioris,cuiusuis vnciam: macerentur in vino albo:radicum aristolochiæ rotundæ, hermodactylorum, singulas semuncias;polij montani,rutæ,sampsuchi,saluiæ,matricariæ,hyssopi,primulæ veris, melissæ,chamæpityos, calaminthæ, pulegij, origani, abrotani, singulos sesquimanipulos;seminis carui,anisi, fœniculi, rutæ, singulorum sesquidrachmam; caricarum pinguium numero viginti:adiici possunt flores centaurei minoris,serpillum,stœchas,rosmarinum,ciceres rubri. Hæc præparant. Si purgans velis, adiice folliculos senæ, & semen carthami ad duas vncias. Coque aliquot ex his in aquâ: cuius accipies binas libras,in quibus dissolues syrupi vel mellis rosati laxatiui vncias octo; & sacchari vncias qoatuor: fiat syrupus perfectè coctus: & impone rhabarbari semunciam; cinnamomi sesquidrachmam: in linteo hæc sint ligata. dosis sit duarum vnciarum:cum decocto betonicæ, saluiæ,melissæ, stœchados. Sumat singulis denis quindenisve diebus. A totius corporis purgatione, si caput adhuc immundum fuerit, id euacuabimus,quò dein roborari possit. Cùm itaque ter vel quater purgatus fuerit,vtemur errhinis, apophlegmatismis, sternutamentis, dein Laconico hypocausto.Fiat errbinum ex decocto maioranæ,rorismarini, seminis nigellæ, iuæ:adiice succum betæ, & mel despumatum. Vel accipe tenerrimas radiculas betæ, digitis terantur dum fibrescant, tum hæ huius herbæ succo, cui castorei, piperis, strutij, & elaterij quid insit,tabescant;vnam insere naribus. Gargarismus materiam liquans ita præscribatur: Accipe rutæ, saluiæ, corticum radicum raphani, singulorum semimanipulum;pyrethri drachmas duas;staphysagriæ sesquidrachmam:coque,& colaturæ adde mellis rosati vncias tres,oxymelitis scillitici vnciam. Vel accipe sinapi,erucæ, thymbræ, zinziberis,pyrethri, mastices, singulos scriptulos: cum melle rosato & passulis fiat pasta, cuius pars masticetur. Quintus Horatianus commendat sternutatoria, vt cerebri pressa altitudo suscitetur. Hypocaustum Laconicum rigetur decocto saluiæ ignitis lapidibus iniecto: ita decocto vtemur hyssopi, foliorum lauri, lauendulæ, rorismar. stœchados, chamæpityos, chamæmelorum, meliloti. Balnea vtilissima etiam sunt sulphurea, & aliquantulum aluminosa, nitrosa, & bituminosa. Primò tamen illinatur adipe anatis cum medullâ ceruinâ & oleo lilino. Balneum fiat ex decocto vulpis,cum foliis lauri, arthemisiæ,& talibos: adde sacculum cui argilla insit commixta sulphuri, sali, alumini,bitumini.Sed cautio adsit,ne ita calidis siccisque vtaris, vt materia morbifica inde lapidescat, exhaustis tenuioribus partibus. quare non ante trigesimum diem his vtendum. Accipe vas magnum cui commodè insideat æger: fundo vasis insperge cineres, quibus impone lapides ignitos, super quos infunde decoctum sequens. Accipe cucumeris asinini,bryoniæ,ireos, singulas vncias; saluiæ, betonicæ, melissæ,maioranæ, foliorum lauri,calaminthæ,hyssopi,polij montani, arthemisiæ; abrotani,mentastri, pulegij,cuiusque manipulos quatuor; seminis sileris montani, anisi, fœniculi, carui singulorum vnciam; florum centaurei, chamæmeli, pulegij, cuiusque semimanipulum. coque ex aquâ & vino generoso. huic immerge lapides. vapore rigetur æger sedens super scamnum, vase optimè clauso. Et ita sit constructum vas, vt nouum decoctum infundi possit. Sudet, dum ferat. caue ne incidat in animi deliquium; sed mox dum se debilitari sentit egrediatur. hoc fiat tribus vel quatuor horis ante cibum. à balneo tegatur & sudet. Et interdum accipiat drachmam theriacæ, vt suderà balneo in lecto: & origo neruorum balsamis vngatur: forisque, vt mox dicemus, suffitibus & illitionibus parti robur concilietur. Sunt enim roborantia duplicia; nam vel foris admouentur, vel intus propinantur. Primò de assumendis, mox de amouendis. Talibus vtatur, quorum anathymiasi crassi humores tenuentur, cerebrúmque recreetur. vt theriacâ, mithridatio, aureâ Alexandrinâ, diacastoreo ex decocto iuæ, diamoseo, rosatâ nouellã, aromatico rosato, diagalangâ, his misce interdum quid aquæ vitæ. Conserua iuæ, enulæ,rorismarini, stichados, saluiæ, betonicæ,cum speciebus diacalaminthi, diaspolitici, vel diacymini, diatrion piperij: condito zinzibere, vel nuce myristicâ, calamo odorato, caryophyllis, acoro condito, & pyrethro. confert etiam ruta, aristolochia, hyssopum, prassium, inde fiant decocta, quæ ilico à datis remediis sorbeantur. vt fiat decoctum pampinorum & saluiæ, datáque paucâ dosi corroborantium cum castorei momento bibatur. Hyeme corporéque natura frigido sumat drachmas binas conservæ acori, & superbibat decoctum saluiæ, betonicæ, rorismarini, cui immixtæ sint paucæ guttulæ aquæ vitæ, cui immaduit castoreum. Vel immitte aquæ vitæ iuam, acorum, hyssopum, piper, caryophyllos. Ita fiunt decocta ex serpillo,iuâ,satureiâ,pulegio, maioranâ. Razes capite De paralysi describit compositionem anacardinam, quam multis laudibus celebrat. iubétque vt decem dies abstineant ægri ab omni remedio, & ab eius vsu. & dein iterum, collectis viribus, ad curationem properabimus. Non vltra duas drachmas ea propinetur (nî purgare velis) ita tenuat, & febrem accersit, quæ expetita est in hoc morbo, dum ab infarctu venit. Da primum drachmas duas castorei: si inde non surgat febris, ad drachmas duas anacardiorum te eriges: si nec ita, ad semunciam cum Aërio abibis. vel accipe sagapeni, beniouini, singulorum scriptulum, mulsi vncias tres: hoc liquat & resoluit humorem. Contumaci malo accipe terebenthinæ optimæ lotæ cum aquâ iuæ drachmas duas, confectionis anacardinæ drachmam.id præstans est remedium. Quidam audacter præscribunt olei sulphuris per campanam extracti guttulam,cum maluatico vino. Cordus laudat plulonium Mesues: credo, vbi dolor iungitur. pilulæ ex castoreo, asâ fœtidâ,& nuce moscatâ Aqua lilij cõuallij,aqua balsami arte parati,& guttæ aliquot balsami cum vino. oleum ligni guaiaci, aqua mithridatij. aqua ex floribus & foliis hyperici bibita. vel aqua melissophylli & saluiæ ad vncias quatuor bibita per plures dies. sal theriacale. Superbibat conseruis (caput siccantibus) cochlear vini saluiati. Magna denique spes posita est in decocto ligni guaiaci, & sarzæ, & radicum chinæ, cum melle. Sed opportunè exhiberi hæc debent. Vide quid dicat in Coacis Hippocrates: vt vrinis repentè multis & cumulatè proruptis exoluitur atque sanescit: ita sudoribus confertim manantibus, & largâ detractione sanguinis ruit in peius, eiúsque paralysis planè redditur ἀνίατος. Si verò sensim sudant, inquit, prosunt; nam excluditur morbi humor, superstite partium vnde manant integritate. Accipe ligni guaiaci vncias quatuor, corticum eiusdem semunciam, aquæ libras octo: coque ad dimidias: optimè despumentur. in fine adiice salniæ,

Syrupus magistralis.

Peculiares purgationes.

Errhini.

Gargarismus.

Masticatorium.

Sternutatorium.

Balnea.

Corroborantia. Intus.

De guaiaci exhibitione.

niæ, betonicæ, stichados, cuiusque semimanipulum: baccarum lauri, iuniperi, cuiusque semunciam: sensim coquatur, ne efferuescat: colaturæ adde mellis anthosati libram; aceti scillitici vnciam; atoma afspergetur cũ drachmis duabus nucis myristicæ. Ita addi poterunt cætera quæ neruis student, vt hyssopum, rosmarinum, maiorana, iua, serpillum, betonica, primula veris, pulegium, saturegium, flores lilij conuallij, & flores chamæmeli, & anisi semuncia, & ad remedij acrimoniam temperandam passulæ. decoctum radicis bardanæ etiam sudoriferum est. decoctum sassafras magnas hîc vires habet. Hæc de internis:

Topica. iam ad illa quæ admouentur. Si incumbit paralysis à crisi, vel ab apoplexiâ, non est curanda, sed potiùs promouenda, quia salutem adfert: caue hîc à repercussione, sed solùm calidis attrahe. Cùm ita non nascitur, vti licet cum Auicennâ repellentibus & adstrigentibus, non tamen frigidis, sed calidis, vt cypero, calamo aromatico, mace, cupresso. Dum verò calidis tenuantibus vtimur, ea cautio adsit, vt à mitioribus semper fiat progressus ad validiora. Sectâ itaque venâ, aut purgato leniter corpore pilulis assaiter cum agarico & castoreo, accipiat manè conseruæ acori binas drachmas: dein fiat frictio colli & dorsi cum panno aspero: postea originem mali illinat oleo chamæmelino. Dein quiescat paucos dies, interímque enemate ducatur aluus. postea præpara fortiùs, & purga. His peractis illine oleo chamæmelino cum lino: sumátque conseruæ acori drachmas duas; cum semiscriptulo diambræ. postea para oxymelite composito, & syrupo stichados. denique ad pilulas coccias veni cum agarico, & ad fœtidas dein theriacam præbe: & frica primùm mali originem aquâ vitæ, mox illine balsamis, & calentiore oleo. Primò itaque vtemur oleo chamæmelino, ne fiat attractio ruentis adhuc materiæ; lilino, vulpino: secundò de spicâ, rutaceo, laurino, piperino, euphorbij, & balsamis. Ita tandem, ex Auicennæ sententiâ, adferantur valida, penetrantia, pinguia: nam nerui afflicti sub cute & carne quia induruere

7. [illegible] 6. talia exigunt. & ni pinguia forent remedia illa quæ tenuia calidáque esse debent, materia illa morbifica neruis concepta facilè lapidesceret, exhaustis partibus tenuioribus. Primùm foue partem vapore vel aquâ decoctionis iuæ, stœchados, calaminthæ, iberidis, piperis, &c. mox vnge oleo trifolij cum adipe leonis, vel anseris anatísve syluestris; vel oleo fraxini, vel medullâ ceruinâ, aut adipe vulpino. Vel, à suffitu, frica partem quater aut quinquies sale solutiuo Mesues: qui constat euphorbio, pipere, castoreo, turbith, scammonio, colocynthide. distillatur aqua ex ciconiâ, quæ infarcta sit vnciâ vnâ caphuræ, & drachmâ ambræ. Commendo gummi elemnium, quod antiquorum cedria videtur esse, hoc miscetur galbano: hęc enim siccant, nec indurant. Aliud: Igne candescat molaris lapidis pars; tum acri aceto, in quo rutæ, & pulegij castoreíque vis sit, conspergatur: hoc vapore proximè posita pars rigetur ægra, supernè contecta stragulis, ac sudet. à duobus diebus id repetatur. Patente iam parte sudoréque vndante, balsamo fricetur. Alij felem pinguem parant, abstractâ iam pelle, abscisso capite, abiectísque intestinis: hanc totâ nocte in aquâ vitæ macerant: manè verò eam implent foliis lauri, rutâ, lauẽdulâ: carnem lardo ac caryophyllis replent: lento igne veru torrent: quod distillat pro vnguento est. Aliud: Accipe vulpem, huius ventrem imple hyssopo, stœchade, calamintha: vel si validius exegeris, impone sinapi, iberidem, colocynthidem, turbith. coquatur in vino, vel aquâ marinâ, aut thermali: coquatur triginta libris aquæ, ad tertiæ partis exhaustionem: fiat stillicidium. Lutum balneorum etiam probatur digerens, molliens, & roborans. A fotu & balneo commendatur vnguentum Leonelli, & talia qualia Pareius octaui libri decimotertio prodidit. vel distilla baccas lauri ex oleo communi. Si teneriora sint corpora, misce balsamis adipem anatis, vel medullam cerui. Nunquam negligite spinam dorsi, quæ publica quædam via est neruorum omnium, accipítque venas & arterias: nunquam desiste à liquido balsamo cum aquâ vitæ. 1. Loc aff 7. & 3. lib. 11.

Balsama. Chimicus quidam hoc vtitur, Accipit olei costini & de nucibus, singulorum vncias tres cum semisse, pinguedinis vulpis semilibram, pinguedinis viperarum vncias tres, primulæ veris virentis, & saluiæ, singulas semilibras. herbas contusas cum pinguedine misce: addendo castorei semunciam, terebinthinæ libram, piperis, pyrethri, euphorbij, cuiusque drachmas tres; vini libras duas cum semisse: macera hæc. distilla: manabunt tres liquores, quorum postremus optimus. Vel faciliùs hoc modo. galbani, gummi hederæ accipies cuiusque semilibram; olei laurini vncias duas, terebinthinæ libras duas, distilla, & tertio liquore vtaris. viperam semper addebat ille chimicus. Aliud optimum: Accipe radicum angelicæ, acori, cyperi, azari, zedoariæ, cuiusque vnciam: mastiches sescunciam, galangæ, caryophyllorum, baccarum lauri, singulas semuncias, nucis myristicæ vncias duas, macis, aloës, myrrhæ, cuiusque semunciam, ligni aloes, gummi elemnij, singulorum vncias duas, castorei drachmas decem, styracis calamitæ, laseris, hoc est, beniouini, cuiusque vnciam, sanguinis draconis, florum lauendulæ, cuiusque vncias tres, olei nucis vnguentariæ semilibram: omnia incorporabis & distillabis in alembico. hoc tenuat, mollit, roborat. primo effluet aqua: secundò oleum: tertiò mellago. Aliud: Accipe galbani semilibram, gummi hederæ vncias tres: tere & distilla: & extracto liquori remisce olei laurini vnciam, & terebinthæ libram: iterum distilla, & seiunge aquam ab oleo. Interim stomacho & visceribus consulendum. Hapsis, id est, floccis lanæ, imbutis oleo meliloti, hyperici, cheirino, iasmino, sinapino foue partem, quæ etiam his postea contegatur.

Olea. Componantur olea ex eius parte quartâ vel quintâ: & succorum, vt vini, aquæ iuæ, parte vna: & aliorum, vt galbani, euphorbij, parte dena vel duodena. & coquantur ad aquæ, vini, vel succi consumptionem. Vnguentum Martiatum maius & minus, & Agrippæ, cum oleo de lateribus. Aliud: Accipe vnguenti de bdellio, olei therebinthinæ, cuiusque vnciam: liquescant in diplomate: fiat vnctio ad ignem. Olea etiam florum rorismarini, thymi, lauendulæ, caryophyllorum, nucis moscatæ, omniúmque aromatum distillata commodè illinuntur. oleo sulphuris vltimò vtemur, iam progresso morbo, cùm cætera non iuuant. ex librâ tantùm tres olei drachmæ manent. Aliud: Accipe olei chamæmelini, lumbricorum, de terebinthina, lauendulæ, castorei, singulorum semũciam: misce. Aliud: Accipe saluiæ, iuæ, betonicæ (crassè incidãtur) chamæmeli, cuiusque manipulum, ligni guaiaci vncias tres, castorei semunciam, terebinthinæ vncias duas, cum oleo lumbricorum & aqua vitæ in massam colligantur, digerantur, tãdem balneo coquantur, & exprimatur liquor. Iungi his interdum poterunt baccę iuniperi, nux moscata, fœniculum. huic liquori remisce vnguẽtum Mesues de bdellio: fiat vnctio, & pellis recens superponatur. Aliud: Accipe pinguedinis taxi vncias quatuor: vini Maluatici vel Maderici semilibram: coque dum ferè euanescat vinum: tum adde olei ligni guaiaci, olei balsami artificialis, & olei laterini in quo macerati fuere flores hyperici & aromata, cuiusque semunciam, vsque ad vnciam vnam, aquæ vitæ, in qua castoreum maceratum fuit, semũciã: misce, fiat linimentum.

mentum. Ciconia implumis cum multis lumbricis coquatur in vino rubro & oleo : adde cornu cerui spongiosi vnciam ; florum chamæmeli vncias duas; salis & masticis vnciam:coque dum ossa exuat:& in mortario tundantur , rursúsque coque , sacculóque fortiter colentur.adde interdum medullam cerui,vel adipem vrsi, galbanum, & terebinthinæ oleum, castoreum, sinapi,myrrham. Laudat Razes oleum costinum , cuius ipse descriptionem ponit , capite De paralysi. quod nobile sane remedium est ita paratum.Scribonius accipit olei Sabini vncias tres:radicis cucumeris syluestris recentis sescunciam ; conscindatur radia crassè ,& in oleo coquatur , donec succum omnem remittat & quasi arescat. dein per colum transmitte oleum:cui iunge ceræ,olei laurini, cyprini,lilini, singulorum vnciam;olei hyperici vncias duas;piperis albi contusi, & per cribrum transmissi , & pyrethri etiam per cribrum transmissi semunciam:misce.diu fricetur loco præcalfacto flammâ. *Pueri.* Pueri sulphureis aquis loti , vngantur oleo castorei vel costi, iunge aliquid euphorbij : vnge partem & totam spinam. Aquâ vitæ imbuti panni imponantur partibus. *Nota.* Si humidissimus fuerit habitus corporis , potiùs vtemur siccis calentibus fomentis ex milio vel fœnugræco , cum furfuribus, & multo sale, in ferreâ patellâ obustis , & latis linteis implicatis,quæ parti obuolui possint. hæc nullum madorem afflant:sed potentiali siccandi vi roborant. Sacculum ita facies : Accipe florum lauendulæ , stichados,origani, lauri, rutæ, ladani, styracis, beniouini, gummi iuniperi,vel gummi animæ,vel copal,caryophyllorum, seminis nigellæ:ex his quædam, ad drachmas sex consocia. *Rubificantia.* Auicenna tandem post trigesimum diem ad rubificantia surgit.Vtemur ergo sinapismis,phœnigmis,& dropacibus : quò penitùs extimatur malum , sanguísque & spiritus iterum in partem reuocentur,eáque reuiuiscat.Hæc fiunt ex pice, sale,sinapi. Accipe terebinthinæ vncias duas;castorei,piperis,pyrethri,euphorbij,cuiusque scriptulum; sagapeni , galbani, opopanacis, singulas drachmas: misce lento igne , extende super alutam vel pellem arietis ; applica spinæ per longitudinem. Ita etiam adhibetur emplastrum de sinapi. *Cautio.* Sed modus in his sit:cùm enim rubida pars pressa , non albescit , sed rubida perseuerat , à phœnigmis erit supersedendum:non enim exulceranda est pars. Accipe sinapi, seminis vrticæ, cuiusque drachmas duas,succi beronicæ,olei meliloti, quod sufficit vt fiat cataplasma. SI sit ab ictu , pelle ouis curatur recens detracta locóque imposita. *Ab ictu.* Cùm ita tunc irrepat, vt non ilico, sed pedetentim ingrauescat,emplastrum Rhaais admoueatur ex farinâ fœnigræci, glande vnguentariâ, nucleis cerasorum,semine ricini,bdellio, ammoniaco,adipe anatis,cerâ, oleo lilino:hæc simul contundantur. Vel hyperici oleum cum floribus impone. Ab vstione si fuerit , decocto corticis mediæ vlmi & radicis eius muccagine illine. *Victvs. Cibus.* Iam ad victus rationem veniu. cibi copia & qualitas conuenienter instituatur. Paulus,Aëtius,& Auicenna ad decimumquartum diem vsque victu tenuiore vtuntur. quamuis enim morbus sit chronicus,est tamen vehemens circa primos dies:quare primis tribus diebus sit victus tenuissimus , vtatúrque solo melicrato vel ptisanâ. Exactis quatuordecim diebus , solidiorem cibum exhibebimus. Tolerare tamen famem & sitim, inquit Paulus, confert. Primis itaque diebus mulsâ ferè contentus sit. cùm diuturnior est morbus , da auiculas, turdos,columbas, perdices,cuniculos. assa sint consperса cinnamomo & aniso. Amygdala sumat,& nuces auellanas tostas. Victus totus sit siccus, attenuatorius , non viscosus , vrinam ciens , calfaciens. non tamen initio nimiâ calfactione tuat materia Dices,in longis morbis parcus ille victus periculosus est. Respódeo,in plerisque id verum;sed non in his corporibus ; vnde parum effluit,ob fractú calorem,& pituitæ copiam. Deinde iusculo pulli vtatur cum cinnamomo, pipere,zinzibere:vel saluiâ sit alteratum,rosmarino,acoro, menthâ, hyssopo,satureiâ,origano,ciceribus. Olera ex fœniculo, hyssopo, maioranâ. Quintus Horatianus hos dicit salsioribus nutriendos. Caueat à lacte,piscibus: & acria,vt sinapi,quæ caput replent,ineunte morbo fugiantur. Biscoctus sit panis cum aniso. *Aër.* Aër calescat siccâ vi illarum rerum quæ non replent caput:vt vi caryophyllorum,nucis myristicæ:bulliant in cubili ex aceto & aquâ rosatâ. Aër columbarij insigni quadam vi prodest. Luculentus adsit ignis, cui infer ladanum , caryophyllos,nigellam. Pelle vulpinâ regatur pars,quę primùm suffiatur myrrhâ, mastice, & caryophyllis. *Potus.* Potus sit hydromel quod factum sit ex sextâ vel septimâ parte mellis,cum saluiâ, vel origano:vel aqua cinnamomi saluiâ tincta propinetur. Vel decoctum anisi, fœniculi.vel,accipe ireos semunciam,aquæ libram, sacchari vnciam, cinnamomi leuiter contusi drachmas duas:fiat potus. Cereuisia hyssopo imbuta cómoda hîc est. Vel accipe cinnamomi vncias duas, zinziberis semunciam,galangæ drachmas duas,caryophyllorum,macis,cuiusque drachmam:coque ex aquæ libris quinque , donec quarta pars absumatur. cùm refriait traiiciatur colo , cum forti expressione: adde sacchari semilibram. A multo tamen potu & iusculis abstineat, præter galli antiqui. Vitet aquam frigidá,& acetum. etiam nimius vsus oxymelitis dánosus est ob acetum, quod exasperando & radendo ventriculo molestum est,& neruis bellú indixit. Caueat à vino(quia caput replet) dum morbus nondum consenuit aliquantulum. nam cùm fluxus abest succorum,& corpus purgatum fuerit,dabis parum subastringentis vini annosi : nam id siccat , & exhaurit quod restibile est materiæ morbificæ. Alioqui vinú facilè deducit materiam morbificam in locum affectum:faciléque acescit in paralyticis: at acida neruis bellicosa sunt. Si æger fuerit sitibundus,vel si febris suspicio adsit, loco mellis in potu saccharo vtemur: vt, accipe aquæ coctæ libram, sacchari vnciam,cinnamomi leniter contusi drachmam vnam aut alteram. Sint talia quæ vrinam mouent,& materiam mitigent. *Atrophia.* Sed distingue inter atrophiam & paralysin: nam interdum atrophia quædam partium soloit robur à siccitate. hic absint siccantia. Accipe vini Cretici libras tres;sacchari optimi libras duas:coque lêtè in syrupum : vtere cum duabus partibus iusculi pulli:adde nonnunquam vitellum oui. partes gracilescentes vnge oleo amygdalino , iunge parum olei chamæmelini ex floribus immaturis. *Exercitiũ.* Pro exercitio sint frictiones:quæ primùm fiant ex parte sanâ,dein ad ægram venies. Nullum ocium concedatur cruribus,quæ etiam in ipso lecto agitentur nisu ipsius ægri vel astantium : vel scipionibus gradiatur. Nihil enim illæsum neruum adeò eneruat ac ocium,& nulla subinde calidi fluentis euocatio,cuius amico splédore fraudatum infixum parti calidum hebescit, ac partis euentilatio stupescit. vtile enim vt excrementa partibus congesta exhauriantur. *Somnus.* Somnus sit sex horarum. & longè à cibo dormiat. diurnus somnus vitetur. *Aluus.* Catharticis assiduò releuandi hi sunt,inquit Q.Horatianus : nam diuturna hæc est passio. Singulis denis vel quindenis diebus sumat syrupum à nobis inter purgantia descriptum, vel ex his pilulis scriptulo aut maiori hoc copiâ vtatur. Accipe agarici recens trochiscati drachmas duas:turbith gummosi drachmam,trochiscorum alhandel scriptulum , sarcocollæ,myrrhæ,cuiusque scriptulos duos (hæc immanitatem turbethi castigát,& vnà reliquias mate-

riæ

tiæ tenuant) castorei semidrachmam; aloës citrinæ non lotæ ad pondus omnium: ex his succo saluiæ exceptis fiat massa, quæ vsui reponatur. Sumat sæpe vnam pilulam mole semiscriptuli, vesperi ante cibum. Vel sumat pilulas assairet cum agarico, castoreo vel mastice. Animo sit sedato: sola ita naturam exagitans, sæpe longæ paralysi remedio fuit: alioqui lætè viuat. Tandem, cùm recreari incipit æger, ad balneum ducatur. Si loca emarcuerunt diu hoc morbo vexata, lauacra, cucurbitas, dropaces admoue post cibos. *Empirica. Inuen.* Empirica qui velit, consulat Euonymum, vbi de balsamis. Imple ampullam floribus rorismarini vsque ad mediccatem: sic hæreat vltra mensem, donec flores in aquam vertantur. Millefolium manè ex vino potum cum nasturtio. Aquæ vitæ inijce flores lilij conuallij & herbæ paralysis, lauendulæ, & castoreum, crocum, & grana piperis octo: sumat manè cochlearium. Puluis radicis imperatoriæ manè sumptus ex vino. Manè sumat terebinthinam lotam vino & aquâ, nucis iuglandis mole. Aëtius decoctum pampinorum vitis ieiunis assiduè potum valdè prodesse prodidit. Accipe vinum distillatum lilij conuallij, in quo aurum exstinctum fuit, huic adde aquã cerasorum nigrorum dulcium: æquas partes bibat: eademque vertebræ colli vngantur. Iua quo voles modo sumpta & admota, leporis afflatum cerebrum. Accipe granorum paradisi, rhabarbari monachorum, piperis longi, cuiusque drachmam; radicis ari præparatæ, semunciam: fiat puluis, ex quo semper semidrachmam aspergat cibis, & bibat ex hac aquâ: accipe nucleos cerasorum amarillorum vncias binas; nucleorum persicorum non deglumatorum semunciam (hæc contunde) succini albi vnciam; florum clematis duos manipulos; florum lauendulæ sesqui manipulum; vini Rhenani tria pocula; rorismarini manipulum; sinapi albi semunciam: contunde cuncta, & misce, vitroque excepta Soli expone mensem: & distilla. propina cum aquâ buglossi vel cerasorum nigrorum aut florum persici. Cochleario horum liquorum adde distillati iam descripti liquoris guttas sex: manè & vesperi sumat: & superbibat ex hoc potu. Accipe seminis petroselini duas drachmas; sinapi albi vnciam; summitatum artemisiæ, & florum tiliæ, singulorum semimanipulum, vini libras tres; aquæ libram: coque ad dimidias. Coquunt quidam ex aquâ & vino flores persici, cum radicibus pimpinellæ & galangæ, addunt cacumina artemisiæ, & adiantum. *Fora.* Foris illinunt oleo amygdalino spinam his, qui in metu sunt ne in senio incuruentur. Pinguedo & medulla canis pinguis fustibus occisi: vel hic coquatur aquâ & oleo vulpino vsque ad exhaustam aquam: exprime inde oleum. Accipe lumbricorum terræ, lotorum & in furno siccatorum ac in puluerum redactorum libram; pulueris zinziberis, galangæ, cuiusque semunciam: cum oleo lilino vel costino formetur vnguentum. Quædam symptomata ab hoc malo nata curam sui etiam postulant: vt si *Vox amissa.* vox amittatur. Ea verò deponitur duabus de causis, vel à memoriâ fraudatâ suâ vi, quòd vox non formetur sine imaginatione: alioqui, quicquid cogitat mens, illud in linguam venire potest prudentibus. vel quòd vocis organon affligatur, resolutis musculis linguæ & laryngis, viriatoque neruo recurrente. Etenim linguæ apoplexiam facit resolutio nouem musculorum linguam mouentium, & ipsam verborum dædalam facientium: quorum alij à styloïde, alij ab hyoïde & cornibus eius, alij à maxillâ inferiore & mento exorti linguæ inseruiunt. Et balbi ab apoplexiâ sæpe in linguæ paralysin incidunt: ob madorem quo lingua nata est imbecillior, ac in hunc *Curatio.* morbum promptior. Curatur vt paralysis: sed indicatione ductâ à loco malè affecto conueniunt gargarismata ex hyssopo, thymo, sinapi, nasturtio, calaminthâ, zinzibere, cum oxymelite. Mano foras trahatur lingua, & fricetur cum semine sinapi, & abluatur decocto saluiæ. Errbina prosunt ex succo anagallidis purpureæ, betæ, cucumeris asinini, cyclaminis: adde seminis nigellæ, sinapi, nucis myristicæ, pyrethri scriptulum. Q. Horatianus etiam tandem secat linguæ venam. Origanum coctum cum aquâ & aridâ ficu, atque assiduè gargarisatum, facit ad linguam syderatam, inquit Marcellus. Castorei scriptulus sumatur cottidie cum balsamo. Sinapi cum mace & saluiâ sacculo excipe; qui madescat oxymelite, ori immitte. Vel accipe baccarum iuniperi contusarum, mellis, aceti, cuiusque vnciam; aquæ libras duas: coque ad dimidias, hoc ablue os. Accipe staphysagriæ. pyrethri, zinziberis, cuiusque scriptulos duos; masticis drachmam, ceræ semunciam: fiant pastilli parui, qui mandantur. Ratione masticis saliuam prouocabunt: ratione ceræ adhærebunt: & vi aliarum pituitam educent. Aliud masticatorium: accipe castorei, nucis moscatæ, cuiusque sesquidrachmam: cum melle fiant troichsci: vnum teneat sub linguâ. sinapi etiam sacchato incrustatum sæpe comedat. oleo castorei & laurino caput vngat. Q. Horatianus præbet hyeme ex melicrato cochlearium castorei: & hyeme theriacam. Si hæc non iuuant, ceruix vesicis vlceretur. Huc etiam pertinet is affectus qui Caninus raptus à Cælio Aureliano dicitur, *Caninus raptus.* passio, vt ille ait, tarda. alij spasmum caninum vel cynicum, aut conuulsionem caninam vocant, vel torturam oris. Hæc passio symptoma est mutatæ qualitatis: nam character & moles faciei vertitur. Hæc tamen mutata qualitas nata fuit à functione læsâ: quæ functio hîc interdum aufertur, nonnunquam verò deprauatur? deprauatur, cùm raptus hic caninus nascitur à musculorum oris conuulsione: aufertur, cùm iidem musculi tentantur paralysi. nimirum in vltimo labij fine, inquit Aurelianus, siue oris angulo, quem Græci chalinon vocant. *Axioma.* Nam vbicumque musculi congeneres oppositi, sunt pares magnitudine, numero, & robore, resolutio vnius, conuulsionem alterius adfert: nam resolutus à sano trahitur. Hæc ratio est, cur Aëtius definierit Caninum spasmum esse mandibularum musculorum resolutionem. Etiam hoc est quod dicebat Aretæus, in canino [illegible] omnes faciei partes * [illegible] non magnopere vsitatum est: sed ad læuas partes dextræ feruntur, & contra. ** conuelli.* Nascitur hic affectus ex neruis tertiæ coniugationis (qui ex medio nascuntur cerebro) *Pars ægra.* malè affectis. nam hi sensum & motum adferunt supremis faciei partibus. Vel illi affliguntur nerui qui à secundâ & tertiâ vertebrâ oriuntur, qui mandibulam mouent: orisque musculi in querelâ sunt à solutione vel contractione. *Causae.* Causa est influxus humidi frigidique succi: vel apostema molle quod spinæ initium occupat. *Signa.* Signa facilia sunt: oris adest deformatio: facies, oculus, labia, ac nasus in alteram partem abeunt, nõ aliter ac canibus dum de escâ certant. Oculum, inquit Razes, ad quem os conuellitur claudere nequit: prætereà si exspirare iussus, efflabit tantùm ab alterâ parte. Sed quibus symbolis partem affectam noscemus, cùm læsa pars in oris paralysi integra videatur maximè? & quo modo interstinguemus num sit actio hæc deprauata vel abolita? hoc est, num à paralysi vel conuulsione laboret? *4. loc. aff 2. & De caus. mort. 7.* Ægra pars turget à materiæ copiâ. Iube rideat, vel vt olitteram proferat, vna pars immobilis persistet; vel eam conspicuò videbis contrahi ab alterâ parte, vel ab eâdem abduci. Si fuerit à paralysi, oculus claudi nequit: nec, si flauerit, bucca æquali mole turget,

ægreque mouet labra dum efflat: pars vix sentit, & saliua effluit: os in parte minùs clauditur, cutis non tenditur, sed facilè trahentem sequitur, superior palpebra laxior oculum tegit; inferior labitur. Si fuerit à conuulsione, pars ægra tenditur non sine duritie & dolore. palpebra inferior non æquè mergitur; oculus nudatur; pauca saliua effluit, cynici rictus more disttahitur os. Pars sana suum colorem retinet ac tractabilis est: oculus sanæ partis meliùs potest tegi à palpebrâ. Ad Prognosin pergo. Oris raptus si à resolutâ vi organorum nascatur, apoplexiæ prodromos esse consueuit: si à conuulsione, epilepsiæ. Bonum est si à spasmo canino intumescat caput. Hæc oris deformatio si subitò oriatur, curabilis est: nam non est ab exhaustu, vt in phrenitide aliisque acutis euenit. Si vltra semestre durauerit, ægrè curatur: nam durata materia iam neruis insedit. Et ab initio, ad quartum diem metus est ne repat in cerebrum, vnde mors. Iam de curatione. Sanguis luxurians emittatur. linguæ venam pertundit Paulus. Cucurbitas primis admoue vertebris cum scarificatione: prouisione habitâ de toto corpore. Facies tota fasciis dirigatur, & blandis compressionibus frictionibusque teducatur. Canteria vtrique brachio admoue. &, si reliqua non iuuant, pone aures, si paralysis in vitio est. Si induciæ dentur, para decocto acori, beronicæ, origani, herbæ paralysis, hyssopi, florum stœchados: cum melle vel syrupo de stœchade: & aroma afferur nuce myristicâ. Razes commendat catapotia fœtida. Accipe pilularum fœtidarum, & cochiarum, cuiusque scriptulum; castorei semiscriptulum: misce. Aliæ: Accipe pilularum aggregatiuarum, & sine quibus, agarici recenter trochiscati, singulorum scriptulum: cum succo saluiæ formentur pilulæ septem. Cautio adsit, vt ilico purges, imò ante quartum diem, si metus apoplexiæ vel paralysis adsit. Tandem ad capitis ipsius curationem accedemus; quod fiet gargarismis, apophlegmatismis, & errhinis. Priùs tamen vtemur errhinis: ne materiam in partem afflictam euocemus. Sternutet etiam à puluere strutij. Masticet nucem myristicam, ac deinde eam deuoret. Vel accipe radicum pyrethri, castorei, piperis, zinziberis, singulorum semiscriptulum; masticis scripulum; passulatum semunciam: contunde simul, cum pauco melle rosato & cerâ, fiant trochisci mansiles. Vult Razes vt indies manè ante pastum ex sinapi & syrupo acetoso fiat gargarisatio. Vltimò corroboretur neruosum genus acoro & zinzibere, nuceque muscatâ conditis. Razes laudat vt indies sumatur sesquidrachma confectionis anacardinæ. Antidotus pantagathos apud Nicolaum. Mercurialis cum æquali pondere sacchari in retortâ maceratur dies octo: extillatur inde album oleum: sumat manè drachmam. His si non cedat malum, auctore Raze, recurremus ad pharmaca purgantia. Puer si affligatur, nutrix sæpe theriacam hauriat. Vel accipe diamosci, aromatici rosati, cuiusque semiscriptulum: cum aquâ buglossi detur puero. Foris etiam admoueantur quæ partes neruosas roborant. Vult Auicenna vt facies cottidie abluatur aceto sinaparo; nam penetrat partes. Abluatur facies hoc decocto: Accipe maioranæ, saluiæ, betonicæ, cuiusque manipulum; seminis fœnigræci vnciam; chamæmeli, stœchados, centaurei minoris, singulorum semimanipulum; coque in æquis partibus aquæ & vini stillatitij. & mox illinatur pars hoc vnguine: accipe bdelli eliquati in aquâ vitæ, opopanacis, ammoniaci, singulorum vnciam; medullæ cruris vituli sescunciam; axungiæ anatis, & anseris, cuiusque vnciam; styracis calamitæ drachmas tres: seminis rutæ, nucis moscatæ, caryophyllorum, macis, cuiusque scriptulos duos; olei rutæ vncias duas cum semisse; ceræ quod satis est: fiat linimentum. Aliud: accipe olei rutacei sescunciam; castorei, sagapeni, galbani, pyrethri, singulorum scriptulum: misce, fiat vnguentum. Scribit Auicenna medicos Indos remedium ex fetis vsu comperisse valentissimum; vt ex vulpe elixâ, & ex carne cetuinâ. Prodest etiam oleum costinum, & sinapinum, de bdellio, de terebinthinâ, & sacculus ex stœchade, rutâ, radice pyrethri, applicetur occipiti vsque ad quintam vertebram: nam vnguenta admouebis fronti, & primis vertebris, & mandibulæ inferiori. Aëtius cataplasmatum etiam meminit, vnguentorum, sinapismi, & thapsiæ. Prodeit emplastrum de meliloro cum rutâ, vel de piperibus emollitum cum castoreo & euphorbio, & emplastrum cheroneum. Pueri illinantur oleo liliino & violato, foueantur decocto capitum porcorum iuuenum vel hœdorum, dum sese contracta laxent: dein oleo cum œsipo vngantur. De victu ita statuendum. Primis diebus sit aër obscurus. Quatuor vel septem diebus sint in ocio: dein se exerceant. Moueant os, & id componant in speculo, quò castigent eius deformitatem. & oculos speculo exerceant. Sit cibus tenuis & tenuans, si non sit ab exhaustu: nam tunc humida in vsum veniant. alioqui incidat & calfaciat. Potus sit hydromel. Accipe stœchados manipulum; radicum acori semunciam: coque ex aquâ: adde mel, vt fiat melicratum.

Prognosis. Curatio. Chirurgia. Pharmacia. Cautio. Corroborantia. Intus. Pro pueris. Foris. Pueris. Victus.

Caput XXVI.

De Convvlsione, quam Græci Spasmum, & Celsus Distentionem neruorum appellat.

ΣΠΑΣΜΟΝ Aurelianus nominat conductionem neruorum, Celsus distentionem appellat. nam Aurelianus tetanum vocat distentionem neruorum; a'iter ac Celsus, qui tetanum rigorem vertit neruorum: Asclepiadis sectatores, extensionem corporum dicunt. Atrocissimum malum, ac ferè supra humanas vires in hoc malo calamitas, fœdus aspectus, triste intuentibus spectaculum, tantaque characteris corporis mutatio, vt vel à familiaribus non agnoscantur. Nec temerè astantes votum impium, at honestum iam vouent, ægrum vitâ ac acerbis malis defungi. Et sæpe præsens Medicus, inquit Aretæus, non quicquam opis adferre potest: qui si membra dirigere voluerit, viuentem hominem distraxerit, discerpseritque. Differt à spasmare spasmus: nam spasma fit, indeque nomen habet, quando musculorum fibræ plurimùm distenduntur, adeò vt nonnullæ disrumpantur, ac tunc à spasmate ῥῆγμα enascitur. Ea verò prægrandis fibrarum distentio euenit aut vltrò, vel à foris: Vltrò, ἀπὸ τ͂ ἐνδείας, idque appulsu vel attractu. Appulsu, quando exudat alicunde inutilis succus, quem caro excipiens distenditur. Tractu verò fit distentio, cùm vi attractrice ipsarum carnium venarumque circumiacentium, fibræ musculorum vnà cum venis teplentur validissimè. Foris, vt à labore, lapsu, casu, luctâ, cursu, tum si quis prægraue onus leuare conetur. Spasmus verò est motus prauus, quo instrumenta motui dicata ad suam originem citra voluntatem trahuntur. Dixi esse motū prauum: nam etiamsi motus conuulsionis similimus sit naturali, qui fit musculia ad suum caput retractis: in eo tamen differunt, quòd hic motus non fit

Nomen. Vis mali. Spasma. Quid sit. Definitionis explicatio.

fit situs in nostrâ potestate, sed prorsus contra voluntatem fiat. Naturalis verò prorsus ex nostro dependet abitrio. Quare facit hic morbus vt ἀπροαίρετον, id est, iniussu nostro nobisque inuitis moueantur partes illæ, quæ olim προαιρετικῶς, id est, nostro iussu mouebantur. Vt nihil aliud sit conuulsio, quàm iniussus earum partium motus, quæ naturaliter sponte nostrâ mouentur. Quidam putârunt emprosthotonum fieri, non aliter ac raptus nascitur caninus, resolutis duodecim caput attollentibus musculis. Minimè verò: nam si quis conetur retrò caput volnere manu, acerbissimum dolorem mouebit: quod sanè non fiet, parte oppositâ resolutâ. Adiecl, instrumenta motui dicata: talia sunt corpora neruosa, vt nerui, tendones, musculi, ligamenta: nam, auctore Galeno, tendo & musculus sunt prima instrumenta voluntarij motus. vt enim paralysis est læsio neruorum: ita conuulsio est musculorum contumaciorum vel ob inanitionem, vel ob repletionem. etenim paraplegiæ sedes est in neruo medullari: conuulsionis verò in musculo. & conuulsionis vis consideratur in motu iniusso: paraplegiæ verò in impotentiâ mouendi. Galenus putat ventriculum non conuelli, quòd sit musculi expers. quamuis aliàs scribat, in spasmo & musculos & neruos affligi. Quod ita accipies, malum debere musculum ferire, alioqui erit conuulsionis expers: id fit nonnunquam etiam afflicto neruo. Adscripsi, citra voluntatem instrumenta trahi: nam scribit Aretæus, homines interdum non solùm in arcum, sed in orbem trahi, vt caput genibus annexum habeant. Hæc de definitione: iam ad causas eamus, quas Aretæus infinitas esse scribit. Est enim conuulsio alia primigenia, alia secundaria. Primigenia est, in quâ partes quæ conuelluntur conuulsionis causam intra se continent; idque duplici modo: modo σὺν τάσει, & tensionis experte. σὺν τάσει, est à repletione, vel à siccitate, cùm exaruerint, ac si incendio conflagrassent. hæc per essentiam dici potest. Audi quæso quid dicat ille Pergamenus: Spasmi eueniunt ὅτι ἐν τετρωμένων ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, ὅτι καὶ διὰ πνεύματος ἔμπλεων πληρωμένων τῶν μυῶν. Quare quædam conuulsio gignitur ἀνὰ τάσιν. Et alibi dicit, σπασμοὶ διὰ ξηρότητα γίγνονται. τὰ πολλὰ δὲ διὰ πλήρωσιν, καὶ πρότερον καὶ διὰ δηλητήριον χυμὸν λοιπὸν, ἀναβιβρώσκοντα τὰ νευρώδη μέρη, καὶ διὰ ψύξιν ἰσχυράν. Discriminat eas quæ ex morsu, ab his, quæ à repletione vel inanitione enatæ fuere. ἄνευ τάσεως sunt illæ conuulsiones quæ nascuntur à tenui acrique materiâ irrepente in os ventriculi: vel à potu frigidæ; à crapalâ, ab vtero; à diaphragmatis phlegmone, cùm ea fuerit maxima; à remedijs malignis; à valido frigore: à venenatâ aurâ. hæc per consensum vocari potest; quo cerebrum vel spina in contagium abripitur. Secundaria conuulsio est, quæ fit ex euentu, & consistit ἐν τάσει: cùm in opposito situ earundem partium, musculi sunt cogeneres magnitudine, robore & numero æquales. nam ibi resolutio vnius loci, conuulsionem facit alterius; quemadmodum scripsimus De oris capere. Quæ fit ab inanitione conuulsio, fit à partibus motui voluntario dicatis; à quibus non alimentalis humiditas exhauritur, vt quidam putant nos putare, sed ingenita. Non tamen hæc inuadere solet implicitos febri hecticæ, quæ alioqui validè corpora attenuare solet; quòd ab hac febre pedetentim exhaustio fiat, quodque æquali se filo fundat ariditas toto corpore: ita non confestim in squalorem abripiuntur nerui. At à febre malignâ & magnâ, quæ subitò exhaurit neruos & carnes, vt & à phrenitide & causo, hæc squaloris calamitas importari solet, cùm nerui inde subitò arescant ac tendantur. Quin hypercatharses, maximè effusæ per loca neruosa, id agunt: vt ἐκ γυναικῶν. Interdum ignis vi vstæ partes exsuccantur: & nonnunquam perennibus vigilijs exarescunt. Frequentiùs tamen eueniunt spasmi à repletione. & hi sunt vel phlegmones expertes; vel huic consociati. consociantur huic, cùm motui dicatæ partis initium phlegmone tentatur. nam, ni τάσις adfuerit, conuulsio ex repletione fiet. Quia huius talis conuulsionis causa ferè est vulnus, ictus, lapsus, vel casus, aut dolor: hæc sanguinem prolectant. Quæ ex vulnere fit conuulsio totius corporis, ea per contagionem enascitur, & non à repletione. Ita principio neruorum spinalium phlegmone tentato, consensu reliqui trahuntur nerui: attamen quamuis pars inflammata fuerit repleta & tensa, non tamen tota corporis œconomia replebitur aut tendetur. Quare phlegmone cùm auctor est conuulsionis totius corporis, illa sanè conuulsio totius non erit à repletione: quamuis pars cõuulsione quæ est ex repletione affligatur. Quin ab orgasmo concita materia se in neruosâ effundere parte potest; eamque in phlegmonem ac conuulsionem abripere, non sine tensione. Attamen sæpe conuelluntur partes nullâ phlegmone obsitæ, sed à materiæ incursu hoc illis euenit. Sed qualis hæc materia? vnica hæc est pituita crassa & viscida Excludimus tamen pituitam gypseam, vt etiam melancholiam (à quâ rarò nascitur) quod subire nequeant neruos: argumento sunt podagrici, nam hi spasmosi non fiunt. Sed cur maximè à pituitâ fit? quia nerui succo pituitescente maximè nutriuntur, & propterea pueri edaces huic malo sunt obnoxij, quòd luxuriet in his pituita. Nec bilem agnoscit, nisi ex conuulsio quæ oboritur per consensum: cùm acrimonia bilis lacessiti nerui se contrahunt: sed illos rendere repletione nequit. Hæc enim bilis tantâ copiâ colligi nequit (ob sui acrimoniam) qua partem neruosam repleat & tendat. Quare hæc conuulsio non fier expletione. Nec etiam σπασμὸς φυσώδης, nam in hoc vix horâ durabilis dolor: & solâ frictione mitescit. Hic sæpe digitos pedum ac manuum, & crura affligit tensione vel contractione. crapalæ ac ocio familiare malum. Quicquid fœcundum est in pituitam, id conuulsioni materiam præstat, vt ea copia vini, quæ mitigari nequit: & validum frigus, pituitæ auctor. intempestiuus frigidæ potus. Scribit Hippocrates elleborum spasmum accersere interdum. & Mesue addit, cùm pharmacum mouet, nec tamen promouet materiam pituitosam. Sed dices, & paralysis à pituitâ nascitur. Responde, materiam conuulsificam neruosis quidem partibus infundi, sed non ita peruasit vt paralyticis euenire solet. Cur igitur Razes validius frictionibus incumbit cùm conuulsio in vitio est, quàm vbi resolutio in querelâ est? Hoc agit ob materiæ morbificæ crassitiem. Hactenus de causis illius conuulsionis quam τὴν τάσιν sociam habere asseruimus, quacumque ratione euenerit, replendo, vel exhauriendo. Iam de causis earum quæ sunt tensionis expertes. Talis conuulsio dicitur vulgò non proportionata ad materiam; quòd nulla adsit cognatio inter afflictam partem & morbificam causam, quum nulla adsit tensio. Etenim conuulsio σὺν τάσει perperuò ἰδιοπαθῶς agnoscit: at hæc quæ est tensionis expers, vtroque modo affligit, tum peculiari vitio, tum contagione. vitio peculiari euenit à materiâ, vel à qualitate. hæc materia erit vapor calidus, vt fit in febribus, cùm illi partes neruosas ferijt: vel is vapor frigidus erit & flatulentus. quidam apud Paulum dicebat, tetani eiusque specierũ causam esse repletionem musculorum, ex spiritu & aëre crasso ac nebuloso. dicitque ægrum frigidum admodum esse & congelatum, & propterea ægrè mobilem: vnde

Marginal notes (left column): 11. Vs. part. & 3. De motu musc. & 6. Aph. 1. & 3. De symptom. caus. 2. — CAVSAE. — 2. Sympt. caus. 2. & 12. Method. vlt. — Ab inanitione causa σὺν τάσει. — 1. Aph. 1. & 39. & 12. Method. vlt.

Marginal notes (right column): A repletione causa σὺν τάσει. — Cum phlegmone. — 5 Aph. 1. — 4. De Acut. 17. — Cap. De conuulsione. — Causa conuulsionis tensionis expertes. — Duplex Per idiopathiam à vapore. — 3. Lib. 20.

vnde non ficca his fomenta, fed potiùs humida conuenitc. quare in cauitate à flatibus tepletuc mufculus, noo fubftantia nerui & carnis mufculofæ: erit ergo hæc à flatibos conuulfio citta tenfionem. Nec folùm hæc conuulfio à vaporibns nafcitur, verùm etiam à mateiiâ acri, mordaci, & tenui, netuofque rodente: qualis erat in illo iuuene de quo fcribit Galenus. Qualitas fi auctor coouulfionis fuerit, hæc erit venenofa, aut veneni expers. Venenofa ortium dncit ex propinato, vt elleboto ex albo. Si veneni expers foerit, maximè frigoris vi hæc calamitas importarur; vt ex opio, potu frigidæ. Auctor huius fententiæ eft Aretæos, qui fcribit, frigus acertimum maximè hornm vitiorum ferax effe. à fanguine etiam rigente vi ftricti frigoris in venis, à quo contagione qoadam nerui affliguntur. Sed quamnam coouulfionis ideam frigus adfert? geminam; vel concrefcunt frigore fucci, ac rigidâ quadam tenfione fatigant netuos, eoque fit, vt difflatione fraudati nerui, ab impletis fuccis tendantur. hanc ideam conuolfionis appellat Auicenna à ficcitare natam: quòd fiat congelationis quadam imagine: ficcitate dico, enata non à frigore exprimente humidum, fed id congelante. At fi fola refrigeratio αὐτῶν conuulfionem attulerit, illa ἄνδ τάσε͡ω erit. Nunquam conuulfio quæ eft ab inanitione, frigus auctorem agnofcit: etenim vita micante, ranta ftrictio partium inde oboriri nequit. Hactenus de conuulfione ἄνευ τάσε͡ω, quæ fit per idiopathiam: iam de hac quæ per fympathiam. Talis conuulfio cadit in eos qui vomunt æruginem, ab elleborifmo, à ferocitate bilis in orificio alui, quod eft acerrimi fenfus, ac cerebro συμπαθέστατον, quia eft νευρωδέστατον. Ita fpinales nerui etiã affliguntur. & potiffimum ab vteto hæc mala. Scribit Ægioeta, multos à lumbricis neglectis conuulfos iotetiiffe: nam ab his abripitur in confenfum ftomachus. Quin tracto in contagionem cerebro, conuulfio fit à morfu vel ictu virulento netuofæ partis. Ita à feminis humani fœditate, vel vlceris putidâ prauitate, aut virulentæ auræ ex parte aliquâ afflatu. Sed dices, Hippocrates tantùm meminit duarum conuulfificarum caufarum, nimirum copiæ, & inopiæ fuccorum. Ita eft, fed agit de his folùm, quæ cum tenfione eueniunt, tanquam γνησίως. Aretæus auctot eft à vebementi ceruicis ictu conuulfionem inferri: & Aurelianus percoffu maiorum oetuorum, quos tenontas appellant: fæpius tamen, inquit, à vulnerato oeruo vel mufculo: & à vino, his vulneribus manentibus poto. Hæc de caufis. fed vt memoriæ confulamus, breoiter differentiæ huius acerbiffimi mali vnde fumantur dicamus. A loco affecto variæ ideæ coouolfionum nafcuntur. Si noo tantùm brachium, manus, aut crura conuellantur, fed etiam faciei mufculi, labrum alterum, oculus, alterutra gena; cerebrum erit affectum. nam cùm totum afficitur corpus, cerebrnm primariò laborat. hoc raro euenit; plerumque eft in parte, vt oculo, cute frootis, linguæ radice, maxillâ, labris, brachio, manu, crure. Sed grauiffima euenit ceruici. Cùm ceruix vel corpus iofleci nequit, fed rectà teoditur, id τέτανον appellant: quum mentum pectori iungit, ἐμπροσθότονος vocatur: cùm verò caput committitur fcapulis, ὀπισθότονος dicitur. Aurelianus pronum taptum, atque fupinum appellat, & taptum pofterganeum. Cornelius Celfus, Marcellus medicus, & Plinius, tetanum, rigorem appellant, quòd rigida permaneant corpora tenfa. Tonos enim, ait Aretæus, neruorum tenfionifque vocabulum eft. A causâ efficiente variæ fpecies ducuntur. Hoc modo:

A materia acri.

5. Aph. 1.

A qualitate. 5. Aph. 1.

Per fympathiam.

4. Lib. 57.

Dubium.

DIFFERENTIAE.

Cõuulfio vel euenit
- *Cum tenfione ab*
  - *inanitione à*
    - *calore, vt à phrenitide.*
    - *ficcitate ab*
      - *euacuatione.*
      - *vigiliis.*
      - *caufo.*
      - *vftionibus.*
  - *repletione*
    - *cum inflammatione à*
      - *puncturâ.*
      - *vulnere.*
      - *internâ causâ.*
    - *phlegmones expers, à materia crafsâ & frigidâ*
      - *pituitâ.*
      - *melancholiâ.*
- *Citra tenfionem.*
  - *idiopathia, à*
    - *materiâ*
      - *corpulentâ, quæ eft acris & tenuis,*
      - *vapida, eaque calida vel frigida, vt flatus.*
    - *qualitate*
      - *veneni experte ab*
        - *opio.*
        - *potu frigidæ.*
        - *fanguine veluti ftricto.*
      - *venenosâ.*
  - *fympathiâ, cùm partes neruofum genus in cõfenfum abripiunt, & omnium maximè os ventriculi, ab*
    - *acri humore.*
    - *pharmaco vehementi.*
    - *elleboro.*
    - *vermibus.*
  - *Vel fi neruofa pars virulento morfu aut ictu tentetur.*

SIGNA *differentiarum.*

Hæc paffio non ita citò finitur vt epilepfia, nec fenfu ægri exuuntur. Contagio non nocet hoc malum: eftque acutum. A repletione fubitò adoritur. fæpe folemnis euacuationis fuppreffio antecedit, vt fi repentè vrina fiftatur. vel exercitij neglectus adeft: continuata etiam pocula in causâ funt. Præterea nulla exhauftio præceffit; fed corpus fucci plenum eft, nec venere, vomitu, menfium aut alio fluxu attenuatum

Num à repletio

tum. quamuis pharmaca purgantia nonnunquam conuulſionem ea replatione adferant: dum peculiares ſuccos prolectantia, eos in flatus vertunt, ac muſculos diſtendunt. Quin interdum, pharmacorum vi, ſucci funduntur in radicibux neruorum, qui non tarò ludunt ſcientiſſimos medicos. quare ad aa oculos verta quæ euenêre ægro.

Num ab exhauſto.

Conuulſio ab exhauſto nunquam incidit, niſi ſignum aliquod valentiſſimum ac deterrimum acceſſerit: qualia in phranitide exoriuntur. Eſt enim talis planè funeſta, ac deſperatæ ſalutis; qualem agnoſcimus in ſtridora dentium à delirio, in oculorum fixo intuitu, vago motu, quando huc illuc voluuntur illæſi, peruerſiune oris, ſingultu; manuum ſubſultu. non fit ab ineunte ſtatim morbo: nam ante declinantem morbum non exhauritur æger.

Cæterarum cauſarum dignotio.

An verò pituita vel melancholia in causâ ſint, cuiuſque ſucci ſymbola id narrabunt. Hæ iam dictæ ſpaſmi ideæ acerbiſſimos dolores pariunt, non ſine atroci iactatione: nam tenſio valida, neruos in his fatigat. Si citra tenſionem fuerit conuulſio, & ex idiopathiâ, nulla alia pars in querelâ erit præter conuulſam. Quæ nata eſt ex vapore calido, non ſine febra bilioſâ infertur facilè: inde ergo innoteſcet. Quòd ſi cauſam agnoſcat flatulentam: eius ſymbola quædam edentur. Cùm a pharmaco inducta eſt conuulſio, id narrabit ipſe æger. Quæ oriuntur à conſenſu, facilè ſoluuntur. A ventriculo ſi fuerit, accedet nauſea, acres fœtidique ructus, cordis dolor, iactatio: à vomitu, liberatio. Si ab vtero; ibi dolor erit, pubes tenditur, flatus adeunt, ſolemnis menſtrua euacuatio ſupprimitur, inde capitis dolor, delirium. Vermes ſuis ſignis ſeſe prodent.

Cauſæ.

Sed obſcura num immobilis pars ſit articulorum oſſiumque vitio, à callo vel illapſo humore: tunc nec à febre, nec repentè incidit. & vide num antè luxata pars, minimè rectè fuerit curata. Deprehensâ mali naturâ, videamus quibus contrariis remediis abigi poſſit.

Indicationes curatiuae.

Si à repletione conuulſio coorta fuerit, & ſi tenſio adſit, loquetur ipſa res laxandum eſſe: quo modo? quia à repletione, hanc abſcindendo. Sin ab exhauſto adſit conuulſio, inſuccandi naſcetur indicatio. Cùm à phrenitida infertur conuulſio, ni phrenitis abigatur, haut cedet ſpaſmus. Si à vigiliis, his conſulendum. Phlegmone ſi auctor mali fuerit, illi occurrendum. Quodſi ab incurſu ſucci pituitoſi, vel melancholici incubuerit hæc calamitas conuulſifica, euacuandum erit & calfaciendum: nam non ſine frigore pars repleta fuit ab his ſuccis. Flatus cùm in vitio ſunt, diſcutiantur. Veneni dira vis ſi in ſuſpicionem venerit, dometur. ſi frigus, incaleſcat. Sanguis ſtrictione vbi cauſa mali, fundatur, ac euacuetur A conſenſu cùm pars contrahitur: fons mali extinguatur. Hæc agenda, ſi ſpes ſalutis aliqua appareat ſed ne quid temerè, timemur ſigna prognoſtica.

Prognosis.

Acutum malum, & quod breui interimit, idque non ratione materiæ, quæ craſſa eſt, ſed ratione vehementis doloris, qui maximè vires proſternit. Et quò plures partes trahuntur, & maximè cerebro vicinæ, vel in pectore, gulâ, ſtomacho ſi fuerint, eò periculo maiori tenentur: maximè ſi ex idiopathiâ laborarint. Tetanus grauiſſima pericula adferre ſolet. Hippocrates die quarto ſcripſit homines à tetano extingui. cùm enim cuncti in eo muſculi tendantur, id diu perferre corpus nequit: quare vel ad ſalutem, vel ad mortem abit. Et Aretæos ſcripſit, tetanos maxillarum (ſiagonitas muſculos vocat Aurelianus) doloris immanitate non facilè placabiles eſſe: at ſæpe calamitoſos.

4 Acut. 60.

Quin etiam conuulſio muſculorum mouentium pinnas narium lethalis eſt: imò illi cymbam Charontis premunt in morbis acutis.

Ab inanitione.

Ab inanitione quia calamitoſa eſt conuulſio, propterea omnis conuulſio in phreniticis eſt lethalis. Phreniticis bilem vomentibus, & inde conuulſis, calamitas in procinctu eſt: nam talis conuulſio violentæ ac malignæ febris eſt propria; & talis vomitus accidit ſympathiâ cerebri. Nam nata in cerebro bilis, illuc demiſſa, exitum per os habet. Idem vſu venit illis qui purgantur elleboriſmo, quod ipſis cholericis quibus eueniunt σπασμοί: potiſſimùm verò in muſculis qui tibiarum ſuras conſtituunt. Nam violentia pharmaci attrahentis, & ſuccum neruorum exhaurientis, non eſt ἀδύνατον ex eâ cacopathiâ ſpaſmum incidere. Talis autem conuulſio mortiferè habet ægrum; qui ſeruari nequit ab exhauſto conuulſus. tum autem doloris ſæuiſſima σπασμός, & vnà vires citò exoluit, & citam mortem adducit. Conclamatum eſt ac penè de vitâ actum, cùm violentia medicamenti ſanguinem exprimere nô deſiſtit: Σπασμὸς γὰρ ἐξ ἐλλεβόρου θανάσιμον. quaſi dicat, non qui excitatur ab acredine ellebori, ſed ab hypercatharſi, propterea addidit ἐξ, quæ particula ſignificat vacuitatem rei, quæ in quæſitionem cadit.

* ſpaſmus ex ellebo o, calamitoſû.

Nam quæ conuulſio incidit ab acredina ellebori, vel à materiâ acri attractâ ab elleboro ad ventriculum, eſt ſanabilis. Sed omnis ab inanitione conuulſio mortifera eſt atque funèſta, collapſis naturæ præſidiis ab exhauſto partium ſolidarum, quam quidem virtus eſt ipſa natura: accedit & trium principiorum ἄκλωσις, facultatumque non ſolùm in officio laborantium infirmitas, ſed etiam priuatio, vnde cita mors venit. Verùm quæ à pharmaciâ citra exhauſtum, flatibus, aut agitatione enata fuit conuulſio, non eſt calamitoſa: nam repletionis ſoboles eſt. Nam conuulſio à repletione ſolui poteſt, etiamſi non fuerit plegmunes expers: modò illa phlegmone neruos non exhauriat, verùm repleat.

5. Aph. 2. Ex vulnere.

Plerumque tamen funeſtæ conuulſiones ζυμάτων, & hypercatharſeos, & cùm exaruere nerui à febre tanquam ab igne, quæ inde conuulſiones veniunt, omnes illæ mortem denunciant, & ipſam celeriùs opinione adferunt: eſt enim πάθος ὀλέθριον. Vt in fractura calcis: in vulnere muſculorum quâ parte nerui ἰσχνόν, aut iidem ἰσχύν, ſi nullus tumor aſſurgat aut euaneſcat parte poſticâ corporis. Tum ab hæmorrhagiâ quæ cietur à vulnere; quando exhauſtæ venæ ſuccum è neruis attrahunt, ipſoſque faciunt rigidos ab exhauſto. Nam attrahendi potentiâ, venæ carnes ipſas præcedunt. Et in pertuſâ caluariâ, ſi exitus ichori negetur, qui ad menyngem deſcendit, ſed inde ad neruos tranſmittitur: conuulſionem mouebit cum phlegmone, tum è directo, tum è diuerſo partis pertuſæ: vt eius ichoris excurſus eſt ſiue κατ' ἴξιν, ſiue ἀντίπαλιν: ſicut Hippocrates annotauit in Autonomo, & pediſſequâ Omi ià Prima mulicbritas manſtinalis; vel ſtatim à conuulſione oborta de more purgatio menſtruorum (ſine febra phlegmones ſobola) conuulſionis finem adfert. Addo Aphoriſticas quaſdam prognoſes. Eſt bona mutatio conuulſionis in concuſſionem: nec contra, quia triumphata natura iam triumphara incipit: & quæ dominatu cauſæ morbificæ tenebatur, iam erecta, cauſæ ipſius potens eſt. Præterea præſtat conuulſionem ſuperuenire paralyſi, quàm paralyſin conuulſioni. Nam epilepſia ſperabilem adhuc ſalutem oſtendit in apoplexiâ, quæ, ſuperueniens epilepſiæ, cita morte funeſta eſt. Et ab animi perturbatione oborti morbi grauiores cerebri, ægrè curantur: nam non ſine magnâ ſublatione causâ naſcuntur. Phlegmones quæ eſt expers, redintegrationem naturæ concedit. Quæ fit à flatu, facile excutiunt. Hinc eſt quòd quæ per febres naſcuntur, facilè ſedentur: cùm febriles vapores neruos feriant: vel humoris diffuſione ſæpe muſculi conuelluntur, vt & pueris

auenit

euenire solet. nam conuulsio febri finem imponere solet, si incidat eodem die. Alioqui in febre terrifica est: quia semper metum adfert sinistri iudicij: sed tamen non semper desperata. Nam & puerorum conuulsio formidabilis est, quamuis non rarò pueri conuulsionis periculo defungantur: quòd ea sequatur potiùs naturam suscipientis causæ (id est puerilem neruorum infirmitatem) quàm efficientis; id est, febris ipsius, & malignæ cacochymiæ.

Pueri.

Ergo vt pueri facilè trahuntur in omne genus spasmi: ita facilè defunguntur spasmi molestiis.

3. Prog. 34.

Et post septennium puer in conuulsionem à febre non trahitur, nisi hæc maligna fuerit. Maximè per febres conuulsionibus implicantur pueri, quibus diu stricta aluus, vigiliis & terroribus obnoxij sunt in cacochymiâ.

7. Histor. animal. 12.

Aristoteles scribit plenilunio magis infestari pueros spasmo. Idem etiam asserit, à dorso inuadentem conuulsionem pueris calamitosam euenire: ob summam doloris vim. Quin pueri iam æditi, ante septimum diem si conuellantur, calamitosum.

Febris in spasmum.

Febrem in spasmum venientem salutarem ait Hippocrates; spasmum autem in febrem, perniciosam. Sed Theodotus Priscianus asserit rarò cum febre euenire: sin superuenerit, dicit, eius causam soluit. Sed si conuulsio his superueniat, semper vitæ, ait, periculum minatur. Attamen Hippocrates, in Coacis, inquit, Conuulsio adfert febri vacationem, quæ aut eodem febris die, aut postridie incidit. translatâ nimirum materiâ intus foras, à venis ad musculos; non ad neruos ceruicales, lumbales, dorsales, vnde delirium. Dicit eodem die: vt nulla sit suspicio siccitatis. Adfert finem sudore, hæmorrhagiâ, vel copiosâ sanguinis detractione. nã, vt alibi ait, hæmorrhagia vi suppressa, conuulsionem facit; phlebotomia exsoluit. Cùm à materiâ pituitescente vel melancholescente nascitur, nisi copiâ suâ nimium luxurietur, redintegrari potest. A mero veneno oborta conuulsio, mortifera est: nam veneni vis infracta indomitaque perseuerat: quare non tam ratione conuulsionis, quàm veneni homo abripitur. Sin non purum putumque venenum fuerit, calamitosum, at non omnino mortiferum: nam ægrè expugnatur: vt ab elleboro albo: sed si fuerit ex inanitione, lethale. Periculosa est ab opio; non æquè quæ à potu frigidæ. A sanguinis consociatione stricta, non tantum periculi gerit: fuso enim sanguine, homo ad se redit.

Ab vtero.

In hystericis conuulsiones sine febre, faciles sunt, vt Dorcadi contigit. Ibi Galenus in Commentario dicit, In magnâ vteri phlegmone, conuulsiones interdum eueniunt; sed cùm dicit Hippocrates ἀπύρως, ab his eas separauit: nam cum febre periculosæ sunt. Etenim arduam phlegmonẽ denunciantur hæc ab vtero inflammatio, est lethalis. Quæ verò citra febrem & vteri phlegmonem incubuit, euacuato vtero euanescet. Hoc voluit Aretæus, cùm scribit, mulieres frequentiùs hoc malo corripi: sed minus mori: nam, dicit, humidæ sunt. Et senes, inquit, maximè hoc malo vexantur, & ex eâ intereunt, ob senectę frigus & ariditatem. Si pectus & spiritus morbus occupauit, facilè è vita migrant. Ex punctis musculorum tendinibus & neruis plerumque funestus est spasmus: nam à vulnere conuulsio lethalis.

5. Aph. 2.
CHIRVRGIA
Phlebotomia.

Sed in sanabili quid agendum? Sententia est Aretæi, siue à refrigeratione, sine manifestâ causâ inuaserit, siue ex vulnere, siue ex abortu, venam in cubito rescindendam esse. Cautio adsit, vt laxior sit compressio vinculorum in brachio. Cælius Aurelianus ad vim conuulsificam collineans, Si vehemens fuerit dolor, inquit, dimissionis tempore, & ante tertium diem admouebimus phlebotomiam. Theodorus etiam Priscianus id primis diebus agit. Quare dum focum suum sanguinem agnoscit, semper phlebotomia vtendum: maximè si ex tetano laborarit, phlegmone aut vulnere. Quâ copiâ? sit ea extra lipothymiam & citra frigus extremorum: nam ilico inedia & doloris vi turbabunt vires. frequentia sectionis arceat periculum quod à confertim factâ euacuatione metuitur.

Cucurbita.

Tandem, progresso morbo, sublato omnis irruentis materiæ metu, mediis musculis imponatur cucurbita, scarificatâ carne: à finibus verò, hoc est, musculorum tendonibus abstine. Admonet Aurelianus, vt primùm locos foueatur decocto fœnugræci, seminis lilini, hibisci: vt laxentur nerui, & lentescens humor fundatur. & cataplasmata probat. Ita & Aretæus ab epiplasmatum vsu ait cucurbitas, cum scarificatione semper, imponendas. Sed, inquit, parcè flamma excitetur: nam quæ à labris cucurbitæ fit circumpressio, doloris conuulsionisque auctor esse solet: sed diuriùs & molliùs trahant. Quæ partes scarificatione ferientur, tere oculis ne conuulsis, occipitio primisque vertebris affigendas suadet Aëtius. Brachiis aut manibus contractis, ei quod humeri articulo subiectum est verticulo, & etiam septimo. A postremo verticulo, si crura fuerint contracta.

Chirurg. ab ictu.

Si, quod aliquando fit, scalpello pro venâ neruum icerit chirurgus, sedetur dolor, & sanies eliciatur, immittatur vulneri terebinthinæ oleum cum aquâ vitæ; & impone emplastrum diachalciteos.

A fera ictu.

Si fuerit ex ictu venenato ferarum, vincula membro iniciantur: vel neruus præscindatur: vel cucurbita affigatur, partique eschara inducatur: & theriaca applicetur: bibatque theriacam ex decocto rutæ, pentaphylli, scabiosæ, melissæ, pimpinellæ, gentianæ. Puerorum membra conuulsa blandè manibus dirigantur & vngantur.

A flatu.

Cùm à flatibus nascitur, prosunt frictiones pannis factæ calidis. Sudores, inquit Paulus, lanis oleo imbutis excipere, ac abstergere oportet, ne nobis clam refrigerent.

A materia crassa.

A phlegmone nata conuulsio sedatur, abactâ phlegmone. Sed phlegmones expers si malum fuerit, quæ laxatis neruis huic remedia debentur, auctore Raze.

Præparantia.

Sed cùm acumen morbi præparantia remedia non admittit, ad purgantia ilico eundem. Alioqui illa eadem sint, quæ capite De paralysi descripsimus & syrupus de agrimoniâ hîc commendatur. Hoc vtendum si inducias dederit malum. vt & melle rosato, syrupo acetoso simplici, de duabus radicibus, de bysantiis, de stœchade, oxymelite, capillorum veneris, de betonicâ: cum decocto prassij.

Curandi breuis ratio.

Hoc modo ducatur curatio: primò iniciatur clyster mollis, non purgans: accipe radicum althææ vncias tres; seminis lini, fœnigræci, maluæ, singulas semuncias: coque ex iure carnis, vel aquâ: adde olei communis, vel chamæmelini vncias quatuor. Dein seca venam, si plethora iungatur, paruâ copia, & repetitis vicibus. Deinde si morbi acumen id admittit, præpara crassam materiam. Aquæ iunge octauam partem mellis: coque ad despumationem: adde origanum. Dein vacua pilulis cocciis, aureis, fœtidis, pilulis de agarico, cum trochiscis alhandel, electario Indo maiori. semper iunge quid castorei. dein (vt hic seriem subindicẽ curandi) Topica sint calida & mollientia: vt oleum lini, butyrum recens, vnguentum refectiuum. vel tale, Accipe seminis althææ, & muccaginis eiusdem, & maluæ, extractæ decocto herbæ paralysis: adipis anatis vel humani quod satis sit: fiat linimentum. Bombacis seminis muccago etiam probatur. Balnea incaret, mox vngatur. Tetani peculiarem curationẽ breuiter prosequitur Oribasius ex Philumeno, noni libri decimoseptimo. Sed ad purgantia redeo. Para succos ex decocto hyssopi, centaurei minoris, chamæpytios, cum cinnamomo, caryophyllis, & schœnantho. Commendatur mel rosatum solutiuum. & pilulæ cocciæ vel fœtidæ cum castoreo, & pilulæ de benio-

vino

uino Rondeletij. Accipe chamæpytin, betonicam, stœchadem, rorismarinum, maioranam, hyssopum: adde agaricum, turbith, nucem myristicam: ex aquâ coquantur: adde mel in fine coctionis. laudat Aretæus vt hiera cum mulsâ & eleo sedi iniiciatur. Aurelianus calidum oleum iniicit, vel decoctum fœnigræci, aut radicum agrestis maluæ. Theodorus Priscianus commẽdat clysteres simpliciorès. Heraclides Tarentinus etiam clysmis vtebatur. Praxagoras vomitum præscripsit: sed hoc damnat Aurelianus: nam os aperire nequeunt. si tamen sit à materiâ biliosâ effusâ in ventriculum, erit vomendum. nec tamen semper eorum os combioatur. Diocles mictoria remedia dabat (quæ etiam laudat Priscianus) & deducentia ventrem. & pueris dabat passum aquatum. Commodè præbetur diaturbith cum rhabarbaro, agaricum, diaphænicum, pilulæ cocciæ cum castoreo. Accipe cassiæ recenter extractæ vnciam, terebinthinæ claræ semunciam, nucis myristicæ scriptulum. Hippocrates, testante etiam Cælio, ad elleborum nigrum venit, cum pipere & lacte asinino. quidam etiam pilulas de euphorbio exhibẽt. Cùm fuerit iam corpus purgatum totum, ad peculiarem capitis euacuationem veniemus. *Capitis purgatio.* Masticet pyrethri radices cum castoreo, macerem, acorum, zinziber conditum, masticem. maximè si tetanus afflixerit. Fiant & gargarismata ex decocto hyssopi, pulegij, origani, rutæ, raphani, pæoniæ, iridis: cum oxymelite scillitico. Errhina etiam fiant ex cyclamini succo & ireos, decocto pyrethri, origani, stœchados, agarici, nigellæ. Odore etiam nigellæ vim hauriant. sternutent.

Topica. Deinde ad ea quæ partibus foris admouentur deueniemus. Hæc sunt calida & laxantia, vt aperiantur pori, vtque elabatur materia; & discutientia, nam materia crassa est: & dolorem leniant, vacuando acres succos & flatus, rarefaciendo, temperando, & coquendo ad æqualitatem reducendo: nam calor dolorem lenit, vt ait Hippocrates, vbi ita scribit, *5. Aph. 22.* τὸ περὶ μὲν σπασμῶν, τετάνων παρηγορεῖν. hoc est, illa mitigat, siue ab exhaustu, siue ab inanitione fuerint. Sint ergo calida, nam & pars obsessa, & materia morbifica frigent, stupétque animalis vis. Et, dum dolor vrget, ab emollientibus erit auspicãdum, qualia sunt acopa & modicè calida. Propterea Aurelianus cataplasma ex semine lini & fœnugræci toti spinæ imponit. Alij catulos viuos admouent, aut pulmones viuentium animalium. Ita fotus ex tepido hydrelæo. Ita & cætera moderato ac suaui benignóque calore prædita, naturæ nostræ consentaneo. *Cautio.* Per interualla tamen fiat admotio: nam horum assiduus vsus effœminat. Hic vsum habent oleum lilinum, chamæmelinum, lumbricorum, butyrum cum croco, œsipus, vnguentum resumptiuum cum propoli. Deinde oleum rutæ &c. cum axungiis, castoreo, myrrha, croco, aquâ vitæ, ammoniaco, galbano, pipere, euphorbio, oleo sulphuris, balsamis. Accipe felem pinguem, vel catellum aut vulpem; excoria, & ab intestinis liberã, infarcias radicibus lilinis, nam molliũt ac digerunt: harum igitur vncias duas cõtunde cum melle, ad formam cataplasmatis: adde radicum ireos semunciam; herbæ paralysis, maioranæ, betonicæ, saluiæ, cuiusque pugillum; seminis althææ semunciam; foliorum lauri, baccharum iuniperi, radicum angelicæ, florum meliloti, chamæmeli, saluiæ, cuiusque pugillum; castorei semunciam: leniter cuncta contundantur: & deinde misce cum oleo lilino & de castoreo: & ventri harum bestiarum insuantur. Deinde lentè assetur id animal caryophyllis confixum, irrigetur autem aquâ vitæ & butyro. Pinguedo quæ distillat custodiatur. Cùm nihil ampliùs dimanat pinguedinis, tunc coquatur bestia hæc ad tabum vsque; quæque supernatat pinguedo, etiam seruetur. Tandem exprimatur caro, & ossa frangantur, & medulla eximatur. Vel, Accipe vnguenti Martiati vel Agrippæ, olei laurini, cuiusque sescunciam, galbani, opopanacis, singulorũm scriptulũ, castorei semidrachmam: misce. Aliud: accipe rosmarini, lauendulæ, cuiusque semimanipulum, castorei, seminis rutæ, cinnamomi, caryophyllorum, cuiusque drachmas binas: affunde olei rutæ & lumbricorum, & vini copiam sex vnciarum: coque ad dimidias. Accipe bubulum, vitulinum, vel hœdinum renem calidum cum totâ pinguedine: admoue hunc principio conuulsionis: detineatur dum exarescat, vel dum fœteat: hoc tunc reiecto, nouus imponatur. Accipe olei de angelica (nam aperit, attenuat, discutit) olei lumbricorum, terebinthinæ, cuiusque sescunciam, adipis humanæ vnciam, styracis semunciam: liquefiant. Aliud: accipe oleum lilinum cum oleo terebenthinæ, cui misce ossium humanorum oleum, vel medullam ossis pernæ. Aliud, adeps humana accipiat vim saluiæ, lauri, stœchados: hoc est, bulliant in balneo maris: inde fiat hapsus cum lanis succidis. Cúmque vncta fuit pars, tegatur pelle felis iam iam excoriatæ. Commendat Theodotus Priscianus adipem leonum cum galbano. Nos accipimus oleum vulpinum, cum balsamo de galbano. Pinguedo etiam taxi & vulpis cum galbaneto mirum est quantum solatij adferat, si post balneum illinatur. *Cautio.* Cautione opus est, ne ea quæ foris admouentur onere molestiam adferant: nec cerâ eorum etiam vis tardetur. Sacculi fabricentur ex sale, furfure, milio. Aurelianus hapso ex oleo cuncta inuoluit: vel fouet sacco ex torrido semine lini. *Balnea.* Balnea arte facta, ineunte morbo, maximè prosunt, ex radicibus althææ, liliis, ireos, betonicâ, lauendulâ, lauro, maluâ, acantho, geranio magno, foliis maluæ, hyperico, rutâ, calaminthâ, hysopo, origano, iberide, radicibus cucumeris agrestis, narcisso, semine lini, fœnugræci, anethi, floribus chamæmeli, meliloti, sambuci, rorismarini: orobo adde intestina veruecis, felem vel catellam: & affunde olei libras quatuor. Si non fuerint indurati nerui, adde absinthium, chamæpityn, saluiam, origanum. Si verò in antiquato malo, potiùs emollitioni, quàm exhaustioni studendum: addes caput veruecis, vulpem, vel felem. Iunge tamen vnà exhaurientia, vt chamæpityn, stœchaden, betonicam, absinthium, abrotanum, artemisiam, matricariam, radices ebuli, herbam & radicem glycyrrhizæ. Mox vnge oleo lilino, lumbricorum, amygdalino, oleo florum narcissi, & de cheruâ cum medullis. tandem iunge oleum ex croco, & ex bdellio, cum pinguedine cati, & castoreo. Si cum frigore adsit duricies valida, iunge vnguentum de althæâ, & emplastrum de meliloto cum oleo lini. *Obseruandum.* Illud obseruandum, nos magnam proponere interdum supellectilem herbarum, cæterorúmque simplicium remediorum; non vt quis cuncta illa, quòd malè hodie fit, in inertem massam consociet, sed vt vno, duobus, tribus optimis, quæ ad manus erunt, vel ex naturâ ægrorum medicinam rectè instituat: nam modò hæ, modò illæ herbæ florent, ac integrâ vi vegetant: modò hæ, modò illæ partes (vt cæteras indicationes omittam) his aut illis herbis, successiue feliciùs recreantur. redeo. Balnea quæ in auxilium spasmi ex repletione scribuntur, sint actu calida: nam qui ab exhausto fatigant, tepida postulant. Ita Aëtius conuulsis illis, oleum calidum; his, Auicenna tepidum præscripsere. Argillam include sacculo, cum alumine, sale, nitro, sulphure: hunc aquæ iniice, & coque cum maluâ, althæâ, majoranâ, hyssopo, pulegio, anetho. Felem coque chamæmelino, & anetho, fiat balneum. Laconico postea vtemur, quo iam emollita materia

exhauriatur, vinoſo vapore ex molari lapide effuſo: ſed primùm illinatur adipe taai. Noous medicus iubet vt bis die oleo immergatur. Sed tamē ſi fractiores fuerint vires, præſtabit irrigationes adhibere ea bydrelæo & decocto fœnugræci. vel non vltra quadrantem horæ bæreat ob virium labefactationē. Si fuerit æger ſueci plenus, & vlceris expers, ætate florida, & ſi æſtas fuerit, immergi poterit aquæ frigidæ, ac ilico extrahi, quò calidum natiuum *ἐνεργάζηται* efficiat. A balneo illinatur oleo lumbricorum, vel lilino, aut chamæmeli, cum exungiâ taai: vel oleo anethino cum oleo catellorum, adde vnguentum de althæa, medullam vituli, cum eaſtoreo, & aqua vitæ Si riget membrum, inuoluatur omento ouillo, vel œſipo, aut è cane detractæ pelli. Si adſit dolor clamoſus, olei libris duabus incoque folia maluæ, violarum, & lumbricos terræ, & ſemen fœnugræci, tere, adde crocum, fiat cataplaſma, calidè admoueatur. Iubet Cælius Aurelianus, vt cùm cataplaſma admouetur ſiagonibus muſculis, eo tempore oleum calidum ore contineatur, quo & interiùs buccatum colligatio laxetur. Theodorus Priſcianus chalaſtica omnia cataplaſmata commendat. diachylon laudat Aurelianus. Fumo ſcillini aceti ea molari lapide effuſo ſudet tecta pars, ac muccagine molli, abſterſo ſudore, illinatur antiquatum iam malum; id quinto die repetatur.

Dolor.

Ab inflammatione. Si inflammata à parte ortum duxerit, Accipies folia anethi, abſinthij, flores chamæmeli, meliloti, hęc coque ex craſſa cereuiſia, adde libi ex ſemine lini librā, & cū oleo vermium, vulpino & roſato, fiat cataplaſma. A cuius vi impreſſa, illinatur pars oleo meliloti, anethino, vel chamæmelino, & lilino, vel vermium, aut vulpino. Nonnunquam foue decocto herbarum ex cereuiſia, vt ex radicibus liliorum, meliloti, ſaluiæ, lumbricorū. *Puerorum.* Puer verò his remediis par eſſe non poterit. quare horū pars afflicta foueatur decocto anethi, meliloti, & chamæmeli: dein lilino oleo illinatur, cum pauco croco. Vel, ea ſentētiâ Auicennæ, fiat cataplaſma ex radicibus lilinis coctis in decocto ſeminis fœnugræci, adde aniſi quid & croci, & mellis quod ſatis ſit. Hactenus quo modo ea conuulſio abigatur quæ à craſſioris materiæ infuſione in neruos, tradidimus: iam ad cæteras caoſas abeamus. *A bile.* Si nerui incuruātur, per febres à bile natas, ab acri bile, ſuaui tepidáq; ab aquâ fiat fotus, ita eius acrimonia frāgetur, ac ipſa exhaurietur. & interim rhabarbaro excludatur bilis. *A frigida materia.* Sin pituitoſâ in febre aut melancholicâ, flatus cauſa ſpaſmi fuerit, excute hos dianiſo, & cumino intus. vel obline drachmam caſtorei, myrrhæ, vel ammoniaci melle. foris, decocto ea vino forti ammeos, dauci, baccarum lauri, chamæmeli, cumini: ceruici ac tactis morbo partibus apponatur lana madens oleo anethino, vel chamæmelino, & lumbricorum. *A veneno.* Si à venenato morſu aut ictu, hac medicinâ expugnetur: accipe momentum theriacæ & ſcabioſæ, cum vitello oui & balſamo hyperiei imponatur. vel illinatur oleo de ſcorpionibus Matthioli. Aut cauterio inuſto impone allia cocta: vbi cruſta excidit, cautio ſit ne coëat vlcus ante diem quadrageſimum vel ſexageſimum. Si metus ſit combinationis, inſperge cineres ficulneos, vel vitis. foue locum decocto radicis angelicæ vel oxalidis. *A ventriculo.* Si fuerit à ventriculo acri tenuíque ſucco preſſo, qualis eſt æruginoſa bilis, vnde frigidæ ſudatiunculæ, & ſyncope, tepidam bibat, *Ab inteſtinis.* & digito vel pennâ vomitum moueat. Sin inteſtina mordeantur, ſuccum ptiſanæ iniiciemus enemate: & granata mala comedat. Interdum, ſed tarò, conuulſiuo quodam feruntur motu inteſtina, à pituitâ flatulentâ. *Hiſtoria.* Cùm medicinam diſcebam Patauij, vidi adoleſcentem cuius inteſtina totúmqoe abdomen conuellebatur, teſtes & vaſa ſpermatica ſub oſſe pubis abſcondēbantur, rugitus aderat, & tenſio hypochondriorūm. Frigida huic erat temperies, & ventriculus frigidus cum madore. anheloſus erat oppreſſo à diaphragmate, ac mente in paroxyſmo exuebatur. Præceptores mei adhibebant flatus diſcutientia & eos attenuantia: ac ea quæ euincere poſſunt materiam frigidam coquendo ac purgando, & roborabant tādem inteſtina. Primùm iniectus clyſter ea decocto anethi, cum hierâ, melle roſato & oleo chamæmeli. dein decocto agrimoniæ, petroſelini præparabatur. poſtea pilulis aureis ac alephanginis purgabatur. alternis diebus clyſter repetebatur. Foris oleo rutæ & caſtorei vngebatur. Interdum accipiebat vnam pilulam ex caſtoreo cum ſyrupo betonicæ: hæc inaurata erat. Bibebat vinum ſaluiarum, & ex betonicâ dianiſum illi in deliciis erat: fricabantur crura. *Ab vtero.* Si ſit ab vtero, habitâ prouiſione totius corporis, accipe caſtorei, diambræ, ſeminis dauci, imperatoriæ, rutæ, radicum gentianæ, ſingulorum ſcriptulum: fiat puluis ſubtilis: ſumat ſemidrachmam, ea decocto vel ſucco rutæ: adiice multum ſacchari, vel quid mellis: nam vterus dulcia prolectat ac rapit. vinum abſit. *A punctura.* A puncto neruo fit inflammatio, inde ſpaſmus, cùm primū abſcindi neruum non vult æger. Vt ergo caueas, ilico corpus inaniatur phlebotomiâ, ita vt citra lipothymiam illa adminiſtretur: & purgetur corpus: nam ita phlegmones incrementum ſiſtitur. Abſolutam interim inediam ſuſtineat homo: vel ſolâ cereuiſiâ ſaccharatâ fruatur. Deinde quæ phlemonem ſedāt, hoc eſt, quæ tenſionem ac dolorem leniant admoue: qualis eſt dulcis olei affuſio, vel olei lumbricorum, aut hyperici. Nam ſi dolor mitigari poſſit, vna placabitur conuulſio. qui ſi ſedari nequeat, metus erit phlegmones; quâ conceptâ, ſi perſeuerarit, non euadet: nā materiæ interclusio intercipitur, vnde gangræna: ilicóque cerebrum in contagium rapitur, vnde conuulſio & delitia. Quare ſi ſedari dolor nequeat, & febris & delirium accedant; antequam fiat phlegmone, neruus vel punctus teodo ſecetur parte altiore, quàm vbi punctura fuit accepta. Calēte oleo neruorum propagines illine, vt ſi in crure fuerit, ſpinam & inguina. Vulneri verò inde quæ tergent & ſiccant ſine morſu; maximè ſi neruus fuerit nudus. Aretæus coquit althæam ea mulsá: & caſtoreum vlceri inſpergit: nā, inquit, horrores ab vlceribus prodeuntes malefici ſunt. Initio tamen, ad dolores, fiat balneum ex oleo communi tepido, vel ex decocto althææ, maluæ, violariæ, ſeminis lini & fœnigræci, chamæmeli, meliloti: vel ex decocto inteſtinorum, capitis & pedum veruecis, vel vulpis. Si his dolor nō miteſcat, fiat cataplaſma ea micâ panis in lacte maceratâ, vel in decocto papaueris. ſi ne ſic placetur, abſcinde totū neruum. Sed vt diai primùm videbimos, num ſedari remediis dolor poſſit: vt emplaſtro ea radicibus althææ, cum oleo roſato. ſed primùm oleum terebinthinæ cum aquâ vitæ vulneri immittatur: ſi nudus neruus, adde vitellum oui & ipſam terebinthinam: balſamum morſus expers idem poteſt. Si profundior neruus, ab infuſo balſamo, pars tegatur emplaſtro diacalcitheos: nam id exhaurit, & aduenæ ſucco viam intercipit. Et vnge totam ſpinam oleo amygdalino dulci: &, ſi febris adſit, iunge quid olei violati. Si punctura fuerit anguſtior, aperi vulnus, dum virus exhauriatur & exſpiret, & infunde balſamum hyperici cum aquâ vitæ calidè, iam in principio læſionis. mox fiat emplaſtrum ea lumbricis terræ, cum oleo roſato. Si putredine fœdati ſint nerui, cauterium remedio erit. *A putredine neruorum.* Sed adſit ſemper ea cautio, vt miteſcat dolor linimentis & epiplaſmatis. quare interdum totū membrū oleo infunde: ſpináq; dorſi perpetuò foueatur oleo humectāte & modeſtè calente Nondum ab hac hiſtoriâ abeo; nam plurimū hæc calamitas ægros & medicos fatigat. Si ſæuua adſit

adsit à punctura dolor, oleo terebinthinæ & rosato incoque lubricos: vel fiat cataplasma ex foliis sambuci, maluę, oxylapathi, furfuribus cum decocto papaueris; vel iunge quid opij. Hæc si non iuuant, seca neruum antequam inflammetur, & crocinum oleum Mesues infunde, aut tale quid citra morsum siccans.

Ex inanitione. Hactenus quomodo curetur spasmus qui à repletis neruis: iam qui ab inanitis vt habenda sit. Rara admodum occurrit conuulsio ab inanitione: interdum tamen in febris perennitate ac delirio: tunc Aëtius fouet caput tepida temperatáque aqua, ita & manus & pedes: dein caput oleo dulci perfundatur, & manus & pedes molliter illinantur. Accipe caput & pedes veruecinos parum quassatos, adde radicum althææ libras duas; fœnigræci integri, seminis lini, cuiusque semilibrã: coque ex aqua dum exossentur. Vel accipe aquæ dulcis quod satis sit ad balneum; cui adde pinguedinem gallinarum, & lumbos pinguioris veruecis. A balneo offam vini sumat, & dormiat. Maximè commendatur totius colli, occipitis, & spinæ ex solo oleo violato, illitus, vel ex amygdalino. Si diuturnus fiat tetanus, bis die, suasore Paulo, dimittantur in olei solium. non tamen moram ibi trahant: nam olei solium maximè vires soluit. Poterit etiam balneum institui ex lacte: vel ex decocto violarum, nymphææ, lactucæ, salicis, hordeo fracto, cucurbita, melonibus. Tepida balnea sint cùm à calore ortum ducit conuulsio: alioqui temperata sit aqua. à balneo vngatur tota spina oleo cucurbitino, vel violato, aut amygdalino, cum tenui frictione. addite interdum muccaginem seminis psyllij, vel radicum althææ, medullam vituli. & vngatur caput, & auribus naribúsque quid immittatur. Interdum oleo amygdalino iunge quid vnguenti rosati, si fuerit à calore concepta conuulsio: ita quadam nutricatus strictione sistetur, vt hæreat partibus. nam Auicenna vtitur etiam aqua rosata: non ratione strictionis, sed roboris. Tendonibus, inquit Aretæus, inserantur epiplasmata ex lini & fœnugræci semine. & totum corpus inuoluit lanis oleo madentibus. &, inquit, maximè tendines vngantur, & loca circa aures & mentũ: nam hæ partes maximè tenduntur in hoc morbo, & summè dolent. *Intus.* Intus etiam talia sumat, vnde madore quodam corpus madescat; vt conseruam buglossi, violarum, pineas, conseruam nenupharis, lactucam conditam, cortices citreorum. Accipe pulpæ caponis, vel leporis, amygdalorũ tota nocte in aqua saccharata maceratorum, singulorum binas vncias; seminum quatuor frigidorum semunciam, seminis papaueris albi duas drachmas, passulatum Corinthiacarum vnciam; conseruæ violarum sescunciam; butyri recentis sine sale semilibram; lutea ouorum semicocta tria; aquæ rosatæ quod sufficit, fiat confectio. Si fuerit ex hypercatharsi, hauriat drachmam vel semidrachmam theriacæ.

Victus ratio. Iam ad diætam abeo. *Ab inanitione.* Cùm ab exhausto nata est conuulsio, succulento nutricatu rigetur corpus. Auicenna & Razes lac laudant, modò æger febris expers fuerit. alioqui ptisanã vtemur. Iuscula etiam succulentarum carnium opitulãtur, cum lactucã: & cucurbita. pineæ nuces, amygdala. Potus primò sit aqua hordei, postea vinũ oligophorum, vel dilutum aqua melonum, cucurbitarum. Poter interdum aquam saccharatam, iolabium violatum cum aqua anguriæ; adde parum vini dulcis albi. Aër sit leniter calidus & humidus. Æstate, inquit Aretæus, citra sudorem caleat, metu syncopes. Et, dicit Aurelianus, nullo odore sit aër infectus. Oua thermopala commendat Priscianus. Lectus sit mollis, suauis, calidus; nam inflexibiles nerui rigent.

A repletione. Si à repletione fuerit natus tetanus, solo hydromelite victitent, vel decocto cicerum, vel ptisanæ cremore cum melle. Si diuturnius futurum malum, cofaticia vtatur pulli carne. Iubet etiam Aretæus ne inedia macerentur, est enim inedia res frigida. Potus sit hydromel quod thymbra tinctum sit, aut hyssopo, maiorana, saluia, serpillo. Vitet olera, fructus, pisces, acida. Admonet Cęlius Aurelianus, vt sudorem, ob pressuram venientem, excipiamus pannis calidis: frigescit enim permanens, & consensu partium geminat passionem. Potent vicissim, non confertim: nã cùm difficulter deglutiant, in nares potum relidunt, vnde vehementer lancinati, in spasmum irritantor.

Pueri. Si puer à plethora ex tetano laborarit, abstineat à vino. nam potus vini purpurei & vinosi pueris hoc malum adfert, etiamsi à nutricibus hauriatur: vt & lac crassum. Abstineat etiam puer ab ouis, & carnibus. & lintea madentia ab oleo lilino & chamæmelino perpetuò ceruici impone, si illa retracta fuerit, vel aliis etiam partibus quæ trahuntur. Vtatúrque persæpe mithridato cum triplo sacchari rosati, & electario de mosco, cum margaritis, & syrupo de citreis. Alui contumacior astrictio sæpe pueris hoc malum attulit. qui si habitiores fuerint, arceantur etiam à balneis. Fricentur artus puerorum leniter oleo moscellino Nicolai.

Empirica. Empirica iam quędam subnecto. Cordus laudat philonium Mesues cum decocto nucis moscatæ si hauriatur. Distillentur contusa ossa ex pernis fumo induratis: adde crocum: fiat illitus. Aqua vitæ cum sãguine leporis mixta, parti imponatur: nisi fuerit ab inanitione. Cereuisiæ pingui incoque saluiam, thymum, rosmarinum, & pinguedinem cruris bubuli & vitulini (vocant hîc *clat vesmeer*) hac dorsum ad focum illinatur: interdum adde quid castorei. Renem arietis assatum cõsperge aqua vitæ, ac medium seca, & loco affecto impone. Accipe olei amygdalini dulcis vncias binas: pulueris castorei semiscriptulum: bibat. maximè si congelata quædam adsit durities. Et ex bdellio, galbano, opopanace, dissolutis in multo oleo, adiectáque pauca vitæ aqua (si diu iam malum fatigatit) cum pauco castoreo, fiat vnguentum. Oleum ex hepate raiarum cum recenti butyro. Aqua ex hirundinibus & castoreo. hanc describit Rõdeletius, capite De epilepsia. Primò vnge oleo lilino, chamæmeli. postea lumbricorum, vulpino, rutaceo, laurino, irino, axungiis anseris, anatis, petroleo cum aqua vitæ & castoreo. Balneum ex aqua in qua fœnugræcum coxit, folia rutæ, vel saluiæ: & olei pars tertia adiiciatur. Coquatur canis tussus in oleo, vt vulpis coqui solet, eo vngatur. Arcet spasmi incursum serpentum senectus in pelle taurina adligata. *Plin. 30.* Coquatur catulus vulpis in succo anethi dum dissoluatur: bis, vel sæpius, huic æger infundatur. Sal calfactus & positus ad originẽ spasmi, eum soluit, vt ait Mesues. Pulegij decoctum cum melicrato commendat Dioscorides. & erinacei cato siccata & cum castoreo pota ex melicrato. Dioscorides etiam ranarum decoctum laudat, cum sale & oleo: & ipsas etiam ranas. Dolorem implacabilẽ sedat panis à furno calens, oleo rosato vel violato tinctus, vel bubulo lacte maceratus: qui cum oleo anethino, & croci momento pinsetur. vel accipe olei rosatum vel ranarum vncias duas; anethi semunciam; opij scriptulum; croci semiscriptulum. vel aquæ vitæ immitte flores rosmarini; quod supernatat inunge. Canicula pinguis coquatur in oleo lilino & meliloti. Experimentum Nicolai: accipe anserem magnum, pinguem, purgatum, infarciatur lardo, myrrha, thure: consuatur, ac assetur; supposito vase aceto pleno. prima pinguedo exstillans abiiciatur, quæ mox exstillat, vsui sit. Postea anser is aceto coquatur: innatantem pinguedinem primæ adiice: his fiat vnctio. Si dolor fuerit acerrimus, coque vermes oleo communi: hæreat pars dolens tepido in oleo: mox vermes emplastri modo

impone cum oleo vulpino, vel lilino. Si ſit ex contuſione, fiat cataplaſma ex farioa fabacea, cum oxymelite, & pice liquida, Balſama atte confecta deſcribuntur ſecunda parte Euonymi.

Capvt XXVII.

De Sensvs & Motvs Hebetvdine.

Vox.

NAPKH vel νάρκωσις Grecis, Latinis Torpor. Hac voce τῆ νάρκης tum quædam ſegnicies & infirmitas quarumlibet partium, in cuiuſque officio declaratur: tum etiam ſtupor & torpor, vel hebetudo, qua ſentiendi vis languet, infirma, nec bene ſenſio excitatur τῆ αἰσθήσει in ſenſu obtuſo. Inuenimus etiam apud Hippocratem νάρκωσιν γνώμης, torporem mentis: in qua agnoſcit Galenus τὴν ἀτονίαν τῆ γνώμης, imbecillitatem mentis: reſoluta nimirum vt vi neruorum, ita cerebri ſubſtantia. Hac ergo voce partium omnium veluti ſegnicies quædam oſtenditur in officio faciundo, vel in percipiendo appulſu τῆ αἰσθήσει & excipiendo hebetudo & ſtupor quidam. Hîc dolor ſtupidus opinionem facit diminuti pariter ſenſus & motus. Quod cernere eſt in iis quibus obſtupeſcit crus illud quod, ſedendo, alteri decuſſatim ſuperimponitur.

5. Aph. 16.

Definitio, & eius explicatio.

1. Sympt. cauſ. 3.

Eſt autem torpor diminuta functio facultatis ſenſus & motus, vel vtriuſque, vnde ſtupent neruoſæ partes. Dixi eſſe diminutam functionẽ, quò hoc ſymbolo à paraliſi abeat: quæ ſymptoma eſt ablationis. Vnde Razes dicebat, talem affectionem ſentimus in corpore, qualis ſæpe pedibus noſtris euenit. Iunxi eſſe ſenſus vel motus: nam ad κινητικὰς & ad αἰσθητικὰς ἐνεργείας refertur, illæſis principibus. Adieci, neruoſæ partes: nam neruus eſt ſenſus motúſq; organon voluntarij. Si enim neruus frueretur animali facultate ex lege naturæ, nõ foret vllus ſtupor. Galenus ſecundo De ſymptomatum cauſis ſcribit, ſtuporem ſymptoma eſſe ex morbo & facultate miſtum, ita vt morbus quidem affligat, ſed facultas aliquà ex parte reluctetur; vnde hebeti ſenſu tangit, nec perfectè mouet ſe. Nam ſunt quædam ſymptomata functionis labefactatæ, affectione tantùm morbida, vt ſpaſmus. Ita Galenus aſſeruit triplicem eſſe quietem: vna, quæ fit à cauſá morbificâ: alia, quæ fit à facultate: tertia, quæ nec à cauſâ morbificâ, nec facultate naſcitur: hoc eſt, à neutrâ cauſâ prouenit. Prima eſt ea immobilitas quæ eſt in paralyſi: vbi quies eſt à cauſâ morbificâ. Secunda eſt, cùm quies leuat brachium; eſt hîc falſa quies, & motus tonicus: fitque à facultate, & non à morbificâ cauſâ. Tertia, cùm quis brachium abiicit in ſcamnum: hæc fit à neutrâ cauſâ; ſed ob pondus genuinum membri. Ita hîc in ſtupore ægrè attollitur membrum: nec exporrectum ſiſti potis eſt, verùm labitur. nam languet potentia, & moles membrum deprimit.

2. De ſympt. cauſ. 2.

Cavsae.

Iam ad cauſas ſtuporis venio. Impeditur interdum hîc cerebrum ex nimiâ humoris abundantiâ, quæ vel in cerebro localem habuit generationem: vel eo curſum inflexit; vnde madefacto neruorum principio, toti corpori lentitudo & ſegnicies quædam accidit. Qualem agnouit Hippocrates, quæ venit à tempeſtate Auſtrinâ: quando ſcilicet diu multúmque cœlum illius dominatu tenetur. Venit etiã torpor ex cerebri languore, qui euenit ab exhauſto, per alienationem ipſius cerebri, quam alterario diorurna inuexit. Extat huius cauſæ nobile documentum in Prorrheticis: Phreniticis, inquit, alba deiectio, graue malum. An verò iiſdem ſegnicies incidit? Quem locum enarrans Galenus, Commune, ait, ſegniciei eſt cuiuſque, naſci à craſſis, frigidis, & glutinoſis ſuccis, non autem tenuibus, calidis, acribus, cuiuſmodi eſt flaua bilis. niſi fortè incidat cùm in propinquo mors eſt, vt iam emortua facultate quieſcere videantur. Tum enim per emortuam facultatem, non autem vitio humorum contingit. Ac tales qui eâ ſegnicie occupantur, non poſſunt vllo modo ſeruari. Eſt autem commune ſymptoma eorum omnium, qui ex immodicâ intemperie moriuntur.

3. Aph. 5.

13. Prorr. 11.

Ab exhauſto.

Hæc ergo ſenſus hebetudo, quâ ſenſio frangitur ipſorum ſenſilium, tametſi propria eſt τῶν αἰσθητῶν, hoc eſt, quorumlibet ſenſoriorum, ex inopia ſpiritus animalis, vel in fonte ipſo, vt iam dixi, cuius exhauſti parua eſt inſtauratio: vel etiam à vitio riuulorum, quod intulit neruí conſtrictio. Nam vt nerui aſtrictio paralyſin facit: ita & leuis aſtrictio, quâ in anguſtum cogitur neruus (vt ſi prematur à phlegmone, ſcirrho, luxato vel fracto oſſe) ſtuporem: vel etiã leuis obſtructio (quæ incidit à materia craſsâ) aut intemperie frigida. nam non plenè fruitur neruus facultate animali, aut eius ſpiritu. Hoc interdum fit tactis intemperie etiam calidâ neruis. Vt verò obſtructio & oppreſſio infeſtat neruos conſpicuo meatu præditos, ita his qui hoc fraudati ſunt moleſta eſſe ſolet denſitas, quæ fit ab intemperie frigidâ, humidâ, vel ſiccâ; aut à craſſioris nutricatus ſynatriſmo (nerui enim craſſo viſcidóque nutricatu fruuntur) vt obſtructio ex materiæ eò tranſlatione, quâ non fruitur pro nutricatu pars. Fœcundè talem materiam affundit ſolemnis euacuatio ſuppreſſa; & crapala, & vinolentia. Ita refert Fernelius, ſe videre vniuerſam corporis cutem ex crapalâ & vinolentiâ affici, illæſo motu.

Differentias.

Hinc variæ ideæ torporum ſurgunt; cùm interdum ſolus motus, vel ſenſus, aut etiam iunctim hæc torpeant. Præterea totum corpus occupat torpor, vel aliquas ſolùm partes. Quin vt varias cauſas naralitias diximus; ita varia haberi poterit torporis natura. Et magna cauſa, magnum ſtuporem: parua, paruum: mediocris, mediocrem parit.

Signa.

Signa dicet ipſe æger: nam referet num totum corpus ſtupeat: & num motus ſolum, vel etiam tactus. Sed vt cauſam ſcias quæ neruoſas partes fatigat hîc, id petes ex his, quæ ſcripſimus de Paralyſi, & de Conuulſione.

Indicationes curandi.

Comperta iam natura mali, ad curationis ſcopos abeamus: quos ducemus ex ipſa re iam nota. Si inſigni ab exhauſto natus ſit torpor, naſcetur indicatio, vt eius cauſa accidatur: ac vt redintegretur corpus in priſtinam ſucculentiam. Quodſi ortum habet à neruo non admittente, præ intemperie, animalem vim, ea intemperies contraria ope caſtigetur. Si obſtructio adſit in neruis poroſis, ea abigatur. Si ſit à multitudine materiæ, exigatur ea: ſi à craſſitie materiæ, ea tenuetur. Si eorum neruorum pori opprimantur à phlegmone, ea curetur: ita ſi à ſcirrho, fracto vel luxato oſſe. Sin natura non poroſus neruus, denſetur: ſi ea denſitas ſit ex congeſto craſſo alimento, id corrigatur bona diæta. vel ſi hoc euenerit, à frigore, madore, aut ſqualore: rareſcat iterum contrariis remediis. Solemnis euacuatio ſi ſubſtiterit, euocetur. à crapalâ & vinolentia abſtineat. Num his notis curationem in ſanationem abducere liceat, videamus.

Prognosis.

Si per νάρκωσιν vel morticinium facultatis animalis torpor adſit, mortem in propinquo eſſe denunciat. Sed & celeriùs opinione moriuntur, quibus cum tali torpore per febres acutas, crebrò rigores cientur: quoniam ea concuſſione vires deiectæ ad exitium præcipitantur. Cæteræ, ni longiùs proceſſerint, ideæ, ſanationem admittunt.

Curatio.

Sed nihil remittendum de curandi diligentia: nam primum torpor veſtigium eſt ad totius corporis reſolutionem (vbi à frigore) vel contractionem (ſi à calore,) cùm ſtupor modò hanc, modò illam ferit partem. Nã cùm totũ corpus ſtupet, in propinquo mors erit.

Secabi

Chirurgia. Secabimúsne venam? Si turgente à sanguinis mole nerui opprimi videantur, non sine calore & rubedine, licet. Sed, inquit summus medendi præceptor, Quibus est frigus torpidum, nec febris expertibus, sanguinem detraxisse nocet. Est enim frigus torpidum, quod vel oppressione virium & caloris, ab humore frigido & crasso [illegible] infertur: vel ab emortua facultate, & inopia caloris viuifici. Ad neutrum frigus torpidum bene ægris fit à phlebotomia. Nam hinc equidem cita mors venit: illi autem multum periculo adiicitur.

Periculum. In torpore ergo graui & frigido, qui sanguinem detrahit, etiàm prætextu febris, tam est in vitio, quàm si ægroto manus adferret; quia plus nocet detrahendo calidum natiuum, quàm prosit extinguendo febrile. Sunt sanè maiora vitæ incommoda ex inopia calidi natiui & virium infirmitate, quàm à febrili ardore. Propterea quibus cum frigore torpido febrientibus, temeraria accedit phlebotomia: cùm sibi meliùs esse putant vacuitate febris, quam attulit sectio venæ, moriuntur: exstincto calore vitali, & suffocato à dominatu crudi humoris, frigus torpidum inducentis. Atque hi fato concedunt, vitámque finiunt [illegible], differendo, nec opinantes. similiter atque illi qui prorupto sanguine perhorrescunt in extremate. Nam si ex critica hæmorrhagia frigus eximium est lethale: quidni funesta erit detractio sanguinis, quæ ad frigus torpidum adhibetur?

Pharmacia. De pharmacis quid dicendum? Si præter frigidam intemperiem, modicus adsit succus pituitescens, sola diæta, auctore Raze, & olei costini (quod ille prodidit vbi de Paralysi) inunctione redintegrari poterit. Quodsi inueterarit malum, succi pituitescẽtis à copia, pilulis fœtidis purgabitur, & anacardiorum confectione fruatur: victúque calido & sicco.

Topica. Si à frigore sit, origo neruorum illinatur oleis Paralysi dicatis: vt oleo myrrhæ, castorei. Tota etiam pars foueatur decocto iuæ, saluiæ, rorismarini, lauendulæ. Deinde fricetur aqua vitæ in qua maduere flores rorismarini cum castoreo.

Diæta. Assis vtatur potiùs quàm elixis, vbi à madore vel frigore fuerit. Si à plethorâ ortum duxit, vino ac multo nutricatu fraudetur.

Caput XXVIII.

De Tremore.

Definitio & eius explicatio. *2. De sympt. caus. 2. & De palpit. 5.*

Tremor, Græcis τρόμος, est iniussorum in artubus motuum deprauatio, ex pari & mutuâ contentione rei quæ mouet, tum eius quæ mouetur. Dixi esse deprauationem motuum: quæ fit ab infirmâ facultate. Nam conuulsio est symptoma musculi contumacioris, vel ab inanitione vel à repletione. hoc etiam symbolo abit à Paralysi, quæ est motus ablatus, & à stupore, nam labefactatus tantùm in eo est motus. Adieci, ex pari & mutuâ contentione rei quæ mouet: hoc est, facultatis, nam id quod mouet, & id quod mouetur ex æquo certant virtute, & contumaciâ, quam facit oppressio. Hæc itaque deprauatio cernitur in virtute illius, & contumaciâ huius: vnde homines toto corpore, omnibúsque artubus contremiscunt. Fit ergo tremor, cum studio quodam mouendi, cum fractâ facultate. Alioqui valida facultas sine tremore agit; ab infirmâ tremit membrum, cùm in opus surgit. est enim [illegible] κατὰ τὴν προαίρεσιν: at imbecilla. imbellis enim vis motrix, mouere nititur: nam dum quiescit membrum, non tremit. Vt valida virtus non omni ponderi par est, ita nec infirma virtus membro: vt senibus, quibus proprium corpus onus est. Hæc facultatis imbecillitas notatur ratione oneris membri, cui par non est facultas. & ideo Galenus scribit, esse motum naturæ, & morbidi affectus. est motus naturæ; hoc est, motus debilis: est etiam motus morbidi affectus, hoc est, membri onere prementis. *1. Sympt. caus. 22.* Hîc itaque id quod mouet, hoc est, facultas, & quod mouetur, id est, membrum, vel totum corpus, inter se pari magisterio certant. Quare meritò dicimus tremorem esse motum iniussum, in quo id quod mouet, & id quod mouetur, ex æquo certant virtute, & contumaciâ, quam facit oppressio. Propterea quandam naturalis motus ideam gerit: non enim omnino est naturalis, neque omnino violentus.

Causæ. Huius motus tremuli auctor non semper est neruus, verùm interdum facultatis labefactatio, quæ titubat ab immoderatione instrumentorum. Est enim triplex causa tremorifera, oppressio, spirituum collectio, & virium exolutio.

Ab oppressione. Oppressio contumacia reddit instrumenta ad parendum virtuti animali: vt si neruus porosus obstructione, vel, si is minimè porosus, densitudine tentetur. Fit interdum hæc oppressio à translatione humoris morbifici à venis ad neruos, quam finit delirium: siue per progressum à cerebro in producta. Priori modo euenit interdum per febres graues, vbi ægri toto tremunt corpore, per transitum bilis ad genus neruosum, indéque per progressum ad cerebrum: vnde additio causæ phreniticæ. inde exhauritur cerebrum atque nerui. Vnde etiam accidit, vt labefactatâ virtute in substantiâ, facultas ipsa laboret, ac tandem fatiscat in officio ab alienato cerebro. Vnde à bile etiam, maximè in calamitosis febribus, nascitur tremor. *6. Aph. 26.* Verùm plerumque ab eisdem, attamen minùs grauibus, nec æquè altùm irrepentibus, causis ortum ducit, quas, vbi de Paralysi, recensuimus, & etiam de Conuulsione vbi egimus.

Spirituum collectione. Spirituum verò collectione tremor prouenit, cùm homo metu aut verecundiâ percellitur ita, vt vox etiam faucibus hæreat.

Virium exolutione. Tandem virium exolutione inducitur tremor: vires fatiscunt, vt ex validâ euacuatione, qualis ab hæmorrhagiâ formidabili, immani sudore, alui proluuie, aut vomitu. vt etiam à morbô diuturno & graui: & ab intempestiua venere: ab inedia. etiam ab his quæ totâ substantiâ sunt neruis offensa, vt ex hydrargyri vapore. vel vi frigoris presso calore natiuo, vt euenit senescentibus. Quin non aliter ac alimenti copia premitur flamma, ita vbertate materiæ exstinguitur facultatum focus, calidum natiuum. vinolentia etiam neruos implere solet. Exstinguere etiam calidum natiuum solet liberalior aquæ niuis potus. Labefactata ergo virtus animalis siue peculiari suâ vi exuta, vel ratione nerui titubans, causa tremoris esse solet: plerumque hoc ei euenit ex frigore, vel madore; non tamen ita valido vt id quod facit paralysin.

Signa *causarum.* Causam mali aperiet ipse æger: quæ etiam ex eius habitu, diæta, innotescet. Iuuenibus cruditas ac intemperantia hoc malum accersit: senibus, frigus. Si fuerit ab exhaustis spiritibus, nullum laborum aut inediæ incursum ferre poterit: nam à fame, illi intentatur syncopes metus.

Indicationes. Curandi. Deprehensa causa morbifica, ad notas curatrices veniamus. Si ortum duxerit à calore, refrigerandum: si à frigore calfaciendum. Si ab exhausto, redintegretur: ac causa compescatur. Si ab oppressione, euacuandum. Si à pituita, attenuetur ea, euacuetur, ac corpus siccetur. Infarctus neruus vel densior redditus, liberetur, ac rarescat.

Prognosis. Sed antequam hæc in vsum vocentur, perpendemus num curari malum possit. quod ita percipies. Est firmissimum argumentum citò futuræ mortis, cùm dementiæ vis per febres acutas, infert tremorem. *Per febres tremor.* quoniam talis tremor, symptoma est alienati cerebri post alterationem magnam: sicut delirium, alterati

alterati vel prouitati. Præstat ergo delirium superuenisse tremori; quàm tremorem delirio.nam,phrenitici sputatores,indéque fanatici,tandem tremuli moriuntur. etenim qui ab exhausto fit, in propinquo mortem esse denunciat. Et vt is tremor qui ab oppressione fit, per translationem à genere venoso ad neruos, semper delirij consecutionem affert in febribus ardentibus:ita euenire potest, vt causus cum delirio,in tremorem abeat, pulsâ materiâ morbificâ ad neruos. Propterea vide num sit ab exhausto. Si toto febrili cursu cum symptomatum vehementiâ, signorum prauitas iuncta fuit, terrificúsque iam inde ab initio fuerit morbus:vt nobilium partium oppressione, prauâ cacochimiâ, incendio, delirio, siti, difficultate spirandi. His si leuis tremor inciderit(qui cernitur in subsultu manuum, linguâ tremulâ, dentium collisione à delirio) & æruginosa vomitio, mors in procinctu est. Nam leuis hic tremor, est symptoma afflicti cerebri ab alteratione, vt in insania: proptereaque insanabile. Talem tremorem annotauit in Theodori vxore. *7. Epid.* Si febris expers sit homo tremebundus, quo plures partes occupauerit, eo deterior eius conditio. Et pedes non nisi valida ex causâ tremunt; quòd sint robusti,ac facti ad molem totius corporis excipiendam. In spasmum vel paralysim se effundere hoc malum solet,vt influxerit tenuior vel crassior materia. Quidam peiorem censent tremorem, qui sinistra primùm ferit. Infestius labrum tremulum, iam iam futurum vomitum denunciat:argumento enim est ventriculi internam tunicam (quæ eadem os rigat) à praua irritari materia. Si redintegrabilis videtur sanitas,studium sanandi accedat. *Cvratio. Phlebotomia.* Qui morborum initiis contremiscunt, sine vlla causa exolutarum virium, sanguinis copiosa detractione non rarò curantur:tametsi omnis tremoris natura, in virium imbecillitate consistit. Sed imbecillitatis causa tum iudicatur oppressio à suppressione nata, cuius proprium est remedium euacuatio. sicut notauit Galenus in Pythione, qui febris initio manibus contremiscebat. Idem qui faciet affecto iam morbo, fractíſque iam viribus, ægrum exitio dabit. *Galenus De palpitat. 5.* Ergo tenenda est imbecillitatis causa priusquam de ope ferenda statuatur. Vbi igitur sanguis circumfluit, is emittatur: alioqui cunctis neruosis affectibus inimica est liberalior sanguinis effusio; maximè cùm à causâ frigidâ algent partes. Quæ fetienda vena? brachij vena interna, si toto corpore sanguis abundarit: sin solemnis vacuatio vterina suppressa fuerit, malleoli. *Cucurbita.* Si à contumaci obstructione tremant, illius materia in superficiem abripiatur cucurbitarum vi,quæ sine vulnere admouentur. *Præparatio.* Præparetur etiam materia ad exclusionem. Sed causæ hic ratio semper habeatur. Si ea externa fuerit, fugetur. Si pituita in vitio fit,tenuetur, incidatur, abstergeatur: vt marrubio, saluiâ, betonicâ, primulâ veris, fœniculo, asparagis, inulâ,acoro,iride,seseli, ammeos semine & cari, calaminthâ, stœchade, hyssopo, melle rosato, syrupo acetoso, & de quinque radicibus, oxymelite, decocto ciceram, origani & rorismarini. *Purgantia.* Parata materia excludatur pilulis de hierâ,cum agarico & trochiscis alhandel; vel pilulis cocciis, aut diaphœnico,benenedictâ laxatiuâ. Dein, si caput habuerit materiam, ea apophlegmatismis & errhinis euocetur. Si ab aquæ niuosæ potu natus sit; in Laconico copiosè vt sudet iubet Razes: aut aquis thermarum vtatur. *Therma.* Sunt enim thermæ natura salubres aquæ, vt quæ natura ferueant:eáque sulphurea materia, & arcanis naturæ mysteriis, vnde scaturiunt, efficacem vim aduersus morbos secum adferunt. *Topica.* Peculiariter tremorem lenit oleum de trifolio odorato: si à frictione origini neruorum & parti immittatur. & emplastrum ex eius foliis admoueatur. Sepeliunt quidam tremula membra, calente à Sole arena. Occiput, ceruix,& spina vngantur oleo costino, nardino, irino,cum bdellio. Sacculus fiat ex lauendula,floribus meliloti, stœchados, gummi iuniperino, ladano, benzoino,styrace,caryophyllis,surfuribus. Illinitur etiam oleum ea floribus lilij conuallij, & liliorum alborum, cum castoreo & aquâ vitæ. Sed foue primùm decocto saluiæ, rorismarini, lauendulæ, maioranæ, lumbricorum. Si à virulentia concepta ab argento viuo;tota spina vngatur oleo sulphuris (quod fit cocto sulphure in aqua vitæ) saluiæ, & castorei. Tandem partibus robur afferatur,vsu conseruæ rorismarini,acori, stœchados, menthæ,melissæ, diatrion pipereo, diaspolitico, diacastorio, galanga, calamo odorato, decocto guaiaci, si à cerebri frigore natus tremor. *Roborantia.* Cerebrum leporis assum si comedatur, mirificè prodest. Si cerebro causa insedit, sumat cottidie stœchados drachmas binas, cum vncia hydromelitis:vel ex his fabricentur pilulæ Castoreum intus sumptum, & foris admotum celebratissimum est remedium aduersus hoc malum:vt etiam oleum cucumeris asinini foris illitum. Si ab exhausto euenerit tremor, aëre potiùs frigido fruatur:sin causam calidam agnoscit, tepeat. *Victvs.* Si ex inedia eò deuenerit, cibis succulentis ilico recreetur. Si ex madore, tenuiter victitet, & siccantibus ac tostis vtatur. coquantur cibi origano, hyssopo,saluia, maiorana, saturcia, roremarino. Si fit à bile,frigida ac crassefaciens diæta vtilis erit. ita si ab exhausto, & à vino abstineat. Potus sit ceruisia saluiata, si à pituita natus sit tremor: & vinum propinetur postquam prouisio habita est totius corporis. hydromel etiam vtile. Nimius vsus vini & aceti obest, vt etiam aquæ frigidæ. Pluuialis aqua omnibus neruosis affectibus commoda est. Sed sit illa æstiuis imbribus excussa: non nebuloso cælo, sed cum tonitru potiùs. Non lauet aqua frigida. fricetur corpus manè. Venus, & phlebotomiæ frequens repetitio, neruosis morbis inimicissima sunt. *Empirica.* Vsus etiam quædam vtilia notarunt:vt ciconiarum in cibis vsum:vt & esum nycticoracum iuniorum. cerebri leporini esum, & palumborum. Sumat manè castoreum: vel parum olei iuniperi.Decoctum euparorij & radicum alij hæc commendatur.

Capvt XXIX.

De Sternvtamento.

Sternutamentum, Græcis πταρμὸς,olim auguralis nota fuit, quòd editum sit ex capite, diuinissima omnium partium. *Cur sacrū sternutamentum.* Cumque in eo throno sublimis anima corporis gubernacula trahat; arcana etiam homini futura, sternuendo subitò & ineapectatò, primitùs patefacere creditum fuit. Vnde apud Theocritum in Idyllio cui titulus Thalysia, ea sternutamento,prospera vel ominosa censentur: vbi ait * τῷ Σιμιχίδᾳ μὲν Ἔρωτες ἐπέπταρον. & Catullus de Amore, *Dextrâ sternuit approbatione.* ** Hoc est, Semicidæ insternuerunt Amores.* Et Penelope vaticinatur ea Telemachi sternutamento,procerum res in ancipiti volui; cùm dicit, * οὐχ ὁράας, ὅ μοι υἱὸς ἐπέπταρε; *17. Odyss.* sed apud Theocritum ἐπὶ τῷ χείρονι μοίρᾳ id præsagium est accipiendum. ** Hoc est, nónne vides quòd mihi sternuit filius* Quare præsagum hoc signum fuit antiquis. Vnde & illis solemne fuit, vt refert Plinius, Aristoteles, & Athenæus, deprecari voris ne quid præter spem eueniat sternuenti. *Arist. 33. Probl. 9. & 1. De historia anim. 11. Plin. 28. lib. 2.* Cur, inquit Plinius, sternuramentis salutamur? quod etiam Tiberium Cæsarem, tristissimum hominum, in vehiculo exegisse tradunt. Et aliqui nomine

etiam

etiam conſalutare, religioſius putant. Ergo ante tempora Gregorij Pontificis ſalutandi à ſternutamento mos inoleuerat: nam aliquid futurum ſiniſtri vel

Vnde omi-noſum.

fauſti inde augurabantur veteres. Fallebantur illi, nam cauſam in naturâ habet. Vnde nobilis imperator claſſis Athenienſium Timotheus, dimicaturus aduerſus Corcyræos, gubernatori claſſis, qui claſſi iam proficiſcenti ſignum receptui cœperat dare, quòd ex remigibus ſternuentem quendam percepiſſet: Quid? inquit, miraris ex tot milibus, vnum perfrixiſſe? Eſt autem ſternutamentum fortiſſima &

Quid ſit.

ſonora cerebri concuſſio, ſtudentis excutere id, quod ſibi moleſtum eſt: quod in parte iuuatur à pectoris

Explicatio definitionis.

vi motrice. Excutere enim nititur cerebrum, id quod ſibi moleſtum eſt, quodque eius expultricem irritat, per meatus ethmoïdeos in nares: nam ille aër qui ex thorace efflatur, foramina narium purgat. ſed per hos cribriformes meatus interdum ventriculi cerebri ſe purgant hoc reflatu ſternutatorio. Propterea ſternutatio Auicennæ dicitur parua epilepſia, nam cerebrum in ſeipſum contrahitur, vt rem moleſtam excutiat: quæ plerumque vapida materia eſt. Diximus cerebri hanc excluſionem iuuari à pectoris vi motrice: huic enim nerui mittuntur à cerebro. Propterea, imminente ſternutamento magnum reſpiramus, ac toto pectore aëra bibimus: quem intercoſtales muſculi mox preſſu quodam exſufflant confertim ad palati foramen, quà itur in nares. Ita erumpens ex thorace ſpiritus, occurrit aëri in ethmoïdei oſſis cauernulis retento. Quâ occaſione cerebrum ex primis ſuis ventriculis excorit rem ſibi moleſtam, ſiue ea flatus vel ſuccus fuerit; laxatque cauernulas quà itur ad nares, & ſe in nares exonerat. Nam, vt ſcribit Ruffus Epheſius, foramina [illegible] cribri formam referentia, per ea indubiè [illegible] propellitur. Strepitus illeque clangor naſcitur, quòd inſpi-

Clangor vnde in ſternutatione.

ratus aër per ſtrictas erumpens regiones, corpora collidat; hic ſecum excrementa rapit, quæ cerebrum per oſſa [illegible] excludit. Cauſæ huius mali ſunt

Cavsae.

quædam internæ, & aliæ externæ. Quæ internæ, ſunt aut naturales vel violentæ. Naturalis, cùm materia cerebrum prouritans, ab eo excutitur naturæ vi, non morbi motu. Violenta, cum materia non excluditur, ſed ſolùm irritat cerebri excretricem vim: vt ſi ex partibus ſpirabilibus in caput clara materia vel vapor id fatigatit, vel crudior materia, vt in catarrho euenit, ad nares labatur. Ita interna cauſa irritat cerebrum. Nam interdum naribus cauſa ſternutatoria hauritur, quæ non ex naturæ lege irritat etiam cerebrum. Quamuis alioqui omnis irritatio partium ſit præter naturam: attamen cùm loco & tempeſtiuè irritatur expultrix, non vndique id præter naturam fieri videtur. Ita enim iuuat: ſic aluina vel vrinaria exſtimulatio non penitus extra legem naturæ habenda. & Celſus inter bona ſigna ponit ſternutamentum. Scripſit Ariſtoteles, Cum calor capitis humidum ſpiritúmve vincit, ſternutamenta cieri. Fiunt itaque ſternutamenta calfactâ & prouritatâ ipsâ ſubſtantiâ cerebri: vel humectatâ parte ipſius inani. Quare vel ſubſtantia cerebri tangitur intemperie calidâ: vel ventriculi eius, & cauitas, quæ caput circumſcribit, replentur materiâ vapidâ; vel craſſa, qualis eſt mordax, ſalſa, acris. Nam & vapida materia mordax, vel tendens hoc agit. Itaque & à qualitate calidâ, & à materiâ naſcitur ſternutatio. A calore: nam Caſſius medicus, vbi rogat: Cur ſolum ſternutamentum iis qui integrâ fruuntur ſanitate, noctu rarò fiat: reliquis ex æquo, & interdiu & noctu. An, inquit, quia fit à calore eo in loco concepto vnde proficiſcitur? quare vbi ſternuere placet, Soli faciem obiicimus. dor-

Sternutamentum opus naturæ quando, & quando ſymptoma.

1. Lib 3.

33. Probl. 9.

44. Problem.

Noctu cur nō ſternuant.

36. Problem.

mientibus verò calor reuocatur. Et cur, inquit, in ſternuendo laborantes, ſi ad Solis iubar faciem obuertamus, ſuccedit ſternutatio? Quia, ait, immiſſus naribus radius Solis, ſtimulat: & vaporibus opem fert Solis radius exhalantibus. Frigore non mouetur, ſed potiùs tollitur ſternutatio. Materia ſternutifera in cerebro ſuccreſcit, vel ei importatur aliunde. In cerebro naſcitur, cùm id intemperie calidâ tactũ, fœcundum redditur in prouentum materiæ vel flatus aerioris. Aliunde irrepit in cerebrum, vt cùm corpore febri implicito, in caput effertur acrior vapor: vel alioqui ab hepate, ventriculo, vtero, eò exſpirat.

Sol promouet ſternutamentum.

Inter externas cauſas eſt id, quod laceſſit pruritu nares: vt puluis; florum acrior fragrantia, rerum acrium eſus, vt ſinapi. Internæ cauſæ occaſiones etiam ab externis ducunt. vt Sole ſe pandit vapor in capite, qui nares ferit. &, ex aduerſo, ſubito algore coguntur ad nares vapores. Sed cur ſemel, rarò multoties oboritur, ſed frequentiùs binis vicibus? Quia, reſpondet Caſſius, bina ſunt narium foramina: ſternutamentum fit excutiente ſe ſpiritu, fit vt alteram narium permeante ſpiritu & ſternutamento, ſequatur & alterum. Sed ad mali euictionem abeamus.

Externæ cauſæ.

Si cerebrum ex intemperie calida laborat, alſioſum reddatur: ſin materia circumfluat, illa excludatur, reuellatur, deriuetur oculorum ac narium permulſione, aurium vellicatione, pilorum tractione. Sed quidnam prognoſtica ſigna promittere audeant videamus. Sternutatio tempeſtiuè facta, nullam cerebri oppreſſi, neque fatiſcentis ſuſpicionem præbet. Nam illa concuſſio, motricis naturæ eſt proritatæ, ſi concutiendo excutiat quod ſibi moleſtum eſt. Intempeſtiua verò ſternutatio vires deiicit, plethoricis cauſis caput grauat, materiam pepaſmi expertem reddit. vt in phlegmone viſcerum ſi euenerit, in febribus, in coryzâ crudiore: contrà, ſi mitigato morbo euenerit. Laborioſè verò & indeſinenter ſingultienti ſi ſuperuenerit ſternutatio, morbũ exſoluit. Ita in Ariſtophane apud Platonem, qui cùm ſingultiendo rumperetur, neque ſpiritum cohibendo, neque bigendo leuaretur, tandem ex præſcripto Eriſymachi medici, citatâ ſternutatione, ſingultiendi finem fecit. Prodeſt ſternutatio in caro & lethargo. vt ait Galenus De inſtrumento odoratus. At, vt ſcripſit Celſus, in pulmonis morbo, periculoſum eſt ſternutamentum. pulmonis morbi ſunt aſthma, peripneumonia, phthoë. Nam concuſſione fortiſſimâ ſternutamenti, lacerantur pulmones & inflammantur: vnde noua attrahendi occaſio, vnde acceſſio fit cauſæ morbificæ, & infirmior redditur pars obſeſſa. In aliis verò morbis, vt febribus cum pepaſmo, in apoplexiâ, paralyſi, paraplegiâ, epilepſiâ, lethargo, & comate tum vigili, tum veternoſo, & etiam in [illegible] ſiue partu difficili, & puerperiorum ſuppreſſione, ſalutariter ſternuunt. Nam in his triumphat natura de cauſâ morbificâ, quam concutiendo excutit. Sed ſternutamenta temerè cienda non ſunt, nec ante quàm euacuationi operâ dederis, & non antequam mitificationi ſtudium ſuum dederit natura, maximè in cerebri ſymptomatis cararrhoicis & cataphoricis. Mulieres etiam hyſtericas reſtituit: parturientes à difficili partu expedit, reliquias puerperiorum excludit, quæ [illegible] Græci vocant. Atque in iis primo quoque tempore ſternutamentum ciere oportet; ac ſpiritum cohibere, vt fortior fiat concuſſio, apprimendo nares & ora. Iam ad curationem veniamus. Nam etiamſi tenue malum hoc videatur, attamen dum in febres incidit, caput replet, & vires proſternit: quibuſdam etiam ſanguinem erumpere facit, inquit Ægineta: quare huic reſiſtendum. Caſſius medicus dum inquirit, cur perfricato oculo ſternu-

Indicationes curativae.

Prognosis.

Singultum ſoluit.

Quibus morbis proſit ſternutatio.

Cvratio.

tare cessamus? An, inquit, quia sic humor respirat? lacrymam enim extrudit oculus frictione, & incalescit oculus magis quàm nares. quo fit, vt si nares fricando atteras, sternutamentum etiam cesset. Fricetur igitur oculus, nasus, frons, palatum; oscitet, ructet; hypochondria, presso spiritu, intendat; caput eleuet. vertat se in aliud latus, infundatur aliquid calidi olei in aures: puluini calidi sub mentum subdantur. Vitentur acres odores, & somni excussio. Spongiæ nouæ marinæ odor. Oribasius ocanthium aridum linteo excipit, manibus confricat: facit puppam, quæ odoretur. Vel vngantur nares myrrhâ vino odorato solutâ, si à flatu fit. Si à calore, psyllium & opium frequenter odorari iubet Nonus. Proderit etiam vnguentum rosatum cum oleo violarum vel nymphææ naribus inditum. & lac tepidum, vel decoctum psyllij naribus haustum gargarismus etiam ex aquâ fridâ: & frigida ipsa in faciem effusa. Si à catarrho calido infestante, is accidatur, santala & rosæ coquantur ex aquâ rosatâ; is odor naribus excipiatur. Si ea pituita, aceto incoque ladanum. Si à frigore fuerit, oleum lauendulæ auribus indatur: & oleo rutaceo illinatur caput. Empiria quædam notauit: hæc iubet vt in aquam frigidam manus dimittant. præterea, vt ex altera manu transferat annulum in digitum impudicũ. Quidã palmam altera manu confricât. Sed sæpe sternutamentũ consociatur catarrho: quâ occasione iã de hoc dicemus.

4. Lor. affect. 43.

Empirica.

Capvt XXX.

De Catarrho, *& primùm de curatione omnis* Flvxvs *in vniuersum.*

De fluxu, & quomodo curandus.

Quid sit.

Omnium morborum vbertimus fons est succorum fluxio. quare primum vniuersim de eius naturâ quædam adferemus, mox de Catarrho agemus. Fluxio est motus præter naturam materiæ alicuius, ab vnâ parte ad aliam: quæ fit à vitio partis recipientis, mandantis, vel vtriusque. Dixi esse motũ: in motu autem noscenduo quid si mobile, quid mouens & terminus à quo, quid terminus ad quem, quid spacium per quod. Mobile in corpore humano est excrementum: propterea dixi in definitione, materiæ alicuius. Hoc excrementum est crassum, vel tenue. peccatque in substantiâ, quantitate, vel qualitate. In substantiâ, ratione formæ, vel materiæ. Formæ, cùm est vel putridum & corruptum: quod euenit vitio alimenti, vel intemperie calidiore vel quòd diutiùs cunctetur materia in membro; cumque in alimentum verti nequit, putrescit. materiæ verò ratione, quòd sit crassius, vel tenuius & aquosius. In quantitate, quòd validâ copiâ circumfluat. In qualitate, vt prima, vel secunda. prima, nam calidius, frigidius, aquosius, vel siccius id erit. secunda, hoc sapore, colore, odore notatur. Causæ verò vi quarum talia nascuntur excrementa, aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Internæ, cùm intemperies totius corporis, vel alicuius partis hoc excrementum pariunt. Externæ, cùm res non naturales id agunt. Si iam ad vsum hoc vitium mobilis vertere velimus, hoc id fiat ductu. Quod crassum est, tenuetur: quod tenue, incrassetur. quod substantiâ fœdâ peccat, euacuetur, & causæ generantes id, abscindantur. Sed quia copiâ nimiâ peccat, euacuetur: & si cum sanguine iunctum, vena secetur: alioqui purgetur. Præparetur tamen quod nimis calidum, vel viscosum fuerit. Ita de mobili disserendum: iam pauca De mouente & De termino à quo protruditur excrementum. Hic est pars aliqua labefactata intemperie, vel malâ cõformatione violatâ: hinc enim gignit, vel suscipit materiam: cui si accesserit colliquãs vel exprimens causa, illa effluet. Terminus verò ad quem, est membrum recipiens supernè, vel infernè, foras, intus. Hinc duæ oriuntur indicationes curandi: vna, membri recipientis: altera, mandantis. Ratione recipientis, curandum erit ne ampliùs recipiat. Non recipiet, si hæc gemina cautio adfuerit, vt auertamus fluentem materiam quàm lõgissimè ad oppositam partem: & vt partem mittentẽ roboremus. Num verò illa auersio sit molienda phlebotomiâ vel pharmacia, indicabit materia ipsa nam si sanguinea fuerit illa, phlebotomia: sin cacochymica, pharmacia hoc moliemur. Alterum erat vt robur adderemus recipienti parti: quod etiamsi nihil aliud sit, quam redintegratio membri in suum temperamentum; in fluxibus tamen id fiet, reddendo membrum durum, solidum, densum: nam laxitas & raritas causæ sunt fluxus. Quare in fluxibus roboratio, erit astrictio membri recipientis. astrictio fiet refrigerantibus & siccantibus. Hæc de recipiente: nunc de mandante. Prohibebimus ne mittens pars ampliùs quid emittat ad recipientem: quod fiet euacuatione totius corporis, & partis mittentis. Quod si celebrata gemina hac euacuatione, adhuc succrescat in fluxum materia, argumento erit intemperie tentari partem mittentem. Si enim iam euacuatum cùm sit totum corpus, & etiam pars mittens ita, vt pars recipiens non habeat vnde attrahat nouam influentem materiam, & tamen videas fluxionem perennare, certo certius erit partem mittentem intemperie quadam teneri, qua in nouam fœta materiam redditur. Ita enim, coctio labefactatur cùm partis, euenire solet. Quare intemperies partis corrigatur: vt si excrementa testentur frigidam madidamque intemperiem partem occupare, illa castigetur calidis siccisque medicamentis. Ita Galenus catarrhum qui in pectus se effundebat, frenabat triplici cautione: nã robur addit membro recipienti, totum exactè euacuat, & cerebro siccitatem adflat. Robur adferebat accipienti parti, frigidis siccisque medelis, vt theriaca noua: totum vacuat secta vena, & pharmacia. membrum mittens siccat cauteriis, sinapismis, dropacibus. Admonuit inter cætera Galenus, Calamitosè peccari à medicis in ineuntibus phlegmonis & fluxibus, dum foris præscribunt aperientes meatus, non habita prouisione de toto corpore impuro. dum enim totius corporis impuritas perseuerat; inde pars mittens facilè materiam fœdam mutuabitur, ac maiori impetu effundet se in recipientem: vnde gangrænæ sin non habeat vnde petat, pax erit. At humidis calidisque illis fotibus laxant se partes rariores redditæ: vnde grauior incũbit fluxio. Quare frigidis siccisque remediis roborandum potiùs esset. Sed vt ritè peragatur roboratio, partis natura timanda erit: nã caro aliter quàm neruus haberi debet: cùm enim madida ac calida sit, non validè siccanda erit, & tenuiter astringentibus roborari poterit. nerui verò, cùm sicci sint, potentiùs siccandi. ita si eadem materia se in ventriculum atque hepar effuderit, variis discrepantibusque vtendum erit: nam longè modestiùs hepar tentari debebit. ventriculus etenim strictiorem vim absinthij perferet: hepar verò carnosũ ac tenellum m[illegible]rum, spica ac rhabarbaro feliciùs roborabitur. Præterea, ratio habeatur officij cui quæque pars roboranda dicata est. Quò enim principatus eius fuerit nobilior, eò minùs frigidis percelli debebit: nam calido in foco is naturæ igniculus (qui functiones illas profert) micat. Imò cùm hepar etiam in frigus flectendum, id non sine consociatione calidorũ agatur: quò calidum natiuum visceris sese erigat. Quod si

Mobile, id est materia.

Causæ materierum.

Vsus.

Terminus à quo.

Terminus ad quem, id est, pars recipiens.

Auersio vt molienda.

Roboratio.

5. Method.

Cautiones.

13. Meth. & 2. Lib. ad Glauc. De inflam.

ſi pars ægra vicinam partem nobilem habuerit, ita ſtrictione moderanda erit eius corroboratio, ne in vicinam illam partem quid exprimas. & num ſit excrementorũ receptaculum accipieos pars erit perluſtrandum. Hac ergo methodo curatio in fluxibus inſtituitur, ductâ curatione à mobili, hoc eſt, humore, & à parte mandante, & recipieore. Sed, ne quid omittamus, repetamus quæ de mobili primùm diximus, vtilitatis causâ.

Materia fluxus, & qua arte inhibenda.

Materia quæ ex aliquâ parte effluit, cùm varia eſſe poſſit, variæ etiam ſurgent cautiones medendi. Hæc materia eſt ſanguinea, vel ſanguinis expers. Si ſanguis, hie peccat quantitate, qualitate, vel vtroque. cùm quantitate, euacuandum quantum vires ferunt. Si qualitate in vitio fuerit, id hæebit ſn modo ſubſtantiæ, vel quòd remiſceantur cæteri ſucci. In ſubſtantiæ modo, vt cùm ſanguis fuerit tenuior, vel craſſior. Cùm is tenuis fuerit, cum tenui calore natiuo, larga extractio huic noxia erit: nam facilè reſoluitur. Sin craſſior ſit, primùm attenuetur, dein vacuetur. Quodſi vitioſus ſanguis ſit, ob remixtos cæteros ſuccos; notandum erit quo ſucco contaminetur, qui ſi bilioſus fuerit, ſanguis extrahatur, ſed parcè.

Gal. 4. De ſanit. tuenda.

Cùm enim ſanguini remiſceetur humor, modò is non ſit crudus, nec plurimùm à ſanguine degenerarit, ſanguis quidem emittendus erit; ſed parcè: ſi modò non plurima circumfluat bilis. tunc enim primùm illa elidatur, mox ſanguis emittatur: alioqui illa effrenis. Ita tranſigendum ſi materia fuerit ſanguinea. At cùm materia influens aliena fuerit à ſanguine, illa purgãda erit: ſed primùm præparetur.

Reliquæ cauſæ efficientes fluxum.

Præter hanc materiam reliquæ etiam fluxionem efficientes cauſæ, in cenſum vocandæ. & ſi mala adſit tẽperies, illa abigatur. Si externa adſit cauſa, adimatur. Victus ratio pugnet cũ causâ fluxionis: vt ſi illa fuerit craſſa ac frigida, modeſtè erit tenuandum ac calfaciendum.

Humor trib. modis fluit.

Vt hoc tandem addam; Omnis humor tribus modis fluit, orgaſmo, doloris vi, aut pars continens exonerat ſe in contentam. Orgaſmo concitatur cù n copioſior effluit, liquefacta, vel iactata vehementiùs & quaſi malignitate quadam imbuta. Dolore, quòd attrahatur. Pars ſe exonerat ab his, quæ moleſta ſunt qualitate aut copia: vel quòd frigus cã exprimat, aut ſtrictior feriẽs vis.

Cur pars incurratur.

Cur verò hanc quã illam potiùs incurrat partem. ipſa pars in cauſa eſt: nam hæc eã vel recipit, vel attrahit. Recipit, quia continetur ab alia fortiori; vt adenes. cutis, & ſi fuerit laxa pars, vel morbo fracta: vel quòd ſit aliis ſubiecta, faliſcique in eã aditus. Attrahit, dolore & calore incãdeſcens. Fit tamen in parte imbelli interdum ſynatriſmus humorum, cùm eos coquere, ac diſſipare nequit; quod etiam profert qualitas alimenti rebellis. Ita in omni fluxu, qui ſymptoma eſt in exeunte mutato (nam eſt excrementi effluxio, motuſque præter naturam) examinari debet mobile, hoc eſt, excrementum; terminus à quo, hoc eſt, pars mittens: terminus ad quem, hoc eſt membrum recipiens: & tandem ſpaciũ per quod, hoc eſt, partes per quas affluit materia.

Spacium per quod.

Materia in corpore humano detenta affluit per conſentanea loca vel diſſeotanea. Si per diſſẽtanea, ea erit auertenda, & frigidis medelis repercutienda: & omni cautione erit ſtudendum, quò illi meãtus conniueãt, adituque fluxio probibeatur. Hactenus percurrimus artem curandi fluxus omnes: ex cuius cognitione, catarrhi ritè curationem auſpicabimur: quod vt bene fiat, primùm videamus quidnam ſit Catarrhus, & vnde ille naſcatur, & quibus notis ſe ille prodat.

De Catarrho.

Nihil hîc de diligentiâ noſtrâ remittendum erit: etenim ſi vſquam diligentiæ ſtudio opus ſit, ſanè id hîc magnopere erit intendendum, dum catarrhũ multorum morborum parentem proſcribimus.

Catarrhus quæ mala adferat.

Nam, vt id ſemel dicam cum Arculano, quæque ægritudo hinc naſci poteſt. Quæ enim partes tutæ ab eius incurſu? aures, oculos, nares, os, fauces, pulmones, latera, brachia, humeros, lumbos, adenes, coxendicem, crura, artus: & quas, quæſo, non partes inuadit, & quæ non tædia profert? Hinc apoplexiæ, cæcitates, pleuritides, phthiſes, paralyſes, ſurditates anginæ, orthopnœæ, cardiaca: iecoris, veſicæ, & renum phlegmones, dolores colici, alui profluuia: illas morborum, ac vbertimos omnium querelarum fons catarrhus. Græcis dicitur κατάῤῥους & κατάῤῥευς.

Nomen. *3. Aph. 12.*

hoc nomen veteribus etiam latè ſe pandit, nec ſolùm, vt doctiſſimi quidam viri putarunt, illo, prolapſionem illam quæ in fauces ruit, deſignarunt. Recentioribus, inquit Celſus, [illegible] dicitur. Hippocrates, ait idem auctor, omnes deſtillationes vocat coryzas: at nunc, inquit, in grauedine, hoc eſt, nares dum ferit, video apud Græcos hoc nomen ſeruari. Deſtillatio dicitur Latinis, & quibuſdam Raucitas, & rheuma, quin Grauedo, & Influxio Cælio Aureliano.

Definitio.

Eſt autem Catarrhus, fluxio excrementi emanantis è cerebro foras, præter naturæ legem: facta vel ratione cerebri, vel partium contentarum, vel ratione vtriuſque, aut cauſarum quæ à foris ſunt, aut denique communium ſimul. Dixi id fieri præter naturæ legem. nam cù n ex naturæ lege agit cerebrum, exſtillat quid craſſi excrementi in os οὐ παρὰ φύσιν, ἀλλὰ κατὰ φύσιν. Diximus etiam, fluxionem eſſe. propterea in hoc motu explorare debemus quid ſit agens, quid patiens: vnde, qua, quamobrem feratur excrementum Cùm enim fluxus ſit, adeſt motus: & in motu, vt antè diximus, ſemper adeſt mouens & terminus à quo, mobile, ſpacium per quod mobile fertur, & terminus ad quem fertur mobile.

Cauſæ. Agens & terminus à quo.

Agens ſeu mouens, & terminus à quo, hîc eſt cerebrũ: hoc enim foras protrudit materiam cùm incurritur à talibus cauſis, quarum vi materia foras extra cerebrum excluditur, vel quarum potentiâ talis ſubnaſcitur materia quæ caput infeſtare ſolet, aut cùm illæ cauſæ adſunt quæ eò abripiunt intemperiei caput, vt facilè ab his cauſis affligatur. Excludunt materiam foras à capite hæ cauſæ, quæ materiam colliquant in cerebro: vel quæ eam exprimunt à cerebro. Colliquant, ea quæ calore micant, vt aër calidior, & aromatum vſus, cunctaque à vapido calore æſtuoſa, vt odoramenta, & vini vſus immoderatior, balneorum frequentia, largior perfuſio capitis calida, vomitus frequens, Sol, vnguenta laxantia, exercitium nimium, ira Exprimunt autem è capite materiam, quæ cauſæ eoſdem ſuccos conſtringunt, vt frigus ſiccum, poſt auſtrum Subnaſcitur materia, ex iis cauſis quas mox, vbi De mobili agemus, enarrabimus. Cauſæ verò quæ eò abripiunt caput vt facilè à cauſis morbificis illis inuadatur, ſunt madores ac algores cerebri, cùm illud frigidius & humidius eſt; deinde raritas cerebri: nam glandulæ facillimè pituitam ſuſcipiunt, Hippocrates autem aſſerit cerebrum tanquam magnam glandulam eſſe, atque caput ὥσπερ σικύαν τῷ σώματι incumbere: ideóque ῥίζαν τῶν ἀνθρωπίνων νοσημάτων eſſe. Adiuuantes ergo cauſæ ſunt viarum cerebri laxitas, exercitatio partium ſuperiorum & quies infernarum, cerebri imbecillitas, æſtuans caput in ventriculi cruditate: & quies nimia humectat. Et omnia quæ caput laxant nimium, eo adigunt cerebrum, vt facilè à cauſis liquantibus & conſtringentibus affligatur. Qui naturâ caput frigidius vel calidius ſortiti fuere, maximè cum catarrhis conflictantur. vt enim id quod frigidius eſt, fœcundo excrementorum prouentu luxuriat; ita id quod calidius, facilè rapit in ſe ex ventriculo totoque corpore omnes cõtaminationes, ac facilè cunctis à cauſis incurrentibus percellitur liquantibus aut conſtringentibus:

eſt

eſt enim id poris peruium. Dum enim calidum caput copiam vberrimam vaporum in ſe prolectat, quam cùm mitigare nequeat, iam tum, ſi superuenerit frigus, eam exprimit, non aliter ac ſpongiam aquâ plenam ſi quis preſſerit. Ita ſi auſtrali conſtitutioni aquilonaris ſuperuenerit, ilico caput calidum ac tarum conceptam materiam exprimit in ſubditas partes Hæc materia ſi diu in poris ac ſinibus cerebri ſubſiſtit, acrimoniam induit: ſin flatolenta fuerit,

Qvid patiës Mobile. *Gal. De instrumento odoratus.*

inde homines ſternutant. hæc de motore. Mobile eſt excrementum quod velitationem mouet, è cerebro exiliens. Cerebri autem excrementum geminum eſt, craſſum, & tenue. Tenue ſurgit ex fumis, qui, per ſuturas diſſici cùm debebant, à frigore in cerebro teſtagnant.

3. Sympt. cauſ. 4.

Craſſum, eſt muccus, qui ſœcundus eſt in catarrhus. Cum enim cerebrum indigeat alimento ſibi ſimili, nimirum ſanguine pituitoſo, qui continenter cerebro allabitur, plurimoque alimento ob molem cùm egeat, cúmque, ob imbecillitatem, totum nequeat in cerebri ſubſtantiam verti, ſed ſolùm id quod in eo optimum eſt, fit vt reliquum, quod craſſum aut tenue eſt, per nares aut palatum, vel aliunde excernatur. Sin ita luxuriarit vt hæc effundibula ei paria non ſint, catarrhi manant.

6. De ſanitate tuenda 9.

Hoc ſæpe euenit, quòd ſubſtantia cerebri ſit poroſa, eiuſque ſitus inſtar cucurbitæ, vnde fœtum eſt in excrementa. Hoc autem excrementum habet vnam vel plures ex his conditionibus quibus in vitio eſt: nam peccat vel in ſubſtantiâ, qualitate (nam copiâ ſemper in querelâ eſt) tempore, excernendi modo & viâ. Nam transfertur materia ad partes debiles ortu, vel caſu. vnde interdum fit tumor, qui varius eſt ex naturâ materiæ & partis recipientis: vel nonnunquam prohibetur tranſpiratio: inde febres periodicæ, quarum focus eſt circa corporis habitum. In ſubſtantiâ deprauatur excrementum, cùm eius forma vel materia labefactatur. forma, à putredine: materia, cùm in ſubſtantiæ modo vitium agnoſcit, vt ſi aquoſius vel lentius fuerit. Si putredine contaminatur, dolorificum erit pruritu vel vlceratione: & ſi per nares feratur, fœtore moleſtum erit. Tale excrementum euacuandi dabit indicationem. Si abſque putredine crimen agnoſcat, plerumque pituitoſum eſt; eſt etiam ſangineum vel bilioſum: huic phlebotomia ſolatio erit, ſi ſanguini permixtum: alioqui, pharmacia. Qualitate etiam primâ vel ſecundâ extra naturæ lineam abit excrementum. Secundæ notantur guſtu, olfactu, viſu. fœtidum & nidorulentum, calidum eſt: acidum, friget. rubicundum à ſanguine eſt: flauum, à bile. Sed vt rectè indicationes curandi in vſum ducantur, cauſæ erunt explorandæ, vi quarum hoc excrementum in cerebro gignatur. Cauſa eſt functio læſa. læditur functio, quia facultas coctrix impeditur vel labefactatur. labefactatur ab intemperie, qualiſcumque illa fuerit: frigida, calida (nam datur catarrhus calidus & acris) frigida & ſicca, calida & humida. vel ob materiæ copiam, aut qualitatem, vel ob externum errorem fatiſcit. Copiâ vaporum ſi obruatur innoxium etiam cerebrum, quia ei par non eſt, effundit ſe in catarrhum. Qualitate materiæ etiam labeſactari poteſt cerebri coctrix, quam qualitatem cerebri alimentum adduxit à cacochymiâ totius corporis, vel iecoris aut ventriculi à contaminatione. Ibi enim habitant officinæ concoctionis ac prædium totius. Hinc facilè clades maxima ſurgit diſtillationum: cùm inde incultum alimentum in caput profectum, illud non commodè nutriat. Propterea dicebat Aëtius, incoctus cibus in ventriculo perſeuerans, nec infra excretus, in caput imperum facit. A fotis fraudatur vis ventriculi ſuâ coctione, ſi cibus & potus non commodus nec commodè exhibitus fuerit: vt ſi acceſſerit motus intempeſtiuus, ſtudium à paſtu ilico: nam id diſſipat ſpiritus. A rebus etiam quæ à foris ſunt ſtupet interdum coctrix vis cerebri: vt ſi febriles vapores cerebrum feriant, & effluant: vel ſi, ob acciſum ſomnum, ſua anathymiaſi fraudetur cerebrum. Id autem obſeruabile, materiam catarrhi frigidam, interdum effundi à cauſâ calidâ: vt ſi pituita ſalſa vel acerrima materia, à frigeſcente cerebro exprimatur. & ex aduerſo, ſi materia frigida è corpore, in caput calidum abripiatur. Quibuſdam etiam à natalibus primis diebus imbelle eſt cerebrum: aliis, longâ paſſione fatigatum.

Cerebri coctrix vnde impediatur. Non omnis fluxus à cerebri vitio.

Impeditur autem coctrix cerebri facultas à morbis in malâ compoſitione qui caput fatigant: cùm in eo obſtructio vel aſtrictio obnaſcitur. Quidam doctiſſimi viri putant, cùm cerebri ampliſſima medulla copioſiſſimo egeat alimento, inde omnes, tanquam de fonte vberrimo, catarrhos excutere. Sed nos non exiſtimamus ſolius capitis excrementum eſſe tam copioſæ deſtillationis ſolùm materiam: Cur enim non aliquando vapor ab inferioribus partibus in caput elatus, ibique cerebri frigore in aquam denſatus, ſuo pondere delaberetur? Id in aëre euenire cottidie videmus, dum vapor è terrâ in aërem euectus, ac in nubem transfuſus, deorſum ſuo pondere delabitur. Ita in noſtro corpore æſtuans iecur, vapores in cerebrum euebit: qui deinde cerebri frigore in aquam verſi, protinus præcipitantur. Ita nouo ab alimento vbertima materia perpetuò in catarrhum capiti aduebitur. Hæc de mobili & eius cauſis: iam de termino ad quem.

Patiens, & terminus ad quem.

Vt pars fuerit ad quam fertur catarrhus, ita varia inuenit catarrhus nomina. Effundit ſe catarrhus in nares, os, oculos; maximè in partes foris poſitas: nam alioqui catarrhus dici nequit. Ita catarrhus in pericranio interdum tumorem attulit, quò venarum per faciem & tempora in caput irrepentium extrema deſinunt. quin cunctos percellere poteſt artus, fons & origo plurimorum morborum. Cùm ad nares, coryzam vocamus: Latini grauedinem, quòd anticæ ad frontem partes poſitæ grauentur, ita, vt vix oculus erigamus.

Varia nomina catarrhi.

Cùm ad os abit, propriè dicitur catarrhus: vbi guttur & larynga ferit, branchus appellatur, vnde raucedo & artericum vitium: ſi ad pulmones, tuſſim, aſthma, phthiſin adfert. ventriculum nonnunquam incurrens, temperiem & actionem eius labefactat. Quoties enim venæ capitis humore vel ſero multo turgent, alimenti reliquias aliò ablegant: quod ſi ſub cutem capitis has effuderint, quæ, præ cutis craſſitie, foras vaporare cùm nequeant, turgeſcentem eæ cutem à calua diuellunt.

Quæ, vel ſpatium per quod.

Viæ verò per quas defertur materia, dum extra cerebrum fertur, ſunt vel lege naturæ conſentaneæ, aut diſſentaneæ. ex naturæ lege effertur materia per os, & ſi copia circumfluat, auribus, oculis, naribus funditur. Diſſentaneas per vias manat cùm eliditur in gulam, laryngem, pulmones, ventriculum: ita in ſpinam, & in ſanguinem ſeſe laxat arterioſum aut venoſum. Si in ſpinam, vel in eam ſe firmat fluxa materia, vel ad artus irruit, aut in neruos incumbit, eorúmve ſuperficiem illinit ac perſtringit, ſentiúntque ſine dolore ſuccorum illapſum, non enim violatur nerui combinatio. Sin materia traiecerit per nerui intimas, atrociter dolent. quin ſi figatur materia, paralyſin, vel conuulſionem adferet. Arterias cùm inuaſit fluxio, ſyncopem & palmum accerſit. Venas ſi fatigarit, quaſvis incurrit partes, hinc angina catarrhalis, dum in

muſculos

Qui infestentur catarrho.

musculos faucium materia decumbit. Illud obseruabile, qui perspirabile corpus habent, catarrho non corripiuntur. Qui verò calido præditi sunt hepate, tenui ventriculo & sanguine, debili capite, stricto corpore, catarrho obnoxij viuunt. Maximè catarrbis obnoxios se faciunt, qui post vsum balnei, aut ab exercitio, capot detegunt in aëre frigido, flante Aquilone.

Signa causarum.

Hactenus causas attulimus: iam symbola enarremus quibus hæ dignosci possint: vt ita certò noscamus quæ sit caosa mali.

Ratione mobilis.

Mobile in catarrho est materia: hæc vitium trahere potest in substantiâ, qualitate, vel qoantitate.

A forma.

Substantia constat ex formâ & materiâ. Si formæ ratio in materia labefactata fuerit, id indicabit fœtor à putredine, quæ exstillanti materiæ inest. Cùm verò interdum materia angustis feratur viis, ita vt palatum non feriat fœtidâ vi, eius contaminationem nobis aperiet idea doloris, quam intulit parti. Vlcerosus enim dolor à putridâ acrique vi suceorom

Quid.

infertur: cùm in his excellat calor flammeus. Explorandum etiam num quæ putredinem inferunt, in vsum venerint.

A materia.

Materiæ ratione si in vitio sit succus, is erit vel crassior vel tenuior quàm naturæ lex postulat: vel viscosior, aut lentior: vel copia in vitio erit. Quare videndum quisnam is succus sit. num pituita, bilis, melancholia, vel sanguis. Id noscemus ex recrementis quæ ore, naribus, oculis manant. Si oculis conspicua non sit materia, eam agnoscemus ex effectis. Vt si exeretio aliqua solemnis suppressa fuerit, hinc erit: ita menses vel hæmorrhoides præter morem suppressæ, sanguinem morbificum arguunt. Cùm pituita vitium fecit, graue erit caput, insolens aderit somnolentia & se-

Notandum.

gnities, visus & auditus hebescunt. Sed cautè materiæ huius natura erit exploranda, ne ficta crassities fallat: mora enim in pulmonibus crassa euadit, exhaustis partibus tenuioribus, illa, quæ tenois influxerat. Hoc ita deprehendes: si totum expectoratum crassum fuerit, influxit prima materia illa crassa: sed si peripheria eius fuerit subtilis, ac

Signa quid fit.

mediâ regione si crassities constiterit, hæc primùm tenuis materia fuit: nam circumfluæ illæ partes tenuiores, iam iam influxere, nec dum exhaustæ

A qualitate. A calore.

fuere. Ratione qualitatis vel calidum aut frigidum redditur recrementum. Si calidus fuerit distillans humor, acris plerumque erit ac tenuis, & caput incalescit, febrémque consectariam sæpe trahit, tubetque nasus: in fronte, facie & oculis venæ turgent, ac facies rubet & calet, palatum etiam ruber, tussiculosi sunt, adest sitis, titillatio pruritus narium, & sternuit, arteriæ pulsant, cibi adest fastidium. Sapor in ore acutus, amarus, salsus, fœtidua est à calore. Ructus nidorulentus est interdum à catarrhi materia quæ se in ventriculum præcipitat. Sed tamen videndum (quod aliquando euenit) num is nidor eructetur ex materiâ frigidâ, quæ à capite in ventriculum præcipitata, ibi in corruptelam abierit. Triplici enim de causâ materia in putredinem trahitur: vitio alimenti praui delati in cerebrum: vel æstu flagrante à cerebro, vel quia diutiùs ibi hærens, cunctando putrescit. Dum enim in nutricatum partis non abit, putrescit; cumque inde in ventriculom dilabatur, ructus edit nidoru-

6. De sanitate tuenda 9. A frigore.

lentos. Frigidum succum in vitio esse notabit sapor insipidus vel dulcis, & ructus acidus. Exerementum etiam nigrum aut viride, sine sapore aot odore, valido est à frigore. plumbeus pallor faciem occopat: tenditur caput citra calorem & rubedinem: præcessit frigidarum rerum vsus. Copiam verò excre-

A quantitate.

menti explorabimus ex partium afflictarom numero, & ex amplitudine tumorum, si qui effloruerint.

Signa indicantia causas productrices recrementa.

Sed videamus iam quibusnam indiciis in notitiam causarum, quæ hæc excrementa proferunt, deueniре possimus. Hæc surgunt vel à labefactatâ virtute, aut à rebus quæ à foris sunt. A foris, vt si vitium fuerit in rebus assumendis, agendis, admouendis. vt ab ictu, lapsu, si cerebrum labefactatum fuerit; ita esu cæparum & allij læditur cerebrum. scribit Arculanus rosas & violas, ex proprietate, coryzas facere. & vinum potens, & somnus: vt etiam si venenum haustum fuerit: hoc enim elui nequit, ac ipsas corporis facultates peruertit, dum non aliter partium genium peruadat, quàm Assyrium venenum lanam: quod nullâ arte elui potest. Vel facultatis vis ita frangitur, vt nequeat causis morbificis resistere. Hoc illi euenit à morbo temperiei, aut à stricto obstructóve cerebro. Si catarrhus iam iam prodromon agnoscas carybarian, cui blandimentum suâ effusione attulit, certum erit obstructionis aut astrictionis vi primò natam hanc materiam fuisse. Sin, circa carybariam notæ caloris vel frigoris in conspectum se dederint, natalitia sua referet in fractam cerebri potentiam. Et perpetuò in causarum indagatione, animadoertendum erit, num ex fundente calore, vel potiùs stringente à frigore effluxio hæc oborta fuerit: qood ex prodromis, quæ à foris sunt causis, facilè animaduertes.

Nota. Termini à quo, & ad quem.

Vt rectè notes etiam vnde effundat se catarrhus, notabis num membrum aliquod aliud quàm caput in qoerelâ sit: si non, per idiopathiam erit. Pars verò quæ fluxum excipit succum, ipsa se afflictione aperiet. si in arterias se præcipitant, suboritur palmos, lypothymia, modò inquinata fuerit materia malè: alioqui solùm langescet inæqualis pulsus. Sin in venas labatur, sanguinem fœdabit, vnde cacochymia: nam refrigerabitur sanguis, intumescetque corpus: vel obstructis venulis nutriri nequit corporis habitus, vnde febres τυφώδεις, & errones, vrinæ crudæ, pallidæ, cum spumâ. adest lassitudo vltrò oborta. Si in ventriculum sese laxaris effusio, eius œconomia delicietur. Vt enim variæ sunt corporis partes, & varij meatus quibus irrepit materia in partes, ita diuersis se symbolis proferent. Attamen peruestigabis num per idiopathiam pars lædatur, vel à catarrho: si à catarrho, præambulonem habuit querelam capitis ille partium dolor. Si homo subitò exuitur voce, catarrhus non in pulmones, sed in neruos recurrentes, qui mouent musculos laryngis, incumbit. Si sensim id fiat à madefactâ tunicâ laryngis internâ, ac humectis id euenit musculis. Plerumqoe catarrhus est aluinus, arthriticus, aut tussifer. Satis de naturâ catarrhi: iam ad medicinam veniamus, ac scopos medendi, ex perspectis eius mali causis, vene-

Indicationes curationis.

mur. Scribit Aëtius rimandam esse causam ac diætam præcedentem, ac ita contrariis remediis pugnandum: frequenter enim ex causis procatarcticis caput impletur vel infirmom redditor. Sed propiùs ad rem eamus. Cùm catarrhus sit fluxio emanans à cerebro ad subiectas partes, facta vel ratione cerebri, vel partium inferiorum, vel ratione vtriusque, aut vi causarum quæ sunt à foris, aut omnium harum consociatarum, consectarium est, horum nos rationem habere debere. In primis se offeront terminus à quo, nimirum cerebrum; & terminus ad qoem, qui

Indicatio à termino ad quem.

est pars recipiens. Quare indicationes sumendæ etiam ab horum natura Natora autem membrorum cùm consistat in consideratione substantiæ ex quâ pars coaluit, vt an ex carne, venis, neruis, arteriis: & in notatione modi substantiæ, vt num pars sit naturâ laxa, solida; quâque temperie illa sit perfusa, vt num calida, frigida: quâ sensibilitate sit prædita, nobilitate, operatione, situ num profundo, quâ societate

cæte

cæteris sit nexa: sanè hæc omnia, in catarrhi curatione rectè instituendâ, in censum erunt euocanda Nam vt varia erit excipientium natura patrium, ita variæ nasceotur medicinarum indicationes. In primis ergo videndum erit, ne pars ampliùs recipiat materiæ influxom. Hoc fiet corroborarione membri impropriè ita dicta, bæc fiet repelleotibus, adstringeutibus, & auersione. quæ auersio perpetuò locum habet: non

Si ad pectus.

æquè tamen bæc iam dicta corroborario, nam materias, quæ per spirabilium partium venas defluuut, nō rebus quæ foris admoueotur, repereuriemus: id enim

5. Methodi.

pericoliplenum; cùm refrigeratæ illæ partes apriores fluxibus euadaor. Quare assumendis in rebus hæc adsit repercutiendi vis. Sed hæc non siot cuiusuis generis, quale est philonium: verùm gerant vim non admodum frigidam, nec strictâ vi obstruentem, ne pectus exasperent, qoalia suor electaria facta ex sueco granatorum, balaustiorum, mespilorum. Cùm enim hæc arteriam exasperent, russim prouocent, piruiram pulmonibus illapsam sicceot, bioc asthma, & sputum

Qualia sint roborantia pectus in catarrho.
Historia.

sanguinis. Sint igitor hæc roborantia moderatione quadam frigida: imò repore quodam persusa. talis est theriaca ooua. Olim inuisi quandam mulierem perniciosâ tussi fatigatam, adeò, vt nec interdiu nec noctu somnum admitteret. huic, postquam omnium medicorum suotum medelas frustra tentasset, theriacam nouam propinaui, ac mox fugatâ tussi, redintegrata fuit. Præbemus etiam diaspermaton: vel etiam modestè siccantia, vt couseruam rosarum, cuius vsu asserit Auicenna se phthisicos curasse. vtimur etiam syrupo myrtillorum, syrupo de iuiubis: hæc leniter astringunt sine exasperatione. syrupos de siliquis cum bolo, sanguinis spuri metum aufert: nam stiptica lenienribus hîc consocianda: & acida, si quæ ad incidendum præscribi debeant, dulcibus remiseeantur. Nisi enim catarrhus in thoracem illapsus, intra vigesimum diem expectoretur, asthmaris metum adferet. Recipiens ergo pars roboretur, ne amplius maretiam admitrat; & reuellatur ea materia ab affli-

Indicatio à termino à quo.

gendâ parte. Membrum verò mandans in catarrho est cerebrum: boe fabricam suam habet ex substantiâ medullari, membranis, venis, neruis, arteriis, & plorimis foraminibus. Indicatio hinc fiet, materiam commodè duci ac trahi posse par laxos meatus ratione verò situs, cùm sit in superioribus, quòd, si phlebotomiâ opus fuerit, ea commodè fiet cephalicâ in venâ Quod ad cerebri remperiē attinet, ea est frigida & huoida, indeque lasciuiens quædam pituitæ copia: vnde euacuandi naseetur indicatio per meatus emunctorios: quod fit apophlegmatismis & errhinis. Tandem roboretur caput, quod generat, vel suscipit materiam. &, si illi astricto adsit, ea abigatur: si raritas, roboretur. si intemperies, siccetur caput dropa-

Indicatio à spatio per quod.

cibus. Loca etiam per quæ labitur catarrhus indicabit agendi modum: si enim feratur per venas, phlebotomiam denunciabit salutarem fore: vel per vrinalia remedia eam abduci posse, modò materia non

4 Sanit. tuenda.

admodùm sit eruda. Quodsi materia viam fecerit per asperam arteriam; bechicia remediis ea euocabirur: si per gulam decurrat, vomendum esse significatio fiet, si modò vomat ex facili, nec cephalalgiæ aut ophthalmiæ fuerit obnoxius: cùm enim ab bia metus est, secessu aluino feliciùs excludetur. Per neruos & spinalem medullam cùm viam affectat, & si ibi materia frigida moram nectat, aderit indicatio eam coquendi & digerendi, attenuandi, ac euacuandi efficacissi-

Si fluat à cerebro & toto corpore.

mis remediis, qualibus fugamus spasmū. Quodsi mēbrum vnde dimanat excrementum non solùm fuerit cerebrum, verùm etiam corpus vniuersum, nascetur in primis indicatio euacuandi totius corporis, dein capitis postea corroborandi. Totius euacuatio fiet phlebotomiâ: tum qoòd piruita per venas defluat; tum vt eà auersio fiat, ne rumpatur vena. vel totom euacuabitur pharmaciâ, si extra venas illi succi constiterint, vt si pituita ventriculum occoparit. Postea ad capitis euacuarionem erit eundum apophlegmatismis, errhinis, gargarismis. Dein caput erit roborandum. duplicia sunt roborantia; quædā impropriè ita dicta; vt cùm, strictâ quadam remediorum vi, ita arctamus membrum, quò ægrè se aperiat allabeotibus succis. altera quæ propriè dicitur corroborario, fit, cùm membrum reducitur, ad naturalem babitum à quo abiit: hoc fit, calidi innati, spiritus, humorum, ac solidarum partium reparatione. ergo cùm caput labitur ad intemperiem frigidam & humidam, calore & siccitate erit reuocandum. His notatis, animaduerte-

Indicatio à mobili.

mus etiam materiam fluentem, quæ sui euacuationē indicat; quòd copiâ vel qualitate vitium fecit. si crassa, attenuandi: si fuerit frigida, vel calida, moderaoda. si irruat in partem principem, cuius officio vita carere nequit, reuellendi, & intercipiendi. Hoc est quod scribit Galenus quioto Methodi, cauendum ne æger sanguinem spuat, eroso pulmone, sed vt expectoretur materia: secundò, vt roboretur recipiens membrum, & materia corrigatur: tertiò vt prouisio capitis habeatur. Ergo phlebotomia quibusdam vtilis erit, aliis purgatio, vt mulieri Romanæ euenit: & clysmis, bonâ diætâ, theriacâ, diaspermate. & tandem quæ siccāt caput vtendum. Ablato excremento, vitium, ex quo euenit excrementū, castigetur. Propterea causæ proferentes excrementum notæ esse debent. Producitur ergo excrementum quia virtus læditur: id fit rebus quæ sunt à foris, vel ipsa labefactatur, aut impeditur. Si à rebus quæ à foris sunt illa affligatur, hæ amoueātur. Si labefacterur à violatâ temperie, illa restituator calidis vel frigidis, vt opus fuerit: si calor & squalor adsit, madefaciendū, ac algiosam vim inferemus. Quare rectè distingue causas. Si impeditur virtus vt ab astrictione, laxetur ea. Si adsit causa colliquans, frigefaciendum: si exprimens, calfaciendum. Quare primò totum corpus euacuetur & pars: secundò fiat reuulsio ad opposita: tertiò, vitium in membro corrigatur, & recipiens roboretur. Iā ad Progoosin abeo.

Prognosis.

Breue malum, inquit Celsus, sed neglectum, longum esse consueuit. Fit catarrhus in thurace interdum: qui si diu permanserit, & pulmones inusserit, phthisin insanabilem facit: maximè si puttedine fœdatus, salsus, & acris fuerit. Calidus catarrhus in iuoenibus & biliosis est periculosus: nam effœtâ in senectute est irremediabilis: quòd nec maretiam erudam mitiget senex, nec rectè expectoret, ob laterū infirmitatē. Qui fit à perenni capitis dolore, ægrè curatur: qoòd frangatur ita vis cerebri, & quòd noua semper materia attrahatur. Calidius caput quod est, à rebus quæ à foris sunt facilè in catarrhū rapitor; ob pororum dilatationem. qui verò frigidiore sunt capite, à causis internis potiùs affliguntur. Humidum caput facilè ab vtrisque his causis percellitur. Qui catarrhus per idiopathiam afflicto à cerebro euenit, si diu perseuerarit, ratò curatur. calidus catarrhus à causâ frigidâ motus, ægrè curatur; attamen is ægrius, qui, à causâ frigidâ, materiam frigidam etiam agnoscit. Si ad inferiora se præceps catarrhus demerserit, læsis præcordiorum vitalibus locis, aquas iosigit, inquit Q. Horatianus, & tandem pedum loca occupat, difficilè remooendus. Testatur Arculanus, speneticos non esse catarrhosos, ob materiæ crassitiem, & partis excipientis hoius infirmitatem: & ex aduerso Sed maximè destillarionibus fatigantur, quibus cor, vel bepar, vel renes ferueot, imbelli capite. His periculum est, ne humor præcepa in pulmones se voluat. vnde Celsus, Nihil pestiferū est, nisi quod pulmonem exulcerauit.

&

& Aculanus testatur se plures vidisse, qui viginti-quattuor horarum spacio suffocarentur. qui etiam in *4. Aph. 16. 1. Symp. caus. 7. 2. Aph. 20.* arterias proruit, periculi plenus est. Tempestate Austrina à catarrhis nascuntur anginæ: vel si ad ventriculum abierint, appetitum lædent: non enim omnis frigidus succus est auctor famis, sed cui iungitur siccitas. His rectè perspectis, ad medelā nos vertemus.

CVRATIO. In primis perlustra num catarrhus & causa eius cōueniant: interdum enim à liquante calore funditur materia frigida: & ex aduerso, materia calida exprimi potest à frigore. Tunc animaduertemus quidnam grauius vrgeat: multum tamen causæ tribuendum: Razes enim calfacit etiam in calido catarrho & in catarrho frigido, cùm ab ardore vel Sole enatus fuit, frigidis vtemur. In leui tamen causâ, & forti catarrho, primùm de catarrho solliciti erimus, non neglectâ causâ. Si irruat catarrhus è toto corpore, vt si febri implicitum id fuerit, illa curetur, non neglecto catarrho. Cautio adsit vt initio abstineas ab omni

CHIRVRGIA. Phlebotomia. agitatione foris & intus, vt à sternutatione. Sed è ne vena his secanda? Si, inquit Razes, vsu liniet calidi non se remiserit affectus, vena erit secanda: id enim denotat materiam sanguini esse remixtam. Hoc notabis maximè si facies rubeat & oculi, cum tensione venarum. Alioqui, cùm nullæ notæ grauis plethoræ se proferunt, & si nec pulmones nec latera malè afficiantur, aut mammæ doleant, sola pharmacia satisfecerit. Frigidus enim catarrhus à febre munescit: illi ergo non sanguinis blandimentum adimendum est. Sed vbi caput corpusque calent, ac salsus succus si fuerit, cùm materia quæ à sanguine non longe abit, venam aperire licet, cùm de spirabilibus periculum *1. Method. 13.* est partibus. Plerumque magis purgatione quam venæ sectione catarrhis opus est: quòd cacochymia potiùs quàm plethorā fatiget. Quare parcā manu sanguis eliciatur; & maximè adsit studium vt catarrhi succus temperetur. Razes in catarrho calido, ab externo frigore qui exprimitur, secat venam, si à pannorum calidorum admotione non subsiterit: materiæ enim vbertatem hoc denunciat. Quæ vena pertundenda? Razes secat cephalicam, si à suppressis fuerit mensibus, saphena aperiatur. Cucurbitæ lumbis

Canteria. affigantur. Cauteriorum commodus vsus est, ob perennem materiæ generationem, ex partis fracta œconomiâ. Imprimatur id capiti sensim, cum stylo tē-*Consil. 56. pro nobili Veronensi.* tando. Nam commodè capiti inferri debent: alioqui damno esse solent, vt prudenter admonuit Mōtanus, vbi ait, A cauteriis capiti adhibendis, etiamsi viderim in his magnos effectus, abhorreo: nam rarò cōmodè ea fieri posse scio; & vt bene fiant, magnum semper adest periculum. Et vidi ego Venetiis puellam, & Patauij adolescentem, vtrumque à catarrho non desperato, ab admotis cauteriis miserè periisse, cùm tamen ab excellentissimo chirurgo & sine dolore fierent. Huius verò causam existimo fibras illas duræ matris transeuntes meatus cerebri, & alligātes cerebrum cum neruis commixtis, qui sunt valde sensibiles, vnde factâ adustione ad os vsque, illæ partes facilè læduntur, inde spasmus. Præterea sunt quædā capita quæ habent suturas valdè largas, per quarum commissuras maiores etiam duræ matris portiones transeunt, quæ proinde facilè læduntur. Si tamen hæc bene imponantur, ita vt non adurantur nerui, prosunt. Sed inde est periculum. propterea Galenus non meminit cauterij, sed vesicatorij, vbi de pulmone periculum est. Arabes potiorem cauteriis fidem dedere. Sed ilico agendum; periculi plena hîc est mora. Suturæ coronali imprimatur, si ex idiopathiâ

Si ad spinam. laborarit cerebrum: alioqui cruribus. Si in spinam se præcipitet è capite fluxio, adeò vt gibbositatem moliatur, ea intercipiatur, impresso cauterio super secūdam ceruicis vertebram. Locus digito facilè percipitur: nam prima vertebra caret processu. Ab impresso cauterio, ilico linteamentum impone madens liquore, qui factus sit ex aquæ rosaræ vnciis duabus, aceti vncia, & albumine oui. Sedato dolore, escharā amoue, impositoque tetrapharmaco, ex duplici pice nauali, colophoniâ, & vitulinâ pinguedine, hæreat pertriduum. Quo amoto, obruretur foramen globulo ceræ, & folium hederæ superpone, vel foliū brassicæ calidum axungiâ illitum: ita diu patebit. bis die mundetur. Vel cantharides cum fermento ponè au- *Phœnigmi.* res apponimus. Aut sinciput abrasum fricatur cæpâ, & sinapi vesiculæ excitantur: excisis brassica imponitur. Vel accipe nigellæ torrefactæ vnciam; sinapi, thuris, cuiusque semunciam; masticis drachmas binas; fæcis columbinæ, farinæ hordei, singulas vncias; oxymelitis scillitici quod sufficit vt fiat cataplasma: impone regioni suturæ coronalis. In summo fluxu accipe ladanum, & gummi elemnium, cum myrrhâ; fiat ex his emplastrum capiti admouendum. Quidā, in vertice capitis, magnam capillorum partem vellicant vehementer, donec crepitu cutis ab osse recedat: ac ita coryzam & destillationes sistunt ex vtrâq; causâ. Primò frica caput: secundò cucurbitam ad- *Compendium curationis.* moue: tertiò emplastrum impone, & da vitam pilulam ex styrace cùm somnum inibit. vel da theriacam nouam. Quantum ad phlebotomiam, Græci & Arabes nullam admittunt nisi adsit plethora, generatioque catarrhi à causâ calidâ vt pore hepate calidiore, & subtilissimo in sanguine qui prolabitur in partem cuius officio vita carere nequit; & si febris iunxerit se. Et cùm ex fluxu suff[illegible]ationis imminet metus, aut phthisis: si non ad leu[illegible] aegrum, saltem ad reuellendum humorem Hactenus *PHARMACIA.* de venæ sectione: iam de pharmacia. Vt materia morbifica varia est, ita etiam lenientia & purgantia medicamenta differentia præscribuntur. Nam bilis feliciter syrupo rosaro; pituita melle rosato laxatiuo, melancholia diluto polypodij, epithymi, fumariæ, & foliorum sennæ excluditur. Sed non ilico ad purgantia hîc receptus erit: quin potiùs primùm dometur aliquantulum catarrhifera materia. Nam vt scribit Plutarchus ad Apollonium,* [illegible] nec, inquit, optimi medicorū, ad copiosos affluxus catarrhi statim pharmaca adferunt, sed sinunt maturescere. Quin id etiam in animi affectibus verum esse, Oceanus, apud Æschylum, prodidit: qui Ionem non in primo iracundiæ feruore, sed postquam iram concoxerit, orandum esse Prometheo suadet. Quodsi ergo inducias materia dederit; si sanguini remixta fuerit illa (separetur vt faciliùs coctrice vi, vtque promptiùs excludatur) præparanda erit; vel saltem meatus corporis meabiles fiant: ne fiat via vi. Si materia frigida fuerit, vtemur decoctis *Præparantia. In materia frigida.* & syrupis ex betonicâ, scabiosâ, prassio, hyssopo, salniâ, maioranâ, capillis veneris, stœchade, liquiritiâ, passulis, botryde, calamo aromatico; melle rosato, oxymelite. syrupo betonicæ, stœchados, capillorum veneris, de duabus & de quinque radicibus, de prassio, cū decocto pectorali. Vel hoc modo: Accipe syrupi de hyssopo, de stœchade, mellis rosati colati, cuiusque sescunciā, decocti betonicæ, maioranæ, adianthi, librā: fiat iolabiū. Aliud: accipe radicū rusci, asparagi, graminis, aenii, liquiritiæ, singularum semunciam, betonicæ, melissuphylli, hyssopi, maioranæ, adianthi, singulos manipulos; vuarum passarum, ficuum (ob pectus) cuiusque sescunciam, florum stœchados, rorismarini, singulorum pugillum; trium florum cordialium pugillos duos: coque ex aquâ, ad li- *In subtili materia frigida.* bram: dulcoretur saccharo, & aromatisetur nucis muscatæ & iridis, cuiusque sesquidrachmā: bibatur in diluculo

** Vnū est, tempus omnia concoquere solet.*

diluculo diabus quatuor. Si materia hæc frigida fuerit tenuis & aquosa, præscribemus calida & sicca: talis est syrupus de myrto, cum melle rosato, misceantur cum decocto thuris, gummi iuniperini, nucis cupressi, macis, caryophyllorum, sũmachij, coriandri, schœnanthi, radicis cyperi, masticis, adde semper quid glycyrrhizæ.

In calida materia. Quodsi catarrhi materia fuerit calida, absint aperientes syrupi. syrupus violaceus optimus est, pandit enim alas pulmonũ, ac frenat efferam bilis vim. Confert syrupus nymphææ, iuiubarum, papaueris. semen psyllij vtile est: dantur syrupi cum decocto hordei. Accipe lactucæ, endiuiæ, portulacæ, boraginis, violarum, nymphææ, singulorũ manipulum; seminis melonum, cucurbitæ, lactucæ, cuiusque drachmam; glycyrrhizæ, passularum singulas vncias; pruna decem: coque ad tertiæ partis consumptionem, vt restibilis sit libra: adde syrupi papaueris, & violati, cuiusque sescunciam: fiat potio, quæ drachmâ cinnamomi aromatisetur. Initio addes syrupum papaueris, vel diacodium. Aliud, Accipe serapij iuiubini, & violati, cuiusque sescunciam; aquæ hordei libram: bibat per triduum in diluculo. Aliud, Accipe glycyrrhizæ vnciam; iuiubarum, sebestẽ, singulorum semunciam; seminis papaueris albi, sesquidrachmam; trium florum cordialium pugillum: fiat decoctio ex aquâ, ad libram: dulcoretur saccharo, & aromatizetur sesquidrachmâ santalorum citrinorũ: bibat in diluculo vncias quattuor. Aliud, Accipe foliorum lactucæ, endiuiæ, portulacæ, violariæ, singulorum manipulum; iuiubarum, sebesten, cuiusque xij. seminum quattuor frigidorum maiorum vnciam; seminis althææ drachmas duas; florum cordialium, rosarum, & papaueris rubri, singulorum pugillum; glycyrrhizæ vnciam: fiat decoctio ex aquâ hordei ad libram, in colaturâ dissolue sacchari penidiati & syrupi violati cuiusque vncias tres; pulueris diatragacanthi frigidi binas drachmas; santali albi & rubri, cuiusque scriptulos duos: fiat apozema: vtatur cyatho manè, & ante cænam. Pauca remedia frigida inuenias pectori, catarrhis obsesso, commoda: propterea aliquantulum fusiùs illa descripsi.

Purgantia. Cùm naturæ vi materia catarrhifica à cæteris succis separata est, excernatur pharmacorum vi.

Bilem. Materia cùm est calida, tenuis, quæ ad pectus labitur, homo excipiat cassiam ex vnciis tribus fistularum eius: sumat horam ante prandium; vel capiat mannam ad vncias tres. Accipe mannæ, penidiorum, singulas vncias: adde syrupum rosatum laxatiuum, qui paratur cum rhabarbaro: diluantur cum aquâ cichorei cui incoxit tamarindorum semuncia, & aliquid rhabarbari, si ita videtur: vel iunge quid electarij lenitiui. Aliud: Accipe syrupi rosati laxatiui vncias duas; seri lactis vncias tres. Vel accipe rhabarbari sesquidrachmam; tamarindorum semunciam: macerentur horis vigintiquatuor in aquâ endiuiæ: colaturæ expressæ adde syrupi rosati laxatiui vncias duas, fiat haustus. Aliud: Accipe electarij lenitiui semunciam; electarij de succo rosarum drachmas duas; syrupi violati vnciam; decocti pectoralis vncias quattuor: misce: sumat in diluculo. Sæpiùs, dum circumfluit humor, hoc agendum antequam sistas catarrhum.

Pilula. Si suffocationis periculum imminet, statim initio, antequam præpares, pilulas purgatrices præscribe: vt pilulas aureas, quibus grana tria vel quatuor scammonei iunge. Qui sæpe catarrhis conflictantur, talem massam apud se seruent: Accipe massæ pilolarum sine qoibus, & pilularum ante cibum, rhabarbari poluerisati, specierum hieræ, singulorum drachmam; aloës non lotæ, ad pondus omnium: macerentur in infuso scriptulorum duorum agarici recenter trochiscati, infusi in syrupo rosato laxatiuo: fiat massa: sumat drachmam. Si adsit tussis, miscebis pilulas aureas cum pilulis de agarico. Razes ad tussim vnà colliueans, ita, Accipe iuiubas viginti, sebesten triginta; passularum vnciã; violarum semunciam, glycyrrhizæ drachmas quinq; ficus decem: coque ex tribus aquæ libris, ad duarum partium exhaustionem, & colo traiiciatur: colaturæ adde cassiæ drachmas septem; mannæ drachmas decem. Idem laudare videtur Autelianus: nam materia non est valide agitanda, sed potiùs sistenda. hæc sententia Cœlij Aureliani, qui ait, Si venter officium suum non agnouerit, simplici ventris laxatiuo vtendum erit. Polypodium proprietate quadam vacuat materiam salsam.

Pituitam. Si pituita fuerit molesta, purgetur agarico, pilulis de agarico misce coccias pilulas. Accipe rhabarbari, agarici, aloës, cuiusque drachmam; zinziberis, nucis moscatæ, caryophyllorum, singulos semiscriptulos: in puluerem singula per se vertantur: consperge succo rosarum puro: siccentur; & id repetatur sexies: & cum oxymelite fiat massa. Diacatholicum, electarium Indum, diacarthamum, pilulæ aggregatiuæ; masticinæ, hæc pituitam eiiciunt. Accipe agarici recenter trochiscati, sesquidrachmam: macera in decocto betonicæ, adianthi, stœchados, cum decocto pectorali: expressioni adde catholici semunciã. Aliud. Accipe agarici recenter trochiscati drachmas duas; zinziberis scriptulum; vini vncias duas; aquæ absinthij & fœniculi, vtriusque vnciam: cola, exprime: adde electarij Indi maioris drachmas duas; oxymelitis scillitici semunciam: fiat potus. Myrobalani vtiliter præscribuntur, ob strictam vim quam à factâ purgatione relinquere solent in partibus.

Peculiaris capitis purgatio. Prouisione habitâ de toto corpore, cùm nimirum illud ab onere prementis materiæ expeditum est, ad capitis euacuationem accedemus. Id euacuatur per os, & nares, quare apophlegmatismis, gargarismis, & errhinis vtemur.

Cautiones. Eâ tamen cautione, vt à gargarismis abstineamus, vbi tenuis est materia: & etiam cùm materia in pectus irruit: vel si homo obnoxius fuerit tabi, vel asthmati: aut si suffocationis periculum adsit, spirabilibus partibus oppressis ab influente materiâ, & si vberrimâ copiâ catarrhus in vitio sit. quin etiam si ad fauces, & ventriculum se præcipitarit materia, pax sit cum his quæ in os prolectant materiam catarrhificam.

In calido catarrho. Tunc enim errhinis potiùs indulgendum & sternutatoriis. Sed tamen, dum cruditas materiæ refragatur, hactenus cunctandum à sternutatoriis, dũ illa ad pepasmum venerit.

Gargarismis vbi locus. Attamen gargarismi rectè præscribuntur in calido catarrho, si hi fingantur ex rebus astringentibus; vt ex aquâ rosatâ cum syrupo papaueris, vel diacodio: sed meliùs hæc ore solùm teneutur: quin etiam locum habent in crasso catarrho, ex oxymelite scillitico, & etiam dum metus est ab anginâ, tunc diamoro vtimur. his ergo tribus in locis vtilis est gargarismus. Quare vt exactiùs hoc dicam, vbi ad pulmones labitur, his non vtemur: nec in calido tenuique catarrho gargarismis; sed ea quæ crassefaciendi vi splendent, ore tenentur. nec etiam bis indulgendum in magno subitoque oborto catarrho.

Sistentia catarrhum. dum enim cum impetu affluit materia, hoc decoctũ ore teneat: Accipe radicum glycyrrhizæ, cyperi, boli, corticum thuris, cuiusque binas drachmas: myrtillorum pugillum vnum: coquantur omnia aquâ plãtaginis: colaturæ adde diamori sescunciam, mellis rosati semunciam: hoc astringit & lenit. adiici possõe passulæ, & papauer album in tenui materia: si enim illa non tenuis fuerit, satisfaciet syrupus glycyrrhizæ. aut aquâ frigidâ gargariset cũ syrupo myrtillorũ, granatorũ, cydoniorum, papaueris. Vel fiant trochisci ad eundem vsum: Accipe radicum cyperi, thuris, masticis, cuiusque semidrachmam; boli Armeniæ, abluti aquâ rosarum, vel terræ sigillatæ, drachmam;

gummi

gummi tragacanthi vnciam ; carnis passularum non mundatarum semunciam : cum syrupo violaceo vel papaueris, si admodum tenuis sit materia, fiant trochisci, qui ore teneantor dum materia fluit. Si materia admodum acris fuerit, vsui erit gargarismus frigidus ex syrupo myrtino, & rosato de rosis siccis, ex aquâ vel decocto plantaginis: vel saltē ore teneatur. Quods. catarrhus gignatur ob cranij densita[illegible](boc enim euenite senescentes boues indicant, q[illegible]bus quòd densius illis cranium euadat, nec cornua ampliùs incrementa ducant, dentes corrumpūtur illapsu succorum) phœnigmi vsui erunt, quæque capiti admota reuellunt succorum effusionem. ego decocto chamæmeli & meliloti ex lixiuio souere caput soleo. Interdum sinapismum capiti inferimus: vel fermentum cum cantharidibus & aceto horis duodecim capiti imponimus: hinc vesicæ, quas aperimus; ac brassicæ folio axungiâ illito regimus. Sed die quinto innouanda est hæc vesicatio, ad quadragesimum vsque diem. Vaporationes conferunt calidis catarrhis. Coque in aceto rosas & myrtum, fiat vapor super ignitum lapidem. Ita santala & cortices granatorum. interim semina cydoniorum ore teneantur. Scribit Aurelianos, omnia quæ caput implent esse vitanda, maximè accessionia tempore. In linimento verò, atque interiecto tempore per interualla adhiberi poterunt. Quare reiicit odorata, vt iridem, melaurhium, anisum, cuminum, rutam, myrrham, thus, sulphur: nam, dicit, caput implent. Accipe fabas quæ torreantur, & in aceto maceratas odorentur. Studendum vt sistentibus noctu & à cænâ vtamur: quæ enim insedit iam spirabilibus partibus materia, debet expectorari : sed noctu eò fertur maximè materia: nam somno intrò succi repunt : tunc diacodio ac tragacantho fruantur. Sed de die expectoretur materia (nisi violentet irruat) syrupo violato, non papaueris : nam is expectoratum non promouet. Quare magnâ religione ad sistentia venimus. Nisi enim graoia vrgeant symptomata ; sistentibus non vtemur ante humorum purgarionem ac eorum reuulsiooem. Attamen si ita effundat se humor in pulmones vt grauissimam tussim, vigilias, metum suffocationis aut exolcerationis acerrimâ vi adferat, ilicò, & ante purgationem sistimus hunc effreoē motum. Vt theriacâ vtimur nouâ, vel philonio cum decocto olibani; diacodio, pilulis de cynoglossâ, syrupo papaueris; decocto portulacæ, papaueris, boli, gūmi iuniperi, cum diacodio. Accipe rosarum rubrarū manipulum; seminis papaueris albi, olibani, cuiusque sesquidrachmam: coque ad libram : adde syrupi papaueris vncias tres ; syrupi glycyrrhizæ vnciam: fiat iolabium. Accipe conseruæ rosarum antiquæ vnciam ; diacodij, diatragacanthi frigidi, cuiusque semunciam; syrupi rosati de rosis siccis quantū satis est vt fiat linctus. Cubaturus sumat drachmas duas ex hoc puluere. Accipe masticis, olibani, cuiusque semunciam; cydoniorum seminis sescunciam: superbibat parum aquæ frigidæ. Accipe diacodij vnciam; syrupi papaueris vncias duas ; boli drachmas duas; caphuræ scriptulum : teneat aliquoties cocbleatij mensuram in ore. Aliud : Recipe seminis papaueris, lactucæ, siogulas drachmas ; amyli, diatragacanthi frigidi, singulorum semunciam; gummi Arabici, boli, tragacanthi, cuiusque semidrachmā ; opij scriptulum ; sacchari rosati, succi glycyrrhizæ sesquidrachmam: misce: fiat massa solida cum succo cydoniorum & aquâ infusionis tragacanthi teneaor quid huius ore. Vel præbe vnam pilulam de styrace cùm somnum inibit. Ruellius præscribere solebat gargarismos ex decocto agrimoniæ, plantaginis, rosarum, sumachij, seminum portulacæ, papaueris, plantaginis, passularum, hordei tosti : colaturæ addebat diamorum, & mel rosatum. Vt in calido catarrho vtiliter vaporationes ; ita in frigido, suffitus cōmodè admouentur. Progresso ergo in morbo, vbi frigida materia in vitio est, suffitus fiant ex aridis foliis nicotianę cuius syrupus etiam commodè exhibetur. myrrha foco in fumum abeat. Fiant gargarismi ex decocto hyssopi, saluiæ, calaminthæ, stœchados, botryos, nicotianæ : adde passulas, & interdum iunge cubebas, vel pyrethri, aut corticum radicum capparorum binas drachmas (nam Aurelianus gargarismata ex sinapi laudat) coquantor horum quædam ex aquâ vel vino. libræ decocti adde oxymelitis scillitici duas vncias. Naso quin vt profundatur etiam materia capite concepta, accipiemus succi betæ, decocti maioranæ, cuiusque sescunciam; mellis semunciam : ferueant parum ab igne: fiat errhinum. misce interdum quid piperis, vel succi iridis, vel cyclamini. quin purgantia quædam interdum eo decocto diluuntur, vt turbith, agaricum, elleborum. ita periculo pulmones eximuntur. Apophlegmatismis etiam in os prolectatur cephalica materia : accipe masticis drachmas duas, corticum radicum capparorum, pyrethri, piperis, singulorum drachmam: inuolutâ sindone masticentur. Foris etiam, præter phœnigmos & sinapismos, quædam admouentur remedia. vt si à calore malum sit, euacuato toto, ineat dulce balneū: ac dein calidâ foueat caput : tandem vnguento rosato vngantur nares & caput. vel oleo rosato completo : in principio tamen sit oleum omphacinum, inquit Nonus. vel vngatur caput & testes oleo violato & nymphææ. Manus & brachia lauet decocto lactucæ, nymphææ, foliorum salicum : summitates anethi adde. Pulueres etiam capiti, vbi sutura coronalis est, insperguntur : ita siccatur materia, & pori aperiuntur. Accipe santali albi & rubri, florum nymphææ, violarum, foliorum myrti, santalorum, seminis papaueris, & capitum papaueris, singulorum drachmam: fiat puluis; vel excipiatur bombace, vt fiat frōtale. Cùm frigus à foris exprimit materiam, Raxes linteum calfactum admouet capiti, dum sentiat æger calorem penetrasse profundum capitis. Arcemus etiā materiam à capite emplastris : Accipe gummi iuniperini, rosarum rubrarum, corticis thuris, santalorum, myrtillorum, caryophyllorum, cuiusque scriptulū: fiat puluis, qui inspergatur suturæ coronali: vel cum oleo myrtillorum aut cydoniorum, & cum cerâ, & paucâ resinâ fiat emplastrum, temporibus, & eâ parte frontis quâ pulsat arteria apponendum. Si frigus in vitio sit, & si homo fuerit senex, Accipies styracis calamitæ, caryophyllorum, spicæ, myrrhæ, singulorum drachmam; galbani drachmas tres; thoris, masticis, gommi iuniperini, singulorum drachmas duas; euphorbij semiscriptulum: fiat ceratum: adhibeatur eâ parte frontis, quâ arteriæ pulsant. Lauet caput in lixiuio in quo coxit agaricum : id agat bis in septimanâ. Si diu fatigarit, illinat caput aquâ vitæ, & guttulam olei terebinthinæ immittat auribus cubaturus ; hæc bombace muscatâ excipiatur. Aliud: Accipe rorismarini, betonicæ, maioranæ, stœchados, florum chamæmeli, cuiusque semimanipulū; nigellæ Romanæ semunciam: coque in lixiuio ex cineribus buxi & corni: lauetur totum caput; & siccatum vngatur aquâ vitæ & oleo caryophyllorum. Interdum inungimus butyro. & oleo irino, vel vnguēto nardino cum Actuario: vel oleo anethi, rutæ. Nonus nares illinit myrrhâ, & olibano, hæc coquit ex oleo, & iubet vt nigellæ semē odoretur aut cuminū frixū. Interdum vtile est emplastrum hoc : Accipe ladanum cum myrrhâ: fiat emplastrum capiti admouendum, in summo fluxu. Sacculi fingantur hoc modo:

Phœnigmi. *5. Method. 5.* *Vesicatio.* *Vaporatio.* *Cautio vbi est spirandi difficultas.* *De sistentibus iterum, quando sit vtendum, & quibus.* *In frigido catarrho.* *Suffitus.* *Gargarismi.* *Errhina.* *Masticatoria.* *Topica.* *Vbi à calore.* *Pului.* *Emplastrum.* *Vbi à frigore.* *Lotiones & vnctiones.* *Sacculi.*

Accipe furfurum, milij, cuiusque manipulum; salis retorridi & puluerisati sescunciam: omnibus torrefactis in sartagine, fiat sacculus. addi possunt caryophylli, thus, origanum, melilotus. Vel fiat sacculus ex milio, semine melanthij, iride, & caryophyllis. *Pulueres.* Pulueres noctu futuræ coronaii aspergantur ex coriandro, nigellæ semine torrefacto, benioiuino, gũmi iunipetino, caryophyllis, nuce moscatâ, cypero, stœchade, roremarino, iride. Manè fricetur caput linteis asperis quæ redolent fumũ ladani, & masticis, vel styracis calaminæ. Grisea papyrus capiti imposita iuuat vbi mador adest. Philumenus, apud Aëtium, laudat pedibus trahentia admota. Gesnerus auctor est, vt dropax Pauli cum cantharidibus capiti imponatur; dicit, se à Cardano accepisse: Accipe cantharidũ drachmas duas: & cũ fermento contusas admoue parti anticæ capitis. vesicas pertunde Marcellus Empiricus accipit nitrum, pyrethrum, cappares, struthiũ: *Cap. 5.* hæc in puluerem redigit, quo fricat caput in balneo, quò per sudorem digerat. post lauat aquâ tepidâ, & siccat crasso sabano. In pueris fiat suffitus ex furfuribus, & inunctio ex oleo amygdalino amaro. Tandem ad illa abimus quæ robur capiti afflant. Gesnerus parat confectionẽ ex karabe & saccharo, cum aquâ rosatâ: dissoluit saccharum aquâ cinnamomi; adiicit modicum zinziberis ac quattuor guttulas olei succini ad vnam sacchari libram. hoc mirè confortat cerebrum madidius. Et illinit coronalem suturam oleo succini, cum thure & styrace liquidâ. Aliud: Accipe olibani semidrachmam; croci, spicæ, myrrhæ, styracis siccæ, cuiusque scriptulum; opij semiscriptulum; cum diacodio fiant pilulæ, teneatur vna in ore: sed saliua non glutiatur. hæ vsum habent, vbi à perenni incursu materiæ fatigantur spirabiles partes. Conseruæ acori, saluiæ, rorismarini, stœchados conferunt assumptæ: & diambra, puluis pleres archon, cubebæ, nux myristica: hæc interdum miscentur cum oxymelite scillitico. Si quid adhuc ex cerebro impluere videtur: Accipe spicæ nardi drachmam; masticis, boli loræ in aquâ rosarum, gummi tragacanthi & Arabici, cuiusque semidrachmam; sacchari crystallini quod satis sit ad dulcorem: cum syrupo de iuiubis fiãt orbiculi, lupini formâ: retineantur in ore dum dormit. Spica etiam sola ore detenta id agit. Dentur interdũ guttæ aliquot balsami, cum syrupo aliquo Præbeatur theriaca, aurea Alexandrina, mithridatium, aromaticum rosatum Gabrielis, diagalanga. Præclarè ad sanitatem facit decoctum sassafras, vel sarzæ parillæ, cum scabiosâ, betonicâ, sarsarâ: in fine adde passulas, & carnes semicoctas, si ad rabem abiturit æger: adde saccharum vel mel. Hactenus de curatione: iam paucis de viuendi modo. Caueat ab aëre frigido & humente, nocturno, stagnante ad paludes, & fugiat Austrinos flatus: Auster βαρυαχθής caput tentat, obnubilatque sensus. vitet etiam Aquilonem: nam hic exprimit catarrhos, ille soluit eosdem in cerebro succos catarrhificos. Quare etiam in calido catarrho, non frigidus, sed temperatus aër est captandus: quòd frigus, nisi caput exactè purgatum fuerit, pressu quodam elidat materiam. Qui causarij à catarrhis sunt, suadet Aurelianus, vt locorum mutationem appetant, & magis maritimorum Non est sub Lunæ radiis cubandum: & à ventis illis sibilantibus per angustas fenestrarum fissuras: sunt enim penetrantes ac tenues. Si sit à frigore, caleat locus modestè, ac sit lucidus. Sol omnisque calor reddunt caput ad suscipiendos vapores è corpore sublatos obnoxium: & diffluunt inde in eo omnia excrementa humida. Hinc fit, vt illico ac quis, cui caput humidum est vel vaporum plenum, in Solem prodierit, seseque ipsius radiis exposuerit, sternutamenta elidat. In vsu ciborum caueat à calidis & replentibus caput, à vaporosis, & his quæ ægrè coquuntur: vt à sale conditis, frixis, antiquis. Vt morbi causa fuerit, ita qualitas cibi moderati debet. sint tamen vnius ferè generis cibi. Vbi plethora adest, à carnium & vini vsu arcendus erit æger, si Razi fides. Auenatum siccat & crassiorem reddit tenuem catarrhum: ita etiam oriza. Dabimus, cum Aureliano, maluam, lapathum, atriplicem, betam, pisces teneros, & [illegible]iculas. tandem drymiphagiam laudat. Si calidus sit catarrhus, lac confert, pepones, ficus, pyra cocta: nam noctu fluit catarrhus. Caseus etiam tener & recens vtilis est, inquit Aëtius: & brassicæ crudæ cauliculos comedat, & coctam. sed in calidis laudatur lactuca calfacta, poscæ intincta, oua, milium, amylum cum lacte, vuæ passæ. Copia ciborum non sit magna: sed tamen viribus consulendum est. demarur media ciborum pars. &, si calida sit causa, condiantur boragine, lactucâ passulis: si frigida, betonicâ, saluiâ, rorismarino. Prodest caro vitulina, hœdina, pullorum, cuniculorum. Cœna sit prandio parcior: ea sit pulticula hordeacea cum semine papaueris & saccharo, cum pauco butyro. A cibo vtatur hoc puluere copiâ cochlearis, nec superbibat. is coctionem promouet, flatus discutit, caput siccat, catarrhum sistit: Accipe seminis coriandri sescunciam; seminis anisi, fœniculi, cuiusque semunciam; cinnamomi semidrachmam; liquiritiæ scriptulum; sacchari vncias sex: fiat puluis. Sitis præcipuum remedium huius mali: ego *Potus.* sanè in meipso non maius remedium deprehendi. sæpe incurrit me tenuis acerque catarrhus; ab omni potu abstineo integro triduo: ita euado, & sitiendo siccor, antea plurimis diebus, cùm id ignorarem, affligebat. Qui hoc non potest agere, bibat aquam decoctionis sarsæ. Vinum omni catarrho noxium est antequam corpus purgatum sit: nam tunc datur oligophoron in frigidis: his enim vitiale est: sit subastringens. Decoctum palmularum commendat Aurelianus. Ego ita: Accipe hordei mundati pugillum: coque in aquâ dum dehiscat: decocti eius libris quattuor adde cinnamomi semunciam; sacchari albi vncias quattuor: fiat potus. Ita Razes, dum tussis aspera & arida, ingensque calor perseuerant, propinat hordei aquam, vel iorulapon: quod fit hoc modo, Accipe violarum vncias tres; aquæ semilibram: macerentur, & coque cum saccharo. Nihil æquè in catarrhos fœcundum, ac si dormiturus quis bibat. Manè ita surgat, vt sex horæ inter lectum & prandium intercurrant. Nihil enim calamitosius his, qui causarij sunt à catarrho, quàm vno, quod aiunt, pede, è lecto ad mensam exilire: dum nimirum nocturnus ille catarrhus adhuc ruit. Nec quicquam inter prandium & cænam sumat. Surgat ergo maturè, quò maturiùs prandeat & cænet. Interdum cæna sit hordeatum cum saccharo rosato, & coriandro. vel ficus coquantur scissæ in partes, cum cereuisiâ. Ab aquâ pluuiâ caueat: hæc enim destillationes mouet, inquit Aëtius. A pastu hoc puluere vtatur: Accipe panis biscocti vncias duas, cinnamomi drachmas duas; sacchari rosati vncias tres: fiat puluis. Vel accipe masticis, *Cibi qualitas & quantitas.* thuris, singulorum drachmas duas; carnis cytoniorũ vncias duas: sumat drachmas duas vltimâ mensâ: & parum superbibat. Quidam, in calido catarrho, pomum crudum comedunt, ac aquam superbibunt. Vbi irruit periculoso impetu materia, tenuis victus necessarius erit; alioqui, si longum futurum malum, plenâ manu pastum ineat: ita tamen vt longè parciùs viuat, quàm dum sanus esset. Præterea si materia sit viscida, lenta, & crassa, remisce cibis attenuantia, abstergentia, incidentia, vt hyssopum, origanum, piperlupulum, asparagum, radices petroselini, dauci,

cappares,

Margin notes: *Corroborantia, & siß-ntia.* *2. Epist. 15. fol. 66.* *Ore tenenda.* *In frigido.* *Victus ratio. Aer.* *Cibus.*

cappares, cum ſaccharo, aceto, & cinnamomo. Radicum etiam cichorei ſemper aliquid apponemus, quia appetiunt, vrinam prouocant, & ratione amatoris abſtergent. radices fœniculi, aniſum. oxyſaccharum pro condimento ſit. Vitet caſeum veterẽ, ſinapi, allium, cæpam.

Somnus. Somnus non ſubſequatur ſtatim cibum, ſed ſaltem in horam vnam aut alteram ducantur vigiliæ. Illud tempus aut deambulatione leni transigatur, aut confabulatione iucundâ, vel lectione iucundæ hiſtoriæ. Non cubet ſupinus: ne fluat humor in arteriam, aut in dorſalem medullam, vt admonet Razes. In cubili fiat ſuffitus ex ladani, maſticis, cuiuſque ſemiſcriptulo; ſantalorum rubrorum, & luteorum, coralli rubri, ſingulorum drachmâ; florum roſarum ſiccatarum rubrarum immaturarum ſemunciâ. Sumat pilulam vnam ex olibano in introitu lecti, à purgatione. & capiti puluis inſpergatur ex caryophyllis, mace, iride, roſis rubris. olfaciat noctu nigellam aceto maceratam & toſtam. Si ſit à calido catarrho, abſtineat à mollibus plumis puluinari repleto: redoleat puluinar roſas, violas, nymphæam. In frigido catarrho aſpiret odor maioranæ, ſerpilli, ſtœchados.

Motus. Omnis motus ineunte catarrho vitari debet: ſiue à medicinâ, ſiue à foris ille fuerit. Qui catarrhis obnoxij viuunt, exerceant ſe ſtomacho ieiuno, & iam reiectis excrementis, eo vſque protrahatur exercitatio, vt id ſatis ſit ad emicationem calidi natiui. fiat in aëre temperato; quò excrementa corporis diſſleotur. Quibus catarrhus adeſt, his pectinatio in fine, non initio catarrhi prodeſt.

Vide Celſum 4. Lib. 2. in fine. Scribit ita Celſus, Protinus abſtine à Sole, balneo, vino, Venere: interimque ſolito cibo vti licet: acri & rectâ ambulatione vtendum: nam inquit, tarò fit, ſi triduo omnibus temperauimus, vt vitium id non leuetur. Exerceant maximè pedes: nam textores minimè ex catarrhis laborant. Vel fricentur infernæ partes longis frictionibus, & poſtea inungantur oleo chamæmeli, vel anethi cũ paucovino aromatico, vt materia diſſletur.

Animi motus. Animi motus, qui (in frigido catarrho) poterunt calfacere & ſiccare ſine ſpirituũ reſolutione proſunt: vt aliqua breuis iracũdia. A cibo nec legat nec ſcribat, nec voce contendat: ſed ſub tecto ambulet. In progreſſo catarrho calido, balneum laudatur aquæ dulcis. Aluus indies reſpondeat: ſi illa immemor fuerit ſui officij, admoneatur pilulis alephanginis, aloë roſatâ, paſſulis medicatis. Vomitus nocet: ſudor prodeſt. Locis affectis admouet Aurelianus cucurbitas recorporatiuas, quas Græci metaſyncritas vocant, & maximè antherconi, vel gutturis circulo, quam rumam Latini vocant: tum dropace vtitur ex reſinâ cadiali: hoc eſt, liquidâ, quòd cadis aduehebatur.

Accidentia quæ catarrhum ſequũtur vel comitantur. Iam finem facerem, niſi me reuocarent quædam vitia catarrho conſectaria aut ei conſociata, quæ magno tædio affligere homines ſolent. His paucis remediis pugnabo.

Raucedo, & Tuſsis. Inter hæc imprimis occurrit raucedo & toſſis. Hæc enaſcitur à materiâ quæ laryngem & aſperam arteriam incurrit. Eſt verò hæc materia calida vel frigida.

A frigida materia. Si fuerit frigida, remedio erunt quæ detergent & ſiccant cum ſtrictione quadam. Vtantur priſanâ cum amygdalis, adde ſaccharum, bibat hydromel, ſi non ſit megaloſplachnus. Porrum ex ſapà coctum etiam vtiliter comeditur. braſſicæ ſuccus melle lingitur. & quod ex thure, melle & croco cum ſcillâ fit. cæpa cocta. Looch ſanum vocatum, looch de pino, de caulibus, diaireos, diapenidium cum ſpeciebus: tandem diaireos Salamonis, looch de ſcillâ, de hyſſopo. mel cum modico cymino coctum, vel cũ lachrymâ perſicæ. lingitur etiam oleum amygdalinũ recens, cum butyro inſulſo, iungitur parum croci. Lucius, inquit Aurelianus, ficum torridam vino infuſam ante cibum dari iubet. Nonus mel, butyrum & cyminũ miſcet & coquit. & ſorbitiones præſcribit ex ficubus, hyſſopo, pineis, & iride. Dioſcorides præbet dracunculi radices cum melle. Philumenus antiquus medicus dabat decoctum hyſſopi, ficuum, iridis, pinearum. Accipe roriſmarini, hyſſopi, aniſi, caryophyllorum, glycyrrhizæ, inulæ, ireos, zedoariæ, ſingulorum ſeſquidrachmam; pulegij drachmas duas; gummi Arabici drachmas tres; ſacchari albi quantum ſatis eſt: ſumat ter die caſtaneæ molẽ. Detineat matutino tempore raſcolam galangæ in ore; vel ſpicam. quin thus & myrrha deglutita ſiſtunt catarrhum frigidum. Accipe thuris, maſticis, cyperi, boli lotæ, ſucci liquiritiæ, cuiuſque drachmam; ſacchari cryſtallini, & penidiati, ſingulas ſemuncias; gummi tragacanthi & Arabici, cuiuſque drachmam: cum ſyrupo violato fiant pilulæ: ore detineantur. Gargariſmata fiant ex decocto hordei, glycyrrhizæ, cum dianuco. ad frigidum & ſubtilem catarrhum fiat gargariſmus ex vino, in quo coquatur olibanum, gummi iuniperinum, & nuces cupreſſi. Tempore gargariſationis, inquit Marcellus antiquus Empiricus, à pinguibus, liquamine, oleo, & ſalſis abſtinebis. Nigella torrefacta & ſuffita eſt mirâ vi prædita: adde ladanum.

A calida materia raucedo & tuſsis. Naſcitur raucedo ex eius membranæ quæ internam laryngẽ amicit plurimo madore, vel ſqualore, vel quòd exaſperata vlcerata e fuerit, vnde vox obſcura, aſpera, clangoſa, vel rauca euadit. Remedia huic malo dicata dicuntur Græcis [illegible] Si acris materia, indicatio medelarum naſcetur, incraſſandi, meatus combinandi, & exaſperata leuigandi: nonnũquam abſtergendi. Primò vtemur looch de papauere, diapenidio Nicolai ſine ſpeciebus: dein ſaccharo cryſtallino. Acris tenuiſque catarrhus craſſefaciendo ſiſtatur his, quæ pectus leniunt, quale hoc eſt diacodium: Accipe capita papaueris viginti; liquiritiæ raſæ vncias duas; ſiliquarum dulcium vncias tres: eximantur è ſiliquis grana: ac coque deinde omnia in aquæ puriſſimæ libris duodecim, ad exhauſtionem trium partium, vt reſtibiles ſint libræ tres: deinde colaturæ expreſſæ adde penidiatum vncias tres; ſacchari albi libram: coque ad conſiſtentiam mellis: ſumat cochlearium in introitu lecti: & ſæpe ore quid teneat. Commendamus etiam diaſpermaton, cum amylo, ex ouo ſorbili. Glycyrrhiza, ſebeſten, iuiubæ coquuntur cum ſaccharo cryſtallino, & oleo amygdalino dulci; diatragacanthum; ſaccharum penidiatum. gargariſmi fiunt ex lacte. Paulus laudat amygdala dulcia, cum ſaccharo rolato. Lac coquitur cum farinâ orizæ & ſaccharo, in ſuauiſſimum edulium. Vtatur decocto pectorali, cum iuiubis, ſebeſten, ſemine bombacis, maluæ, & quatuor ſeminibus frigidis. Accipe roſarum rubrarum manipulum; ſeminis papaueris, thuris, cuiuſque drachmas duas: coque ex aquâ hordei ad libram; colaturæ adde ſyrupi papaueris vncias duas; ſyrupi de liquiritiâ vnciam: fiet iulabium. poſt initia adde diatragacanthi ſemunciá; ad ſpecierum diaireos ſcrupulum. Coque hordeum ex aquâ dum crepet: adde ſaccharum, vel ſyrupum roſatum ſimplicem, vel violatum, vel initio diacodium. Accipe iuiubas decem, ficus quinque, ſebeſten viginti, paſſulatum decem drachmas; liquiritiæ drachmas quinque: coque dum rabuerint, & traiiciantur per colum: ſumat vncias tres, cum iulepo violato, ex præſcripto Razis. Fit etiam electarium ex lini ſemine frixo. Accipe conſeruæ roſaceæ veteris vnciam; diacodij, diatragacanthi frigidi, ſingulorum ſemunciá; ſyrupi roſati quantum ſufficit: fiat linctus. Alius: Diacodij vnciam; ſyrupi papaueris vncias duas; boli lotæ drachmas duas; caphuræ drachmam; cochlearij menſuram ore detineat. Si gargariſmũ velit, Accipies aquæ roſaræ vncias tres; caphuræ ſcriptulum: adde

quid boli. laudabatur compositio de styrace. Accipiunt quidam nucis moscatæ drachmam; gummi Arabici semidrachmam: rediguntur in puluerem, & cum aquâ rosarum fiunt trochisci parui. Accipe boli lotæ in aquâ rosatâ drachmam: misce cum syrupo violato, vel de papauere: sumat dum lectum ingreditur. Aliud: Accipe specierum diatragacanthi frigidi, diapapaueris, singulas binas drachmas; sacchari soluti in aquâ rosarum, quod satis est vt fiat tabulatum: habeat id sæpe in ore. Aliud: conseruæ antiquæ rosarum sescuncia; diacodij drachmæ binæ; pulueris diatragacanthi frigidi drachmæ tres: cum syrupo rosato fiat eclegma: sensim quid deglutiat. Aliud: Accipe looch de papauere, & de muccilaginibus, singulorum vnciam: adde semen nigri papaueris, si fluxus admodum sit tenuis & acer. Accipe boli Armeniæ lotæ aquâ rosatâ, terræ sigillatæ lotæ decocto papaueris, cuiusque drachmam; electarij diatragacanthi frigidi cum oui albumine dissoluti semunciam: vel cum saccharo fiat electarium: vel cum syrupo de rosis siccis fiant trochisci parui: ore teneantur. Modicum caphuræ ore retentum sistit catarrhum. Fiunt etiam trochisci ex muccagine radicum althææ, extractæ in aquâ rosatâ, cum saccharo. Ruellius hoc vtebatur, Accipe muccaginis seminis cydoniorum extractæ in aquâ scabiosæ semunciam; boli, gummi tragacanthi, amyli, sacchari crystallini, singulorum drachmam: cum dictâ muccagine fiant pastilli ore tenendi. Omnibus adde bolum, & sæpe vtaris syrupo myrtillorum. Aliud: Accipe looch de papauere sescunciam; specierum diatragacanthi frigidi sesquidrachmam; sacchari penidiati drachmas tres; syrupi papaueris & myrtillorum, singulorum semunciam: fiat looch. Cælius Aurelianus vtitur pastillo trigono. is constat, scribit Paulus, ex seminis apij, & hyoscyami singulis binis drachmis; opij drachmis tribus: anisi drachmis decem, tritis in aquâ. Ad tussim tabidam hoc lubenter vtor: Accipe aquæ limacum vel cancrorum libras duas; pineorum nucleorum vncias tres; seminum botryos in peciâ ligatorum semunciam: fiat decoctio; sumat cyathum. Accipe sarinæ seminis lini retorridi, & mellis despumati æquales partes: fiat eclegma. Fiat suffitus ex aceto in quo sit coriandrum, mastix: effunde super ignitum ferrum: eo fumo capitis tegmina imbuantur. Accipe amyli drachmam; seminis lactucæ, papaueris, gummi tragacanthi, gummi Arabici, boli Armeniæ, singulorum semidrachmam: redigantur in puluerem: & cum muccagine seminis psyllij & cydoniorum formentur trochisci: teneatur vnus sub linguâ. Accipe gummi Arabici, tragacanthi, singulorum sesquidrachmam; seminis papaueris albi drachmas sex: bulliant in libris duabus hydromelitis, ad consumptionem tertiæ partis, & coletur. Si affligerint vigiliæ cum sputo sanguinis, accipies diaspermati semidrachmam, & cum syrupo de papauere fiat bolus. Si ora rigare velit: Accipe rosarum rubrarum pugillum; capitum papaueris duo: iuiubarum septem: fiat decoctio ad libram: colaturæ adde syrupi papaueris vncias tres; diamori semunciam: boli sesquidrachmam: misce; teneantur in ore. Accipe conseruæ rosarum veteris vnciam; pulueris diatragacanthi frigidi semunciam: excipe diacodio & syrupo papaueris, fiat eclegma. Fiat gargarismus ex aquâ rosatâ, cum caphurâ. vel coquatur papauer cum rosis rubris, & bolo. Si consocietur febris, ad catarrhum solùm collineandum: huius enim velut symptoma esse videtur febris. (*Febris.*) fugato enim catarrho fugabitur ilico febris: Accipies aquæ farfaræ libram; boli Armeniæ drachmas duas: concutiantur tam diu vt rubescat aqua. Electarium de penidiis, cum syrupo de glycyrrhizâ & de farfarâ. Prolixius congerere volui hæc remedia, quæ leniunt & cohibent acrem catarrhum: propterea quòd cùm pauca talia sint, summum tamen discrimen ab eo excursu spirabilibus partibus creetur. Vltimò iam quædam Empirica subnecto: nam his interdum etiam suus vsus: multa enim mala sunt, quæ solâ ratione expugnari nequeunt. (*Empirica.*) Obseruauit vsus, vbi subitò suffocat catarrhus, adeò vt nec bibere possint, facie liuescente, hos aëre lucido ac frigido continendos, ac eis silentium & ocium indicendum esse: fit enim à tenuissimâ materiâ ad pulmones præcipitatâ. Hîc ante omnem euacuationem (nam tempus eam non admittit) statim propinabimus syrupum de papauere, vel diacodium, cum decocto iuiubarum & hordei. lingat diapapauer. & vbi maximus adest periculi metus, sumat vnam pilulam ex his: Accipe thuris scripulum; myrrhæ, opij, croci, cuiusque grana septem; succi liquiritiæ scriptulum: cum aquâ rosatâ fiant pilulæ septem: detur vna. Hæ pilulæ omnem sistunt catarrhum, si vna exhibeatur tempore somni. Laudat Arculanus etiam pilulas alkaiber (hoc est de cynoglossâ) Alexandri: describuntur apud Mesuem, capite De catarrho, in fine: hæ sunt præstantes. Et cucurbitæ affiguntur ad vertebras pectoris, quo anhelosi homines liberiùs respirent. Vel si plethora adsit, vena soluatur, & etiam si pars princeps incurri cœperit. Hoc modo omnes euasere: alij, in quibus cura fuit præparandi, purgandi, periere ferè omnes. quia magis præcipitat se materia agitata: cùm copiosa & tam irruens, non ita facilè auerti potest: sed priusquam hoc agas, opprimit. Philonium Mesues cum decocto olibani & spicæ propinatur. Nonus, antiquus medicus, ad catarrhos & tussim composuit pilulas ex styrace, myrrhâ, opio, galbano, cum vino passo: in lectum abiens sumat quatuor. Aliæ: Accipe styracis drachmas sex; myrrhæ, terebinthinæ, galbani, opopanacis, iridis, singulorum drachmas duas; opij drachmam: dentur grana quatuor. (*Aët. 2.4.53. & Scribonius 21.*) Venetiis ex muccagine althææ pastam componunt, coquunt cum saccharo, perpetuò mouent, ne vratur. Sed vtiles maximè sunt pilulæ de styrace, vbi perseuerat catarrhus. (*Oribas. 4.47.*) Si parum molestiæ adfert, facilè sistetur oleo, in quo semen lini & rutæ coxere, capitis obuolutione, & pauco victu. Hoc ceromum mirè sistit catarrhum capiti admotum: Accipe ladani, gummi elemnij, olibani, iuniperini gummi, styracis, resinæ, æquas partes: fiat cerotum: suturæ coronali à frictione admouendum. Marcellus Empiricus auctor est, vt talpa, in vase fictili clausa, torreatur in furno, vt fiat puluis: addit piperis grana octodecim, succi ocimi cochlear; ex vino albo calido veteri, & in balneo remedium accipiat alternis diebus. interim nouemdecim diebus abstineat porcinâ, liquamine, & oleribus. Interiora narium oleo nigellæ illinantur. Sabina cocta ex aquâ, & naribus imposita calida, ilico coryzam aufert. Caryophyllorum puluis suturæ coronali inspergatur noctu: id reprimit aquæ delapsum in oculos & nares. vel gummi iuniperinum capiti aspergatur, & inde fiat suffitus. ita ex santalis rubris, styrace, iride. Optimum verò remedium aduersus ingruentem catarrhum est, vt cænâ te abstineas, & ab olere, & à rebus salsis, & liquaminosis. (*Præseruatio. Marcellus 6.*) nam indigestione cibi, & vitio cruditatis nascitur catarrhus. Abstinendum sanè ante omnia pinguibus cibis. Sed si de perfrictione fuerit catarrhus, calidamentis adhibitis, ilico

ilico sopietur. quodsi de cruditate, placabitur illâ re solâ, vt non cœnet, donec eius fluxus penitùs decrescat. Hoc etiam Oribasius dicebat, cùm ait, est catarrhus curandus cibi & potus ablatione. Hæc vberius aliquantulum ego, quò diuinitus hominibus concessam solis loquelam vocisque elegantiam, mentis silentis interpretem, à catarrhorum iniuria vindicarē. Quin & monstrum illud hominis Nero, quid non fecit, vt vocis elegantiâ suam immanitatem tegeret? De hoc ita Suetonius: Cùm Nero se exerceret sub Terpno Citharœdo, nec eorum quicquam intermittebat, quæ generis eius artifices vel conseruandæ vocis causâ, vel augendæ factitarent: sed & plumbeā chartam supinus pectore sustinuit, & clystere vomituque purgari, & abstinere pomis & cibis officientibus: nam erat exiguæ vocis & fuscæ. Raucitati vocis, à catarrho, hoc mirum in modum opitulatur: Accipe capillorum veneris, endiuiæ, asparagi, lupulorum, passularum, liquiritiæ, amygdalorum; singulorum manipulum; seminis anisi, fœniculi, hyssopi, cuiusque drachmas duas; dactylorum, pinearum, seminis maluæ, cuiusvis drachmas tres: coque in libris duabus aquæ, ad consumptionem medietatis; & cum sacchato & melle despumato fiat syrupus: sumat cotidie manè cochlearia duo. Vides Lector amice, vt Medici de abditis morborum causis disserant, vtque ex illis deprehensis remedia salutaria adferant. Hi enim intima secreta & penetralia naturæ rimantur, iucundosque eius recessus inuestigant, & humanum corpus, rerum admirandarum miraculum, contemplantur eo fine vt id, si extra sanitatis lineam exilierit, reducatur. Naturam, dico, rimantur illi: nihil enim medicus solus potest; natura est illa, imò Deus qui agit, & medicus minister magni huius domini. Quare immeritò quidam à medico, plusquam ab homine requiri debeat exigunt. non enim satis putant, si operam is fidemque præstiterit, quin etiam (quod solius Dei est) euentum morbi & periculum præstari ab eodem volunt: impiâ quadam Dei & naturæ obliuione. Præclarè promittebat Hippocrates operam suā* κατ' δύναμιν καὶ κρίσιν. Scelere, fateor, in hac diuina scientiâ se contaminant, qui, cùm possunt iuuare, nolunt; sed etiam temeritate hi, qui volunt ea, quæ præstari non possunt. Veteres huius artis difficultatem perpendentes, non nisi à semideis rectè exerceri eam posse existimabant. Pindarus canit, Apollinem tradidisse Chironi filium suum Æsculapium* διδάξαι πολυπήμονας ἀνθρώποισιν ἰᾶσθαι νόσους. Hunc Æsculapium vocat Homeros* χάρμα μέγ' ἀνθρώποισι, κακῶν θελκτῆρ' ὀδυνάων. Tales decet esse medicos, & hoc satis est, si omni operâ eò nitantur, & secum religiosè cogitent in quo versentur munere & quâ in arenâ, ne quid in Deum & naturam temeritate peccent. Nobilissimum, ô Æsculapidûm familia, subiectum est tuæ artis, homo, æternum animal atque immortale, vmbrâ quadam mortalitatis amictum: cuius causa, totum hoc mundi theatrum à Deo optimo termaximo est fabricatum. Magnum miraculum est homo, inquit Mercurius Trismegistus, & epitome mundi. Fatalis dies & corporis dilapsus, declarat elementa in nobis esse, tonitrua, ventos, nubes, incendia. ossa metalla referunt: vis generans & nutriens, plantas: sensus & motus, animalia: spiritus, æthera: mens, cælestes illos globos imitatur, qui se rotant ac agitant: nam sine tempore & motu intelligit mens & intuetur, id est quadam æmulâ diuinæ mentis. Quamuis hæc diuinitas affectuum impotentiâ lateat, & nimio corporis cōmercio stupeat, & titubet. Pythagoras dicebat, nos è diuinâ mente decerptos & delibutos animos habere: & Aratus, αὐτοῦ γὰρ γένος ἐσμέν. Est enim in animis humanis rationis apex, quem mentis florē vocarunt antiqui. Quemadmodum enim Apelles cùm mirandam illam Venerem depingeret, clauum fixit quem qui auferret, totam ipsam dissolueret: in eius verò claui summâ parte, imaginem suam pinxit: ita Deus Optimus Maximus, cùm venustissimam hanc mundi œconomiam fabricasset, colophonem adiecit hominem, in quo suam imaginem posuit, ex cuius inspectione, artifex agnosceretur; vt humanus animus Deus quidam, paruo corpusculo conclusus videatur. Quare vtriusque particeps homo, spretis caduci huius corporis illecebris, se erigere potest ad venustos illos Diuinitatis lusus & miracula, ac ipsam rerum diuinarum contemplationem frequentare. Atque ex aduerso, neglectâ ratione, voluptatibus corporeis se ita fœdare, vt in feram se transfundat, & Pythagoræ μετεμψύχωσιν seu παλιγγενεσίαν certam esse comprobet. Natura voluit vt inferiora supernis cedant, verte hunc ordinem homo seditio erit, deiectâ ac è regno pulsâ ratione. Rationis habitaculum tu es ac currus, qui, dum equo albo (vt loquitur Plato) hoc est, rationis habenis ducitur, totus homo in Deum mutatur terrestrem. Hæc enim humana mens, natiuis quibusdam igniculis, in Deum fertur, vt sui auctorem ac parentem amplectatur. Non aliter ac ignis terræ gremio cùm premitur, suopte genio sursum viam affectat, ita animi natura ad opificem reuocatur, ac eò erumpit. Hæc diuina anima tot erroribus caligantis corporis circumducitur ac contunditur, vt acie hebetata mentis, veritatis solam vmbram sectetur. At vbi ex caduco hoc & mortali corpore, tanquam è tenebris emersit mens, diuinâ eclampsi illustrata, Summum bonum intuetur, admiratur, & in eo acquiescit. hîc nectar & ambrosia, quâ à summo Deo rigatur ac suauissimè perfunditur. In homine ergo Dei idolum, & figura immortalis: & σῶμα quasi τῆς ψυχῆς σῆμα: quod tamen in ambitu totius mundi rerumque corporearum, principem locum tenet; & in hac humo, sui opificis sapientiam ostendit, Dei sedes & templum. Ita formatus homo, vt facilè cælum, atque in cælo Solem, in Sole & astris lucem, in luce suum auctorem conspiceret. Hancne fabricam, medice, tibi tractandam datam, temerè curestant remediis nullo æuo exploratis, periculis inuoluas? absit: operosa est hæc humani corporis compages: viden quanto artificio quantáve curâ facta? quot vsibus apta? vt venusta huius lineamenta? quàm miranda coagmentatio? quæ syntimosia hæc, quæ mentem corpori commisit? Deus ergo, natura, & medicus. Medicus, minister: natura, Dei vis corpori insita: Deus omnia fouet; ac floridâ vernantique sanitate vt natura corpus decoret permittit: ac vt labefactatum redintegret. Quapropter sine Deo cùm medicus nihil possit, is orandus, vt doctâ benignaque manu admota & propinata pharmaca felicitet, nam,

Cap. 25. De vita Neronis.

Epilogvs *ad Lectores & Medicos.*

Homo miraculum.

Immeritò medici accusantur.

* *Hoc est,* quantū viribus & iudicio assequi possit.

Difficilis medicina.

* *Id est* vt eum doceret multinocuos curare morbos.

In Hymnis.

* *Hoc est,* lætitia magna hominibus, prauorum dolorum blandimentum.

Quales deceat esse medicos.

Homo quid.

Hominis dignitas.

Hominis animus Deus videtur.

In Phædone.

Homo Dei idolum.

Ni Deus affuerit, viresque infuderit herbis,
Quid, rogo, dictamnus, quid panacea iuuent?

DE MORBIS OCVLORVM, AVRIVM, NASI, DENTIVM, ET ORIS, LIBER.

Editus post mortem auctoris, ab eius filio

OTHONE HEVRNIO.

Nobilissimis ac Amplissimis

PROVINCIÆ VLTRAIECTI ORDINIBVS,

OTHO HEVRNIVS, *defuncti parentis nomine*

IOANNIS HEVRNII, *dedicat consecratque.*

CVM IOANNES HEVRNIVS, *subditus vester*, ORDINES *Illustrissimi, studiorum suorum primitias olim vobis offerret, (Anno* CIↃ.IↃ. LXXVII. *Librum de Natura & præsagio horrendi Cometæ qui eo anno orbem terrarum terruit) idem inne & postremas suas se vobis consecraturum lucubrationes sperauerat. Sed aliter ei visum qui cuncta videt. Nam fatalis illa Terminalis tuba subitò insonans egregiæ voluntatis effectum impediuit. Tam repentino Fati ariete prostratus cum quod vellet efficere non posset, per nos fieri voluit. Quare supremis eius mandatis obtemperantes, hanc* DE MORBIS OCVLORVM, *&c. librum, vobis,* ORDINES *Amplissimi, dedieamus & consecramus: opus, si ex mole spectetur, paruum: sin ex vtilitate & scribendi modo, magnum. Faciem enim vt loco, ita nobilitate membrorum principem, à morbis tueri docet, nec triuiali id docet via. nam magno iudicio hoc opus est elucubratum, in extrema cum iam versaretur vita linea, & veri medici munus impleret dictis facta exæquando. Quippe qui iam per triginta annos medica exercitatione corroboratus erat, in Italia, Gallia, Brabantia, in vrbe vestra, & Hollandia, in qua per annos viginti quanta cum celebritate Medicinam fecerit & docuerit, Europa nouit. Quare opus hoc dignum auctoritatis vestræ scuto, dignum tutelari vestro numine,* ORDINES *Nobilissimi, ad vestram aram ponimus, cui olim* I. HEVRNIVS, *parens noster, destinauerat. Nam in quorum tutelam,* ORDINES *Illustrissimi, præterquam vestram, studiorum suorum primos vltimosque fructus tradere vellet & deberet? vellet, ob illustrem splendorem vestrum, qui fronti etiam tenebrosi operis insidens famæ ei radium affunderet. deberet, ob vestra in natale nostrum solum innumera beneficia, quibus boni omnes vobis obstringimur. Cui natali loco tantum à maioribus nostris est attributum, vt & parentis sanctissimum nomen cum ipsis genitoribus habeat coniunctum atque commune, quo Patria dicitur. A parentibus enim vt viuamus habemus: at vt b[illegible]e & diu, à Patria. Adeò vt quicunque non obsurduit & obbrutuit contra naturæ vocem omnem & sensum, cuncta egregia corporis ingeniique facinora rei ex parto accepta referre debeat. Ab hoc loco animi corporisque indoles ac vigor manat. Deus enim Opt. Max. cum mortalis huius vitæ nostræ fomenta multa ac magna instituisset, cælo tamen soloque principes in iis partes assignauit: quæ prout præstantiora, eo vinculum gratitudinis quo suos sibi obstringunt alumnos robustius. At quid Vltraiecto amœnius, pulchrius, magnificentius? Siue in si spectes, siue aëris benignitatem admireris, quæ cum ipso Europæ vrbium certet? quàm clementes prospectat colles! quàm patentes effusosque camporum viridium excursus! Quanta vbique in agro eius mitela! illic herbis & sponte natis arbustis vestitur: hic fruge fructibusque & fœliciori ligno. O Belgicæ vrbiũ ocelle, quantum tibi tui debent ciues! At quantum vobis* ORDINES *Nobilissimi, qui adeò nobilem prouinciam æquæ pacis legibus regitis & erigitis! Quod igitur vobis,* VIRI *Amplissimi, ob egregia in Patriam merita debetur donarium, a* I. HEVRNIO *destinatum, & ab eius familia iam oblatum, sereno vultu excipiatis rogamus, &* HEVRNIANAM *familiam vestro patrocinio attollatis, alleuetis: ac hoc opus contra inuidiæ morsum defendatis. Nam valde temporum & morum ignarus sit necesse est, qui cum cautè etiam omnia & circumspectè scripsit, hoc auo se liuoris dentem declinare posse existimet. Scimus nec flammam vllam magnam sine fumo solere surgere, nec sine calumnia famam. Quotusquisque est qui non in alieno opere malè sit ingeniosus, atque in ipsa niue videat atramentum, etiam qui videt nihil? Adeò vt apud eos homines tantum absit vt ex scriptis gloriam speres, vt benigne tecum agi putes, si veniam assequaris. Ita vt non fit laus petenda, sed laborum venia impetranda. Fatalis illa est scabies humanæ mentis, præsentia fastidit, absentia desiderat.*

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit:
Tunc suus ex merito quemque tuetur honor.

Vos Nobilissimi Amplissimique DOMINI, *acie auctoritatis vestræ eiusmodi improborum aculeos obtundite & dissipate. Valete,* ORDINES *Illustrissimi, & incolumes ad Religionis & Patriæ tutelam æternum regnate. Ex Academia Leydæ in Batauis. Anno* CIↃ. IↃ. C.II.

VISVS

- Visus laeditur, Oculo laborante ea
  - Idiopathia, id est, proprie affectione
    - Totum oculi, cum tentatur
      - Intemperie aliqua
        - Calida [illegible] frigidis.
        - Madida, lippitudo, &c.
      - Mala conformatione eius
        - Magnitudine
          - Aucta, ut in phlegmone.
          - Accisa, ut in atrophia Oculi. Gal. 5. de usibus partium, in fine
        - Situ, ut in oculo
          - Prominentiore [illegible] Gal. 10. De usibus part. 8
        - Violata unione.
    - Aliquam sui partem, ut
      - Chrystalloidis humoris. Cum afficitur
        - Intemperie
          - Sicca, ut in glaucosi. 10. De usibus partium [illegible].
          - Frigida, ut [illegible]
            - In his splendor oculorum [illegible]
              - [illegible] exiguorum spectrum.
        - Mala conformatione; maxime in
          - Situ, nam interdum extra suo [illegible] lineam abit.
            - Sursum.
            - Deorsum
              - Hac subito eveniunt, ad differentiam intemperiei, & [illegible] obiecta duplicia.
      - Albuginei humoris. Cum peccat
        - Substantia tenduntur & hic
          - Crassitie, ut
            - Synaerisma [illegible] ab aere. [illegible] & oculi [illegible] circa alluginem, quod nigrescit [illegible]
            - Regrementis illabentibus, vel
              - Circa crystalloidem regione mediam & pupillae centrum, hac
                - [illegible] materia, [illegible] perforata, quia materia hac [illegible] in albugineo humoris parte [illegible] ad centrum pupillae.
                - [illegible]
                  - hic pates [illegible] quandam albuginei [illegible] hinc.
              - Ad peripheriam crystalloidis & pupillae. [illegible] in circumferentia pupillae.
        - Copia
          - Nimia, ita dilatatur pupilla, & ubertate panditur.
          - Accisa, ita comprimitur pupilla, quod fit ve
            - Vulnere.
            - Alimenti paupertate.
        - Colore [illegible] ab hoc inficitur.
      - Pupillae, hoc est Rhagoidis tunicae foraminis, quod afficitur
        - Cum obstructioni. Unde ad motum
          - Dilatatur quia rhagoides nimium tenditur, vel
            - Propria ratione quatenus pars
              - Similaris, ex siccitate [illegible] quia hac tenditur.
                - Sive maculaeis aut tumore. Vide Gal. 10. De us. part. 5.
              - Inflammatoria
                - Phlegmone.
                - Scirrho.
                - Abscessu.
            - Ex accidenti, ab albugineo
              - Copia. & [illegible] ante genio [illegible].
              - Inopia, unde phthisis oculi. [illegible]
          - Contrahitur hac Medico [illegible]
            - Nimia humiditas [illegible] oculus. Vel a vulnere si aqua effusa sit subtilis.
        - Ab obstructione, a materia
          - Purulenta a praecedenti abscessu, qui occupavit tunicae
            - Rhagoidem, hinc pus inter albugineum humorem & tunicam rhagoidem.
            - Corneam, hinc materia erit inter rhagoidem & corneam.
              - In hunc concute caput, si materia movetur, purulenta illa erit
          - Non purulenta. Inde symptomata suffusioni similia vel a vera suffusione. [illegible]
      - Corneae tunicae, huius vitia facile cernuntur, exempli gratia
        - Ruga
          - Non accisa pupilla non fit ab inopia humoris albuginei.
          - Accisa pupilla fit cum inopia humoris albuginei, [illegible] 1. De sympt. caus. 2.
        - Densitas, non ita valide visio laeditur, nisi fiat ab albuginei [illegible] a vulnere.
        - Intemperie humida [illegible].
        - Tumor
          - Phlegmone unde ophthalmia adest dolor, rubor.
          - Scirrhus. [illegible] Albuginis. [illegible]
          - Abscessus.
        - Vulnus.
      - Adnatae tunicae
        - Ungula.
        - Sugillatio, a sanguine effuso.
        - Phlegmone unde ophthalmia.
        - Sanguine infarcta vena.
      - Palpebrarum, [illegible].
      - Musculorum, [illegible].
  - Contagione aliarum partium, a
    - Toto corpore, quia inde surgit materia
      - Vaporosa, inde vertiginosae visiones, cum [illegible] vapores. [illegible]
      - Corpulenta unde epiphora a [illegible] & lachrymae Gal. De usibus part. 10. cap. 9. in fine. [illegible]
        - Fit a [illegible] compressa, et [illegible] et putum [illegible] corpus.
    - Parte, ut
      - Ventriculo, unde symptomata vera suffusioni similia. [illegible] ad ventriculi [illegible].
      - Cerebro
        - Cum visoriam facultatem ei oriens cum per venas & arterias [illegible] cerebro in oculos materia
          - Vaporosa, unde marmaryga [illegible] 4. loc. aff. 3. [illegible]
          - Corpulenta, unde epiphora a cerebro. 4. loc. aff. 3. & [illegible] 1. [illegible]
          - [illegible]
        - Cum vitio facultatis visoriae
          - Exhaustis spiritibus, ut in moribundis [illegible]
          - Cum ea transire impeditur
            - Omnino
            - Ex parte
              - Ab abundatione nervi optici a
                - Tumore
                  - Phlegmonodi. [illegible] oculi [illegible]
                  - Scirrhodi. [illegible]
                - Adstrictione
                - Obstructione.
                  - [illegible]
                    - Si vero a [illegible] tetra
                      - Melancholica, [illegible] oculi.
                      - Pituitosa, madescunt oculi.
          - A spirituum impuritate, [illegible]
          - Quod spiritus permixtum opacis sordidis sit.

IN TRACTATVM V.C. IOANNIS HEVRNII, *DE* MORBIS OCVLORVM.

HEv nimiùm caro ſurteptum vendidit ignem
Iapetionides improba terra tuus.
Scilicet ex illo curis agitamur iniquis,
Et nimium fato ſubdita turba ſumus.
Nil miſeris tutum eſt mortalibus: omnia morbus
Occupat, & memores nos iubet eſſe ſui.
Ille etiam vitæ dominas, luciſque miniſtras
Poſſidet, & cæcâ lumina nocte tegit,
Lumina, queis magni luſtramus ſidera mundi:
Et facile hic ſimilem magnus Homerus habet.
Hevrnivs occultas caliginis excutit vmbras,
Cæcáque Pæoniâ lumina tingit ope.
Hanc quoque doctrinam, tantique voluminis artem
Qui videat caſſus lumine, nullus erit.
Vt videas ocvlis opvs est: hos accipe lector:
Vt videas ocvlos corrigit ille tvos.

In Eundem.

Nil homini rerum Deus autor, & æmula mater
His oculis quicquam dulcius eſſe dedit.
Hos tamen æternâ damnârunt nocte tenebræ
Sæpiùs, & noſtrum vindicat vmbra diem.
Hevrnivs hic oculos, hic reddit lumina: quiſquis
Non amat hunc, oculos non amat ille ſuos.

Daniel Heinsivs.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

De Ocvlorvm *præſtantia; quódque Philoſophia ſit ex eis orta. Vt relligioſè Deus O. M. cauerit, ne facilè ictu vel lapſu percellerentur. Cur in alto poſiti. Eos eſſe mentis indices. Partes eorum: & admiranda fabrica horum; in qua S. Dei ſapientia elucet. Quo modo fiat viſio: & pulchra quædam eò ſpectantia. Num caput ob oculum ſit fabricatum. Problemata quædam ophthalmica ſcitu iucunda.*

10. De vſibus part. 11.

IN ſomno ſe accuſatum fuiſſe ſcribit Galenus, quòd oculorum munera non ſatis accuratè explicaſſet. Scribit Galenus libro De cognoſcendis Animi morbis, Adrianum Imperatorem ſtylo ſerui cuiuſdam ſui oculum eruiſſe: eumque poſtea illum monoculū redditum videret, iuſſiſſe vt pro ea calamitate munus à ſe peteret. Cùm autem ille miſer taceret, eum hortabatur Adrianus vt quicquid vellet peteret. Ille negauit ſe quicquam petere; optare verò ſe oculum quem amiſerat. Et ſanè meritò: nam vt oculi ſummo artificio à Deo optimo Maximo fuere fabricati, ita & dignitate vſus omnibus reliquis præſtant ſenſuum inſtrumentis: nullóque munere amiſſus rependitur oculus. Eſt enim oculorum ſenſus in nobis acerrimus, mirificéque ſoler animus aſſici iis, quæ per oculos ad ſe deferuntur: hac amor, hac odium notâ tritáque viâ commeant. Sanè ſingulare artificium oculi nos in admirationem ſtupendam creatoris trahit. Ab his Philoſophia, quâ nibil aput mortales maius, ſi Platoni fides. Eſt enim philoſophia ſtudium ſapientiæ, Sapientia, vniuerſitatis eſt cognitio. Vniuerſitas rerum conſtat ordine, ordo priore continetur & poſteriore. Si quis à poſteris philoſophari inceperit, ordinem confunder, ac tenebras ſibi aſperget. A primis ergo philoſophia ducenda. A primis, cognitiſne, an ab ignotis? Si ab ignotis exordium duxeris, ſequentia cuncta, ignota erunt: nec de incognitis philoſophamur. Ergo à cognitis initium fluet philoſophiæ. Cognitio omnis primum ortum à mente habet, vt à ſenſibus exordium. Inter ſenſus, naturæ nobilitate, & virium præſtantiâ, & actionum dignitate, viſus principem locum obtinet. Viſui primò cognita eſt lux & lumen, quæ iam iam natis ſeſe offerunt. Per hæc, priſci homines ſublimia & media, & ima conſpexerunt. Conſpecta ſunt admirati. Admirando ſunt contemplati. Contemplando ſunt philoſophati. Philoſophia ergo oculi proles eſt genuina. A ſummo itaque Deo fabricatus fuit oculus eo fine, vt homines viderent, atque propterea maximâ curâ à diuina maieſtate ab incurrentibus iniuriis munitus fuit, ac quaſi propugnaculis circumſcriptus; foſſæ, nares, frontis oſſa. ſupercilia, malæ, iugale os, inſilientibus offenſis obiecta. In ſublime erecti, tanquam ſpeculatores, corpus obſeruant ac ab iniuriis vindicant. Nam Deus,

Cicero 5. De finibus.

Philoſophia ex oculis orta.

Oculorū propugnacula.

In alto cur poſiti.

Pronaque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque videre
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Inde vultum Græci πρόσωπον dixere: nam cùm erectus ſit vultus, πρόσωθεν ὄπωπε, hoc eſt, procul videt à voluntatis autem indicio, vultus πρόσωψις appellatur. Quidam oculos animi feneſtras vocauere. Philoſtratus De vita Apollonij Tyanæi ſcribit, oculos hominum mores pleroſque denotare. multa, inquit, ibi poſita ſunt, ex quibus ſapientes homines, imagines veluti in ſpeculo inſpicientes, quæ mens illi & quod ingenium contemplantur. Et, inquit; qui in India ad examinandos iuuenes authoritatem habent, multa ex eorum conſpectu coniiciunt: oculi enim mores loquuntur. Oculi Latinis dicti videntur, quòd à palpebris occultantur. Græcis ὀφθαλμοὶ, ὄμματα, ὄψεις: βλέφαρα. Poëtis ὄσσε, & φάεα, lumina reddunt Latini. Spartanis ὀπτῖλοι & ὦπες. Iones ἴλλοι, quibuſdam δέργματα. Heſychio ἡλίου πύλαι, Solis portæ, in quibus animus habitat. Cicero vocat animi indices. Intimâ oculi parte cryſtallinus humor conſedit, in totius oculi medio, tanquam princeps videndi organon. Hic albus eſt colore, craſſitudine mediocris, antica parte ſphæricus, poſtica acuminatus, non enim ſphæra eſt abſoluta vndique æquabilia: ita enim in ictibus facilè loco excuteretur. Chryſtallinus hic humor ab Aëtio appellatur φακοειδὴς, hoc eſt, lenticularis, à forma: & δισκοειδὴς, à diſci forma. Hoc ergo præcipuum viſus inſtrumentum magnâ ſummi Dei prouidentiâ medio in oculo ſtabulatur: vt propria ſenſibilia exactè ſentiret, ac vt tutò ibi habitaret. An nudum relinquere præſtiterat? ilico ob innatam mollitiem vel aëris occurrentis iniuriis labefactatus fuiſſet. An denſo propugnaculo ab iniuriis vindicandus erat? at hoc perpetuas tenebras offudiſſet. Ante hunc cryſtallinum humorem, foramen vueæ tunicæ poſitum eſt: κόρη dicitur, Latinis pupilla & pupula: nam popi & pupæ, puellæ & pueri ſunt antiquis. tales ibi imagines apparent intuentibus aliorum oculos. & hoc ſimulachrum in acie apparens γλήνη vocatur à Ruffo. A poſterioribus cryſtallini partibus adiacet vitreus humor, fuſcus, parùm ad albedinem declinans. Huic inſertus eſt cryſtallinus, veluti gemma annulo, & cryſtallino ſuggerit ſuum nutricatum. Tertius oculi humor à parte antica conſiſtit, quem ob ſimilitudinem quæ illi eſt cum albumine oui, albugineum appellant, alij aqueū vocant tenuis ſubſtantiæ atque aëreæ Continetur in oculi pupilla, in cauitate tunicæ rhagoïdis: qui ſimul cum animali viſorio ſpiritu ſuſtinet membranā corneam, ne rhagoïdi incidat. Aquei humoris copia exigua eſt, nimirum quattuor vel quinque guttarum. nam totum illud ſpacium quod eſt inter corneam tunicam & cryſtallinum humorem, ſpiritu repletur. In regione iridis & pupillæ hæc aqua contineri poteſt. Circulus pupillam ambiens, corona & iris appellatur. Ex membranis, à parte poſtica humori vitreo coniungitur tunica amphibliſtroïdes, hoc eſt retina; quæ ex neruo optico tenuiſſimè diſtracto ortum ducit, hæc molliſſima eſt, ita vt putes ex cerebri ſubſtātia eſſe. Ruffus Epheſius hanc vitream tunicam appellat: quòd vitreum includat humorem. non rectè; nam vitreus humor propriam habet tunicam. Sed reticularis tunica, potiùs natium muccorem quàm tunicam refert. tanquam rete baculo annectitur, ita hæc tunica neruo optico. finitur ad iridem. ſitā eſt in extrema vitrei humoris parte. in antica parte annectitur choroïdi tunicæ, vbi hæc vueam ſe ſe promit Secunda tunica dicitur choroïdes, quæ à tenui membrana cerebri oritur. Huic etiā annectitur tertia. in antica exiſtens parte, arachnea dicta: quæ etiā reticulari copulatur. Quarta rhagoïdes eſt, quæ vuæ acini ideam refert. hæc in antica parte foramen habet, pupilla dictum: ne ſua craſſitie viſum impediret.

Ariſt 1. Hiſt animal. 8. 3. De part. animal. 2. l. 12.

Mentis indices.

Nomen.

Partes oculi, & admirāda oculi fabrica.

10. De vſib. part 6. cryſtallinus humor.

Pupilla.

γλήνη.

Vitreus Humor.

Aqueus humor.

Iris.

Retina tunica.

Choroïdes.

Rhagoïdes.

Quinta

Dura membrana.

Cornea.

Adnata.

Quinta est dura membrana, enata ex postica parte oculi, ducta ex dura cerebri meninge: huic tenues quædam apophyses musculorum oculum mouentiũ annectuntur. Ab hac nascitur sexta, quæ cornea appellatur, continens ac firmans reliquas internas mẽbranas, atque humorum & spirituum effusionem impediens. hæc crassitiem quandam habet, adeò vt vlcera concipiat sine eius peroasione. Septima est coniunctiua siue adnata, quæ habet originem à pericranio: hæc totum id quod in oculo album apparet continet: excurritque ad eam partem, quæ iris & corona vocatur. Adnata ergo ortiur ex pericranio: cornea, ex menynge dura: vuea, ex tenui: arachnoides & retiformis ex neruis opticis proficiscitur. Omni igitur parte visus instrumentum venustè à S. Deo est excultum, siue spectes in mollitie eius symmetriam, siue positionis opportunitatem, siue coloris fulgorẽ, siue vim operimentorum. Connaturale enim eius tegmen, læue est, lucidum, ac splendens instar tersissimi speculi Quod verò huic est proximum, venosũ, nigrum, ac pertusum est. Venosum quidem, quo corneam abundè nutricatu riget: molle, ne tactu crystallinum humorem affligat: nigrum, vt splendorem colligat, & ad pupillam transmittat: pertusum, vt, quem transmittit splendorem, foras emittat. Quod verò omnium est extremũ tegmen ac propugnaculũ, tenue, album, ac durum est quasi cornu. tenue quidẽ & album, vt splendores promptè transmittat: durum, vt tutò conseruet. Ita S. Deus omnia ibi in tuto locauit, excepta cornea, quæ cùm foris sit omnium iniuriis videtur exposita. In hanc ius est fumo, pulueri, frigori, æstui; ac omnium ictibus patet. At Deus sapientissimus omnium architectus, fortissimam hanc fabricatus est, muniuitque palpebris, ciliis, ossibus, superciliis, malis, naso, iugali osse. Æquum sanè est illum architectum admirari, qui omnia hæc tam sapienter fabricatus fuit, vt neq; excogitari queat alia concinnior aut melior fabrica. omnia mirabilẽ prouidentiam & artẽ spirant Decus in humano corpore quæris? quid oculis venustius? quid splendore illo diuinius corporibus, si sensibus deprehensa spectas, concessum fuit? Aristoteles negat ignem aut iridem pingi posse: at quis pictor diuinas illas oculorũ charites vnquam expressit? flãmea illa humani oculi gratia pictoribus intacta. Theophrastus vocat oculum formam: quoniam eo exuta facies, inquit Chalcidius, euadit informis. Sappho in oculis gratias habitare dicebat. quæ, cum, cuius forma in maxima admiratione erat sic compellauit, * στᾶθι κἄντα φίλος, καὶ τὰν ἐπ' ὄσσοις ἀμπέτασον χάριν. Quin Ibycus Suadã in oculis habitare dixit, vbi ait, ἀγανοβλέφαρος Πειθὼ: hoc est. blandis oculis Suadela. Plato vocat visum flammam quæ in oculis inuenitur, & oculis lucẽ præbet. Quidam putant flammam oculis implantatam, quæ ex oculis aliquando emicat: vt in quibusdam brutorum oculis noctu apparet. Vt autem rectè fiat visio, aërem, qui foris est, ritè compositũ esse decet. Optimè componitur ille, ex gemino lumine, interno, & externo. Externo à lumine, vt candelã, sole, lunã. Interno, vt dum illud egreditur ex oculo: nam propterea etiam oculus pellucidus fabricatus fuit à S. Deo. Sed vnde manat internum hoc lumen? ex spiritibus maximè animalibus. propterea opus est vberrimo spirituum affluxu ad oculum; non tamen opus, vt foris se fundant. Nam spiritus animalis non admodùm exilit foras, sed ab eo qui tam oculos rigat, velut à lucidissimo sole dimanant radij visorij, qui externum aërem disponunt. hinc species seu imagines perficiuntur. Quare tribus opus est vt quis rectè videat, spiritu animali copioso, & limpido: oculi bonitate, & aëre lucido. Radij ergo cùm primùm ex oculis exiliunt, cũ aëre sese consociant, ita vt simul cum eo combinentur: adeò, vt non opus sit, vt valde profusè se fundant spiritus. Celeberrima quæstio est cum dogmatis ambiguitate, tum authorũ grauitate: Num visio fiat admissione rei alicuius, an emissione. Vnum enim horum eueniat necesse est, vt, dum videmus, corpus aliquid ad nos transmittat, quò facultati visoriæ, quæ in nobis habitat, sese immittat; vel aliquid ex oculis nostris emitti, quod ad hoc corpus, quod à nobis videtur, perueniat. Ex illo quem ante diximus videndi modo, facilè quæstio hæc soluitur. Videmus per pupillæ exiguum foramen. Si aotẽ partẽ aliquam, aut facultatem, aut simulachrũ, aut qualitatẽ ex corporib. quæ à foris sunt exciperet pupilla, rerũ magnitudinẽ nulla ratione perciperemus. Quo modo enim idolũ vastæ turris pupillã ingredietur? Et ex aduerso, Si spiritus visorius elaberetur ex oculis, ac in rẽ videndã protendi deberet, sanè tantã copiã opus esset, si, vt fit, omnes circũfusas res videret, vt illa diffusione expansus, ilico exhauriretur: Quare aër nobis loco effusorũ spirituũ est eo tẽpore quo videmus; vel quod neruus est in corpore, vbi iudiciũ de tactu agitur, id aër est oculo. Spiritus enim visorius, suprema aëris superficie ad oculũ tactã, vim suã fulgidã aëri inserit. ita vt cõsociatione illa vnum quid euadant. dũ lux ẽ spirituũ cũ lumine aëris vnitur, ita alteratio quasi quædã aëri immittitur, non autẽ substantia. Et falluntur illi qui existimant Galenũ ad effusionẽ spirituũ hanc rẽ referre. Quin Galenus asserit, tale nobis esse instrumentũ aërẽ ad videndũ, quale est instrumentũ neruus ad tangendũ. Neruus autẽ à cerebro ortus, inde facultatẽ ducit sentiendi: ita aër nos ambiens, redditur aptus, à radiis spirituum illustratus, vt sit cognatũ instrumentũ ad visionẽ. Hoc est, lumen oculorũ cũ externo lumine ambientis copulatur ac coalescit aëris, cùm is à solari aliòve lumine præparatus est: tunc enim ex lumine oculi, & lumine aëris, vnum fit lumen: nã, vt ait Plato, simile cũ simili coniungitur, atq; inde vnũ cognatũ corpus conflatur, ac ob similitudinẽ iisdẽ affectionibus obnoxiũ euadit & aër tale euadit visui instrumentum, quale neruus tactioni. Cùm verò color, aut quoduis aliud visibile, aërẽ ita affectũ tetigerit, oculus sentit hanc in aëre impressã alterationẽ, quẽadmodum cerebrũ quũ vtitur neruo ad tangendũ, si aliquod tangibile neruo occurrerit, cerebrũ nerui alterationem percipit: ita ad oculũ aëri illata alteratio peruenit. Ita aër congenerũ instrumentũ (attamen externũ) efficitur visorium, ex illapsu radiorum visus. Et ita radij oculorum iuncti cum aëris lumine feriunt quasi rem visam etiam remotissimam: & oculus sentit quamlibet aëri impressam alterationem, colorem, magnitudinẽ ac sitũ Si enim admissione fieret visio, quo modo rerum magnitudinem perciperemus? nam magnitudo non producit suam speciem per aërem: quia vt illa percipiatur, opus est vt vis sensitiua ad eam veniat, quod tactus facit: qui præter calidum ac frigidũ etiam magnitudinem iudicat, cùm αὐτὸ tangit ipsã: perueniente scilicet tactu ad magnitudinem: non tamen veniente similitudine magnitudinis ad tactum. Quare si rerum imagines ad oculum deuenirent, etiam magnitudinis imagines eò peruenirent. Si ita, & auditus etiam rerum magnitudinem & distantiam perciperet, vt etiam & olfactus. Sed hoc non euenit; quia magnitudo non producit suam speciem per aërem: sed tactu ibi opus est, hoc est; facultas ad eam magnitudinem ire debet, vt tangat quàm magna res sit. sed auditus & olfactus ad ipsam rem non accedunt. Sed dicet aliquis, Magnitudo est sensibile commune, quod non percipitur neque immutat, nisi vnà cũ specie sensibilis proprij. Respõdemus, Id constat,

Mira vi fabricatus est oculus.

Cornea, vt sit munita à S. Deo.

Dei sapiẽtia etiam in oculis videtur.

** Hoc est, Siste coram amice, & oculorũ expãde gratiã.*

Visio quo modo fiat. 7 De Plac. Hip. 5. 6.

Dubium.

constat, vbi quis calfacit manus ab igne tamen remotas, deprehendit quidem calorem, non tamen magnitudinem ignis: quia magnitudo nullam imprimit speciem aëri. Cùm autem à visoria facultate magnitudo ac situs rerum deprehendatur, hæc ergo vis ad magnitudinem rerum deuenit: & videtur res eò loci vbi est. nam alioqui visus etiam distantiam rerum pernoscere non poterit: nam distantiæ

Dubium. aut propinquitatis nulla est peculiaris species. Sed dices, color tamen speciem suam ad oculos transmittit. nam sensus fieri nequit, quin proprium instrumentum facultatis alteretur illius quæ sentiet. est verò proprium facultatis visuriæ instrumentum humor crystallinus: hic ergo coloribus aut eorum speciebus afficietur. Est enim Visio, cùm facultas sentit passionem instrumenti proprij, quæ à re illi obiecta accedit. Respondemus, Hanc colorum alterationem deferre aërem, cùm factus est congenerum videndi instrumentum, atque ita oculum alterat. Nam tale illi instrumentum est hic aër, quale neruus tactioni: cerebrum enim inde nerui alterationem sentit, si quid ille tetigerit: ita tangibilis alteratio venit à neruo ad cerebrum. Eodem modo à colore

3. De gener. animal. c.1. Cap.iv. facta alteratio in aëre, venit ad oculum. Quin ipse Aristoteles dicit emissione visionem fieri. qui ita scripsit, Quæ intus in cauo oculos habent positos, longè aspicere possunt: quoniam motus io vastum non dissipatur, sed recto tramite meat. Et tertio Meteororum, cuidam homini cui debilis erat visus acies, sua sibi imago semper videbatur occurrere. Quod ideirco ei eueniebat, inquit, quòd oculorum acies in ipsū reflectebatur. quia ex morbo adeò tenera & imbellis erat, vt proximum aëré expellere non posset. Necesse fuit, quò ipse homo semper sibi fieret obvius, acies visus reflecteretur. Igitur videndi potentia prodit ad videndum. Epicurus statuebat ab omnibus corporibus fluore quodam simulachra manare. eius sententiam refutat Eustathius, apud Macro-

Visus natura ignea est. bium libro septimo Saturnal. capite decimoseptimo. Est autem visus naturæ igneæ: nam inde quorundam animalium oculi per tenebras coruscant: & nobis marmarygæ ob oculos in tenebris, vel conniuis oculis occurrunt: id ab igne qui in oculis stabulatur; hicque maximè est, à spiritibus animalibus. Ignem illum voco lucidum, purum, sine æstu aut frigore, respondentem elemento stellarum. Fulgor enim est igneorum corporum: & ipse color, obiectum visus, est naturæ fulgoris, & ignis, tanquam cuiusdam lucis participes color. Hunc enim appellat Plato flammam à singulis corporibus emanantem, partes habentem visui ad sentiendum accommodatas. Et lumen oculis connatum est instrumentum ἀγγελὶς visificæ facultatis: Idemque ceu portitor quidam trajiciens aspectabilia omnia sibi consocialia ab extimo lumine ad intimum animæ, per quod visio ipsa perficitur. Si enim visus aqueus esset, qua ratione esset omnium sensuum purissimus, & à materiæ conditionibus remotissimus: etenim aqua crassamento suo proximè respondet terræ. at hoc sensu maximè delectatur mens, vt tactu corpus. Quare si in liberū naturæ hortum aliquantulum liberius excurrere animi causa velimus, non iniuria fortasse

Philosophica digressio. statueremus lucem esse primum obiectum visile: cùm etiam per tenebras, quæ alia occulunt, videantur ignis & stellæ; deinde colores luminis progenies; non tamen per se visiles, sed per lumen. Vt rectè hæc accipiantur: Sunt toto mundi theatro tria genera corporum, lucida, diaphana, & opaca. Lucida sunt, quæ congenerem lucem habent, ex qua lumen diffundunt. His contraria sunt opaca: diaphana his media sunt. lucida, lumen in diaphanum effundunt:

opaca, tenebras. visus etiam per diaphana transit. Dubia res semper fuit, An diaphana corpora per se essent luminosa, vel obscura: & num per se sub visū caderent, & per se essent visilia æther, aër, aqua. *Nū diaphana sint per se luminosa.* Doctissimi philosophi docent lumen esse energiam & entelechiam diaphani. Sed hæ voces ex more eorum, formam quæ præbet τὸ τί ἦν εἶναι significant. Quod *Lumen quid.* si id verum esset, lumen esset diaphani forma essentialis: at aër & aqua sæpe lumine exuuntur. verùm insolens hoc est talibus formis: nec, cùm abiere semel, reuertuntur. Sin energia hæc ad visum ducatur, vt sine lumine, ea quæ visui exposita sunt non cernātur, & cum eo rursum videantur, id fortè verum erit de coloribus qui lumine in diaphano existente conspiciuntur: atque ita diaphanum, per lumen coloribus & visui fiet diaphanum: non autem per se suaque in natura consideratū lumen est diaphani energia vel actus essentialis. Ille ergo Peripati doctissimus magister non satis dixisse videtur, quid sit lumen, & quidnā sit diaphanum. Si verò diaphana per *Diaphana quid.* se suaque natura forent obscura, lumen non acciperent. Ergo diaphana sunt naturā nec tenebricosa, nec lucida: sed media, cùm & lumen & tenebras æquè accipiant. Sed sunt ne per se visibilia diaphana? Nam *Num Diaphana sint visibilia.* si color, quod asserit omnium philosophorum princeps Aristoteles, sit primùm obiectum visus: & color sit diaphani terminus, diaphana erunt ergo visibilia. Sed color non videtur primum obiectum visus habendus, nec pro termino diaphani agnoscendus. Et præter colores lumen & lux, & vmbræ sunt visibiles, nam visu solo agnoscuntur; non tamen sunt *Color num sit primum obiectum visus.* in colorum censu, nec per colores videntur: imò ex aduerso, colores per vmbras conspectui eripiuntur, lux etiam per tenebras cernitur, hæc ergo est visilis. Quin color sua natura non est visilis: alioqui per tenebras eriā conspiceretur: quare non est color per se visile. Nec per se videtur, sed per lumē, eiusque beneficio visilis redditur: sicut tenebrarum iniuriā redditur inuisilis. Sed sunt ne Diaphana visibilia suā na- *Diaphana an sint visibilia.* turā? Si hoc ita foret, vel luces essent, lumen, vel vmbræ: vel horum quid illis innatum esset. At nil tale agnoscunt, ergo visilia per se hæc non sunt. Sed dices, cernitúrne æther & aër? Dicimus, si lumine videntur, non per se videntur: certè æther, aqua, crystallum lumine videntur: an non etiam aër? verum est in opacis illustrius id discerni: nam multiplicatur repercussu. An non cernitur aër in lumine, sed potiùs lumen in aëre? quid dicas, éstne aër in lumine, an lumen in aëre? an non quod angustius est loci, quod angustius locari vices obtinet? lumen æthera, aërem, aquam continet. Videtúrne ergo aër? sanè dum vacuus est luminis, non cernitur: si illuminatus videtur, non per se, sed videbitur per lumen. Si visilis per se esset, cerneretur etiam in tenebris, sicut lux, quæ etiam causa est vt alia videantur. Sed cùm aër lucidum corpus non sit, nec tenebrosum, per se videtur non videri. Sed, ne vltra crepidam, de philosophicis his fortè alias commentabimur. Sic ut ergo diximus, cùm lumen quod pergit à nobis, per aëris lucem in corpus inciderit, im- *Reditus.* pleturus officium videndi. Sed vt possit res visa cognosci, tenuncíat visam speciem rationi sensus oculorum: & illam aduocato iudicio recognoscit. Ipse autem qui ex oculis nostris conus radiorum emicat, incipiens à tenui radice, in summa fit latior: ideò per minutissimum foramen contemplans oculus, videt cœli profunditatem. Hoc lumen radiorum, aëris lumini consociatum, si prulixius pergat, fatigatum rectam intensionem non obtinebit, sed scissum diffunditur. Hinc est, quòd vbicumque terrarum constiteris, videais cœli quandam conclusioné cernere

& hoc est quod horizontem veteres vocauerunt. Acies oculorom, per planum aspicienri, ferè pergit ad centum & octoginta stadia; quæ vltra viginti quinque milatia Germanica excurrunt: & inde in orbem iam recuruatur. Per planum dixi: quippe qui per altitudinem & cœlum videmus. Diuinum sanè organon oculus, quo & terram, & cœlnm ipsum metimur. Quare non frustra dubites, Sit ne caput potiùs propter oculos factum: an propter cerebrum? Si enim quæras, Cur in hominis fabrica, post humeros, Deus, producto collo, sublimius membrum produxit, quod Caput vocamus: ac non potiùs in thorace cerebrum ac sensus posuit, vt in crustâ tectis animalibus fecit? Sanè illud non sine caosa aliqua factum eorum, quæ in capite sunt, quibus vtilissimus est sublimor situs. Cerebrum est promptuarium animalis virtutis, eamque ad alias partes effundit per neruos. Id agit spiritu, aut illustratione. Hæc se quaque fundunt facillimè, nec opus est vt alto situ ponantor. Quarum verò partium officium est ex longinquo speculari, situs sublimis his conuenlentissimus est. Quare Deus O. Max. propter oculos caput de thorace abduxisse videri potest. Quibus enim animalibus, capitis expertibus, cerebrum in thorace collocatum est, bis oculi negati sunt: aut excelsa quædã sortita fnere cornua, quibus oculi imminent. Quare oculi excelso egent loco semper: non ita semper cerebrum. Cerebrum tamen ab oculis diuelli non potuit, nam ex eo nerui illi mollissimi optici in oculos ire debebant: hine est, quòd cerebrum caput occuparit. Sed pauca quædam Problemata ad oculum pertinentia, animi causâ adferamus. Cur oculi nudi gelido aëri expositi non rigent? Respondet Aristoteles, id euenire, quòd vberrimo rigenrur adipe, qui illis pro indumento est ac propugnaculo, ne feriantur adeò à peruadente aëre. Quin spirituum copiâ abundè circumfluunt. Cur sunt oculi mobilissimi, cùm tamen ad frigus nutare videntur? Quia à spiritibus leues cùm sint, à plurimis validisque mouentur musculis. Sed cur ita quidam palpebrant, vt perpetuò nictent? Ιτυ⸗ ea affectio vocatur, & eiusdem originis esse videtur quæ perorum, quorum oculi raptim se voluunt. Id prouenire videtur ex calore cerebri, nam inconstantis ingenij argumenta esse aiunt hanc mobilitatem, cuius, calor author habetur. Verùm hoc etiam inde euenit, quòd fracta musculorum vis langueat à naturæ primordiis. ita euenire poterit, vt quibus imbellis sit neruus qui palpebras concitat, perpetuò nictet. vt qui musculos habuerit oculorum imbecilles, illos continuò voluat à primis vnguiculis. Non aliter ac hi, qui maxillarum musculos infirmos habent, per somnum dentibus strident: quibus recurrentes debiles sunt nerui, somnianres loquuntor. Iam pauca addamus de varierate videndi. Quis oculus ad videndum promptior? Optimus putatur colore caprinus, hoc est, medicus inter glaucum & nigrom: mediocritatem enim luminis illis adesse significatio fit; Ita vt alta luce, eaque cadente, commodè cernant. Qui oculi pressi ac conditi ad interna recedũt, longinqua fœliciter cernunt: ita homines in puteis positi stellas vident, & per cartaceas pyramides quidam eclipses lunares contemplantur. Sed minùs quæ à lateribus sunt circũspiciunt. Prominẽtes ac emissitij ocoli remora non æquè assequuntur, quæ ad latus sunt optimè vident. Quare medius situs oculurum est optimus. Spiritus oculis allabentes notari debent in copia & qualitate: copiosus causa est vt quæ remota sunt cernantur: purus spiritus exactè iudicat etiam de minimis. Copiosus spiritus & purus, quæ eminus sunt exactè intuetur: si copiosus fuerit & impurus, quæ eminus sunt videt, non tamen exactè. Paucus & purus, cominus & exactè videt: paucus nubilus, cominus non exactè cernit. Cùm dicit Aristoteles non coincidere longè & exactè cernere: sententia eius est, non necessariò illa iungi. Ita videndi varietas accipitur ex oculi colore, situ, & spiritibus Sed cur Senes specillis meliùs vident, cùm iuuenes illis hebetentur? Nam resarcitur externi crystalli fulgore quod interno deest. at immodico splendore iuniores offendũtur, cùm internus satis illis sit. Quæ causa est, quòd quibus naturæ lege angustior est pupilla, feliciùs vident: & quibus præter naturam arctior euadit, infeliciùs cernant? Causa est, quòd naturalis illa pupillæ angustia, ex tunicæ vueæ angustia nascatur, indeque fit vt vniat sese vis visoria. Hinc est quòd inter animalia homo angustâ admodum sit pupillâ, vt exactiùs didicet minuta, eò quòd visus maximè disciplinis studeat. At angustia quæ præter naturam pupillæ euenit, nascitur ex inopia albuginei succi, vel à subsidente ac corrugata cornea. Cur oculi pretiosissimæ totius corporis partes habẽtur? Propterea quòd lucis vsu vitam à tenebris, quasi à morte, discriminare videantur. Quàm enim calamitosum miserumque cæcitatis malum? sine oculis, carceris locum subire videtur reliquum corpus, ac tenebricoso horrere situ. Quod in cælo Sol & Luna, id sunt in homine oculi, qui veluti diuina quædam astra in sublimi corpore fulgent, ac veluti speculatores nobis excubant, mirâ volubilitate veloces. Diuini quid his inhabitare existimatum fuit, adeò vt de interna mente ac ingenio ipsi loquantur. Nam oculorum fulgorem, ingenij solertissimum acumen testari creditum fuit, atque glaucum in pupillis colorẽ id significare quidam putant. inde Palladem sapientiæ deam glaucopin vocarunt. Quin hi arguti, vt homines animo affecti sunt subinde loquuntur, atque animum, tanquam certæ imagines exprimunt. hi variè se pandũt, nictant, conniuent, palpebrant, ardent, madent: iis per momenta præcipites in vitia imus: mirantur hi, adamant, concupiscunt insatiabiles humani oculi. Quidam quærunt, Cur nam sagax ac prouida Dei cura globatæ ac circumactæ figuræ fecerit oculos? Quia hæc figura orbicularis, impedimenta cuncta quæ se ingerunt reclinare facilè potest. & celerrimè visu omnia apprehendit illa figura, ob facilem reuolutionem. Scio Mathematicos solertiùs hac de causa ratiocinari; sed hoc non est hîc nostræ arenæ. Sed cur simplex obiectum quandoque duplum videtur? Optici nerui à cerebri nascentes lateribus antequam in oculos ferantur concurrunt ita, vt meatus qui antea geminus visebatur, vnus & communis fiat: mox discapedinati diuaricantur ac desiliunt; & qui à dextris cerebri nascitur, dextrum etiam oculum inuadit. Id ita factum à S. Deo, ne sensibile vtroque notatum oculo, geminetur. iam enim vtriusque oculi commune fit deferens, cùm passio illa visus instrumentis impressa, in communi colit conceptaculo. Et hinc est quòd strabones putant se intueri geminata cuncta, vbi pupillarum altera vel surrigitur altiùs, vel plus iusto mensu deprimitur: quia perit tunc rectitudo ad opticorum neruorum coïtum. Sed cur geminis perceptus auribus sonitus, nunquam duplus auditur? Ratio est, quòd visus per rectam lineam suum officium facit: quod in sonis non euenit. Quæ ratio est vt homines citra externum lumen non videant? Quia sensus hic spiritalis admodum est, & colores ni fulgeant admodum, nimis materiam redolent: propterea cum tali obiecto sensibili coire non poterit ad sentiendi actum perficiendum; sed medio quodam spiritali hæc conciliari debent. Satis est reliquis sensibus species quædam; sed vltra speciem, visui opus est lumine

ac

Macrob. 7. Sat.

Oculus adeò diuinus, vt dubites num caput ob eũ fabricatum.

Problemata ophthalmica.

Cur non rigeant. De sensu 2. & 31. Probl. 32.

Cur mobilissimi.

Quis oculus visui aptior?

5. De gener. animal. 1.

Senes cur specillis exactiùs videãt.

Pupillæ angustia cur visioni commoda.

1. De sympt. caus. 2.

Cur pretiosissima partes oculi.

Cur rotundi.

Cur simplex res quæ inspicitur, duplex cernitur.

Cur lumine opus est visui.

ac diaphano, quò ſpiritale prorſus materiali aptetur. Putat Priſcianus Lydus Iamblichum ſecutus, ſicuti Iulianus etiam libro De Sole, diaphanum eſſe non ſolùm in æthere, igne, aëre, aqua, cryſtallo, ſed & in terra ipſa, corporibuſque commixtis cunctis. Hinc quidam fieri etiam putauerunt, vt denſitas nulla peruerſionem inhibeat virtutum & ſpectrorum, quamuis nos lateat. Propterea lyncas tradi per medium videre parietem. Et in Hiſpania quoſdam hoc tempore viuere aiunt, qui radiis oculorum terram peruadunt, ac vbi metalla latitent indicent. Ait Iulianus ex Phœnicum & Iamblichi doctrina, lumen eſſe purum actum, ab actu diuinæ Intelligentiæ per cuncta diffuſum. Diaphanum verò eſſe actus huiuſmodi vehiculum corporis expers, cum vacuitate corporearum qualitatum, quamuis per ea diffuſum omnia. Viſibilia, per primum viſibile, id eſt lumen, viſibilia fiunt. Scribit libro De veritate Thomas, videri aliquid tripliciter: vno modo per eſſentiam ſuam, vt cùm viſibilis eſſentia viſui coniungitur, quo modo lucem percipit oculus. Alio autem modo per ſpeciem, cùm rei ſimilitudinem viſus percipit, vt cùm pennam cernimus. Tertius modus eſt ex ſpeculo, vbi rei ſimilitudo per quam cognoſcitur, non fit in viſu ſtatim ab re ipſa, ſed ab eo, in quo rei exprimitur ſimilitudo: ſicut in ſpeculo ſenſibilium cernuntur ſpecies. Primo autem modo videre Deum ſolum, ſecundo modo angelos propriè cernere, tertio homines: qui ex conditis rebus, vtcunque Deum exhibentibus, in Dei cognitionem perducuntur. Iam dicamus rationem cur quædam in tenebris luceant. Prodidere quidam, cùm in India graui periculo circumuentus eſſet Alexander Magnus quodam prælio, concuſſis armis, viſus Barbaris lumen fundere, monſtro ſe ante illum oſtentãte. Tiberij equus ore videbatur flammigare. Theodorici pater ex corpore toto dicitur ſcintillas profudiſſe. Soſigenes Alexandri præceptor libro tertio De viſu, cauſam cur quædam tenebris in mediis luceant hanc attulit: quòd flammulenta hæc, naturæ ſint ætheree, eaque ratione aërem illuminãt: Noctu maximè, ob externi luminis abſentiam, quod alioqui exoleſcere exiguum facit lumen: Leuiter enim noctu ſubluſtrant aërem. Quod verò noctu quædam animalia acutè cernant, interdiu verò eorum oculi hebeſcant, id obuenire putauit Plutarchus, humoris ſiccitate ac tenuitate, non ferentis τὴν πρὸς τὸ φῶς σύγκρισιν. Fortè quæret aliquis, Cur Deus in occipitio oculos non locauerit? vel ſaltem cur inſtar gruium collum non dederit verſatile? Præmolles nerui optici ab ea parte cerebri enaſci non potuiſſent, & ſi verſatile foret collum, luxationis diſcrimen nũ ſugiſſet. Cur cognomina quibuſdam orta ab oculis? Quia vni tantùm homini hi deprauantur. Inde nomina Strabonum, Luciniorum, quibus praui vtrinque oculi: & Pætorum, quibus oculi leniter cum venuſtate decliuantur. vnde etiam Veneri pætos attribuunt oculos, quod vitium quidem ſit, ſed non inamabile. ita legimus in obſcœno carmine;

Minerua flano lumine, Venus paeto.

Spadonibus autem videndi acumen, hoc eſt ὀξυωπία cur perit? Vt vitiatur τοῖς ἀφροδισιάζουσι, hoc eſt, veneri addictis, ob libidinem exhauſtis ſpiritibus id euenit, ita ſpadonibus ob exciſionem, ſpiritus corporis accidunt, vnde oculi hebeſcunt. & corpora illorum teſtibus fraudata, ſpiritus non æquè calidos ac tenues luciduſque proferunt. nam & animalia calida, bene pepſi indulgentia, viſu præſtant, vt aquila. Totum autem corpus vi quadam calorifica irradiari à teſticulis ſciunt medici. Oculos quoſdam nitore quodam ſplendentes videmus, ac ab omnibus cur hi celebrantur? Oculi ſanè illi gemmei ita ſplendent, puritate humoris cryſtallini, & aquei ſiue albuginei: tum etiam tunicarum araneoſæ, corneæ, qua pupillam attingit, vueæ, & adnatæ politurà. ex quibus efficitur, ſi Ariſtotelis mentem ſectemur hic, vt rerum aſpectabilium ſint * εὐπαθεῖς καὶ εὐφύλακτοι oculi. Verùm, vt viſionis inſtrumentum eſt ὕδωρ διαφανὲς, hoc eſt aqua pellucida, quod facilè excipiendis, & fideliter continendis rerum aſpectabilium ſpeciebus ſit maximè accommodatum, ſic proprium ac vernaculum oculi lumen τὰ ὅμοια ſibi * ἑταιρικῶς, velut portitor quidam, traiicit ab extimo lumine ad intimum animæ, per quod viſio ipſa perficitur. Et viſionis inſtrumentum αὐγοειδὲς, hoc eſt radioſum, cætera vincit αἰσθητήρια tantum, quantum ἡ αὐγὴ, hoc eſt radius puritate ſuperat aërem, vaporem, aquam & terram nam auditus inſtrumentum eſt ἀερῶδες aërium: olfactus, ἀτμῶδες vaporoſum: guſtatus, ὑδατῶδες aquoſum: tactus, γεῶδες terreſtre. Cùm ergo nobiliſſimi ſenſus inſtrumentum fulſerit vernaculo lumine, id maximam venuſtatem adferre ſolet, ac omnes aſpicientes in ſui amorem rapere, dum nitentes illi radij conſociali quadam vi omnium hominum viſorios radios in ſe facillimè rapiant, ac blandimento quodam iucundè foueant. Ferox autem oculorum coniectatio cur formidabilis? Indecora ſanè & terrifica hæc, dum oculi crebrò huc illuc voluuntur, ac θράσος quoddam denonciant phreniticum. Maximè autem noſcitur illa ferocitas, in torua conuerſione ita Agamemnona legimus intuitum vatem Calchanta: cùm ille, reſponſo Calchantis, irarum fluctuaſſet æſtu,

ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.

paulò poſt ad Calchanta conuerſum & oculos in eum coniicientem, ita deſcribit Homerus,

Κάλχαντα πρώτιστα κάκ' ὀσσόμενος προσέειπε.

vbi Euſtathius illud κάκ' ὀσσόμενος, interpretatur δεινὸν καὶ ὀργίλον ὑποβλεπόμενος. Sed furibundæ Didonis, & cœptis immanibus efferæ contra Æneam, clariſſima eſt illa ferocitatis in oculorum aſpectu deſcriptio apud Virgilium,

Talia dicentem iamdudum auerſa tuetur,
Huc illuc voluens oculos, totùmque pererrat
Luminibus tacitis, & ſic accenſa profatur.

Summâ autem curâ oculos tuemur, Quòd illi ad vitæ vſum & dulcedinem maximè conferant, & afflicti maximos dolores adferant. Et præter ea quæ cuique animalium generi tributa ſunt, præſtantior alius in homine ſit oculorum finis: naturæ cognitio, Dei comprehenſio, ipſaque penè dixerim beatitudo. Sed cur, dicimus, Vt valent oculi ſic ipſa perſona? Hoc olim dixit Hippocrates, Ὀφθαλμοὶ ὡς ἂν ἰσχύωσιν, οὕτω καὶ γυῖον. Nam temperamentum, humorumque dominatum ex his facile intelligimus. Vt enim hi natiua puritate cæteris partibus antecellunt, ac ſuo nitore facultatum ipſarum virtutem faciunt aſpectabilem: ita ſi à ſe mutentur, facultatum quarum potentiâ totum corpus adminiſtratur infirmitatem, & naturalis œconomiæ impuritatem oſtendunt. Sunt enim margaritarum & gemmarum apertiores maculæ, quam ſilicum obſcurorum. Et facilè oculorum color, character, moles, & habitus mutantur. Quid quòd oculi iure ſocietatis & vicinitatis, cerebri arcem attingunt, inde adeò fit, vt principiorum τὴν ἰσχὺν in ſubſtantia, facultatum verò τὴν δύναμιν in officio, validaſque vires declarent, quæ in natiua coloratione, habitu ſuccipleno, ſplendore, & facili motu cernuntur. Sin autem ſqualidi, fœdè colorati, concaui, & in mouendo pigri appareant, facultatum principia in vitio eſſe teſtantur: cerebrum ſcilicet,

Mira videndi vis.

Viſio triplex.

Cur quædam colluceant in tenebris.

Noctu cur quædam animalia videant.

Cur in occipitio non ſint oculi; nec collum verſatile.

Cur cognomina ab oculis.

Cur Spadonibus hebent oculi.

Nitentes oculi vnde & cur laudentur.

** Hoc eſt, prompti ſuſceptores & cuſtodes.*

Id eſt, conſocialia.

Oculorum ferox coniectatio cur formidabilis.

Cur curioſè oculos tueamur.

Cur vt oculi valent, ita totus homo. 6. Epid.

ex Dureto in Coacas pag. 124.

cut ipſum, & hepar. Et in ſecunda valetudine, ſunt ſpiritus animalis plurimi participes : at ſimulatque eo defraudari cœperint, collabuntur. & vt ſunt molliores, ita facilius liquuntur quàm cæteræ faciei partes, dum graue aliquod malum principia fatigat. & omnium facillimè certiſſimeque cerebri afflictionem teſtantur, in hebetudine, tremore, conuulſione oculatium muſculorum : cordis, in liuore : naturalis, in cruditate lemarum. Hactenus de præſtantia oculi ſani : iam ægri curationem accedamus. nam, vt ait Celſus, ingentibus & variis caſibus oculi noſtri patent, qui quum magnam partem ad vitæ ſimul & vſum, & dulcedinem conferant, ſummâ curâ tuendi ſunt.

Capvt II.

De Epiphora, *hoc eſt impetuoſa fluxione ex oculis, aquæ vel lacrymarum idea.*

Epiphora eſt impetuoſa fluxionum illatio: Græcis ἐπιφορὰ ῥευμάτων. Hæc vox quamuis Græca ſit, ſæpè tamen ea vtitur Plinius, cùm ait epiphoras vteri, ventris, & oculorum. Interdum tamen ἐπιφορὰ ſimpliciter de oculis dicitur, cùm hi ſubitò ab humoribus incurruntur. Sed ne vocis ſimilitudo fallat αἱ

Progr. 1. 3. 11.

ἐπίφοροι, apud Hippocratem opponuntur ταῖς ἀφόροις, hoc eſt ſterilibus per impotentiam excipiendi & concipiendi ſemen virile. Sunt autem ἐπίφοροι, quæ

ἐπίφοροι quæ.

vel proximè abſunt à partu grauidæ: vel quæ vt agri reſtibiles, ſunt fructuoſæ: vel etiam quibus eſt crebra viciſſitudo concipiendi & abortiendi, vt quibus mucoſe ſunt obſiti cotyledones, alioqui ſucciplenæ. Nam illæ, trimeſtres fœtus abortiunt, nouos ſubinde conceptoræ. Verùm his poſtpoſitis, iam ad oculos. Eſt itaque Epiphora, cunctorum ſuccorum in oculum effuſio impetuoſiſſima, qua lachrymarum ideâ aquoſus humor effluit. quare ſymptoma eſt, immoderatè effluentis excrementi aquoſi. Hîc abeſt inflammatio oculi, quam ophthalmiam vocamus : quamuis ſæpè rubor oculum illum inuadat. Vt enim variè laſciuit in ſanguine ichor, frigidus aquoſus, vel acer & ſalſus, ita dolorem, ardorem, ruborem, aut horum vacuitatem inferre ſolet. A ſummo capitis vertice, ſubiet cutem frontis, in illam oculi membranam, quæ à perioſtio naſcitur, effundi ſolet, ac inde foras prodit. Cùm acrior lachryma manat, phlegmonoſa quadam diatheſi occupari videtur tunc ea

Cavsae : & ſigna cauſarum.

tunica quæ caluariam ambit. Etenim ichoroſus hic humor, qui lachrymarum idea ab oculis manat, nonnunquam algioſus eſt, aquæ æmulus, non vllius grauis doloris author, nec rubore aut ardore feriens oculos. nam epiphora plerumque euenit ab ichorũ copia, quæ vel in capite fouetur, vel à corpore toto illi infertur. Interdum acerrima vi perturbat oculos feruore, dolore, ac rubore : vnde oculis & circumſectis partibus metus arroſionis. Excernuntur hæc excrementa per vaſa quæ per ſuturas capitis in peri-

1. lib. 2. 2.

cranium excurrunt. Ægineta putat etiam ex vaſis, in caluaria contentis, fundi hanc aquam. Tunc, inquit, profundi dolores, ac acerrima concurrit ſternutatio interdum. Nam dum extra caluariam eliduntur, turgida ſe in conſpectum dant vaſa frontis & temporum, ac caput veluti reuinctum ſentitur, & à foris agglutinamenta præſidio ſunt. Ipſe æger de acrimonia manantis referet lachrymæ. Salſa lachryma pruritum excitat : vtpote ex acri ac aquoſa remixta. Hæc autem materia effluit ex venis vel arteriis laxioribus, vel ex vtriſque. Et ipſe oculus intemperie quadam labefactatus madidâ & laxâ interdum in vitio eſt; vtpote qui facilè capitis ruentia recrementa accipiat. Et ipſum nonnunquam cerebrum in querela eſt, quod fœcundè talem in ſe aquam colligat ob intemperiem conceptam, vel quòd aliunde illi hæc adferatur, vt euenit his qui poculis liberaliùs indulgent. Iã pauca de Prognoſi. A foris ſi cauſam agnoſ-

Prognosis.

cit, vt potum liberaliorem, facilè curabitur, abactâ causâ. Quò enim recentius fuerit malum, eò faciliùs cedit. Et quo vetuſtius, maximè ſi ab hæreditaria iniuria, eò ægriùs abigitur. Pueris à pubertate cedit, per eclampſin calidi natiui exhauſtu madore. Quæ excurrunt in diuturnitatem, canthis oculorum abraſis, perpetuas lachrymas procreant. Quæ effundunt ſe per internas venas, ægrius ſiſtuntur. Ex deprehenſa mali

Cvratio.

natura, tandem ad notas curatrices deueniemus, quæ ex quatuor rebus deprehendentur, I°. ex materia quæ in oculos effunditur: II°. ex viis per quas effluit, vt venæ, arteriæ, ſpacium inter pericranium & caluam; vel per interna ſpacia. III°. ex oculo qui incurritur ab hac materia. IIII°. ex capite & cerebro, vnde hæc materia dimanat. Ratione materiæ, ſcilicet fluentis, vel fluxæ. Fluentis ratione, num ea in vitio ſit ſolâ copiâ, vel num etiam qualitate, aut & copiâ & qualitate num vitium fecerit : & qualis ſit ea materia quæ influit, num ſubſtantiâ pituitoſa, bilioſa, flatulenta, vel num variè ex his remixta. Quare hæc erit exigenda, reuellenda, deriuanda maximè per os. Ratione materiæ fluxæ, naſcetur indicatio ſiccandi : ſed collineandum eſt ad materiæ vim: ſi enim acrior illa fuerit, non ſolùm ſiccandum, verùm etiam temperandum erit. Secundò, ratione ſpacij per quod fertur materia, oritur indicatio obturandi venas, arterias, & id ſpacium, ſiue in caluaria ſit, ſiue circa tempora & ponè aures: nam per arterias ſolet vaporoſus calidusque ſanguis ferri, & inde in oculos. Tertiò, ratione oculi qui incurritur, naſcetur indicatio illũ firmandi, ne ita facilè excipiat incurſum. Quare mador laxitaſque eius caſtigetur ſtringente quadam ſiccatione. Sed dices, Galenum vetari de aſtringentium vſu, vbi oculi fluxibus tentantur. Ita eſt, ſed Galenus

6. Aph. 31. & 13. Meth. vlt.

loquitur de ea materia quæ illapſa in oculos, ibi ſe ſiſtit, ac oculorum tunicas quæ tendit: ſed in epiphora materia oculis allapſa effunditur: & propterea Galenus vbi de epiphoræ curatione agit, aſtringentibus vtitur. Quartò, ratione capitis & cerebri vnde hæc materia profluit, & vbi interdum gignitur, vel alicũde importatur : ratione mittentis naſcitur indicatio reuellendi ad ſuperiora & ad poſtica. Si in eo gignitur materia hæc, id quia ab eius temperie labefactata euenit, naſcetur indicatio non ſolùm euacuandi, ſed etiam alterandi. Id fiet contrariâ remediorum vi. Si alicunde importatur, notandum num ex toto id fiat corpore, vel ex aliqua parte. Semper tamen prouiſio totius habeatur corporis. Cùm autem imbecillum eſt caput, facilè ex toto corpore materiam ſuſcipit. Ab euacuatione robur capiti affertur. Quantum attinet ad Indicationes quæ à parte ducuntur; Glauci oculi qui amplas venas ſortiti ſunt, mitioribus remediis tentandi. Scribit antiquus medicus Marcel-

Phlebotomia. cap. 8.

lus Empiricus, optimè in hoc morbo proficere abſtinentiam & ſanguinis detractionem, longeque melius cæteris remediis. Quum verò plurimis diebus vexatus quis fuit epiphorâ, & perſeuerantiâ pituita glutinoſior viſa fuerit, proderunt potiùs collyria ex metallicis facta. Sed cùm dolores exacerbantur (fluxus immanitate id euenit) pertunde venam. Quâ copiâ emittendus ſanguis ? Si æger ſanguinis vbertate circumfluit, & ſi vehemens effundit ſe fluxus cum atroci dolore, ne in phlegmonem abripiatur oculus,

oculus, plenâ manu hauriatur ſanguis. magni enim morbi metus imperat hoc. Quæ vena ſoluenda? Ea quæ reſpondet foco mali. Cucurbitulis euacua, reuelle; & deriua etiam hirudinibus. Cucurbitæ ſcarificatæ admoueantur dorſo, euacuationis causâ: dein ceruici, reuellendi gratiâ, & hirudines ponè aures ponantur: vt deriues, temporibus & iuxta oculos appones: & frontis venæ, modò caput circumfluat ſanguine. Quin ſi caput nimio rigatum ſanguine videatur, eius reclude venas. Euacuato toto corpore, ac capite, ceruici vel raſo capiti emplaſtrum imponemus ex cantharidibus, fermento & melle; veſicæ inde ſurgentes ſcindantur & illinantur butyro, & tegantur braſſicæ folio. Vel occipiti raſo imponatur ſinapiſmus. Si contumax malum fuerit, veſicatoria coronali ſuturæ imponemus, & occipitio cauterium inuremus. Hæc agemus ita, ſi à capite enata Epiphora fuerit: alioqui ſi à toto corpore malum fuerit, cruribus potiùs cauteria inuremus. Pareius etiam in hanc ſententiã iuit, vbi ait, Quodſi omnibus remediis fluxioni ſiſtendæ idoneis nihil profecerimus, reſtat, vt pyrotico ſeu ignito ferro ceruices inuramus, & ſetone tranſuerberemus. eſt enim ſingulare inueteratarum in oculos fluxionum remedium. Quotidiana enim experientia ſcimus, permultis quibus ex aſſidua defluxione viſus hebes caligabat, adeò vt etiam ferè cæcutirent, priſtino ſplendori & acumini oculos ac videndi aciem reſtitui paulatim, vbi primum ab vlcere, cauterio appreſſo, pus manare cœperit. Cuius rei patuit veritas in Paulo aurario fabro Italo. Is enim multis multorum & medicorum & chirurgorum fruſtrà vſurpatis remediis, cùm ferè conclamatæ eſſet viſionis, appreſſo, me conſultore, pyrotico, ſenſim pro puris manantis ratione, acutius cernere cœpit, donec tandem acutiſſimè cerneret. Tum igitur, etſi ſemper pure vlcus manaret, ſetonis, quem annum integrum circumtulerat, pertæſus, ipsũ detraxit, atque vlcus cicatrice obduci voluit. verum illo fluxionis amoto diuerticulo, cùm humor in oculos iterum ſe inferret, ac iam cæcitatis periculum immineret, me vocato, vlcus cauterio aperiri, & ſetonem denuo immitti ſibi curauit. Ex quo priſtinæ oculorum integritati reſtitutus, etiam nunc ſetonẽ iſtum circumfert. hactenus Pareius. Cùm ergo antiquatur fluxio adeò vt metus adſit ſuffuſionis & cęcitatis, occipitio cauteriũ inuremus, quò ad poſtica reuellatur fluens materia. Nonnunquam enim irruit hæc materia, non ſolùm per arterias & venas, ſed etiam per neruos opticos. Cauterium ſetaceo vtilius eſſe videtur, magnam enim materiæ vim expuit, totumque caput euacuat reuulſoriâ vi. Illud ſtudium adſit, vt aluus quotidie reſpondeat naturæ. Materia morbifica excluſioni paretur hoc modo: Si illa frigida fuerit, dometur euphragiâ, rutâ, chelidonio, fœniculo, betonicâ, ſtœchade. hæc potui include, & etiam decocta ex his parentur: quibus remiſce ſirupum de ſtœchade, de betonica, & mel roſarum. Quodſi materia calida fuerit, hoc modo: decoctis verbenæ & cicoracearum iunge ſirupum endiuiæ, nymphææ, violarum. iunge interdum decoctis euphragiam & acetoſam. Tandem excludatur hæc materia. Si ſuccus repit per venas internas, nihil magis conferet quàm diætâ & pharmaciâ eam exhaurire. nam in ſiccatione conſiſtit tota huius mali ſanatio. Si fuerit materia aquoſa, ſumat pilulas de hieracum agarico: vel accipe pilularum maſticinarũ. pilularum lucis, myrobalanorum, cuiuſque ſemiſcriptulum, cum aqua euphragiæ fiant pilulæ. Nam pilulæ ex myrobalanis, & illæ quæ ex maſtice, commendantur ob ſtrictam quam ſpirant vim. Cocciæ & pilulæ lucis maiores, etiam commodè dantur, vbi pituita incommodat: ſinnotes, cùm hanc ſuperat melancholica. Laudantur etiam pilulæ aggregatiuæ, & pilulæ ſine quibus dictæ, & quas aſſaieret vocant. Si potum malit æger, accipiemus ſirupi roſati cum agarico vncias tres: cum decocto corticum myrobalanorum chebulatum, indarum, liquiritiæ, & paſſularum, fiat potio. Et ſequenti die ſumat theriacæ drachmam. Si bilis copia in vitio ſit, exhibeantur pilulæ aureæ, vel ſirupus roſatus laxatiuus, caſſia, tamarindi cum decocto cicorei, & euphragiæ, & fumariæ: electarium de ſucco roſarum. Sed leniſſimè purga, ne agitetur materia accipe florum violarum ſemimanipulum: paſſularum Corinthi ſemunciam: pruna decem: myrobalanorum citrinarum ſemunciam: coque ex aqua. colaturæ adde electarij de ſucco roſarum ſemunciam. Purgato toto corpore, tandem ipſum purgabimus caput: cùm in vetuſtatem abit malum. Ab acerrimis errhinis cauendum. & antea præſtat apoplegmatiſmis vti. Maſticet maſticen cum pauco pyrethro, & agarici momento. Fiant etiam gargariſmi ex ſucco ſaluiæ, cum ſcriptulo ſinapi. Vel ex decocto hyſſopi, betonicæ, maioranæ, iunge quid oxymelitis & ſinapi. Tandem errhinis vtantur, vbi frigida eſt materia; nam ita auerſio fiet à meatibus canthorum oculi, ad naſum: etenim iidem ſunt hi ductus. Cautio adſit, ne præſeribas purgantia errhina, ſed leniter ſolùm deriuantia. vt ſuccus betæ, maioranæ, cum decocto hordei, vel butyro, aut oleo amygdalino, abſtine ab elaterio. Deinde robur corpori & capiti addatur. theriaca pota mirè prodeſt, inquit Ægineta: & mithridatum, electarium pleres cum muſco, diambra: Myrepſus etiam Philonium præbet, ad epiphoræ dolores. Foris etiam remedia admouemus. Si internè influit humor, frigidis remediis nec frons nec tempora feriantur: metus enim foret ne optico neruo impingeretur humor. Verùm cùm per meningem influit humor, rectè illa admouentur, quo venæ & arteriæ externæ intercipiantur denſantium vi. vt balauſtia excepta oui albo & aqua roſata. Accipe boli, maſticis, cuiuſque vnciam: cum oui albo & pauco aceto fiat ſplenium, fronti & temporibus admouendum. Aliud: accipe albumen oui cum aqua roſata, his adde roſas & puluerem gallarum. Aliud: accipe aquæ roſatæ vncias quatuor: ſucci lycij vel acaciæ ſemunciam: pompholygis drachmam: lintea his madefacta imponantur oculis. Interdum id fiat ex ſola aqua roſata: & cùm fronti imponitur, adde quid aceti, vt peruadat. Accipe gallarum immaturarum, roſarum rubrarum, ſanguinis draconis, malicorij, hypocyſtidis, cuiuſque ſemidrachmam: tragacanthi ſemunciam: madeſcant aquâ roſatâ, & extende ſuper peciam. Sæpè lauent faciem aquâ cuſpidum roſarum, & decocto myrtillorum, & malorum granatorum, vel ſucci prunellorum. Si dolor fuerit vehemens, accipe trochiſcorum alborum Raſis cum opio, (quodſi dolor non vrgeat, ſine opio) ſemidrachmam: aquæ cuſpidum roſarum, ſeſcunciam: aquæ fœniculi vnciam: miſce, fiat collyrium. Cùm enim cauſam agnoſcit calidã, recreatur oculus remediis ophthalmiæ dicatis. Lauet faciem aquâ plantaginis: & fiat collyrium ex tutia & amylo, cum muccagine pſyllij, aquâ roſatâ vel ſolatri: & in linteo oculis ſuperponantur. Si adſit pruritus, & inde ſi natum malum, accipiemus tutiæ drachmam: lapidis calaminaris ſemidrachmam: coralli rubri præparati ſcriptulum: lapidis hæmatitidis decies loti in aqua frigida drachmam: cum adipe recenti porcino fiat collyrium. Accipe maſticis ſemidrachmam: acaciæ, ſanguinis draconis, ſingulorum ſeſquidrachmam: cum oui albo & aceto impone fronti & temporibus: adde

Phœnigmi & cauteria.

9. lib. 14.

Hiſtoria.

PHARMACIA.

Præparantia.

Purgantia.

Caput vacuandum.

Cautio.

Roborantia.

Topica.

In materia calida.

interdum bolum, tutiam, aloën. Aliud ex Oribasio; accipe cochleas albas cum testis contritas, & cum albumine oui mixtas, vel cum succo herbæ perdicij, hoc est parietariæ. vel colla soluta aquâ feruenti. Vel fiat frontale ex succo rubi cum farina, & pauco puluere gallarum, ex decocto psyllij, cum pauco aceto. Sed illud est obseruabile, materiam quæ oculis incũbit interdum mordacem esse, vnde, si illa retineatur vi astringentium, acerbi incumbunt dolores, & vi dolorum fit attractio. hic coque melilotum cum gallis & capitibus paueris ex aqua rosata. Vel accipe fumachij parum triti scriptulum: aquæ plantaginis vnciæ immaceretur, & fortiter exprimatur; adde aquæ rosatæ, albuminis oui, aquæ euphragiæ, cuiusque semunciam: sacchari crystallini triti, &c, cum panca copia præscriptæ aquæ, colsti scriptulum: fiat collyrium. Vel albumen oui tenui linteo exceptum, oculo imponatur, suasore Ægineta Eodem modo caseosa pars lactis admouetur. Oribasius dicit oui candidum & lac misceri. SI, inquit idem author, magnus sit defluxus & dolorificus, cataplasma impone ex semuncia rosarum siccarum, & croci drachma: excipiantur dulci meliloti decocto. Si materia maximè prurit, fœliciter oculis inferuntur, ex Auicennæ sententia, myrobalani puluerisatæ, temixtæque cum aqua rosata: id enim robur præ siccitate oculis affert. Collyrium psittacinum à colore ita dictum, facit ad epiphoras quæ cum tenui & acri lacryma existunt. Si nec acris dolor, nec pruritus molestiam adferant, surgendum est ad pompholygem albam: nam hæc siccat & abstergit, morsusque est expers. nigra enim pompholyx mordicat. hanc peciæ illigatam immitte aquæ rosatæ, & exprime. Si materia fuerit frigida, fiat puluis ex caryophyllis, mastice, nucibus cupressi, necnon balaustiis, coriandro, cypero, sanguine draconis, croco, mẽtha, rosis: semunciam huius pulueris diluemus cum muccagine tragacanthi gummi emulsi aquâ rosatâ, fiat anacolima, fronti & temporibus admotum. Ita aloë & thus, cum muccagine cochlearum fronti illinitur. Pulueribus etiam siccandum caput: Accipe cyperi, caryophyllorum, styracis calamitidis, coriandri, singulorum drachmam: fiat puluis, qui inspergatur anticæ parti capitis, cùm lectum ingreditur. iungimus interdum masticem, gummi iuniperinum, itidem, rosas rubras. Fiunt & sacculi ex milio & rosis rubris, nuceque cupressi. Iubet Ægineta, vt vitriolo cum melle frons, & palpebræ illinantur: vel vt aqua in qua vitriolum eliquatum fit lauetur frons & facies. Primùm vtemur hoc collyrio. Accipe succi plantaginis vnciam: misce aloës, croci & gummi tragacanthi, quod satis fit vt inspissetur: fiat collyriũ. interdum additur quidopij. Præclarè ita finguntur collyria: hæc enim nullam in se asperitudinem habent. Nam quæ huiusmodi non sunt, quamuis curiosè terantur, naturam suam amittere non possunt, nunquam enim vt succus diluuntur, sed cùm etiam ad summam subtilitatem perducta sunt, tamen quasi puluerulenta necesse est maneant, quæ oculorum partes velut configunt, & molestiorem concitant epiphoram, si ab initio adhibeantur. Cùm verò pluribus diebus quis vexatus fuit epiphorâ, & perseuerantia humoris, atque pituita glutinosior reddita fuerit calore oculorum, tunc proderunt collyria ex rebus metallicis, nam tunc faciliùs ea oculi ferent, modò exulcerations expertes fuerint. Metallica diligenter vri debent, & vel decies lauari, & rursus siccari: vt vitriolum Romanum & album, cerusa, marchasita, & talia. Peric bristarnio nostrum efficax est, etiamsi solùm palpebræ subtiliret inde superlinantur, & his circumlitum, hoc descripsimus libro primo Methodi nostræ ad praxin, vbi De collyriis. huic addimus interdum quid stibij, succi acaciæ vel lycij, sarcocollæ, aloës. Metallica lauantur aquâ cuspidum rosarum, vel myrti. Accipe atramentum sutorium, hoc est chalcantum viride, tunde & cribra; & factum mollissimum puluerem ex oui incocti albo consperges, & fac collyria quæ in vmbra siccabis, & inde desuper palpebras inunges, & tempora inlines: temperetur, vsus tempore, oui albo. Interdum ex aceto temperari poterit. Sed ita circumlines, vt nihil interiùs de medicamine ingrediatur. Myrobalani incoquuntur aquæ euphragiæ, chelidoniæ, furfurum decocto: colsturæ additur tutia, myrrha, aloë, crocus. Accipe nucem cupressi, myrtum, rosas, sanguinem draconis, masticen, myrrham: coque ex aqua rosata, colaturæ adde tutiam & sarcocollam. Si oculi madent nimium, quidam extinguunt ignitum corallum rubrum in lacte muliebri, & abluunt eo oculum per nouem vices. Quidam quid aquæ vitæ oculis indunt. Collyrium nardinum adimit dolores, fluxumque tenuem sistit, ac pustulas oculorum abigit. Si dolor vrget, Accipe acaciæ, vel terræ Samlæ drachmas duas: opij drachmam: stibij drachmas tres: gummi tragacanti semunciam: aloës sesquidrachmam, tere, & tandem confice cum aqua pluuiæ & gummi, vt fiat collyrium. Pauca iam de diæta. Aër sit fumi expers. Paulus censet inediam vilem esse ineunte morbo, & aquæ potum commendat. Parcissimè potet, nam in siccatione tota hæc curatio versatur. Vinum bellum huic morbo indixit, dum humor in cursu est. tandem ad sustingens vinum veniat. Præ cunctis Venus nocet. Sit aluus officij memor. Vsus quædam obseruauit remedia. Tradit Marcellus empiricus, vno die incipientem epiphoram tolli, quæ nondum alio medicamine tacta est, illitione Lycij Indici. Decoctum serpilli, betonicæ, & rsdicum fœniculi, ex aqua chalybeata oculis impositum, lachrymas sistit. Brassica cruda cum pane candido madefacto subacta, ac fronti inlita, dolorem oculorum plurimùm releuat. Lapidis gagatis drachmas duas contundes, cribrabis, & aqua pluuiali vel fontana conspersum, puluerem liquidum facies. deinde in ampulla vitrea repones: cùm necesse fuerit, pinnâ columbinâ laborantem oculum inunges. Herbam peristereon discoques ex aqua fontana ad tertias: fone inde oculos. Scribit Prosper Alpinus, mulieres Ægyptias paratum linimentum habere ex lycio & antimonio, quo cottidie oculos linunt, vt eos defendant ab humorum influxu. Limaces complures tere in mortario nitido, cum albumine oui incocti, & lauâ succidâ fronti impone. Puls fabacea linteo inlinatur, & oculis de nocte impone, ita vt non alliges. Succus malorum punicorum coctus, donec dimidium absumatur, calidas lachrymas curat. Vua acerba combusta & puluerata, oculisque imposita. Crebrò lacrymantes oculos vt fiecces: lucernam oleo cedrino repleram accensamque, superposito, vel iuxta suspenso æneo vasculo, permitte consumi: inde fuliginem collectam, in pyxide Cypria recondε, & cùm opus fuerit inunge; miraberis efficaciam medicamenti.

Marginalia: *Pruritus.* — *Vide Marcellum 116. A.* — *In materia frigida.* — *Frontalia.* — *Metalli.* — *Notandum.* — *Marcelli.* — *Antido. Florent. 102.* — *Victus ratio.* — *Empirica.* — *Ex Marcello.*

Caput III.

De Ophthalmia, *hoc est Lippitudine.*

OPhthalmia est adnatæ tunicæ oculi inflammatio, ita vt rubeat id album quod in oculis est, hoc

hoc est, illa tunica quæ conioočtiua vel adhærens vocatur, quæ originem ducit à pericranio. Vnâ hac ophthalmiæ voce, morbi species, & pars obsessa exprimitur. Acerbissima hæc phlegmone, omnium partium dolores acumine vincit. Nascitur à causis interois, vel ab his quæ à foris. Ab internis originem ducit, vt cæteræ inflammationes, ex sanguinis influxu, maximè biliosi, interdum etiam ex flatu: & ab oculi vi labefactata. Irruit ille sanguis in venulas quæ disseminantur per eaua oculorum, nobis minimè conspicuas: vel ex venulis in substantiam tunicæ effunditur. Irruit autem sanguis, cùm fluxus causæ adsunt: nimirum orgasmus, doloris vis, vel cùm pars continens mittit materiam in contentam. Orgasmo ferror effera materia. dolorem interdum faciunt causæ quæ sunt à foris, vt lapsus, ictus, puluis: oleum iosusum. Diligenter causa inqoiratur; nam aliter quæ à foris; aliter, quæ ab internis curatur. Pars continens, est caput; hoc enim oculum vt continet, ita à toto corpore continetor caput. Quate inde elidi possunt materiæ: vel si pars aliqua capitis intemperie tentator, inde manare materia solet. Signa in propatulo sunt. Nam turgent oculares venæ, ac album oculi rubescit, dolor summus adest, & ardor & pulsus, vnde lachrymæ. A sanguinis copia natum malum indicat calor, rubor, tensio, pulsus, tenixus: tumor maximus in loco iobro. lachrymæ crassiusculæ, nec acerbè vellicantes, lenis fœcundæ. dolor non acerbissimus: & corpus totum sanguine circumfluit. A bilioso sanguine esse denunciat tumor moderatus in peripheria, color subpallidus, dolor acerbus & mordax, lachrymæ paucæ, salsæ, amaræ, acres, ilico conterescentes, lemæ squalidæ & asperæ, vigiliæ fatigant: excrementa biliosa, corpus gracile. Quodsi sanguis qui tumorem facit fuerit pituitosus, tumor erit maior, sed laxus, color albus, lachrymæ plurimæ tenues, sordes nullæ, aut molliosculæ, corpus totum pituitescit. A flatulenta si materia malum sit, aderit tensio sine grauitate & rubore, nullæ acres lachrymæ. Vt varias causas habet, ita variis paroxysmis tentatur: dum enim à sanguine est, manè viget dolor; à bile, meridie. Suam ætatem agoscit etiam ophthalmia adolescit enim ac principium suum tunc habet, cùm venulæ adnatæ tunicæ velut fila quædam tument: augumentum verò, cùm materia excidit è venulis in corneam membranam: statum, quando in eam magnitudinem exerescit, vt palpebræ nequeant conniuere: declinationem, cùm oculus tumorem deponere incipit. Plerumque hic tumor prouenit ex sanguine, vel bilioso sanguine: nam pituita ægrè ad tunicam peroadere potest ob crassitiem & tenacitatem. Flatus etiam tenuis interdum irrepit in tenuissimas venas, ac tensione dolores adfert. Si totum caput doloribus inuoluatur, significatio fiet, inde profectam materiam esse. Sin frons acerbè doluerit, à meningis crassæ vel pericranij intemperie calida enatum fuit malum. Si vomat per dolorum incorsus ilico, ventriculus focum morbificum habebit. Ophthalmia est duplex, leuis, & grauis, quæ, ταραξις dicta, nascitur à rebus quæ à foris sunt, fumo, vento, arenulis. Horum enim impulsu, leuitet incurruntur oculi humoribus tenuibus. Alia est chymosis. Illa facilè tollitor lotione aquæ frigidæ, vel aquæ rosarum cum albumine ooi, aquæ plantaginis, lactis muliebris. Hæc instillantur oculis, ac illi teguntur linteo tenui, eodem liquore madente. Cùm deferbuit malum, saotala citrina cum mace, aut cum pauca spica, vel cum euphragia cum fœnicolo ebulliant in aqua rosata, & ex his fooe oculom: ita exhaurietur pepasmo mitigata materia. Si grauis afflixerit ophthalmia à materia acri, initio vtatur victo refrigerante, & tenui; absit vinum, dum defetbuit malum. Herbæ in cibum veniat, borago, buglossa, endiuia, spinachia, cucurbitæ, lactuca, acetosa, ptisana cum lacte feminum frigidotom: panata. Potui addat succum mali punici. Si totum corpus non turgeat à sanguinis copia, exacta sesquiseptimana, sedataque fluxionis vi, oua tremula dentur. Abstineat à lacte, caseo, froctibos crudis, carnibus sale induratis, aromatibus. fugiat pottum, allium, cæpas, sinapi, & qoicquid plethoricis caosis caput implet. Potus sit tenuis ceruisia, vel aqua bordei in qua fœniculi quid coqoatur. Abstineat à rerum locidarum inspectione. intercipiantr visus serico viridi. Decumbat semper capite erectiore: & sedeat maximè, ita non incalescet caput. Somno studeat, quies enim oculos recreat, loco sit obscuro. Vice exercitij aquâ tepidâ foucantur pedes, & crura fricentur, mox scapulæ & brachia; ita abducentur à capite vapores & sanguis. Quin clysmis reuulsio etiam fiat. Iam ad Curandi leges abeo. Adest hîc inflammatio, quare easdem hoc malum Indicationes exigit, quas cæteræ phlegmones: de quibus coplosè egimus libro De Morbis capitis, vbi De phrenitide. Nam vt dolor fuerit ab aliis atque aliis causis, ita aliis notis in curationem ducemur. Nam doloris ophthalmici tres causas recenset Galenus, nimitum acris humoris morsum: iuoicæ à plethora distensionem: vel extensionem membranarum ophthalmicarũ à crassis humoribus, vel flatuosis spiritibus. Quare actimonia humoris venit temperanda, & materia ea excludenda: tensio laxanda, abductis illis quæ tendunt: crassi humores teouandi, ac flatus discutiendi. Quid horum fatiget, tu vide, ac contraria iam dicta in vsum voca. Iam ad Prognosin. Cùm non totus oculus, sed solùm adnata membrana (hoc est ea quæ albet in oculo, nata ab ea mẽbrana quæ caluariam ambit) inflammatur, curari malum poterit. Alui profluuium si superuenerit, bonis id fit ægrorum rebus. Maximè hoc malum nascitur à pericranio, à quo venæ io oculum fundunt se, per frontẽ & temporæ maximè cum in bis circumfluit sanguinis copia: & interdum, vbi bilis luxuriat, nam rarò à flatu hæc querela est. Propterea scripsit Razes, vbi cruenta apparet tunica alba, & oculi lachrymantur, adest ophthalmia. Phlebotomia necessaria est, si adsint eius scopi: hoc est, si morbi species, magnitudo causæ sanguineæ, & symptomata suaserint, cæteraque consentiãt. vt vires, & ea quæ viribus studẽt, vt ætas, tempus vernum, regio temperata. Etenim phlebotomia, præterquam quòd prouentum materiæ vberiorẽ probibeat, flectit materiæ cursũ ab oculis, atqoe eam auertit. Quodsi in arteria spirituosus conceptus sanguis fuerit, secetur arteria quæ in fronte subsultat. Ita etiam cucurbitulas admouemus, vt reuocetur materia ruens orgasmo, & ad caosæ coniunctæ amotionẽ. Hirudinibus idem agimus: cauteriis etiam vtimur, & paracentesi. Si itaque dolor vrget, eiusdem lateris cephalica secetur: quæ si latitet, mediana aperiatur amplo vulnere, vt calot præter naoram euanescat. Sanguis effluat eã copiâ, quam vires ferunt. Cucurbitæ lateribus colli & mento adhibeantur, vbi insignes tepunt venæ. Scarificatio etiam auricularum prodest. Lora etiã brachiis iniiciantur. Paracentesis hoc modo instituatur. Prehendes forcipe perforatâ cotem, (ea qua potes mole,) eam quæ initio ceruicis ad eaunm occipitij est: hoc est inter caput & secundam colli vertebram, super processum: prima enim vertebra processus expers. Deinde ferreum stylum candentem, per foramen forcipis, quo carnem cum cute comprehendisti, traiicies. Postea filum sericum crassiusculum & asperius, vitello oui imbutum transmittes per foramen iam factum. Et

Margin notes (left): Cavsas. — Signa. — Differentiae. — Turbati oculi curatio. — Diaeta.

Margin notes (right): Curationis nota. — Prognosis. — 13. Meth. vltimo. Phlebotomia. — Arteriotomia. Cucurbita. — Qua vena. — Scarificationes.

eo modo locum petulum ad quadragesimum ferè diem permittes. commodum sanè temedium vacuando, reuellendo, & deriuando. Dum hæc aguntur, à fronte tepellatur materia, oui albo cum bolo, *Pharmacia.* mytrhâ, thure. Solutâ à venâ humerariâ, inquit Razes, ducatur aluus. si acces admodùm sint lachrymæ, citra ptæparationem purga. Biliosa enim ophthalmia maximè pharmaciâ curatur. Sed sit leue id pharmacum, & primùm recreatis id fiat viribus. Hippocrates metuit ne fortiori pharmaco humores *Lib. De locis in homine.* agitati confluant in oculos. Ilico, dicit Razes, æger à carnium & dulcis vini vsu arceatur; vtatur lactuca, portulaca, intybo, & aqua, ac parcè victitet. Quare si fit à bilioso sanguine, quem ferè acutus dolor sequitur, vtemur myrobalanis citrinis, tamarindis, maonâ: & etiam Rhabarbaro, & cassia, catholico. maximè tamarindis & cassiâ, electario de succo rosarum, hieta picta cui superpotabis serum lactis. Validiores sunt pilulæ aureæ, & pilulæ lucis. Si pituitâ homo circumfluat, purgetur alephanginis pilulis, adiecto agarico, vel diaphœnico. Et si diuturnum euasit malum, meri vini vsu attetatur illa succorum crassities. Cùm melancholiæ copia luxuriat, id agemnespithymo, foliis sene, polypodio. Clysteres & glandes purgationis loco interdum erunt. Prouisione ita habitâ totius corporis, cucurbitæ admoueantur ceruici & humeris. Hactenus egimus qua arte flectatur aliò irruens in oculum succus, iam *Topica.* quò coniunctam expugnemus causam. Topica remedia in vsû vocare debemus, quæ varia sunt ex vario phlegmones per sua tempora decursu. Dum enim, ineunte morbo, materia acris validè decurrit, illa tepelli debet adiuique arceri. Dum verò incre- menta phlegmone ducit, hæc eadem repellentia *Notandum.* vsui erunt, adiectis digerentibus. Sed obseruatione dignum, hæc quæ parti ægræ inferuntur remedia, vel materiæ morbificæ ascribi, vel symptomati. *Doloris remedia.* Symptoma hic vrgens est dolor. Ille sopiendus: nam allabentem etiam hic prouocat ad se materiam. Prudenter tamen id ages, nec ilico id tentabis nar- *Lib. ad Trasybulum c. 8. lin 16. in Graeco.* coticis. Quamuis scripserit Galenus, opium inflammatis conferre oculis, sensim tamen ad id & ad maiora veniemus. Primùm demulcebimus oculum lacte tepido, & trochiscis albis Rasis sine opio confectis: vel aquâ rosatâ cum oui albumine. lintea vaccino lacte humecta tepide impone hyeme: æstate, algiosa. Interdum addimus semen papaueris albi, eaque tepide maceramus. Sed cautio adsit in lactis vsu; id nonnunquam corrumpitur in inflammato oculo & lædit, dum ab æstu incanduit. Cataplasma hoc profuit sæpè: Accipe foliorum plantaginis, rosarum, violarum, cacuminum rubi, singulorum semimanipulum: cum lacte fiat cataplasma: obueletur tenui lincamento: clauso impone oculo. Fit etiam cataplasma ex pulpa passularum, cum lacte muliebri. Prætereamelliloti decocto interdum vtimur; vel illud coquitur in lacte, vel aqua melliloti coquitur cum lacte. Alexander miscet micam panis, ego cocti sub cineribus pomi medullam addo, cum vitello oui & aqua rosata: addo quid croci. Cùm ad vigorem morbi ventum est, accipimus aquæ violarum, decocti fœnugræci, aquæ oui albi, singulorum vnciam: trochiscorum alborum Rasis drachmam: fiat collyrium. Sed cùm ad vltima ferè ventum fuerit, adiice camphoræ & croci, cuiusque grana quatuor. Sed à narcoticis abstine inchoante morbo, cùm totum corpus nondum euacuatum est. Quater aut sæ- *Describitur 9 Ad Almansorē 15. in fine In Antidotario Flor. 103.* piùs repeti medicinæ impositio debet. Commendatur ad dolorem implacabilem sief album Mesues, & Rasis collyrium album, cum lacte vel albumine oui: & cygnus Galeni: & Diarrhodon Nilei; nam dolorem placat, facit ad fluxum vberem & tenuem, pustulas & prolapsus oculorum. Sief de rosis Mesues & Sief luteum Mesues. Pomum coctum cum saccharo mitigat dolorem, adde lac mulieris, & patum croci. Si his non cedit dolor, Coque capita papaueris albi in decocto meliloti, cum radice mandragoræ. vel mica panis coquatur ex aqua rosata, adiectâ farinâ seminis papaueris. Vel coquatur papauer album in aqua rosata, vel lacte muliebri, adde albumen oui & croci parum. Ab vsu verò opiatorum, fiat fotus ex decocto meliloti. Hoc modo vrgenti dolori succurrimus. At ratione materiæ *Ratione materiæ.* commendantur reprimentia & discutientia, prouisione habita totius corporis. Ineunte morbo commendatur oui album cum aqua rosata: id reprimit, & dolorem placat. Interdum affundimus aquam plantaginis, vel muccaginis gummi tragacanti aliquid. tepens illud in oculum instillatur: & ipsi linteolum duplex eodem collyrio imbutum imponatur. Aliud: Accipe muccaginis seminis psyllij & cydoniorum extractæ in aqua plantaginis vel rosarum, cuiusque drachmas duas, lactis muliebris vnciam; trochiscorum alborum Rasis scripulum: fiat collyrium, quo vtatur vt iam dictum. Ita primùm præscribi debent collyria quæ repellunt; postea quæ præscribuntur, magis concoquant, tandem maximè digerant. Sed cautio adsit, ne insigni strictione vtamur vbi cum oculis nobis res est. Quare minimâ copiâ in vsum veniat hypocistus & acacia: ne materia morbifica, quæ eò influxit, exitu prohibeatur. Accipiant ergo decocta vim rosarum, vt decoctum fœnugræci, & decoctum meliloti cum aqua rosarum. & sensim accidatur vis rosarum, & eius loco veniat aliquid myrrhæ, ea enim tenuat & digerit. Et tandem ad decoctum fœniculi, euphragiæ & chelidonij veniemus; postremò ad fellea collyria. Repellit etiam decoctum salicis, populi, myrrhi, cum psyllio, & pauca caphura. Si ab externis partibus influat, succi mororum immaturorum siccati vtemur drachmis duabus, cum lacte, albo oui & aqua rosata cum pauco aceto. Vel vtemur emplastro diachalciteos, vel emplastro contra rupturam, in oleo myrti & pauco aceto dissolutis. Sed vbi internè influit humor, ab his abstinendum est, nec fronti aut temporibus admoueri debent, ne in neruum opticum ruant. sed bombacem madentum his, potius oculis imponemus. Quare in phlegmones oculi initio, cùm materia influit in oculum, dùmque hic solùm calet ac rubet, reprimemus. In augmento phlegmones, hoc est, cùm in partem aliquid materiæ influxit, & oculus intumuit, aliquid coquentium remiscebimus pellentibus: cùm in vigore versatur morbus, coquentia augebimus, & ea quæ reprimunt accidemus: in declinatione, meris exhaurientibus indulgebimus; & tandem robur parti afflabimus. In hac huius partis afflictione, remedia sint lenia, mollia, sine morsu, sine lentore, ne pertinaciùs adhæreant: nec arescant, ne acrimoniâ ascifcant: & mitigent dolorem. &, si dolor vrget, quater vel sæpiùs renouentur medicamenta. Quare, vt antea dixi, vbi prima vestigia impressit phlegmone, accipiemus trium ouorum albumina; hæc diu conquassentur, ac semper conceptam abiice spumam: adde calycum rosarum aquæ, sescunciam; & aquæ rosarum semunciam: sæpè aliquid oculis indatur ac imponatur. cùm dolor iubet, renoua. Et cum decocto althææ & violarum vim seminis althææ & cydoniorum extrahimus. Pomum semiputridum misceetur cum aqua calycum rosarum. In causa calida ab initio etiam fotu vti licet hoc, Accipe florum rosarum & violarum, cuiusque pugillum: balaustiarum semunciam, & tantundem santalorum, coque omnia ex aqua pluuiali. hoc ex linteo molli ac tenui foueatur oculus.

vel in τρῶ.

oculus. Hoc admonuit medendi præceptor, vbi ait, Abstergentis vtendum puris & mollibus: ad oculos quidem linteis, ad vulnera verò spongiis. Prudenter enim paulò antè scripserat, * Πᾶσα δ' ἱερὴ ὄφρασις, ἀδεινέστατα ὀφθαλμοὺς ἀποπρῆξαι. Si iuxta pericranium foras irruit humor, præter emplastrum iam dictum, hoc vti poterimus, Accipe masticis, coralli rubri, myrtillorum, cuiusque drachmam: olei myrtini, succi plantaginis, cuiusque semunciam: ceræ & terebinthinæ quod satis sit vt fiat ceratum: hoc stringendi vi aditum succis denegat. In mali augmento vtemur decocto maluæ, althææ, cydoniorum: in statu addemus semen lini & fœnugræci: in declinatione croco, sarcocolla. Fœnugræcum infunditur per diē aquæ, coquitur sæpè effusâ ac renouatâ aquâ: exprimitur muccago: hæc ad tertium perennat integra diem. Accipe florum meliloti manipulos tres: seminis fœnugræci crassiusculè contusi vncias tres: coque ex pluuiali aqua ad tertias: linteis mollibus fiat fotus: discutit. Sarcocolla ex lacte muliebri digerit & repellit: quare imminente augmento ea vtemur. Gossypium madefactum ex succo, linteis exceptum oculis internitur & alligatur: sæpiùs repetitur cùm dolor id velit. Si biliosus sit humor, balneum aquæ dulcis vtile erit. Et oculus foueatur aquâ tepidâ in qua ebullierint hordeum, violæ, plantago, capita seminàque papaueris, & hyoscyami semen. Sin frigidi succi misceantur, id fiat ex decocto chamæmeli, anethi, seminis lini, euphragiæ. Hæc agenda cum ad vigorem ventum est, & dum ille iam superatus est. Tandem roboranda est pars santalis, mace, spicâ, coctis ex aqua rosata. Accipe aquæ rosatæ drachmas duas: vini albi semidrachmam: pompholygos præparatæ scriptulos duos: fiat collyrium. Aliud: sarcocollæ nutritæ lacte muliebri drachma: aloës lotæ aquâ rosatâ semidrachma: trochiscorum alborum Rasis, & sacchari canditi, singulorum drachma: excipiantur aquâ rosatâ: fiat collyrium. Coque ex aqua semen fœnugræci & fœniculi, cum floribus meliloti & euphragiæ: aliquid inde sume, cui adde tutiam & sarcocollam, cum saccharo crystallino, myrrhâ vel aloë. Sed in fine morbi præclarè ad salutem facit illud vnguentum quod aliàs descripsimus in nostra Methodo ad Praxin, vbi De collyriis. In victûs ratione obseruetur vt tenebricosa sit domus: somnus vt veniat adsit studium: nec decumbat in oculum dolentem: supinus cubet. Abstineat ab his quæ plethoricis causis caput implent: vtatur his quæ ventri robur adferunt: abstineat à vino, nisi à flatibus vel viscidis succis natum sit malum, A persicorum esu abhorreant, hæc enim fœcunda sunt in lippitudinem. Illud notandum, vt, si ophthalmiæ se consociarit cephalalgia, illa primùm abigatur, nam materiam effundit. Visus claritatem ita conciliabis, Accipe tutiæ præparatæ, sarcocollæ nutritæ lacte muliebri, cuiusque drachmam: aloës lotæ aquâ plantaginis semidrachmam: antimonij præparati scriptulum: lapidis hæmatitidis semiscriptulum: (sed vide num potiùs sit stringendum, vel discutiendum) adde aquæ rosatæ vel plantaginis quod satis fit: vel decocti fœniculi vel fœnugræci aliquid, quò fiat collyrium. Vbi materia est frigida, iunge quid spicæ. Aliud: Accipe aquæ ex melle destillatæ vnciam: sacchari crystallini drachmas duas (nam leuiter abstergit) vel in fistula fœniculi viridis liquescat id saccharum: hoc oculos recreat languentes à frigore.

** Hoc est, Omnis enim occasio, vel leuissima, prompta est in oculi turbationē*

Diæta.

Ad visus claritatem.

Capvt IV.

De *Suffusione, & vngue oculorum.*

PRimium egimus de Epiphora; quæ cùm sæpè Ophthalmiam accersere soleat, de hac etiam secundo loco scripsimus; tertius locus debetur Suffusioni, quæ plerumque succedanea ophthalmiæ solebat esse; suffusionem excipit interdum vnguis. quare nunc de his transigo. Suffusio vulgo cataracta dicitur cùm antiquatum est malum: Græcis ὑπόχυμα, cùm recens est malum. Suffusio duo significat apud Medicos, vel leuem scotodinon, quo lucidis, foris, apparentibus oculis, fumi, atræ nubes, muscæ, ob oculos versari videntur. Nascitur hæc à tenui æstuosóque halitu, qui per arterias in caput irrepens, visum turbat: vel à ventriculi nidore id euenit. Altero modo significat concrētum humorem in pupilla, vel decubitum præcipitem humoris, inter id quod est inter crystallinum humorem & corneam tunicam. De hac hîc agimus. Diximus, In pupilla: nam eius regio occupatur adeò; vt visoriis radiis negetur exitus, siue foris, siue intus accreuerit hic humor ad corneam membranam: fit enim interdum vt ex longa epiphora foris obsideatur cornea membrana à crasso membranulosóque humore. Diximus esse præcipitem decubitum humoris. nam narrat doctissimus Fernelius, se interdum vidisse crassam ac consummatam suffusionem vno die congestam fuisse. Solet tamen plerumque pedetentim per visorium neruum congeri, adeò vt inspicientium aciem eludat. Præterea in Definitione addidimus, inter id quod est inter crystallinum humorem, & corneam tunicam: nam pars propriè affecta est albugineus humor semidiaphanus factus, ex affluxu alterius humoris, qui in dicto iam spacio concrescit, & obstruitur pupilla. Ad oculi peripheriam accedere videtur concretus ille humor; nam hæc, cùm naturâ sit pellucida, iam in opacitatem abiit. Causa sæpè est epiphora diuturna, ictus capitis, intemperies cerebri frigida & humida, catarrhi, violentus vomitus, humor crassus iuxta pupillam inter crystalloïdem humorem & tunicam corneam coaceruatus. Initio hic humor est serosus, & inter crystallinum & corneam colligitur, & sensim concrescit. Hic humor irruit triplici ductu; vel enim secundum duram meningem, aut eam tenuem, vel per visorium neruum. Si secundum tenuem meningem illabatur, concrescet in vuea tunica: si per neruum visorium, in arachnoïde tunica stabulabitur hæc concretio: aut in humore aqueo hæc fiet concretio: vel tandem si per duram meningem, cornea tunica à nebula obscurabitur. Initio, cùm queri incipiunt homines, eadem patiuntur quæ hi, qui à nidore ventriculi & arteriarum halitu incurruntur: adest enim oculorum caligo, hanc enim facit impuritas & obtenebratio, vel spiritus visifici, & oculorum luminis vel humorum trium τὰ ἔξω, hoc est aspectabilia, excipientium, vt quædam in iis videatur esse suffusio caliginosa, tum ipsis ægroris, tum medicis atque propinquis oculos intuentibus. Atque illa caligo ex nebula & nube euenit: nebula quidem crassior, nube verò tenuior. Habet hoc malum suam ætatem, initium, dein adolescit, postea in summum crescit vigorem. Initio cùm oculos inspicientium adhuc fugit malum, tenuior adhuc humor intuentium aciem latet, sed spectra quædam, fumi, culices, & tubræ maculæ ob oculos afflictorum versari videntur, vel gestantes ideam humoris qui in vitio est; circuli quidam vt prope candelam interdum

Cataracta.

Definitio.

Causæ.

interdum conſpiciuntur. Progrediente malo, color cæruleus vel ferri nitentis occurrit: at cùm ad nigrum abit, conclamatum eſt de viſione. Poſt ſemeſtre ſpacium pupilla deformatur aſperſa quaſi à nebula: tunc in augmento eſt. Nubes cùm apparet, in ſtatu eſt: nam initium eius, falſa imaginatio ab intuentibus dicitur. In progreſſu malo, concretus albúſque humor vt grando notatur. Sed qua arte primùm inuadentem hanc veram ſuffuſionem dignoſcemus ab alia, quæ fit à vaporibus & ab afflicto ventriculo? eadem enim vtriſque viſorum illuſio.

4.d.c.aff.1. Hoc ita dignoſcemus, Si vterque oculus ſubitò viſis offendatur, ſique acerrima bilis ex aliis viſceribus ad ventriculum regurgitarit, & ſi à vomitu & poſt cruditatem ventriculi irrepit malum, ex contagione illa euenit. Quodſi occurrerit à mitigato cibo, & ſi perennat duos vel tres menſes, peculiari à malo obſidebitur. nec neceſſe erit vtrumque oculum vitium hoc ſentire. at nullis periodis, vt in altera, recurrit malum, nec à facili cibo cedit, aut dialoës vi eluitur.

Differentia. Differentiæ ſumi poterunt ex humoris nebulam facientis varietate: & à tempore, nam vel adoleſcit iam primùm, aut in vigorem iam coaluit. Vel à parte quam inna ſit ſuffuſio differunt, vel enim concreſcit in vuea tunica, aut in arachnoïde, vel in humore aqueo, aut in cornea tunica. Corneam occupari, & non illa interna, declarabit ſani oculi à medica manu preſſio. Si enim ab illa æger oculus clareſcat ac paululum dilatetur, interna non occupari argumento erit. Aſpice ſuffuſionis colorem, concretionem, motum, magnitudinem, ætatem.

Prognoſt. Quæ non eſt valdè annoſa, curari poteſt. Si nebula hæc refert colorem ſereni aëris, vel ferri nitentis, vel aquæ marinæ, erit ſanabilis. At ſi in plumbeum nigrorem & quaſi in grandinem ſine ſplendore transferatur, conclamatum eſt. Ab ineunte morbo, hallucinoſo oculo aliquid vident quaſi per tenebras. Vbi lumen non ampliùs percipiunt, hoc eſt, vbi magna eſt diuque durauit, & cùm non ampliùs ſentiunt radios Solares, actum eſt de viſione, hanc enim abolitam denunciant. Quare diuturna ſuffuſio extinguit facultatem viſoriam: principiis ergo obſta, ne dic opticus infarciatur neruus. Naſcitur enim ὑπόχυμα, quòd ſeroſus humor inter cryſtallinum humorem & corneam tunicam colligatur, qui paulatim concreſcit. Incipiens aliquando digeritur: cum limus factus eſt humor, punctione curatur, translatâ materiâ in locum minoris momenti. Si melancholia vel Epilepſia ſuffuſionem pariant, vel ſi conſociarit ſe cephalæa, incurabilis erit ſuffuſio. Illa ſi annoſa glaucеſcat; ac luminis aditum excluſerit. Et ea quæ ſine ſplendore albeſcit, eſt inſanabilis. ita etiam ſi liueſcat, nigreſcat, aut flaueſcat. In quibuſdam, ad quintum vſque annum non perſeuere poteſt acum. In pueris incurabile ferè malum, quia aut nebula nondum confirmata eſt vt loco moueri poſſit; aut puer in quiete contineri nequit. In ſene etiam difficile eſt malum. Quæ in oculi internis concipitur partibus, non curatur: quæ in tunica cornea, aliquando, vt iam diximus, curatur. His itaque rationibus, nimirum magnitudinis ſuffuſionis, loci, fontis perennis, diuturnitatis, explorabimus num oculus redintegrari poſſit. Medicus premat oculum ſanum, iubeat vt homo ſe intentè intueatur; id dum agit, ſi æger oculus videatur lucidior reddi, aliquid ſpei ſupereſt, denotat infarctum non adeò grauem eſſe, nec ita altum occupaſſe oculum, quin domari poſſit: & nec opticum neruum, nec arachnoïdem tunicam vel etiam vueam aut albugineum humorem occupata eſſe, ſed ad tunicam corneam vitium pertinere, nec eam omnino à denſa nebula deuictam eſſe: & oculo reſtibilem vim ſupereſſe. Rei natura perſpecta iam

Indicationes curatiuæ. indicabit quibus auxilis opus ſit. Nam dum in prima ætate eſt ſuffuſio, hoc eſt, dum in initio eſt, attenuanda eſt & reſoluenda. Dum verò aliquantiſper inhæſit, craſſefacienda erit: hoc eſt, dum per craſſam nebulam videbuntur intueri. Hi enim fruſtra attenuantibus remediis affliguntur: quin potiùs craſſefacientibus indulgere debent, vt citò denſetur nebula, quò acum non eludat dum eam deponere nitimur. Ea enim cautio adeſſe debet, vt acu rem non tentes, antequam accreuerit in denſitatem nebula vel membranula hæc, quò acui deprimenti cedat. alioqui enim iterum ſurſum repet. Craſſa enim cùm ſemel deprimitur, nequit ſe iterum erigere. Sit vnius ſaltem anni: fruſtrà ſemeſtrem tentabitis. Mouetur etiam benè hæc, quæ eſt biennis: eo tempore nihil niſi lumen vident. Nam cùm ampliùs ne lumen quidem ſubſentiunt, id viſoriam facultatem extinctam eſſe arguit.

Curatio. Summa curationis eſt, vt vel deprimatur à pupilla membranula hæc; vel vt diſcutiatur. Sed priuſquam manum huic admoueamus, prouiſio habeatur totius corporis.

Chirurgica reuellentia & deriuantia. Si adſit plethora, & inde cephalalgia, in morbi initio ſecetur vena: alioqui id omittatur, ne frigidius redditum cerebrum, ad morbum addat: cunctæ enim in frigus conſpirant cauſæ. Seto ceruici traiiciatur, & veſicæ inurantur ponè aures colli lateribus, & coronali ſuturæ, dum ſuccus capite conceptus eſt, diu effluat humor. Vtatur his à totius corporis euacuatione, ad deriuationẽ eius humoris qui in capite ſtabulatur.

Præparãtia. Vtatur per interualla clyſmis, & humor toto corpore fuſus ac noxius præparatur ad excluſionem, ne ab hoc ſuccreſcat capiti atque oculo noua materies.

Notandum Sed in remediis præſcribendis, perpetuò collinea, quibus cauſis ac rationibus illa inferas. Vt iam iam acu depreſſa fuerit ſuffuſio, non vtemur tunc decocto fœniculi, chelidonij, vel euphragiæ: nam eo tempore, nimirum à depreſſione eà dolorificà factà, metus adeſt futuræ phlegmones, quæ ergo illam arcent, potiùs ad vſum vocanda: talia ſunt quæ ſanguinem refrigerant. Cùm verò iam primùm ſubnaſci cœpit ſuffuſio, tunc ſanè ea remedia quæ totius cauſa adferuntur, ſint calida, attenuantia, ne hæc materia in nubem craſſeſcat. Si verò progreſſa ſit aliquantiſper ſuffuſio, ita vt ſpes nulla ſit reſolutionis, craſſefaciendum erit. Veſcatur oryzâ, maluâ, extremitatibus animalium: ita fœliciùs deprimetur nubecula. Quare vbi ſpes eſt diſcuſſionis, victum inſtituat attenuantem & ſiccantem. à vino caueat toto curationis tempore, vtatur aquâ mulsâ, vel cinnamomi: Vitet cuncta quæ caput plethoricis augent cauſis: & quicquid madorem afflat, id fugiat; talia ſunt piſces, fructus, balneum aquæ dulcis. Sed initio adferantur cuncta quæ humorem ſoluunt, & in halitum diſſipant: à prandio vtatur ſemine coriandri & aniſi condito tenui tunica ſaccharea, adde quid macis vel cinnamomi. Ad præparationẽ. Extenuantia etiam remedia initio vtilia ſunt, vt, Accipe oxymelitis ſcyllitici vnciam: mellis roſati ſemunciam: decocti maioranæ & betonicæ, cuiuſque ſemunciam: miſce, vtatur triduo vel

Purgantia. quatriduo. Purgabimus ſingulis decem vel quindecim diebus pilulis maſticinis, hæ enim plurimum iuuant ſæpiùs oblatæ. Damus etiam pilulas cochias, fœtidas, lucis: Accipe pilularum lucis, & ſine quibus, cuiuſque ſcriptulum: agarici recenter trochiſcati ſemiſcriptulum: cum aqua euphragiæ formentur pilulæ, & auri foliis integantur. Vel, accipe maſſæ pilularum aſſaïeret, agarici trochiſcati: rhabarbari, cuiuſque ſcriptulos quatuor: maſticis & cinnamomi, cuiuſque ſcriptulos duos: cum ſucco rutæ fiat maſſa. Ex hac vtatur drachmâ ſingulis decem diebus ſemel. A ventriculo cùm oboritur malum,

lum, vomat: sed id fiat vacuato capite, ne excutiatur ea materia, quæ hæret in cerebro, in opticos neruos: ab illo enim nisu hoc periculum est. Dum progressa sit aliquantisper suffusio, ita vt spes absit eam resolui posse, crassefaciendum erit: nam ita fœlicius deprimetur suffusio. Propterea scripsit Razes, recentem hunc affectum elidi medicamentis: veterem verò, solùm acu tolli. Iam ad Topica veniendum, sed generali quodam ductu opus est, ne erres.

Topica. Oculi qua methodo tractandi. Docet medendi Methodus semper ad partis naturam esse collineandum: ad hanc pertinet temperies, & etiam partis sensibilitas, hæc magni momenti est in oculis tractandis, flectitque remediorum formam & vim. Nam oculus petit medicinas lenes, coquentes, morsus expertes. Hic initio humor est leniendus, dein detergendus, postea abradendus. Sed quæ initio admouentur non validè resoluant, ne, exhaustis particulis tenuioribus, id quod crassum est immedicabile relinquatur. Propterea initio miscebimus resoluentia emollientibus, quò sensim resideat remediorum mixtio, in mera resoluentia. Hac arte albugo etiam, & tumor durus corneæ tunicæ curari debent. Prouisione itaque habita totius corporis & dein capitis, quò foris admouenda remedia, peruadant ad oculi interna, vapida quadam aurâ porè oculares recludantur. Accipe maluæ, althææ, seminis lini parum contusi, & fœnugræci æquales partes, coquantur ex libris tribus aquæ, dum sexta exhauriatur pars: leniter ebulliat. Fumum accipiat æger oculus: & interim oculus sanus, ne in eum præcipitetur materia, claudatur, & œsypo madente ab aqua rosata muniatur, & temporibus etiam admoueatur hoc remedium. Æger oculus vapidam illam auram excipiat per tenue foramen: deinde panno in decocto madefacto foueatur. & eodem die vtatur collyrio quod etiam gerit vim emolliendi. Coque ammoniacum in aqua fœniculi: aqua oculo immittatur. Vel tutiæ scriptulum linteo innexum immitte succo maluæ & decocto fœnigræci. Et sensim fortiùs attenua. Sed perpetuò vide quid ferat, quid non ferat oculus; adeò quidam sunt tenelli, vt ne tutiam quidem aut aquam rosatam ferant: alij fortia etiam remedia sustinent. Sensim veniemus ad vsum collyrij Mesues ex sarcocolla, cum saccharo crystallino, ex decocto fœnugræci, vel ex muccilagine eius. Mel extillatum, succus fœniculi, fumariæ, chelidonij, marrubij: hæc mollitet tergent & siccant. Laudatur etiam aqua hirundinum, & picarum, distillatur phœnicea anagallis cum melle. huic aquæ miscetur saccharum crystallinum, & myrrha, fit collyrium. Quidam distillant mel rosatum cum chelidonio, ruta, fœniculo. Deinde veniatur ad fel suillum & lupi piscis; secundò ad fel vituli & gallinæ, tertiò, ad fel tauri: quartò, petantur ex volucribus rapacibus. Hæc miscemus interdum cum decocto ammoniaci, adiicimúsque scriptulum aloës ligatæ in pecia. Tandem venimus ad liquorem balsami, quem remiscemus cum decocto maluæ, fœnigræci & fœniculi. Ante horum vsum foueatur oculus decocto rerum leptomeriâ excellentium: vt decocto fœniculi, myrrhæ, euphragiæ, centaurei minoris; coquantur ex vino. Iunge quid malacticum, vt, si quid induruerit, fundatur. Quidam aquam vitæ laudant in frigida causa & corpore. sed audi quid doctissimus Hieronymus de ea Ruffus,

Historia. Quod inspexi, inquit, non inuoluam silentio; Nobilem virum suffusione laborantem, cui vsu huius aquæ in oculo impositæ, cùm materia ipsa concreta decidisset, ipse etiam humor albugineus manauit, cornea quoque tunica, aquæ vi, nonnihil exesa: cùmque in aliqua esset spe recuperandi visus, omnem amisit. Sobriè ergo hac aqua ad medicandos oculos vtendum est. Hoc optimum est, Accipe aquæ mellis destillatæ vnciam: sacchari crystallini, & myrrhæ aliquid: fiat collyrium, guttula vna aut altera oculo instilletur. Accipe seminis fœniculi libram: foliorum euphragiæ, chelidonij, centaurei minoris, calaminthæ, cuiusque manipulum: myrrhæ vncias tres: seminis fœnugræci semunciam: caryophyllorum drachmas duas: infunde vino aromatico, ita vt ei innatent. expone soli dies triginta: & sæpius cottidie concutiatur vas: postea distillentur. guttula solùm huius vtemur aquæ. miscemus interdum liquorem myrrhæ, quem albumine oui eliquauimus, iungimúsque decoctum maluæ cum saccharo crystallino. hoc digerit potentissimè. Si tenerrimus oculus hæc ferat, Accipiemus panem fœniculatum, salitum, fermentatum: huius medullam duobus vasis impones, & aquam colliges. Vel accipe fistulam virentis fœniculi, huic include saccharum crystallinum cum tutia; manè emanans liquor oculis immittatur: sed foue calidâ primùm oculum. Gesnerus ait hoc malum sine morsu & periculo curati vnguento, quod fit ex fece olei & omphacio. Quod iam scribo vsus nuper deprehendit, Accipe succi radicum tormentillæ flore albo vncias duas: succi euphragiæ semunciam: myrrhæ drachmam; parum mellis, fiat collyrium. Aliud: folia viridia oliuæ syluestris, coniiciuntur in fictile quod luto occluditur, & fumo figulino, dum illud vas coquitur, vruntur. lauantur ex aqua, & in Sole siccantur. Albuginem & panos oculorum, omni pompholyge potentiùs delent, ait Albucasis. Idem agit fel capræ: & etiam succus cæpæ coctæ instillatus. Vel ouum durum atterimus cum pauco vitriolo albo, & liquorem exprimimus. Saccharum crystallinum quibusdam in secretis est, quod in minutissimum puluerem vertitur, ac oculis inflatur: si vetus malum, misceatur quarta pars aluminis vsti. Os sepiæ idem agit, vt scribit author Geoponicus: de erucæ semine idem asserit. Plurima & alia remedia hoc faciunt, vt succus fœnugræci cum verbenæ succo, & saccharo candido. ita chelidonij succus cum succo rutæ & sarcocolla, aloë. & collyrium à nobis descriptum in Methodo, Cape fel porci cum sua vesicula: benè vinculo intercipiatur eius orificium: dein immergatur aquæ feruenti quarta horæ parte: is folliculus ita repletus felle, coniiciatur in vas melle plenum. Vtimur hoc melle, vel etiam felle. Vbi hæc non iuuant, ad fortiora veniemus: Accipe sarcocollæ, *Fortiora.* gummi elemni: cuiusque drachmas duas: sagapeni, tantundem: piperis, salis, cuiusque semidrachmam: fellis iam præscripti drachmam: radicis ireos drachmas duas: radicis raphani semunciam: chelidonij, euphragiæ, fœniculi, cuiusque pugillum: sulphuris viui scriptulos duos: mellis in quo fel asseruatur vncias quinque: terebentinæ vnciam: adiice libram vnam vel alteram succi fœniculi, aut vrinæ puellæ, vel aquæ chelidonij, vt vel validiùs vel minùs hoc abstergere. Sed hoc non est oculis instillandum, verùm vna aut altera gutta solùm cantho immittenda. Si tamen nimium irritat oculum, abstinebimus, ac ilico aquam rosatam cum albumine oui imponemus. Præstaret potiùs palpebras, quàm oculum illinire acerrimis collyriis. Accipe vitrioli albi scriptulum, sacchari crystallini sescunciam: infletur oculo; vel ex aqua rosata aut fœniculi, oculo immittatur. Accipe aluminis, myrrhæ, aloës, singulorum semidrachmam, sacchari crystallini, semunciam; aquâ rosatâ diluantur, vt fiat collyrium. Si dolorificum id videatur, affunde aquam albuminis oui. Cùm vsum acerrimorum collyriorum inimus, non malè fieret, si cauterium posticæ capitis parti inureretur, vt auertat se ruentium succorum copia. Quidam doctissimi viri

viri vtuntur sola aqua mellis. Mel Hispanicum albū distillatur in balneo: triplicem fundit liquorem, subluteum, corticis limonum æmulum, & aranciorum. Postremus, acerrimus est: propterea à primo exordiendum. Sed acredinem horum plerumque non ferunt oculi. Quare saccharum purissimum eodem distillamus modo. Aliud: accipe sacchari, fellis, cuiusque drachmas duas: croci grana quinque, misce. Instillet, & decumbat aliquantulum. Ita etiam vnguem absumunt. Hæc satis erunt ei humori qui protsus non obduruit. alioqui acu deprimendus est in infima loca, ne iterum recidat. Hac de re Paulus Ægineta, Celsus, & Albucasis; quin & Galenus instrumenti meminit quo expungitur suffusio, decimi libri De vsibus partium, capite quarto. Suffusio debet esse medioctis consistentiæ quæ deprimetur: nam quæ tenuior est, acum prementem eludet: crassior verò ac iam validiùs adhærens tunicæ, auelli non poterit. Ad paruum oculi angulum adigi debet acus; ac leniter perforando, non pressu sed volutatione, oculus pertundi debet. Cùm peruasisse tunicam acum perceperis, sensim mouebis eam sursum & deorsum cùm ad pupillam eius cuspis venit, ac deprimes humorem concretum. Sed illud obseruabile est, tenuem quandam membranam, adnatám oculo tunicam, foris cingere, & cùm primùm oculo imponitur acus, huic tunicæ imponitur. Sed ibi non ilicu pertundi omnia debent, verùm imposita acus illam tunicam aliquãtulum abducat à suo loco, & ibi terebretur: nam ita ab acu abducta, nullum vestigium vulneris reliquum erit, nec aqueo humori via dabitur vt effluat: nam redit ad sua loca, illa membranula, & foramini, ab acu, pro tegmine est. Cùm hæc passio à foris nascitur, appellatur Græcis πτερύγιον, Latinis Vnguis: Hic à magno oculi cantho extenditur ad nigrum oculi, & interdum etiam pupillam tegit. Fit à crassis humoribus, tunicam coniunctiuam, hoc est adnatam, inuadentibus. Eodem modo abigitur, vt firma suffusio. Sed, authore Galeno, quoties hic ad contumacem labitur duritiem, non medicinâ, sed chirurgiâ tollitur, hanc docet Paulus & Aëtius. Prouisione habita totius corporis, (vt dictum De suffusione) rebus attenuantibus, abstergentibus, & dein purgantibus, initio, si absque chirurgia tolli potest, fotu molliendus erit ex decocto maluæ, althææ, seminis lini, fœnigræci, thapsi barbati. Deinde molliendum & attenuandum: tandem insigniter erit attenuandum. Hoc fiat descripto felle. Optimum est vitriolum album in puluerem versum, si cum indurato oui albumine remisceatur, & per linteum liquor exprimatur. addimus interdum aliquid croci. Ex retorrido pumice idem si fiat, lenius erit. Est etiam optimum sief rubrum Mesues. Collyrium ex puluere radicis ireos cum aqua rosarum: hoc carnem etiam superfluam leniter arrodit. Succus radicis lilij: vel portulacæ. sanguis anguillæ viuæ. zinziber fricatum super cortem cum vino albo impositum.

Acus & eius encheiresis.

De vngue oculorum.

13 Me hod. cap. vlt.

Antidot. Flor. fol. 103.

Capvt V.

De Sugillatis, *hoc est, Maculis oculi: & De Pustulis in oculis.*

LArini Sugillationem & sugillata appellant, quod neoterici maculam dicunt, Græci ὑπόσφαγμα & τὰ ὑπώπια nominant. Nascitur à fractis vel reseratis oculorum venulis exiguis instar capillorum, quæ effundunt sanguinem in tunicas oculorum, maximéque inter laminas tunicæ corneæ. Initio oculus cruentatus apparet, qui tractu temporis liuescit, & nigrescit, à sanguine in grumulos coacto. Statim huic est remediandum, antequam sanguis grumescat; grumi enim ægrè exhauriuntur. Si dolor oculum vexat adeò, vt metus adsit phlegmones, sanguinéque rigatum corpus videatur abundè, illico pertundatur vena: alioqui, pharmacia euacuetur corpus. Topica remedia, hoc est quæ parti foris admouentur, sint adstringentia, discutientia, & resoluentia. Sed quo hæc consilio? Sanè adstringendum, nam cruor effunditur è venulis: id ergo agimus, ne is ampliùs elabatur. Resoluimus verò, vt is commodè exhauriatur. Ergo stringemus, & discutiemus. Sed tamen non validè stringemus, ne magis & magis concrescat sanguis. Sit itaque validissimum hic stringens rosa. Accipe aquæ rosaræ semunciam: tutiæ optimè paratæ scripulum: plumâ oculo immittatur. Noctu verò, caseosa lactis pars acidi, duplicatâ syndone excepta oculis imponatur. Mox vtemur decocto meliloti ex aqua: nam astringit & discutit. Deinde adiice meliloto fœnigræcum. Tandem, strictis iam venis, indulgebimus meris discutientibus, ex decocto fœnigræci, euphragiæ, fœniculi, chelidonij, croci, tutæ. Magna discutiendi vis est sanguini hirundinis, turturis, palumbis masculæ. Pennis conceptus sanguis viuidus oculis instillatur. hæc fiant priusquam sanguis nigrescat. Postremò admoue liquorem ex myrrha eliquatum per oui albumen, cum croco: & foue decocto foliorum liliorum, chamæmeli, hyssopi. Vel hyssopi cacumina incoquimus aquæ althææ, vel vino. fit inde fotus ex linteo calidus. hoc eluit potenter cruorem oculo infusum. Bis die fouendus oculus. Interdum effusus sanguis suppuratur: passio hæc ὑπόπυον & ὑπόπυος appellatur. consectaria plerumque phlegmoni acerbiori. Oculus foueatur decocto fœnugræci. & cautio adsit, ne elisis tenuibus putis partibus, reliquę fiant duræ: quare misce digerentibus malactica. Potens est aqua raphani. aqua vitis vere collecta. Pustulæ quasi vesiculæ si occupant oculum ipsum, ilico pertundantur acu aurea, si inuictæ sint topicis. A pertusione, si in peripheria fuerint, ablue his, Accipe tutiæ semidrachmam: aloës scriptulum: sacchari crystallini drachmam: croci grana quatuor: fiat puluis subtilis, qui linteo illigatus, madefiat aquâ rosatâ, verbenæ, & fœniculi. Ter vel quater cottidie oculum guttatim perfundat. Cautio adsit, vt hoc agas vbi pustulæ sunt phlegmones expertes: nimirum à frigida materia ortæ. Aqua ex sacchato distillata idem præstat.

Signa.

Curatio.

Topic.

ὑπόπυον.

Capvt VI.

De Vulneribus, Vlceribus & *cicatricibus oculorum.*

VArie vulneribus affliguntur oculi, vt variæ sunt eorum partes, idque ictu, casu, vel quod frequentius fit, ab acerrimorum succorum incursu. Quo pupillæ fuerint viciniora, eò periculosiora. Si vlcus ad rhagoïdem peruadit, ita vt albugineus humor elabatur, de visione actum est. Galenus refert historiam de pueto ex cuius compuncto oculo effluxerat humor albugineus. & scribit mirum fuisse, hunc redintegrari potuisse: & tamen puer erat. Victus sit madidus & frigidus. Leniter purgetur, sint in obscuro. diuersiones fiant. Obserua num sit vlcus illud corrosiuum, vel num solùm sit sordidum. Nam si mundum fuerit, validè hoc erit siccandum & stringendum. Primùm vtemur lacte muliebri: deinde lacte asinino; hoc in oculi cancro mirè recreat. Si purum est vlcus; accipe lac seminis papaueris, cui adde gummi Arabici drachmas duas; croci semiscriptulũ:

Progno.

De sympt. caus. 2.

succi

succi rosarum drachmas tres: misce: fiat collyrium: vtatur sopito iam dolore. Vel Accipe squamæ æris lotæ, semidrachmam: croci scriptulum: tutiæ, plumbi loti, gummi Arabici, cuiusque sesquidrachmam. tenui linteo hæc puluerisata includantur: & dein infundantur in succum rosarum recentium, vel in aquam rosarum: oculo immitte. Aliud, Accipe spicæ nardi, lachrymæ papaueris albi, gummi Arabici, cuiusque drachmam: croci scriptulos duos: excipe succo rosarum recentium: fiat collyrium. Si dolor adsit, vbi glutinandum, vtemur muccagine fœnigræci, cum croco & sarcocolla. Si vlcus maius fuerit, primò repelle, ne crescat: secundò astringe. Repelle polygono: astringe tragacantho cum lacte, ne fiat albugo. Mox distinctiùs de his agemus. Sed hæc fiant capite euacuato, ac prouisione habita de toto corpore. Quare si plethora videtur teneri, soluatur vena: si cacochymia infestat, purgetur. fricentur etiam partes infernæ. Sique initio dolor acerbus oculum vexarit, Rasis sief album, muliebri lacte exceptum oculo immittatur: & applicetur oculo albumen oui cum aqua rosata. Deinde illum foue decocto rosarum & meliloti, mox instilla aquam albumini oui cum lacte. Iungimus nonnunquam quid seminis papaueris; quod, puppa exceptum, coquitur in aqua rosata, vel in præscripto decocto. Ita habeatur oculus, quò liberè acres effluant lachrimæ. Si sordidum vlcus fuerit, semen fœnugræci sæpiùs ablues, suaui deinde id macerabis aquâ; quâ effusâ, in alia aqua coques, eámque iterum abiicies. tandem, cùm amarorem iam nullum ampliùs bibit aqua, coques ad consistentiam mellis. Hanc melliginem colabis linteo, absque expressione. Sed triduo acescit, tunc ergo nouetur. Si hoc non satisfacit, deueniemus ad myrrham & tutiam: & tandem ad prassium, quod ob insignem amarorem validè terget, & lucidam cicatricem facit. Adiici interdum poterit aliquid mellis rosati, vel sirupi rosati, vt fuerit oculus, & vlceris

4. κτ τόπ. sordities. Galenus laudat in vlcere corneæ collyrium ex sanguine draconis, thure, aloë, sarcocolla, tragacantho: horum cuiusque scriptulum indimus decocto euphragiæ, & fœniculi, adiecto

Antidot. Flor. fol. 10 4. & 103. Ad Almãs. c. 16. in fine.

pauco saccharo aut melle. Præclarè etiam faciunt sief è plumbo Mesuæ: collyrium libyanum, & sief è cornu cerui. Rases quatuor collyriis totam sanationem absoluit; ex thure, de plumbo, polychresto, & eleiser. Distillatur etiam saccharum cum fragis maturis: fraga sint triplo pondere: macerentur dies octo tepenti balneo: extilletur aqua tepente foco. Purgat modestè vulnera, tutia cum lacte muliebri, & cum oui albo, vel cum decocto fœnigræci: & sief

Ex natura vlceris benè perspecta, remediandum esse.

sine opio. Semper enim abstergebis, priusquam emplastica admoueas. Et perpetuò collinea ad vlceris naturam: est enim hoc vlcus compositum vel simplex. Compositum aliud mundum est & sine sorde, aliud verò sordidum: & vtrumque hoc cum phlegmone, vel phlemones expers. Si verò simplex vlcus fuerit in superficie, sine sorde, & phlegmones ex-

Siccantia.

pers, optimè faciet tutia cum succo polygoni. Si fuerit compositum mundum, absque phlegmone, id siccandum, ne putrescat; & glutinandum. Siccantia sine morsu sunt tutia, cerusa lota aquâ hordei, sarcocolla ex lacte muliebri; thus, quod vnâ roborat, vnde Rasis collyrium ex thure: crocum, id enim penetrat: myrrha præclarè facit ad salutem. his aut ter ea madescit, ac siccatur, cum succo rosarum: ita aloë & antimonium corrigantur, nam minùs peruadent: vlti-

Glutinãtia.

mum est plumbum vstum, ex aqua rosata. Agglutinant gummi Arabicum cum mulsa, succus (si dolor adsit) mandragoræ cum lacte muliebri vel cum mulsa: farina corticis oui, cum aqua rosata, id validè glutinat. Tempore verno validè commendatur gargarisatio ex succo saluiæ & maioranæ, cum scriptulo sinapi. Caue ab opio (nisi doloris acerbitate syncopes metus adsit) nam ab eo est metus callosæ obstructionis. Si vlcus est sordidum sine phlegmone, primò abluatur aquâ hordei & vino: secundò absterge: tertiò sicca. Quare primò vtemur lacte muliebri, secundò lacte asinino: id, vbi cancro est occupatus oculus, mire iuuat. Si dolor se consociat, vbi glutinandum, vtemur muccagine fœnigræci cum croco, & sarcocolla, fiat inde cataplas-

In maiori vlcere.

ma. Si vlcus maius fuerit, primò repelle polygono, vel coriandro, ita non maius euadet. secundò astringe tragacantho cum lacte, ne fiat albugo. Ita etiam si corrosiuum fuerit vlcus, ne serpat vlteriùs, adstringendum erit, vel tutiâ & hypocistidie cum aqua rosata: deinde fouendum lacte asinino. Cibus

Victus ratio.

sit boni succi, abstineat à vino & ebrietate. non moueat admodùm superiores corporis partes. abstineat carnibus, solis herbis vel fructibus contentus sit. Potu vtatur tenui & pauco, ne materia affluat. aluus cotidie respondeat. Phœnigmi applicentur ceruici. Dum hoc vlcus tractatur, obseruabis sem-

Obseruabile.

per num à nimio dolore metus adsit iam factæ inflammationis; si ita, ilico vtemur collyrio albo

Empirica.

Rasis ex lacte muliebri. Empiria etiam sua habet: Sordes abstergent succo fœnugræci cum pauco melle rosato. Si id inualidum deprehendunt, accipiunt tutiæ, squamæ æris combustæ & lotæ, cuiusque semidrachmam: miscent hæc cum aqua, cuius dimidium candenti à chalybe absumptum est. Cùm dolor vrit, accipiunt puluerem pollinis thuris, & tutiam; & micam albi panis macerant in lacte in quo coxere capita papaueris albi, adiiciunt quid croci, fit cataplasma, quod clausis oculis imponunt: hoc lenit, siccat, absterget. CICATRIX ple-

DE CICATRICA OCVLI.

rumque vlcera sequi solet, non sine maximo visionis incommodo. Vocantur hæ cicatrices, albugines Latinis, λευκώματα Græcis, cùm ex validis vulneribus nascuntur: alioqui nubeculæ & albugines tenues appellantur, cùm à non sublimi vlcere subnascuntur. Vocantur albugines, quòd albescant in

Cap. De collyriis.

oculi nigro. Nostrum collyrium, in Methodo ad praxin descriptum, præclarè facit ad tenuandum cicatricem. nam emolliri debet & abstergeri cicatrix. Vrina pueri commendatur: & liquor fœniculi à saccharo crystallino eliquatus: item stercus lacertæ magnæ, nam rorem depascitur: & aqua prima distillationis mellis, nam est eius roscida pars. butyrum illitum mollit. Foueatur oculus vapidâ irroratione ex decocto fœnigræci, tam diu vt facies rubeat: mox puluerem insperge descriptum à Rase, noni ad Almansorem, sub finem Capitis decimi octaui. Herbarum succi cum pauco melle oculis indi poterunt, vt nicosianæ, corallij, mentæ, centaurei minoris, chelidonij cum saccharo. adde semper quid myrrhæ, sarcocollæ & sacchari crystallini. Sine erosione abstergit cornu ceruinum vstum. Si albugo quædam sensim subnascatur in oculo, ex albugineo humore in crassamentum abeunte, ægrè hoc malum castigari potest. Quod aiunt Auicenna & Rases, albuginem in pueris adimi posse: id intelligendum de cicatrice quæ emolliri potest in ea ætate: at prouectis non ita facilè tollitur. Nam scripsit Rases, in adultis superficiariam cicatricem, quæ est instar nubeculæ tantùm curari. Si fortiùs agendum erit, vtemur * diacumi. Sæpè pueris eueniunt albugines à phlyctænis, hoc est pustulis bullarum imagine, quibus eorum oculi tentantur, dum exanthematibus & variolis occupantur. Quare quam primùm pueros hæc mala inuadunt, de oculis prouisio habeatur, ne hos occupent. A splendore oculi auertantur. Oculo indantur quæ repri-

** Describitur in Antidotario Flor. fol. 102.*

Pueris ex variolis euenit & vt cauendum his.

mant, & roborant, vt est aqua rosara vel plantaginis, in qua aliquid rosarum siccarum, vel malicorij, vel balaustiorum aut seminum cotonei mali coxit; cum croco. Si autem phlyctæna iam oculum habet, quanto illa profundior fuerit, tanto candidior apparebit, magisque fatigabit. Initio, vt diximus, repercute: deinde discute fotu decocti fœnugræci, seminis lini, meliloti: & aliquid ex hoc decocto cum croco instilla oculo. Si copiâ vel qualitate conceptæ materiæ rumpatur membrana, eo modo curabitur vt De vlcere scripsimus. Sed graue malum Canceri nos reuocat ad sui curam. Corneæ tunicæ cancer nec mitioribus castigatur, nec validis profligatur remediis, imò irritatur. Atrocissima symptomata hîc mitigasse sat est. Dolor acerrimus adest, varicis more turgent venæ oculi. Prouisio habeatur totius, baloeum suaue ineant, ambulent, obscuro loco habitent, duris maxillas non fatigent. Accipe lachrymæ papaueris albi recentis, succi solani hortensis, recens extracti succi lactucæ, lactis recentis, cuiusque semunciam: misce. Lintea inde repentita frequenter imponantur. Aliud, accipe succi rosarum drachmas duas: croci scriptulum: opij, spicæ nardi, singulorum grana tria: gummi Arabici semidrachmam: cum lacte muliebri instillentur oculo. Nam omnem lapidem mouere debemus, quò atrocissimus hebescat dolor. Lactis potus acerrimum illum in corpore dumat succum. De his præclarè Aëtius.

Cancer oculi.

Caput VII.

De reliquiis Oculorum affectibus.

PRæcipuos affectus oculares descripsimus, qui auxilium plerumque Medicorum flagitant. Sunt præterea quidam alij enati ex tunicarum, humorum, spirituum ac neruorum opticorum mala conformatione, diuulsione vel intemperie. Varij affectus Rhagoidem fatigant tunicam, vt φθῖσις, hoc est procidentia, erosione proueniens; aut ex scissura ceratoïdis. Id si minutum sit quod procidit, ac muscæ capiti persimile, μυοκέφαλον vocatur. Si maius paulo, acini vuæ magnitudine, σταφύλωμα dicitur. Si maximum, ita vt vel palpebræ superexc[e]llat, μῆλον, hoc est malum: si obdurescat calli imagine, ἧλος, hoc est clauus appellatur. Sed sola prima species est curabilis: reliquæ, ex Pauli & Aëtij sententia, soli manui cedunt, quæ id præstat vt decor adferatur, oculúsque vt claudi possit. Saltem hoc studebimus in malo inchoante, ne crescat. Quare à prouisione totius, vngatur nostro collyrio. Vel illi collyrio iunge tragacanthum, cadmiam, cerusam vstam lotam, semen fumachiorum, & acaciam: linteo include tenui: madefacant aquâ myrti, & in oculum exprimantur. Vel linteolo excipe tenuissimum puluerem ossium dactylorum, myrobalanorum citrinarum, seminis rosarum: madefcat aqua nucum pineatum: rigetur ab his oculus. Aliud, ex vino rubro coque medullam dulcium granatorum: adde seminum sumachiorum, corticum myrobalanorum citrinarum, ac chebularum, myrrham, rhus, acaciam: exhauriatur à foco tertia pars. Spongiolâ eo madente tegatur oculus. Hoc age dum sidat tumor. Sed maximè à rhagoïdis tunicæ foramine, quod pupillam vocamus, dilatato, vel contracto visus percellitur. Hæc pupillæ dilatatio, Græcis μυδρίασις nominatur, ἀπὸ τοῦ ἀμυδροῦ ὁρᾶν, à visu obscuriore. Dicitur etiam

Rhagoidis tunicæ vitia.

Pupilla dilatatio.

πλατυκορία. Fusa latáque hîc pupilla apparet adeò, vt interdum iridis totum ambitum occupet. hinc accidit ut videndi vis. caloris nullam mutationem subit in hoc morbo pupilla. Virium hoc pronascitur ex tensione tunicæ rhagoidis, hoc est vueæ tunicæ. Causam omnium horum affectuum in Tabula ophthalmicarum passionum retulimus: quare hîc breuiter ad medelas pergo. Cuncta his minora apparent, ob visilis spiritus diffusionem. Qui naturâ oculos sortiti sunt nigros, magnis sunt pupillis, ideoque facilè in hanc passionem trahuntur. Curandi lex hîc suadet dilatationem hanc contrahendam esse. Verùm hæc indicatio limitari debet angustiùs, ex causarum varietate. Dilatatur pupilla ex tensione rhagoidis. Tenditur hæc tunica ea ratione quòd siccetur propria eius substantia; vel per aliud tenditur. Si ratione intemperiei siccæ illa tendatur, erit madefacienda, quo se illa recolligat ac laxet. Si verò occupata à phlegmone, abscessu vel scirrho tendatur, de hac, vbi De ophthalmia & cæteris corneæ tunicæ affectibus. Si verò per aliud tendatur, id euenier à nimia copia albuginei humoris. Quare pupillæ dilatatio modò prouenit à siccitate, modò à repletione. Redintegrari hæc poterunt, modò à natura data non sit hæc dilatatio, nec in squalorem iam abierit siccitas. Non ita ægre corrigitur humor albugineus, nec difficilè admodùm phlegmone rhagoidis abigitur: quamuis alioqui postea, quæ reliqua est materia purulenta non sine magno negocio exhauriatur. de qua priùs egi. Durum verò tumorem hac tunica conceptum tollere difficile est: ob situs profunditatem. Cùm autem ex ictu pupilla diffunditur, nulla erit spes salutis: Si, dico, ilico ab ictu illa se pandat, hoc irremediabile erit. Quæ enim dilatatio pupillæ consectaria est tumoribus qui nascuntur ex ictu quo læditur oculus (illi enim tumores tendunt rhagoïdem tunicam dum materia in illam vnà irruit) curati potest. Dum enim à percussione incurrit succus, sisti potest, & dein exhauriri. Ita Razes huic malo, aliquantulum iam progresso, admonet emplastrum ex farina fabarum, chamæmelo & althæa, in vino & aquâ contusâ. Sed illa dilatatio pupillæ quæ fit à percussione ipsa & ilico, est irremediabilis, ruptæ enim partes abnuunt curationem. Author etiam est Razes, dilatationem à dolore capitis, ægrè curari. Dum verò propria ab intemperie sicca, fatigatur vuea hæc tunica, erit madefacienda, maximè lacte muliebri tepente ab vberibus. Quodsi per aliud, hoc est ex humoris aquei copiâ tendatur, siccantibus remediis hoc peragemus. Sit victus tenuis, quo humor oculi accidatur. vino abstineat: caput non lauandum. Vena secetur vel pharmacia vtatur, quod commodum erit, & deinde si caput repletum videtur sanguine, tundantur canthi oculorum maioris venæ: deinde cucurbitam admoue occipitio. Siccabis oculos collyrio ex tutia, cum aqua rosarum in qua balaustia, thuris cortex coxere: adiice croci quid & myrrhæ. Nostrum etiam collyrium, quod alibi descripsimus, hoc eximiè præstat. Quæ alia sunt acriora, tantum abest vt materiam humidam exhauriant, vt potiùs attrahant, atque adeò membranas distendant, longéque fusius pupillam extendant. Quæ verò potentiùs astringunt nimiúmque refrigerant, membranulas oculares combinant: vt etiam emplastica. Razes hos subinde purgat pilulis cocciis. Contrarium malum huic, rhagoïdem interdum vexat, nam angustior, obscurior, rugosiórque fit pupilla; vocant φθίσιν & diminutionem pupillæ. In hac passione visilia veris maiora esse videntur. Si hoc eueneit ex tunicæ rhagoidis madore, (vnde illa corruga

Curationis scopi, & Prognostic.

Qua dilatatio sit remediabilis: & qua non.

Victus in Dilatatione. Curatio.

Phthisis oculi vel diminutio pupillæ.

corrugatur) erit siccanda eisdem remediis, quæ antea descripsimus. Sin ex inopia fuerit albuginei humoris, quia adest phthisis, calido lacte foueri debebit tota facies, & deinde irino vnguento madescat, & *Pupillæ obstructio. 14. Meth. vlt.* sæpe rosato vnguento humescant oculi. Interdum ipsa pupilla obstruitur: hoc interdum fit à pure, quod debet absumi, vt docuimus vbi De hypopyo. Sed interdum hoc fieri nequit. quid tunc agas? Hîc transpositione opus erit, quò recedat à crystalloide; nam ea regione pupillæ foramen intercipit: ergo deponatur ad inferna. Attamen nonnunquam ita restagnat à sua crassitie materia, vt nec exhauriri, nec transponi possit. Quæ attenuantia & resoluentia suffusioni medentur, eadem etiam huic. Propterea Auicenna vtroque in affectu vtitur collytio ex myrrha, & felle etiam. Scribit Galenus, medicum quendam, quadam capitis ægrorum concussione, dum illi sederent, materiam præcipitare solere ad loca inferiora. Sed talis materia non arctè innexa fuit pupillæ. Galeni æuo hanc poterant materiam acu deprimere, verùm hoc tempore, hanc encheiresim nesciunt. Si materia non fuerit purulenta, *Obscuritas visus.* attenuantibus & exhaurientibus erit vincenda. Interdum suboritur videndi obscuritas, sine aliqua nota in oculo apparente, sed lucida in pupilla obscurè vident. Si valida hæc passio fuerit, ἀμαύρωσις appellatur, hoc est obscuritas visus: si ea non ita vehemens fuerit, ἀμβλυωπία hoc est, hebetudo videndi appellatur. ab eisdem causis, quas mox enarrabimus, pendent, vt eæ leuiores aut grauiores fuerint. Nam Myopes dicuntur hi, qui à primo ortu nihil nisi oculis admota cernunt, ob spiritus visorij paucitatem, tenuitatem, & tunicarum raritatem. Quin *μυωπία vel μυωπίασις.* μύωψ limis semiclusisque oculis intuetur, ac ita res etiam exiguas conspicatur: remotas verò res etiam ingentes non perspicit. Incurabile malum hoc, quia *Lusciosi & luscitiosi.* congenitum. Latini hos vocant lusciosos & luscitiosos & nuscitiosos, vt Budæus annotauit. quidam ita vocant hos, qui sunt exertis oculis, palpebris *Nyctalops vel nocturna cæcitudo.* constrictis. Eò differt myops [illegible], quòd hi non natura, sed ex morbo tales euasere; & *CAVSAE.* interdiu vident melius, sed ad lucernarum lucem & sub occasum solis horum caligant oculi. fit Nycta*Amblyopia & amaurosis, vnde sensim visus minuitur.*lopia à pauco crassóque spiritu visorio, & à tunicarum ac humorum ocularium densitate. Amaurosis & amblyopia interdum sensim irrepunt, nonnunquam etiam subitò euenit. Quæ sensim euenit, multifarias habet causas. vel enim spiritus acciditur, idque vel vitio cerebri spiritum non suppeditantis, vt si à longa euacuatione sit exhaustum; vel ob insignem morbum, vel ob senectutem: Sed tunc in cæteris etiam sensibus percipitur læsio. Vel spiritus (qui naturâ debet aëreus redolere, & qualitatem moderatam gerere, quod pendet ex sanguine & pituita) nimiùm crassescit. Vel tunicæ oculares den*Causa vnde subitò visus diminuitur.*santur. aut humores visifici lentescunt. His causis sensim stupescit visus. Subitò verò videndi vi exuuntur homines, quòd crassi quidam succi irruant confertim in neruos opticos. vel quòd ille visorius neruus paralysi laxetur. Hæ causæ internæ nascuntur plerumque à rebus quæ à foris sunt, vt à crapala: in nudum caput summi frigoris aut caloris incursio, studium à cibo, vel balnea, vomitus, venus immoderata, contentio animæ, vt euenit tubicinis. Præterea capitis ictus, vnde læditur vel resoluitur neruus opticus. Cùm à violentiâ tali neruus abscinditur, primùm oculus prominere videtur, dein rursus intro repere videtur, nam suo frandatur ge*Curatio cùm à causis fit, quæ subitò oculos lædunt.*nio. Dum verò ab infarctu hoc euenit, carybaria tentatur ea pars capitis, vbi nerui in oculos feruntur. Si ergo subitò incubuerit visus obscuritas, & si sanguine circumfluit corpus, brachij vena media vel cephalica pertundatur. Et post aliquot dies, ita suadente Aëtio, fasciâ collum stringat ipse æger, & ita tumefactas canthorum oculi venas pertunde, ac liberaliter vt effluat sanguis cura. Scribit Aëtius se tres cotylas, hoc est vncias viginti septem eduxisse. Sed fortè existimandum erit, pro cyathis cotylas scriptum fuisse: nam Græci eodem charactere vtramque hanc mensuram ferè denotant K cyathũ significant & K cotyla. Si cyathos K tres emittẽdos putauit hi facient vncias quatuor cũ semisse. Scribit author Geoponicus, capram, quòd prudentissima sit brutorum omnium, ad iuncos se vertere, ac canthorum venas recludere, dum visus hebescit. Deinde cucurbitæ exugant ab occipitio sanguinem. Hac arte agitantur spiritus, & succi infarcientes valdè concutiuntur, atque adeò vt homines interdum subitò intueantur. Hirudines etiam hac causa temporibus admouentur. Nec his desuictis præsidiis omnino desistendum, sed à lentis crassisque succis corpus pharmaciâ debet vindicari. Nam spiritus illi visorij non deferuntur in oculos, quia aditu prohibentur, ob infarctum opticorum neruorum. Quare rationi consonum est, vt studeamus quò clausa hæc recludantur. quod fiet, si materia copiosa vacuetur, crassa verò attenuetur, lenta incidatur, & viscida abstergeatur. Desperata tamen videtur hæc curatio, cùm talibus succis occupatur neruus opticus; nam, ob recessum, nec foris nec intus patent remediis. Quare, ineunte morbo, omnia etiam temerè tentanda, quò agitatione quâdam recepta neruis his elidatur materia. Quare ab iniecto redditóque clysmate, eâdem etiam horâ pertundatur cephalica vena, si vires id admiserint. Eodem etiam die pilulis agitetur corpus: neque id solùm agendum cochiis, sed etiam valentioribus illis quas fœtidas vocamus: has miscebimus cum pilulis lucis. Hoc agemus si non fatigat febris: nam aliòqui præstiterit cæcum hominem viuere, quàm ita eum in vitæ discrimen trahi. Si febris sit expers, exhibebimus drachmas duas harum pilularum. Sequenti die manè fortiter erit discutiendum apophlegmatismis, sternutatoriis; agitant enim hæc materiam neruis conceptam. Si pituitosa est materia infarciens, præscribemus sternutatoria, ex euphorbio, elaterio, & colocynthide. Ex his etiam, liquore aliquo conceptis, fiunt errhina, quæ pennâ in nares trahuntur. Si melancholescit materia hæc, ellebóro potiùs hoc agemus. Si ab his metus adsit ne nares exedantur horum remediorum acrimoniâ, ex lacte horum tunc vsum imbibimus. vel mox ab eorum vsu, vngantur nares vnguento rosato. Apophlegmatismi fabricentur ex sinapi, staphysagria, cum ladano & melle. Reuellunt admodùm acres clysteres, & vesicatoria ex flammula Iouis: hæc enim celeriter agunt: cunctatio enim hîc periculi plena. Post horam ilicò aperiantur vesiculæ; easque muria frica: si dolet vehementius, illines vnguento rosato. Si his inuictum perseuerat malum, tunc cauterium imprimemus coronali suturæ, & etiam posticæ parti capitis. Et decocto sassaphras, vel saizæ vtatur dies quadraginta, & decoctu afflletur vis euphragiæ, fœniculi, verbenæ, chelidonij, betonicæ, rutæ. Collyrium deinde nostrum oculis inferatur. & abluatur sæpius cottidie aquâ in qua maduit fœniculus, ruta, chelidonium, myrrha, verbena. Si verò visus obscuritas pedetentim obrepserit, commodè quin etiam can *Curatio cùm sensim visus obscuratur.* thorum ocularium venas pertundemus, si non ita sanguinis copia rigatur corpus: alioqui primùm brachij vena secetur. Et cucurbita quoque commodè occipitio admouetur. & perseuerante malo, ad peculiares capitis purgationes, vt antè commemorauimus,

deueniemus. Sæpiùs purgatiunculas instituemus his pilulis, Accipe aloës lotæ in aquâ fœniculi drachmas duas: agarici recenter trochiscati, & rhabarbari, cuiusque semidrachmam: aromatici rosati scriptulum: cum sirupo de betonica fiat massa: vtatur interdum scriptulis duobus. Vt propiùs ad remedia ocularia accedamus, causas languoris discernamus. Si crystallinus humor oculi vitium fecerit, quod hoc sit primùm indagabimus, & dein remedium adferemus. Si extra locum suum is dimotus fuerit, curari non poterit. Humida si intemperie occupetur, siccantibus ea corrigatur. Rases tutiam aspergit succo puro maioranæ; siccatam iterum rigat succo chelidonij, addit puluerem piperis; siccatum rigat iterum succo fœniculi, & in puluerem siccat. Remiscet hunc puluerem, cùm doloris metus adest, cum lacte. Si emolliendi consilium fuerit, madescat decocto maluæ & fœnugræci: nam cùm attenuatione & incisione opus est, affundimus succum fœniculi & euphragiæ. fel animalium hoc promptè etiam agit. Diæta hîc sit siccans & attenuans. Razes commendat vomitum à cibo, ob pituitæ eductionem. Si intemperies crystallinum humorem occupauit sicca, erit madefaciendum. fiat fotus ex aqua dulci, &, vt ait Razes, lac in oculos immulgeatur: hoc enim nihil melius à phthisi oculos vindicat. butyrum oculis illitum prodest. Suadet etiam Razes, vt aqua egelida capiti infundatur, & faciem esse inclinandam ad vaporem. naribus & auribus instilla oleum amygdalinum. Famis tempore, inquit, hæc species crescit. Obseruabile illud, quòd vbi humectandum, ab actu frigidis sit abstinendum: tractio enim fit subsidio caloris: eáque opus est, vbi siccitas. Plurimis tamen oculorum affectibus solatio sunt ea, quæ actu frigent. Albugineus humor interdum etiam visum obscurat, huic enim crystallinus inhabitare videtur. hic si à naturæ suæ lege abierit in substantiæ modo, copiá, vel colore, visum valdè affligit. Cùm ergo eius substantia crassior & opacior euadit, nascetur indicatio alterandi & discutiendi inquinantem materiam. Sed hoc malo inualescente, ægrè redintegrari poterit, nam ipse humor in crassamentum tandem abit. Crassescit autem albugineus humor, vel ratione proprij alimenti, vel ab illapsu excrementitij humoris affluentis ad albugineum. Cùm ex suo nutricatu crassescit, difficilis euadit medicatio: at excrementitia materia facilè extenuatur & exhauritur. Topicis medicinis iisdem, quibus Suffusio abigitur. Hîc pax sit à crassefacientibus, quamuis his interdum locus sit in Suffusione, vbi acu opus est, quò deprimi possit: sed in albugineo crassamento ab acu caue. Copia verò luxurians albuginei humoris, pupillam dilatat; vt accisior eius copia, hanc in angustiam arctat. De his egimus antè. Color eius si degenerarit in alium præter naturam, is succus qui huius author est, exhauriatur attenuantibus & discutientibus: de quibus, vbi De suffusione. Eodem etiam modo corneæ tunicæ color fœdus abigitur. Si cornea hæc tunica rugas ducat à squalida intemperie, quod senibus non insolens, lacte etiam restituetur cocto cum semine fœniculi: nam crassi vnà spiritus nitidiores reddendi sunt in senibus. Hæc tunica nonnunquam crassescit à restagnante humore albugineo: ægrè id remediari potest. Si cornea madescat sua ab intemperie, iam modò dictis corrigatur. Si scirrho tentatur, vt suffusis medebimur. abscessus si adsit, vt sugillatis medicina fiat. Visio etiam interdum læditur, quòd oculus contagione affligatur à capite, quòd spiritus animalis non deferatur in oculos. Hoc autem fit, dum cerebrum illos non gignit, vel quòd facilè hi euanescant, aut quòd aditu prohibeantur ad oculos. Dum hi ita facilè euanescunt, & dum cerebrum vix hos suggerit, in angusto spes salutis est: vt in moribundis euenit. Si quæ spes, ea tota in nutricatu est: vtatur succo carnis & vino. Si ob spiritus exiguos, qui tamen puri sunt, hoc vitium euenerit, euchymo nutricatui studeat, & bibat vinũ, hoc enim fœcundum est in spiritus. Galenus commendat iecur capræ & hircinum & vulturis, nam proprietate conferunt. Razes hæc siccat in fumo, & miscet tunc piper cum pauco musco, & oculo insufflat. & iecur comedendum præbet. Sin verò spiritus visorij fuerint copiosi, sed crassi, tenui victu occurrendum erit, &, à totius euacuatione, erit attenuandum. Madescant sæpè oculi aquâ in qua maduit euphrasia & fœniculus, nam hæc spiritus attenuant. Euphrasia huic causæ validè resistit in puluerem trita si sumatur cum pari pondere seminis fœniculi, addito nonnihilu maceris: his remiscetur sacchari æquale pondus. Huius pulueris cochlear exhibetur manè cum vino: per continuos interdum id agimus menses. Fit quinetiam vindemiæ tempore vinum ex euphrasia, cuius vsu senum oculi etiam reuiuiscunt. Huc referuntur plurima φάρμακα ὀξυδερκικά. hoc est, quæ oculos, nullo quidem sensibili affectu laborantes, malè tamen munere suo fungentes corrigunt, & redintegrant. Sed hæc oxydercica remedia myopibus non conueniunt ob spiritus visorij tenuitatem: nam his potiùs confert succus extusus ex granulis punicorum malorum, quem melle coquunt, & colant. Inter oxydercica est vipera Cretensis cornuta: hæc additur melli & theriacæ, & lento distillatur igne: & quia vipera habet aliquid acredinis, remiscemus quid stillatitij liquoris rosati. Flores rosmarini vasi iniiciuntur, quod arena sepelitur sub æstiuo sole: liquor qui inde manat, præclarè oculos huiusmodi recreat. Hirundinum prodest cinis, & etiam serpentum cum melle anthosato. Conserua euphrasiæ cum semine rutæ. Euphrasia, ruta, semen fœniculi, cinnamomum, siler montanum, piper, coriandrum, rosmarinus, verbena, betonica, caryophylli, nux myristica, prosunt oculis talibus. Ex aliquibus horum vasi inclusis liquor dimanat, si Soli dies triginta exponantur, ac manè liquor effundatur, qui indi debet oculis. Et quædam horum aquæ vitæ immittuntur, aliquid eius manè sumitur. Vel distillantur hæc cum melle anthosato, & aliquid spicæ additur. Ros qui insidet rosis, plumà abstersus ac oculis inditus, vt refert author Geoponicus ex Zoroastre. & pulegium commendat. ab anetho abstinendum monet, nam visum obscurat. Ælianus scribit aquilam auium ὀξυωπέστατον esse: cuius, inquit, fel illitum cum melle, visum acutissimum reddit. Vidi, cùm in Italia essem, quosdam ex lue venerea in hanc passionem tractos fuisse, quibus cùm à doctissimis medicis vsus guaiaci præscriptus esset, ferè excæcati fuere. Si visioni dicati spiritus fuerint pauci & impuri, vt his euenit quos nyctalopas appellamus, eodem modo curabuntur. Et nutricatum ineat optimum, nullis vel exiguis impuritatibus contaminatum; & adiiciat attenuantia, vt anisum, & fœniculum, hyssopum, origanum, vel macerem. A totius cura, & purgatione facta pilulis cocciis, lucis, alephanginis cum agarico, errhinum naribus imponatur, ex sinapi & pipere, exceptis succo radicum betæ, ad mellis consistentiam; hoc dies sex per nares attrahat. Sed sæpiùs repetat vsum pilularum. Illine oculos sanie quæ elabitur ex hircino iecore dum assatur. fel perdicis vel hirci illitum prodest. Hoc tandem moneo, in oculorum curatione semper plurimum tribuendum esse partis sensibilitati. Nam si incurratur oculus ab acribus succis, & ineunte iam morbo, remedia admoueris restringentia, quæ admodùm refrigerant, cohibito effluxu, tunicæ oculares

A causarũ varietate, instituta curatio.

Ab Albugineo humore vitia.

A Cornea vitia.

A spiritibus.

Ad lusciosos. 4. κατὰ τόπους. 8.

ὀξυδερκικὰ habet Gal. 4. κατὰ τόπους.

Animaduersio in curatione omnium oculorum affectuum curandorũ.

6 A, b 31. oculares acerrimè rodentur. Et si ob acerbissimos dolores narcotica admoueas, visorios spiritus necabis, ac mox redintegrabitur dolor. Si asperis aut acribus medelis oculum fatigaris, valdè oculi exasperabuntur. Sint ergo ocularia medicamenta mitigantia, lenia, pepasmo studétia, morsus cum vacuitate. Semper in primis habeatur prouisio totius corporis, quo copia succorum ruentium accidatur: deinde caput, si quid in oculos emiserit, euacuetur, atque temperetur. Tandem Topica admouemus, quorum quædam sunt mitigatoria, vt aqua quæ ex oui albo ducitur, tutia, lac muliebre: sed liquor oui & lac humectant: at tutia siccat. Fœnigręci decoctum mitigat & lenit, parum calfacit, & digerit. amylum mitigat sine morsu, aut strictione aut rosione. Astringunt rosa & eius succus, ericæ fructus, spicanardus, crocus, hypocistis, balaustium, succus gallæ. Coquunt succos oculorum crocus, myrrha, thus, & muccago seminis fœnigræci. Acria sunt fel berbeli, perdicis: hæc acredine sine morsu digerunt, & visum acuunt. Sarcocolla verò citra morsum siccat. Detergũt squama æris, æs vstum, mel rosaceum; sed mel despumatum mitiùs hoc agit, stimmi. Deterget etiam cum pauca astrictione, plũbum vstum. Eadit alumen vstum.

Empirica. Empiria olim & iam plurima obseruauit ophthalmica remedia, quale illud, quòd hepar caprillum in oculorum caligine prosit totâ suâ substantiâ. Vtuntur tripherá minore, theriacâ, & myrobalanis conditis chebulis. Manè præbent ouum, cui inspergunt euphragiam & macen. Viperas fimo sepeliunt, gignunt vermes, hos distillant. Alij flores rorismarini vitro excipiunt, linteo cerato occludunt, liquorem colligunt. Conseruis miscent succum euphragiæ, fœniculi, & cineres hirundinum, cum myrobalanis conditis: sumunt cochlearij mensuram cum pauco vino euphrasiato. Alij accipiunt guttulam olei caryophyllorum; propinant manè, vel in pastus initio cum pauco vino. Semiphoras scribit oculis optimum remedium esse vulturis fel. Accipe saccharum crystallinum, cuius quatuor partibus iunge aluminis vnam, tere in puluerem, hunc insperge limacibus rubris, hæc muccago duobus collecta linteis, oculorum maculas eluit. Hæc remedia ὀξυδερκικὰ verè sunt, vitiis ocularibus dicata, vbi nulla manifesta causa in vitio est, nam quasi proprietate quadam id agere videntur. Cùm nebulosi sunt oculi, empirici accipiunt aquæ rosarũ albarum duo cochlearia; vitrioli Romani, & caphuræ; cuiusque grana quinque: miscent, ac per linteum colant, stillant duas guttas in oculum. Accipe sacchari canditi vnciam: vitrioli albi drachmam: tutiæ præparatæ tantundem: caphuræ semiscriptulum: aquæ fœniculi & euphrasiæ, cuiusque vnciam: oculis instilla. In vngue oculi externo, Accipe aquæ fœniculi duo cochlearia: olei vitrioli rectificati, duas guttas; misce. plumâ hoc liquore madente, ea tangatur pellis manè & vesperi. Aqua roris solis. Accipe fœniculi, rutæ, euphrasiæ, verbenæ, chelidonij, capillorum veneris, endiuiæ, singulorum manipulum: affunde aquam rosatum, vrinam pueri, & vinum albũ optimum: distilla: adde deinde aloën & tutiam subtilissimè comminutam, & soli expone dies aliquot. Ad lachrymas oculorum ex madore frigido, Accipe thus & masticen, bulliant ex vino, obturato vase: fumum accipiat, & calido vino illo lauet faciem & oculos. Ad cataractas, Accipe violas albas & folia raphani cum ammoniaco, hæc inde artificiali balsamo: manè inde oculis. Aqua mirabilium virium: Accipe limaturam ferri, æris, stanni, plumbi, auri, argenti: macera hanc viginti quatuor horis in vrina pueri calida: postea viginti quatuor horis in vino calido, dein hac eadem serie in succo fœniculi, albumine oui, muliebri lacte, vino rubro, tandem in albumine septem ouorum: hos postea liquores cunctos confundes, ac lento igne exstilla, ac reconde argenteo vasculo. Aqua rosarum refrigerat oculos, betonica siccat, chelidonium roborat, agrimonia consolidat, ruta acuit, calaminaris pruritum suo morsu delet, adeps vitri vngues oculorum abigit. Coque fœniculum cum radice, æneâ parinâ tege, halitus aquam dabit, quam oculis indes. *Oculare polychreston* Ad oculorum phlegmonas, & ad vlcera corneæ tunicæ, & vueæ procidentias ex acri tenuíque fluxu: refrigerat; siccat absque morsu, coquit, dolorem mitigat, carnem gignit, cicatricem ducit, digerit, trahit ex alto, vtque breuissimè dicam, cunctis viribus præditum est, quibus ad inflammatas, exulceratas, imbecillas, fluxioníque obnoxias particulas opus est. Et cuiuis ætati, tempori, temperaturæque vtilissimum est, modò vario liquore, modò hoc, modò illo soluatur. Prouisio primùm habeatur totius & capitis, purgationibus, apophlegmatismis, cucurbitis & talibus. Mundificetur oculus lacte immulcto ex muliere succiplena, & tenuissimis linteis abstersos in oculos infunde collyrium decenti liquore solutum: initio sit liquidum, & progressu crassiusculum. Si res velit, primùm foue & cataplasma admoue. repressâ ferè fluxione, ad hoc collyrium veni, & infunde ea vario liquore tepidum. quod fiet si coticula in qua teritur, primò ebullierit in aqua dulci. Liquores huiusmodi sunto, tenuis liquor oui, eodem die nati, lac iuuenculæ succiplenæ, succus fœnigræci, ptisanæ, decoctum seminis lini & cydoniorum, polygonij succus, aqua saccharata, succus rosarum, vuæ acerbæ succus, & vinum. Accipe pompholygos lotæ drachmas [illegible] amyli recentis, loti, quódque nullam præter [illegible] sensibilem qualitatem, drachmas quinque: cadmiæ vstæ ac lotæ semunciam: plumbi vsti ac abluti drachmas tres: cerusæ lotæ drachmam: lapidis hæmatitidis drachmas septem: opij sesquidrachmam: croci, aloës, cuiusque semidrachmam: myrrhæ sesquidrachmam: sarcocollæ elotæ vnciam: sacchari crystallini drachmas tres: gummi tragacanthi sescunciam: cuncta hæc macerentur in succo fœnigræci, cum tenui liquore albuminis oui, & lacte iuuenculæ mulieris succosæ. *Chalazium in palpebris, vel grando parua,* Si in palpebris à frigido succo fiat tumor instar grandinis, discuties cum emplastro diapyritide, vel sacro. Sin inter cilia cum phlegmone constiterit instar hordei, foueatur lacte vaccino & aqua myrti. à foco absint. Verrucæ si ibi constiterint, forcipe abscinde, & ablue aquâ plantaginis, in qua aluminis coxit exigua copia. Contra perlas oculorum: euacua, acria immitte oculis, caput sicca pulueribus & sacculis: & accipe seminis fœniculi, caryophyllorum, piperis, euphrasiæ, macis, cardamomi, cubebarum, æquales partes: bis affunde mel, cum succo chelidonij & fœniculi, & iterum ad mellis redeat ideam coquendo: postremò adde pulueres: sumat manè sesquidrachmam. Qui empiricis delectatur, plura videat apud Dioscoridem libro De Euporistis Capite vigesimo octauo, & sequentibus, vbi magna parabilium medelarum varietas: ego iam manum de tabula, si pauca quædam, quæ quamuis non in oculo sint, ad oculum tamen pertinentia indicauero. *Ad oculum pertinentia quæ in vitia.* Ad oculum pertinet passio illa, qua exeruntur oculi præter naturæ legem. *Exitio oculi.* Hoc euenit strangulatis, ægrè parturientibus, vel à subito incursu succorũ. Dũ à succis fit, affligit carybaria & quædã mydriasis. Suffocatis prodest phlebotomia: succis, pharmacia: à partu cùm est, menstruorũ euocatio succurrit. & tandem cucurbitæ occipitio admotæ; si à succorum incursu sit, reprimentia oculis adhibita prosunt ex malicorio, balaustiis, myrtillis, terra Lemnia. Oculum etiam interdum fatigat Ægilops, hoc est inflammatio ad canthum oculi maiorem: quod

ruptum si negligatur, in fistulam abit. Si os cribriforme lædatur puttedine, os factus deprauabitur. Initio venam pertunde, & reprime succo semperuiui cum pauco croco, & solani succo vel portulacę: dein discute non acri vi prædiris, ne oculum feriant: fiat cataplasma ex parietaria & croco: vel succo rigetur eius, cum croco. Si pus ibi retinetur, aperiatur locus, ne id oculum aut os cribriforme corrumpat. Deinde cura oleo vitellorum ouorum, vel liquore myrrhæ cum balsamo Peruuiano. eluatur decocto rutæ. Parum adde interdum olei hyperici compositi. Inspergimus interdum puluerem ex myrrha, & alumine vsto & loto, & parum antimonij. Illud obseruabile, hunc tumorem interdum meram esse phlegmonem erysipelatoden, in qua rubedo, pulsus, & reliqua. Interdum à sanguine pituitoso nascitur. hic non adeò dolens, concolor. Si à calida materia fit, admone ea quæ prius diximus: & hæc etiam, Accipe foliorum plantaginis, rosarum rubrarum, cuiusque pugillos duos: seminis fumachij, corticum granatorum, cuiusque drachmam: farinæ hordei semunciam: passularum mundatarum ac in pultem ex aqua plantaginis versatum, drachmas sex: cum aqua plantaginis fiat mollissimum cataplasma. Si discuti nequeat, Accipe pulpam caricarum, ac radicum althææ, per setaceum traiectam, singulorum vnciæ pondus: farinæ tritici quod satis fit, vt cum præscriptorum decocto fiat molle cataplasma: adiice parum croci. Pepasmi primo vestigio apparente, crudiusculum secetur ferro, ne os exedat pus: nam id foret insanabile. Stude vt plurimum sanguinis & sordis effundatur. Sectioni impone decerpta lineamenta ab albumine oui & rodostagmate madentia: studiúmque adsit ne siccentur. Postridie, iam descriptum purificum impone. At si phlegmone perseuerat, loco purifici illinatur albo caphurato vnguento, quod loco olei haber caput lactis. Deinde detumescente parte, phlegmonéque abactâ, diapalma ex rosaceo facto vtilis erit. Tandè curatio Barbaro emplastro absoluatur. Si nascatur à frigida materia, phlegmaphygis purgetur; & tale cataplasma admoueatur, Accipe radicum althææ, liliorum, singulos semimanipulos: florum chamæmeli puluerisatorum, farinæ seminis lini, cuiusque binas drachmas: pulpæ caricarum drachmas tres: mellis drachmas duas: misce: & cum præscriptatum decocto fiat cataplasma. Si his concidat tumor, dictamni emplastro quod reliquum est exhauriatur. Sin pus subsit, quod ex mollitie dignosces, seca, ac barbaro emplastro à purgatione claude. Præterea ad oculum pertinet ψωροφθαλμία, quæ dicitur ὀφθαλμῶν τῶν βλεφάρων ψώρωσις, hoc est, pruriens palpebræ affectio scabiosa. prouenit ex salso nitrosóque humore. Huic opitulatur nostrum illud collyrium, quod alibi descripsimus, & etiam Sief rubrum Mesues, & diahaimatites, & viride Antæi. Huc spectant sclerophthalmia. quæ est durities oculi; ac dyscinesia, quæ est difficilis motus: madarosis, vbi ex palpebris defluunt pili: milphosis tollitur smegmatis calliblepharis. Succus frigidus interdum in duritiem trahit superiorem palpebram, qui nec calore nec dolore in vitio est, curatu facilis: glandulæ instar fugit prementem digitum. Applica emplastrum diadictamnum Galeni, vel diapyritis eiusdem imponatur. his exhauritur, vel suppuratur. Supputatâ materiâ, secetur superficies palpebræ decussatim. Hydatides eodem curantur modo. Est etiam inter hos affectus encanthis, cùm caruncula maioris canthi excrescit iusto amplius: at vbi diminuitur, rhyada vocant. In encanthide abcisione opus est, si mollis fit: à dura abstine. Rhyas ferè incurabilis est: quidam myrrham & thus carunculæ apponunt. Inuersio pilorum nonnunquà oculum lædit: pilus is extrahatur, & meatus cuspide aciculæ candentis claudatur. Præterea est strabismus, qui est musculorum affectio ex conuulsione, oculum mouentium. fit etiam interdum à paralysi musculorum ocularium. Hoc studium adsit illis, vt in aduersum semper partem intueantur, quò natura discat à praua visione abscedere. Propterea speculum his semper adsit, quod castiger flexum in obliquitatem oculum. Ideò in infantibus iubeant medici (quò in illam partem se flectat visio) pilas rubras apponi: & candelarum solisque lucem vertant matres in rectum castigatúmque infantium visum. Plurima ad varios oculorum affectus leges collyria apud Antidotarium Florentinum folio centesimo secundo, & sequentibus. Varia etiam nomina ophthalmicarum passionum enumerat Rhodiginus. Hactenus De oculis. Vnum addo ob insignem vtilitatem, quam visus in eo obseruauit, & quidam in omnibus ocularis passionibus eo vtuntur. Accipe aquæ putæ libram: vitrioli albi drachmam: albumen vnius oui: misce, & coque ad tertiæ partis exhaustionem. immittant guttulas aliquot oculis. In cunctis oculorum passionibus vtile est in obscuro versari loco: ita quies concedetur laboranti parti. Si carbunculus palpebram occupat, fouebis oculum lacte & succo solani, ex tepidis impone linteis: vel lacti adde liquidum succum portulacæ. fit muliebre lac Emulsio seminis papaueris albi ex lacte recenti. Optima sunt recentia capita papaueris albi, si eorum succo depurato vtenur. Præclarè de his Aëtius.

Aegilops à frigida materia. — *Phorophthalmia.* — *Antidot. Flor. fol. 103. Varij affectus.* — *Palpebra duræ tumor.* — *Encanthis & Rhyas.* — *Pili inuersi.* — *Strabismus vt corrigatur.* — *6. lib. 20. & 14. lib. 19.* — *Carbunculus.*

CAPVT VIII.

DE PASSIONIBVS AVRIVM.

Inter cunctos sensus nobilitate quadam diuina proximè ad visum accedit auditus. eius obiectum est sonus. sonus est qualitas prodiens ex aëre vel aqua, à solidis læuibúsque corporibus, concauis & amplis, affatim magnáque vi collisis. Quòd enim reuerberatione opus sit, argumento sunt antra, specus, siluæ, putei, montes, & cuncta loca cauernosa, quæ voces etiam reddunt. Quod autem in solida corpora impelli debent, in tympanis conspicuum est, & in fidibus musicis, his enim tensis opus est; nam quæ mollia sunt, cedunt. Præterea amplitudine læui quadam opus est: nam acuta cùm aëtem scindant, ei vim haut inferunt. Sinuosus autem aër sede detentus cùcauâ, indéque congregatus & vnitus maiorem edit sonum. Aër iam impulsio sonóve affecto, vicinus itidè aër verberatur & impellitur, donec ad aures perueniat. Hoc non aliter euenit atque in fluminibus dû gyrus gyrum excitat, donec à ripa retrusi, ad primum redeant gyrum. Ita in concameratis locis, vox geminatur, & echo generatur. Hinc etiam est, quòd sonus aliquantum post ictum, & non ilico sentiatur. Spiritus quidam auribus à natura inditus est, cui ilico qualitas percussi aëris communicatur, atque* τὸ πρῶτον αἰσθητικόν afficit. Hoc omnium primus Plato docuit, qui scripsit, auribus insitum aërem pulsari, & pulsum in principem animi sedem mitti; & ita auditum generari. Quo modo hoc fiat, videamus; pulchrum enim causas rerum nostrarum intelligere. Vt sensus percipiat aliquid, oportet vt sit mutua actio & passio inter sensum & sensibile. quare opus est mutuo tactu. ergo, alterari & tangi ab externo opotter internum. Id fit hoc modo. Aër qui à foris est aliquo impulsu affectus, incurrit in membranam quæ aures vestit internas, ottam à menynge. Hæc officula quædam sibi colligata (quæ malleû & incudem referunt) commouent. Mota verò officula neruum quendam per transuersum membranæ expansum percutiunt;

Auditus vt fiat. — *Echus natura quid.* — * *primum sensificum.*

ex illa nerui percussione, membrana repercutitur: vnde membrana sonos excipit. Soni verò per anfractuosus meatus aurium feruntur, & peruadunt ad auditorium neruum: inde idea ad sentientem animam funditur. Antiquitas putauit, ex Empedoclis sententia, auditum fieri, quia aër intimam aurium partem impellit, vbi cochleæ conuolutio. Alcmæon dixit vacua omnia resonare, cùm in ea vox incidit. Diogenes dicit aërem in capite esse, qui, cùm percutitur vocibus, commouetur Deus cauam fecit autem ad meatus auditorij initium, vt repercussu quodam sonus, meatum illum ingrediatur. Hoc testatus est Adrianus Imperator, manus cauam partem, quò facilius perciperet à postica parte auriculis obtendens. Ossis petrosi processus obliquus, sedes est auditus: nam solidis gaudet vox. Hæc autem auditus sedes distinguitur in triplicem regionem Prima dicitur meatus auditorius, per quem aër obliquo ductu fertur ad pelliculam myringam: quò omnem motus violentum incursum infringat. nam ingenti sono vel frigore rumpitur hæc membrana, vnde surditas Propterea myringi & meatui auditorio antepositus est hic flexuosus meatus, & angustus meatus sonum colligit, quò distinctius audiamus. estque solidus meatus; sonitni aptus: obliquus etiam, nam obliquus ictus non æquè ferociter ferit ac rectus. Merynx est septum inter meatum primum & secundum. Vt quis rectè audiat, opus illi est insito aëre puro, & tranquillo, tenuique. Seiunxit Deus Opt. Maximus hunc aërem ab externo myringâ, ne confundantur. Hæc myrinx flectitur & sonat. tenuissima est, pellucida & densa. Hippocrates scribit hanc omnium membranarum esse siccissimam. Merynx nascitur à pericranio, quod sub cute meatum auditorium cingit. Merynx quasi septum est inter auditorium meatum, & inter tympanum. obliquus eius situs est ob violentos impulsus. In secunda regione habitat insitus ille auditorius aër: & hæc origo meatum habet quo per os & nares forberi aër possit, quo ille internus recreetur. Hic aër princeps est auditus instrumentum, nam sonum excipit. Hæc secunda cauitas ab Aristotele appellatur cochlea: alij antrum vocarere, Fallopius tympanum, Vesalius peluim. Hic meatus duritie est lapideâ, nam sono est dicatus. Hæc cauitas sita est inter radices mammillaris processus, & ad insertionem capitis maxillæ inferioris: hoc est, in principio processus petrosi, cuius intimis partibus insculptum est, & ilico post myringam. Hæc cauitas spongiæ modo fungosa est, & videtur tepere in mammillares processus. Plurimæ ibi cauernæ, fenestræ, foramina, fodioæ, ad spiritus innati nutricatum fœlicitandum. A secundo hoc auris meatu, patet meatus in os: hinc est quòd susurri masticatoriis placentur: & quòd sonus in os ingressus, ad aurium intima fertur. & propterea hi, qui sordescunt, propterea quòd myrinx durior euasit, aperto ore captant sonos. Alcmæon, inquit Aristoteles, putauit captas per aurea respirare: hunc enim meatum etiam capræ habent. An non eâ causâ insculptum hoc foramen, vt cedat aër, ne merynx rumpatur, vt in tormentis? Terminatur hic meatus vbi os palati desinit, prope radicem gargareonis, ita vt palato & naribus sit communis; oritur à tympano. Dum fauces dilatantur ad deglutitionẽ, hic meatus aperitur. Tertia in aore cauitas appellatur à Fallopio labyrinthus, ob coniculos qui in eandem cauitatem abeunt, vt sonus in angustis locis clarior fieret. Quarta cauitas antrum vocatur, Fallopio cochlea, aliis foramen cæcum, Vesalio buccinosum antrum, à recuruo cornu, quod vocant pastores pecus, vel à conchylij specie buccina dicitur. Est anfractuosa magis hæc cauitas, quam tertiæ cauitatis cuniculi. In illo meatu, quem tympanum vocauimus, ossicula quædam sunt exilia, incus, malleus, & stapes Aër ab ossiculis & myringe agitatus in tympano, ad cochleam, inde ad neruum auditorium fertur; Etenim nerui quinti paris maior propago in tres portiones terminatur, & præcipua propago in cochleam abducitur. Hæc propago nerui excipit sensibile à foris occurrens. Sed quia sonus & vox sunt illud sensibile, siue aër percussus, aut eius percussio, siue motus qui percussione fit, gyro quodam allabens, non licebat auribus, (quod oculis alioqui euenit) neruotum tegmentum quoddam apponere. Id enim motum aëris arcuisset à neruo, maximè in exiguis vocibus: nec iterum nudo neruo opus erat, ob incursus externos. Nec adeò rarum ac tenue fuit fabricandum hoc operimentum, vt aëri esset peruium, ne nerui læderentur, néve in frigus traheretur cerebrum. Hanc propterea fabricam S. Deus ita temperauit, ne, cùm nimis forti propugnaculo ab omni iniuria vindicaretur, surdum euaderet sensorium: iterumque si munimenti omnino expers esset, omnium iniuriis pateret. Os itaque durum ac densum, polydædalis flexibus, labyrinthi quadam facie pertusum est, quo stricta vis frigoris varietate flexuum exolueretur, néve aditum facilem concederet impetui exiguorum corpusculorum. Ita meandri hi in causa sunt, vt mansuetè incurrantur hæc. Eadem causa fuit, quòd duriorem sortiti simus neruum auditorium: verùm non eò abiit hæc duricies, vt violaretur eius actio. Triplici ratione actio audiendi percellitur: vel enim obscurior redditur, quod surdastris euenit: vel omnino abolétur, vt in surdis: vel deprauatur, vt in obauditione sibilorum, tinnituum, murmurum, sonorum. Causæ horum sunt instrumenta auditui dicata, si in intemperiem trahantur, vel obstruantur, aut si vnio horum violetur. Sonus maximus confertim incurrens, auditus organa diuellit: hoc docuit Aristoteles, cùm ait, sensibilium excellentias, sensum corrumpere. Hinc est quòd accolæ catatactarum Nili audiendi vi fraudentur. Varij itaque affectus aures fatigant. Aures dico interiores, non exteriores quæ nominantur auriculæ, quia iure nullo societatis cum cerebro sympathiam habere possunt, quẽadmodum audiendi meatus in cauitate ossium temporalium anfractuosa quæ ad cerebri amplitudinem excurrit, membranamque accepit acerrimi sensus, & neruum ad audiendi vim accepit quintæ coniugationis. Atque in eo sinu, vt modò diximus, vernaculus quidam aër ambienti consocialis, triaque item ossicula, malleoli & incudis, stapedisque similia continentur. Hæ aures grauibus admodùm morbis obnoxiæ sunt, nam à capite & cerebro transitum faciunt ad aures. Neque sanè alius acutior morbus est, quàm is qui symptomata exhibet aurium inflammatione obsessarum. Profectò aurium inflammationes atque dolores eiusmodi sæpè sunt, vt ad dementiam mortemque præcipitent. Atque in auribus quàm in oculis aliquanto maius periculum est, quod oculorum vitia intra ipsos noceant: aurium verò inflammationes facilem habent cum cerebro sympathiam, facilemque recursum. Quò magis inter initia primus succurrendum est, ne maiori periculo locus sit. Plurimi itaque cùm morbi auribus negocium faciant, atque cunctis cùm sese consociet dolor, de hoc primùm agemus. Dolor aurium est naturæ tristis perceptio, afflictis partibus quæ sentiendi vi prædiuæ sunt, orta à continui distractione. Hic quò placetur arte dolor, opus est vt rectè causam eius deprehendamus. Aures fabricatæ sunt ex cartilaginibus & membranis, natura frigidis & siccis.

Antiquorum sententia de auditu.
Sedes auditus.
Prima sedes.
Lib. De carnibus.
Secunda sedes.
Cochlea. Antrum. Tympanum. Peluis.
Meatus ab aure in os.
5 De hist. animal. c. 11.
Tertia sedes. Labyrinthus. Antrum. Cochlea. Cæcum foramen. Buccinosum antrum.
Vsus horum.
Fabrica varia.
Vitia auditus, eorumque causæ.
Nomen aurium, & auricularum.
Aures grauibus morbis tenentur.
Aurium morbi periculosiores oculorum morbis.
Dolor aurium.

Cumque partes facilè ad consimilem intemperiem flectantur, euenit, vt aures plerumque à frigida causa doleant. *Dolor à frigida intemperie.* Quamuis aliquando & calor in vitio sit, vt si acris fuerit dolor, facies turgida, bilis si toto corpore circumfluat, illachrymentque oculi frequentissimè. Raro tamen suspicabimus in hoc affectu de causa calida; cerebrum enim naturâ frigidum & excrementitiū est, quod si à causis quæ à foris veniant frigidis, & ab his quæ intùs sunt excrementitiis incurratur, ob facultatis coctricis impotentiam, plurimis excrementis occupabitur. quæ si palato, naribus, & auribus non ritè excludantur, hæc tœdia promptè proferunt. Quare huius doloris causæ internæ plerumque frigidæ sunt. Et quamdiu omnes causæ externæ non conspirant in calorem, de causa calida nulla suspicio erit. *A materia putri.* Nonnunquam doloris causa est materia putrida & purulenta, vt in aurium vlceribus, & vermiculis. nam sauiosi & serosi humores in auribus generati, similites vt mordaces succi qui alicunde illabuntur, dolorem conciliant. *A flatu: & vnde is.* Quin flatus sæpe dolores & sonos mouent. Nascitur flatus ab intemperie capitis calida & humida, vnde humores crassi & lenti in capite. Vel aliunde efferuntur in caput flatus. vt si crudis quis vtatus cum vino meraciore. & qui non purgato corpore vtuntur guaiaco. A materiæ copioso affluxu interdum ossicula dimouentur: & vehementissimè auris dolet, cùm internus eius meatus affligitur, ad quem neruus auditorius peruenit: nam quò profundius malum, eò vehementius est. Dolorifica hæc materia synatrismo in auribus prouenit, vel alicunde influit, aut vi in auribus detinetur. Synathrismum eius facit intemperies: detinetur dum infarctu illæ detinentur: influit à cerebro, vel à toto corpore. Quæ à foris incurrunt, dolores etiam præbent, vt ambiens aër, aqua medicata auribus influens, animalcula, pulueres, grana quæ intumescunt. Quin interdum Phlegmone hos dolores accersit. *SIGNA.* Qui ad ætatem maturiorem venêre, ideam doloris ipsi dicunt: sed infantes flent, & manus auribus admouent. Si dolor hæreat in primo aditu meatus auditorij, æger narrabit se non in profundis partibus dolorem sentire: & dolor à rebus foris admotis mitescet. Si digitis comprimas aurem, acerbior euadet dolor. Cuncta aliter eueniunt in affl cto meatu interiore. A sola intemperie frigida si fuerit, dolor altè citra grauitatem, vel tensionem, aut ardorem fixus est. nam grauitas, materiæ soboles est. Si tensio adsit citra grauitatem, spiritus flatulentus exitu prohibetur. Si grauitas adsit, cum carybaria, ac pituitosus si victus præcessit, crassi humores in vitio sunt. Si punctilis sit dolor, in membranis illius causa erit: nam tensiuus & conuulsiuus dolor neruis est peculiaris. Si nulla grauedo adsit, nec vlla dimanatir materia, solâ intemperie tentabitur auris. Si profluat sanies, vlcere occupari aures significatio fiet. Vermis se prodit fœmte, & interdum exilit. Ægrè dignoscitur dolor prodiens ex ossiculis dimotis: quare innotescet maximè inde, quòd nulla emicent signa aliarum causarum. *Dolor contusiuus.* Præterea quòd præcessit valida aurium contusio: ac sequitur dolor contusiuus. vel saltem ingens fluxio fatigauit primùm aures. Mordens dolor fit materia acri, & saniosa. Perforatiuus dolor à flatibus euenit, exitu prohibitis; vel à vermibus. Pulsatilis dolor soboles est phlegmones. *Indicationes.* Ex natura mali perspecta nascuntur notæ curatrices; vt si intemperies sola sit in vitio, illa castigetur: materia si crimen habet, elidatur: dolor si nimium infestat, mitigetur. si φῦσα spiritus fatigat, discutiatur. Iam ad prænotionem venio. *Prognosis.* Aurium interiorum dolor, inquit Hippocrates, cum febre acuta intensus (cuiusmodi esse solet in parte sensus exactissimi inflammatorius, vnde materia effeta, tanquam in ergastulo conclusa, nequiuit exire nec exudare, propereaque perennis syntimosia est morbi & causæ morbificæ) cum sinistro quopiam signo (vt cephalalgia, dementia, vrina praua) iuuenes quidem septimo die (quia biliosi, ab inflammationibus vexantur acerbissimè) aut etiam celeriùs (nam malum prorepit ad cerebrum) neque ex naribus hæmorrhagia (præcepiâ phlegmonæ & febri materiâ) nec liberale fit expuratum ex aure. Seniores autem seriùs & tariùs tollit: nam suppuratum præuertit, nec ita delirant. Sed tamen senes plerique non ita defunguntur morbo, vt non iteratò recrudescat: ob pepasmi & excretionis inchoatum, non autem perfectum motum: atque sic moriuntur, fesendo posteriori morbo imparibus viribus, quas prior infregit. Si ab ossiculis dimotis fuerit dolor, ille mulceri potest, sed actum erit de auditu. Vbi à sanguinea materia prognascitur dolor, maximè si phlegmone adsit, pertundatur vena. *Phlebotomia & pharmacia.* Si materia cacochyma in vitio fuerit, qualis illa fuerit, talis instituatur pharmacia. Quæ auribus admouentur & immittuntur remedia, quædam ad dolorem, quædam ad materiam pertinent morbificam. *Topica.* Ad placandum dolorem, initio mollissimâ medicinâ vtemur, vt adipe anserino, medullâ vituli, cum lacte muliebri, & butyro recenti. *Dolorem placantia remedia.* Secundò veniemus ad decoctum maluarum, papaueris, radicum mandragoræ. Si dolor vehementer vrget, cum Rase, opij momentum oleo rosato temperatum, auri immittemus. Accipe olei rosati & violati, cuiusque sesquidrachmam: opij scriptulum. Sed hac cautione, suasore Rase, vtemur, *Cautio in vsu eius.* Si post opij vsum pulsatilis dolor redierit, priori similis, triduoque talis perseuerauerit, oleum ex sesami semine, in quo anatis vel gallinæ adeps dissolutus fuerit, subinde sensim auri infundes. Si quidem tunc auri abscessus inest, quem suppurare decet; & expectandum vt sic dolor sedetur; quod cùm factum fuerit, suppuratio perfecta erit, & expuratum erit in procinctu. Alioqui accipe olei rosati drachmas tres: opij & castorei, cuiusque grana duo: cum bombace immitte auri. Eodem modo vtimur interdum philonio vel requie Nicolai ad semiscripuli copiam. Aliud: accipe olei lumbricorum semunciam: adipis anserini recentis drachmas duas: opij grana sex: castorei grana octo: misce, stillatim immitte. Philonium cum lacte muliebri immittitur etiam. Si ab opiatis & oleis abhorreat æger, infunde vitro angusti oris decoctum foliorum salicis, rosatum, & acetum, fiat suffitus. Quidam agrestes homines excipiunt vaporem vasis in quo oleum fuit, & ilicò dolor cedit. Vel accipe olei rosati drachmas duas: opij grana duo, fiat suffitus. *Topica.* Instilla etiā auribus lac. talia dolori acerbissimo dicata sunt remedia. Causæ verò ratione contraria illi adferenda sunt remedia. *Causæ ratione remedia. Ad frigidā causam, & flatus.* Si intemperies frigida fatigarit, præclarè ad salutem faciet oleum caryophyllorum auri guttulatim immissum. ita etiam oleum anisi, cymini, cinnamomi, piperis, anethi, fœniculi: maximè cùm flatus tendant. Benè etiam facit oleum ceræ, euphorbij, sinapi, dauci, aqua vitæ; nam leptomeriâ excellunt. Scribit Galenus, apud rusticos solemne olim fuisse, *3. κτ' τόπ.* cæpam inanitam oleo implere, sub cineribus coquere, & expressum oleum auribus stillatim inferre. Aliud: accipe corticeū ligni guaiaci (siccat & discutit) radicum acori, galangæ, singulas semuncias (abstergent & discutiunt) schœnanthi drachmas duas: hic licet cuncta addere quæ opitulantur capiti frigido, vt flores stœchados, rosmarini: adde amygdalorum amarorum vnciam: & si velis vt traiiciant se validè, adde euphorbij semidrachmam: fiat decoctio in

æquis

æquis partibus vini & aquæ pluuiæ ; Huius vapor mittatur in aurem, per fiſtuloſum canalem lana obductum, na autem lædat. Olea ſi magis placent, prædictis vtatur : val exprimatur oleum ex amygdalis amaris cum corticibus , & cum olei nardini æqualibus partibus, & pauco caſtoreo, (ad perſuaſionem) vel, vt ſuaſerit materiæ frigus , modò hoc modò illud vincat oleum. Oleum ex thymo præſtantiſſimum aſt, & multorum loco eſſe poterit. aqua picis liquidæ : oleum cutionum , & oleum vitellorum ouorum ; cæpam ſub cinera coque , adde butyri inſulſi, olei roſatum & chamæmeli , cuiuſque vnciam: croci drachmam : fiat cataplaſma. Laudantur etiam cohleæ decoctæ in oleo chamæmeli. & ſalita medulla crutis porcini. Si craſſa & frigida fuerit materia , qualis plerumque eſſe ſolet , commendatur ſuccus cæpæ & allij auribus inſtillatus per ſe , vel oleis ta-mixtus, vt oleo ſcarabeorum, amygdalorum amarorum, rutaceo , de ſpica , de euphorbio. Sed eunte morbo , ad hæc deueniendum erit. Laudatur atiam decoctum rutæ & caſtorei ex lixiuio. Si dolor nimium fatigarit , Accipe opij grana quinqoe : caſtorei ſemiſcripolum : diſſolue oleo chamæmeli. Si ne his quidem dolor cedat, ad ſolum opium erit perueniendum , vel , vt antè dixi , ad philonium Meſues. Alioqui, quod alia ratione primùm etiam docoi, accipe alliorum , cæparum , foliorum lauri, rutæ, cyclamioi, origani , ſingulorum ſemimanipulum : ſeminis allij aut cæparum drachmas duas : euphorbij, veratri nigri , colocynthidis , cuiuſque ſemidrachmam: coque ex æqualibus partibus vini & olei amygdalini amari , dum vinum ſit exhauſtum , exprimatur oleum, & eius vapor auribus excipiatur Materia quæ reliqua eſt ab expreſſione , vtilis erit ad cataplaſmatis affictionem, cum medulla cruris porcini ſaliti, & pauco aceto ; & auri imponatur. Accipe turberbi gummoſi ſemunciam, coquatur in vino : liquor aoribus inſtilletur. *Fotus.* Fotus præſcribuntur ex menta , ſtœchade, maiorana, ruta, calamintha ; pulagio , verbena , betonica, foliis lauri, thymo , & anethο : ſemine dauci, carui , fœniculi, aniſi, ameos, radicibus ellebori nigri, cortice thuris , floribus meliloti & chamæmeli. Cyclamini radix commodè auri aptetur, & parum excauatur , cauitas impleatur oleo de ſpica vel laorino, & carbonibus ita imponatur donec radix totum oleum imbiberit, deinde auri illigetur ita calidè vt æger ferat : oec fumus extra aurem ſe effundat. *Cùm non poteſt diſcuti.* Frigida craſſaqua materia ſæpe diſcuti nequit, ſed in ſuppurationem abit. id cognoſcimus ax perenni dolora , qui nec diſcutientibus euinci potuit. Quare tunc non diſcutientia , ſed ſuppurantia admouebimus ; vt pinguedinem anſerinum, gallinarum : quæ ſoluantur oleo lilino vel chamæmeli. Vbi ruptus iam fuerit abſceſſus , vt vlcus curabitur. Frigidam banc intemperiam præclarè delet oleum lumbricorum auri inſtillatum. Rutam, piper & caſtorium incoque oleo. vel etiam allium. Cicadæ etiam quæ in olea arbora inuaniuntur ferueſcant oleo veteri ; guttatim id infunditor. Pinguedo etiam anſeris miſcetur cum agnæ vrina & fella. *Intemperies calida & Phlegmone.* Cùm calida cauſa in vitio eſt, adeò vt metus inflammationis, vel ipſa inflammatio adſit, (hoc eſt, ſi grauitas, tenſio, calor & dolor pulſatilis adſit) initio admouabimus reprimentia , modò materia non ſit copioſiſſima. Accipe roſarum rubrarum, florum violarum, & nymphææ , cuiuſque manipulum: (hæc repercutiunt) florum chamæmeli (dolorem leniunt) balauſtiorum vnciam : omnium ſantalorum ſemunciam : fiat decoctio: vaporem per infundibulum auribus bauriat longè ante paſtum. Si olea magis placent , Accipa olei violarum, & roſarum ; miſce aliquid aceti : auri cum bombace immittatur. Si copioſior fuerit materia , vtemur oleo amygdalino (nam dolorem mitigat) & etiam chamæmelino. Dum phlegmona pergit ad maturitatem , cataplaſmatia vtemur ex ſambuci foliis & tapſi , & maluæ , & lapatij, floribus chamæmeli & meliloti , farinaque hordei & fœnigræci, coctis ex aqua cum aphrogalis. Cùm ad vigorem ventum eſt, iungemus adipem anſarinum, anatis, gallinæ. Foris autem aſſiduè fouo oleo communi. Declinante malo , modò non abeat in expuratum , exhauriemus oleo anethi & chamæmeli, cum adipe anatis, & paucâ myrrhâ. De iis quæ ad prouiſionem totius , nihil dixi : nam ſcitum illud eſt, ſi phlegmones initia adſint, venam eſſe pertundendam eiuſdem lateris. Iubet etiam Raſes , vt vehementer aluus ſoluatur à pilulis, quas deſcribit ex myrobalanis, aloë, & ſcammonio. *Phlegmone moderata.* Moderata tamen phlegmone, hoc eſt, eius primum veſtigium, cùm nondum ad pulſatilem dolorem ventum eſt, roſaceo , & aceto ſimul temperatis tepefactis atque infuſis ſanatur : vel albumen oui infunditur , vel lac muliebre. Cutiones etiam bulliant in oleo violato & anethi, & eum luteo ouorum , croci que momento, & pauco ſucco granatorum, immittatur auri. Si dolor acerbus vrget , fingemus cataplaſma ex calycibus papaueris , violis , chamæmelo , meliloto, ſemine althææ, farina lini & hordei , butyro recenti, adipe anſerino, oleo roſato & rutaceo *Purificum.* Purificum hoc eſt , & ſedat dolorem . accipe coctarum radicum althææ ſemilibram : micam panis albi lacte maceratam , farinæ lini & fœnigræci, florum chamæmeli, cuiuſque vnciam : butyri recentis ſeſcunciam: lutea duo ouorum: croci drachmas : tepens auri impone. Adeps anſerinus vel gallinaceus cum roſaceo auri immiſſus. Sed ſi nimis dolorifica fuerit phlegmone, inſtillatur albumen oui cum lacte tepido mulieris. aliquid ſucci ſolatri nonnunquam addimus. Vrgente verò dolore (ſuadente quaſi Hippocrate , cùm periculum ne mentem turbet inde eſſe aſſerat) ad leniſſima narcotica deueniemus, de quibus antea egimus *Cautiones.* Cautio ea adſit vt cuncta quæ admouentur ſint tepida : nam ſanguinis expertes cùm ſint aures, facile ad ſibi cognatam intemperiem flectuntur frigidam. Dum dolor in curſu eſt, curtem cede dolori: & à paroxyſmo fone aurem, & inſtilla aliquid. Deinde foris vniuerſam aurem impone molli lanæ. Maxima cura incumbat medicus , vt ſciat quæ & qualis & quanta ſit morbi cauſa , & quam maximè occupet partem. *Humida aures.* Si humeſcant aures abſque vlcera , inſuffletur galla vſta cum puluere tenuiſſimo ariſtolochiæ. Succus etiam mentaſtri eleganter ſiccat madorem: & ſuccus foliorum perſicæ, nam abſterget etiam & putredinem arcet. & aloë cum lacte muliebri, vel cum ſucco abſinthij quinetiam oleum nucleorum perſicorum. *Sonitus aurium.* Talibus , nimirum amaris quæ ſine eroſiona expurgant , exterguntque , vtendum eſt vbi tinnitus aurium , quem Græci [illegible] vocant, moleſtus eſt. Pleruinque à flatibus originem habet ; quanquam acerrimo qui prædiri ſunt ſenſu à leni interdum cauſa hoc patiantur. quin etiam fractis à morbo euenit, cùm reualeſcunt : exhauſto quaſi madore genio nerui auditorij vel ſi, à foris, temperies eius ſoluta ſit. *Nota.* Æger referet ſi quæ cauſa præceſſit. Si periodis quibuſdam ſubitò exacerbatur, argumento erit exitu prohiberi flatum, qui dum niſu ad exitom inſilit, ſonitum præbet : nam ſunus non ſit ſine motu , adde cibos quibus vſus eſt crudos ac flatuum plenos. Si pedetentim incumbat cum grauedine , primumque indulſerit crudis quamplurimis, lenti ac craſſi ſucci hoc agent. Si ſonitus hic nec incidentibus, extenuantibus & diſcutientibus euaneſcat ; nec

ab

ab vsu apophlegmatismorum cæterorumque capiti dicatorum remediorum excludatur dolor; suspicio erit ab acrimonia sensus id neruum pati, maximè si æger accerrimi sit auditus. Firmabit fidem huic causæ, si per inediam incendatur dolor, at à crapula si mitescat.

Curatio si à crassis succis.

Si à crassis succis natus fuerit hic talis dolor, primùm habita prouisione totius corporis & capitis, auri instillabis oleum amygdalinum amarum vel oleum in quo castoreum coxit, & excipiat vaporem decocti stichados, mentastri, & origani. vel succus rutæ coquatur in malicorio. Sacculi ex meliloto, stichade, betonica, calfacti auribus imponantur.

Ad acerrima vi sentiendi curatio.

Si fiat dolor ob nimiam sentiendi acrimoniam partium auditui dicatarum, granum vnum aut alterum opij indatur oleo rosato. Sed ab his caue, dum est signum, hic dolor, mox futuræ crisis. Si à capitis dolore hic dolor infestat, decocto absinthij aures foueantur.

A flatibus.

A flatibus tamen maximè hæc molestia est: tunc auribus hunc vaporem excipiat: accipe origanum, lauri folia, anethum, saluiam, myrrham, coque ea ex aqua & vino. addi poterit chamæmelum, melilotum, hyssopus, ruta, semen lini, fœnigræcum. Et postea instilla succum rutæ & parietariæ cum melle. Nam eisdem medicamentis vtimur, siue dolor sit à materia frigida, siue à flatu. sed cùm materia viscida est, vehementioribus vtemur. Rases dicit validissimum esse oleum de lumbricis auribus instillatum. aut, dicit, oleum lilinum, cui ad singulas vncias euphorbij recentis & castorei, cuiusque drachma adiecta sit. Si, inquit Rases, nec hoc modo auxilium præstiterit, aluũ pilulis cocciis ducito, & laconico sudorem prouoca & postea vinum vetus robustum bibat. Fiat sacculus ex milio retorrido Razes commendat hoc: accipe castorei, euphorbij, cuiusque grana quatuor; olei iasmini drachmas duas: instilla, & foris illine. Fortissimum hoc est: accipe ellebori, castorei, cuiusque drachmam foliorum rutæ, myrrhæ, piperis longi, singulorum semidrachmam: euphorbij scriptulum: succi raphani vncias quinque: olei amygdalini amari vncias quatuor: coque ad succi consumptionem: cola: & vsui tepone.

A venereo morbo tinnitus.

Si à venereo malo originem ducit tinnitus aurium, is contumax esse solet. vsus deprehendit cum placari distillatâ asinæ vrina. Frigida tamen viscidaque materia sæpè discuti nequit, sed in suppurationem abit. Id dignoscimus ex dolore qui perseuerat à discutientiũ vsu. quare, vt antè monui, tunc non discutientibus, sed suppurantibus vtemur, qualis est pinguedo anserina & gallinacea, quæ dissoluatur oleo lilino vel chamæmelino.

Vlcus.

Vel muccaginem seminis lini instilla cum chamæmelino vel rosato. Vbi iam suppuratum in expuratum abiit, quia humidus hic affectus partem siccissimam occupat, cùm morbus contraria, & pars similia velit, summè siccandum erit.

Gal. 5. Meth. & 3. κ(?) τόπ.

præterea extergendum & cicatrix erit inducenda. Absterget succus marrubij, cyclamini, mulsa; mel rosatum; leniùs hoc agit sirupus rosatus. Rases suadet vt mulsa tepida cottidie sæpè infundatur. Medicamentum ex myrrha est præstantissimum: nam absterget & penetrat. Leniter ex syringa infunduntur. His non iuuantibus, surgit Galenus ad scoriam ferri; hæc cum aceto per plures dies insolari debet. Sed morbus est impatiens moræ; quare accipies limaturæ chalybis drachmas duas, fiat tenuissimus puluis, qui quinquies vino austero extinguatur & siccetur: adde aceti acerrimi vncias tres: coque dum crassescat. Aliqui miscẽt tantum butyri cum scoria, quantum satis est vt fiat linimentum: vel adijce sapam & saccharum: & si dolor vrit, adhibe cum vitello oui. Si dolor acerbissimè vexârit, à synceto hoc remedio abstinebis. Nam in recenti vlcere satis est si oleum, vitellorum ouorum cum melle, & tantillo sarcocollæ instilletur. Vel si dolor immanis exercet ægrum, oleum agitetur in mortario plumbeo, dum nigrescat. Vel accipe decocti agrimoniæ & absinthij semilibram: vini albi & mellis rosati cuiusque vncias duas: instillentur tepidè. Vel succi granatorum dulcium, succi polygoni & virgæ pastoris, singulorum vncias duas: mellis rosati sescuunciam: coque, & auri immitte. Decocto acaciæ fœliciter etiam hæc vlcera curantur. Accipe succi polygoni & hederæ vel nicosianæ vnciam: tutiæ drachmam: auribus inde. In pueris ita fiat, Accipe vini austeri vnciam: aluminis drachmam: liquescant: & eo vino aluminoso imbuantur panni quinquies, & siccentur; & ex iis fiant strepta, quæ intinge aquæ mellis, cum iride, myrrha, aloë. Prodest etiam ad cicatricem inducendam si myrrha, aloë, thus, sarcocolla, hypocistus in puluerem redigantur, ac vino si exceptus ille coquatur, isque auribus iniiciatur; vel vt eius fumus auribus excipiatur: aut terebinthinæ puluis remisceatur. Ita coquitur malicorium & myrtilli vino austero. Fortissimum hoc est, accipe parum aluminis & vitrioli scio: scriptulum, adde parum fellis, coque in vino rubello. Ab vlceribus caruncula obnascitur interdum in auditorio meatu, cumque increscit, vnde surditas. Immitte strepta iridis Galeni litu imbuta. absterget carnem ac emollit. Vel misce drachmam præcipitati semunciæ emplastri de cerusa. Vel vtere vnguento quo caruncull vrinalis meatus absumuntur. Elue hoc, accipe vini optimi semilibram: mellis vnciam: aloës drachmam. bulliant. emplastro de cerusa obtegitur cute vlcus.

Vermes.

Vermis si auribus irrepsit, eliciatur lacte infuso auri. vel aquâ hordei, in qua dissoluatur saccharum penidatum. Si hac arte elici nequit, occidatur: accipe succi absinthij, prassij depurati singulas vncias: farinæ lupinorum, (nam absterget, & amarorem incîdit) drachmam: misce hoc penitus auri immittatur scalpello concauo quo aures purgantur. Si validius velis, vteris colocynthide, scammonio, elaterio alioqui commendatur Galeno succus prassij & scordij. Accipe succi cucumeris asinini, succi foliorũ persicorum, aceti optimi, cuiusque semunciã: aloë. puluerisatę scriptulos duos: vel si eius loco scammonei tantundẽ remiscueris, longè efficacius erit. Succus radicum mori arboris, & cẽtaurei minoris præclarè vermes occidit. Nonnunquam ægrè enecantur, tunc ad sulphur viuum, & ad calcem viuam venies. accipe sulphuris & calcis cuiusque drachmam: mellis quantum sufficit, vt fiant trochisci: horum vnus soluatur melle, & auri immittatur. hoc potenter cunctos enecat vermes.

Cautio.

Sed semper mente hæreat, summa moderatione opus esse. Est enim auris pars exquisitissimo sensu prædita, & cerebro vicina: itaque inclementiùs tractata distentionis neruorum, adeoque mentis periculum adfert.

Pulices.

Pulices, culices, formicæ si eò subierint, instillato oleo & pauco aceto suffocabuntur.

Oorwurm Belgis.

Si vermis qui à perforandis auribus nomen habet eò penetrârit, tum illa arte interimetur, nam meatui auditorio pomo dulci admoto dimidio, tanquam illecebra capietur.

Corpusculorum in aures illapsus.

Quin interdum aliena ab auribus corpora illabentia, auditorium meatum occludunt. Notabis num id quod auri incidit habeat vim calfaciendi vel refrigerandi, & num sit liquidum vel durum. Si id quod auri incidit liquidum est & crassum, infundes acetum, & saltet in alterum pedem, capite inclinato ad aurem afflictam. Si res dura illi incidit, Rases primò suaui vtitur balneo, quo meatus se laxet: deinde infundit oleum amygdalinum dulce tepens: postea ad sternuendum sollicitat, manu obturatis naribus ac præcluso ore. Ita etiam, inquit Rases, si aqua influxit, sternutet, & deinde tepidum subinde oleum instilla. Si animalcula, vt muscæ, culices, ibi enecata hærent, medicamen

dicamenta quædam amara inuolue gossypio, & madescat glutino & terebinthinâ, vel albo oui, aut tragacantho, quô animalcula hæreant Si granū aliquod inciderit quod intumescit ab humore bibito, quo circumfluit auris, vt ipsa, cerasorum nuclei, quia sæuos, distentione vicinarum partium, dolores cient, citò extrahantur forpiculâ. Diligentem hæc res chirurgum postulat: nam metus phlegmones & mortis inde erit. Si tantos dolor non adsit, sensim comminuatur, & extrahatur. postea inferes oleum rosatum cum adipibus. Anatum malum, inquit Rases, si tetra qualitate pollet id quod incidit: nam graues cruciatus auctor est: & in aure inflammata si intus maneat, conuulsiones accersere solet. Si liquida hæc materia fuerit, author est Galenus eam benè ore exsugi: vel arundine eam prolectet, dein cum gossypio siccetur auris. Norabis num liquor illapsus calfaciendi vel refrigerandi potentiâ excellat, vt contrariis remediis relictam intemperiem ab illis castiges Nam si ardorem reliquum fecit, is oleo violaceo cum oui albo temperabitur. Symptoma etiam quoddam aures infestat, in quo debiles soni non audiuntur, aut magis obscurè percipiuntur. Græci vocant βαρυηκοΐαν καὶ δυσηκοΐαν, quasi grauem auditum dicas. Huius caussa esse potest aëris ingeniti ingens crassities. hinc aures prope admouent qui hunc aërem crassiorem habēt. Crassiorem enim reddit interdum aër qui à foris est nebulosus & crassus, vt iis euenit qui in speluncis degunt, quique metalla tractant. Qui etiam crassa victus ratione vtuntur, crassum habent hunc ingenitum aërem. Quin flatus etiam crassior esse potest, qui miscet se illi aëri, cumque crassiorem reddit. Alia causa referri potest in spiritum crassum, nam & visorius spiritus crassior redditus visionem impedit, sic etiam auditorius impedit quo minùs species auditus percipiantur. Tandem in causa esse potest infarctus nerui auditorij, qui euenit ab humore: tale quid interdum accidit post epilepsiam. vel in causa flatus, aut carnosa excrescentia Surdos natos nunquam curabis. Si non procul ab ortu in surditatem venit alteram. & hæc irremediabilis est. Diuturna surditas, non absoluta quamuis sit illa, ægerrimè vel nunquam curatur. Qui vero per duos aut tres annos surdastri fuere, curari possunt. Est ergo surditas auditus interceptio, quæ fit impedito prohibitoque appulsu τῶν ἀκουστῶν, id est, audiendorum, vel τῆς ἀκουστικῆς, hoc est, auditorij effœta virtute: labefactatâ illâ parte cerebri, vnde vis audiendi manat. & hæc non est auditus interceptio, sed priuatio. Prohibetur autem appulsus, propter oppilationem meatus, vel auditorij nerui offensionem. Qualis enim est conditio crystallini humoris ad visionem faciendam, talis & intimæ auditorij meatus oræ, vbi dilatatum neruum attingit. Nam surditas est perfecta offensio auditus, quemadmodum cæcitas ipsius visus. Ac secundùm cæcitatem misera est conditio surditatis: nam aurium vsum proximum à luminibus nobis Deus dedit. Sed tamen surditatē non vsque adeò exterreri debemus, donec perspecta eius fuerit causa, firmitérne fixa, & vbi: an verò fugax. Enimuerò similiter fixa in facultate audiendi, cum febre acuta, metu nos terret, tanquam fatalis ad interitum Stabilis autem in vitio instrumenti & febris expers, nihil terrificum præ se fert: miserationem solùm mouet amicis: de hac iam hic præcipuè agimus. At verò surditas fugax in morbis acutis, cum habet euentum sinistri aut secundi iudicij, quam ipsa translatio eius denunciat, & succedanea eius symptomata, vt sunt parotis, hæmorrhagia, diarrhœa, & coxæ dolor. Est enim talis surditas in quibusdā critica, in aliis symptomatica. In febre surditas aluum sistit, inquit Hippocrates. hoc autem surditas non facit ratione sui, sed causæ suppressæ aluum ducentis. Est autem hæc, bilis recursus sursum ad caput: quamuis inducendæ surditati aptior sit frigidus humor, per oppilationem meatus, & intimæ oræ stuporem Sed tamen in febre surditatis causa est nimia biliosi humoris ad aures translati abundantia. Quæ causa est, cur & biliosæ deiectiones abductâ surditate subsistant: & ea aduerso, surditas exoluitur aluo procuptâ biliosa excrementis. Sic enim Heropyto surditas aluum suppressit, quem alui profluuium, & dysenteria, surditate, & coxario dolore celeriter explicauit. Surditas de non excepto appulsu τῶν ἀκουστῶν, phreniridi sternit viam atque insaniæ in febribus continuis, quando exoritur à vomitu æruginoso, mox nigro, & cum vigiliis coniunctam habet cephalalgiam. Quod legimus euenisse Phiistæ, quem scribit Hippocrates obsurduisse: mox autem phraneticum euasisse postridiè quàm flaua vomouerat, & inde paulo post æruginosa Vomouerat autem quo die primùm decubuerat. Vnde Hippocrates duxit illum Aphorismum, In Cephalalgia, æruginosi vomitus cum vigiliis & surditate: summa omnia breui ostendunt insaniæ. At verò surditas quæ non fit ab appulsu tali materiæ biliosæ, signum est per febres acutas, citò futuræ mortis. De qua ita Hippocrates, Surditas quæ in acutos incidit ac turbulentos morbos, pessimè habet ægrotum. Vbi Galenus author est, talem surditatem oriri τῆς ἀκουστικῆς δυνάμεως νενεκρωμένης; hoc est, emortua audiendi virtute. tunc mors in propinquo est. Remedia eadem surditati conueniunt, quæ Dolori aurium. Proprietate tamen aliqua hæc conuenire videntur: Accipe radicum cyclamini semunciam: nucleorum persicorum, & amygdalorum amarorum, octo: pista, & infunde vnciis quatuor aquæ vitæ, tres dies: fortiter exprime: instilla guttas tres vel quatuor supino, vesperi tempore somni: & aurem obtura bombace. Id fiat alternis diebus. Accipe colocynthidis semidrachmam: seminum cumini, carui, cuiusque drachmam: seminis rutæ & castorei, singulorum scriptulos duos: coquantur æquis partibus vini, & olei amygdalini amari: colaturæ aliquid immittes auribus: vel fumus metrenchytâ excipiatur auribus Remedium ea radice cyclamini, de quo antè dixi, hîc etiam locum habet: vel eodem modo vtere radice ellebori albi. Vitentur ea quæ caput plethoricis causis augent. Cùm humor crassus & viscidus in vitio est, conceditur vinum vetus: placet tamen magis ceruisia tincta cinnamomo. Accipe cæpas vel allia, numero tria: & minutim conscindantur, succi porrorum vncias septem vel octo: fellis & vrinæ caprillæ, cuiusque vnciam: galbani drachmas duas vel tres: misce hæc, & distillentur. & inde duæ vel tres guttulæ influant in aures, à reuulsione & vsu deriuantium. Vel coque cæpas ex lacte, fiat cataplasma; auribus appone. Lolium non infœliciter discutit & abstergit eius drachma vertatur in puluerem: cui adiice olei rutacei drachmas duas: misce; & tribus horis ante pastum indatur guttula vna aut altera auribus. Commendatur hîc etiam lac caninum. Accipe euphorbij scriptulos duos: lactis canini vncias tres: misce. Accipe radicum cucumeris asinini, radicum pæoniæ, cuiusque semunciam: vel radicum ireos, & acori veri, cuiusque vnciam: polij montani, centaurei minoris: hyssopi, foliorum lauri, singulorum manipulum: calaminthæ, origani, pulegij, vtriusque abrotani, cuiusque semimanipulum, seminis rutæ, cumini, anisi, fœniculi, dauci, singulas semuncias: pellicularum fabarū (debent pelliculæ à fabis detrahi, & inde siccari) semunciam; florum chamæmeli, rosmarini, meliloti, cuiusque pugillum: decoque in duabus partibus aquæ, & vna aceti acerrimi. Dum coquitur, excipiat

Surditas.

Quid sit surditas.

Miseria surditatis.

Prorr. 10 s. 1.

Prorr. 32. s. 1.

Remedia surditatis.

piar vaporem aure. Partes auri vicinæ eo decocto foueantur. *Scirrhus.* Scirrhus vel callus aliquando in auribus gignitur, qui aut nunquam, vel hoc modo curatur. Accipe mellis cochlearia aliquot, misce cum succo cocumeris asinini. Si fortius velis, adde aliquid medullæ colocinthidis. Cùm eo modo non redintegrantur, relinquendi. *Empirica.* Vsus etiam quædam commoda aurium passionibus notauit, qualia hæc. Optimum remedium auribus inflammatis est oleum rosarum, cum aceto. Si à crasso humore vel flatu fiat tinnitus, Accipe castoreum, spicam, iunctim hæc instilla auribus cum oleo rosato & aceto. Vermes terrestres coque in anserino adipe. Fel muris cum aceto; & fella omnia extrahunt incidentia auri. Fel ranæ per se purulentis solatio est auribus. Catuli lac, dolores mulcet. Surditati opitulatur aqua distillata ex vrina cati. Ita cerui, vel capellæ, aut asinæ vrina, omniumque melancholescentium animalium vrina surditati confert: potest huic misceri fel. Aqua vitæ delet aurium tinnitum. Ratione languentis facultatis si surditas eueniat, maximè prodesse solet pilula ex castoreo: & oleum castorei auri immissum; & oleum infusionis colocynthidis. Ex sampsucho & castoreo fiat decoctio, fumus auribus excipiatur. *Breuis descriptio curationis surditatis.* Breuem surditatis curationem ita institue. Vitet validos incursus Aquilonis & Austri: frigus enim neruis bellum indixit. Si iter tunc agendum, indat auri gossipium cui inclusa sint mosci aut castorei grana duo. Caueat ne aqua ex pluuia aurem ingrediatur. Sæpe eluat aures aceto & melle. Si caput lauandum, obstruat aures, & fiat lixiuium quod accipiat vim foliorum lauri, rutæ, absinthij, & chamæmeli. Nec ilico à lotione bibat, nec comedat. Caueant à leguminibus & à caseo. Fiant potus ex hyssopo, origano: & sirupo acetoso simplici, sirupo de succo endiuiæ, melle rosato. Purgetur pilulis de hiera, cocciis, aggregatiuis. Deinde vtatur oxymelite simplici, & sirupo de stœchade, cum decocto betonicæ, & rutæ. Postea accipiat vnũ pilularum fœtidarum scriptulum, cum cocciis, vel pilulis de hiera, aut aggregatiuis. Et tãdem fiat suffitus ex vino & aceto, quibus incoxere folia lauri, rutæ, absinthij, satureiæ, cortices radicum raphani: arundine auribus hauriatur vapor. alterum arundinis caput inseratur auri alterum foramini ollæ. Fiãt etiã errhina: insuffletur naribus puluis castorei, piperis albi, sinapi, nucis moscatæ. Si velis liquidum, sorbeat succum betæ, ciclaminis, brassicæ, cum decocto maioranæ: adde piperis albi scriptulum. fiant etiam pastilli mansiles. Accipe pyrethri, masticis, piperis albi, cuiusque drachmam: vuarum passarum semunciam: tere & misce succum betæ: fiant trochisci. Castoreũ cum oleo anethi auribus indatur. oleum amygdalinũ amarum cum melle, & succo hyssopi. Sed post duas vel tres horas inclina aurem, vt humor is exeat, ne corrumpatur: & aurem sicca lanæ momento. Si hæc non iuuãt, fiat fonticulus post aurem læsam: aut forata media auris funiculoque traiecto, diu ita seruetur. *Παρωτίδες.* Parotis aurium regionem interdum vexat. Hæc est tumor præter naturam, qui nomẽ adoptat auris, quam infestat; ipsaque, dignitate partium obsessarũ & vicinarum sympathia, principatum obtinet inter cunctos tumores extimarum partium, qui sunt eiusdem generis. Et in parotide dolorifica periculo locus est. Sub auribus sæpè nascuntur per expressionem humoris morbifici à phlegmone in venas iugulares & carotidas quæ secundùm asperam arteriam procedunt ad caput, priùs largitæ surculos laryngi & faucibus, vnde parotides eructantur, opportunitate glãdulæ quæ iacet ad aures, faucibúsque adiacet, cum numerosa riuulorum propagine; vnde partes illæ, fauces dico & aures, affluxus & refluxus incommoda vicissim & mutuò facilè experiuntur. Exurgunt autem prærubræ & dolorificæ, à tensione magna humoris firmiter fixi, nec exudantis ob densitatem cutis: tum à prægrandi calida intemperie, quam secum attolit sanguis multa bile perfusus. Hæ cùm dolenter assurgunt, mortiferæ sunt, quia ἐμῤῥέοντες καὶ ἀναῤῥέοντες assurgunt: deinde cruciatu acerbi doloris, tum etiam syntimoria vicinarum principum partium Fiunt etiã deriuatione sanguinis liberalem hæmorrhagiam nõ habentis. Atque tunc salutares euadunt, si suppurantur mitescentibus febribus; quod notatur ex vrinæ hypostasi bona. Parotis varias habet causas, hæc enim est sanguis biliosus, aut pituitosus. doloris plenæ sunt biliosæ: *Causa parotidis, & nota causarum.* Sequuntur coma & surditatem in febribus, quæ parotides ab humore crasso & frigido ortum ducunt, quando per transitum indigenæ causæ nascuntur. Hæ parotides tum peripneumoniæ, tũ empyemati succedaneæ esse solent: harum dico prænuncia est cum comate surditas. Parotidas ergo fundit caput repletum: cuius repletio est cataphorica & cephalalgica. Huius autem repletionis causa est succorum ascensus, quem hypochondrij recens oborta fugax tensio, phlegmones & doloris expers denunciat, & succedaneam habet difficultatem spirandi. Potissimùm in ardentibus febribus assurgunt. *Prognosis.* Parotides in diuturnis morbis. (quorum difficultas non in maligna cacochymia, sed in pepasmi difficultate cõsistit, ob materiæ contumaciã, meatuũ angustiã, & facultatis excretricis infirmitatem) mites sunt, molles, diffusæ, doloris & inflãmationis expertes. neque palindromen faciunt, per diaphoresin aut suppuratum facilè indicãtur. At verò prærubræ & sanguineæ, quę fiunt ex hæmorrhagia morbi impari, vel ab excursu sanguinis symptomatico exitum non habentis, funestæ sunt doloris acerbitate, recursu ad cerebrum, & trãslatione ad pulmones: nisi homines liberali diarrhœa, & vrinæ profluuiis, periculo defungantur, vt Clazomenius. etiam suppurati participes funestæ sunt, si vniuersitatis excrementa sint cruda & praua, vt in pastoris ancilla. Sæpè calamitosa parotis, quòd sit abscessus ἡμίῤῥοπος, neque ἀντίῤῥοπος, hoc est, affluxus dimidiati, nec morbo paris. In febribus surditas, quæ aluum sistit, coma soporatum adfert, certum est prænunciũ parotidis mediocris futuræ. Ex acuto morbo concepta parotis, non nisi suppurato & expurato periculo defungitur, vel haimorrhagia, aut liberali aliqua excretione. Si vrina modò fuerit pepasmi particeps, modò eius expers, lethale. nam morbus acquirit vires eundo, & natura fatiscit: quia particularis coctio frustrà suscipitur in cruditate vniuersaliũ excrementorum. Si suppuratur Parotis ita vt fundat pus album, læue, æquale, minimèque fœdi odoris, euadit æger. Alioqui parotides illæ purulẽtæ, nec albo exactè pure, nec nihil olente, perniciosæ sunt. Nã, quod modò etiam admonuimus, suppurati expertes, in acutis morbis, mortiferæ sunt: nisi fortè alui ferantur: quod legimus fœliciter euenisse Hermippo Clazomenio, cui cùm in angusto spes esset, à spe suppurati in parotide rubra & dolorifica, exacto à iam morbo, superstiti; alui profluuio substitit periculum. Rubræ & dolorificæ, omni ex parte sont funestæ. Quare quædam illarum sunt criticæ, cùm scilicet à natura morbifica materia iam mitificata, in laxas illas aurium partes depellitur. aliæ sunt symptomaticæ, cùm vltrò à cerebro vberrimi pessimíve succi eò decumbunt. Sæpe tamen acri qualitate in vitio est illatum author succus, vnde phlegmone, & ingens dolor, cùm etiam distendãtur partes exquisiti sensus, quæ rigantur à neruo quintæ coniugationis, tum ob vicinas meninges. Quanquam etiam ab humore pituitescente sæpè efflorescat parotis, quæ minimè

calamito

Curatio parotidis.

calamitosa. Acerbius affligit hic affectus iuuenes quã senes: quòd illis acrior dolor fiat ab æstuosa inflammatione, vnde etiam vigiliæ, & atroces febres. Ingẽs phlegmone sanguinea si vexatit, vena pertundatur, si vires à primo morbo non fuerint prostratæ. Critica si hæc exclusio fuerit ac valdè dolorifica, à reprimentibus medicinis pax sit. idem censendum cùm materia veneno fuerit tincta. Vel saltem si atrocissima fuerit fluxio, ac intolerabilis dolori nonnihil repellentium adiiciemus plurimis exhautientibus Initio ergo hoc impone: Accipe farinæ seminis lini, & hordei vncias quatuor: coque ex decocto chamæmeli: adde vncias duas butyri insulsi, fiat cataplasma. Si rubedo sit æstuosa admodùm, impone cataplasma ex farina hordei in hydrelæo cocta: adde muccaginem seminis psyllij. Vngatur pars butyro insulso, com oleo chamæmeli, & vnguẽto de althæa. Accipe micam panis albi, hãc macera in dulci lacte, vt fiat instar pulpæ: adde acidi pomi assati medullã: & folia maluæ decocta in decocto chamæmeli; adde vitellum oui crudum, oleum rosarum, & crocum, ita vt flauescat: cataplasmatis modo impone. Tandem adde cæpam coctam, vel radicem lilij cùm ad suppurationem tendit. Emplastrum de meliloto vtile erit, si videris discuti malum ac resolui posse. Si veneni quid redoleat, ex spongia perpetuò foueatur parotis, quæ madeat ex decocto chamæmeli: vaporatione enim illâ, pestiferum venenum renues euanescit in auras, & pars laxatur. chamæmelum enim stringit, & digerit: maximè si immaturi flores vnâ coquantur cum maturis. Maximè stude vt exhautiatur materia: quare initio cuiusque parotidis hoc admone, Accipe radicum althææ recentis manipulos duos: coque, & decocto immacera passularum vncias quatuor: olei amygdalini dulcis quod satis sit: fiat cataplasma. digerit, nec in se prolectat. Si increuerint symptomata, supputabit. tunc adiice farinam tritici & caricas. Maturum expuratum clam interdum per aures aut os extruditur. Si fluctuat sub digito pus, aperiatur, & cæteris partibus molle cataplasma imponatur, si ibi restibilis durities. Elue vlcus iniecta à mulsa, & diapalma impone: si tinnitus perseuetat in aure à curatione, inde cum bombace parum theriacæ cum guttula aquæ vitæ.

Capvt IX.

De Narivm Passionibvs.

Nares à S. Deo fabricatæ sunt, vt sint meatus & viæ quædam ad olfactum: aut patolæ viæ excrementis exhauriendis. Olfactus est sensus percipiens odores. Nam eius obiectum est odor. Odor autem est sicci, sicut sapor humidi. Quare instrumentũ olfactus est ἀτμώδης, hoc est vaporosum. Odorabiliũ itaque substantia est vaporosa & calida: (nam vapores à calido surgunt) & veluti fumida euaporatio, siue qualitas odorabilis in halitu existens, nimirum ex sicco concocto per vim caloris in humido. Odor itaque est corporum mixtorum & succidorum, non autem ἀμίκτων καὶ ἀχύλων, quæ nullam edunt anathymiasim per quam fit odor. Inde accidit, quòd corpora mixta & succida tam εὐώδη, quàm κακώδη, si fortè nimis coacta fuerint, vel alieno humore perfusa, molli flamma indigeant, quæ calfaciens sensim, vaporem excitabit, per quem fit odor. Sed gratiosi odoris causa est, rerum succidarũ εὐχύλων naturæ συγγενῶν, hoc est, consocialium, perfecta mixtio & pepasmus. Hinc εὐωδία stirpium, aromatum, rerum deniq; omnium succidarum. nam lapides & aurũ odore carent. Vt autem à pepasmo rerum εὐχύλων, ἡ εὐωδία, sic ab earũ corruptione & putredine, imm etiam à mixtione τῶν κακοχύλων, ἡ δυσωδία. Præclarè Aristoteles, vt cætera omnia, σαπροὺς odores (sic enim vocat fœdos & graueolentes) proportione quadam respondere ait saporibus multum amaris. Nam vt sapores amari sunt δυσκατάποτοι, hoc est, ægrè deuorãtur: sic & ipsa σαπρὰ δυσανάπνευστά ἐστι: hoc est, putres odores ægrè spirando ducuntur. Medium est aër vel aqua. Volucres escam eminus sentiunt quædam, & etiam pisces, vt qui varia esca capiantur. Ita Olfaciendi varij sunt modi: sic animalia quæ respirant, non olfaciunt in aquâ. Homo, dum spiritum non ducit, haud olfacit. Quidam referunt in India quosdam homines solis odoribus viuere. & Oribasius author est, quendam quadraginta dies, solo mellis odore vixisse. Vitiatus autem olfactus est, facultatis olfaciendi læsio, nata à causa morbifica. Læditur hæc facultas, quòd vitium aliquod habeat in cerebro, vel ventriculis anticis cerebri, aut quòd meatus in vitio sint. Afficitur itaque hæc facultas, quòd labefactetur, vel quòd impediatur. Labefactatur ab intemperie, maximéque à frigore, & etiam à madore. Attamen non ab exigua intemperie ita percelletur, verumtamen grauiùs aut leniùs illa hebescit, vt vis intemperiei fuerit. Impeditur autem facultas ob morbum aliquem qui corrumpit conformationem decentem partium: ita epileptici & apoplectici non olfaciunt Itaque olfactus instrumentum in querela est ab idiopathia, vel à concordia & contagione ab aliis partibus Vt cùm putidi vapores ex gingiuis, stomacho, pulmonibus, vtero, dum menses παρὰ φύσιν subsistunt, sursum feruntur, ac in cerebri ventriculos, & ipsas nares repunt. Idiopathiâ affligi etiam princeps olfactus instrumentum, hoc est cerebri mammillares processus, poterit: sunt hi laxi ac spirituum pleni. Cùm hoc instrumentum labefactatur, olfactus in noxam trahetur, ita vt vix, & ne vix quidem nullóque modo, vel admodùm vitiosè officium suum faciat. Causa est, huius sensorij dyscrasia. Nam à valida intemperie, maximéque frigida & humida, immemor redditur sui officij. Ita etiam si durities vel densitas quædam à prægressa phlegmone ibi concepta fuerit: quæ si valida fuerit, aufertur: si mitior, minuetur olfaciendi vis. Depravatur cùm cuncta fætida esse videntur, quæ naribus occurrunt. An non etiam spirituum intemperies afflicti olfactus causa esse poterit; vel aura illa, quæ in infima parte frontis, in illa cauerna supra nasum, habitat, à qua ad ethmoïdeum os abit, cùm in vitio fuerit? Olfactui etiam ministrans instrumentum vitium interdum facit: tale est os spongoides, quod foramina sortitur obliqua, vt spongiæ; hoc si integrè occupetur infarctu, perit olfactus. Etiam nares in vitio esse possunt, cùm ab angustia laborant: hæc illis venit, quia vel obstruuntur, vt à catarrhi eô prolapsu: vel flatibus cùm tenduntur: vel sarcomate obsidentur. Ex his acciditur, vel aboletur olfactus. Conuulsio, & continui solutio hoc etiam facit in naribus. Quibus os palati subsidet, media narium regio his deprimitur. Si autem aliquod ossium palati deciderit, necessariò mediæ nares hia subsidunt, indéque resimi reddũtur. Nares etiam vlcere occupantur: quæ, si fœdam materiam proferant, vitiatur olfactus: si non, vix olfaciẽt. Viden ergo quã variis rationibus sese offerat læsus olfactus? vel enim ille vix officiũ suum facit, aut quia vitiosè, aut quia nullo modo. Hoc autem variè euenit, dum aut anticorum sinuum cerebri prominẽtes processus, vel os spongoides, aut externæ nares in vitio sunt, à variisque causis afflictæ. Cùm hoc vitiũ ab antica cerebri parte originem ducit, oculi vnà iniuriam sentient:

Olfactus quid, & quo modo fiat.

Quæ res sint odoratæ.

Theophrast. περὶ ὀσμῶν.

Gratiosi odoris causa.

Fœtidorum causa.

Arist. De sensib.

Olfaciendi varij modi.

Vitiatus olfactus.

Concordia.

Idiopathia.

Princeps olfactus instrumentum.

Ministrans.

Nota causarum.

nam labefactata est cerebri facultas. Sed cùm ab organo læsu obuascitur hoc malum, solitatius affligetur olfactus. In facultate læsa, vox seruatur incolumis. Quare si vox non fuerit clangosa, non erũt malè affecti meatus olfactui dicati, nec ferè catarrhus tũc *Consensus.* in vitio est. Si concordiâ aliarum partium olfactus instrumenta affliguntur, ipsæ illæ partes se prodent quadam querela: nam si à ventriculo, ille ructibus nidorulentis fatigabitur, sumptóque à cibo, cedet olfactus vitium, dum ingestus cibus, à cerebro arcet exhalantes fumos. Vitium hoc si in partibus spirabilibus stabulatur, anima fœtebit. Gingiuę ipsæ sua vitia proferent. Si idiopathia processus cerebri mammillares affliguntur, assidua & grauis hæc erit afflictio. Tunc verò, num author huius tædij sit phlegmone, durities aut frigida intemperies, vel materia poris mammillaribus immissa, notę peculiares dicẽt. Putrida à materia si affligantur hi processus; fœtor indicio erit. Cùm narium combinatio hoc vitium facit, loquela obscura ac grauis, hoc loquitur. Infarctus spongoidis ossis, non æquè sermonem defœdat, ac si ille infernas inuaderet partes. Quio afflicto ita eo osse, nares circumfluere poterunt pituitâ; nam non necessariù hæc materia repit per hæc ossa, verũ nõnunquam effunditur per quædam foramina quæ patent secundo pari neruorum cerebri. Hoc neruorum par mouet oculos, & illa foramina quæ ducuntur in oculos, etiam deueniunt ad nares. Externæ nares cõspectui patent, & coryza facilè dignoscitur, vt etiam carunculæ. Si cancrodes sit polypus, nares erunt sic-*Indicationes.* cæ, duræ. Vlcus se profert pure & fœtore. Iam ad curationem eamus. Si vitium sit à facultate labefactata processuum mammillarium, eorũ intemperies frigida & humida castigetur calorificis & siccantibus. Si instrumentorum ministrantium olfactui angustia adsit, fiat dilatatio, flatus discutiatur, sarcoma auferatur, vlcus curetur. Si fit à spirabilibus partibus, vel *Prognosis.* à ventriculo, aut à gingiuis, hæc redintegrentur. Sed videamus num curari hoc malum possit. Si fuerit a processuum cerebri labefactatione, ægriùs curari poterit: nam principis partis fractam vim erigere, difficile. Si per febres ouorum putrefactorum odor molestus sit, malum: nam indomitam causam morbificã denotat. Olfactus si aboletur citra catarrhi incursũ, febris periculum aderit. Si hoc euenit, non à sula intemperie instrumenti olfactus, sed vnà cum prauo *Curatio.* succo, primùm purgetur totum corpus. Verumtamen præparetur primùm sirupo byzantino, & sirupo de betonica composito: hi enim commode attenuant materiam crassiorem. Deinde purga etiam elleboro. A prouisione habita totius corporis, vtemur apophlegmatisinis, errhinis, & sternutamentis: & calidâ marinâ foueatur caput. Quodsi à processuum mammillarium discrasia frigida & humida noxa hæc inuaserit, erit calfaciendum & siccandum: bituminosa & sulphureâ aquâ tigetur caput, & hanc naribus surbeat è volâ manus. Accipe nigellæ, fellis gruis, colocynthidis, ellebori albi, cuiusque semiscriptulum: inde fiat puluis, qui pennâ naribus insuffletur. Si nares inde doluerint, madescant vnguento rosato. Hoc remedium os spongoides etiam infarctu liberat, si vino tenui excipiatur, atque siccetur. Vel illine hoc cũ oleo cinnammomi, aut anisi. Vel accipe nigellam aceto maceratam, fiat puluis, qui cum veteri oleo, reclinato capite postquam os aqua repleterit, naribus sensim instilletur, ac guttatim: & magno nisu aërem attrahat. Hoc ternis diebus ter facito: ita vt singulis vicibus ducat aliquot guttulas. Quodsi sola intemperie frigida detinentur priorum sinuũ cerebri processus, fiat suffitus ex styrace, nigella, calamintha, mosco, caryophyllis, castoreo, euphorbio. Si fœtor adsit, remisce aroma. Si verò materia frigida in an-*Materia.* tica cerebri regione, vel in naribus delitescat, accipiemus nigellæ Romanę torrefactæ, drachmas duas: &, odoris causâ, caryophyllorum drachmam: &, ad abstersionem, succi radicis cyclaminis vel radicis betæ, vel maioranæ, aut anagallidis, vel aquæ stillatitiæ mellis, semunciam: misce: & è vola manus manè naribus sorbeat. Sæpe hos sopor inuadit: tũc iunge his semidrachmam ellebori. Globuli etiam maio-*Pomum ambra.* bus gestantur & odorantur. Accipe nucis myristicæ, schœnanthi, cuiusque drachmas duas: florum lauendulæ, rosmarini, pulegij, maioranæ, singulorum drachmas tres: ligni aloës drachmam: nigellæ Romanę, styracis calamitæ, benzoïni, singulorum drachmam: ladani puri & gummi tragacanthi dissolutis in aqua florum aranciorum, vel mali citrei, quod satis sit, vt fiat pomũ. Si calida & acris materia sit; accipe hor-*In calida materia.* dei torrefacti semunciam: succi rosarum vnciam: vini granatorum malorum acidorum, vncias quatuor: misce. tepidè in nares trahantur manè. Sternutatoria hîc non conueniunt. Polypus ferè ab osse ethmoïde *Polypus.* nascitur; interdum ex septo narium oritur. Ideam præsefert in colore, excrementitio madore, mollitie ac duritie, eius humoris, cuius soboles est. Si polypus sit mollis, facilè sanguinem emittens, appellari poterit haimorrhois. Hîc conueniunt siccantia & attenuantia, prohibentia appositionem. Idem agendum in omni recenti sarcomate. Polypus ab initio cauterio domari poterit. Paretur fistula argentea vel aurea, cuius extrema cauitas incurua sit, quò ad polypi corpus pertingere, ac totam eius radicem apprehendere possit: nec aliam sanam partem complectatur. Per hanc fistulam, stylus ignitus traiicitur, & audacter exuritur tota polypi radix. Si enim aliquæ portiunculæ eius intactæ reliquæ sint, menstruo spacio iterum succrescunt: & præstat atrocem dolorem semel perpeti, quam fœdum malum in multos annos circumferre, & eandem ab eo in calamitatem trahi. Manuum operâ optimè hoc malum debellatur. nam sectio tutior est etiam cauteriis. Nihil melius est quã reclinato in puluinar capite quòd à ministro retineatur, & solis radiis naribus admittatur, altérque minister nares aperiat: & actor, inter femora ægri contra sulem consistens, longa forcipe auellat polypos omnes. Sed haimorrhagia est molesta: sorbeat propterea naribus frigidam, vel postridie ad opus hoc redi. Absoluto opere infunde clysmate succum granatorum naribus: nam si in os abit, sanitatem id promittit. Cùm probè sunt euulsi polypi, solius vini granatorum lotione compescitur eorum nouus ortus. Attamen dolorosi non manu curandi; nec hi qui duri ac renitentes, quíque liuido colore nigrescunt: nã facilè hi in cancrum abeunt. Sed tales blandimento domentur. Verùm molles & indolentes, ferro vel cauterio reuellãtur. Si rubra caro polypi fuerit, primùm tundatur vena cephalica: nam est sanguineus affectus. Quæ carnem alioqui absumũt, longa die id agunt, & non sine insigni dolore. Hæc autem varia sunt, variéque in vsum flectenda, vt corpora fuerint molliora, aut duriora. Galenus coquit succum granatorum dulcium; & nonnunquam acidorum; qui validè renouat. Razes vnguentum viride admouet. Gra-*7. Ad Almans 7.* natorum succo interdum granulũm sublimati addat, *Polypus cancrodes.* vel aquæ fortis. Si polypus in cancrum abire videtur, vt si multis vlcusculis fœdetur, placandus erit ille: Plumbum crudum contunde cum guttula aquæ plantaginis, vel igne liquescat plumbum cum pauco argento viuo: huius accipe drachmam: adianti sicci, semidrachmam; antimonij præparati & loti, scriptulos duos; tutiæ præparatæ scriptulum: succi plantaginis, & solatti depurati, sescunciam: cerusæ, aquâ

aquâ rosatâ diligenter ablutæ, semidrachmam: testæ cancrorum scriptulos duos. Puluerisentur cuncta tenuissimè, maximéque antimonium, ne, si eius partes crassiusculæ aliquot relinquantur, ea se, suo pondere insinuent in partes interiores, doloremque grauissimum excitent. Vel accipe vnguenti rosati recentis, vncias tres: agitetur in plumbeo mortario, dum nigrescat. hoc lenit & mitigat. Quidam accipiunt olei vitellorum ouorum vnciam: lithargyri auri, rutiæ præparatæ, cuiusque semunciam: plumbi, vt iam dixi præparati, drachmas duas; succi plantaginis & solani, vel spermatis ranarum, cuiusque drachmas sex. agitentur simul diu in mortario plumbeo, fiat vnguentum. Verùm cautione opus est, vbi cauteriis nares tentantur, vt naribus, ac vicinis his partibus frigida remedia imponamus, ex aqua rosata & oleo rosarum, cum albumine oui. deinde illitus fiat, fotis positatum partium ex vnguento rosarum. Nares etiã vlcus inuadit, atque illud est crustis tectum, vel harum expers. Si crustæ adsint, quia hæ non sine acerbo dolore amoueri possunt, propterea erit refrigerãdum & humectandum: vt boragine, endiuia, aquâ tepidâ, decocto maluæ & thapsi. A vapore talis decocti, illinantur vnguento rosato. Si sic sine crustis, erit hoc vlcus fœtidum, vel fœtoris expers. Si hoc mundum fuerit, modestè erit siccandum: accipe cerusam, misce cum aphtogalis. Vel accipe cerusæ: lithargyri & plumbi vsti, cuiusque semunciam: misce cum vnguento rosato. Nonus, antiquus medicus, laudat calamintham, cum myrrha & melle. Quod si sordidum sit vlcus, erit corrosiuum, vel non. Si corrosiuum, vel leniùs serpet, vel ita validè, vt cancrosum euadat. Si sit sordidum, & leuiter arrosum ab acrium succorum illapsu, modestè erit siccandum & tergendum; vt myrrhâ, & puluere malicorij, aristolochiâ, rosis, vino styptico. Succus granatorum coquatur in æneo vase ad dimidias. Et si valdè humet vlcus à catarrho, serosus humor purgetur agarico & hieris. Si insignis adsit corrosio, ita vt putrida & profunda euadant hæc vlcera, ozænæ dicuntur. In his fiat adustio cauterio: quò deinde siccetis & detergatis. vtimur interdum oleo hyperici & nardino, cum pauco oleo vitrioli. Si cancer in naribus sit, hunc, inquit Rases, sæpè confundunt cum polypo medici. Sed hic, inquit, non fert mordacia remedia, nec præcisionem quæ fit ferro. Sed præsidiis lenientibus attrectari debet: sed vena secanda, & aluus soluenda. Noscetur cancer, si durus sit, &, si venas tumidas habet. Proinde, inquit, naribus duris, siccisque existentibus, ac nullo ab illis manante humore, summopere cauendum est, ne ferro acribúsve medelis irritetur. Sed si quæ caro, ait, naribus innascitur, laxa fuerit & mollis, & succi è naribus profluxerint, &, si pressus nasus, mollè nec durũ sese offerat, non metuendum est, quin acrium medicaminum vsu, & ferro subueniri illi possit. Si itaque cancrosum fuerit vlcus, in primis abstergeatur mulsâ: secundò, sicca sine morsu, vt cerusâ lotâ, spumâ argenti, plumbo, cum vino & aceto quod satis fit, vt fiat linimentum. Accipe chalcitis & myrrhæ, cuiusq; semidrachmam: aluminis cum aqua rosata castigati, gallarum, squamæ æris, cuiusq; scriptulũ: thuris scriptulos duos: mellis & aceti quod satis fit, vt fiat linimentum. Chalcitis & squama æris parentur benè, ne mordeant. Præcipitatum ita paratum vt morsus sit expers, eleganter siccat: id misce cum vnguento albo caphurato ex aphrogalis parato. Sed vstio, inuicta his, domat. dum hac vtimur, iniiciemus retundentia ex aqua rosata, albumine oui, & aceto. Dein vnguẽto rosato cum succo solatri & ophiogloffi cocto. additaque caphura. Vtemur etiam decocto seminis acetosæ ex lacte asinino. Accipe trochiscorum hedychroi

Cautio.

Vlcus excrustæ narium.

Sordidum vlcus.

Ozæna.

Cancer.

Cancrosum vlcus.

scriptulum: cum lacte asinæ vel mulieris, fiat linimẽtum nihil eo est præstantius. Excellens etiam est asinæ vrina distillata: & sperma ranarum: & succus herbæ roberti; & nicotianæ, pimpinellæ. Interdũ scptum narium exeditur, & tunc nares detorquentur in alteram partem. Tales ozænæ maximè inuadunt hos, qui ex morbo venereo sinistrè curati fuere. His enim, qui guaiacum bibũt impuro corpore, magna humorũ copia in caput (cui guaiacũ inimicum) surrigitur: qui vel in nares, aut in aures, vel oculos effunditur. hinc cæcitas, tinnitus, vel ozænæ, vox læditur, cùm caruncula occupat os ethmoïdes. In initiis ozæna curatur cauteriis: si hoc non fiat, leniti poterit, non curari. verùm in multos annos trahitur, & vitæ exitium affert. Sed antequam prædictis vtamur medelis, instituatur succorum reuulsio pharmaciâ & phlebotomiâ. Et deinde admotis cucurbitis ad colli latera; nam ibi sunt insignes venæ in caput excurrentes: nisi tamen has primùm scapulis, & deinde interibus colli admouendas existimaueris. Paracentesis etiam laudatur, inter primam & secundam vertebram. Et in pituitoso corpore laudatur apophlegmatismus: Accipe mastichis drachmam: radicum pyrethri semidrachmam: nucis moscatæ, piperis, singulorum scriptulum: cum terebinthina & cera fiant pastilli; mandentur dentibus, linteo inuoluti. Os ethmoïdes cùm vlcus habet; suffitu id attingi potest: aliis remediis alioqui intactum. Accipe auripigmenti, semidrachmam: cinnabaris, ladani, thuris, ligni aloës, calaminthæ, myrrhæ, singulorum drachmam: excipe terebinthinâ, vel balsamo Peruuiano: fiant trochisci. Vnus iniiciatur carbonibus: & per traiectorium accipiatur fumus in nares. Sed, ne hoc vitiis, antequam purgâris totum corpus, & caput siccâris. Læditur itaque facultas olfactus à facultate imbelli, vt euenit senibus: & etiam à morbis, vt in epilepsia: vel à processuum mammillarium morbo: & oppilatione ethmoïdei ossis ab humorum incursu: vel à polypo. Deprauatur ab humore putrido, vlcere, aut ossis cribriformis putredine. Si teter odor inuasit nares, purga caput hiera cum agarico, & fiat errhinum ex vino hippocratico. sumatque ore, manè, quid theriacæ, vel mithridatij.

Narium odor fœdus.

CAPVT X.

DE HAEMORRHAGIA, *hoc est, de Profluuio sanguinis Narium.*

CVM ἡ αἱμοῤῥαγία nomine omne sanguinis profluuium intelligi possit, eo tamen propriè dicitur, quòd confertim fiat, ἀπὸ τῦ ῥαγῆναι, quod apud Hippocratem significat ἀθρόως ὁρμᾶν, hoc est, impetu quodam & confertim prodire. Attamen cùm apud Hippocratem sine partis nomine dicitur, quod è naribus manat intelligitur. De hoc sanguineo excremento nos hîc agimus, quæcumque ratione id efferatur, siue criticôs, vel symptomaticôs. Etenim interdum κατὰ φύσιν prorumpit è naribus sanguis: quamuis alioqui, ratione dimanantis sanguinis, toto genere κατὰ φύσιν hoc excrementum effertur. Effluit κατὰ φύσιν mulieribus ab vtero certis periodis. Ita modus excretionis sanguineæ interdum ex lege naturæ est, cùm tempestiuè excernitur, hoc est, criticôs. Quare criticus sanguinis fluxus euenit κατὰ φύσιν; attamen ratione excretæ substantiæ, παρὰ φύσιν dici hæc potest excretio. Sed symptomaticus eius fluxus, est toto genere παρὰ φύσιν. Quare cùm nõ rarò vario euentu sese effundat è naribus sãguis, modò bonis ægrotũ rebus, modò oõ sine certa periodo, ne, quod vsu interdum

Nomen.

Gal. 1. Epid.

Gal. De Diff. sympt. vltim.

venit, ex lege naturæ eum emanantem iotercipiamus: aut effluentem malè, negligamus, omni cutâ causas ruentia sanguinis indagabimus. Effunditur hic sanguis tum è venis, tum ex arteriis natium. Hæ venæ & arteriæ non dimanant à cerebro, sed per os & palatum pergunt in nates. Interdom etiam profluit ex vasis cerebri. Ob varias autem causas ex his

Causa. Substilli causa. 4. Acut. 67.

vasis elabitur saoguis. In primis vide num sit substillum sanguinis, an profluuiũ. Si sit sanguinis substillum, hoc fiet ex resoluta facultate, vel ob sanguinis crassitiem, aut ob vasorum densitatem: vel consocientur hæc cuncta, vel solùm quædam concurrũt.

Profluuij causa. 4. De sympt. 2.

Profluuium sanguinis euenit, quòd vasa mollia nimis, facilè abradantur: vel quòd duriora, facilè rumpaotur: aut quòd tenuiora ac gracilescentia, facilè recludantur. Et quamvis his rationibus interdum nõ effundatur, sunt tamen aliæ causæ quæ id possunt. Vt si virtus irritetur expultrix, aot labefactetur exeretrix. Expoltrix etenim valida irritaint à copia succorum, vel ab eorum acerrima vi: hinc est quòd corpora calida haimorrhagiæ sint obnoxia. A retentrice verò fracta elabitur sanguis, quia non retinetur: nimio etenim madore & mollitie soluitur temperiei eius filum. Hæc tamen imbecillitas non in vasis narium concepta est, sed toto corpore. dum enim nares solùm inuasit humiditas laxior; ad vasa, & non ad

9. Method. 11.

facultatem referendum erit vitium. Sauguis etiam dũ in vitio est, hoc efficit: vt dum nimia circumfluit copia, adeoque vt inde orificia vasorum sese laxent, vel ipsa vasa rumpantur. Sanguis ita incrementa ducit ex cibis euchymis, tempore calido & humido. Si sãguinis qualitas vitium agnoscit, hoc erit ex eius tenuitate, aquositate, acrimonia, vel ex flatu. Si acrior, abradet vasa, vel ea recludet. Talis euadit sanguis ab vsu vini, aromatum. Plerumque ex acri sanguine haimorrhagia obnascitur: hæc causa iuuenes fatigat. Cùm tenuior & serosus est sanguis, indeque cùm rarescunt vasa, elabitur: aut oribus vasorum apertis, estillat. Talis euadit sanguis à frigido iecore, & a cibis frigidis & aquosis: vt his euenit qui lactucis plenâ vescuntur manu. Flatulentus sanguis etiam va-

Nomina.

sa lacerat, non aliter ac dolia vinum nouum. Variis nominibus has causas Antiqui appellarunt. cùm rũpitur vas, [illegible] vocant: hæc euenit vulnere, cõtusione, ruptione, tensione, vel erosione. Cùm autẽ exilit sanguis imbecillitate vasis, aut impetu sanguinis ruentis ad os vasis, aut quòd à foris accersiuit sanguis acrem qualitatem, ἀναστόμωσις vocatur. Cælius Aurelianus osculationem appellat. Dum à tunica vasorum rarefacta, & à sanguine tenuato emanat sanguis; vel à gracilium vasorum apertione, dicitur διαπήδησις, Sudationem, vel expressionem nominat Aurelianus. Vasa sunt in vitio, eò quòd sint molliora, duriora, vel graciliora; quod his euenit naturâ; vel victu molliore, aut duriore. Verùm gracilescunt, ex atrophia Hæc vitia vasorum, virtutis & sanguinis, sunt interna. Ab externis causis vasa rumpuntur, vt casu, ictu: & abraduntur, vt si nares vlcus habeant,

Differentia.

vel [illegible]: aut à cantharidibus foris admotis. Vt ergo vario elabitur modo sanguis, vtque ex variis dimanat vasis, diuersisque à causis profluit, ita haimor-

A forma.

rhagia erit varia. Excernitur è naribus sanguis criticôs, vel symptomaticôs. Si criticè effundatur, hoc fiet moderatè, accisè, vel effusè nimis. Symptomaticôs etiam tenuiter admodùm fertur sanguis; vel immodestè proruit. Cùm tenuiter parcáque manu manat, appellatur substillom sanguinis: at cùm immoderatè prorumpit, vocatur profluuium sanguinis narium.

A loco.

Pars vnde effluit sanguis, differentiam quandam adfert. nam elabitur ex vasis narium, quæ infernè sursũ repunt per nares: vel à vasis cerebri effunditur. Ex venis, vel ex arteriis, aut ab vtrisque sanguis prodit. Nunc ex dextris, nunc ex sinistris naribus profunditur. Substillum sanguinis fit, à prostrata virtute, vel

A causis.

ob sanguinis crassamentum, aut ob vasis densioris strictam compagẽ Symptomatica sanguinis excretio ex variis causis originẽ trahit, vt cùm vasa sunt molliora, duriorá, vel nimis gracilia. vel quia excretrix facultas validius insurgit: vel retentrix vis labefactata est. tandem, quia sanguis copiosior, acrior, tenuior, vel serosior est, vel flatuum plenus. Adde iam causas quæ sunt à foris, ictus, lapsus, aut aliquid quod vim arrodendi habet. His ex causis effunditur sanguis, aperto, rupto, aut attenuato vase. Iã ad notas causarũ

Signa causarum.

venio. Flusũ sanguinis criticũ à symptomatico internoscemus ex signis pepasmi quæ præcedunt. Qoin, si

Num criticus, vel symptomaticus.

critica hæc effusio fuerit, euphoriã consectariã habebit: facies mos redibit ad natiuũ charactẽrẽ, molẽ, & colorẽ: dũ moderato filo fluit sanguis. At si medio in cursu sistat se critica hæc effusio; alleuabitur quidem æger, sed non admodum. Quodsi confertim ac effusè nimium feratur criticus hic fluxus: primò quidem recreabitur æger, sed mox fatiscet, à nimio exhaustu labefactatus. Hoc differt à symptomatico fluxu, criticus hic immoderatior; quòd hic, euphoria præcedat vitium deiectionem: illic perpetua adest dysphoria, nec pepasmi notæ elucescunt, & faciei character, color, & moles, ilicò in deterius cõmigrãt. Etenim biliosum naturâ corpus. in fœdam flauedinẽ abit à profluuio: pituitosum, in plumbeum fuscumque attorem commigrat: melancholicum, nigrescit.

Ex quibus vasis.

Num verò ex cerebri aut nasi vasis fundatur sanguis, his symbolis id innotescet. Si ex cerebri vasis manat, ipsum antè in querela fuit cerebrum: nec cedit malum à remediis naribus admotis: nam malum intùs recessit. An ex vena vel ex arteria prosiliat sanguis, dignoscemus ex ruentis sanguinis substantia, qualitate, copia, excernendique modo. Substillum si

Vnde sit substillum.

adsit sanguinis à prostrata facultate, hoc dicet fractus pulsus, qualis micat in moribundis. Nã si stillat à crassamento sanguinis, hoc oculis conspicuũ erit. Quodsi ob vasorum nimiam densitatem substillum sanguinis nascatur, certiores nos reddet vsus rerum densantium: vt si eo tempore cùm in procinctu esset profluuium à crisi, oxyrrhodinis quis frontem tẽter, ex profluuio, calamitosum substillum adferet. atqua cæteræ notæ aliarum causarum aberunt; vt si virtute valida, tenuis emanãrit sanguis. Si verò æger non

Profluuij causa, & nota.

substillo sanguinis, sed ab eius profluuio fatigetur, hoc ei eueniet vitio vasorum, virtutis, vel sanguinis. Vasorum vitio, vt si illa molliora, abundabit humiditas: duriora, argumenta tunc aderunt siccitatis: vel tenuiora à natura facta, vel vsu. Si à natura, in prima ætate obnoxij fuere hi hæmorrhagiæ narium. Vsu rerum induunt vasa etiam hæc vitia; vt vel balneis mollescunt, vel gracilescunt inediá Vasa aperiunt sua ora, ob vasis imbecillitatem, tum ob impetum sanguinis ad ora, vel ob acrimoniam. Diuiduntur ictu, vel erosione. Resudat ex vasis sanguis, ob vasorũ vel sanguinis tenuitatem. Cùm itaque vitio vasorũ fer-

A vasorum vitio cum fit, nota.

tur sanguis, vide num adsit plethora, vel acrimonia, aut spiritus flabilis. Si hæc non adsunt, facultas ipsa excludit molesta, vt in morbis acutis: si criticè, salutate. Expultrix enim facultas hoc facit cùm irritatur à sanguinis copia, vel ab eius acrimonia. Corpus illud erit calidum ac validum; & notæ se produnt calidioris sanguinis. Imbecillitas retentricis facultatis, (nam interdum fit anastomosis ob vasis imbecillitatẽ) elucet ex languore corporis: pulsus in his vix benè micat. Cùm à sãguine, qui copiâ in vitio est, hoc malũ nascitur, circumfluũ erit corpus sanguine. Sed illud obseruabile; quòd, dũ à plena sãguinis copia pro-

nascitur

nascitur hoc profluuium, ita vt non ab excretrice, copiâ, irritatâ id fiat, in causa erit vasorum ruptio. Cùm verò excretrix facultas, copiâ sanguinis lacessita, extrudit sanguinem, vasorum id euenit reclusione. Sanguis tamen acerrimus si turgescit, maximâ copiâ vasa effringere poterit. Sed cùm non tantâ copiâ circumfluit, nec admodum acris si fuerit, à reclusis orificiis potiùs effluet, quàm à vasorum pertusione. Si ex tenuitate sanguinis nimia fluxus fiat, id dignoscemus ex sanguinis consistentia, & colore diluto. & hepar in hydropem promptum erit. hic sanguis per sudationem vel dissultationem emanat. Flatulenti sanguinis generationem præcedit caloris quædam labefactatio: & huiusmodi cibi ingesti fuere, qui fœcundi sunt in flatus. Talis autem sanguis effunditur per vasorum laccrationem. Iam ad curatrices notas abeamus, quæ à rei natura sumuntur. Medicus spectatorem agat necesse est, si naturæ vi iam euicta materia extrudatur moderatè: alioqui si criticòs prorumpat nimis liberaliter, erit cohibendus: si accisus, impellendus. Quicumque verò sanguinis effluxus symptomaticè fuit per loca legi naturæ dissentanea, cohiberi debet: siue ille accisus, siue immoderatior fuerit. Quodsi humor symptomaticè feratur per loca naturæ consentanea, & si eius vis accidatur, erit prorirandus, quia locus hoc admittit: sed tenui medicina hoc agendum erit, nam est symptomaticus fluxus, & vires flaccescunt. Ita Hippocrates fecit in Metone, cui symptomaticòs quinto die, cùm adhuc nulla signa pepasmi elucerent, substillum sanguinis è naribus uborum fuit. Iuuit illud Hippocrates, tenui remedio, uimirum fotu aquæ tepidæ. Graui medicinæ hîc locus non erat: erat enim fluxus ille symptomaticus, attamen hunc iuuabat, quia ferebatur per loca naturæ consentanea. Quodsi multum sanguinis diu fundatur, nascetur Indicatio hunc cohibendi. Si adeò natura sit prostrata, vt effúdere noxium sanguinem non possit, redintegrentur vires. si sanguinis crassamentum hoc facit, ille attenuetur. si vasa stricta sint nimis, ratescant. Si corpus præcipitetur in immoderatius profluuium sanguinis, quasi illi habenas iniiciemus: Nota impetû ruentis cruoris, & elabendi modum: ita dignoscemus nû vasa lacera, reclusa, aut attenuata nimis, emittant sánguinem. Impetus ruentis sanguinis docet Indicationem reuellendi, deriuandi, repellendi, refrigerandi. Et ex causis d eitur agendi ratio: si, inquit Galenus, vasa laborant ex diæresi, vniendum: si ex anastomosi, hoc est, ex reclusione, rite obturandum: si ex diapedesi, densandum. Si anastomoseos metus adsit ex vasorum laxitate, siccandum. si ruptionis periculû adsit ex duritie, fundendum. cùm corpus fraudatum suo genio gracilia habet vasa, nutriendum. Quodsi circumfluo à sanguine, aut ex eius acrimonia irritetur facultas, erit is emittendus, & acerrima eius vis temperari debet. Et ratione virtutis ducemus curandi indicia: Nam si retentrix vis languet, redintegretur outricatu. Sanguinis etiam vitia nota nam hic est vacuandus, moderandus, calfaciendus, crassefaciendus, interdum flatibus liberandus. Et prouisio habeatur ne nouus fugat in hepate sanguis, qui vel sit calidior, liquidior, frigidior, aut flatibus turgidior. Hinc est quòd iecur nonnunquam sit alsiosum teddendum, interdum tepore afflandum; ea tamen cautione, vt perpetuò prouisio habeatur primùm totius corporis. Nunc autem has Indicationes liceat in vsû fœliciter ducere, intelligemus ex signis Prognosticis. Quia variæ sunt haimorrhagiæ causæ, propterea generatim de eius euentu pronunciare nequimus. Quædam enim naturæ & ætates haimorrhagiæ commodis fruuntur, vt iuuenes à decimo octauo, ad trigesimum quartum ætatis annum. Propterea etiam iuuenes per haimorrhagiam febribus ardentibus defunguntur. Nam haimorrhagia omnis, tute & loco per nares prorupta, salutaris. Veruntamen vt haimorrhagia duce natura, & criticâ lege peracta, facit ægros plerumque morbos defungi: sic haimorrhagia profusior, tum symptomatica, tum hypercritica, vel ad exitium ægros præcipitat, vel eam morborum successionem parit, à quibus, prostratis iam viribus, vix euadunt. Causis finem bonum imponit haimorrhagia: nam in his stabulatur bilis in maioribus venis & arteriis. Propria etiam est cephalalgiæ prægrandis, ante vigesimum diem. & etiam sanat hypochondriorum dolores inflammatorios. Imò non rarò morbos exoluit qui videbantur lethales, modò larga sit, & euphoriam habeant. Nam si largæ superueniat conuulsio, aut singultus, calamitosum: videmus enim talia euenire rarò à vulnere ἐπ' ἔξω. Phlegmonarum Initiia benè superuenit αἷμα. Ab haimorrhagia nigrorum deiectio, graue malum. Et ex haimorrhagia critica, frigus eximium, lethale. Criticus alioqui fluxus cui æger par est, salutaris est. hoc asserit Hippocrates, vbi ait: Si cui mulieri à menstruorum suppressione, sanguis liberaliter fundatur è naribus, bonum. quòd illa haimorrhagia, vnde, quo, qua, & quamobrem fieri debeat, legitimam & naturæ consentaneam tationem obtineat: nec partibus, qua sanguis fertur, molesta fit. Substillum symptomaticum rubrum. est calamitosum Ex rubro substillo protrahitur morbus, si modò causus absit: si adsit, lethale. Haimorrhagia symptomatica profusior, hydropis & mortis periculum affert. Periculi plena est haimorrhagia ex diæresi, maximè si ab anabrosi nascatur. Prædicit Auicenna rem esse dubiæ aleæ, si ex vasis cerebri fundatur sanguis; nam naribus admota remedia, eò non veniunt. Quin, inquit Cælius Aurelianus, ob redundantiam fluoris, celerat mortem, corpore disiecto: nam occulta atque alta sunt, & celata visui, & à vicino medicaminum tactu remota. Nam illatæ qualitates frustrantur, priusquam locis patientibus adueniant, itineris detrimento, quòd non statim illibata partibus patientibus admouentur. Syncope sæpè faustè superuenit: retractis enim ad centrum corporis sanguine & spiritibus, ea antispasi sanguis consistit. Hoc ita euenire obseruauit Hippocrates in Scythis, qui amputant sibi arterias ponè aures: ac tam diu sanguinem effluere permittunt, dum vltrò sistatur. Cùm ex vasis diæresi funditur sanguis, sistetur is, si curetur vt non ampliùs ad ruptum vas confluat; vel si diuisio occludatur: aut, si vtrumque simul (quod tutissimum) fiat. Affluxum noui sanguinis ad ruptum vas prohibet paracœresis, hoc est deriuatio: vel antispasis, hoc est reuulsio. hæc obtinemus per venam sectam. Sed reuulsoria sectio non conuenit in fluxu critico acciso: huic enim potius calcare opus est, quàm freno. Et etiamsi substillo, symptomaticòs abeat sanguis è naribus, reuulsoriâ phlebotomiâ non erit retinendus: nam fertur per nares hoc est, per loca lege naturæ consentanea: quare tenui remedio incitari debet, vt fecit Hippocrates in Metone. Sed in fluxu symptomatico vehementiùs effuso, hac opus erit sectione: alioqui hunc excipit hydrops aut mors. Illud tamen obseruabile, quòd, quamvis effusis habenis in nares criticòs ruat sanguis, ilicò non sit veniendum ad phlebotomiam reuulsoriam: sed frictionibus & cucurbitulis primùm tentanda pax, imò cucurbitæ magnæ hæreant hypochondriis & ceruici. Sed si notaueris his fluxû nô cedere, ilicò festina ad venæ pertusionê Sed quâ copiâ educi debet? Si effusis habenis sanguis, maximoq; impetu prosiliat, secetur

Indicationes curatiuæ. *3. Method. 2.* *Prognosis.* *5. Aph. 33.* *2. Epid. 3. 18.* *Libro De aeribus, locis.* *Phlebotomia.* *Obseruandû.* *Qua copia.*

secetur vena reuulsionis causa, & repetitis vicibus educatur sanguis satis copiosè. si non æquè prosi- *5 Meth 3.* liat, parciùs educatur: & magna cucurbita hypochũdrio leniter scarificato admoueatur. Non procrastinandum; sed eodem die extrahantur vnciæ duæ vel tres: mox repete, modò vires & ætas id admiserint. Ad deriuationem, licet pertundere venam cephalicam, & venam linguæ. In mulieribus, tempore præcautionis, si menses his constiterint, seca pedis venam. Angusto vulnere feriantur venæ: quò tenuior *Cucurbitula.* sanguis subducatur corpori. Si non licet vti phlebotomia, titubantibus iam viribus, cucurbitis reuulsionem moliemur, si has admouerimus lumbis scarificatis. Et deriuationis causâ has etiam admouebimus mento, & posticis partibus capitis, vbi se inclinat vertex. Quin ante phlebotomiam ferè vtimur cucurbitis integra in cute: dum has κατ' ἴξιν hypo- *5 Meth 6.* chõdrio admouemus, antispaseos causa. Sed sint amplissimæ tales cucurbitæ. Has quidam meorum præceptorum admouebat vmbilico. Mammillarum papillæ ligentur muliebres: in viris, glans Razes vehementer stringit testes: id enim animi deliquium abducit. Quidam auriculas ligant, & extrema immergunt aquæ calidæ. alij manus immittunt aquæ frigi- *Lora.* dæ. Lora etiam iniicimus remotis artubus. Sed Scribonius Largus, ea Asclepiadis sententia obiicit, Strictio in vtramque partem exigit; vt si quis laqueo medium vtrem constrinxerit, vtrimque exprimet liquorem: ita in vulnus exprimunt vincula, propterea laxant, ab ictu venæ, vincula, chirurgi. Respondemus, quòd id fieret, si proxima loca constringerentur, nam tonico tunc motu consistet sanguis: sed remota loca *Pharmaca.* vinculis tentata, in se prolectant sanguinem PHARMACA vel toti corpori, vel haimorrhagiæ sunt dicata. Si bile circumfluat corpus, ea maximè pharmacũ suadebit. Rhabarbarum immaturum, aut retorridum vtiliter datur; & diacatholicum, cum athanasia Mesues Accipe cassiæ recenter extractæ vnciam: rhabarbari retorridi, ad binas drachmas: athanasiæ drachmas duas: cum saccharo fiat bolus Vel adde vnciæ cassiæ, muniæ Alexandrinæ (nam ob ingredientia, magis purgat quàm rhabarbarum) & boli cuiusq; drachmam: misce, fiat bolus. Si mumiæ inopia adsit, accipiemus talia, qualibus illa conficitur. accipe olibani drachmam: myrrhæ scriptulum: coralli rubri scri- *Topica in sanguinis profusione immoderato, siue criticôs, siue symptomaticôs fundatur.* ptulos duos: cum cassia fiat bolus. Vt ea quæ ad cohibendum sanguinem admonentur, rectè in vsum ducas, modum inspice effluentis sanguinis, & nũ effluat, vel tum exstillet Et si effluit, num hoc eueniat impetu sursum ruentis sanguinis; aut potiùs à resoluta vi retentrice. Impetum reprimunt frigida, foris *Cum sursum fertur sanguis à visceribus.* admota, & intùs sumpta. Sed non temerè, hoc est, non ante auersionem est refrigerandum. Si ea hepate *5. Meth. 6.* vel liene feratur, epithemata valdè iuuabunt frigida, ea decocto pastoritiæ, polygoni, plantaginis, cicoraceorum, oxalidis, santalorum: Coque in aqua rosata, & aceto, additaque pauca caphura, & hæmatitidis, corallique aliquid, & trium santalorum. fiat fotus hypochondriorum spongiâ. Vel illinantur hypochondria vnguẽnto santalino, cum oleo nymphææ. Madescat linteum aceto rosato, oleo rosato, aquâ rosatâ, cum pauca caphura: iterum atque iterum fronti & ceruici admoueatur. Ex creta, alumine, bolo, sanguine draconis, corallo rubro, & mastice fiat pasta, quá, ductam in galeæ formam, capiti impone. Sed sit tenuis, ne caput grauet. Accipe bombacem vel lanam, madefiat in aqua frigidissima: deinde mergatur aceto frigido, & coronali suturæ imponatur. Vel aceti vnciis sex, adde caphuræ grana quinque: detineatur ore, dum calefcat. ita etiam aqua frigida ore detinetur. D. Fallopius in secretis habebat hoc; stuppam madentem succo semperuiui admouebat interfœmineo. Cùm sursum fertur materia per venas externas, fronti & temporibus admoueatur emplastrum Comitissæ. *Intus.* Intùs etiam frigida dantur: conserua rosarũ, cum succo cicorei: nam hepar ab æstu vindicat, & sanguini feruorem eximit, raptus huius ad superiora causas. Propterea interdum ex decocto nymphææ damus emulsionem seminum papaueris, cum conserua rosarum. Accipe aquæ frigidæ vncias quattoor: aceti vncias duas: aquæ rosatæ vnciam: misce; pro duabus vicibus. Sed vt hoc illis, quæ à foris, addam: Annotat doctissimus Gesnerus, Fredericum Saxoniæ ducem nostris temporibus, bufonem veru ligneo transfixum, & in vmbra diligenter arefactum, inuolutum syndone, manu tenendum dedisse ex haïmorrhagia laborantibus, donec intra manus calesceret: ita sanguinem mox repressum. Vt hoc etiam non obliuiscar: Hæc nobis cura adsit, quô totum corpus sese algore stringat. propterea iubet Auicenna, vt æger sessionem ferat in niuosa aqua, donec membra liuescant, hoc est, donec sanguis inalgescat Testibus frigidi liquores admoueantur, quô inde totum refrigeretur; fiant ea aqua plantaginis, rosarum, aceto; & caphura. Sed ad intus sumenda redeo, Accipe succini, coralli rubri, haimatitidis, radicum tormentillæ, bistortæ, terræ lemniæ, cuiusque scriptulum: caphuræ semiscriptulum: fiat puluis, sumat ea posca vnam drachmam. Verùm si vis ruentis sanguinis hæc remedia vicerit, surgemus in vsũ Philonij, vel requiei Nicolai, aut Mithridatij recentis, ex aqua plantaginis. Præbemus etiam sirupum papaueris, & violarum recentem, cum trochiscis de lacca. & datur athanasia recens, cum caphura. Cautio tamen adsit in terũ *Cautio.* frigidarum vsu, ne adũt sanguis serosus & tenuior: nam hæc in hydropem hominem abriperent. Quin illa etiam in vsum non veniant, cùm ab algioso hepate ortum trahit haimorrhagia. Medicamenta quæ *Si à fracta retentrice.* ad abolitam retentricem comparata sunt, alia, abdita à vi iuuant; alia, à manifesta. Manifesta vi iuuant ea, quæ frigida sunt, qualia antea recensuimus: & etiam hæc quæ escharã inurunt, vt colcothar. Cuius vnius *Historia.* præsidio Illustris princeps Auraicus à fatali sanguinis profluuio reuocatus fuit. Is, cùm singulis diebus immensam sanguinis copiam profunderet, à vulnere, quod sclopeto iugularibus illatum fuerat, nullis auxiliis ab haimorrhagia ea vulnere, liberari potuit, quàm strepto ex digestiuo, vt aiunt, illito, ac puluere colcotharis affatim inuoluto, quod vulneri *Haimorrhoides.* intrudebatur. Ego sanè inuictos haimorrhoïdum fluxus, ilico compescui, asperso colcotharis puluere. Voco colcothar, vitriolum vstum. Escharoticis remisce stiptica viscida: ne alioqui tenuior miniméque firma eschara excidat. Rases addit chalcantho gypsũ *Stringentia.* & gallas. Sed vt ad manum sint stringentia remedia, quædam recensebo. Succus cornorum ac mespilorũ, cydoniorum malorum. Accipe succi densati semperuiui, & plantaginis, cuiusque drachmam; cum linteo madente ab aceto impone naribus. gossipium atramento diu quod fuit imbutum, imponatur naribus. Vere collige nucaméta salicis; immacera aceto quod gallarum puluere imbutum est: sicca. Spongia aceto acerrimo insuccatur, piceque liquida obducitur: fictili amburitur: puluis naribus insufflatur. semen sẽperuiui. Sanguis qui effunditur candenti ferro excipitur: fumus naribus accipitur: & grumi illi naribus induntur cum bombace, ab aceto madente. Accipe hypocistidis, coralli rubri, masticis, boli, singulorum scriptulum: fiat puluis: & cum bombace vsto, acetóq; immerso, fiat streptum vel lycinium, naribus inde. Rases alumen cum amylo naribus inflat. adde sanguinem draconis. Galenus hoc commendat: accipit *5. Meth.*

thuris

thuris drachmas duas: aloës drachmam: cum oui candido subigantur in crassitiem mellearu: deinde pilis auulsis sub cauda leporina excipiantur, & naribus indantur. Excipe aceto puluerem ga larum & putaminum ouorum, naribus inde. Gypsum excipe albumine oui, & fronti ac naso impone. Cochleæ vrantur cùm suis domiciliis, cum tosto ægri sanguine, bolo, & gypso, excipe aceto & oui candido, fronti impone, & naribus inde, adiice grana interdum tria opij Accipe lapidia haimatitidis, coralli, gummi vsti, rhabarbari vsti, succini, terræ lemniæ, cuiusque semiscriprulum: tragacanti ad pondus omnium: fiat pulnis: sumat cum sirupo papaueris & cidoniotum, & aqua plantaginis. Sed obseruandum: his vtendū esse à reuulsione: alioqui conuelluntur aut suffocantur ægri.

Cautio.

Proprietate sistentia sanguinem.

Peculiari quadam dote sistunt sanguinem cochleæ cum aceto, ranæ exustæ & tritæ, mentha hortensis, succus Basilici, succus ocymi cum caphura. Accipe asinini stercoris vncias quattuor, infundantur per diem aquæ plantaginis, & centinodij, cuiusq; vnciis octo: colaturæ incoque balaustiorū vncias duas: succi plantaginis vncias tres: fiat decoctio ad vncias octo: colaturæ adde conseruæ rosaræ vncias sex: sirupi myrtini vncias duas; fiat sirupus mediocriter coctus. manè sumat tria vel quatuor cochlearia, cum vncia aquæ rosaræ. Equiseti succus cōmendatur. stercus asininum siccatur, ac naribus inditur. Idem agit fimus porcinus naribus inflatus: & fronti cum aceto appositus. Corallum collum cingat: & hæmatites, nā semper frigent, & iugulates ob id stringunt Philonium Persicum, cum succo mentæ naribus infusum. Cæpam rubrā acerrimam tusam odorandā da. statim sistetur, inquit Myrepsus. Rana rubeta arefacta, & collo suspensa sanat, inquit Marcellus.

Si ex rupto vase.

Si verò aperto vase profundatur sanguis, vas claudatur. claudetur, si contrahatur aut obstruatur. contrahitur astrictione. Obstruitur foris vel intus. intus, à sanguine cōcreto, emplasticis, linamentis, ἐσχαρωτικοῖς, qualia iam scripsimus. vt ex thure, & aloë, cū candido oui, & leporinis id excipitur pilis. & vrgente necessitate adiicimus caphuræ grana quinque, & opij duo Perfundatur facies & caput frigidâ bis vel ter: non sæpius, ne in carum trahatur æger, à congelescente in cerebro sanguine. Aëtius vtitur suffitu aceti, ex molæ candentis lapide. Accipe cretæ quod satis sit; aceti fortissimi cyathos duos; boli, masticis, coralli rubri, rosarum, hypócistidis. olibani, baccarum myrti, singulorum drachmas duas: olei rosati omphacini vncias sex: albuminis oui cyathos tres: misce, & pinsentur cuncta simul; fiat galea tenuis: quæ raso capiti imponatur spacio vnius horæ. quà remotâ, illine caput oleo & aceto rosaro. Sæpè grumi sanguinis sunt loco escharæ. sed cùm labitur sanguis maximo impetu in os, metu suffocationis, reuocetur ad nares: quare tunc grumi naribus extrahantur.

Ab anastomosi.

Sed acris qualitas cùm anastomosin facit: ea corrigatur diætâ & pharmaciâ. Hoc modo profluuium sanguinis compescimus immoderatum.

Substiliū sanguinis.

Substillum verò sanguinis narium, ob densitatem vasorum aut sanguinis ob crassitiem manans, aut à languore expultricis extillans, fotu capitis ab aqua tepida iuuamus: quod fecit Hippocrates Metoni. Hoc modo nec vasa nec sanguis expultrici fractæ resistent. Auicenna stimulos pigrescenti expulsioni iniicit fetis, nigellæ semine. Mentastrum cit sanguinem, quem menta sistit. imò tandem violentâ ptarmicorum vi quatiunt expultricem.

Victus.

A victu sanguis inalgescat & incrassescat. omnia actu frigida sint: ab aromatibus abstineant. Lactucæ sunt vtiles vbi sanguis fertur; & endiuia, poma, pyra, mala cotonea, caro cum omphacio cocta, oryza cum miua cydoniorum, aut cum succo granatorum, vel omphacio, pedes vitulorum, gelatinæ, agni cerebrum, & cerebrū gallinæ, vel vituli assum, caseus recens, aphtogala, ius carnis cum radicibus symphyti. Potus sit aqua in qua cotonea mala & symphytum coxere, adiecta quarta parte pulli. Vel potet cereuisiam in qua contusæ radices symphyti maceratæ fuere, cum succo granatorum. Sed fractæ vires interdum vinū volunt: sit hoc crassum & rubeum. Sit in silentio, ira absit, in ocio sit. Erectiore decumbant capite.

Admonitio.

Hoc adhuc admonendum puto; frequentes in quibusdā hominibus haimorrhagias narium (vt euenit maximè in his qui ab obstructione hepatis laborant, & qui ex hac in cachexiam & hydropem incidunt) demonstrare, per hepar tenuem ac crudum tantùm sanguinem, ad solidarum partium nutritionem inutilem transsudare. Nam sanguinis tenuitas & acrimonia à sero & bile acquisita, hanc haimorrhagiam excitat. Vnde frustrà Medici multi, hepatis obstructione atque debilitate relicta, per incrassationem sanguinis, haimorrhagiam auferre conantur.

Empirica.

Empirica quædam addo. Succus porri & mentæ naribus immissus. & ocimi succus cum caphura naribus inditus. Vrtica trita & naribus imposita Pubes muliebris auulsa ac naribus intrusa, ilico sanguinem sistit. Rases accipit calcem albam & leuem, qua aurifabri vtuntur, & naribus eam inspirat. vel naribus insertur cum albumine oui. Dissolue succi prunellorum agrestium drachmam: aliquo cum liquore. Accipe aceti libram: candida ouorum sex misce: lintea eo madeant, quibus inuolue collum, pulsus, manus, hepar pedum ima, & testes Accipe internam superficiē vasis, in quo cinis fullonum (*vvedasch* vocant) aduehitur: huius, inquam, accipies vncias duas; & cineris fullonum semunciam: & calcis non extinctæ vnciam: coque hæc ex aquæ libris duabus: dum tertia solùm pars restibilis permanserit; coletur. reponatur in vitro tempore vsus, immerge illi chartam nigram Hæc sistit, imposita, omnem, vulnerem etiam haimorrhagiam. Cinere eo vtuntur ad smegmatis fabricam.

Caput XI.

De Dentium & Oris Passionibus.

Numerus & nomina dentium.

Dentibus ea ratione homines à Summo Deo armati, quò cibum mollientes conficiant; nam pepsis quædam est etiam ori. Octo primores, canini quattuor, & viginti molares in vtraque maxilla, vtrinque per gomphosin coarticulati. Priores accedunt, qui temnici, à secando dicuntur. hi etiam locutioni patrocinantur. Erumpunt hi ferè septimo mense. Gelasinos hos etiam appellant, quòd risus eos retegat. Martialis eo nomine intelligit corrugationem faciei, quam facit risus: dum ait, *Nec grata est facies, cui gelasinus abest*. & Democritus, à risu, gelasinus dictus fuit. Hos vtrinque sequuntur κυνόδοντες, canini, hi nono ferè mense pullulascunt. Hos sequūtur gomphij, seu molares, quibus adnumerātur quos mylos nuncupant. post quos, postremi sophronisteres, ita hos Cleantes appellabat: Auicenna, dentes intellectus. Quos erumpere putat, cum iam venerem agnoscere incipiunt, grauémque cùm edunt vocem. hos Aristoteles κραντῆρες vocat, ἀπὸ τοῦ κραίνειν, quòd ætatem perficiant. Latini hos nominant genuinos: Varro post septimum annum eos proferri existimauit. Reliqui molares antequam bimuli sunt infantes, ferè enascuntur. Iacturam omnium horum facit ætas.

Historia mira.

Narrat Valescus de antistite quadam Vestali, quæ cùm iam, decursâ ætate, ampliùs menstrua-

 lis

lis non esset, & ob canam ætatem illi molares excidissent, loco canorum, capilli nigri, ac noui molares subcrescebant; huic, inquam, menstruali iterum factæ, sorotiantes mamillæ, faciesque, abactis rugis nitebat. Pyrrho Epirotæ tradont vnum fuisse os, dentium vice, lineis tantùm in superficie suppictum distinctúmque. Scripsit Herodotus, in Persica strage inuentos μονοφύας, hoc est, vnidentes. Proditum est monumentis Ionis Chij, Herculem fuisse triplici dentium serie.

Nomina partium in dentibus.

Molarium partem quæ assidet gingiuæ, momiscum dicunt: superiorem verò, qua conficiuntur cibi, mensam: cauitates autem, holmiscos, veluti mortariola; vel phatnas, id est præsepia.

Præsagia insunt dentibus.

Inesse præsagia dentibus credit Aristoteles. nam quibus rariores fuerint, haut ita diu viuere opinatur. Quoniam quæ dentium ordine sunt prædita numerosiore, esse etiam vitæ productioris obseruantur, virorum exemplo, quibus etiam plures sunt quàm fœminis, vtile existimat. Dentium numerus in viris ad duos increscit & trigintà: fœminis raro, si Aristoteli fides, tot adnascuntur. Dentes tantum atteruntur, quantum molendo mandunt: omnium affectionum sunt capaces, omnibusque morbificarū causarum telis expositi, quibus & caro ipsa, nec cum minori perceptione rei molestæ, vnde sæuissimis doloribus cruciantur, in eisque cuncta symptomata conspiciuntur intemperiei, phlegmones, continuitatis & contiguitatis emotæ.

Dentes sentiunt.

Dentibus verò inesse sentiendi vim, abundè Galenus docuit, quia sint illorum radicibus adiuncti nerui, quibus sensus facultas comparatur. Et videtur Auicenna putasse, vt quoque propriæ substantiæ sentire.

*Nō sentiant. Gal. 16 l. 2. De v. su part. 5. Aph. 18. * Frigidum, bellum inimicum ossibus, dentibus.*

Dentes itaque inter ossa, sensu prædita sunt, & dolore lacessuntur. Vnde Hippocrates. * τὸ ψυχρὸν, πολέμιον ὀστέοισιν, ὀδοῦσι. Dices, Cur dentis hic meminit, si sit os? Respondemus, os patitur tantùm, non sentit. vtrumque euenit denti. Verùm sensus particeps & expers, non constituit essentiam ossis. Hoc patebat ænigmate forcipum plumbeorū, in templo Æsculapij pendentium: quo monebantur, vt dentes euellendos non esse, ob functionem & dolorem. Quin ipsæ gingiuæ interdum in vitio sunt.

Gingiuarum mala.

Cùm hæ nimio madore imbecilles sunt, μυδώσας has vocant, quasi humore flaccescentes. Epulidas vocant excrescentem carnem ad intimos molares ex inflammatione, non citra dolorem, & quandoque febrem. & ex suppuratione hac, fit tandem exputatum, nisi discatiantur. parulides vocant, nam gingiuas extimas appellant via. Dentium autem dolor, inquit Celsus, maximis tormentis adnumerari potest.

Sphacelismus dentium.

Nam phlegmonem quæ mox supputet concipiunt, ac putredine tacti frostatim excidunt. Etenim in sphacelismū abripiuntur nonnunquam: in quo malorum eximia vis est inter cuncta quæ dentibus euenire possunt. Est enim sphacelismus, absoluta dentis corruptio, in desperatione viuacitatis. Hunc facit concepta in dentibus causa, vel gingiuarum corruptio, cùm diffluit caro sanie: aut ob magnæ phlegmones feritatem hoc euenit.

Causa doloris, quid dentes omnibus morbis expositi.

Doloris huius, qui ita inclementer dentes fatigat, causa est quòd ad illorum radicem neruus inseratur, nec tamen ille peruadit dentem, Propterea ad radicem solùm maximéque dolet, dum eam phlegmone ferit. Vt enim dens, ob perennem attritionem, incremento augescit ab allabente succo nutritio; ita, si hæc œconomia non rectè peragatur, in passiones trahi poterit, quibus reliquæ alumnæ partes totius corporis: vel analogia quadam dentis phlegmone, aliarum partium inflammationi respondebit, ita vt diathesi inflammatoria occupentur. Nā vera phlegmone gingiuæ occupantur. Dentis phlegmonosa diathesis nascitur, dum materia eius nutricia corrumpitur. vel dum influit materia aliqua praua ad neruos eorum, quæ tendit, aut mordet. Nam materia calida vel frigida interdum dentium alueolos implet, ac dentes depellit, vt etiam interdum exerti proferantur. dum ibi etiam materia putrescit separata ab alimento, sphacelismum denti infert, & vermes etiam procreat. Dolor etiam inclementiùs interdum excruciat, à flatibus conceptis in radicibus dentium. Hæc sunt quæ acerbissimos dolores ipsi denti adferunt. Eædem causæ si gingiuas inuaserint, concordia quadam & ichorum delapsu dentes in dolorem abripiunt. Si dentes à sola intemperie affligantur, hæc præcipua est frigida: nam frigus dentibus est bellicosum. tunc stupor quidam dentem infestat, nisi ille sit ab obstructione nerui qui denti inditur.

Signa causarum.

Diligenter notandum num dolor sit in ipso dente primarius, vel num in subdito neruo, aut num in gingiuis Si à gingiuis, id oculis notabitur. Si neruus vexetur dentis, alius erit ille dolor ac pulsans: & aures vnà vexantur. A bile mordax est dolor, acutus, & pungens, tanquam ab acubus intrusis. A frigida si sit materia, catybaria aderit, saliuatio plurima. Oris sapor de materia peccante iudicium feret, & totius corporis temperies, victusque ratio: adde faciei colorem. & nota num corpus circumfluat bile. hæc enim acerrima sua vi dentes ac gingiuas fatigare solet. Frigida materia noscitur ex pallore faciei, & tumore oculorū, & pituita toto corpore luxuriat. Vide num à calidis vel à frigidis rebus inuectum: & à quorū vsu dolor ingrauescat.

Indicationes.

Cū nullus dolor sit qui ægros inclementiùs excruciet dentium dolore, sanè in primis illud studium adesse nobis debet, quò is mitescat. Deinde vt materia quæ influit ad dentem, aliò auertatur: & quæ influxit, si adhuc loco sit remeabilis, vt repellatur & deriuatione euacuetur. sin imbibit iam pars materiam dolorificam, vt illa fundatur ac exhauriatur. Si pauca materia fuerit, admotis siccantibus remediis, absumetur: si verò multa, prouisio de toto corpore erit habenda.

Prognosis.

Si dente syderato (non quidem ab ichore & phlegmate putri, cuius quidem tabe excauantur dentes, quos non domat ignis, flammáve crematur: nec verò à cibis in aluo bilescentibus, aut mala & vitiata eorum gomphôsi in alteutra maxilla: sed à phlegmone cum pulsu, & summa doloris acerbitate coniuncta, quam peperit sanguinis bile perfusi affluxus) ingens febris cum delirio accesserit (in sympathiam tractis his visceribus) mortiferum: (nam graue malum, cùm febris ingens, accessionem habet prægrandis delirij) Sin autem pepasmo liberáque sanguinis effusione periculo defungantur, vlcera suppurabunt, reditu ad integritatem inchoati sphacelismi, euicta morbi feritate. ossaque abscedent. Nā, authore Hippocrate, * πᾶν τὸ ἔξαιμον καὶ ἀπογεγονὸς, ἀφίσταται ἀπὸ τοῦ ἐναίμου καὶ ζῶντος. Breuiori tempore & cum maiori periculo curatur is dolor qui est à calore.

*De capit. Vul. * exangue omne & alienum, à sanguineo & viuente separatur.*

Cùm à dente dolente gingiuæ & maxillæ intumescunt, bonum: nam deriuari aliò denunciat materiā.

Cautio.

Malè sibi consulunt qui in acerbissima doloris vexatione illicò se ad dentispices conuertunt: peius faciunt illi, qui ilicò dentem euellunt. Conueniendus medicus, qui curationem instituat, ex differentia causæ morbificæ continentis & antecedentis, & vnà de doloris mitigatione statuat. Sed nos, ex more disciplinarum, primùm agamus de diæta, in victus ratione, & vitæ instituto. Cibus sit boni succi & liquidus, ne attritio ciborum dentes fatiget. pultibus vtatur, lacte, iusculis pinguibus: non caleant, non frigeant cibi. acida absint. qualitate tali sint præditi, vt cum causa doloris pugnent.

Curatio. Chirurgia.

Si antecedens causa fuerit remixta cum sanguine, aperiatur brachij vena cephalica, vel mediana, si plenior sanguinis fuerit: & ab eodem latere κατ' ἴξιν feriatur vena; ita reuulsio commodè

modè fiet. Si, inquit Rases, tumidæ & cruentæ fuerint gingiuæ, cum rubro colore, & tumore pulsatili, humeraria secetur. dein cucurbitæ scapulis & mento applicentur. Adiiciunt Auicenna & Rases, etiam sub lingua venas pertundendas esse. Rases mento etiam cucurbitas affigit. Nos iubemus etiam secari venulas gingiuarum & labiorum. Si, ait Rases, remediis topicis dolor sedari nequeat, ferro candenti subinde radices dentium contingito: vel penitus dolentem extirpato. Ego, cum perforatum, ac nigredine obsitum in perforata parte, dentem animaduerto, guttulam olei vitrioli penná immitto. nam post aliquot dies, dens ab eo remedio excidit. Dens non extrahatur nisi sit initio sphaceli tactus & mobilis; quia à putredine vindicari is nequit. Tunc illud studiũ nobis

Dētis extrahendi sine dolore modus. aderit, vt id sine magno dolore agatur. Scalpello itaque parum leuetur ab alueolo, & dein puluis euphorbij inspergatur; (hic enim, si quid aliud, ossa extrahit) aut tithymali succus cum farina mixtus denti imponatur, & vicini dentes muniantur cerá: nam succus tithymali gingiuas in tumorem attollit. Post duos trésve dies ita vacillabit dens, vt manu vel ferro facilè extrahatur. Quo ablato, os colluatur vino rubello, cui iniectum sit aliquid myrrhæ. In dentium dolore vesicatoria etiam ponè aures admouemus, & etiam sub aurem fœliciter, in maxillæ dearticulatione; inde enim neruus, arteria, & vena, veniunt ad radices dentium. Quidam venas etiam quæ ponè aures sunt aperiunt, & eas quæ conspicuæ sunt, in auris

Purgatio. meatus superna parte. Biliosus succus in dentem vel gingiuas si influit, hoc modo purgetur: Accipe pilularum aurearum, scriptulos duos: si pituita commiscetur, adde cocciarum scriptulum) scammonei grana tria: fiant pilulæ quinque vel sex: deaurentur: sumat

Topica. manè in aurora; & superdormiat. Cæterùm, à purgato corpore, cuiuscunque generis sit materia quæ influit, proderit eius incursum sistere, emplastro contra rupturam ex pice & mastice facto, & temporibus, qua parte dens dolet, admoto. Emplastrum etiam capiti admouetur, nam inde excurrere solet humor. Quæ autem dentibus admouentur remedia, ea dica-

Ad Dolorem ta sunt dolori, vel causæ dolorificæ. Ad symptoma: cùm ita vrit dolor, vt vires inde flaccescant, tale in

Stupefacientia. primis remedium dabimus, Coquantur semina capitaque papaueris ex aqua solani, adde radices mandragoræ, & interdum hyoscyami albi, & lactucam aut portulacam, flores nymphææ. Si dolor non est in gingiuis, sed in imis dentium partibus, adde aceti aliquid, ad peruasionem. Laudatur opiatum Ægerea, & aurea Alexandrina. Si vnà antis dolet, fœliciter hoc ego vtor, Accipe olei lumbricorum semunciam: adipis recentis anserini drachmas duas: opij grana sex: castorei grana octo: guttatim immitte cum bombace. Et ore hoc contineat; Accipe persicariam, & radices hyoscyami albi: macerentur in aceto rosato, & in balneo coquantur. confert admodùm, cùm dentes non sunt erosi. rosioni enim vnicè opitulatur guttula olei vitrioli his indita. Aliud: Accipe seminis portulacæ hyoscyami, coriandri, pyrethri, caphuræ, singulorum semidrachmam: tere; & cum aceto forti fiant trochisci. solue, vsus tempore, vnum in aqua rosata. Aliud: accipe opij & castorei, cuiusque scriptulum: misce cum oleo rosato. Aliud: accipe seminis hyoscyami albi, opij, caphuræ, papaueris albi, cuiuslibet tantum, vt res, & circomstantiæ suadent: coque ex sapâ, & denti admoue. Philonij drachma diluatur vino vel aceto, aut aquâ Cautio adsit, ne ad huiusmodi deueniamus, nisi summa necessitas nos in hæc coëgerit: & sit calidorum humorum defluxus. Alioqui enim frigida hæc remedia, humores frigidos & crassos cohibent, ac ne difflari queant impediunt, atque adeò colorem vehementiorem reddunt. Excipe aliquid opij cum cera, & pastillus inde factus denti imponatur. minùs nocebit, si addatur theriaca. Accipe hyoscyami albi, opij, styracis, galbani, cuiusque semidrachmam: piperis, assæ fœtidæ, singulorum semiscriptulum: misce, cum aliqua ceræ particula. Hoc modo symptomati vrgentiori succurrimus. Sed præ-

Causa doloris vt auferatur. cipuum studium nobis adesse debet illud, vt causam doloris abigamus. hoc est, morbum, eiusque causam. Verùm vt bona tecmarsi illud agas, accuratè explorandum erit, num dolor & eius causa sit in dente, neruo, vel gingiuis. Quamvis enim eisdem ferè remediis vbique vtamur: tamen situs loci afflicti in his, remedia aliquantulum variat. Quodsi dolor gingiuas occupat, non vtemur aceto: sed potiùs lacte aliquo tenui ac dulci. Aëtius sanè hîc acetum, tanquam

Gingiuarum dolor à calida materia. hostilem gladium vitandum suadet, ac asininum lac probat: Rases commendat acetum, vbi inflammatione tentantur: sed ille ad morbum collineat, & remiscet oleum rosatum: & iubet vt ore detineatur dum tepeat, ac sæpiùs hoc repeti. ita vt tandem ore retineant solum oleum rosatum. Laborantibus itaque gingiuis, vtemur mitioribus: quòd sint proximæ remediorum incursui. Si itaque aceto vtendum sit, parcâ hoc fiat copiâ. Cùm ergo gingiuæ phlegmone occupantur, ore retineat oleum rosatum, cum pauco aceto; mox sine aceto. Proderit etiam decoctum solani, halicacabi, portulacæ & masticis, rosarum, lacto-

Dens dolens à calida materia. cæ, endiuiæ: interdum adde quid caphuræ. Si dolor sit in dente, opus erit leptomeria quadam, quò, ima, peruadant remedia. tunc vtimur aceto cum succo portulacæ, nymphææ, & lactucæ. adde interdum oleũ rosatum & caphuræ aliquid. Solebam coquere semẽ fœnigræci ex acerrimo aceto: iubeo vt diu ore retineant. Fidum est hoc remedium, Accipe persicariæ manipulum; radicum hyoscyami albi recentium vnciam: coque in balneo ex aceto ad semilibram: tepide foueat eo dentem: & remisce aliquid aquæ pluuiæ, si acrius fuerit acetum. Post initia, digerimus in malis dentium & gingiuarum decocto fœnigræci, chamæmeli, meliloti, tapsi, althææ, maluarum, ficuum. Tandẽ validè discute decocto nicosianæ, & saluiæ, cum ficubus, semine lini. Vbi gingiuæ valdè dolent, fumo albumen oui, quod molliter coctum est, & denti admoueo. Si in initio validè irruat materia in gingiuas vel dentes, reprimemus decocto balaostiorũ, portulacæ, plantaginis, lactucæ, gallarum, ex posca, vel vi-

Foris. no ex astringente. Et foris partes dentibus dolẽtibus vicinæ illinantur oleo nymphææ, oleo rosato; & cataplasma fiat ex aqua & farina hordei, vel ex furfuribus. Elapso principio, meliloti flores coque ex aqua & vino, & ore retine: aut eius radicem ex vino coctã

Ex Rasis sententia. ore detine ea parte qua dolor est. Si dolor his inuictus perseuerat, sitque pulsatilis atque vehemens, cũ inflãmatione, caphurã cũ pyrethro contritã, dentiũ radicibus ad gingiuas applicato. & postquã à saliua puluis defluxerit & elutus fuerit, alium secundo inspergito, & lanã mollẽ oleo rosato imbutã denti applicato. Si grauiùs incandescit dolor, opij obolũ rosaceo læuigatum, radici lanâ admoueto. Si ne sic quidem quieuerit dolor, gingiuis leuiter scalpello incisis, sanguisugas admoueto.

A frigida materia si gingiua dolet, vel dens. Si verò gingiua neque cruenta neque tumida sit, neque pulsu affligatur, nec inflãmata si fuerit facies: sed si à crapula, nausea & cœna inuasit, & rerum frigidarum si vsum iniit, pilulis cocciis purga. Abluatur os aceto: in quo pyrethrum, mẽtastrum, & origanum ebullierint, & deinde radices dolentes hoc illinantur: Accipe pyrethri, sinapi, tapsiæ, nitri, zinziberis, piperis, partes æquales; fiat puluis. & lanam melle imbutam, & illi puluere inuolutã circa gingiuas impone. & priorùm insrica radices eo

puluere

pulucre. Aut piperis puluere melle subacto,dentis radicem infricato. Admoue pyrethri radicem. Detineatur ore aqua vitæ. Incoque vino,aquæ,vel aceto, nicotianam,nigellam,pyrethrum,calamintam. *Stupor dentium.* Stupor dētium abit ab attrita portulaca,& ouillo lacte, quia id pingue est. Si dolor à frigore natus,his non cedit, Accipies castorei,laserpitij,piperis,zinziberis, styracis,opij,partes æquales:melle læuigata denti inducito. *Foris.* Foris verò panicum vel miliū,aut furfures in patina,cū pauxillo vini aut aceti torretur: sacculoque includitur, ac genis accōmodatur. Accipe milij, furfuris,partes æquales:salis torrefacti semunciā: Para duos sacculos. Proderit etiam maxillas iuungere,oleo chamæmeli,& anethino,vel butyro insulso permixto cū axungia gallinæ,& vnguento alabastrino. *Fluxus ad dentes.* Auri inde quid olei nardini, cū castoreo. Initio fluxionis os colluatur tali remedio: Accipe nucū cupressi, malicorij, cuiusq; semunciā:aluminis semidrachmā:decoq; aceto, & os decocto colluatur;reprimet fluxionē Progressu temporis adde radicē cyperi.& cessante fluxione,decoctum ex cæpa,vel ex zinzibere Accipe theriacæ drachmā radicū pyrethri,piperis pulner sati,cuiusq, grana quinque:fiant pastilli, qui per vices denti imponantur. Cōmodè etiā vtimur aqua vitæ,& aqua saluiæ. aut saluiā & rosmarinū ex vino coquimus. Accipe piperis,pyrethri,staphysagriæ,singulorū scriptulum: excipiantur pauca copia mellis & aquæ vitæ:adde parū seminis sinapi, & indatur denti. Accipe seminis sinapi drachmam:piperis parū, cū aqua verbenæ coque:abluat ea dentes. Imponatur etiā cū pauco succo porri, eius radicum vrticæ. Excauatæ cæpæ infunde oleū amygdalinū amarū: adde parum euphorbij vel castorei:oleum quod inde exprimitur imponatur auri eiusdem lateris. hæc prosunt, cùm ipse dens dolet. Eodem ferè modo curantur dolentes *Ab intemperie citra materiam.* dentes cùm sola ex intemperie laborant Vt si tātùm fuerit dentis perfrictio,Rases admouet tantùm denti oleum excalfactum linteoq; exceptū: & oui vitellū assum:aut panis calens ve masticetur suadet:& vt ri- *A frigore.* gentur dentes balsamo,aut oleo ireos. Coque rosinatinum & pyrethrum ex vino & aceto. adde parum aquæ vitæ,& theriacæ. Vigo aquæ vitæ insoluit ammoniacū,cū myrrha,& denti imponit. Alliū coctum cineribus denti imponatur. Decoctū tithymali prodest. Vesicatoria sub aurem,vbi dearticulatur maxil- *A calore.* la, præsentanea sunt remedia dolori. A calore si dolet dens, coque portulacā & parietariā in aceto:adde interdum semina papaueris vel lactucæ. Foris illina- *A siccitate.* tur oleo nymphææ vel rosato. Siccitas si causa doloris fuerit, vngantur dentes melle cum butyro. lauet os lacte ouillo:coque maltas, & ficus ex aqua, adde *Ab humiditate.* oleum. Si nimia adsit humiditas, admoue myrrham, aristolochiam,iridem,cū nucleo persico. Interdū ver- *Vermes.* mes gignontur in putridis dētibus. hos optimè enecat guttula olei vitrioli, & vnà putredinem delet:& neruo sensum adimit. Aliud, Accipe piperis grana nouē:pulueris radicū alliorū combustorum, & seminis hyoscyami, parū:cū pauco olibano fiant trochisci:& fiat suffitus: excident vermes. Aliud, accipe grana quinque hederæ: bulliant in aqua rosata, in cortice mali granati ad cineres: & illine dentem dolentem. Aliud, cineribus impone corticem granati, cui inde zinziber,gallā,masticē:misce cū succo acido granati: coque:hoc etiā præclarè gingiuas roborat. Vel inde *Cautio.* denti parū olei sulphoris, quod vase, fornā cāpanæ effumatur. siccat vehementer. Ea cautione hæc in vsū ducantur, vt in dentium morbis frigidis, calida admoueantur remedia:in calidis tepentia. Ea hautiēla, *A tota essentia qua dolori placant.* siot actu calida:reprimentia,tepida. Totius essentiæ proprietate iuuat ius ranæ elixæ in posca: si diu ore retineatur. Et senecta serpentis in vino & aceto cocta. vel eadē vsta & trita, cū oleo in crassamentū redacta,denti imponitur. Cognitur etiam vstum cerui cornu ex aceto & aqua. Æger sua manu comburat dentem mortui canis; vbi combustus est, misceatur cū posca. Flammulā Iouis admotā vidi volæ manus eiusdē lateris,ibi vesicam excitasse, ac dolorē dentis euanuisse. Quidā clauū ea vrna ferali petitum,denti admouent:alij dentē humanum ex collo pendēt. Sed hæc mihi superstitiosa videntur. Empiria hæc obser- *Empirica.* uauit profuisse:Accipe corticum radicū ebuli & sambuci;pyrethri, cuiusq; drachmas duas: origani, calamintæ,scabiosæ,althææ, singulorū manipulū:coque ex posca,ad libras duas;laua calide. Aliod,accipe vrticam Romanam,eam coque in vino. Laudat Carda- *7. Variarum.* nus rubetam Accipe radices hippolapati,& admoue denti. Accipe parum salis, piperis,& interni corticis sambuci,fiant noduli duo; vnum admoue denti. Coq; folia lappæ in aceto cum sale. Vel radicem plantaginis ex aceto: vel hyoscyami radicem admoue denti calenti: alioqui coque eam ex vino. Aliud: Accipe vini rubri libras duas: balaustiorum vnciam: ligni Indici vncias tres, granorum iuniperi sescunciā: crasse contunde,ac macera horas quattuor:coque ad dimidias:sumat sæpè in ore. hoc siccat, roborat, salsamque pituitam eximit. Aliud,accipe corticem interiorem sarmentorum vitis syluestris fœminæ, hoc est eius quæ non fert vuas. eius scobem rediges in paruum globulum. applica gingiuæ dolenti:& inibi sine dum morsum deponit. dein tegentem inde.mediæ horæ spacio crassam elicit pituitā, ac dolor mitescit. Flandri hanc plantam nominant *S. Antonis Baart.* Præseruat dentes à dolore, si quis manè eos abluat *Præseruatio à dolore.* aquā,& etiam à cibo. Chelidonia mansa dentibus,et s præseruat à frigidis succis: vt portulaca à calidis & ab abstergentibus nimium. Coquunt quidam ranas, supernatantem pinguedinem vsibus his seruant. In- *Exesi dentes.* terdum ambesi apparent dentes à succorum inquinate: laceras partes resarcire cùm non possimus, quare ne cæteræ partes trahantur in eandem fœditatem, operam dabimus. Dens excauatus diligenter specillo,cui mollis lana annexa sit;ne neruum feriat, expurgetur,& mulso eluatur. Iuterim alij dentes hoc modo præseruētur: Accipe alomiois drachmas duas: zinziberis semidrachmam:radicum cyperi (hæ enim præclarè abstergent, calfaciunt, & putredinem arcent) drachmas sex: corticum interiorum arboris mori vnciam:myrrhæ semunciā:incoque cuncta hæc aceto acerrimo,eòque dentes reliqui abluantur,adde aliquid seminis nigellæ.interdum iunge radicē lapatij acuti, & pentaphylli: Galenos erit vnciam seminis nigellæ, cum salis semuncia:extinguit aceto:fit puluis,quo cauos dentes replet. Si valida à putredine exedatur, summum remedium erit, guttola olei vitrioli. Aqua vitæ, in qua aromata quædam iniecta sint,& interdum quid pyrethri ore detentum, putredinem & fœtorem gingiuarum etiam castigat. Iniice caryophyllos, myrrham, cyperum, rosmarinum, gūmi iuniperi, & talia. Interdum stopor quidā dentes in- *Stupor dētiū.* uadit, adeò vt homines nec frigidorum nec adsiosorum contactum ferant. Plerumque frigus hoc facit, vel cùm abstersus dens exactiùs, quàm decet, senrit. hanc passionem abigit portulaca:illam pyrethrū. Si nulla remedia dolorem leniunt, tandem (de quibus *Elicia remedia dentium.* etiam quædam antea diximus) ad ea remedia deuenimus,quæ eliciunt ex alueolis suis dentes. Hæc agunt ea, quæ siccandi quadam potentia valent, quā adeò dentem siccant, vt ampliùs genio suo frui nequeat: hinc tabescit. Tangatur dens acerrimo ab aceto, cui diu immacerata fuit radix pyrethri. Vel accipe aceti fortis vneias decem:coque dum exhauriantur vnciæ septē,& admoue denti. Ita etiā vtimur lacte

lacte tithymali. Vel olen incoque ranas ad marcorē; illinc. Sed præſtantiſſimum eſt, ſi olei vitrioli guttulâ *Rubigo dentium.* tangantur. Lappæ radix cineribus cocta, dentibus apponatur. & cucumeris etiam ſylueſtris radix hoc agit. Aëtius terreſtres vermes in teſta coctos, ac in cinerem verſos aſpergit. Candorem dentium corrūpit ſæpè mala victus ratio. quin interdum hoc euenit à fruſtulis ciborum quæ dentium interſtitiis ſe inſinuant, ibique cunctando putreſcūt, ac dentes & animæ ſuauitatem inquināt. Vt hanc fœditatem fugias, collue mox à paſtu os vino aquâ temperato, cui iniectus eſt puluis ireos. Iris enim, inquit Galenus, omni potentia abundè dotata eſt, nam eniteſcunt inde dētes mundi, ac robur ducunt, quo minùs perforationibus ſint expoſiti, ac blandum odorem affundit ori. Parantur pulueres ad detergendos dentes ex pumice, cornu ceruino, alumine cocto, buccino, cinnamomo pauco. abluunt mox vino in quo radix althææ & alumen coxere. Quidam aquæ roſatæ incoquunt baculos radicis althææ, addunt corallum, & cinnamomum, cuſpide fricant dentes. Antiquis etiam dēteſcalpia fiebant ex lentiſco: vnde σχινοτρώκτας vocabant, qui plus ſatis corpus comebant; quaſi lentiſci-voros dicas. Quidam ad dentes dealbandos hæc diſtillant, & eâ dentes detergent aquâ: Accipe ſalis ammoniaci & gemmei, cuiuſque vnciam: aluminis ſemunciam: aquæ roſatæ quod ſatis ſit, diſtillētur. Ego hoc vtor: Accipe pumicis ſemidrachmam: cornu ceruini, oſſis ſepiæ, aluminis rochæ, ſingulorum ſcrupulum: vrantur in olla: dein adde ireos albiſſimæ ſcri-*Ad tophos dentium.* pulum: fiat puluis. Tophos dentium hoc modo adimes accipe oleum ſulphuris per campanam effumatum, idque remiſce cum aqua roſacea, & bombace *Ad vacillātes dentes.* intincta tangatur ſummitas dentium. Vacillant nōnunquam dentes cùm fraudantur ſuo genio, vt in effœta ætate, & dum à morbo exhauſti ſunt homines, vel ſi madeſcat eorum nimium neruus, vel ſi iniquis ſuccis gingiuæ tententur, vel ictu labefactentur. Si hoc eueniat ſenili ariditate, vel alimenti penuriâ, genio indulgeant, & ſtringentia admoueant. Si ictu aut à lapſu nutant, alueolis reddātur, & cum proximis, qui ſtabiles ſunt, vinciantur, die etenim alueolis ſe firmabunt. Vel lauet dentes ex decocto radicis biſtortæ, tormentillæ, radicum cyperi, roſarum, calycum glandium, ſumachij, aluminis. Vnge dein dentes alumine, corallo, cornu ceruino, radice biſtortæ, myrrha. Si madot nerui in vitio ſit, inſpergatur illis puluis malicorij, myrrhæ, ireos. reliquorum antè meminimus. Senibus hoc etiam ſolatio eſt; Accipe ſaluiæ, roſmarini, roſarum, radicum vrticæ, malicorij, foliorum oliuæ; mentæ, aluminis, ſingulorum, ſemunciam: mellis roſati vncias tres: feruēant in olla recenti cum vino albo: hoc ter vel quater ore con-*Dentitio Puerorum.* tineant cotidie. Iam de Dentitione. ὀδοντοφυΐα fit, dū dentes in alueolis ſuis concepti, gingiuas perruadere nituntur. Hoc non fit ſine acerbiſſimo dolore. Cùm enim cætera animantia dentata in lucem prodeant, ſolus homo plerumque his eo fraudatur tempore. Vnde fit, vt denſior facta gingiua internecinos cruciatus interdum afferat, dum à dentibus perrunditur. Hinc enim gingiuarum phlegmone, & maxillarum, tendinúmque. Hyeme facilius ſuſtinent hanc fatigationem pueri. Septimò ferè ætatis menſe erūpunt: tunc eiulatus edunt, ac papillas mordent, os æſtu incandeſcit, blandimentum illis adfert gingiuarum frictio. Macilentis ac his quibus fluxa eſt aluus, minus periculi adfertur à dentitione. Lacteus vſum ſneat lactucæ, hordei, & rerum frigidarum: abſit vinum. Papillæ ſint alginſæ. Emolleſcant gingiuæ tali illitu, Accipe ſacchari, & butyri inſulſi, ſucci althææ, cuiuſque ſemunciam: vitelli oui dimidium, hoc frice-

centur gingiuæ. Interdum ſumo mel toſatum, hoc miſceo cum butyro. Si calor valide gingiuas affligit, remiſceo ſuccum portulacæ & lactucæ. A peculiari vi commendatur illitus lactis canini: & cerebrum leporis elixum. & caninus dens vſtus, ac gingiuis illitus. Mordeat puer dentem lupinum. Cæteri homi- *Victus ratio.* nes qui à dentibus dolent, à cibo ad tempus abſtineant: & rebus mollibus vtantur: abſtineant ab vſu rerum nimis calidarum, & à vino. Laconico ſubinde *Empirica quædam.* affatim eliciant ſudorem. Succus qui labitur ex ſarmento inciſæ hederæ, denti arroſo immittitur. Dolentibus imponitur ephemeri radix. & ex aceto radix chelidoniæ ore detinetur. Curda ranarum furno vrūtur, & ſale arroſis dentibus puluis affricatur. Caphura liqueſcat in oleo amygdalino: clarum effundatur, maxilla illinatur. Si vermis in dente fuerit, accipies ſemen hyoſcyami albi, cæpæ, porri, cum nitro; & cum ſeuo caprino fiant trochiſci: horum vnum carboni iniice, & fiſtulâ dens accipiat ſuffitum. Gummi hederæ colligitur poſt medium Auguſtum, & intra Idus Septembris; eius vſus eſt in dentibus dolentibus. Detineant ore, qui dolent, decoctum maſticis & roſatū, cum oleo roſato. Quidam ſubtiliſſimo terebello medium dentem dolentem perforant; foramen recenti theriaca replent ter die & noctu: vel ſucco tithymali. Si neruus ſit inflammatus, extrahatur dens: nam preſſus neruus calamitatem adferre poteſt atroci dolore. Rubi radix cum myrto decocta, ſtabilit dentes. & vlmi ramuli ex vino cocti; hoc collue os. Si vacillant dentes ob arroſas radices, coquemus radicem lapatij acuti ex aceto; eo collue os, ac denti appone radicem. Vel coque alumen ex aceto. & puluis biſtortæ cum corallo. Albos reddit dentes puluis pumicis igniti vinóque albo extincti, tertióque ſine extinctione in puluerem vertitur: miſce quid ireos, aut calami, vel cyperi, aut nardi. Iam de Parulidibus, hoc eſt de phlegmone & abſceſſu gingiuarum. Adeſt his calor, dolor, rubor, pulſus. Cauſa eſt dolor putreſcentis dentis, vel Auſtrinus flatus. Gingiuas itaque *Gingiuæ inflammat.* ſi phlegmone occupat, pertunde venam brachij: mox linguæ & labiorum venas. Dein coque roſas & maſticen ex aqua, adde oleum: ore cōtineat. & ex poſca coque radices albi hyoſcyami, os abluat. Purgetur leniter. Et ſi dolor vrget, lac dulce contineat ore, & portulacam. vel admoue pulticulam paſſularum vel ficuum ex decocto althææ factam: vel ptiſanam admoue; & tremuli oui albumen, quod mihi ſæpe ſolatio fuit: vel decoctū althææ ore detineant; & cataplaſma foris ex radicibus althææ admoue, vel furfures ex aqua coctos. Cùm pus ſentis ſub digito fluctuare, pertunde phlebotomo. & mulsâ os colluatur, & ſirupo de roſis ſiccis cicatrix inducatur. Et initio ſi ſaniem fundat plurimam, illinatur ireos puluis cū melle. Gingiuæ ſi vlcere occupentur non valido, id *Gingiuæ vlcere obſeſſa.* lacte aſinino abluatur ſi feruet. deinde ſicca decocto foliorum quercus, & roſarum, balauſtiorum: adde interdum quid myrrhæ. vel alumen poſtea inſperge. Si malignum ſit, adde folia nicoſianæ. Si arrodantur *Corroſæ.* gingiuæ, his oleum feruens lanâ admouetur donec albeſcant. Vel accipe myrrhæ partem vnam: gallæ, vnam: fiat puluis. lauetur decocto ireos. Illinitur etiā ammoniaci exiguum. Si fiſtulam fecit arroſio, abluatur *Gingiua fiſtula.* decocto nicoſianæ, pimpinellæ, agrimoniæ, & aluminis. Si ita non compeſcitur, extrahatur dens vbi fiſtula ſuum focum habet. Multa gingiuarum mala mulcet mulſa, cui incoctæ ſunt ficus. Si immoderatè ſan- *Sanguinem fundentes.* guinē profundant gingiuæ, abluātur decocto aluminis & radicum hyoſcyami. vel inſperge parum colcotharis. id etiam deprimit luxuriantes gingiuas, additâ myrrhâ. Si flaccidæ ſint gingiuæ, lauentur aquâ *Flaccidæ.* alumine imbutâ. Si iam dudum gingiuæ in craſſitiē *Tumidæ.*

altam

aliam increuerint, labiorum & genarum partes munies linteo aqua frigida madēte, mox specillo molli, ab aqua forti madēte perstringes gingiuas, nam ilico albescent; tunc ilico alio specillo molli, aquâ frigidâ madente gingiuas refrigerabis.

Gingiua accidantur.

Atteruntur nonnūquam gingiuæ in tenuitam: Accipe farinam orobi, & puluerem ireos, & thuris; cum melle fiant trochisci, furno siccandi. In puluerem vertatur vnus, eóque leniter gingiuæ perstringantur.

Epulis.

Si verò Epulis adsit, hoc est, si nimium gingiuæ increuerint, coque gallas ex aqua nucum, eâ laua os. & insperge puluerem gallarum, & si quid in illis extuberet, id aquâ sulphuris absumatur. Si bis non cedit, vre, laua poscâ, absterge postea mulsâ, tandem claude sirupo de rosis siccis.

Anima fœtens.

Animam fœtentem efflant hi, quibus pepseos expertes succi effunduut ad caput prauos vaporea, ipsi homini ac astautibus molestos. Alia causa est, peculiarium oris partium à putredine cōtaminatio; vel spirabiles partes, aut stomachua huc facit. Hiera piera his solatio est. deinde aqua cinnamomi, eum grano mosci. Cæteri morbi curentur. Veteres, ad anhelitus fœtorem malabathri folium ore tenebant: nos iam ireos radicem ore tenemua. ditiores hoc, Accipe semunciam gummi tragacanthi, maceretur duobus diebus in aqua rosata; adde sanguinis draconis drachmas duas: in mortario contunde, & adde sacchari drachmas duas, & amyli sesquidrachmam, & mosci aquâ rosatâ soluti semiscriptulum Fortiter pilâ concutiantur, vt remixta sint cuncta. Tandē ex hac massa fiant granula esigua, instar hordei. vmbrâ siccentur. Vnum horum seminum ore retineatur. Colluat interdū os vino in quo cuxit iris & myrrha. In diæta vitet illa, quæ facilè putrescunt in ore & in ventriculo. & in vltimis ferculis abstineat ab omnibus pinguibus. Vtatur euchymis atque eupeptis cibis. In fine pastus edat pyrum, aut coronenm malum coctū.

Phlegmone oris.

Si inflammatum fuerit os, à prouisione habita totius corporis, initio vtemur sero lactis cum portulaca & pampinis incoctis; vel cum plantagine, solano, barba Iouis, lenticula palustri, cum diamoro. Vel succus lactucæ & portulacæ ore retineatur. Secentur linguæ venæ: & cucurbita admoueatur mento scarificato. Mala persica ore teneat Sed si durus tumor oris partes occupârit, qui alienus videtur à sanguine, nō erit pertundēda vena; sed melanagogis aluus ducatur. Et tunc lacte os fouebimus; vel decocto ficuum & fœnugræci. Vel coque furfures in aqua dum lentescat aliquantulum: colaturæ adde mel. id suppuratum vel es haurit, vel expuratum facit, postea purga succo nicosianæ. Si maximus calar adsit, fiat decoctum ex lactuca, bellide, semperuiuo, portulaca, violaria, malua, ficubus, hordeo, semine psyllij adde diamorum. Tumēti parti appone ficum.

Labia.

Si labia oris rubedine turgida exulcerentur, impone linteamenta tenera, à sēperuiui & solatri succo madentia.

Aphtha.

Aphthas Arabes Aikola videntur appellasse, Latini lactucimen. Sunt vlcuscula oris, non admodùm caua. Sunt plerumque subalbidæ. Frequentes sunt lactentibus pueris ex lactis corruptela, quam à lactante haurit, vel in pueri id ventriculo corrumpitur.

Causa.

Per febres eueniūt etiam, ab acerrimis vel putridis succis, vt bile, vel putrida à pituita & salsa, vel dum ex partibus spirabilibus, aut à ventriculo, per febres, acerrimus expirat vapor, qui sursum elatus, tenellulam palati tunicam exedit. Quædam harum sunt pepasmi capaces: quædā non nam hæ in nomas abeunt. his solatio est radix fœniculi in puluerē vsta, cum melle illita.

Signa.

Color, indicium dabit succi vnde sint nati; & etiā calor id testabitur. Melancholicæ, prauæ sunt: albæ, mites.

Curatio in pueris.

Infantibus facilè curantur. Nutrix purgetur, & vtatur lactuca, prunis, pomis coctis, hordeo, saccharo rosato, portulacâ. Si subflauæ sint aphthæ, pueri os rigetur sirupo violato cum diamoro, vel sirupo de rosis siccis, succo granatorum, interdum adde quid succi lactucæ, aut solatri, plantaginis, acetosæ, vel diluti balaustiorum, aut rhois obsoniorum. Si albescant, melli rosarum adde quid masticis, vel myrrhæ. Si nigrescant, adde farinam fœnigræci, cum decocto meliloti, & anethi.

In adultis.

Si ad florem ætatis deuenerint, varia remedia locum habent: nos vnum prodimus, quod mihi est instar omniū: hoc enim ilico aphthas abigit. Accipio nuces virides semimaturas, cum cortice, crasso modo frangantur, & aspergantur optimo aceto: distillentur in balneo. Accipies parum huius aquæ, cui immerges tenuem particulam spongiæ specillo alligatam: hac leniter absterge aphthas: & ablue spōgiam aqua puteali: mox repete bis vel ter. Dein abluat os aquâ frigidâ cum quarta parte vini albi. Corticibus his ac nucibus addi poterit interdū quid aluminis, ligustri folia, & oliuæ, sumachium, myrti folia.

Putrescentes aphthæ.

Si exulceratæ partes in putredinem abeant, Accipies gallas, cásque contusas coque ex aqua: colaturam iterum coq; cum melle, ad melleam ideât adde cornu ceruinum vstum. Vel coque succum ligustri cum melle: vel nicosianæ & pimpinellæ succum cum saccharo aut melle. Cardui benedicti succus etiam insignis est, mixtus cum eiusdem sirupo.

Lingua siccitas & asperitas.

Lingvæ siccitatem & asperitatem delet hoc: Accipe seminis psyllij vel cydoniorum drachmam: interdum iunge semen portulacæ, maluæ, althææ; eoque ex aqua violarum ad vncias tres: adde sirupum violaceum, & de ribes. Sumat subinde semicochlearium, quo riget os. abluat interdum os aqua frigida, in qua semina cotoneorū maiorum macerata sunt. Nutriantur iusculo pulli, in quo portulaca vel hordeum coxit. Accipe muccaginis seminis psyllij extractæ in aqua lactucæ vel violarum drachmam: sirupi violati vnciam, sirupi de ribes, semunciam: misce: lingat.

Columella inflammata.

Pendula illa in faucibus columella Græcis κίων & γαργαρεὼν dicta, hoc est columna, & gurgurio, interdum phlegmone occupatur. Hæc caruncula vel venereo malo vel acri catarrho interdum atteritur, ac cogit naribus loquelā reddi indecoro sonitu. Est spongiosa hæc caruncula, madore rigans fauces. Sed si nimio humore perfundatur, laxata, deglutitionem impedit. Cùm phlegmone obsidetur, anginæ quandam ansietatem adfert, vicinis partibus in contagium tractis. Causa est salsorum ac acrium esus, ac vini potentioris liberalior vsus, Auster, Sol, æstus capitis. Si à frigida materia sit, nulla rubedo adest, raucedo fatigat. Si phlegmone occupârit, à vena secta iniiciatur clysma: Accipe decoctum violariæ, furfurum, maluæ: adde oleum violatum ad vncias quatuor, hieræ vnciam, mellis rosati vncias tres. Insideat pedibus aquæ tepenti sæpè. Et, à prouisione habita totius corporis, de qua mox dicemus, foris, qua dolor est, iuxta guttur & aures, illitus fiat ex oleo violato vel amygdalino. Cùm sorbere possunt, dissolues cassiæ semunciam vel drachmas sex, cum duabus drachmis pulpæ tamarindorum in decocto pulli, imbuto hordeo, violis, papauere, & liquiritia. Inedia confert. A secta vena, & aluo abducta, cucurbitæ collo admoueantur: & linguæ venaa pertundere licet, ex Archigenis sententia. Nam hic est reuellendum, purgandum, deriuandum. Phlebotomia maximè solatio est: hæc enim, ait Aretæus, à suffocatione, tanquam ab iniecto laqueo liberat. Deinde collutiones fiant ex rebus astringentibus. Accipe plantaginis folia, vel rubi, quercus, aut viris, bellidis, rosarum semimanipulū: balaustiorū semunciā: dactylorū quinque vel sex: vel mespila aut corna totidem: sumachij drachmas duas: eoque ad libram: adde aquæ

solatri

solatri vel plantaginis semilibram: seminis psyllij vel cydonioru͂, seminis maluæ, cuiusque drachmam. rursus ebulliant: colaturæ adde diamori, vncias tres: & succi granatorum vncias duas: mellis rosati semunciam. Vel vtatur, ineunte morbo, decoctu malicorij & plantaginis, cui adde diamorum & succum granatorum, vel parum aceti. Successu temporis, vt tertio die, aliquid quod exhaurit admisce, vt semen lini, fœnugræci, cyperum, althæam: melilotum, chamæmelum. Tandem discute hyssopo, caricis, liquiritia. Si suppuratum facit, colluatur, quo erumpat, mulsa cum oxymelite scillitico. Expuratum purga decocto nicosianæ, cardui benedicti, & pimpinellæ, scabiosæ. Glutina succo eupatorij. Dianucum mirum in modum prodest. quidam initio diamorum & dianucum indunt aquæ plantaginia: vt libra accipiat vncias duas. vel sesquilibræ aquæ plantaginis incoquu͂t gallas duas tritas, cum semidrachma seminis psyllij: coquunt, & colaturæ adiiciunt dianuci vncias tres. Si grauis adsit dolor, collutio fiat tepido lacte, etiam statim ab initio vbi æstu cuncta flagrant: & lac papaueris vel ptisana, aut looch de papauere. Hæc ore detenta ægras tanga͂t partes. Omnia tepidè in os veniant. In fine inflammationis colluas fauces decocto origani, hyssopi, scabiosæ, glycyrrhizæ, caricarum: cum oxymelite, si viscosi adsint succi.

Laxata columella. Si propendat columella laxata ex madore qui è capite manat, phlegmagogis pilulis vacuetur. Hîc stringentes collutiones, & modestè, cum mollitie quadam, exhaurientes conueniunt. Et pulueres mirè prosunt. quamuis enim columella neruea sit, loco tamen quia habitat madido, validè humescit, vt doctè notauit Aretæus. Accipe aluminis vsti, boli, gallarum, cuiusque semidrachmam; cinnamomi vel zinxiberis, aut piperis scripulum, ex his contusis & cribratis fiat puluis subtilissimus. addimus interdum aliquid myrrhæ. Quidam solo vtuntur pipere. Conficiatur cochlear exiguum, longo manubrio: fiat ex argento, vel ex ligno, foueam habeat cui immitti puluis possit; quâ etiam columella excipi possit Non tame͂ totum illud cochlear puluere impleatur, ne excidat puluis. Æger non respiret eo tempore, sed renuiter expiret anima͂: alioqui quid pulueris in laryngem trahetur: vnde molesta tussis. Initio potius stringentibus meria vtemur: & deinde, cùm nullus metus est ampliùs grauioris influxus, ad calida illa veniemus; vt ad piper, origanum, hyssopum. Confert etiam puluis ex siccaria corticibus nucum iuglandium, & ex adustis ossibus dactylorum, aqua phyllitidis iuuat gargarisata. Interdum, cùm hæc cuncta non iuuant, veniendum erit ad aliquam partis columellæ excisionem. Quæ tamen vltra medium exscindi non debet: id enim perfectam loquelæ vocem corrumperet. Sed minimè festinandum est ad eius excisionem, primumque omni molimine & conatu studebimus, quò in naturam redeat. *5 Progn. 23.* Quare quid hac de re videatur Hippocrati, primùm vide. nam is, nisi strangulationis adsit periculum, id non agit. & cùm gracilescit in superiore parte, ad tenuitatem lori: tunc enim dicitur κιόνιν. Deinde ex sententia Mesue, qui insignem abscindendæ uvulæ modum tradit, colluatur locus aceto in quo coxit alumen & galla. cureturque vt vulnera oris.

Tonsillarum inflammatio. In faucibus loca illa quæ sunt iuxta isthmum, tonsillę Latinis, παρίσθμια Græcis dicta, interdum inflammantur. Ibi in fine oris, iuxta linguam vtrinque sunt glandulæ, quæ materias à capite pituitosas sanguini mixtas accipiunt, vnde phlegmone. Græci has glandulas ἀνάδας vocant, & etiam παρίσθμια, quòd iuxta isthmum positæ sint: barbari amygdalas nominant. Naturâ hæ glandulæ calent ac madent, vnde hi qui sanguine circumfluunt, his malia vexantur.

Curatio. Si moderata sit passio, eisdem, vt in gargareonis phlegmone, stringentibus collutionibus vtemur: absit tunc mel. Sed si adeò turgeant, vt periculum adferant, pertundatur vena cephalica, dein linguæ. Aluus laxetur. Cataplasma imponatur ex semine lini, hordei, fœnugræci, ne in pulmones labatur. Lacte tepido, cum sacchato gargarisetur. Si ab initio adfuerimus, cataplasmati remiscebimus nuces cupressi. Accipe nidi hirundinis vncias quatuor: pulueris nucum cupressi sescunciam: olei rosati vnciam: cum oxymelite fiat cataplasma Si verò postea accersiti fuerimus, ita agemus, Accipiemus farinæ fœnugræci, seminis lini, caricas, radices althææ: hæc teremus cum oleo chamæmelino vel anethino: interdum quid mellis adiiciemus; fiat emplastrum, quod, foris lateribus asperæ arteriæ adhibeatur. Fiat gargarismus ex diamoro, vel ex nucibus electario, Reuellit vehementer frictio brachioru͂. Cùm tande͂ constitit fluxio, deuenimus ad laxantia & discutientia; & decocto adiiciemus aliquid radicum cyperi, caricarum, origani. In declinatione, solâ aquâ mulsâ vtendum, vel ei incoque origanum. Commendat doctissimus Forestus meus hoc, ineunte morbo: Accipit plantaginis manipulum: florum rosarum rubrarum pugillum: corticum granatorum drachmas tres: gallas parum contusas, tres: bellidis minoris, manipulum: nucum cupressi duas drachmas: coque ex aqua ad libram: colaturæ adde dianuci vncias tres: fiat gargarismus. Postea adiicit maluam, violariam, althæam, ficus, glycyrrhizam, & passulas. Gargarismus ineunti morbo vtilis: Accipe foliorum plantaginis, portulacę, bellidis, violariæ, rosarum rubrarum, cuiusque manipulum: hordei pugillum: gallam vnam puluerisatam crassè: seminis psyllij vel cydoniorum drachmam: coque ex aqua ad sesquilibram: dianuci vncias quatuor: fiat oris ex hoc collutio. Deinde, eunte malo: Accipe foliorum maluæ, parietariæ, rosarum rubrarum, maluæ arborescentis, quæ maturæ vltrò cecidere, cuiusque manipulum: ficus quinque: passularum semunciam: coque ad sesquilibram: colaturæ adde diamori & mellis rosati, cuiusque sescunciam.

Duræ amygdalæ. Si duræ videntur tonsillæ, quæ diu fatigarunt, Accipe folia rapsi barbati, maluæ, parietariæ, cuiusque manipulum: scabiosæ, bellidis, cuiusque semimanipulum: ficuum sex: auricularum sambuci, vnciam: nidi hirundinis quartam partem: seminis lini drachmam: fiat decoctio ad sesquilibram: adde diamori & mellis, cuiusque sescunciam. Vngat tunc collum oleo amygdalino dulci cum croco. Et à collutione tale quid lingat, Accipe succi liuistici & mellis rosati, cuiusque vnciam: boli optimi drachmas duas: auricularum sambuci puluerisati drachmas duas: coque lento igne parum: lingat Quidam hoc restituti fuere, quibus diuturnus tumor ferè lethalis erat Bibunt quidam per caulem liuistici: iuuat.

Suppurata tonsilla. Si ad suppuratum vergere videntur, adeò vt discussionis nulla sit spes, vt expuratum quàm citissimè tunc fiat, studebimus. Coque ex hydromelite ficus, hyssopum, semen althææ, glycyrrhizam. Foris admoue cataplasma ex farina hordei & fœnigræci, cum decocto caricarum, althææ, & melle Cùm ad pepasmum ventum est, mollescit tumor, ac dolor placatur: tunc acrioribus collutionibus vtendum, vt suppuratum in expuratum abeat. vel digito, aut cerea exprimatur. noui qui decocto sinapi id peregere. Expuratum eluat mulsa: cui deinde incoque lenticulam & rosas rubras. Studiosè cauendum ne pus ibi restagnet, id enim vlcus sordidum faceret. Sæpè suppurari nequit, sed in scirrhum abit. tunc accipe aluminis drachmam: misce cum succo mali granati, parti admoue per manubrium satis longum: & lingua

deprimatur ſpatula. Cremor furfurom cum pauco melle,eluit pus. Lac etiam vlceratis faucibus commodum eſt:in eo extinguuntur carbones querni.Ego vtor lacte cum ſaccharo:mox cum melle:deinde cum bolo. Vlcera maligna tonſillarum his cedunt remediis. Miſce ſtercus caninum cum cinere centaurei minoris, adde mel:illinantur. Vel remiſce ſtercus caninum cum diamoro, ſirupoque violato, & ſaccharo penidiato: iunge parum ireos, ad graueolentiam fugandam. Si hument admodùm, adde ſuccum granatorum cum corticibus contuſorum. decoctum hypogloſſi, tonſillas,& vuam ſanat. Hirundinum cinis cum melle remedio ſæpe fuit. Siccantibus hîc opus eſt: nam os perenni madore humet:maximeque infernæ oris partes. Maligna oris vlcuſcula tange aquâ theriacali; adde quid aceti, & boli. Vel ablue decocto ſucci acaciæ. Si his inuicta ſint, remiſce parum ſublimati cum aqua plantaginis, tange ipſa ſolùm vlcuſcula. Rana eſt caro ſub lingua, quæ vltra dentes attollitur. Aperiatur ſcalpello vtrinque, in

Maligna vlcera Tonſillarum.

Rana.

dextra & ſiniſtra parte, quò humor albumini ouorum ſimilis exeat. Colluatur poſcâ cum exiguo adiecto ſale. Interdum pertunditur infra mentum. Sed antequam ad Sectionem venias, diſcute ac emolli. Accipe caricarum coctarum in vino dolci cum paſſulis, ita vt fiat cataplaſma.hoc tepidum ſæpe linguæ ſubdatur. Si phlegmone adſit, adeò vt feruidæ materiæ ſuſpicio adſit, cum dolore ac febre, rubore, pulſu: Duc caſſiâ aluum, ſeca venam, diæta accedat humida & frigida. Accipe radicum althææ coctarum ac contuſarum,paſſularum in eo decocto coctarum, ſingulorum vncias duas: linguæ ſubdatur. Adtereoni verò foris, hoc, Accipe roſarum, violarum, farinæ hordei, cuiuſque ſemimanipulum:pulpæ paſſularum vncias tres:radicum althææ manipulos duos:fiat cataplaſma: adde olei violati & amygdalini cuiuſque vncias duas. Si fiat gulæ apoſtema ex oſſiculo ibi fixo; rigetur os ſemper oleo: vel decocto radicum althææ, ſeminis fœnigræci, & lini. Tandem adde ſcabioſam & glycyrrhizam.

Gula apoſtema ex oſſiculo fixo.

DE MORBIS PECTORIS LIBER.

Editus poſt mortem auctoris, ab eius filio OTHONE HEVRNIO.

Illuſtriſſimo Principi

MAVRICIO,

PRINCIPI ORANGIÆ,

COMITI NASSOVIÆ, DITZII, VIANDÆ, CATTORVM, Moerſiæ, &c. Marchioni Veræ & Vliſſingæ: Gubernatori Gelriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Vltraiecti, &c. Præfecto Maris Belgici,

OTHO HEVRNIVS, *defuncti parentis nomine* IOANNIS HEVRNII, *dedicat conſecratque.*

QVÆ DE MORBIS PECTORIS *parens noſter pia memoria ſcripſit, Inuictiſſime* PRINCEPS, *etiam tunc cum ſcriberet animo tibi deſtinauit & inſcripſit. Eius conamen ab inuida morte interruptum nos pro parte noſtra, eius iuſſu, implemus, ad veſtram aram hoc opus ſuſpendentes. Nam ad quem, niſi ad te, Illuſtriſſime* PRINCEPS, *hoc iret opus? tua in hanc patriam, & nos omnes qui in eâ, merita, omnem gratitudinem à nobis erga te requirunt. Cùm enim viri boni officium ſit, vt ſe omnibus virtutibus affectum eſſe cupiat, tamen nihil eſt quod magis ſtudere debeat quàm vt & gratus ſit & videatur. Quare ex grato pectore, Inuictiſſime* PRINCEPS, *hoc tibi offerimus, patris noſtri nomine, donarium,* DE PECTORIS MORBIS: *nam tuo pectore, in quod tot Illuſtrium Generoſæ* NASSOVIÆ *ſtirpis Heroum, proauorum tuorum, virtutes confluxere, nos contra hoſtiles inſultus defendis. Tales tamque tua, Illuſtriſſime* PRINCEPS, *ſunt res geſtæ, quæ loquuntur quòd poſt natos Principes Ducesque te in bellis conſilio prudentiorem, fortitudine clariorem ſol non vidit, certè patria noſtra non habuit vnquam. Tu ad ſalutem Batauiæ, imò Belgij totius, natus. Bellorum incendio antea circumdati eramus, iam tranquillo in otio quiete fruimur. Intimos patriæ noſtræ receſſus antea bellum vrebat, nunc irritâ flammâ margines lambit. Hæc tua illuſtria, Illuſtriſſime* PRINCEPS, *geſta, pertinax poſteritatis memoria viribus æternis comprehendet. Quin præter hæc tua in Batauiæ omnes incolas merita, trahitur & ab alia ad aram tuam hoc opus catena: excellens nimirùm tua in nobilioribus diſciplinis peritia, & erga eas amore. Tanta enim tua, Inuictiſſime* PRINCEPS, *in Matheſi excellentia, vt iure*

dubi

dubitari possit Martis potiùs an Musarum alumnus censeri debeas. vt magni illius Romanorum Imperatoris Iulij Cæsaris vocem, Veritate applaudente, vsurpare queas:

Apud Lucanum lib. 10.

——media inter prælia semper,
Stellarum cælique plagis, superisque vacaui.

Sed non vltrà in laudum tuarum hoc campo proueher, nec ad intimos recessus penetro. Sed vt sacra cum silentio potiùs quàm plausu spectamus, sic tuas ego virtutes tuasque illustres res gestas: de quarum ne quid magnitudine orationis tenuitate deteram metuo potiùs, quàm eas me verbis exæquare posse confidam. Hoc igitur manu serena fronte, Illustrissime PRINCEPS, *excipe, tanquam animi cultusque* HEVRNIANÆ *familiæ erga te pignus: quod illa nomine* I. HEVRNII, *olim (ô fatum durum!) patroni sui, fidissimique* EXCELLENTIÆ *vestræ Medici, tibi dicat & consecrat: rogans vt vltimas has eius reliquias eâdem benignitate amplectaris quâ ipsum viuentem solebas: easque Illustri tuo tutelari numine contra maligni liuoris dentem defendas: & benefico tuo fauore, nunquam ab Illustri* NASSOVIA *stirpe indignis negato,* HEVRNIANAM *familiam foueas & erigas. Deus Opt. Max. Illustrem* EXCELLENTIAM *vestram ad veræ Religionis tutelam, Prouinciarumque confœderatarum incrementum ac gloriam æternùm incolumem tueatur. Ex Academia Leida in Batauis, Anno* CIↃ. IↃC. CII.

CAPVT I.

DE ANGINA.

Nomen.

SYNANCHE nomen à suspendij similitudine habet, quòd non aliter atque laqueus præfocans interficit. Nam, vt autor est Suidas, ἀγχόνη, cum accentu in penultima, restis, id est, laqueus: ἀγχονὴ verò actû ipsum denotat: vnde Græci anchonas, inquit Cælius Aurelianus, suspendia vocàrunt. Siue quòd synanche spiritum continendo, spirationem neget. Nam Græci συνέχειν continere appellant. Alij verò cynanchen vel lycanchen hanc passionem vocauerunt, à canibus & lupis: siquidem, ob ingluuiem, frequenter hæc animalia afficit. quorum etiam similes voces siue vlulatus in hac passione constituti, cùm præfocari cœperint, emittunt. Quin, instar horum animalium, interdum ob phlegmones magnitudinem linguæ, etiam & maxillarum, linguam extra dentes proferunt. Latinis Angina, ab angendo dici videtur. præceps enim & anceps hoc vitium est, ac quasi laqueo iniecto homines enecans.

Definitio exquisita anginæ.

Est autem vera Angina, dolorifica strangulatio & orthopnœa, quam facit phlegmone musculorum propriorum laryngis, à rheumate acri & tenui concitato è capite, ad venulas vsque laryngis, vnde prohibetur aditu spiritus, quem ducendo viuimus, & fumidus vapor exitu. Dico me hîc definire verã anginã, quæ phlegmones est soboles.

4. loc. aff. 3.

Alioqui cùm fauciũ gulęque partes adeò insurgunt tumoribus, vt summę gulę gutturisq; partes quasi ab his occludãtur, spiritus & alimenti vias ferè intercipientes, etiam anginæ vocantur. Etenim παρίσθμια, hoc est tonsillæ, hoc sæpe faciunt. ab Isthmiis ludis verbum, quod adagioni locum dedit ἰσθμιάζειν deducitur, quo non optimè valentem vitam ducere significant Græci. puto quòd Isthmiorum ludorum tempus esse ἐπίνοσον, morbidum & pestilens, ob confluentem Græcorum multitudinem.

Ἰσθμιάζειν quid.

De his iam non ita agimus, sed maximè de vera Angina: qui enim atrocissimi huius morbi medelam nouit, facilè etiam mitiorem abiget. Dixi in definitione, hanc esse dolorificam strangulationem. nam est spiritus compressio, vt rectè scripsit Aretæus, ab oppressione laryngis & œsophagi. Tale malum sæpe orthopnœam iunctam habet. Dixi esse phlegmonem musculorum laryngis propriorum. nam hæc angina est peracutissima, alioqui etiam alij laryngis musculi, qui communes dicuntur, &, vt ait Aretæus, tonsillæ, epiglottis, columella, fauces, summa pars asperæ arteriæ, lingua & maxillæ cùm phlegmone occupantur valida, etiam anginam adferunt; sed non tam præcipitem. Dixi, vnde prohibetur aditu spiritus. nam larynx vel epiglottis clauditur tumore ac opprimitur. Hæc clausio est hîc morbus; causa eius est tumor phlegmonodes: propterea huc cuncta remedia diriguntur, vt nimirum id, quod comprimit vel occludit laryngẽ abigatur. Dixi à rheumate acri & tenui. nam pituitosa effunduntur *5. Aph. 16.* ad gulæ solùm vasa: sed biliosa ad gutturis etiam vasa. sunt enim angustæ venæ laryngis, id est gutturis: at gulæ venæ, sunt latæ. Et quia à rheumate nascitur, propterea subitò ingruit hoc malum. Hæc de definitione.

CAVSAE.

Morbus hic est angustia laryngis, & vnà œsophagi. Hanc verò facit phlegmone harum vel vicinarum partium. Nascitur autem hæc phlegmone ex concitato rheumate plerumque acri & tenui, sanguineque à bilioso, & etiam à pituitoso. Sed exquisita angina est à bilioso sãguine, indeque nascitur *4. De caus. puls. 2. & 3. acut. 22.* inflammatio erysipelatodes, vel erysipelas phlegmonodes. Irruit sanguis à toto capite & è ceruice, malũ nostræ regioni frequens. Cùm enim mera phlegmone ibi in vitio est, à iugularibus tunc magna sanguinis irruit copia. & Galenus asserit, omne rheuma, quod author est anginæ, à capite ad iugulares venas *4. acut. 30.* ferri. Atrocissima autem angina nascitur à sanguine bilioso, sobole ardentioris hepatis. Sed illud obseruabile, Anginam generaliter sumptam Hippocrati significare quicquid strangulandi vim habet.

Quid Hippocrati Angina, & quotuplex.

Atque eidem tres anginæ sunt species; prima in strangulatis laqueo, de qua secundi Aphorismorũ, quadragesimo tertio. Altera à luxatione vertebræ ceruicis, in anticã vel posticam partẽ, vel in latus alterutrum: vertebræ inquam primæ & secundæ, quibus maximè dorsi medulla comprimitur. Tertia est ab inflammatione, de *2. Epid. 2. in fine.* qua hîc loquitur: hoc est, à tumore præter naturam, cum rubore, pulsu, & cæteris talibus, à sanguinis synceri aut biliosi affluxu. Cuius quidẽ ratio multiplex est, à causa, essentia, parte & accidentibus. Quia aliquando incidit ab orgasmo, vel attractione, vel exclusione partis quæ continet, in eam quæ continetur. Materia aliquando est crassa, aliquando tenuis. Si crassior fuerit, in faucibus ea consistet. Hinc est quòd Hippocrates asserat, hybernas anginas esse longiores, autumnales verò & æstiuas esse breuiores: Quòd *4 acut.* hæ superatis faucibus, in interiores venulas, materiæ suæ tenuitate penetrauerint, quæ laryngis musculos alunt. Hæc autem, quæ ab inflammatione incidit Angina, Hippocrati est triplex: vna laryngis, quæ maiorem spirandi adfert difficultatem, & propriè dicitur Hippocrati κυνάγχη: est inflammatio duodecim propriorum musculorum laryngis; & est insanabilis. eius signum pathognomonicum est orthopnœa cum valido dolore, sine calore, colore, & mole præter naturam apparente. Altera, faucium, quæ glutiendi maiorem difficultatem adfert, quàm spirandi, & dicitur propriè Hippocrati συνάγχη. Tertia est inflammatio exteriorum faucium: cuius signum est rubor in ceruice & sterno. Alias tum Æginetæ tum aliorum distinctiones ridet Galenus multis locis. Nam vt materia fuerit tenuior vel crassior, ita duplici ideâ

4. loc. aff. 5. & 4 aph. 39. acut. 20, 6. Epid. 7. 2. Epid. 3. & 4. Aph. 13. & 3. prog. 20. 3. aph. 22.

enascuntur anginæ. De recentiorum tamen distinctione, mox paucis transigam. Anginæ biliosæ maximè proueniunt autumno: quòd acerrima tunc tenetur bilis, quæ genita erat per æstatem. at pituitosa, vere fit, quia hyeme genita, tunc mouetur & in musculos ceruicis ruit. Auicenna asserit ex pituita calida (nimirum salsa) eam gigni interdum: quin & ex frigida; scilicet insipida, cùm putrescit pituita: &, quamuis, inquit, hoc quidam negarunt, ex melancholia.

Notha angina.

Notha angina est citra phlegmonem: cùm fluit quidem ad laryngem pituita, sed non adfert phlegmonen. quin hæc nascitur interdum à crasso pituitosoque nutricatu duodecim musculorum laryngis propriorum: nam hi indurescunt, ac laryngem premunt: hoc etiam fit à causis quibus arescit guttur. hoc malum interdum integro durat anno. Et à colli luxatis vertebris notha angina prouenit, si inflammationis sit expers luxatio.

1. Prorrhet. 2. 55 & 4. aph. 35.

Colli autem vertebræ inflammationem adferunt, quia laxatæ sunt: vel luxantur, quòd vicinæ illis partes inflammatæ sunt, nam dolor in se trahit rheuma. Luxantur itaque, tractis in sympathiam, faucium inflammatarum, neruis & ligamentis: aut communicato tuberculo. Et in hac inflammatione, fouea

3. aph. 26.

apparet in ceruicis postica parte. Rara est hæc anginæ species: vix eam videas nisi in tenera ceruice præditis, vt pueris, dum durius à nutrice tractantur. Galenus quarti Aphorismorum trigesimo quinto. Cùm, inquit, nihil apparet, nec deglutire potest, symptoma id perniciosum est, ob inflammationem musculorum stomacho substratorum: interdum ob stomachum ipsum. Anginæ occultæ causam referebat Archigenes ad affectum neruorum qui ad stomachum deferuntur, cùm calidâ salsaque fluxione occupantur.

Externa causa.

Occasionem à foris interdum habet, vt si quis sub Ioue frigido somnum ineat. hoic nonnunquam subitò faucium viæ intercipiuntur, rapim ab expressa materia è iugularibus venis. nam, vt author grauissimus scribit Aretæus, refrigerationes magis, exustiones minùs in causa esse solent; frigidæ potus, ebrietates, saturitates. Prouenit etiam à nimia vinolentia, vel niuis potatione, aut exclamatione vehementi, quam monotonon vocant Græci, vel etiam ex acrioribus cibis præter consuetudinem acceptis. Id etiam possunt feruentia & ignita medicamenta pota, purgatio per elleborum prouocata, menstrualis purgationis retentio. A fungis etiam, & à venenis siccandi vi præditis, ab vua taminia, & solano maiori. Solanum id Itali vocant *Herba bella donna*. sanè huius baccæ deuoratæ, & ipsa radix,

Herba bella donna vis mira in parasitos.

bac vi strangulandi pollent. Et ioci causa parasitis exhibetur radix his, qui ad lautas mensas etiam inuitis dominis accedere solent in aula: quæ res oblectamenti non parum conuiuantibus adferre solet. Siquidem si cultello derasa, scripuli pondere in vini sescuncia maceretur, horis ad summum duabus, & deinde percolato diluto ac digitis presso. id vini recentis addatur quod poculum repleat, totumque potandum propinetur, fit paulo post vt qui biberint, nihil prorsus edere possint, magno spectantium oblectamento. Verùm qui hoc fuco vtuntur, priusquam mensæ assideant, parasitos ad ientaculum inuitant, vt fucatum vinum propinent. Discutitur fucus, à risu, aceto potui dato: id enim præsentaneum antidotum est. Sed ne quid nimis: nam copiosius sumptum strangulat. Aconitum sumptum strangulat. Cerasorum largior esus postrema in mensa, anginam adferre potest. Præterea ictus, aristæ faucibus hærentes, acus, ossiculorum ad fauces adhæsus. Magis affligit viros quàm mulieres; magisque iuuenes quàm alios: nam hi tenuioribus circumfluunt succis.

Differentia à loco affecto.

Differentiæ anginarum maximè petuntur à loco affecto, & causa afficiente. A loco affecto, Nam peracutissima ac vera angina hæc est, quæ nascitur ex duodecim propriorum laryngis musculorum (qui efformandæ voci dicati sunt) phlegmone. In hac, nec intus, nec foris rubor aut tumor notari potest: & tamen promptè enecat. Et hæc videtur ea anginæ species de qua Aretæus, vbi collapsionem adesse inst tumentorum ait, & strangulationem vehementem: vt ipsismet in pectore latentibus partibus circum cor atque pulmones abdita esse inflammatio videatur.

Aretæi anginæ mirabiles lib. 1. de causis & signis acutorum 7.

Et συνάγχην hanc propterea dici ait, quasi σῶ διώκειν ἔσω καὶ ἄγχειν, hoc est interius vergentem & angentem. Ego verò existimo, inquit, solius spiritus id vitium esse, ad calidissimum siccissimumque conuersi, nulla corporis parte inflammatione laborante. Id autem mirandum non est: nam in Charonæis strangulantur, citra vllum corporis affectum, acutissimi contingunt. Imò vel vnica inspiratione, priusquam corpus aliquod maleficium contrahat, moriuntur. Quin etiam & à rabido cane, qui in faciem, dum spiritus adducitur, tantummodò inspirauerit, & nullo pacto momorderit, in rabiem homo agitur.

Historia.

Ego sanè phreniticum iam phanaticum redditum, qui septem diebus μανικῶς καὶ τεγγῶν intuēs quosuis inuadebat, à satis secui, nec vllum vsquam phlegmones vestigium deprehendere potui. Corpus hoc athletico erat rubore & habitu; constantisque ætatis, vini vsu rigatum calore. Sunt itaque Aretæo duæ anginæ species. vna cum tumore ingenti ac rubore tonsillarum, & foris versus: quin etiam interdum, inquit, lingua, gurgulio, cæteræque partes in tumorem efferuntur. Altera efficitur, illis locis collapsis: sed interiùs compressio maiore strangulatu discruciat, vt interna inflammatio ad cor vsque pertinere videatur. Sæpe dubitaui num illa symptomata, quæ de occulta illa angina narrat Aretæus, oriantur ab inflammatione eius nerui, profectò magni, qui enatus ex vertebris colli, ac per pericardium elatus, vnà cum illo pericardio diaphragmati implantatur. Sciunt enim illi qui anatomica tractant, pericardium & diaphragma consocialia & iuncta adeò esse, vt vix dicas, num hoc ab illo, vel num pericardium a diaphragmate nascatur Adnexio vel symphysis illa pericardij ad diaphragma, æquat quatuor digitorum ferè amplitudinem, ad sinistram si ab osse sterno abeas; & ab ipsa ossis sterni superficie si duorū digitorum latitudine deflectas. Hinc, valida illa symptomata nasci posse quis dubitet: Talis antiquorū medicorum anginæ distinctio erat. Imò, inquit Trallianus, antiqui medici omnem circa gulam phlegmonem, siue intus, siue à foris, suffocationis metum adferens, synanchen nominarunt.

Recentiorum distinctio.

Paulus verò, Actuarius, & cæteri neoterici hoc modo interstinguunt: Si interni musculi laryngis inflammantur, κυνάγχην vocant illum affectum, si exteriores, παρακυνάγχην. Si internæ fauces inflammentur, συνάγχην nominant; si exteriores, παρασυνάγχην. Latini omnes has species vna voce Anginæ exprimunt. Quamuis autem exquisitissima angina illa est, cùm duodecim proprij laryngis musculi phlegmone occupantur; attamen cùm cæteræ in faucibus & ad laryngem, asperam arteriam & œsophagi superioris positæ partes omnino inflammantur, anginam etiam non exquisitissimam adferunt. Ita œsophagæus musculus, qui, circa laryngem, œsophagum ambit, deglutitioni opitulans, ac vtrinque nectitur scutiformis cartilaginis lateribus. subditurque vnà cum œsophago, quem ambit, asperæ arteriæ; hic, inquam, si inflammetur, calamitatem adfert, deglutitionem enim nullam admittit. Quin ad latus scutiformis cartilaginis,

nis, foris spectans, glans sita est vtrinque pollicis magnitudine, incipiens à capite asperæ arteriæ, totum latus laryngis, & œsophági ibi positi partem, regens, hæc si phlegmone occupetur, anginam etiam proferet, sed non adeò funestam: quò enim longiùs abest à larynge, eò securior. ab his in faucibus tumor & rubor apparet. Aliæ prætetea sunt quædam glandulæ intùs in faucibus positæ, vtrinque ad latus gargateonis, antiadas & amygdalas appellant; vbi magna inflammatione tentantur, anginam faciunt. Tertium etiam genus quoddam est glandularum, quod sub inferiore maxilla faucibus apponitur: & vsque ad autem pertingunt, & spacia illa replent. Appositæ sunt hæ glandulæ vtrinque illis musculis qui (vtrinque vnus) oriuntur à clauicula & circa os pectoris, duplici nimirum initio, & inferuntur vtrinque in os mastoïdeum. hic ad clauiculam tendinem habent latè se pandentem. optimè hic depingitur in Plantinianis tabulis à Valuerda editis, pagina trigesimâ nonâ, litera A notatus. foras vergunt his concepti affectus. Quin aspera arteria, inquit Galenus, inflammata strangulat, ob tunicæ eius tenuitatem. Veram anginam simplici nomine vocat Hippocrates κυνάγχην. alteram illam, quæ est communiū musculorum laryngis, ἰσῦ: παρα κυνάγχην: & hæc degenerat in pleuritidem; vera autem angina, in pulmoniam. Altera hæc Hippocratis, est ex communium musculorum laryng.s; prodit se rubore in ceruice, & in sterno interdum. Aurelianus hæc breuiter ita interstinguit, alia est sine manifesto indicio, alia cum visibili & manifesto, alia intra oris spacium, alia exteriùs, alia ex vtroque. A causæ efficientis varietate etiam variæ differentiæ ducuntur. sanguis enim qui hunc tumorem facit, modò bilescit, modò pituitescit. sanguinea ac biliosa materia, exquisitam anginam facit: pituitosa, veram Varia est etiam ex eius motu. Scribit Hippocrates aliquam anginam quarto die internecionem adferre. hæc peracutissima est. Sed subdit, hunc diem interdum ab angina superari: nam excurrit ferè ad septimum: diciturque peracuta. Quin vltra septimum nonnunquam abire hanc affirmat: appellatur hæc acuta. Propterea scripsit Auicennas hanc interdum proferri in 40. diem. Propterea Aurelianus scribit hanc passionem esse celerem. vehementem, acutam, & sæpissimè continuam: & aliquando intercapedinatam. Iam ad signa eius veniamus. Hæc in genere, anginam adesse probant: vel distinguunt eam à similibus passionibus: vel monstrant vt differat vera angina à notha: aut quænam eius sit species aperiunt. In genere, inquit Aurelianus, querela adest sine vlla ratione, & difficilis motus colli & gutturis, saliuatio plurima, difficultas transuorandi liquoris soliti. Cùm peius increuit, linguæ vltra dentes ad exteriora prolapsio. ariditas faucium. sedendi cupiditas, locutio confusa, cum dolore Spirandi & deglutiendi maior minorque difficultas, pro affectus magnitudine: nam in omni angina aliquomodo hæc percelluntur ambo. Et dolor etiam adest in vera angina, nam phlegmone iungitur. Cùm verò à duritie musculorum, vel à pituita sine phlegmone concipitur, doloris est expers: nam non violatur vnio partium; quæ violatio, omnis doloris causa est. Facies, inquit Aretæus, inflata est, & rubicunda, oculi exerti rubent: in vera angina, tensionem sentiunt, inquit Actuarius. Sed vbi huius sedes sit, iam timemur, & quænam phlegmone obsessæ sint. Si inflammata fuerit aspera arteria, respiratio maximè fatigabitur, minùs deglutitio, quamuis hæc etiam ægrè officium suum præstabit, nam œsophagus asperæ arteriæ subest proximè, & vndique eam tangit. Cùm verò ad œsophagum vergit plegmone,

Massoidei musculi. *Hippocratica distinctio.* *A causis efficientibus.* *A motu.* *Signa* *In genere.* *Vbi sit.*

deglutitio maiori molestia peragetur. Cùm interni, hoc est duodecim laryngis musculi fuerint inflammati, nihil apparet, nec foris nec intus vlla coloris aut molis mutatio: nam phlegmone non ferit has quæ foris sunt partes. oculi rubent, & vertuntur: ac his qui strangulantur, vox impedita nihil significat, hiant operto ore, & linguam exeruut, audiunt obscurè, iactant se. dolor acerbissimus adest; sed, inquit Aretæus, strangulatione vexati, eum obscuriùs sentiunt. pectus & cor ardent. frigidi aëris desiderium adest, nec aliter, quàm recta ceruice spirant, spiritus sublimis, inquit Hippocrates, hoc est. cum summa difficultate attrahitur, elato thorace, pansisque omnibus eius musculis opemque ferentibus: attamen admodum exiguum inspirant. collapsio, gracilitas, pallor comitantur, oculi concaui, fauces & gurgulio retracti, tonsillæ subsidentes, vocis priuatio, eodem die, inquit Aretæus, moriuntur. Et hæc est biliosa vel sanguinea: nam sanguis pituitosus aut melancholicus, ad paruas illas laryngis venas abduci nequit. Si inflammatio consederit in externis laryngis musculis, foris calor & color ruber id significabunt. Dolor quidem acerbus aderit, non tamen tantus, quantus est cùm proprij eius inflammantur musculi: nec ita anxie respirant. ante octauū diem hi non solent enecari. æger tamen non rectè loquitur: excurrit interdum in decimum quartum diem. Si glans illa magna, quam vtrumque externum latus laryngis sortitur vnam, inflammetur, mediam quandam anginam faciet inter hanc quæ musculorum est propriorum laryngis, & inter illam, quæ occupat musculos eius communes. tumor aliquis deprehendi poterit, at parum ruboris. Nun tantum periculi hæc habet, nam hæ glandes prope absunt à faucibus, ita vt in has transfundi materia possit. Si fauces internæ ad œsophagum inflammantur, maximus comitabitur deglutiendi labor, respiratio non tam ægrè ducetur. potus etiam hîc per nares remeat. & à depressa lingua fit tumor conspicuus. Rectè hoc Rases, modò grauior, modò leuior est angina, pro transgluriendi respirandique difficultatis magnitudine. His itaque iam dictis symbolis locum ægrum deprehendimus. Iam videamus quibus notis venemur causam efficientem hanc angustiam. Si fuerit notha angina, à pituita enata, non aderit dolor, nisi eo tempore cùm deglutitioni operam dant: color erit albus, sapor salsus; viscositas rigat ora, nec valida febris fatigabit: imò interdum febris erit hîc morbus expers. Cùm vera est angina, eaque à sanguine nata, atrox fatigabit dolor, sapor aderit dulcis: oculi, facies, & lingua rubebunt: interdum sulemnis euacuatio supprimitur; corpus irriguum est à sanguine: victus vberrimus in sanguinem: pulsus plenus & vndosus: venis sunt amplis. Maior hîc dolor fatigat, quàm cùm bilis hoc facit irruens namque sanguis tendit nimium, ac violenter vnionem violat partium. quæ sola violatio dum est ἐν γένεσι, author est dolorum omnium. A bilioso sanguine profectum hoc esse malum, denunciat mordens vehemensque dolor: amarus adest sapor, color flauescit in homine illo. nihil tumoris elucet; tota victus ratio, ætas, tempeties, regio in bilem conspirant. Hæc materia biliosa author est erysipelatis phlegmonodis; ac facilè peruadit partes, siccat, loxat, strangulat. Si fuerit à melancbolico sanguine, aderunt succi melancholici notæ, color nigricans, sapor acidus, dolor stupidior. Sæpe in cancrum degenerat. hoc maximè fit in puellabus melancholicis, quibus resflui sunt menses. Nuper tres vidi. duas puellas, & vnam senescentem iam ferè, nuptam. Nigredo quædam ad epiglottida ferè apparebat. nupta præ

Signa causarum efficientium. *Historia.*

glutiendi difficultate periit; aliis exedebantur œsophagus ac musculi sterno-byoidæi, ita vt cibus per anteriora proflueret. ac excesis iugularibos bæmorrhagia interiit earum vna, altera sensim extabuit. Nonnunquam dolor perennat toto anno: id non ab angina vera est, sed à scirrhoso tumore frigido, pituitoso, phlegmones experte. Talem hîc fœminam vidi, quæ deglutite non potuit: quod illi letale fuit. Pestilens interdum febris causa est anginæ, peripneumoniæ, parotidibus iunctis, non absque lipothymia. Cùm mitescunt symptomata absqoe exeretione, & dum excurrit malum vltra quartum diem, pleramque abit In suppuratum. vt euenir in pituitosis, dum foras nutat tumor. Perspecta ex mali natura, notas abigendi hoc colligemus. Hæc coarctatio causam habet

Indicationes curatiua. prementem materiam. Hæc autem vel influere iam incipit, vel iam influxit; aut partim influit, & partim influxit. Ratione materiæ fluentis, nascitur Indicatio eam reuellendi, & reprimendi modestè: ratione verò influxæ materiæ, eam exhauriendi. Sin partim influit, partim verò iam influxit, vtraque remedia locum habebunt mixtim. Sed cautio tamen adsit, ne validè reprimas, ob vicinas nobiles partes, & meatuum, qui ibi sunt, periculosam (quæ inde nasceretur) occlusionem. Sed, cùm hoc malum ab influxu materiæ nascatur, studiosè prouisio habenda est de toto corpore. Quo modo fiat ea excursio, præclarè docet Galenus secundi De Differentiis febrium decimoquarto. Sed antequam ad medelam pergamus, perpendemus num remediabile sit malum. quare iam

Prognosis. quid suadeat Prognosis perpendamus. His indicationibus non facilè satisfieri potest: nam summa est vis huius mali; etenim respiratio, quà vita carere nequit, maxime affligitur. Monet Aetius, in ea mitescente interdum discrimen esse. translato succo morbifico ad pulmunes, vnde inexspectata mors. Hoc accepit ab Hippocrate, qui ait: Si cynanche euanescat; (sine signis & sine crisi; quæ nimirum cynanche constitit in communibus & externis laryngis musculis,

Quæ parenthesi non includuntur, sunt Hippocratis verba & etiam in faucibus) nullo erysipelate foris exorto: (exclusâ materia, robore naturæ, à larynge in ceruicem & sternum. sed vide ne te fallat efferá bilis, quæ eò prorepit, nec abit eius pars à larynge: hoc δύσπνοια & δυσφορία in ducendo spiritu dicent) nec exscreato

** Facilè & indolenter.* pure * πρηέως καὶ ἀπόνως: (nam hoc est sine crisi euanescere. his restituitur quidem libertas degluriendi, sed suspecta sua buna habere debent:) neque diebus criticis (nam exeretione hic tumor residere debet, aut certè metaptosin habere debet ad ceruicē & pectus, idque diebus criticis.) mortifera est: (translatis humoribus è faucibus in laryngem, vnde cita mors, eodem ipso die quo hoc euenit, interimens. nam hæc angina, primigeniâ verâ crudelior est, ac citatiore morte funesta) nonnunquā in empyema tamen abit. Nam, inquit Hippocrates, erysipelas intus foras conuerti, cùm nimirum relicto priore foco, à naturæ vi expellitur, non autem à perenni affluxu humoris noui, superstite priore morbo) commodum: (nam vindicatur ab iniuria larynx & œsophagus:) at foris intrò, mortiferum: (nam spirabilium partium pectoris œconomiam labefactat, ac vsum earum intercipit, vnde cita mors venit; & in larynge tamen effera vis manet materiæ morbificæ acris ac tenuis, vnde noua attractio) tunc enim pectus opprimitur, ac difficiliùs spirat æger. (Quare suppuratio aspectabilis tollit omnem suspicionem palindromes.) itaque sine tumore, aut expectorato benè procedente, erysipelas aut rubor si euanescat, malum. Tribus autem de causis intrò recurrit, aut materię malignitate, quam contraxit primo foco, vel eo loco in quem decubuit: vel empyeumate superstite in internis partibus: aut chirurgi, adhibentis repellentia, inscitiâ: His modis sine euacuatione euanescit: nam per ἄλλην διάπνοιαν subitò nō exhauritur tumoris materia. Vt autem locus inflammatione obsessus facilè, aut non ita facilè spirationem intercipit, ita variè pericula & securitatem denotat. Præterea vt materia morbifica fuerit contumacior ac tenuior acriorque, ita plus periculi aderit. Videamus ergo & explicemus Hippocratis sententiā de locis his obsessis inflammatione. Is ita, Anginæ *3. Progn. 16.* terribiles maximè sunt illæ, celerrimeque hominem de medio tollunt (interceptione respirationis) quæcumque in faucibus nihil, neque in ceruicibus aspectabile relinquunt (inflammatis nimirum duodecim propriis laryngis musculis: quorum venulas, superatis faucibus, subtilissimus acerrimusque subit humor. Nec aspectu inflammatio sentiri potest, ideoque curatu est difficillima, nec etiam inde facilè quid expoi potest. nihil mutatū apparet in colore, calore aut mole) Sæuissimos autē hæ, inquit Hippocrates, dolores excitant, (quia isti musculi acerrimo sunt sensu præditi: & magnitudinem phlegmones denotat talis dolor:) & suspiriosos anhelitus (ita vt non nisi recta ceruice spiritum ducere possit, ob summam laryngis angustiam, decumbendo enim opprimitur larynx iam in angustum adacta ob phlegmonem) tales autem eodem ipso die quo inuaserant strangulant, & secundo, & tertio, & quarto. ad summum quinto die, quod anginosæ mulieri euenit. quasi dicat, peracutum malum, vt quod primo quaternario finitur. *3. Epid. 2. 7.* Huius tria ponit signa: fugiens conspectum, doloris vim, & orthopnœam. Quæ verò anginæ cæteræ, partem doloris vim adferunt (obsessis inflammatione musculis faucium, æquali sensu præditis) sed tamen intumescunt, inquit Hippocrates, & fauces rubore suffundunt (quòd earum materia crassior sit, à materia nitrosa catarrhali, & consistat in faucibus, nec tāta sit difficultas spirandi, sed deglutiendi maior.) perniciosæ quidem valdè sunt illæ (doloris acerbitate, à perenni catarrho nitroso è capite fluente: & tandem successione veræ cynanches per transitum. Sic enim periit Bythonis cynanchica quinto die: quæ priùs verè non erat in rubore ceruicis & sterni: ἀπέθανε, inquit Hippocrates, κυναγχική.) sed tamen diuturniores *3. Epid. 2. 5.* iis, quas iam descripsimus: (nā non tam cita iis venit mors, nec semper omnino conclamatum hîc est. Nam sputo purulento multo & transitu materiæ purulentę ad ceruicem & pectus, multi sic anginosi morbo defunguntur. Quinetiā medicinæ locus est detractione sanguinis è brachio, sub lingua, clysmis, gargarismis, litu, lapso, cucurbitulis Quod Hippocrates faciendum præcepit, ipseque adeò factitauit. Diuturniores *4. lib. acut. & 6. Epid. 7.* sunt hæ anginæ: quòd nō tam in propinquo mors est deglutiendi vacuitate, quàm respirandi.) præsertim si fauces insigniter rubeāt. (ex quo significatio fit crassioris materiæ quæ in faucibus substitit, nec laryngis venulas subire potuit. Rubor est argumentum materiæ quę in venulis faucium substitit. Si tamen hic rubor nō sit à propagatione eò morbificæ materiæ, manente priori foco in propriis musculis: nec fiat metastasis, fauciū inflammatarū, ad ipsam laryngem: nā hi eodem die moriuntur. Vt hæc suspicio absit, dicit Hippocrates hîc, Ἢν τὸ ἐρύθημα μέγα γίνηται: hoc est, si maior assurgat tumor & rubor, hæc itaque vox tollit omnē τῆς ἐπιγινομένης καὶ τῆς μεταστάσεως suspicionē) At verò, inquit medendi præceptor, Quibuscūque vnà fauces & vnà ceruices insigniter rubent, (non per propagationē causæ morbificæ, sed per citā exclusionem ictus foras, non expectata inueteratione morbi, quæ facit corpus infirmum, fauces primū à catarrho sorbent & tument. Ceruix rubet per diadochen erysipelatis ad musculos qui à ceruice feruntur circūplectentes

ctentes gulã, ad latera cartilaginis scutiformis,) huiusmodi, inquit, anginæ sunt diuturniores: (quia toleranter feruntur, nec tantus in degluriendo labor, ac penè nullus in respirando, nec tanta doloris crudelitas, quæ & citò vires exoluat, & citam miserámque adferat mortem. Ipsa verò erysipelatis materia mansuescit pepasmo & expurgatur: modò per epigenesin non oriatur ceruicis & sterni erysipelas, vt in cynanchica illa Bythonis: sed per metaptosin firmam & stabilem intus foras, quæque nullam habet palindromen foris intrò. Sed quòd materia iam translata sit in partes exteriores, & quòd in promptu hîc sit curatio. Tres enim, vt hoc obiter repetam, sunt Hippocrati anginæ species ab inflammatione: vna, quæ est inflammatio duodecim propriorum musculorum laryngis; & est insanabilis. Eius autem signum pathognomonicum est orthopnœa cum valido dolore, sine calore, colore, & mole præter naturam. Altera est inflammatio faucium interiorum. Tertia, de qua hîc iam ex Hippocrate ago, est inflammatio exteriorum faucium: cuius est signum rubor in ceruice & sterno. Quod autem scribit Hippocrates in Aphorismis, anginam transire in peripneumoniam, & die septimo occidere, nihil repugnat ei, quod dicit in epidemiis notationibus, anginam abire in pleuritidem. quia in Aphorismis intelligit de prima specie anginæ: sed in Epidemiis de tertia hac specie, quam non simpliciter anginam ibi appellat, sed cynanchicum affectum. Nam gutturalis angina metaptosin habet vnam in pulmones; vnde peripneumonia, quæ vel intra septimum diem mortifera est, vel intra vigesimum in pus mutatur. At faucium angina, quam vocat Hippocrates κυναγχικὸν ἐρύθημα, conuertitur in latus κατ' ἐξ.) Maximéque nonnulli ab eis euadunt, inquit Hippocrates, si & ceruices & pectus rubore perfusa sint, (nam quò propius abest malum à via respirationis, eò plus periculi habet: quò longius, minus.) Pectus rubescit ad supremam sterni partem, vnde prorepunt duo musculi ad basin cartilaginis Scutiformis. Euadunt hi pepasmo: nam medicinæ hîc locus est, tum quia in promptu sunt partes obsessæ, tum quia induciæ dantur à morbo.) nec erysipelatis fiat intrò refluxus. talis recursus est damnosior priore affluxu. Nam sæpe prior effusio est humoris mitificabilis: palindrome verò semper sociam habet feritatem humoris reflui: nam is propriæ substantiæ corruptione in vitio est: nam cunctando computruit. Fit autem palindrome, superstite adhuc phlogosi & empyreumato venenato partis obsessæ, vnde cita attractio & impetus materiæ tenuis & acerrimæ. Quare ex hoc Dictatoris decreto, in hoc casu, admonemus etiam nunc extra curationis repagula liberè, ne chirurgus adhibeat repellentia: nam talis decubitus est criticus: sed materiam foras euocabit. Non enim licet in inflammationibus quæ ratione critica fiunt, vel quæ à materia venenata, vel quæ in glandulas decumbit, adhibere repellentia. Vt hæc breuiter repetam: Recurrit intrò humor triplici de causa, aut materiæ malignitate quam contraxit primo foco, vel eo loco in quem decubuit: vel empyreumate superstite in partibus internis vel foco: aut inscitia chirurgi adhibentis repellentia. Quibus autem cynanche, inquit Hippocrates, ad pulmones abit (vnde orthopnœa peripneumonica) alij quidem intereunt septem diebus: (hoc est primis periodis; à prægrandi peripneumonia extincto oppressóque calore cordis.) alij cùm euaserint hos septem dies, purulenti fiunt. euadunt vi vegeta naturæ, ac angusto quòd sint pectore, nec à materia ita fera quòd affligantur, empyoi hi fiunt viginti dierum spacio: nisi expectoratum

Tres anginæ species Hippocrati.

Dubium.

6. Aph 37.

Non repellendum.

6. Aph. 37.

5. Aph. 10.

commodè his processerit. Præterea, inquit Hippocrates, Quibus à forti strangulatu fæces excernuntur, calamitosum id est. Fit hoc propter resolutionem partium excretioni dicatarum: & à forti oppressione laryngis, cúmque obnixè epiglottis glottidi, hoc est rimæ arytenoidis cartilaginis affigitur: vnde vapor æstuans deorsum retrusus septum transuersum comprimit, vnáque musculos ventris, exclusioni fœcum dicatos. Deinde ait, Anginosi tumores in lingua clam euanescentes: calamitosi. (ob recursum in laryngem.) Quinetiam dolores sine causa sedati, mortem citam testantur. (nam his mens ægrotat, & sensus amisso est in parte afflicta.) Et Anginosi qui pepasmo mitigata citò non expuunt, desperati sunt. Præterea, si nulla fit anginæ veræ leuatio, superueniat autem cephalalgia prægrandis cum febre (superstite anginæ foco, cum pari doloris acerbitate ac orthopnœa) sunt desperatæ salutis. (ob contagionem quam adfert larynx cerebro, vnde acer catarrhus è capite in laryngem funditur.) Maxima autem syntimoria est capiti cum larynge in hoc malo: nam exprimitur serum à phlegmone gutturis in venas iugulares internas & arterias carotidas quæ secundum asperam arteriam procedunt ad caput, prius largitæ surculos laryngi & linguæ cùm fauces attigerint, indéque subeunt caluariam per foramen lacerum choanæ propinquum: Eò prorepunt hi humores serosi, vnde distenditur ac proritatur dura meninx, vnde prægrandis cephalalgia indéque febris, increscente semper tamen angina. De vera angina ita Hippocrates in Aphorismis, Si cui febri implicito (in qua maximè iuuat spiritum ex facili ducere) strangulatio repentè incidat (inflammata larynge, qua spiritus aditu ad cor prohibetur) sine faucium tumore, funestum. (vehementiâ symptomatum, & curandi impotentiâ. Et mox subdit, Si cui insigniter febricitanti (à doloris vi, obortâ à laryngis phlegmone & partium imarum) repentè collum vertatur (luxatâ vertebrâ, quæ cum occipite vertitur. est enim illi societas cum medulla, per ligamenta, neruos, & meninges, vnde vel ad latus, vel intus trahitur. Hinc secundo Epidemiôn inquit, Intrò cauitas apparebat, in qua si quis tangeretur dolebat) ac vix deglutire possit, ac sine tumore, mortiferum. Nam secundæ vertebræ luxatio est valde funesta, validissimo enim vinculo occipiti nectitur; quo rupto, ictu aut casu, comprimitur stomachus & larynx, præsertim si in anteriorem vel posteriorem partem luxetur: nam in alterutrum latus non ita periculosa luxatio. Quæcumque verò inferiorum vertebratum, in alterutrum latus periculosior luxatio, quàm quæ in anteriorem & posticam partem. Quæ luxatio anginam facit, mortifera est: nam phlegmonem adducit: nec vllum dislocatum membrum reduci potest bonis ægri rebus, nisi primùm sedata sit phlegmone. Vera itaque atque exquisita cynanche, quæ est phlegmone propriorum musculorum laryngis, rapit hominem quarto die, imò tertio & secundo, & eodem quo inuaserat die. Quin, inquit Hugo Senensis, vna hora hominem necat. refert doctissimus Fernelius se vidisse horis octodecim sublatum, integris sensibus: ego vno die prostratum vidi. Sed vbi musculi sternohyoidei inflammantur, parum recedit ab eo periculo, nam non enecat nisi à quarto die. Est itaque & hæc periculosa, nam internis musculis etiam hic calor communicatur. In ore inflammato minus periculi est. Abscessus ponè aures, inquit Aretæus, boni, si non tardè fiant. Pars anginâ obsessa & materia anginifera ad pericula vel securitatem plerúmque conspirant. Periculosa enim angina est quæ à tenui acerrimáque nascitur bile: ab hoc periculo

4. Aph. 35.

3. Epid. 2. 4.

 abest

abest pituitosa: hæc enim à pituita est, mitiore succo, ac non premit ita laryngem; illa, laryngem torquet. adeò vt si pituitosam cum biliosa committas, periculi expers videatur. Tandem etiam symptomatum vis perpendenda in pulsu, spuma, & neruorum tractione. Mortis præludium adest, vbi suffocati incipiunt cum pulsu minimo & raro, qui deinde fiat crebrior & inæqualis. Nam in suffocationis initio, calor iure deberet recreari à frigore: languet inde virtus, ac extincto calore natiuo labitur pulsus in paruitatem & raritatem. sed cùm ad mortem pergit, fit crebrior, quia æquare ea frequentia magnitudinem studet: fitque inæqualis ob languorem summum facultatis, quæ iam immemor redditur sui negocij, & ocium affectat. Auicenna cunctos in spasmum ante mortem trahi affirmat. Præterea spuma, inquit, perniciem denotat, nisi admodùm validus fuerit æger, & cibum petat. Color faciei viridis, cum graui febre sociata, periculi plenus: id enim loquitur cor æstuare ab intercepta respiratione. Sudor circa axillas ac pudenda frigidus, certus index mortis: quæ eodem die, vel saltem postridie sequetur. Si, inquit Aurelianus, in exitium passio cœperit ferri, liuor vultus, vocis amputatio, gutturis atque pectoris stridor, reuersus potus liquoris, asphyginia, & quibusdam oris spumatio. tunc necessarius mortis effectus. Sine tumore extensio atque subrectio colli inflexibilis, vultus & oculorum cauitas, frontis extensio, color plumbeus, spirationis difficultas plurima, imbecillitas, acutissimus mortis effectus Saliuarum fluor in crassitudinem coactus in statu si apparuerit, mala ostendit. Post statum verò salutaria pollicetur: aliàs enim plurimam præfocationem significat, aliàs laxamentum corporis. Si ex signis spes salutis aliqua spetabilis affulserit, curationem aggredimur. Omnium breuissimè Oribasius ita curationem instituit: Trahatur sanguis: acribus vrantur clysmis: in inedia contineatur æger: collo superda quod attrahat: succo tenui hordei, cum melle gargarizet. Dein decocto caricarum cum hyssopo, origano, marrubio: lingat stercus caninum cum melle: fit puluis per pannum excretus. Sed perpendamus singula accuratius. Sententia fuit Galeni quarti acutorum trigesimo, phlebotomiam præclarè ad salutem hic facere: nam est affectus cum phlegmone, & vehemens: nam hac arte reuelletur euacuabitúrque materia. Heraclides tamen Tarentinus eos qui perfrictione synanchici fuerunt affecti, phlebotomari prohibet, atque iubet clysmis depurgari: cæteris verò omnibus ex qualibet causa synanchicis effectis, hanc adhibendam censet. Id reprehendens Cælius, inquit, factorum causa inquiri debet. Sed quam copiam sanguini abducemus? Archigenes, apud Aëtium, facta mediocri sectione, partitam sanguinis vacuationem facit: damnat factam ad leipothymiam, vt per quam, in hoc affectu, promptam, fluxio in pulmones ruat, & periculum maius adferat. Non itaque vnica vice id fiat, ne homo trahatur in syncopen, ne suffocatus homo intereat, nam in hoc affectu suffocationis metus semper adest. Repetitæ vices in sanguine abducendo hîc mirum in modum prosunt: ob rheuma concitatum, à quo subinde nouus sanguis in fauces fertur. propterea Trallianus secundò & tertiò abducit; hoc est per *ἐπαναίρεσιν* sanguinem auferre. Si tamen, inquit Auicenna, fuerit valida ægri vis, copiosè vnica vice emitti poterit. nam est affectus acutissimus, qui negat inducias. Maximè id agendum in angina quæ vera est, suumque quæ focum habet in duodecim propriis laryngis musculis. etenim tunc celeri auxilio est: tale est phlebotomia. Sed si non ita floreant vires, repetitis potiùs vicibus sanguis abducatur. Hoc auxilium etiam adhibendum ingrauidatis mulieribus, postremis quoque mensibus: sed ad trium vel quatuor vnciarum molem. Hoc citra iniuriam fœtus & fœtæ fiet. Licet enim pluri pabulo grandescenti fœtui iam opus sit, quia tamen sanguis iam pluribus mensibus his non effluxit, eo vberiùs postremis mensibus perfunduntur: argumento est lac, quo tunc turgent mammæ. Quo tempore hîc secanda vena? Ilico, reddito clysmate, vel à glande: eodémque id fiat die, quò totum corpus vindicetur à plenitudine; vtque, reuulsione facta, pars afflicta recreetur à perenni quæ illi incumbebat fluxu. Modum sectionis proponit Aëtius, qui vult vt mediocre foramen venæ inferatur: verùm Aretæus iubet vt lata fiat sectio in vena, quo impetu maiore, & copiosior sanguis emanet, quò strangulatus soluatur. Sed hæc ex iudicio medici varianda; ex eo vt grauius fuerit malum, vtque vires ægri fuerint: præterea sanguinis consistentia vt est varia, nam quibusdam hominibus est ater fibrosus crassúsque sanguis, vt fuscis carnosis hominibus: aliis fusus, vt albis; ita tenuius vel amplius foramen venæ infligendum, quò commodè exiliat sanguis. At quænam vena hîc pertundenda? Hîc sanè hæreo: causa est, authorum discrepans sententia, ac ratio. Libro Hippocratico, qui quartus De victus ratione in morbis acutis, scribitur in brachiis phlebotomiam moliendam esse: id omnes de Axillari vena interpretantur: Arabes interdum saphaiam pedis aperiunt. Razes tamen cephalicam pertundi iubet. Rationem si consulas, varia videbitur. Hæc enim dicet cubiti potiùs venam soluendam esse quàm pedis: non enim solùm, hac sectâ, sanguis à toto abducitur corpore: verùm vnà prolectatur aliquid à faucibus. Verùm alia ratio iterum huic obnititur. Quòd excurrentem succum ad repagula reuocare semper decet ineunte affectu rheumatico. Fons autem phlegmones est iecur, sanguinis nimirum officina. Sed cùm collum obsedit phlegmone, an tunc secta in manu vel brachio vena, rheuma illud concitatum ad contraria flectetur? non videtur: imò potius eò vocabitur. Nam vena caua in iugulum delata, primùm in binos magnos scinditur ramos, læuum & dextrum. Subdiuisa denique in iugulares atque axillares distribuitur. à iugularibus dein externis, laryngis vasa ortum ducunt. An igitur secta in brachio vel manu vena, non subuehet sanguinem ad iugulares? si ita, an non vicina laryngis pars dolore vexata ac calore rarior reddita prolectabit maximam sanguinis copiam? Quare ratio dictat, vt ineunte malo, cùm reuulsioni studemus, vena feriatur poplitis vel malleoli, cuius sectio hîc periculi est expers. Vbi itaque irriguum corpus sanguine circumfluit, siue hoc euenerit à solemni euacuatione aliqua suppressa, siue naturæ vi, primùm secetur vena poplitis aut malleoli. Quâ reuulsione factâ, veniatur etiam eodem die vel postridie, vrgente morbo, ad cubiti venã, vel cephalicam. atque ilico pòst ad venam linguæ veniendum, si ab anteacta sectione non emituit malum; sique rubor faciei & oculorum, capitis plethoram denotent. Si linguæ venæ non apparent, seca venam frontis, vel illas quæ prope oculos sunt. hæ caput à plethora vindicant. Vel non emicantibus sub lingua venis, iugulares externas pertunde, authore etiam Tralliano. hæ pollicis latitudine à scutiformis cartilaginis prominente apice ad latus inclinant. Verùm hoc non agendum in quacunque angina, sed vbi caput sanguinis copiâ premitur. Sed cùm linguæ venæ in tumorem crescunt, feriantur, ac lingua etiam scarificetur, inquit Aëtius, cùm alioqui suffocentur ægri. Vrgente itaque periculo, vel eodem etiam die venã sub lingua pertundatur. Memini ante annos viginti, cùm apud

Margin notes (left column): *4. De caus. puls. 2.* (beside "crebrior & inæqualis"); CVRATIO. (beside "mur. Omnium breuissimè Oribasius"); *Phlebotom. a.* (beside "singula accuratius"); *Copia.* (beside "piam sanguini abducemus")

Margin notes (right column): *Num in ingrauidatis id agendum.* (beside "etiam adhibendum ingrauidatis"); *Quando.* (beside "Quo tempore hîc secanda vena"); *Quo modo.* (beside "Modum sectionis"); *Quæ vena.* (beside "At quænam vena"); *Aph. 30.* (beside "Libro Hippocratico"); *Historia.* (beside "Memini ante annos viginti")

apud Vltraiectinos meos medicinam facerem, me vocatum fuisse ad anginosam puellam, adeò oppressam vt loqui non posset; scribebat, ac remedium flagitabat à me. Iussi ilico pertundi venam brachij, ac eodem die idem in linguam eius molitus, S. Dei beneficio, ad pristinum officium linguam reuocaui. Alioqui, si tantum discriminis non adsit, in morbi statu hoc agemus: tertio autem vel quarto die is vigere solet. Hoc itaque fieri solet post vsum linctuum strictiorum aliquantulum. Propterea Razes dicit, ab vsu euacuantium & reuellentium secentur venæ sub lingua, ac collo cucurbitæ admoueantur. Cùm verò plethora grauis corpori molesta non est, nihil nocuerit, intactis inferioribus venis, ilico à cubiti vena auspicari curationem: ac deinde ad supernas ascendere venas. *Cucurbita.* Si ætas aut virium prostratio phlebotomiæ refragatur, cucurbitæ eius loco veniant. Scarificata itaque cute, has dorso, lumbis, & si menses vel hemorrhoides in vitio fuerint, cruribus, naribus (sub his enim magnæ discurrunt venæ) vmbilico, inquit Auicenna, & iliis admouebimus. hoc enim ad reuulsionem facit. Surarum carneæ moli incidimus alta vulnera, quo inde manet sangnis, loco venæ sectionis. Nam Diocles, Quos phlebotomare non potes, inquit, scarifica. & Oribasius tibias scarificat, iubétque vt quam plurimum sanguinis effluat. In augmento morbi, hoc est, secundo die, deriuationi studebimus cucurbitulis, si latus intumuit, inquit Aëtius, in ipso tumore scarificato. Si verò sit occulta angina, primæ admoue vertebræ, nam carotis arteria istinc non longè abest: & liberaliter trahe inde sanguinem. vel perscinde totam ibi cutem, quo liberali manu effundat se sangnis ex eo loco. dein cataplasmata admoue: & sequentibus diebus fiat linctus. Iam diximus interdum primo die, nonnunquam in statu, venæ linguam scindendam esse. Hoc etiam Razes ita, Ab vsu euacuantium & reuellentium secentur venæ sub lingua, & cucurbitæ collo admoueantur. Aurelianus admonet vt cucurbitæ collotenus antherioni admoueantur, ceruicisque neruis, quos tenontas vocant Græci. Singulæ itaque cucurbitæ sub aurium lacunis ad fauces hæreant. Ante horum vsum veniant etiam vincula artubus & frictiones, reuulsionis ergo. In statu pertundatur tumor cereà candelâ. Materia frigida cùm in vitio est, imponemus scapulis cucurbitam sine scarificatione, quia flatus adsunt. *Vltima Chirurgia.* Celsus vltimum remedium esse dicit incidere satis altis plagis cutem sub ipsis maxillis, supra collum, & in palato circa vuam, vel linguæ venas, quò per illa vulnera morbus erumpat. Sed dices, cur asperæ arteriæ spacium interannulare non recta secatur lineola ac pertunditur, cùm strangulationem ab angina veremur? eo enim laxiùs spiritum ducent ægri. Respondet Aretæus, Qui hoc agunt, rem experimento non comprobarunt. Quippe caliditas inflammationis maior ex vulnere efficitur, strangulatum adauget, tussimque commouet. Quin etiam si periculum hoc euaserint, vulneris oræ in vnum coalescere nequeunt, ambæ enim cartilagineæ atque inter se inglutinabiles sunt. Quidam tamen affirmant se id sine noxa posse. attamen vt verum fateamur,

----Cessere magistri,
Phyllirides Chiron, Amithaoniúsque Melampus.

Nam doloris immanitate enecat occultorum illorum musculorum phlegmone, & cerebrum sæpè in sympathiam trahit ac cor. *Vincula.* Reuulsoria vincula supra talos & genua, & supra brachialia versus cubitos, & supra cubitos versus humeros iniiciantur. *Pharmacia.* Iam de Pharmacis. Non vomat æger, sed reuulsoriè purgetur. & hoc ilico fiat: si non poterit per os, clysmis id fiat. *Clysteres.* Clysteres sint primum lenes, quò inueteratæ fæces excludantur. Accipe cassiæ sescunciam: sacchari rubri duas vncias: olei violati & decocti althææ, cuiusque semilibram: fiat clyster. Alius accipe foliorum maluæ, violariæ, parietariæ, betæ, singulorum manipulum: ficus vndecim: seminis lini vnciam: florum chamæmeli, meliloti, cuiusque pugillum: fiat coctio ex aqua. Huius decocti libræ adde diacatholici vnciam, diaphœnici drachmas duas vel tres, salis communis drachmam. Deinde adde centaurium: & decocto remisce hieræ picræ vnciam, cum quinque vel sex granis trochiscorum alhandel. alternis diebus iniiciantur, si æger per os purgari nequit. Si os aliquid admittit, lingat cassiam ex fistula: hæc gulam mulcet, & lenit aluum. Vel accipe mannæ sescunciam: cum sirupo rosato laxatino & decocto tamarindorum, fiat potus. Aliter, Accipe cassiam & diacatholicum, dilue cum decocto pectorali. Vel fiat hoc sirupo rosato laxatiuo, cui iunge interdum dilutum rhabarbari ex aqua endiuiæ, vel ex decocto glycyrrhizæ & passularum: adiice, si ita visum, mannam. Sed quia vehemens malum est ac præceps, iungimus electarium de succo rosarum. Accipe cassiæ drachmas sex: electarij de succo rosarum drachmas tres: decocti pectoralis, cui adiecti fuerint tamarindi, quantum satis fuerit ad diluenda hæc: fiat haustus. Fingi etiam poterit apozema ex scabiosa, capillis veneris, violis, passulis, seminibus frigidis, rhabarbaro, senis, polypodio, epithymo, agarico si pituitescit sanguis. Coque ex sero lactis: adiice sirupum rosatum, violatum, vel de iuiubis, aut de liquiritia. Bibat etiam magnam copiam seri lactis. Iolabio æstus castigetur ex aqua endiuiæ, vel cichorei, cum aqua hordei; iunge sirupum violatum, rosatum, vel de endiuia. Caue ab emeticis, hoc est vomificis: nam vomitus ingens distentione & præfocatione sæpè peremit, inquit Aurelianus. Si pituitescat aluus, vtetur hiera picra. Cùm Romæ multos abriperet serpens angina, qui post frugalem cœnam scriptulis duobus hieræ picræ vtebantur in pilulis, periculum tam atrocis morbi declinarunt. Accipe turpeti drachmam, coque cum liquiritia: colaturæ adde mannam, vel electarium lenitiuum. In fine morbi, cùm iam deglutire potest, accipies cassiæ recenter extractæ, diacatholici, cuiusque drachmas tres: agarici trochiscati (si sit sanguis pituitosus) vel electarij de succo rosarum drachmam vnam aut alteram. Maximè prodest calentioribus sirupus ex multiplici infusione violarum, propinatus quatuor vnciarum pondere. Sumat interdum Cassiæ vnciam. Iam venio ad topica quibus fauces rigantur. *Topica in ore admouenda.* Hæc variè præscribi debent, vt per sua tempora varie fertur morbus, vtque fuerit varia materia morbifica. Principium anginæ finitur, postquam iam rheuma fluens constitit. augmentum adest, cùm coctionis apertè se proferunt symbola. status, exactis elucentibus pepasmi notis. declinatio, symptomatum cessatione. *A Biliosa.* Biliosa si fuerit Anginæ causa, & si iam iam inuasit morbus, validè erit intus gula stringenda, si non adsit atrox dolor. Lingat igitur ilico succum ex moris immaturis, cum succo prunorum agrestium, vel ex cortice nucum, qui præstans est; aut cum succo vuæ acerbæ. In augmento iunge exhaurientia, vt myrrham, crocum. id fiat sensim; ita vt hæc in augmento tertiam partem succorum æquent: in vigore verò, sint æquæ stringentium & exhaurientium partes. Sed tamen magna cautione exhaurientium vsum inire debemus: irritant enim succos in rheuma: quare verè anodynis & lenientibus id agemus. Et ratione acerbi doloris, in initio biliosi rheumatis præscribimus lactis bubuli collutionem

eti

cui incoxit vncia seminum papaueris. Præstat tamen ineunte morbo, dum guttur incurritur à concitato rheumate, non gargarizare, sed remedia lingere. absit initio mel: adsit diacodium tamen, vel sirupus papaueris. Diacaryon laudatissimum remedium est. hoc ita fit, ex Tralliani sententia: Vigentis nucum fructus cortices externi circumcidantur, & statim eos in pila contunde. cola succum per linteum: & vbi decoxeris dum sordium more crassescat, permisce mellis partem quintam; & coque rursus ad melleam spissitudinem. Initio hoc ita vtimur & in pueris & in mulieribus. in statu addimus myrrham; & crocum in fine. Poterit, si magnus feruor adsit, loco mellis, ineunte malo, affundi saccharum huic remedio. Si æger gargatismum velit, in morbi initio, fiat is ex balaustiis, psidiis, galla, rhois foliis, rosis rubris, myrto, ozyza, dactylis, lenticula, radice pentaphylli: vel aliqua horum sume: nam, vt rectè dicit Q Horatianus, hæc specie quidem dissimilia videntur, sed omnibus eadem est virtus idémque beneficium. His vtimur per initia, cùm commoueri aliquid in faucibus sentimus. tunc coquimus illa ex aqua plantaginis, rosarum, aut portulacæ vel equiseti, aut solani, ad libram vnam: colaturæ iungimus succum granatorum, & diamorum, vel dianucum, ad binas vncias: vel succum berberis, vel pomorum acerborum. Vbi bis vel ter eo vsus fuit, addes sirupi violati vncias duas. & reliquo eo die, cùm primùm scilicet quid commoueri in faucibus senrit, eo vtatur. & ore teneat diatragacanthum frigidum. His dico vtendum esse antequam fiat angina. Nam si illa grauiter incumbat, ac vrgeat si dolor magnus, statim ea quæ dolorem mitigant his coniungantur: vt saccharum, psyllij semen & cydoniorum malorum, glycyrrhiza, iuiubæ, passulæ, ficus, fœnugræci & lini semen. Imò, premente dolore, lacte vtatur, cui incoxit vncia seminis papaueris. Initio etiam hoc vtemur. accipe aquæ hordei semilibram: succi putaminum nucum, sescunciam: fiat gargatismus. Vel gargarizet cassiâ recenter extractâ ac dilutâ aquâ plantaginis. Vel vtatur succo granatorum, cum decocto hordei & rosarum rubrarum. potest etiam addi succus pomorum acerborum, qui ebulliit cum saccharo. Vel coquatur amylum cum aqua hordei: adde sirupum portulacæ & papaueris, vel diacodion. His vtemur in initio passionis, leuibus adhuc querelis affecto ægrotante. Sed secundo die (nam tunc ad augmentum venitur in biliosa angina, hæc enim quarto ad vigorem surgit) Accipiemus aquæ distillationis althææ libram: huic incoque manipulum maluæ arborescentis deciduos flores rubros: colaturæ adde sirupi de succo betonicæ vncias tres. In maximo dolore coquatur mica panis in lacte, fiat expressio & gargatismus: tandem adde quid croci. Eodem modo fit emulsio ex furfuribus sæpe aquæ vel lacti iniectis, ac expressis repetitis vicibus. Razes in initio huius mali gargatismum facit ex integro malo punico, & ex succo rubi fructus: coquit ex aqua rosata, cui rhois folia incoxere. hoc ille audet integro triduo. Sed nos ad doloris vim collineabimus, vt antea monui. Si dolor maximus ineunte morbo incumbit, vtemur aqua lactucæ cui insit muccus seminis psyllij. Si adsit excoriatio quæ fauces fatigat, coques ex aqua hordei ficus, maluæ flores arboreæ, & althææ, cum semine lini vel psyllij. Maximè vtile tunc erit decoctum furfurum; vel lac in quo lens palustris coxit. Vidi atrocissimam anginam hoc decocto placatam fuisse. Vidi etiam eodem successu quosdam vti lacte, in quo carbones querni extincti fuerant. In augmento iungitur etiam lacti cassia: lacti verò primùm incoquuntur rosæ, myrtus, vel plantago, passulæ, ficus, iuiubæ. Eodem ipso primo die admouemus foris oleum chamæmelorum vel oliuarum, aut violaceum & amygdalinum dulce recénsque: ac locum tegimus œsypo. Nam, vt antea, vbi De causis, monui, in nulla anginæ specie admouenda sunt repellentia foris, sed foras euocantia, dolorémque vnà mitigantia, inflammata discutiẽtia, & concoquentia. Initio vtilia etiam hæc sunt: Accipe farinæ hordei manipulum vnum: muccaginis althææ & fœnugræci extractæ in aqua maluæ, cuiusque sescunciam: olei chamæmelini vncias duas; fiat cataplasma. Vel fiat cataplasma ex farina seminis lini, vel mica panis, chamæmeli floribus, & croco: addo pulpam mali assari mollis. Interdum sambuci folia, & lapatij acuti, cum malua coquuntur in aqua. iunge quid farinæ lini seminis, croci, & florum chamæmeli: aspergo furfures: adeò oleum amygdalinum dulce. Tandem addimus ficus, adipes. Et in statu illinimus adipe anseris, butyro, croco, & oleo amygdalino vel chamæmelino & anethino. Si, in statu vehementer vrit dolor, accipiemus cassiæ pinguioris, & olei amygdalini æquales partes: mirum est quantum hoc iuuet. Sed ab hoc remedio Cautio sit, vbi pestifera angina in vitio est: nam illa humectam vim reformidat. Et de hac loquitur Trallianus, vbi scribit vitanda esse cataplasmata quæ tantùm laxant: His enim cataplasma ex nido hirundinis, de quo agam vbi Pituitosæ anginæ curationem describam, peculiariter dicatum est. Secundo die si vehemens dolor vrit, iungimus gargarismis vncias tres vel quatuor lactis muliebris, & cassiæ recenter extractæ vnciam. Vngat afflictam partem foris oleo chamæmelino & lilino: vel hoc præcellens cataplasma imponatur, quod etiam vel primo die vtile: Accipe violarum puluerisatarum, rosarum etiam puluerisatarum, cuiusque vnciam: farinæ hordei, pulpæ passularum infusarum lacti vaccino, vncias tres singulorum: cum oleo amygdalorum dulcium recenti, oleóque violato fingatur mollissimum cataplasma. Vel coquatur ex lacte radix althææ: adde farinam hordei, oleum violarum, ac tandem crocum, & vitellum oui. Nam larynx inflammata blandum ac molle medicamentum postulat. Tertio die coque ficus, farinam fœnugræci & lini: adde cassiæ recenter extractæ vnciam: myrrhæ drachmas duas: croci scriptulum: iunge lactis muliebris vncias duas. Et eisdem lacte coctis (si loco farinarum semina sumseris) fiat gargarismus. Quarto die addes libræ huius gargatismi, pulueris hirundinum duas vel tres drachmas: & mellis sescunciam. Et quia quarto die suppurati solet; vt fiat expurarum, adde aliquid fimi anserini siccati & in puluerem redacti: vel aliquid sinapi. Deinde fiat abstersio cum sero lactis, vel ipso cum lacte, cui incoxit saccharum, vel parum mellis. Et foris impone emplastrum ex nido hirundinis, quo lubenter etiam vtor in pestifera angina: quod hoc modo præscribere soleo, Accipe nidum hirundinis cum plumis & fimo: hunc coque ex decocto radicum althææ, ad pultis ideam dum veniat; adde olei amygdalini dulcis & anethini cuiusque vncias duas: theriacæ drachmas duas: croci semidrachmam: cassiæ semunciam; misce, fiat cataplasma molle. Primùm nidus incidatur, tundatur, cribretur. Priusquam abeam moneo, vt maximum studium in hac specie anginæ adsit mitigandi dolorem mollibus medicinis. Quare si pungat calidissimus dolor: accipiemus etiam aquæ rosatæ semilibram: cui adde caphuræ grana tria: & cum sirupo rosato fiat gargarismus. Vel accipe decoctum florum & foliorum nymphææ, cum emulsione seminum melonum. hæc ineunte morbo. Circa statum verò morbi, rigentur

Topica in biliosa angina.

Cautio.

In pestifera angina.

Admonitio.

Dolori.

rigentur fauces decocto caricarum, passulatum, plantaginis: cui inde cassiam. Foris verò hoc vtaris etiam in statu, Accipe cassiæ pinguioris medullam, quam æqua parte olei amygdalini dulcis ac recentis dilue. mirum est quantum solatij hoc adferat. Sed cautio sit ab ea, vbi pestifera est angina. Aurelianus mollibus & mundis lanis, dulci ac calido oleo infusis, colla protegenda censet vnà cum thorace: adhibita articulorum blanda fricatione. Et auribus, inquit, aliquid ex eo oleo immittendum. Imò totum corpus vngit oleo, vbi in prima diatrito secta fuit vena. Prudenter monet idem author, Sæpiùs mutanda esse cataplasmata, ne perseueratione sui corrupta, in acorem veniant. Spongia ex decocto althææ & oleo foueatur collum, & hos vapores hauriat: nam intus tumorem relaxant.

Cauenda.

Saccellorum siccam euaporationem tanquam densabilem reprobamus, cum Cælio. Qui etiam suadet ab vnguentis & gargarismatibus acerrimis cauendum: etenim staphysagria etiam sanos plerumque synanchicos fecit: sed relaxentur tumentia remissiùs, vt cataplasmatis adde pinguedinem gallinæ & anseris, cuiusque binas vncias: olei amygdalini vncias tres: & in fine adiice croci drachmas duas: & cingat infra aures totum collum. An Aretæi consilium,

In summa angina.

desperata in re locum habeat? Si sit angina, inquit, cum concidentia; foras euoca, quò ea quæ foris sunt exuberent: foue decocto rutæ & anethi, inisperso nitro. imò, inquit, fiat ceratum ex nitro & sinapi, vt calorem excites. Quintus Horatianus idem censet: paregoricis, inquit, vt lini & hordei farinæ misce aliquantulum salis vel nitri, quò ab interioribus euoces, custoditis Hippocratis præceptoris nostri præceptis. Propterea empirici quidam hoc in vsu habent, salem nitrum, thus & myrrham coquunt ex aqua, ad mediæ partis exhaustionem: & madens inde linteum tepidè collo imponitur. Putarem hæc non tentanda, nî primùm totum corpus exactè euacuatum fuerit: ne dum metaptosi studemus, epigenesim faciamus.

A pituita.

Pituitosa si fuerit angina, nec foris, nec intus validà repressione vtendum. Primo die, à vacuato toto corpore, vtemur decocto nucum cupressi, foliorum menthæ, & radicum pentaphylli; cui addemus dianucum. fiat decoctio ex hydromelite: adde aliquid masticis. vt Accipe nucum cupressi manipulum: masticis drachmas duas: coque ex hydromelite ad libram: colaturæ adde dianuci sescunciam; & interdum parum aluminis: fiat gargarismus. Sequenti die adde melrosatum ad duas vncias: myrrhæ, croci, singulorum scriptulum. Vel colluat gulam succo brassicæ saccharato. Vnge primo die collum oleo chamæmelino & lilino. Sequentibus diebus sensim surgat ad exhaurientia. Hæc angina aliquantulum longiùs excurrit. Post tertium diem, inquit Razes, fiat gargarismus ex decocto ficuum, vuarum passarum: cassia cum hydromelite. & si producitur malum, inquit, acrioribus vtemur remediis; at non incunte morbo. A primo die, accipe passularum vnciam: caricas sex: seminis lini & fœnugræci, cuiusque vnciam: ad dimidias coque partes: adde dianuci vncias duas: myrrhæ, croci, cuiusque scriptulos duos, pulueris hirundinum drachmas duas: fiat gargarismus. Truncentur capite hirundines, & super plumas extillet sanguis. dein sale aspergantur pauco, & ollæ vitriatæ imponantur, & comburantur: cineribus adiice crocum & nardum. Cùm discutiendum fuerit, excipiatur hic puluis melle, & illinatur. Ita tunc etiam album Græcum illinatur. Nonus hoc excipit oxymelite. Galenus humana commendat Græca. Aëtius id à gallina petit. Ita etiam vtebatur puluere carnis cochlearum in hortis inuentarum; has vrebat, & melli miscebat. Cancris etiam vtebatur: hos terebat & miscebat cum aqua, quam colabat cribro, ad gargarismi vsum. inde effundi videbis, inquit Aëtius, maximam materiæ copiam. Si dolor vrget circa statum, accipiemus muccaginem seminis maluæ & seminis caulium, cuiusque vnciam: muccaginis ficuum sescunciam: butyri recentis insulsi semunciam: decocti glycyrrhizæ sesquilibram: coque gargariset, & lingat ex eo. Diabesasa compositio commendatur à Galeno & Tralliano, cui, inquit Galenus, modò leniora, modò validiora consociamus, ac omni anginæ, omnibúsque eius temporibus eam accommodamus. Fugienda, inquit Aurelianus, quæ vsque ad sensum veniunt mordicationis. Dicimus leniora, in sanguinea angina & biliosa: fortiora, in pituitosa & melancholica cõuenire. Diabesasa, hoc est ex ruta syluestri & hirundinibus compositio, quæ propterea etiam Diahirundinum, Aretæo diachelidonium appellatur, in sola angina pituitosa commodè præbetur. Lac cum melle, vbi dolor, locum habet: & decoctum hibisci & seminis lini. Vbi suffocationis periculum imminet in statu, Archigenes & Razes surgunt ad decoctũ sinapi. Trallianus id coquit ex oxymelite.

Historia.

Ego nuper in hydromelitis libra, coqui iubebam drachmam vnam seminis sinapi: & ilico ruptum fuit quatriduanum apostema anginæ pituitosum: ac plurimum puris elisit illa mulier per os. Poterit addi interdum quid nitri, vt grana quinque: vel beniouini aliquantulum. Archigenes, vt testatur Aëtius, in occulta angina vtebatur gargarismo ex sinapi; mox in balnea ducebat, multósque ita à periculo liberauit. Idem potest decoctum origani & hyssopi. vel accipe agaricum in taleolas concisum: hoc macera ex decocto radicum althææ, ficuum, pauco zinzibere, & quarta parte vini albi, adde syrupum de althæa, gargarizet & deglutiat. hoc namque rumpit maturum apostemà. Maturitas elucet ex symptomatum mitigatione, restibili tumore. Nam in ebullitione illa vigente exhauritur aliquid, vnde laxantur partes. Apertum locum ita deterge: Accipe aquæ hordei semilibram: mellis rosati, syrupi de rosis siccis, cuiusque vnciam. Lacti etiam incoque rosas, & saccharum vel mel. Tersum vlcus tegatur, adiecto his pauco alumine.

Topica in pituitosa angina.

Foris autem admouebimus cataplasma ex ficubus coctis & cassia, cum oleo amygdalino. vel micam panis macera lacte: adde pulpam passularum, vel pomi assati, cum chamæmelis, & croco. Nonus iubet vt collum inuoluatur lanâ succidâ oleo calido imbutâ, aut cataplasmate ex lini seminis & fœnugræci hordeique farina, dactylis, mica panis cum croco. Si, dicit, inueterauerit phlegmone & induruerit, adiice ficus, lapathium, adipem, cum pauco nitro. Coque radicem incisam althææ, cum foliis maluæ, bellidis, violariæ; adde flores chamæmelinos, & farinam hordei, fœnugræci, lini seminis: iunge pinguedinem gallinæ, & oleum amygdalinum vel seminis lini, & butyrum. Vidi commodè admoueri fimum recentem bubulum, coctum cum lauendula. tandem iunge nidum hirundinis. Vel vtaris eo, ex nido hirundinis cataplasmate, quod antea descripsi. Accipe radicum liliorum alborum vnciam: radicum althææ vncias tres: foliorum maluæ, manipulos duos: foliorum violariæ manipulum: florum meliloti pugillum. Coctis & contusis adde nidum hirundinis; farinæ seminis lini, fœnugræci, cuiusque sescunciam: olei lilini, & amygdalini dulcis, singulorum vncias duas: butyri recentis vncias duas: olei anethi vnciam: fiat cataplasmà.

Suppuratoria.

Cùm ad suppuratum vertitur, adde ficus. Vel coque ficus, adde farinam fœnugræci, cæpam assatam sub cineribus, cum melle tritam. Accipe nidi hirundinis vncias tres: vnguenti de althæa cum

cum gummis, vncias quatuor, misce cum oleo amygdalino. Optimum hoc: accipe æquales partes theriacæ & vnguenti de althæa, fiat inunctio. Vel coque passulas, ficus, semen lini, fœnugræcum, horum cuiusuis vnciam: coque, inquam, dum media aquæ exhauriatur pars. huius decocti libræ adde farinæ seminis lini & fœnugræci semunciam, pulueris hirundinum drachmas duas; fiat gargarismus. Foris verò hoc, Accipe seminis lini farinam & fœnugræci, cuiusque sescunciam: cum oleo amygdalino dulci & axungia recenti porcina, fiat cataplasma, vt suppuretur. Rumpatur vngue: abstergeatur mulsâ: cicatricem ducat bolo terento ore. In statu aliquando iussi coqui nidum hirundinum cum malua, chamæmelis, radice althææ, & glycyrrhizæ, cum ficubus: côque iubebam vt, melle adiecto, gargarizarent: mirum quantum hoc iuuerit. Si scirrhodes euadat tumor, muccaginibos emollientibus addemus myrrham & hirundinum fœces cum iride: & cum oxymelite scillitico fiat linctus. Foris vtemur cataplasmate ex caricis, parietaria, farina lini seminis, & fœnugræci, camomelis, origano: cum croco, butyro, adipibus, fimo hirundinum ad vnciæ pondus. tandem adde sulphuris semunciam: cum olei anethi quod satis sit vt fiat cataplasma. Sis memor, In pestilenti angina siccandum esse cum leptomeria, unctis emollientibus & coquentibus: talia sunt nidus hirundinum, crocus, scabiosa, theriaca, dialthæa cum gummis; & illud quod modò descripsi emplastrum, quod accipit nidum hirundinis. Misce interdum nidum hirundinis cum cassia, & theriaca, oleôque anethino. In concitato hoc pituitæ rheumate à capite, suffiantur cucuphæ nigellæ semine, coriandro, gummi iuniperino, santalis: & coronali suturæ admoueatur dropax, vel sinapismus. Si fuerit causa morbifica melancholicus sanguis, gargarisatio fiat ex decocto althææ, maluæ, ficuum, cum modico dianuci. Dein accipe mellis despumati vncias duas: butyri insulsi recentis vnciam: pulueris ireos scriptulum, fiat lambitiuum. Curationi huic pauca quædam empirica subnecto. Archelaus & Orpheus sanguinis humani illitu anginam curari tradiderunt. Priusquam mitigaueris immensum corporis calorem, corpusque euacuaueris, nihil applica. Accipe dianuci vel diamori vnciam: diatragacanthi frigidi drachmam: seminis papaueris albi semidrachmam: fiat linctus. Accipe salem nitrum purgatum, bulliat in aqua ad exhaustionem duarum tertiarum. tertiam hanc partem, patinâ exceptam, caueæ impone frigidæ: hoc modo se recolliget salnitrum. Accipe, huius salis nitri, vnciæ partem decimamsextam, si vegeta ætate fuerit æger; vel scriptulum, si inclinarit iam ægri ætas: diluéque duabus hanc cochlearibus aquæ puræ: bibat. Accipe myrrhæ, thuris, cuiusque vnciam: aquæ solatri cyathos duos: aceti cyathum vnum: caphuræ, croci, cuiusque drachmam: bulliant dum hæc diluantur ac fundantur: rubedini applica dum illa euanuerit. facit hoc ad omnia erysipelata. Spongiâ purga fauces, & linctu muccaginoso humecta fauces. Quidam audent admonere aquam vitæ cum rosis. Alij, (quod probo) oleum lini & dialthæam panno albo excipiunt, & illi collum inuoluunt. gulam lauant lacte ciúsve sero: vel eremore furfurum, aut succo ptisanæ. hoc sanè confert si corrosio adsit, aut si in vigorem iam venit malum. Initio verò decocto vtuntur pentaphylli radicis, & passularum. Ineunte morbo fiat gargarismus ex aqua plantaginis & lacte dulci. Vel aqua vtatur glycyrrhizæ, cum modico succi myrtillorum. Et salicis folia ex aqua decocta donec colorem mutant. ita etiam furfurum & ficuum decoctum cum rosis. Inclinante morbo, vtatur aqua althææ & betonicæ, cum sirupo de betonica. aqua etiam scabiosæ. Decoctum plantaginis & auricularum Iudæ cum cassia. Doctissimus Schenkius notat à quibusdam obseruatum esse, si quis bibat per guttur lupi, certò eum euadere. Nostrates in dolore gulæ optimo successu sugunt potum per caulem lioistici. quem seruare in hunc vsum toto anno solent arefactum etiam. Archigenes, apud Aëtium, accipit tetrimenta hominis, siccat ea, & in panno ligata exurit: & cum hydromelite propinat: hoc, inquit, his qui iam suffocantur remedio est. Priscianus cum melle tumorem reprimit; hoc vulnera, inquit, delicatè in faucibus permundat: ita hirundinum cinis cum melle. Scribit Dioscorides hominis canísve excrementa, vbi exaruerint, melle permixta, gutturi adnexa, censeri anginæ præstantissimum remedium, curâ nunquam fallente. præstat ea miscere vnguento dealthæa, & resumptiuo, adipibus & oleis, adde hirundinis fæces. Rubeta pro synanchicis incocta & illita, à morte liberauit quendam. Credo filum, quo suspendio enecatur rubeta, conferre, dicit Cardanus. Compositum Augustæ apud Scribonium in fine capitis decimisexti. Aqua in qua mus coctus fuit, inquit Marcellus, propinata initio ægro, præclarè iuuat. Sal, lineo exceptus sacco, dimittatur in aquam calidam, & collo imponatur. Plura lina à purpura marina rubentia, collo viperæ iniicias, eámque in linis suffoca. Vnum illius collo appendas alicuius: à colli malis liberat. Olei vitrioli grana duo vel tria misce in aqua, vbi res est desperata. Accipe aquæ nucum vncias duas: aquæ rosarum semunciam: sensim instilletur. Vel, in summo periculo, accipe aquæ nucis vncias duas: liquoris vitrioli scriptulum. instilla. Sunt qui libræ aquæ ex scabiosa miscent aquæ ardentis vnciam: sed tempestiuè his vtendum, ne augeatur phlegmone. Iam pauca de victu addamus. Aëre fruantur frigido modicè, ne algore stringantur spirabiles partes, iam angustia pressæ. Sint loco lucido, inquit Aurelianus. Iacendi sunt eo schemate, quo se leuati dixerint. Sint capite elato. Dormiant ineunte morbo, si possunt; quò foras intrò feratur sanguis, & rheuma consistat. Nam quies his initio solatio est: taceat ergo, nec fauces loquendo vexet; risúmque vitet. Reuulsoriæ tamen fiant frictiones. vincula artubus iniice. pedes calidâ lauentur. Animus sit quietus. Venter si officium non agnouit, fiat clyster: nam laxatus venter facilia facit spiramenta etiam sanis hominibus. In cibis parca manu indultum his semper. Adhibenda, inquit Cælius Aurelianus, requies & abstinentia, vsque ad primam diatriton, cum gargarismate laxatiuo. Et vbi difficilis deglutitio est, sufficit, inquit, mulsum, ad declinationem vsque. Et etiam Heraclides Tarentinus solâ aquâ vel mulso nutriendos esse voluit; cætera ciborum prohibebat. Trallianus, ad quartum diem mulsâ vtantur, inquit, dein succo ptisanæ: & cessante phlegmone, da vitellum oui. Alij iubent vt vel bidui inediam ferat, vel vt sola fruatur mulsa. Parcè itaque habeatur æger: plus enim ex ciborum copiâ, quàm ex eorum inopia periclitantur: nam copiosus cibus arctat guttur. Triduum transigat tenui cereuisiâ saccharatâ. A tertio die pulticula hordei ex eadem saccharata ceruisia detur; vel cucurbita, aut panatella detur. Dein da iuscula saporata lactucâ, portulacâ, seminibos frigidis. Si fatiscat æger, ouis indulgeat, & carnium succo. vel coque ex aqua passulas, & cum hac aqua hordei farinam coque: adiice saccharum. Si declinatio fuerit confirmata, dabimus pultem, ouaque sorbilia. Fugientes acria, inurens, vinosum, asperum, aridum, quódque lacessit deglutitionis loca. Nam facilè passio ex occasione parua recurrit. Qui

frequen

Marginalia (left): *In statu.* — *Scirrhodes.* — *In pestifera.* — *Capiti admouenda in pituita rheumate.* — *A melancholia.* — EMPIRICA. *Plin. 26. lib. 1. & 28. lib 4.* — *Erysipelatā excellens remedium atque isthinc huc translatum.*

Marginalia (right): *7. De variis 33.* — *Diæta.* — *Cibus.*

frequenter cerasis & fungis vescuntur, ab angina incurri solent. Potus sit parcus, ne à capite effluens vberrima materia fauces riget. Hoc etiam Dioscorides censet libro De parabilibus primo, vbi ait, Iunantur omnibus iis quæ homiditatem auellere possunt: exiccatione enim densitas relaxatur partium. Paulatim mulsum potet: vel saccharatam ceruisiam. Si acerrimus tenuisque fluxus sit, parum farinæ oryzæ incoque dulci lacte, cum saccharo. est hoc edulium iucundissimum, quódque vnà materiam crassiorem reddit. Admonet Hippocrates, vt minimè frigida potent. Hîc huius morbi metam ponerem, nisi grauis authoritas maximi Medici Aretæi me traheret. qui præter vulgata hæc, aliquid non ita à cunctis animaduersum in hoc morbo latere innuere videtur. Nam ex aphthis tonsillarum cunctas has spirabiles partes contaminari scribit, vocaríque Ægyptia & Syriaca vlcera, vnde modus mortis miserrimus. Ego quater vel quinquies hîc Leydæ in Batauia hæc obseruaui, eâdem qua Aretæus refert hæc facie & euentu euenisse. Legite Aretæi libri primi, De causis & signis acutorum morborum, Caput nonum. At libro primo, De curatione Acutorum morborum, capite nono, eorum curationem scribit.

4. Acut. 30.

Mirabilis faucium morbus.

Caput II.

De Pleuritide.

Pleuritis propriè pectoris morbus est. Pectoris dico, in quo Cor, princeps partium humani corporis, quo primò viuimus, vltimóque morimur, fons vitalis caloris. Huius domicilium & tutela est pectus; proptereáque maximum horum contagium. Ab his itaque mœniis, ne internecinus ille hostis, morbus, in his cor cingat, arceri debet. Viden vt Summus Deus illam partem, quam nostræ vitæ dominum ac moderatorem posuit, septis munierit? vt ossibus, cartilaginibus, membranis vestierit? Id enim vitalibus spiritibus (non sine valido calore,) fabricandis occupatum, euentatione ac frigore perennat suum opus. Omnis enim ignis his fraudatus extinguitur ilico. Flabellam hanc illi mouet Pectus respiratione. Sunt autem tria Respirationis instrumenta; alia enim sunt excipientia, vt pulmones; alia deducentia, vt aspera arteria & larynx: alia mouentia, vt thorax. Quorum excipientia in Asthmate spirandi difficultatem præstant: in angina, deducentia: in pleuritide, mouentia. Mouentia sunt thorax, qui cùm cótineat, plurimas partes, primùm agemus de continentibus morbo obsessis. maximè verò cuncta ibi continet membrana quæ costas ambit. Est autem Pleuritis, doloris punctoria acerbitas, profecta à continui solutione tunicæ costis intextæ, cuius causa est phlegmone systrophica: quæ consectariam habet tussem, assiduam febrem, ac durum pulsum. Dixi adesse punctoriam doloris acerbitatem; eius causa est distentio soluens continuum membranæ, partis acerrimi sensus, cum intemperie magna. Hinc fit difficilis respiratio, ob contumaciam thoracis, qui necessitati non respondet: & concussio thoracis frustrà concitati. Dixi huius causam esse phlegmonem, nec enim hæc symptomata aliunde euenire possunt: sunt enim humoris morbifici & partis obsessæ propria, cum sympathia partium sociarum & vicinarum, vt pulmonum & cordis: vnde sicca tussis & febris. Nam dolor punctorius & difficultas spirandi, sunt propria tunicæ costis intextæ; vnde contumacia thoraci adfertur, & impeditur libera respiratio. Et

Pectoris vsus.

Respirationis instrumenta.

Pleuritis quid.

Definitionis explicatio.

Pathognomonica signa vera.

propterea hæc signa sunt verè pathognomonica inflammationis pleuriticæ. Nam à phlegmone, vt phlegmone est, inseparabilia sunt, rubor, calor, pulsus, renixus, & dolor. Adeò vt Pleuritis sit quoddam *σύνημα* vel aceruus trium summorum generum morborum. Etenim vt est tumor, refertur ad ametriam: vt verò est tumor consociatus cum feruore, ad intemperiem ducitur: vt verò tumor is cum summa intemperie, continuitatem partium distentione rumpit, ad solutionem continui pertinet. Quare hîc non ago de omni dolore (nam [illegible] fit a flatu) sed de pleuritidis dolore. Diximus præterea in Definitione, assiduam febrem adesse. Hæc febris prouenit ob locum affectum, qui non longè abest à corde. nam arteria etiam aorta singulis costarum spaciis ramum de se præbet, conspicuum admodùm, qui sub membrana excurrit vnà cum ramo venæ azygos. Dolor est ab affectu: sed punctorius, à loco affecto. Tussis est à sede affecta, ex qua necessariò debet aliquid exudare. Non est autem in Pleuritide dolor lateris pulsans, quia in hac membrana non sunt arteriæ, sed subter membranam excurrunt. Quare si in musculis interioribus, vel exterioribus hæserit Pleuritis, aderit dolor pulsatorius. Diximus in Definitione, A solutione tunicæ costis intextæ. Videtur enim veræ Pleuritidis materia hærere in ipsa membrana costas intexente, eiúsque substantiam occupare, quæ ob sui densitatem suscipit biliosum sanguinem. Et quamuis intimi musculi intercostales inflammentur, attamen ea biliosi sanguinis fluxio, causa inflammationis, traducitur in membranam quæ costas intexit. Quare necesse omnino est, pariter cum ipsis intimis costarum musculis inflammatis, hanc membranam in eandem iniuriam trahi. Veluti aliquando, vbi costas intexens membrana primario ex affectu laborat, intercostalium musculorum partes internæ similiter ei consentiunt. Verùm exquisita pleuritis fit, vbi intexens costas membrana primario ex affectu laborat. Semper itaque hæc membrana affligitur in Pleuritide, modò tamen acerbius, modò leuiùs. Hanc autem intextæ membranæ costis ametriam ac dyscrasiam, oculis non semper compertam puto sectis in cadaueribus pleuriticis. Acerbè enim dolent à mole non magna. Memini me Phreniticum phanaticum immani delirio abreptum secare, cui nihil in meninge, nihil in cerebro, nihil toto corpore [illegible] oculis notari potuit. Propterea Herophilus, qui in sectione humani corporis exercitatissimus fuit, dicebat, in hoc affectu pulmonem pati. Attamen Diocles, qui ante Herophilum fuit, (nam is Æsculapidûm vltimus est,) & post eum Erasistratus, & Asclepiades, membranam hanc intextam costis, affligi in hac passione dicebant; verùm dicebant non esse in lateribus tumorem. Hæc autem membrana tenuis ac robusta, costis, dorso, & internis pectoris ad iugula vsque ossibus inhærens substrata est: quod doctè etiam annotauit Aretæus. Hactenus de Definitione eius; iam Causas perpendamus Pleuritidis. Definiuimus Pleuritidem esse acerbum dolorem. at Dolor non est morbus: sed quid consectarium morbo. Sed ne fallamini, Dolor non est rei tristis sensus: sed sensatio quæ percipitur ex repentina solutione continui. Hoc est, dolor est sensio in perceptione solutionis continui, cùm repente quid mutatur ab eo, quod naturaliter est, in id quod præter naturam est. Estque πάθος * ἐν γένεσι, non ἐν γεγονέναι. Sed quæ est huius doloris causa? morbus: quis ille hîc? phlegmone. Quid est phlegmone? Est abscessus vel apostema excitatum à calidæ materiæ affluxu (sanguinis videlicet laudabilis, vel sanguinolentæ bilis) cum rubore, dolore, renixu,

Pleuritis est cumulus morborum.

Nulla tamē datur arteria sub vena azygo.

Doloris huius species.

Sedes Pleuritidis vera.

Gal. 5. loc. affect. 2.

Veterum de loco pleuritidis sententia.

Causæ.

Dolor quid.

** hoc est, in fieri non in esse.*

Inflammatio quid.

calore, pulsu,& tumore præter naturam coniuncto. Talem affectum inuadere latus in Pleuritide existimatum est. In Definitione huius phlegmones addidimus[ab affluxu]vt intelligatur sanguinem in partem affectam influere plus iusto, eóque non nutriri. Nam partes nutriuntur attractione sanguinis. Hæc autem facultas illis insita est, qua quæque pars tantum sanguinis attrahit,quantum ad sui nutritionem & conseruationem sufficit. Causa verò affluxus dolor est. Sed inflammatio Hippocrati duplex est;alia est sicca, alia humida. Inflammatio sicca , est æstus præter naturam alicuius partis, φλεγμονὴ Hippocrati; Diocli est φλέγμονι. Tale quid sæpè occupat hanc costis intextam mẽbranam:adcò vt nullus tumor oculis compertus sit. Ita Diocles, vt testatur Galenus, Melancholiam hypochondriacam nasci dicebat ex φλεγμόνης partium hypochondriis contentarum. Alia verò Inflammatio est humida. Nascitur vel à bile (contra naturam affecta) nutritia, vel à sanguine. A bile contra naturam, pepasmi capace , vel pepasmi experte. A pepasmi capace;hæc est pars naturalis tenuior & calidior sanguinis. Fit inde inflammatio ab influxu ; appellatur erysipelas. Si verò pepasmi expers fuerit hæc bilis contra naturam , erit vitiosa, propriæ substantiæ corruptione, antequam parti influit:hæc corrupta est in hepate;inde herpetes pronascuntur. Vel vitiosa est hæc eadem bilis mixtione alienæ materiæ, vnde fit erysipelas phlegmonodes: vel fit Inflammatio , vt diximus , à sanguine contra naturam affecto,cóque laudabili,vel vitioso. Laudabili , qui prima sola qualitate & quantitate peccat in causa antecedente (vnde dicitur phlegmone κατ' ἐξοχὴν) & in causa coniuncta est corruptus : fit ab ictu,lapsu,cùm ruit in partem. Vitioso: corruptione propriæ substantiæ tam in causa antecedente,quàm coniuncta ; & est pepasmi expers. Hinc carbunculi surgunt, vel ob alienæ materiæ mixtionem,vt phlegmone erysipelatodes. Patet morbum hunc esse quid inflammatorij , ortum ducens à sanguine præter naturam ibi concepto. Is autem sanguis est plerumque biliosus,nonnunquam pituitosus,aliquando etiam melancholicus ; vel copia peccat sanguis. Est tamẽ discrimen inter eum sanguinem vnde hæc passio nascitur , & eum vnde Peripneumonia. Nam vt Peripneumonia fit ab influxu crassioris sanguinis pituitosi, vel melancholici ; ita Pleuritis prodit ex sanguine bilioso,tenui,& melancholescente tenuiore. Sed quæ sunt causæ , quæ sanguinem extra suæ naturæ lineã abripiunt , adcò vt pleuritidem gignat? Eæ sanè sunt duplices,aliæ prauum sanguinem producunt, aliæ productum sanguinem influxum abducunt. Producit hepar æstuosum , biliosum tenuémque sanguinem, qui in tenues costarum venas & arterias irruit , exilitq; inter pleuriticam membranam & costas, adeóque membranam in ipsam , vel inter musculos costis interceptos;vel biliosus hic sanguis fertur per illam venam quæ quatuor supremas costas alit,& foras extra thoracem ad eas venit. Vel ratione totius corporis calidi & humidi prouenit vberrimè sanguis. Ita etiam cor multo tenui ac bilioso sanguine circumfluens , dum irâ excandescit , expuit sanguinem in intercostales arterias : vt hepar per venam id agit azygon. Præterea fœcunda est in sanguinis copiam ciborum vbertas, & solemnis euacuatio suppressa, & vlcera non cautè occlusa. Vini generosi potus , plethoricis causis implet debile caput. Et siquis præter modum ocium amat,& esus fructuum : vnde liquescit sanguis;quod etiam fit vsu venereo. Hæ causæ gignunt talem sanguinem. Sunt verò aliæ causæ quæ productum sanguinem in fluxum prouehunt , ac eum in membranam effundunt. Triplex est huiusmodi causa, orgasmus,attractio(doloris vel caloris vi)& exclusio. Excluditur sanguis irritata ab expultrice à nimia copia,vel ab acri qualitate A nimia copia,vt dum fundit se ac æstuat à nimio exercitio,itâ,rerum agendarum,ac admonendarum ab æstu. Nam causa procatarctica est calor humores colliquans;& frigus eosdem compingens. Aërem enim qui captant foris frigidum per æstus,iis ex capite & aliis partibus excluditur materia in pectus. Ita plurimus potus aquæ algidæ eò stringit sanguinem. Attrahitur autem sanguis , vel ob dolorem, vel ob intextæ costis membranæ calorem. Nam si tunc corpus circumfluum fuerit sanguine, eo modo facilè prolectabitur ; hoc est, affluet vi attractionis. Ita intempestiuè admota remedia calida lateri , phlegmonem accersunt , vbi corpus irriguum est à sanguine. Eodem modo in se abripit sanguinem dolor,natus à partis exquisiti sensus tensione. Tensionis causa est materia aliqua, vel flatus. Dolorem infert etiam ictus. Per orgasmum verò euenit influxus sanguinis , quòd membrana hæc exuta natiuo robore, exclusos in se succos facilè admittat. Robore verò exuta est vel à primo ortu, vel quòd morbo tentata fuit. Propterea copiâ eius graue corpus, nnus in hanc deponit. Hæc causa,aliquos Pleuritidi opportunos facit,cùm aëri calido se exponunt;vel cùm plus iusto se exercent,ac mox frigori se dant. Ita interdum nascitur dolor lateris à catarrho frigido è capite lapso in externos musculos lateris. Veruntamen is non facit Pleuritidem veram,etiamsi ille frigidus humor ipsam membranam intextam costis tetigerit, & ibi tensionem & tumorem præter naturam pepererit,nisi præ nimio dolore sanguinem cô attraxerit. Nam nulla pleuritis fieri potest à materia quæ segregata est à sanguinis concretione. Verum est notham Pleuritidem excitari à cruditate quæ stabulatur in mezaraïcis venis,à materia viscida,& à fracto calore. Et fluxio,inquit Hippocrates , à capite ad pectus , Pleuritidis causa est. Propterea cùm ventorum dominatu cœlum tenetur, eueniunt pleuritides:& cùm Aquilo excipit Austrũ: tunc his,quibus languet hæc membrana,periculum hoc imminet. Scribit Aurelianus, Pleuritidem masculis frequentiorem esse quàm fœminis,& senibus; & maximè euenire æstate. Sunt autem tria vasa quæ materiam Pleuritidis transmittunt:est vena intercostalis,quæ quatuor superiorum costarum spacia alit: est & vena azygos,quæ originem ducit à trunco venæ cauæ dextra parte , quæ alit costas inferiores octo;earum enim osseis partibus dicata hæc est. Tertia fertur interna parte ossis sterni ad vmbilicum, & surculos impartitur partibus costarum cartilagineis. Est etiam Pleuritis quædam pestilens : quæ videtur inter nothas esse referenda. Fit hæc in Diaphragmatis regione , à sanguine prauo ac putrido. Hæc nasci interdum solet per febres pestiferas:dum orgasmo concita materia naturæ iniqua, nullo consistere loco potest, tandémque per phrenicos ramos in diaphragma eliditur. Diaphragma verò vexatum, ilicò membranam costis intextam in contagium sui abripit. nam sobole eius superficies eius interna ad thoracem cingitur. hoc est , nascitur à pleuritica membrana hæc , quæ tegit diaphragmatis superficiem internam. Et est maxima cordi sympathia cum diaphragmate Cordis enim inuolucrum innatum est diaphragmati. Vidi qui hanc passionem Pleuritidem veram existimabant , quíque à secta vena calamitatem dabant. Suspicio de hac apud nos esse debet, vbi pestifera febris contagia agit. Hæc de causis,iam ad Differentias abeamus. Differentiæ sumuntur à specie doloris : (nam diximus Pleuritidem esse dolorem :) quia vel valdè pungit, aut non adeò. deinde à parte affecta eiúsque situ. & à materia morbifica. A parte

affecta,

Inflammatio duplex.

Erysipelatis causa.

Herpetis causa.

Carbunculorũ causa.

4 De causis Puls.8. Vt differat causa Pleuritidis à Peripneumonia causa.

Causa producentes.

Causa influxũ abducentes sanguinem.

Omnis pleuritis à sanguine.

De loco in homine.

Tria vasa per quæ affluxus fit.

Pestilens Pleuritis.

Differentiae.

A parte.

afflicta, nam hæc est membrana, vel musculus. membrana vel interna, vel externa. musculus pectoris, vel intercostales interni, vel non interni, vel diaphragma. & tandem à causa efficiente, de qua prius dixi. Maximè autem inter costas, & membranam costis intextam se effundere potest sanguis: singula etenim intercostalia spacia rigantur à vena & arteria, quæ à vena azygos, & ab arteria aorta nascuntur. Hæc vasa bina excurrunt inter hanc membranam & musculos intercostales. vel effunditur sanguis in externos musculos thoracis; idque per illum ramum venæ cauæ, qui alit profundiores musculos brachij, scapularumque simas partes. Dum enim vena caua è thorace in axillam fertur, hanc venam eò emittit; atque hæc occulto quodã aditu foras fertur intrò, ac ramulis venæ azygos se suis ramulis iungit. Argumẽto est inflatio in hanc venam, quæ extemplò erigit venam azygos, cauam, ac iugulares. Occulti hi meãdri Medendi præceptorem non latuere; qui iussit, eiusdem lateris venam feriendam hic esse. Atque veræ Pleuritidis materiam hæc fundit vena: quæ tamen, ratione situs, notham Pleuritidem parit. Euenit autem, propter materiæ eiusdem naturæ rationem, vt hæc intrò repat, procreetque veram Pleuritidem. Et ex aduerso, vt si primùm intùs ex vena azygos subierit, transferat se foras, quòd ora venarum quæ à foris, & harum quæ internæ, sese mutuò amplectantur.

A mediastino.

Quin interdum diaphrattondes membranæ, mediastinum vocant, phlegmone occupantur: cùm nimirum mediũ pectoris punctio lacessit. Ita à parte malè affecta.

A causis efficientibus.

Differunt etiam Pleuritides, vt causæ fuerint diuersæ efficientes: prodeunt enim pleuritides à phlegmone sanguinea, biliosa, pituitosa, vel melancholica. Quin etiam flatus & catarrhus nonnunquam illud faciunt. Attamen veram pleuritidem efficit materia sanguinea, biliosa, tenuis. hæc cùm in membranam costis intextam incidit, parit verã pleuritidem materiâ & loco.

Pleuritis ex arteria.

Iudicio si standum, in eòque si quid ego iudico, puto maximas pleuritides nasci ex arteria aorta, quæ eximios ramos singulis intercostalibus spaciis affundit. Sed cur secta vena iuuat? Quis hoc ait semper iuuare? & cur non iuuet sæpe, cùm vbique riuulos ac orificia consocient venæ arteriis? Memini me iussisse copiosè sanguinem extrahere in corpore, quod, vt ait Ennius,

Et simul erubuit, ceu lacte & purpura mista.

Frustra. Puto si arteriotomiam admittere ausus fuissem, è re fortè futurum fuisse. Sed tamẽ, fateor, aqua mihi hîc hæret, vacillatque iudicium. quare hæc nõ statuo certâ asseueratione, sed virorum doctissimorum suffragia exambio. Nam quid suspicer in mediũ adfero: indicate vos qui membranam costis intextam aliquando auulsistis, ac ramos ab aorta arteria excurrentes vidistis inter hanc membranam ac internos costales musculos. Vera itaque Pleuritis hæc est, vbi internam illam membranam, vel saltem musculos illi vicinos occupat phlegmone vera. Estque propterea hic affectus vehemens, continuus, ἀν'-ἰδιοτάδην affligens, mali moris. Finitur simpliciter, vel κατά τι. Simpliciter, quia absolutè abit. hoc autem fit sensibiliter, vel occultò. Sensibiliter, vt expectorato, vel per abscessum, aut per lotium.

Signa quod sit.

Sed vnde noscemus membranã illam à phlegmone tentari? Aderit dolor pungens. respiratio erit parua & frequens, & difficilis, tussis, & assidua febris. Hæc, inquit Aretæus, nõ sparsim adesse debent, sed conspirare debẽt. Doloris punctorij causa est, distentio mẽbranæ acerrimi sensus: difficilis verò euadit respiratio, quia thorax, ob grauem dolorem, necessitati non respondet. tussis causa est concussio thoracis frustrà concitati. Febris causa est, cordis vicinia & societas cum thorace afflicto, per arteriarum riuos. Quare dolor punctorius & impedita libertas spirandi, sunt verè pathognomonica signa inflammationis pleuriticæ. Deinde ex pulsu duro & serrito affectum dignoscimus. hic enim ita asperè digitum ferit, quasi quis serram tangeret: fit id ob duritiem & tensionem mẽbranæ.

Num febris secum semper habeat.

Sed comitatúrne perennis pleuritidem febris? Cælius Aurelianus ait febrem acutam inordinatam adesse. Nunc, inquit, eodem tempore febriculæ concurrit, nunc superuenit, nunc antecedit, nec cessante febricula perseuerat. Attamen Anaxioni febris soluta fuit vigesimo die, & pleuritis vigesimo quarto. Vbi tamen vera adest pleuritis, verè adest febris.

Gal. 1. Aph. 12. & 5. De locis aff. 3.

Signa Differentiarũ.

Quia verò variam & loco & à materia Pleuritidem esse definiuimus: videamus iam quibusnam notis interstinguas quamlibet harum speciem. Si fiat hæc phlegmone in tota intexta mẽbrana, totus thorax acerbissimè dolet: rarò hoc euenit, estque euentu suo lethalis Plerumque occupat latera. Interdũ mediastinum inuadit. tunc dolor medium percellit pectus tractim in longitudine. Inter duas quasque costas sunt duo musculi, vnus internus, alter externus: Dum itaque inspiramus, deducunt se musculi externi: quare cùm hi inflammantur, ægrè spiritum trahimus. interni verò expirationi dicati sunt: his inflãmatis, ægrè expiramus. Tactu percipiuntur externi cùm in vitio sunt, & pulsatilis adest dolor, nec incubitum ferunt. Hæ notæ partem affectam denotant

Notæ causarum.

Causam verò efficientẽ ita dignosces. Adest phlegmone, hæc fit ab affluxu Sed vt varius est in corporibus sanguis, ita phlegmone illa erit vel verè φλεγμονώδης quibusdã ἐρυσιπελατώδης, nonnullis etiam οἰδηματώδης. Vt itaque quidnam tale hîc in vitio sit agnoscas, argumenta sumes ab expectorati colore, & à doloris idea, febre paroxysmisque febrilibus, habitu ægri, anni tempore, ac victu ægri. Vt si ineunte morbo expectorentur (quamuis catarrhus nõ adsit) pituitosa alba; inde nascitur. si nigrescat expectoratum, (in putredinis absentia) erit à melancholico sanguine. Variegatus color, variè remixtum succum denunciat. Num verò sit à putredine, ita dignosces: si primùm processit expectoratum rubicundum flauum, mox nigrum, id lethale. In vera phlegmonodi inflammatione, aderit tensiuus dolor, sociatus pungitiuo pulsus maior erit. Hi primò cruenta expectorant, cũ pituitosa alba materia: in statu, cruenta: in declinatione, crassa purulenta. rubet facies, caput dolet, plethora adest, vrinæ liuescit corona, quòd materia quæ in vicinis pleuræ locis constitit vratur, & cum vrinis effundatur. Si fuerit phlegmone erysipelatodes, flauescent initio, mox rubescentia sputa, non ita cruenta, & color faciei flauescit: ab ira interdum incubuit, acerrimus dolor pungit, & febris æstuat. Si œdematodes fuerit phlegmone, tardè proferuntur expectorata, albidioraque sunt, & dolor est minor, vrina crassa albescit, & cuncta sunt mitiora. A melancholia liuent expectorata, & plerumque translata ad pulmones materia enecat antequam in pulmoniam abeat.

A flatu & catarrho.

Dolor à flatu locum mutare ferè solet; à fotu mitescit: natus est à causis in flatum promptis, estque febris expers. & si à catarrho fuerit, ἀπυρεξία aderit: præterquam quòd à diaria interdum tententur ob inflammatos spiritus. Sed cùm à catarrho enascitur, primùm scapulam dolor habuit ac ceruicem, atque pressum non ferunt lateris affecti, nec à fotu leuantur, nec pulsus duritiem præ se fert. Et vt fuerit humor pluritici tumoris, ita paroxysmi cotidie vel alternis diebus sese efferent. Æstate & iuuenibus ex bile nasci solet.

Putredo, Scirrhus.

Putredinis argumentum est liuor expectorati, dein viriditas & nigror cum fœtore. In scirrhum si degenerarit inflammatio, deponet se febris sine expectorati progressu, dolorque punctilis abit in grauatiuũ; & anhelitus liberior aliquantulum ducitur, sed

Suppuratũ.

non absque noxa. Quòd in suppuratum vertatur, ita nosces: non liberali manu procedit expectoratum: nec finem expectorandi facit intra decimumquartum diem. Et cùm ad suppuratum se conuertit natura, vrget tũc dolor, febris, linguæ squalor, paraphrenitis; & anhelus redditur homo, tussis inanis vexat. Cùm iam facta est suppuratio, sedatur doloris atrocitas & febris, attamen grauitas augmenta ducit, & fixus eodem loco hæret dolor, tussicula arida, febris cũ tremore typico & inordinato.

Expuratũ.

Cùm verò ex suppurato fit expuratum, tremor occupat artus, cadit naturæ vis ac robur ægri, febrísque plerumque incandescit; nam premuntur viscera in quæ effunditur materia. Sed, post rupturam, si intra quadragesimum diem non expectoratur, abit in phthisin. Suppuratũ autem tardò in expuratum abit ante septimum diem, sed plerumque protrahitur in quadragesimum aut sexagesimum diem, maximè si dolor & febris lentescant.

Alia differentia.

Existit præterea phlegmone illa pleuritica εὐήθης ἢ κακοήθης, tum εὔκριτος ἢ δύσκριτος: pro varia quam accepit forma * τῶν ποιητικῶν καὶ ὑποδεκτικῶν, ex varia hominum natura, in temperamento, complexione, habitu, & conformatione: tum ex cuiusque diæta; in victus ratione & vitæ instituto, tum ex tẽporum defectionibus in tempestatum alteratione & alienatione.

** hoc est, efficientium & suscipientium.*

Vt interstinguantur ab aliis vicinis affectibus.

Ab aliis vicinis sibi affectibus discriminatur peculiaribus notis.

A peripneumonia.

Nam in Peripneumonia quamuis adsit tussis, difficilis anhelitus, febris continua, tamen dolor pungitiuus abest: nam grauatiuus est dolor: nec pulsus est durus, sed vndosus & mollis: genæ rubent, somnus constringit anhelitum: fitque frequens & velox, ac secum loqui videntur per somnia, & stertunt cum magno strepitu.

A iecoris phlegmone.

A iecoris Inflãmatione ita internoscitur: grauatiuus adest dolor, pulsus vndosus, facies hepaticis flauescit aut fœdo deformatur colore, tussis sæpè toto morbo sicca, & vrina deterior eis funditur quàm pleuriticis, & alui deiectio vitiosior. Nec, hepate afflicto, tam anxiam edit respirationem æger, & durities tumórque dextrum hypochondrium obsidet. Tussis non ita assiduò fatigat vt in pleuritide, & ea est sicca necessariò: quamuis, si adnexa fuerit distillatio, huius ratione madescat os: adéstque linguæ squalor.

A Diaphragmatis phlegmone.

A diaphragmatis phlegmone ita abit: etenim in huius inflammatione adest delirium, nec dolor costas pungit, cáque ventris pars turget vbi diaphragma; neque est serrinus pulsus: costarum extrema dolent ad finem ossis sterni.

Falsa Pleuritis.

Mentitur interdum pleuritidem, materiã ad fibras (quibus costis inferioribus hepar iungitur) allabente, & cùm in membranis pectoris viscida & crassa materia colligitur, vnde dolor & tussis sine febre. Aut in musculis intercostalibus, vel etiam ipsis in membranis materia flatulenta dolorem acerbum procreat: verùm febris est expers hic dolor: quamuis etiam febris ob aliam aliquam causam adesse possit. Locum mutat qui à flatu dolor: attamẽ non semper. Quare nota numquid fecerit vel perpessus fuerit æger, vnde nati flatus. considera iuuantia & lædentia. Sursum repit flatus.

In Pulmoniam quod abeat.

Quòd autem in Peripneumoniam abit, ita nosces: In augmento Pleuritidis subitò dolor minuitur, cæteris peiorantibus, vt cum Aureliano loquamur, signis: genæ rubicundæ, oculorum feruor cum conductu superciliorum; tanquam in mœstitudine positorum.

INDICATIONES curatiuæ.

His positis, eliciamus notas curatiuas. Hîc acerbus dolor adest, qui respirationem intercipit, & ῥεῦμα ὁρμώμενον concitat: quare in primis ille dolor mitigari debet: Et quia in rheumate * συνισταμένῳ, tensio à sanguine influxo continuum acerbè diuellit, & ratione eius ad euacuandum id quod tendit, & ratione illius, ad reuellendum & deriuandum id quod influit, nascetur indicatio venam secandi. Adest enim hîc phlegmone à materia. Hæc autem materia est fluxa, fluẽs, & fluxura. Viden propterea vt edatur argumentum reuellendi, deriuandi euacuandi attamen, ob vicinum cor, à repressu materiæ est abstinendum. Ratione autem fluxuræ materiæ, siue ea genita sit, siue generari possit, reuellemus: & viscera corroborabimus, ne ampliùs hanc progignant. Id autem obseruabile, sæpè materiam influere vsque ad quartum diem. Cautione itaque habita totius corporis, ad ea quæ parti influxere eximenda studium conuertemus. Et quia in Indicationibus curatiuis aptè proponendis magnopere opera est opus, eúmque frequenter in consilium vocetur hoc pleuriticum malum, alia etiam linea hoc filum trahamus, quò pulchrè hoc munere defungantur Medici. δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά.

** id est, consistente.*

In Consignationibus modus.

Quoniam faciendorum Indicationes sumuntur ex Morbi essentia & natura, causis, symptomatis, & parte affecta, distinguemus priùs Pleuritidum discrimina, ab his iam dictis sumpta. Primùm quidem ab essentia (quæ est tumor præter naturam) pleuritis alia est magna, alia est parua. Magnæ (in qua symptomatum plena sunt omnia, & penè intolerabilia) debentur magna remedia: talia sunt duo, phlebotomia, & pharmacia. A materia, quæ est duplex; vna frigida (ex qua notha pleuritis) alia calida. Frigida, inquam, ortu, scilicet; non corruptione: huiusmodi est pituita. Calida verò & ortu, & corruptione. vt est sanguis in causa antecedẽte integer affluens ab orgasmo, & ab attractione, non autem ab exclusione. Vel sanguis segregatus, in vtraque causa corruptus, ab exclusione pleuritidem facit, vt cùm angina in pleuritidem degenerat, vel bilis segregata, vel naturalis non segregata. Neque enim audiendi sunt recentiores quidam, qui negant pleuritidem fieri à pituita, eò quòd omnis pleuritis sit inflammatio. Nam variæ sunt inflammationis species.

Quæstio.

Sed obiiciunt, Qui acidum eructant, raro pleuritide infestantur: ergo pituitosi raro infestantur pleuritide: & ructus acidus fit à frigiditate Respondemus eo Aphorismo Hippocratem nõ negare materiam pleuritidis esse pituitam, cùm Galenus ibi in Commentario doceat, ex sputorum diuersitate, omnem humorem huius materiam esse posse. Non ergo acidum eructantes propterea raro infestantur Pleuritide, quòd in huiusmodi corporibus desit materia pleuritidi, cùm scribat ipse Hippocrates hyeme quoque fieri pleuritides, & in corporibus frigidis: Sed quòd acidum eructantes diarrhϾ & lienteriæ sint obnoxij. Nam in his profluuiis materia ita per aluum descendit, vt in costas nõ influat. Sic hæmorrhagia causam peripneumoniæ præripit, sic quartana tollit epilepsiam. Fatemur tamen exquisitam illam pleuritidem hinc non fieri. Hyemales enim sunt pleuritides à materia frigida pituitosa, & à materia salsa in latus lapsa. Hæ æstiuis pleuritidibus, dolore, febre, & spirandi difficultate multò sunt inferiores. In his itaque nascetur Indicatio reuellendi ac educendi illam materiam pituitosam; deinde incidendi, attenuandi, & abstergendi. Præterea studiosè notandum num sit primigenia vel secũdaria pleuritis. Primigenia non fit nisi ab orgasmo & ab attractione. quare orgasmus inhibeatur; & causa attractionis, vt dolor, sedetur.

Secundaria Pleuritis.

Secundaria non fit nisi ab exclusione materiæ. Omnis autem Pleuritis secundaria, etiam cæteris paribus, tum curandi tum spirãdi difficultate calamitosior est primigeniâ; quòd materia non solùm in causa coniuncta, sed etiam in causa antecedente, per priorem morbum fuerit corrupta, & nunc reddita sit multò contumacior: præterea quòd hæc secundaria incidat in vires à priori morbo fractas. In indicationibus autem in primis ratio est habenda eius quod est; secundò, eius quod fit. Id quod est, est ipse tumor præter naturã à

materiæ

materiæ copia. Id quod fit, est affluxus ille materiæ. Primò itaque materia quæ influxit sui amotionem indicat, vt pars in suum pristinum statum restituatur. Affluxus verò inhibendus reuulsione, deriuatione, & purgatione. Materiæ amotio fit euacuatione. hæc autem est vel vniuersalis, vel singularis. Si tantùm pugnandum sit cum causa coniuncta particulari euacuatione, solo fotu cutem rarefaciemus, & sanguinem phlegmones tenuatum, per halitum digeremus. Sin non solùm contra causam coniunctam, sed & antecedentem sit pugnandum, quemadmodum accidit in impuro & pleno corpore, non solùm fotu, sed vniuersali euacuatione est vtendum; videlicet vel venæsectione, vel purgatione. A causis itaque procatarcticis antecedentibus, & à peculiari eius qui laborat natura, hæc sunt distinguenda. Quæ enim pleuritis vltrò incidit, si corpus fuerit impurum, non solo fotu iuuari potest. quæ verò à foris accidit in corpore quadrato & sano, solo fotu ea amoueri poterit. Hæc causa fuit quòd Hippocrates præscripserit

Lib. 2. De acutis.

fomenta, vt cum causa coniuncta pugnet. Fieri enim potest vt, absoluta Pleuritide, nihil ampliùs affluat.

Fotuum commoda.

Fotuum enim adhibitorum plurima sunt commoda. Primò iis Medicus explorat morbum: quia ex fotu faciendorum Indicationes sumit. Si enim fotus nihil profecerit (quòd ipsius calore plus attrahatur quàm digeratur, vel spiritus vaposus ex calore generetur, quo dolor augeatur) ad remedij certum genus se conuertet. Sin autem dolor iis cessauerit, auxilium id se inuenisse sciet, quo causam antecedentem auferat, videlicet attractionis authorem dolorem. Etenim si fomenta calida dolorem non soluerint, corpus totum insigni aliqua euacuatione indigebit. Hæc autem est phlebo-

PROGNOSIS

tomia vel pharmacia. Hi sint positi scopi. iam collineandum, num hi attingi possint: non semper facilè: quare sacrarium Prædictionum adeamus, vt inde, tanquam ex cortina, pronunciemus quid curari, quidque minimè sanari possit. Tria ad Pleuritidis & asthmatis curationem requiruntur, naturæ robur, meatuum libertas, & materiæ mitificatio. Si hæc in promptu fuerint, sanari poterit. Finitur autem Pleuritis quinque modis: aut enim resoluitur,

Pleuritis terminatur quinque modis.

maturatur, putrescit, induratur, vel permutatur. Resoluitur dum materia in tenues discutitur auras, vel dum expectorato exhauritur. de hac postea aliquantulum prolixiùs dicemus. Maturatur, cùm fit suppuratum. Putrescit, cùm corrupta materia partem in gangrænam trahit: quod calamitosum est. Induratur cùm exhaustâ tenui parte, crassior reliqua indurescit, quod rarò vsui venit. Permutatur, aliò translatâ; vnde parotis, phrenitis, paralysis, orthopnœa, syncope, empyema. Plerumque tamen expectorato; & faustè ab eo terminatur. Illud enim promptè & citò prodire debet: quod Hippocrates εὐπετέως καὶ ταχέως appellabat procedere. Promptè, hoc est facilè, leni breuique tussi: id enim benigni humoris indicium est, non lenti nec crassi. Citò, hoc est, ineunte morbo. Procedant itaque expectorata commodè in qualitate (vt colore) consistentia (vt non viscosa) tempore (vt citò) & excernendi modo (vt promptè.) Sed tripodem accedamus, non Phœbados, sed medendi optimi præceptoris Hippocratis, qui etiam θεῖον τι ἔδει, tametsi non ἐκ τρίποδος ἐκ χρησμῶν, sed Sapientiæ ex sacrario. Is ita

2. Progn. 38.

ratiocinari videtur, Is ptyalismus ad salutem præclarè facit & apparet, ex quo significatio fit integræ facultatis animalis, & libertatis meatuum qui sunt in thorace, vegetæque actionis naturæ, & bonitatis materiæ. At ille qui fit inter quaternarium primum, hoc est, qui citò & expeditè procedit, est huiusmodi. Tum autem bonum est illud expectoratum quod admodùm est commixtum (robore naturæ coquentis & commiscentis) cum flauedine. Si enim quarto die tale fuerit, tunc septimo erit album, læue, & æquale. Quasi dicat Hippocrates, citò & expeditè expectoretur: &, si quid adsit flauum, cum sputo admodùm misceatur. Hoc volebat cùm ita scripsit, ξυμμεμιγμένον τι σφόδρα τὸ ξανθὸν ἰσχυρῶς τῷ πτυέλῳ: hoc est, Tum autem flauum exquisitè permixtum videri illi ipsi expectorato. Quare illud ἰσχυρῶς non ad flauum referendum, sed ad mistionem. Nam si multo post morbi ipsius principium [vt post septimum aut decimum quartum diem] expectoratur aut flauum quid (simplex aut malè permixtum) aut rufum (prout nimirum fuerit materiæ pleuriticæ conditio) aut quod multam tussim adferat (cum difficili respiratione coniuncta: cùm tanta bronchiis excrementa hæreant, vt inde ægri reddantur anhelosi adeò, vt nec aërem possint conuenienter ducere, & fuliginem excludere) neque exquisitè permixtum sit (vnde significatur contumacia & cruditas materiæ pepasmum fugientis,) deterius est: nam post septimum diem cùm tale apparet crudum aut prauum, diuturnitas significatur morbi. Si autem nihil intra decimum quartum diem expectoretur, Pleuritis in suppuratum mutatur. Tum, inquit *5. Aph. 8.*

Hippocrates, id quod est flauum atque meracum (hoc est, mixtionis alieni humoris, aut seri naturalis, ab incendio expers) periculi plenum est, (quòd materia toto genere sit praua.) Quod verò est album, & lentum, (hoc est γλίσχρον: & vt aliàs loquitur κατάγλισχρον ἐξηνέμενον ἀπέπτως, hoc est, admodùm glutinosum sit excrementum citra coctionem. Quod enim coquitur, mudicè glutinosum euadit, non tamen κατάγλισχρον), hoc est, non summè glutinosum fit: & ideò addit ἀπέπτως, hoc est, ἀπέπτως, id est incoctibiliter) & rotundum (ab inæquali assatione) prorsus est inutile: quia non excluditur materia pleuritidis: quare mali moris significat pleuritidem. Sed vide ne materia à capite decidua interdum te decipiat, quæ nonnunquam cocta optiméque mitigata expuitur. Prauum etiam est, inquit Hippocrates, quod est admodùm pallidum (quod euenit à valido æstu) & spumans. Quodsi expectoratum ita meracum sit, (expers nimirum seri proprij, vt planè sit crassum & retorridum) vt nigrum videatur (mutationi humoris biliosi & sanguinei ad summum progressa) de hoc omnium maximè vereri oportet. cùm enim omnis pepasmi sit expers, necrosin naturæ & validum incendium arguit. Malum etiam est si nihil expectoretur (nam hoc naturæ infirmitatem, materiæ contumaciam, & meatuum obstructionem significat, aut doloris magnitudinem) nec quicquam pulmones excludant, sed à materia morbifica obsiti, in gutture serueant: nam vt ebulliens aqua sonat, ita fit in conniuentibus pulmonum vasis, vnde murmur. Expectorata verò omnia sunt calamitosa quæcumque doloris & morbi remissionem non adferunt: Quæ verò dolorem sedant, omnium maximè ad salutem expectorantur. Iam verò, ait medendi præceptor, Quorum dolorum qui in thoracem incidunt, remissio nulla adfertur, neque materiæ expectorabilis purgatione, neque alui deiectione, neque venæ sectione & medicamento purgante, nec etiam diætâ ipsâ, suppuratum futurum scire oportet: nimirum intra decimumquartum diem. Quasi dicat, decet ab his remediis auxilium expectare intra decimumquartum diem: si nihil attulerint commodi interim, in suppuratum abit. Sed languidiores intra decimumquartum diem moriuntur. Interdum tamen excurrit morbus ad vigesimum diem in suppuratum, ob materiæ

7. Aph. 38. materiæ contumaciam, & caloris natiui inopiam. At suppuratorum, dicit Hippocrates, quæcumque bilioso adhuc expectorato suppurant (dum nimirum adhuc crudum & prauum est atque pepasmi expers. nam significatio inde adfertur partem suppuratam esse in abscessu, partem autem sub forma bilis permanere: quare calor robustarum partium obsessarum non est par huic materiæ malę, biliosæ,) periculi plena sunt: (quòd illa puris inæqualitas, materiæ contumaciam & naturæ infirmitatem significet:) siue illud biliosum per se, siue puri permixtum expectoretur. Ac sanè potissimùm si illud suppuratum cœperit procedere ab eiusmodi expectorato, morbo ad septimum diem progresso (tum spes in angusto est, cùm nimirum pars supputat, pars bilis remanet; pars tamen suppurata separata est à bile. Si talis, inquit, separatio incipiat apparere die septimo, id malum: quòd indomita materia, etiam viuida naturæ vi, domari non potuit.) Atque eum qui talia expectorat, scribit id Hippocrates, metus est interiturum decimoquarto morbi die, quod longissimum est: cùm nimirum septimo die talia expectorare ceperint) nisi aliquod bonum signum superuenerit: qualia hæc sunt: Modicè & leuiter morbum perferre, spirare facilè: dolorem sedatum esse: tum etiam expectoratum facilè tussiendo reiicere: tum corpus videre æqualiter calidum & molle: & sitis expertem esse: tum etiā examinabis vrinas, deiectiones, & somnos, & sudores. Si cui conualescendum sit, cuncta hæc symbola bona adsint necesse est, si moriendum, vel vnicum malum suffecerit: cætera citiùs aut seriùs moriturum tantùm arguunt. Sunt autem contraria his mala signa, grauiter & cum anxitudine morbum perferre ac pati (si nimirum hæc iungantur cum illo sputo bilioso & purulento, quod septimo die expectoratur;) dolorem nullo modo sedari, expectoratum vix tussiendo educi (quia cunctatur in pulmonum bronchiis) ardere siti (vi febris) ipsúmque corpus à calore inæqualiter affici, vt tamen thorax vel venter conflagrare incendio videantur: frons autem, manus, & pedes frigore contra naturam obrigeant: vrinæ etiam, deiectiones, & sudores suo proprio quæque vitio laborare videantur. Nam si quid horum (symptomatum) vnà cum sputo illo (septimo die expectorato) inciderit, fieri non potest quin moriatur æger priusquam ad decimumquartum diem peruenerit, aut nono, aut vndecimo. Cùm itaque, inquit Hippocrates, ex iis quæ bona maláque incidunt, subducta omni ratione collegeris (quàm certò appareant ad salutem vel mortem) tum præsensiones effari oportet: sic enim maximè vera prædixeris. Nam si non symptomaticà vi, sed naturæ potentià huiusmodi sputum excludatur, & illa exclusio remissionem adferat symptomatum pleuritidis propriorum, & accedat integritas naturalis œconomiæ in vrinis, sudoribus, & deiectionibus, salutem prædices. At si symptomatica ratione eueniant, & nulla sequatur symptomatum remissio, sed simul accedat summa œconomiæ naturalis deprauatio, mortem prædices. Iterum, si Dioni accidat eo die huiusmodi sputum, cum remissione symptomatum propriorum, sed adsit deprauatio naturalis œconomiæ; Socrati verò id sputum accidat sine remissione propriorum symptomatum, sed accedat integritas naturalis œconomiæ: periculosiùs laborabit Socrates quàm Dion. Quia plus facit ad mortem vnum signum proprium malum, quàm ad salutem decem communia bona. Rumpitur ergo interdum suppuratum septimo vel decimoquarto die; sed tamen raro ita citò: sed plerumque rumpuntur die vigesimo, 30. 40. vel 60. computando non à primo die ægrotationis, sed quo cepit puris generatio. Vt enim materiá & loco frigidiora sunt, & quorum materia crassior est, & membrana ergastuli crassior vel densior, eò tardiùs ad maturitatem veniunt. Pleuritidem etiam per secessum commode terminari author est Auicenna. Attamen Hippocrates scribit, ὑπὸ πλευρίτιδος ἐχομένῳ διαῤῥοίη ἐπιγενομένη, κακόν. Hoc est à pleuritide (cuius vi languet vis naturæ) vehementer afflicto (ob morbi magnitudinem) malum. nam morbo fractas vires exhaurit, & significat in contagione abduci hepar nutritioníque dicatas partes, solutámque retentricem vim intestinorum. Quare magnæ & prauæ phlegmones inde significatio fit. propterea dicebat Hippocrates ὑπὸ πλευρίτιδος ἐχομένῳ, hoc est, habito, detento: vt significaret pleuritidem confirmatam & prauam, vi cuius viscera in concordiam abripiuntur. Et à tali diarrhœa vires prosternuntur, & siccitatem ori adfert, vnde τὸ πύελον subsistens, in pus abit, hinc empyema. Sed Auicenna loquitur de Diarrhœa quæ oboritur ineunte morbo, cùm natura à cacochymia pressa, eam excutit; vel tandem, cùm pepasmi elucent signa, hæc superuenit. Quare in mediocri pleuritide, vbi non nasci solet diarrhœa à κακοπραγίᾳ viscerum, à pepasmo confert. Interdum, (sed rarò) lotio excludi solet hæc morbifica materia. quibusdam enim in corporibus inserit se azygos vena ad venam emulgentem: cæteris, naturæ vi, per arterias emulgentes effundi potest. Expectorato plerumque terminatur. & quo citiùs prodeat, eò melius. Spumosum sputum malum est. Si primo die expectoratum procedat subrubrum, aut subcitrinum, vel serosum, spes erit quòd quarto die ad maturitatem veniet, quódque terminabitur septimo die. Si seriùs expectorare ceperit, & si ad maturitatem veniatur die quinto, terminabitur vndecimo vel decimoquarto die. Si ante septimum diem nihil processerit, aut si ea fuerint pauca & pepasmi experta, si fuerit vera ac acuta pleuritis, morietur ante decimumquartum diem, si vires languent: alioqui seriùs. Materia pleuritidis interdum ad cerebrum repit, vnde phrenitis, &, inquit Aretæus, coma; tandem syncope consumuntur. Qui habent ventrem naturà humidum, non ita laterali morbo tentātur, inquit Hippocrates. Repentina mors incidit in pleuritidem, cùm subito raptu materia pleuritica transfertur in cor, vnde syncope. A Sanguine quæ fit mitior est: à melancholico sanguine periculi plena est. A bile subitò mouetur, nam septimo die, quod longissimum est, terminari solet: sæpe sudoribus, & nonnunquam haimorrhagia: hac enim liberaliter ruente, liberantur. A pituita quæ nascitur, rarò ante decimumquartum diem finitur, sæpè excurrit in longius tempus; quod Anaxioni euenit: faciléque in peripneumoniam vertitur. Quod hoc modo deprehenditur. dolor minuitur, febris spirandíque anxietudo maior euadit, spumescit ampliùs sputum quàm priùs, genæ rubent. & cuncti hi ferè moriuntur. Pleuritis post alium diuturnum morbum, est calamitosa. & illa etiam periculi plena est, quæ inuadit corpus à cachexia fœdatum: nam ea pleuritis nascitur à succis ab occulta labe contaminatis. Vrina tenuis, vel rubens admodùm, mala est. sed vrinis non multum hîc tribuas, fallunt. Mala siquidem si fuerit, periculosa est: at bona, non semper est salutaris. illa enim alio morbo venas occupari denotat. Pulsus paruus, frequens, serrinus, lethalis est. Perennis si adsit dolor, sine expectorato prodeunte, calamitosum. Funesta omnibus modis est pestilens à diaphragmatis phlegmone pleuritis. Dextro in latere si concepta fuerit pleuritis, minùs inde periclitantur, inquit Auicenna. Sin sinistrum latus occupauerit ad os sterni, vbi membranæ diaphrattondes, periculi plenum id erit; ob cordis viciniam. & breui in vigorem abit. Cùm ægrè prodit

6. Aph. 16.

Diarrhœa superueniês.

Lotio indicatur.

Expectorandi tempus.

3. Prorrh. 5. De aëre.

Nam à sanguine, & aliis nam à succis.

10. Morb. 5. & Aretæus. In peripneumoniam abeuntis nota.

expecto

expectoratum, in emyema abit; hoc rigores indicant, inquit Aretæus. sedete cupiuot, (pititus detetiùs ducitur. tunc metus est oe pulmo pus multum subitò trahens, hominem suffocet. Nam pulmo, inquit Aretæus, tarus & calidus trahit in seipsum proxima, vnde subitò pereunt. propterea naturâ calidis est periculosior hic euentus. Si hæc pericula euaserint, empyi euadút. Nonnullis phlegmone & dolor erumpit, ita vt eorum locorum qui foris sunt affectus esse videatur, cùm tamen interiorum locorum vitij sit incrementū. fit enim hoc per metaptosin, manente, (non autem emigrante) primario foco. Si æger quarto die nihil vel pauca expectoret, strictoque ab anhelitu laborarit, febrisque dolorque si vrgeant, septimo die moritur. Sin quarto & septimo die mitiùs egerit, collinea ad vndecimum: in quo si sputa commodè prodeant, ac symptomata mitescant, decimusquartus meliora dabit, & decimusseptimus optima, & vigesimus salutis argumenta afferet firma. Nam, vt scribit Hippocrates, Morbi acuti omnes quatuordecim diebus terminantur. Dicimusque ex Hippocratis sententiâ, quamuis in vigesimum diem excutterit crisis, eam tamen in decimum quartum incidere morbi acuti. Quod enim asserit Hippocrates terminum acutorum morborum, quod longissimum est, esse decimum quartum diem: hic terminus referri debet ad historiam morbi, vel ad πρόθεσιν symptomatum. Ad historiam morbi, cùm ilicò primoque die explendet hoc morbi acumen; is terminatur decimo quarto, quod longissimum est: at si primùm modestè sineque acumine ingrediatur morbus, mox die quarto suum induat acumen, is decimoseptimo iudicabitur; nā is est decimus quartus κατ᾽ πρόθεσιν symptomatum, at est decimus septimus ab historia morbi. Ita si lento pedei ngrediatur morbus, verùm cùm ad septimum ventum fuerit, si tunc prodat se acumen, is vigesimo iudicabitur die: nam ille vigesimus dies, ab historia morbi computando, est decimus quartus à septimo die, quo die palam fiebat illum morbum acutum esse. Si ergo quartus dies, iu peracuto ab initio morbo, protulerit pepasmi signa, euadet æger die septimo: sin dubia illa signa fuerint, in vndecimum vsque excurret. Quodsi nono die prauæ apparuerint notæ, morietur decimoquarto. Idem iudicium esto decimiseptimi de vigesimo. Prognoses huius morbi eleganter prosequitur Galenus libro Περὶ κρισίμων ἡμερῶν, capite decimonono. & ipse Hippocrates in Coacis prænotionibus, quas diuino vir ingenio L. Duretus oou vnquam interiturís enarrationibus in lucem reuocauit. Iam ad Curationem venio. Vulgo etiam ootum est maximam curationis partem esse in prompta venæ sectione. & ratio hoc suadet. est enim phlegmone maximo dolori consociata, non sine perenni febre. Cùm itaque magnus morbus adsit, ei debetur maximum remedium: talia verò cùm duo sint, phlebotomia & pharmacia, cumque sanguineis morbis (vt phlegmone est) dicata sit phlebotomia, hæc præclarè hic in vsum ducitur. Est enim Phlegmone tumor ab influxo sanguine: & non solùm ille influxit, verùm adhuc influit. Iam verò, Quicquid eiusmodi est vt vnà auertat causam antecedentem, vnaque euacuet causam coniunctam, id præclarè ad phlegmones curationem facit. Tale autem remedium est venæ sectio. Hæc enim elicit sanguinem qui tumorem ac dolorem facit io membrana costis intexta, vt demonstrauimus antea, vbi de Indicationibus curatiuis. Summo enim studio anoiti debemus ilicò, vt quamprimùm dolor sedetur. is enim dum perseuerat, etiesit ab attracto sanguine tumor, indeque ipse etiam dolor incrementa ducit. Verùm non

2. Aph.

Hippocrates explicatur, de termino acutorum.

Cap. 16. fol. 143. Phlebotomia. & An vena secanda.

alio remedio promptiùs mitescat, quàm si is qui influxit sanguis euacuetur, nouusque affluxus auertatur. quod fit sectâ à vena. Hoc est quod volebat Hippocrates, vbi ait, Cruentum si fuerit expectoratum, à sectione venæ esse temperandum. Hoc voluit, si plena manu expectoratum sanguine mixtum procedat, ita vt inde mitescat dolor, febrisque conquiescat, non opus erit phlebotomiâ, nam natura excludit ipsa suum onus, phlegmonesque materiam elidit. Si verò sanguinem expectoratum parcè prodeat, si nec dolorem nec febrem excludat, cur non secetur vena? an non vehemens affectus? Angina si in pleuritidem permutatur, nec vena erit secanda, nec aluus mouenda, si ea laxa fuerit. Si ab extraordinaria quadam aëris constitutione prognata fuerit pleuritis, vt eùm αἱμία non fiunt αἱμίας, aliquid maligni ferre solebat, (quod τὸ θεῖον appellat Hippocrates) diuino etiam remedio, hoc est antidoto domandum: nam venæ sectio vehementer nocet. & sanè meritò: Nam ab alta excellentique quadam putredine, rationi incognita, nascitur; quæ validè cor inuadere solebat, bellumque acerbissimum mouere vitali facultati. Ita refert doctissimus Gesnerus in Epistolis, pleuritidem quandam notham apud suos grassatam esse cum tussi molestissima, quæ sudando ferè in lecto, nulla venæ sectione curabatur. & alibi, Spuria quædam vagatur apud nos pleuritis sine inflammatione & sanguinis sputo, cum febri & dyspnœa quadam periculosa. Horum quibusdam, inquit, venam non secui; oxymel dedi cum saccharo crystallino, & recreabantur. Et alia quædam affligebat cum sputo sanguinis, planè maligna, quæ intra quatriduum aliquot homines sustulit. Et postea, Pleuritis, inquit, grassatur hic maligna & contagiosa, qua multi pereunt: curandi ratio nondum constat nobis: vena in brachio secta nulli adhuc successit: nune ad melleolos secamus fœliciùs, & à principio aliquos sudare iubemus antidoto aliqua. oleum lini potum aliquibus profuit, quod etiam copiosè aluum deiicit. Et quadragesimâ nonâ Epistolâ dicit, In hac pleuritide orhii melius reppeti, sescuncia olei lini, vel amplius: qnod anhelitum mox facilitat, & aluum probè euacuat. Inde eit quòd apud Cælium Aurelianum Asclepiades testatur se vidisse apud Athenienses atque vrbem Romam, phlebotomiâ vexatos vel peiùs acceptos fuisse pleuriticos: in Pario verò atque in Hellesponto resumptos atque releuatos. Sed qua copia est abducendus sanguis? Respondet Hippocrates, dum colorem mutat. Quapropter si primùm albidior ille fluxerit, cùm purpurascit sistatur: & cùm primùm purpureus exit, dum liuescens funditur supprimatur. Hæc enim agi debent, vbi vena proxima est affecto loco: alioqui, si in aliis affectibus idem quis agere velit, nimia foret euacuatio, antequam sanguis à phlegmone abduceretur. Propterea vbi iu infimo thorace est dolor, eò non perueniatur: nam eæ partes, inquit Galenus, nutricatum suum hauriunt à vena sub corde: & cordis partes multùm inanire deberemus, priusquam sanguis phlegmones euacuaretur. Quare si in iugulo vel clauicula significatio fiat, vel in brachio aut ad mammas, vel super diaphragma grauitas percipiatur, cumulatè sanguinem, donec rubicundior multò effluat, aut certè loco robentis & puri liuidus, nam vtrumque euenit, inquit Hippocrates. modò scilicet æger par sit. Ita eadem opera causam phlegmones antecedentem auertes, & coniunctam amouebis. Coniunctæ autem amotio declaratur mutatione sanguinis rubri in liuidum. Quia quo propiùs abest sanguis à phlegmone, eò deterior est: quo verò longiùs, eò melior. Sanguis enim is qui parti affectæ est proximus, est liuidus

6. Epid 3.

In pestifera Pleuritide.

1 lib. 9 fol. 17. verso pag.

1. lib. Epist. 15.

1. Epist. 19.

Copia educendi sanguinis.

2. Acut. 10.

liuidus & ater: quia sanguis incendio conflagrans, colorem mutat & consistentiam. Talis itaque euacuatio aptissimum est remedium curandæ pleuritidi superiori, hoc est, quæ fit affluxo materiæ per venam intercostalem & mammariam. Sed tamen cautione opus est: Si enim insederit loco firmiter sanguis, & densiore membranâ costis intectâ si impingatur, non poterit ad coloris vsque mutationem abduci. Quin vegeta naturæ vi opus est, vt vna vice ad coloris mutationem eum educas. Quare non solùm ad mutationem coloris erit animus vertendus, sed etiam ad pulsum. Sed sempérne erit secanda vena? Respondet Hippocrates, venæ sectionem non æquè valere ad amouendum & discutiendum dolorem; nisi ad iugulum dolor peruenerit. Cùm enim affluxus fit per venam intercostalem, quæ non procul abest à vena axillari interna, cuius sectio sanguinisque emissio ad mutationem coloris, remouet causam coniunctam & reuellit antecedentem. In pleuritide verò costarum inferiorum, à materiæ affluxu per venam azygon, venæsectio tantùm valet ad reuellendam materiam quæ influit: non autem ad amouendam eam quæ influxit. Non valet ergo venæsectio ad omnem pleuritidem, pro causæ coniunctæ amotione. Sed quando erit pertundenda vena? Ilico, primoque die, nullus enim hic moræ locus est, inquit Aretæus, quin protinùs valenti remedio occurramus, febris enim acuta ad perniciem properat, & dolor in peius vrget, & tussis pectus caputque concutiens vires prosternit. Nisi, inquit, fuerit à crapula, tunc vnum diem interponere licet. Itaque eodem die euacuatio fiat: vt auertatur rheuma illud concitatum, ne nimis irruat in locum dolentem, fiatque phlegmone maxima. Octauius Horatianus intra tertium diem hoc agendum censet. Si cunctationi locus, vitabis diem imparem in sectione: potiusque quarto quàm tertio die secabis venam. Sed dices, Hippocrates primùm occurrit fomentis. Hoc ille egit, vt, si non plurima esset illa morbifica causa, discuteretur. Quare ille nunquam illud tentauit, vbi æstuat febris, turgido sanguine habitu, dolore atroci. Cùm increscit dolor à fotu, documento erit vberrimæ materiæ, quam potis non est exhaurire fotu. Dices, scripsit Auicenna, cùm euacuare vis, primùm seda dolorem: quare non ilico est pertundenda vena. Respondemus, duplicem esse euacuationem: vna sensibus comperta; alia, quæ fit per ἄδηλον διαπνοήν: de vltima hæc agit Auicenna. Dum enim abducitur causa coniuncta tendens partes sensu exacto præditas, sedatur dolor. Quamuis inflammatorius qui adest affectus suadeat vnica vice plurimum, vt diximus, sanguinem emittendum esse, iterata tamen sectio mirum in modum iuuat. Quare tertio vel quarto die repetatur perseuerante dolore, vt colorem vertat sanguis. Authoritatem petis? audi quid referat Actuarius: Inflammatio, dicit, & ignis facer qui in pulmone & septo transuerso, musculisque costis intextis oritur, celere auxilium postulat, ob cor quod inde calet. primùm itaque omnium vena secanda est, & bis terque, si consultum iudicabitur. Sed quænam vena erit pertundenda? an eiusdem vel aduersi lateris: an cubiti vel pedis? Hippocrates respondet, Si in iugulo vel clauicula doloris significatio fiat, (id enim significat materiam per venam intercostalem affluere) vel in brachio (distento nimirum ramo subclauio, venæque mammariæ, quæ primo ab eo ramo ducitur) aut ad mammas, vel super diaphragma grauitas percipiatur, tum iuuat pertundere venam in cubito internam: hoc est, axillarem internam, quam vulgo basilicam vocant, ductâ à ramo subclauio: qui quidem ramus fibrarum rectitudine in vicinia est, & contiguus venæ intercostali & mammariæ. Basilica statim oritur à venæ cauæ sectione: hæc dico vena, idque repeto, venæ intercostali & mammariæ, filamentorum rectitudine, est continua, & vicinitate contigua. Quare Arabes malè verterunt illud κατ' ἴξιν, ex opposito. Sed obiicies, Ea pleuritis quæ per venam mammariam in sterno excitatur, potest aliquando esse infra diaphragma: conferet ne ergo istic potiùs pharmacia? nam licet venæsectione causam antecedentem reuellas, causam tamen coniunctam nequaquam eadem opera euacuabis. Huic enim causæ præcipuè studet Hippocrates: qui propterea in inferiori pleuritide potiùs purgationem, quàm venæ sectionem præscribit. Respondemus, primum ramum illius venæ mammariæ esse venam axillarem: ideóque ea secta vtramque causam, & antecedentem, & coniunctam tolli. Sed dicet aliquis, Aretæus, Auenzoar, Archigenes, referente Aëtio, & doctissimus Manardus, extrahunt sanguinem ex brachio oppositi lateris: & Rases hoc etiam agit, si plethora adfuerit: quidam etiam saphenam eiusdem pertundunt lateris. Respondeo, omnes tamen hos in rheumate consistente morboque confirmato venam ferire affecti lateris. Et meritò. Quare, vbi adest rheuma solùm concitatum, hoc est vbi primùm fluxio incipit valenter irruere, eumque nondum constiterit rheuma, verâ & solâ (sectâ aduersâ venâ) reuulsione erit vtendum. Hæc enim reuellit futurum rheuma consistens: non enim adhuc factus est morbus validus, sed qui facilè postea excludatur. Quare vbi metus pleuritidis adest, opposita vena feriatur. vt si quis ex dextro latere affligi solet: ei quotannis sinistrum brachium aperiatur; quò discat natura abire ab imbelli parte. Sed si præsens iam adsit pleuritis, ita vt partim influxerit materia, partim adhuc influat, eiusdem lateris vena axillaris aperiatur. causas diximus. Quare semper, vbi vehemens adest dolor, eiusdem lateris vena scindi debet; hæc enim sectio sola dolorem minuit; quia causam amouet coniunctam. & natura solet à dextris partibus in dextras sua recrementa explodere. Sed dices, An non ita in latus dolens abduces sanguinem? Dico eum euacuari. Si tamen circumfluat corpus à sanguine, isque adhuc influat adeò, vt fomentis non mitescat dolor, etiamsi eiusdem lateris secta fuerit vena, eodem die vel sequenti, feriemus aduersam venam; quo caput (quod graue à sanguine est, toto venarum genere distento corpore) ad latus aduersum materiam effundat. Sed tamen, inquit Rases, si dies aliquot ægrum affligit, fluxusque constiterit, sanguis emissus ex cubito affecti lateris remedio est. Quare in sanguiplenis illis corporibus, si dolor non vrget, licet oppositi lateris venam soluere. Et hoc est quod Auicenna dicebat, cùm ait, Vbi ad longinqua trahis, primùm seda dolorem: ergo ex eodem latere, vbi dolor vehemens est, sanguis emitti debet. Quare cùm ab interceptis mensibus nata est pleuritis, si saphenam pedis vnam aperueris, nec dolorem demulcebis, nec menses euocabis; nam grauiorem infarctum facies. Quare ilico, atroci in dolore, brachium ferias; mox pedem. Sed si dolor non sit magnus, verùm si subitò & iam non admodum sit quòd repressi sunt menses, adeò vt inde certò cognoscas magnæ pleuritidis metum adesse, vtilis erit saphenæ reclusio. Sed cur Hippocrates, in illa pleuritide quæ descendit, nec iugulum petit, venæsectionem negligit, quam reuocare Galenus videtur? Respondeo, cùm vrget Pleuritis, adest phlegmone: hæc fit à sanguine quouis. Propterea ratio hinc surgit eum euacuandi qui dolorem facit: nam ni hic eximatur, non cedet dolor. Quare si ascendente dolore, vtamur

phar.na

Cautio.

Phlebotomia vsus non semper necessarius.
2. Acut. 8.

TEMPVS *phlebotomiæ.*

Dubium 2. Acut. in initio.

MODVS *agendi in Phlebotomia.*

QVÆ VENA *secanda.*

2. Acut. 10.

Dubium.

Num oppositi lateris vena secanda.

Si à mensium suppressione.

2. Acut. 10.

pharmaco, ille non eximetur: etenim non abducemus à tensa parte id quod ei incubuit. Ita cùm dolor descendit, nec is iugulum ferit, pharmaciâ abducitur materia quæ insedit parti ægræ. Verumtamen vbi se consociat ardentissima febris (quod rarò tamen euenit dolore descendente, vtpote qui à frigido crassoque sanguine euenit) tutior est venæ sectio: quamuis alioqui minus auxilij adferat quàm pharmacia. Tuta est sectio, non enim febrem incendit vt pharmacum, & sisti potest: quod hausto à pharmaco non licet. Hæc est Galeni sententia. Propterea vbi clementior est febris, ad elleborum nigrum ire vtile fuerit. Documento est Hippocratem collineasse ad causas frigidas, peplij (id est portulacæ syluestris, baccarum pepli) quum commendat vsus: nimirum ad pituitæ exclusionem: & ellebori, ad melancholicum sanguinem. quin ipse Galenus vsum colocynthidis commendat: nam metus in tam tepida febre non est vt accendatur. Icirco non sine maxima arte hæc innuit Hippocrates, qui voluit dolorem sursum repentem à tenui sanguine esse, auctore phlegmones, à qua flammat febris vehemens, cui pharmacia interdici debet. Sed deorsum verso dolore, consentaneum est hunc ortum fuisse à pituita vel melancholia, ponderibus suis depressis, vnde frigida & lenta erit talis phlegmone. Icirco relligiose consideta cum Galeno, num descendens dolor sit vehemens (quod tarò euenit:) si ita, erit phlebotomia vsui, non pharmacia: licet lento remedio veniat. Scribit doctissimus Rondeletius se nõnullos à pharmacia enecatos vidisse. *Obseruatio.* Obseruabile illud est, quòd interdum nascatur difficilis respiratio à male præscripta diæta: hîc Medici malè venam secant. Si hæmorrhagia è naribus vel vtero commodè euenerit, venam non secabis. In contumaci pleuritide sæpe iuuit repetita venæsectio. *Cucurbita.* Cucurbitulæ veniunt nõnunquam loco venæsectionis, vt in pueris: sed cùm membrana costis intexta, quæ hîc malè afficitur, totum pectus cingat, non pectori, sed infernis lumbis illæ infigantur. Quin ad materiam quæ lateri incubuit, loco dolenti cum scarificatione admoueri poterit. Semota à cucurbita compunctæ partes sale fricentur, quo ichor & sanies effluant. aut linteum sale & oleo madefactum impone: & postridie rursus affige cucurbitam, quò ichores elicias. Hoc agendum à secta vena ac post vacuationem totius corporis: quò nihil adducat alicunde in se cucurbita, solumque id quod admotæ parti inest exugat. Aretæus non ante septimum diem hoc agendum præcipit: Ægineta post decimumquartum diem vtitur his. alij à septimo vsque in decimumquartum diem vsum harum commendant, modò cum scarificatione, modò sine hac, cùm spes aliqua elucet, foras materiam abduci posse. Si à cæteris remediis dolor non mitescat, commodissimè loco dolenti imponetur. Scribit Trallianus, plerosque hoc remedium iuuisse, maximeque eos quibus irriguæ non sunt à circumfluo sanguine venæ. Sed, inquit, oportet acutissimo scalpello locum probè scarificare, quò ex alto prolectetur sanguis. Hoc modo non sine admiratione acerbissimus dolor conquieuit, vt neque fomento, neque alio præsidio indiguerit. Longus vsus docuit hoc Medicos & idiotas: nam vbi exigua copia sanguinis est, commodissima est hæc curatio. Hæc cucurbita sit lata, quò totum locum dolentem ambiat: cùm scilicet non altus est dolor, hoc est, cùm non interiùs ascendit, sed cùm in latitudinem diffusus est. Ignis sit multus, authore Aretæo; quare cum oleo subiiciatur, nec carni imprimito vasculum, sed transitus aliquis aëri detur, ita flamma diutiùs micabit: & abunde trahatur sanguis. Secundo die apposita cucurbita iuuat efficaciùs: postquam à scarificatu primo sale & oleo (si fortis sit homo) locus scarificatus illitus fuerit. Die tertio imponit Aretæus ceratum cum oleo cyprino & rutaceo: nam à loco afflicto exugit. Maximè verò probarim tales cucurbitas, si dolor ac tumor foras vergat: etiam confestim ineunte morbo, vbi plethora non adest valida. At in exquisita pleuritide, eò non venias, antequam purum sit à vacuatione corpus: ita enim partem aliquam materiæ morbificæ discutiet. Sed si adeò vergat malum, expectoratumque ritè procedat, ab his cucurbitis abstinendum. Quapropter in notha pleuritide, vbi foras vergit, maximè locum habent cucurbitæ. icirco Rases dicebat, Si rubor & tumor in conspectum se dederint, doleatque à tactu locus, incisa cute affige cucurbitas. *Emplastrum loco cucurbitæ.* Sed priusquam ita prodit, licet secare venam brachij: cùm verò apparet, noli. Rases loco cucurbitarum imponit nonnumquam emplastrum ex sinapi, donec modicè locus exulceretur: priùs tamen sectâ venâ, & purgato corpore, vel admouere licebit hoc, Accipe florum chamæmeli, maluæ, cuiusque manipulum: radicum ireos & althææ, singularum vncias tres: ficus aliquot; pistentur à coctione: adde sinapi rubri vncias quinque, cum axungia veteri, fiat cataplasma. Hoc attrahit in cutem, & dolorem sedat. vel brassicam coque in butyro, adde fimum columbinum, & pistentur simul. Verùm cùm hæc punctionibus imponuntur, notandæ erunt vires ægrorum: nam tenellulæ carnis homines ab his in syncopen præcipitari possunt. Icirco scribit Aretæus, vbi sale conspergenda sunt vlcuscula hæc à scalpello; in tolerantibus etiam hominibus, non ipsis vulneribus eum inijcies, sed super linteolum oleo madidum inspergatur: id verò super locum scarificatum extendito. Humiditates enim ex salis colliquatione manantes, minùs quàm sal mordaces sunt. *Cautio in tabidis.* Cautio adsit ne longa à tabe curiosis ac emaciatis sanguinem abducamus, cùm his lateris superuenerit dolor. Etenim secari videmus plurima talia corpora, ac deprehendimus eorum pulmones arctè, κατα φύσιν, membranæ costis intextæ adnecti. Dum enim ventosus quis vapor se inserit huic nexioni, continuò anellit. His fiat fotus sacculo cui inclusi sint flores chamæmeli, anethi semina, & cumini: hic ex vino albo lateri imponatur. Vel calidum à furno panem seca in binas partes; & theriacâ delibutum imponat. *Medicamenta ad causã antecedentem.* Medicamenta quæ ad pleuritidem præscribuntur, dicata sunt eius causæ, vel dolori. Causæ, quæ nimirum toto corpore fusa est, vel quæ pectore iam est concepta. Quæ toto corpore dispersa est, abducitur pharmaciâ; & ilicò, magnoque remedio, vt elleboro, de quo mox dicemus. Si tamen res moram patitur, vtque innotescat quo modo, si longius excurrat in tempus, haberi debeant ægri, serie, quam tamen in magno malo negligemus, rem ducam & absoluam. *Lenientia.* Si aluus restagnat, leui remedio abducatur. Cassia hîc locum habet: nam alas pulmonum explicat, naturæque est consentanea: vnde pars eius aliqua in nutricatum abit, vel delibat saltem chylum. Huic iunge interdum drachmas duas electarij de succo rosarum. Sirupus violatus solutiuus & rosatus præclarè conferunt. A eruditate si nascatur; mel rosatum laxatiuum, vel species hieræ, & pilulæ alephanginæ vtiliter præscribes. Si fuerit pestilens hypochondriaca pleuritis, cottidie iniiciatur enema. Accipe hordei mundati semunciam: violarum sesquimanipulum: maluæ manipulum: coque ad dimidias: libræ adde olei violati vncias tres: sacchari rubri vncias duas: salis drachmam: misce, fiat enema. Aliud: Accipe sacchari rubri, cassiæ recenter extractæ, cuiusque vnciam 1 olei violati vncias tres:

decocti

decocti quatuor herbarum emollientium cum hordeo & prunis, quod satis sit, fiat enema. *Praeparantia.* Parabimus materiam quò natura eius reddatur potens: id ad quartum vsque diem interdum agimus. Hæc remedia sint pectoralia. *Calidior materia.* Si causa pleuritica valdè calet, Accipe syrupum violatum, & iuiubinum, cum aqua hordei sacchatata. tandem adde syrupum capillorum veneris, & de liquiritia. Sumat cottidie vncias quatuor. Vtilis est etiam acetosus simplex sirupus. Propinantur etiam cum decocto seminum maluæ, capillorum veneris, violarum, seminis papaueris, vel florum papaueris rhœados, emulsione seminum melonum. Accipe hordei excorticati semimanipulum: iuiubarum, quindecim: sebesten, liquiritiæ rasæ semunciam: passulatum vncias duas: coque ex aqua. Vel, accipe sirupi violati, iuiubini, singulorum vnciam: aquæ violarum, vel decocti pectoralis vncias quatuor: vel tantundem aquæ tussilaginis. Addimus interdum sirupum capillorum veneris, de farfara, de liquiritia: interdum propinamus hos cum duplo aquæ hordei: vel in aqua hordei coquimus passulas & glycyrrhizam. & à ieiunio per triduum bibitur. A quarto die sensim crescat sirupi liquiritiæ copia. Sed ineunte morbo, Accipe florum papaueris erratici, & cyani, cuiusque semimanipulum: pimpinellæ manipulum: aquæ scabiosæ vel pimpinellæ, vncias duodecim: macera tepidè: adde saccharum: detur in principio ter die. Accipe priapi cerui drachmam; detur cum decocto pimpinellæ. Ita etiam propinamus scobem dentis apri. Vel, Accipe succi pimpinellæ vncias duas: aquæ rhœados vncias tres: bibat, & se sudori præbeat. eadem ratione exhibentur succi cardiacæ vnciæ quinque. Si regione quia laborat calida, æstateque feruida, perpetuò bibat serum caprillum. Si vigiliæ vrgent, sumat sirupum violarum & papaueris, cum decocto hordei. Si tussia admodum sicca fuerit, manè singulis diebus porriges iulep violatum: deinceps decoctum hordei. Post septimum diem accipe sirupi violati & de liquiritia, singulorum semunciam: aquæ tussilaginis vncias quatuor. Ore teneat diapenidium, vel diatragacanthum, vel saccharum crystallinum.

Hæc non detur cùm expectoratum procedit. nam arctant vasa, per quæ influit sanguis; ita & corallum.

Cautio. Admonuit senex ille medicus Razes, cauendum esse à calidis. nam, inquit, ex imperitorum Medicorum hallucinatione, multa huic malo accidunt augmenta: velut cùm in membrana costis interata, crassos flatus infarctos coniecturantes, confectionem diamoschum, aut huic in discutiendo & incidendo parem intempestiuè porrigunt: nam ægros iugulant hac intempestiua curatione. Si materia fuerit frigidior, nec æstu ferociat febris, fiat potio ex mulsa in qua ruta decoxit. pòst etiam incoquimus hyssopum vel calaminthum, aut origanum vel iridem, aut radices aristolochiæ, vel phu, aut chamæpityn. Sirupis vtimur de liquiritia; & de farfara: est enim farfara, authore Galeno, modicè acris, ita vt citra noxam rumpat thoracis abscessum. Oxymel simplex, sirupus de hyssopo. Si febris silet, propinamus etiam sirupum de prassio, & de calamintha; temperamus hos cum sirupo de cichoreo, (interdum addimus mel violatum) & cum decocto violarum, scabiosæ vel tussilaginis exhibemus. Quidam magno successu præbent fimi ab equo calentis, auenà pasti, globum: exprimunt cum vino albo. Sumat manè cochlear mellis cocti cum butyro, adde semen vrticæ. In diuturna pleoritide da drachmam vnam balsami ea decocto violarum & liquiritiæ. Si expectorata cruda fuerint, accipiat myrrhæ drachmas duas: croci scriptulum: piperis grana quindecim: mellis semilibram: coquat simul: sumat semicochlear. Vel accipe gentianæ, myrrhæ, aristolochiæ, baccarum lauri, partes æquales: melle cocto excipe; da fabæ quantitatem cum aqua mulsa. Hoc dictum fuit mysterium ab antiquis, inquit Aëtius. si fuerit puerpera, adde dictamnum & semen rutæ. Commendat Aëtius ari vel dracunculi radicem coctam. Si fluxus aluinus superuenit, dabimus sirupum myrtillorum. Si crudum expectoratum fuerit ac lentum, Accipe sirupi byzantini semunciam; sirupi de pomis, vnciam: oxymellis scillitici semunciam: decocti sebesten vncias quatuor: detur manè. Diatreos electarium teneatur ore. Laudat Razes, cùm procedit expectoratum, vt cottidie manè propinetur decoctum quod præscripsit capite 14. vbi De Distillatione. Verùm, inquit, si febris & vehementia morbi perseuerauerint, atque ægrè sputa procedant, præbebis decoctum à nobis præscriptum Capite De asthmate: quod etiam dum saniem excludunt, vtiliter administrabitur. Omnia quæ per os exhibentur, hyeme dentur calidè, æstate tepidè. *Pestilens.* Si pestilens fuerit pleuritis, Accipe theriacæ recentis drachmam: detur cum sirupo violaceo & aqua cardui benedicti. *Purgantia.* Iam ad purgantia venio. Vt duplici maximè ideà variat pleuritis: ita duplex forma purgandi in vsum duci debet. Est enim quædam pleuritis in qua incendij plena sunt omnia: in hac, siue superna siue inferna feriat dolor, vena secanda est, nec validæ purgationi locus esse potest. Talis plerumque est quæ superna petit, quæque iugulum vellicat. In hac non purgabimus initio, sed cùm pepasmi notæ elucescunt, iamque cùm remittit febris. Et hoc modestis, non ferocibus remediis agemus, qualia mox describemus. Cùm verò inferna petit dolor, ilico primisque morbi diebus instituatur valida purgatio, si abfuerit febris. Sed dices, Verùm ab inflammata parte nihil abduxeris purgando. Respondemus, antecedentem causam hac arte saltem vacuabimus: plurima enim restant quæ affluerent ad locum dolentem. *Dubium.* Dices, cruda materia non est purganda. Respondeo, authore Hippocrate, cùm orgasmo concita fertur, excludenda est: vt etiam si ea venenata fuerit, erit, quamuis cruda, elidenda. Nam plus periculi incumbit ab orgasmo & à veneno, quàm ab agitatione ea, quæ fit in purgatione crudoris. Præterea præceps periculum adfert illa etiam materia, quæ iam effundit se rheumate concitato in partem nobilem. Propterea Galenus libri de Venæ sectione octauo, dicit, Ineunte phlegmone, vbi suspicio adest eam fore vehementem, curatio erit auspicanda ab euacuatione, hoc est, à phlebotomia, vel à pharmacia. Sed facta iam inflammatione, non amplius tuta erit purgatio: materia enim inserta parti, reuocari nequit. Ita etiam purgandum cum pars incurritur quæ contagione affligit nobilem partem: hac ratione Galenus in puncto neruo purgat ilico, *6. Method. 5.* ne irruat succus, corpore circumfluens, in neruum, vnde phlegmone & delirium prouenirent. Excipe inter hæc, phlegmonen hepatis: nam omne purgans trahit ad hepar. Vt breuiter transigam de Purgatoria hac difficultate, ita rem habe: Morbifica materia (si sanguis non fuerit) est mitigata iam pepasmo, vel est pepasmi adhuc expers. Si mitigata, purganda. Si pepasmi expers, hæc vel poterit coqui, vel est ita alienata vt omnino sit coctionis expers. Si coqui nequit, purganda, vt aqua intercus, & venenata si fuerit materia. Sin cruda hæc materia sit pepasmi capax, ea vel quiescit, vel motu fertur. Si quiescit, coquatur primò, dein purgetur. Si motu fertur, ea feretur in principem partem, vel ad loca conferentia: Si fertur in partem principem, ilico cruda purgetur materia, nisi hepar petat, nam ita impetus in hepar maior fieret. Si ad conferentia feratur loca, præparanda erit coctione, ac dein iuuanda exclusio.

2. Acut. 15. exclusio. Sed audiamus ipsum medendi Dictatorem Hippocratem hac de re disserentem; eaque mote nostro breuibus notis eum illustremus. Sin autem, *Hippocratis locus contractim explicatus.* inquit, sub diaphragmate dolor constiterit (excitata nimirum pleuritide à materiæ affluxu per venam azygon in costis inferioribus) nec vlla eius in iugulo significatio fiat (vt nullius affluxus per venam intercostalem suspicio sit) subducenda est aluus elleboro nigro (qui humores crassos per inferiora excludit; nam eò natura viam affectat) aut peplio (hoc est portulaca syluestri, baccis pepli.) Sed ita tamen vt nigro elleboro daucum aut seseli (Massiliense) aut cuminum (Æthiopicum, quod Hippocrates vocat regium) aut anisum, aut aliud quicquam grati odoris misceas. (vt subiecto non sit molestum medicamentum: & vt discutiantur flatus, vtque os ventriculi recreent: quia omnia catharctica sunt quodammodo venenata.) Peplio autem succum silphij: (hoc est laser, quod laserpitio Cyrenaico exprimitur. Nam non omne laser subiecto est gratum: laser enim Æthiopicum ingratum est subiecto.) Sed vtræque medicinæ (nimirum peplium & elleborus niger) si inter se misceantur, sunt planè affines & vniusmodi. (euiusmodi debet esse medicamenta omnia quæ ad purgandum miscentur, ἀμυίνα vero dicuntur quæ æquali tempore, pari facultatum distinctione, patique vi suas exercent facultates: vt non properet & anteuertat vnum, & alterum cunctetur. sic enim perturbationes & tumultus in ventre fient.) Sed tamen hoc interest, quòd niger elleborus agit conuenientiùs, & crisses potentiora educit quam peplium: (hoc est, talia, quorum exclusione morbus mitescit: hoc est, etiam coniunctam pleuritidis materiam euocat:) peplium verò maiorem vim habet discutiendi flatus quàm elleborus niger. vtraque hæc (nimirum materiæ iudicij potentis eductio, & flatuum dissipatio) dolorem sedant; restitutione habitus & temperamenti: quæ tumor præter naturam *Ratio Hippocratica curationis.* immutauerat. Itaque in superiori pleuritide curanda, rectè præscribit Hippocrates phlebotomiam, axillatemque ferit interuam: quia per hanc vtraque materia, & antecedens & coniuncta euacuatur. In hac verò pleuritide inferiori, vtiliter adhibetur eiusdem venæ sectio, ad causæ antecedentis euacuationem vel reuulsionem, ob filamentorum rectitudinem. Citiùs tamen totam venam ξαοαm exhauseris, quàm ad materiæ coniunctæ euacuationem, per venæsectionem deueneris. At purgatione, causam etiam ipsam coniunctam tollis. Elleboro itaque nigro educit Hippocrates causam coniunctam pleuritidis inferioris, quia verisimile est ipsam materiam crassam esse, fæculentam, lentam, viscidam, ac melancholicam: quæ, si tenuior fuisset, potiùs in altiores fuisset delata partes, quàm in inferiores. Præter autem elleborum & peplium, dicit Hippocrates aliâ quoque exhiberi posse. vt folliculi fenæ in decocto prunorum macerati. & Gallenus hîc hieram, & medicamentum ex colocynthide præscribit, vbi febris & hominis natura corporisque dispositio ad- *Cautio.* miserit. Sed cautè purgandum est in superna pleuritide: nam febrem habet vehementem. præterea cum expectoratum procedit, illud compescit purgatio. nec solet purgantium vis quicquam elidere à parte phlegmone obsessa: estque verendus à pleuritide, alui fluxus. Propterea scribit Rondeletius, se vidisse multos à pharmacis periisse. isque solâ vtebatur cassiâ cum manna Si autem pituitosa fuerit materia, ineunte morbo, dum expectoratum nondum procedit, vtemur agarico macerato in decocto pectorali: *Lenia pharmaca.* expectioni addemus sirupum rosatum laxatiuum, vel mel violatum. Præstaret in hoc morbo perpetuò purgantia miscere lenientibus: & abstinere à stringentibus, vt sunt myrobalani. Accipe mannæ, cassiæ, cuiusque vnciam: sirupi violarei vncias duas: misce: sumat tertio vel quarto die cochlearium magnum, Hoc suauiter soluit aloom, expectoratum promouet, nec febrem inflammat. Si potum malit æger, Accipe mannæ sescunciam: sirapij violacei semunciam: cum decocto capillorum veneris, boraginis, violarum, hordei, iuiubarum, & glycyrrhizæ, eumque passulis, fiat haustus. Vel, Accipe mannæ vncias duas: cassiæ semunciam: dissolue cum decocto pectorali. Licet venire ad mannæ vncias tres: easque diluere cum decocto pectorali. Poterit etiam propinari manna cum oleo amygdalino recenti. Si mitiorum Rhabarbarum habetur, eo commodè in vera pleuritide vtetemur. accipimus enim drachmas duas, quas infundimus aquæ violaræ & scabiosæ: macerantus tota nocte: colaturæ addimus mannæ, vel cassiæ vnciam. Hactenus quæ dedimus sunt leuissima: iam mediocria propono. Accipe maturi Rhabarbari drachmas duas: agarici recenter trochiscati *Mediocria pharmaca in biliosa.* semidrachmam; infunde hydromeliti bene cocto: colaturæ adde catholici drachmas sex: sirupi violati vnciam. Si verò materia pituitosæ videatur: fumitur agarico recenter trochiscato, cum diascebesten. *In pituitosa.* Accipe agarici recenter trochiscati drachmas duas: trochiscorum de violis, paratorum sine scammonio, drachmam; infunde horas duodecim in decocto violarum: colaturæ adde diascbesten drachmas sex: fiat potus. Aliud. Accipe agarici recenter trochiscati drachmas duas: macera in oxymelite & aqua adianti: colaturæ affunde sirupi violati vnciam: eum decocto pectorali fiat potio. Sed non ante septimum diem exactum locus erit pharmaciæ, ne sistatur expecto- *Cautio.* ratum, & ne tunc quidem, si corpus valdè sit extenuatum, & febris magna. Si tamen à catarrho inte- *Cum fluxu.* stinis, ventriculóve constiterit materia, leniter exigatur. Si ingens alui fluxus obortiatur ineunte morbo, talia præscribemus quæ non intercipiunt expectoratum: vt decoctum hordei, anisi, & quatuor seminum frigidorum maiorum, cum sirupo capillorum veneris, & myrtino. à foris ventri strictio addatur. Syncope si euenerit à rupta vomica, interdum *Syncope.* lethale. si ex fractis viribus fiat, da vinum dulce cum testaurante iure. Si à vaporibus subitò cor innadentibus, reuelle frictione, ac odoriferis cor robora. Si io caput tepit materia, enemate reuelle. Aphthas elue lacte. Hactenus egimus de causa morbifica quæ toto corpore sparsa est: iam ad eam venio, quæ pe- *Ad causam coniunctam.* ctore est concepta. Hæc domatur remediis foris admotis, vel intus sumptis. Inter illa quæ foris admo- *Topica.* nentur primarium locum habet fotus. Cùm autem *Fotus.* Hippocrates, in initio libri secundi De Acutis, sollicitè agat de his, totam ipsorum naturam breuiter aperiam. Fotus Hippocrati est omnis calor qui vel *Vide Gal. com. ad 2. Apl. lib. 2. Acut. 6. Epid. 6. 5.* ab igne, vel aliqua à re calida manat, affusione aquæ vel à spongia, vel ab aliarum rerum admotione; vt fursurum, milij, salis, orobi, aliarumque rerum siccarum, & lanæ succidæ. Duabus autem vocibus expressit Hippocrates vim fotuum; vocat enim πυρίας, & διάβρεγμα: quæ dictio plura complectitur quam πυρία. *6. Aph. 31 & 2. Acut. 2. πυρία. διάβρεγμα.* Nam πυρία potiùs accommodatur fotibus siccis & mordacibus: διάβρεγμα, & siccis, & humidis, mordacibus, & morsus expertibus. Tria enim sunt prima fotuum genera: humidi, sicci, humiditatis & siccitatis participes. Humidi quidem, vel simplices, vt aquæ calidæ: vel compositi, vt ex aqua participe qualitatis maluæ, chamæmeli, fœnugræci: ex vino in quo coxit absinthium, mentha, origanum. Sicci, vt qui fiunt ex milio torrefacto, sale torrefacto, fursure torrido. Humoris & siccitatis participes,

ticipes, vt sunt quædam cataplasmata ad leniendum dolorem, vndecunque inciderit, accommodatissima. quæ fiunt ex furfure sicco, & sapa, ad consistentiam cocta pultis. Rursus, fotuum alij sunt morsus expertes, alij morsus participes, alij neutri. Morsus expertes, vt aqua calida, quique fiunt ex aqua imbuta qualitate radicis althææ, & foliorum maluæ. Morsus participes, vt qui ad œdemata parantur, ex radice bryoniæ, cucumeris asinini, inulę, & ex herbis siccantibus, incidentibus, & detergentibus: vt ex calamintha, origano, baccis & foliis lauri, stœchade, cineribus sarmentorum & ficus: item furfur cum

Vis Fotuum. sale & milio: & quædam cataplasmata. Efficiunt autem generaliter cuncti fotus, vt distenta laxentur,

6. Epid. 6. 5. repleta euacuentur, refrigerata vt calfiant. Dicit Galenus, Infrigidatione nos rarius vti in dolentibus partibus: quòd hæc superficiem ipsarum externam densent, & ob id, transpirationem coërceant, & distenta magis intendant. Solas, dicit, calidas intemperies; quæ sine copia consistunt, infrigidatio sanabit.

2. acutor. 2. Propterea Hippocrates rectè præscribit in pleuritide fotus humidos & morsus expertes: quia calidis, vt sanguineis, & biliosis affectibus, debentur fotus humidi sine morsu. nam morsus participes valent ad materiam crassam, lentam atque frigidam. Porrò summum sanitatis est indicium, si adhibito fotu aquæ, pars suppuret: quòd, teste Hippocrate, huiusmodi suppuratio, valentissimi caloris sit signũ. Ne ergo morbus fiat specie calamitosus, & ad calamitosam vim morbi accedat naturæ infirmitas, sedandus est in primis dolor. Dolor enim cuncta morbi symptomata exacuit, & naturam maximè debilitat. Dolore siquidem augetur attractio, atque adeò ipse tumor: tumore aucto, increscit spirandi difficultas, quia pulmones incalescunt, & humores in bronchiis contenti lentiores efficiuntur, & ita difficultatem spirandi augent: hinc duplex respirandi difficultas, vna in thorace, altera in pulmone: febris etiam assidua humidum primigenium exhaurit, & spiritus dissipat. Iam paucis digrediamur ad ipsum

lib. 2. Acutorum in initio. Hippocratem, ipsumque de fotibus in Pleuritidis curatione, differentem audiamus; nostroque more cum breuibus illustremus. Lateris, inquit, dolor (nam doloris meminit, quòd ille maximè eluceat in pleuritide) siue is inciderit ineunte morbo (hoc est in primigenia affectione; per idiopathiam: influente sanguine per venam intercostalem, vel azygon; orgasmo vel attractione.) siue superuenerit, (hoc est, siue succedaneus fuerit alteri morbo per diadochen vel metastasin materiæ, siue per aliam quamuis exclusionem) non alienum fuerit (quia non est tam longè dissita inflammatio vt non possit percipere vim medicamenti foris admoti: & materia facilè transfluit à partibus internis ad externas: & adest inflammatio quæ coqui debet) primùm quidem (ante phlebotomiam & pharmaciam: si naturæ beneficio nullum procedat expectoratum) fotuum vsu conari illum dolorem dissoluere (cutem rarefaciendo, sanguinemque tenuarum per halitus digerendo: vt ita minùs tendatur pars dolens. Tribus enim modis, pro specierum diuersitate, pleuritidem excludimus, phlebotomiâ, pharmaciâ, & fomentis. Verùm fomenta non sunt adhibenda, nisi priùs inhibita vel veluti suppressa causa antecedente, quæ est orgasmus. Eâ inhibitâ, causa coniuncta naturæ bonitate facilè vincetur fotu, & expectorato. Cùm verò sanguis in phlegmone non diminuitur, vel etiam vaporosus spiritus cùm ex calore generatur, augescit tunc dolor. Sanguis verò non minuitur ob totius plethoram. Nam æstu tacta pars, plus trahit aliunde, quàm fotu exhauritur ex ipsa parte. Si itaque fomenta calida dolorem non soluunt, debet corpus vacuari. Sed, inquit Hippocrates, fomentorum præstantissimum est (ad curandum, & ad explorandum) aqua calida (simplex, vel additâ maluâ, althæâ, violis, chamæmelis, & semine lini) in vtre aut in vesica, aut in æneo testaceóve vase admota. Quasi dicat, si non iuuat, detrimentum non adfert: & præterea ex ea admotione, faciendarum rerum significatio fiet. Nam in Pleuritide à bile, nihil hoc fotu præstantius: nam distenta relaxat vacuando, & acrimoniam humoris stimulantis obtundit. Sunt enim tria anodynorum genera: Primum, sanguinis bilisve acrimoniam frangens: secundum distenta relaxans: tertium, sensus tollens. *Anodynorum genera tria.* Fotuum itaque historiam orditur Hippocrates ab eo fotu, qui omnis noxæ est expers. Nam in aqua calida non est tanta vis resoluendi vt maior fiat attractio. Hoc igitur fotu restituitur naturæ integritas, tolliturque vnà causa tumoris, & dolor remittitur. Et dum studes lenire dolorem, inquiris causam doloris, & Indicationes captas faciendorum. Nam si dolor fotu cessat, dices causam fuisse bilem: & iam fluxum cessare. Sed, inquit Hippocrates, molle quippiam (vt lanam succidam carptam, vel gossypium carptum, ne inæqualitate sua phlegmonem augeat) lateri est subiiciendum, (vt huic lanæ vas aqua plenum insideat; ne vasorum inæqualitate & grauitate pars ipsa laboret, ex eoque labore dolor excitetur. Poterit etiam testaceum vas gossypio vel lanâ succidâ obduci, ne pars asperitate vel duritie molesta sit.) solatij causâ (nam fotus est [illegible], ideoque admouendus. Quòd si nihil adfert adiumenti, non nocet: quia recreatur inde natura, cor, cerebrum, stomachus. Quare venæsectio statim malè præscribitur: vt cùm catarrhus in musculos pectoris decumbit neque enim hîc phlebotomia facit ad declinationem causæ antecedentis, neque ad amotionem causæ continentis. Rogandum tamen num suppressa sic solemnis aliqua vacuatio: vel num fistula aliqua inconsideratè supprimatur: tunc enim ex palindrome sanguinis ad latus, fit pleuritis. Conuenienter, inquit Hippocrates, spongia mollis & magna ex calidâ expressa aquâ lateri admouetur: ita nimirum explorabimus morbum, & captabimus faciendorum rationem. In huiusmodi enim affectibus semper incipit Hippocrates à doloris alleuatione, quòd nihil adeò corporis infringat vires ac dolor. His igitur vtitur, quibus nihil detrimenti adfertur; imò potiùs plus humoris morbum facientis egeritur, quàm attrahitur. Sit spongia densis foraminibus obsita, & magna pro ratione partis. Spongia leuis & æqualis calorem conceptum diu continet, laterique impartit suauitatem. Sed illud spongiæ fomentum, inquit Hippocrates, superintegere oportet: si enim diutius medici voto satisfaciet, & calorem conceptum diutiùs continebit (vt iteratâ sæpiusque imbutâ spongia, deinde expressâ non sit opus: quòd calore aperti meatus, frigido occurrente facilè corripiantur) eademque opera efficietur, ne spongiæ vapor ad respirationem ægri feratur (nam huiusmodi vapor suo calore spirandi difficultatem adfert: & sua crassitudine, quia aëre est crassior, facilè pulmonum angustiam committit: quod in thoracis affectibus est pessimum) nisi fortè id ad aliquid vtile videatur: est enim locus, cùm illud fit alicuius rei: cùm scilicet pleuritis est sicca, nec vllum procedit expectoratum, in summa contumacia expectorati, vt in asthmate febris experte. Ergo in pleuritide biliosa, præstantissima est aqua calida: vt quæ distenta relaxet vacuãdo: & acrimoniam stimulantis obtundat temperando. Hoc modo agere solebat Hippocrates in pleuritide

In Pituitosa pleuritide fotus ad Hippocratis mentem.

tide ab humore crasso & lento. Non enim aquam calidam hîc conuenienter admoueris; sed ea quæ vim exsiccandi, attenuandi & digerendi habent. Nam aquæ calidæ imbecillitate, materia huius pleuritidis in flatus tantùm crassos resoluetur, à quibus maior fiet doloris acerbitas. Quia à nulla materia maiores excitantur dolores, quàm à crassis huiusmodi flatibus. Hinc vulgus frixam auenam & vino albo aspersam, ita vt tantùm intumeat, in sacculis fœlicissimè admouet. Similiter semen lini, semen anethi albo quoque vino aspersum. Propterea ita scripsit Hippocrates: Quinetiam hordeum, & orobus seu eruum (comminuta & incisa) macerata & cocta in oxycrato (vel in oxymelite, si crassior viscosiorque fuerit pleuritidis materia, & si calidæ aquæ fotu in crassissimos flatus resoluatur, vnde maior doloris acerbitas.) Huic fotui mixto est locus: digerendi, incidendi, & tenuandi gratia. Sed dices, Qui sciam viscidos crassosque humores in parte phlegmone obsessa esse? Ex antecedente diæta, ægri temperie, anni tempore, ætate, & locis. & si commemorati fotus nihil iuuerint blandiendo. nam si illi non iuuerint, nec corpus plethorâ sit graue, erit succus crassus in vitio, & hic in flatus soluitur: tunc orobo vtendum, nam soluit crassos flatus. Sit autem, inquit Hippocrates, oxycratum, in quo coquitur orobus, paulo acidius quàm quis bibere ipsũ possit (ne acrius si sit, mordeat & phlegmonem exacerbet: vel si aquosius, ignauescat: mediũ sit ergo.) in sacculos, inquit, cogatur & lateri admoueatur, (nam inest huic fotui vis quædam expellendi humores, & incidendi crassos.) eodemque modo furfurem admouemus, (madefactum & coctum ex oxycrato.) Quemadmodum autem Hippocrates in pleuritide biliosa commendauit aquam calidam: & in pleuritide ex crassa & lenta materia fotus ex incidẽtibus, detergentibus, attenuantibus, & digerentibus; ita etiam Pleuritidi ex sanguinis copiosissimi vel tenuis catarrhi affluxu præscribit fotus siccos. nam humidis hîc non est locus. Inter sicca verò sine morsu, commendat milium; cum morsu, salem. Hinc pragmatici excogitauere sacculos ex libra milij; salis furfurum, seminis anisi, fœniculi, singulis vnciis quatuor, exhauriri humiditatem nimiam capitis. Audiamus ipsum Hippocratem: Sed inter sicca fomenta (cùm nimirum iis est opus, vt in sanguinis affluxu, & tenuis catarrhi vel humoris serosi.) sales (præsertim communes & crassi: non spuma maris.) miliaque frixa & in sacculis laneis admota, accommodatissima sunt; Etenim & lene (non pondere lædit aut opprimit) & lateri gratum est milium. Ita commendat æqualitatem & leuitatem milij. nihil enim Hippocrati magis est exosum, quàm remediorum grauitas. In milio autem est vis discutiendi, ac pugnat cum humore tenui; & morsu caret. Itaque, inquit Hippocrates, fomentum huiusmodi, dolores etiam qui ad iugulum pertingunt discutit. Quasi dicat, ad omnem Pleuritidem, quamcumque partem obsederit, dolorem discutiendo valet; quare etiam soluit hypochondriorum dolorem. Vt vim fotuum rectè intelligamus, notare debemus, tria esse maxima pleuritidis remedia, fotus, venæsectionem, & purgationem. Quorum primum pugnat contra causam coniunctam, & antecedentem vnà interdum sistit. venæ autem sectio & purgatio, tollunt vel causam antecedẽtem, vel coniunctam. Vt hoc nomine fotus conuenienter adhibitus vincat aliquando venæsectionem: quòd non ad omnem pleuritidem conueniat venæsectio: sed ad omnem conueniat fotus. Sed non omnis fotus ad omnem; sed nunc hic, nunc ille, pro materiæ conditione, ægri naturâ, & morbi historiâ. Vbi enim biliosa est materia, adhibetur aqua calida; vbi crassa & contumax, mixtus fotus, qui incidit, attenuat, & digerit: vbi tenuis catarrhus, fotus siccus, morsus particeps vel expers. Hæc causa erat quòd mox subdiderit Hippocrates hanc sententiam: Sed certè venæ sectio non æquè valet ad amouendum & discutiendum dolorem: (non negat iuuare, sed, dicit, [illegible], id est, non æquè dolorem mitigat) nisi ad iugulum dolor peruenerit. Dum enim in tali pleuritide materiæ affluxus fiat per venam intercostalem, quæ non procul abest à vena axillari interna, eius sectio, dum profundit sanguinem ad mutationem coloris, non solùm declinandi aut deriuandi vim habet causam antecedentem, sed & coniunctam amouendi. In pleuritide verò costarum inferiorum, à materiæ affluxu per venam azygon, venæsectio tantùm valet ad reuellendam materiam quæ influit, non autem ad amouendam quæ influxit. Non valet ergo venæ sectio ad omnem pleuritidem, pro causæ coniunctæ amotione. Sin autem, inquit Hippocrates, ad fomenta dolor non conquiescat (ob materiæ nouæ affluxum, ab orgasmo, attractione, vel exclusione: cùm nimirum pars vna se in alteram exonerat) diu tempus, fouendo, exigere non oportet (sed calfaciendi finem facere oportet) nam hoc pulmones siccat (calfaciendo & exhauriendo: quia dum quod subtile est resoluitur, reliquum magis cogitur, & crassius redditur) & suppuratum facit. (cùm non exhauritur inflammationis materia fotu: tunc, confecto pure, ruptâ vomicâ, pus in thoracem erumpit.) Si itaque fluxus humorum cessent, poterit dolor intra duos aut tres dies sedari. Sed quia rarò eueniunt pleuritides nisi impuro corpore, rarò etiam fit, vt non aliquid morbi iam factum sit, & aliquid fiat. ideoque vtriusque, & eius quod iam factum sit, & eius quod adhuc fit, est habenda ratio. Quodsi itaque inquit Hippocrates, intra duos vel tres dies, per fomenta, dolor non cessauerit, ab incepto desistendum est; metu nimirum maioris mali. Maioris, vtpote affluxus, siccitatis, vel siccæ tabis, ab exhaustu pulmonum: & suppurati. Nam quicumque ex morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad suppurationem vertuntur. Quàm verò formidabile sit malum ipsum suppuratum, docet Hippocrates, vbi ait, Nam nisi intra quadraginta dies, à suppurato quis purgetur, in tabem ferè incurabilem is incidet. Sed obiicies Hippocratis sententiam, Omnia secundum rationem facienti, si non successerit res, non mutandum: dum id manet quod ab initio visum est. Hîc autem manet quod à principio visum est: quia incumbit in amotionem causæ doloris, & in partis restitutionem: quare in admouendis fotibus etsi dolor non cessauit, à proposito tamen non desistes. Respondeo, Dictum Aphorismum intelligendum esse, modò maioris mali periculum non immineat. Hinc patet error recentiorum, qui non solùm caldaria præscribunt, sed etiam admouent emplastra insigniter calfacientia. Hactenus Hippocraticam rationem per fotus medendi aperuimus. Prouisione itaque habita totius, totum tempus fotibus transigat: Si non mitescit malum, redi ad phlebotomiam: ea enim repetita, sæpè iuuit. Duplices autem sunt fotus; tenuantes, & mitigantes dolorem: mitigantibus locus non est, in vera pleuritide, ni primùm totum corpus fuerit euacuatum: nam [illegible] alioqui succorum augmenta ducet. Quare tũ maximè ineunte lateris dolore, vtemur fotu, cùm existimamus ab eo exhauriri posse materiam influxam, quæ non ita circumfluit copiâ: quare num parcè homo pastum inire soleat nota, & num vacuatio grauis præcesserit. Vbi autem apyrexia adest, nihil periculi à fotu erit, non occupato

Tertiû Hippocratis fomenti genus.

Fotuum vis praestans.

Cautio in Fotuum vsu.

5. Aph. 8.

5. Aph. 15.

1. Aph. 52.

Fotus duplex.

corpore à nimia succorum copia, pressúmve eorum prauitate si id non fuerit. Cùm verò tentamus magsum fotu, id ante euacuationem agimus, quò eluceat num copia materiæ in vitio sit. Si his augescat dolor, ilico seca venam. Mitigantibus verò, vt dixi, locus est à vena secta. Hi tales sint qui partem molliunt, rarefaciunt; sanguinemque, si paucus ille fuerit, *Varia fotus species.* in habitum resoluunt. Variæ autem fotuum sunt ideæ, vt antea scripsimus; nam fiunt vesicâ, spongiâ, cataplasmate. Illinimus latus primo die oleo violato: secundo, amygdalino: tertio, chamæmelino: quarto vtimur cataplasmate ex semine lini, fœnugræci, maluæ, radicum althææ, florum chamæmeli: quinto, si ad suppuratum abit, addimus adipes. Vel accipimus vesicam horum decocto semiplenam: vel eam semiplenam oleo amygdalino & decocto maluæ admouemus: his, aliis inuictus, cessit sæpè dolor. Vel fouebimus latus spongiâ madente ex decocto florum chamæmeli, meliloti, anethi, radicum althææ, seminis lini, fœnugræci: coquuntur hæc in duabus partibus aquæ & vna olei. Nonnunquam indimus vesicæ oleum anethinum: & latus vngimus pinguedine vrsi & anatis; imponimusque lanam succidam. Sed si humidus fuerit affectus, multaque ab initio profundat sputa, sacculi ex milio, furfure, sale, cumino, potiores erunt. Sed si ægrè expectorat, nunquam ab hu-*Cautio.* midis fotibus erit abeundum. Et cautio semper adsit, ne, dum dubia adhuc res est num flatus vel vera pleuritis bellum moueat, ilico venias ad illitum ex oleo chamæmelino, & rutaceo, cum semine cumini & anethi. quibus tamen in progresso morbo dextrè *3. Aph. 35.* vtimur. Quodsi fotibus dolor placatur, exactè perpende num id eueniat ratione fotus: siquidem ad primum fotus blandimentum sæpe mitescit in phlegmone dolor, quòd pars tensa laxetur: sed reuiuiscis mox ardentiùs, cùm noua immittitur materia. Euenit interdum vt, aliùs immissâ materiâ, dolor à phlebotomia non mitigetur, vel quòd densior membrana costis intexta nullum exitum concedat insinuatæ materiæ; hîc fotus maximè tunc locum habent. Et in omnibus fotibus caue, ne hi pondere dolorem dolori adiiciant. Si fuerit pituitosus sanguis, Accipe milium, furfurem, & salem, fingatur sacculus; immergatur vino & aceto in quo origanum coxit. Fo-*2. Aph. 9.* tus etiam instituitur ex cineribus tepidis. Si nihil profeceris, plus biduum non erit fouendum, ne tenue exhauriatur ex inflammata parte. Illitus fiat ex vn-*Fotus in fi-g in.* guento resumptiuo cum croco. Placet mihi vehementer fotus qui instituitur ex decocto maluæ, cum oleo amygdalino & violatum, ineunte morbo, ita vt secundo vel tertio die addamus flores chamæmeli & meliloti: si fortius quid velis, adde parietariam, vel absinthium, fœnugræcum, semen lini. Cùm id feceris aliquoties, vnge primùm oleo violato & amygdalino: dein chamæmelino & anethino, butyro: adiice adipem; tandem veni ad oleum lilinum. Vt, in pituitosa materia, Accipe radicum & foliorum maluæ, parietariæ, florum chamæmeli, singulorum manipulum: seminis lini & fœnugræci, cuiusque vncias duas: coque ex aqua: foue cum spongia. Dein vnge latus: Accipe olei amygdalini dulcis, lini, chamæmelini, cuiusque semunciam: muccaginis althææ, & seminis lini, singulas vncias. (vel earum loco adipem adde,) croci semiscriptulum, ceræ quod satis sit: fiat vnguentum molle. Sed, vt iterum caueam, Si æstu conflagrarit æger à billoso sanguine, ineunte morbo vtemur oleo violato, vel vn-*55. Meth. 17.* guento resumptiuo. Nam, in pectoris inflammatione, parca manu admouenda sunt adstringentia & refrigerantia: quod prudenter scripsit summus medendi præceptor, τὰ ψυχρὰ, οἷον χιὼν, κρύσταλλος, πολέμια. Satis enim est, vt his, clementi prædictis quadam astrictione, pectus robustius euadas: ne pars inflammata, quę caiet & dolet, tam facile, attrahendo, suscipiat materiam: suscipit autem dum laxantibus vtimur. Si tamen via cuncta fluenti materiæ intercipiatur, orgasmo quodam percellitur, ac peripneumoniam phthisinque prouocas. Quare aliquando vtimur oleo violato ad quartum vsque diem: postea miscemus oleum amygdalinum & chamæmelinũ. Ineunte etiã morbo nonnunquam miscemus oleum rosatum completum cum violato. In sanguinea & biliosa phlegmone, Accipe olei amygdalini dulcis, violati, vnguenti pectoralis resumptiui, butyri recentis, partes æquales. Si fuerit à pituitoso sanguine, iunge his oleum chamæmelinum & anethinum. Experientissimus Trallianus, si sanguinea fuerit materia, vtitur fotu ex milio. si biliosus, ex aqua fotu vtitur cui chamæmelum incoxit. si pituitosa, sale, foliis lauri, vel eruis torrefactis, vel lanis oleo anethino imbusis. si melancholia, furfuribus, in chamæmeli decocto, cum oleo anethino: hoc egregiè dolorem placat. Iam subdo quasdam fotuum formulas, quibus *Variorũ fotuum & illitionũ form.* contumax alioqui malum sæpè deuictum fuit. Accipe vngenti pectoralis, olei lini, amygdalini, adipis anserini, cuiusque drachmas duas: olei chamæmelini drachmas tres: croci grana duo: misce, fiat linimentum. initio etiam podest. eodem successu litus præscribitur ex oleo violato, amygdalino, butyro recenti, & ex pinguedine anatis; vel ex medulla lactẽsis vituli cum croco. post initium iunge adipem vrsi. Post septimum diem hoc foue, Accipe flores chamæmeli, meliloti & anethi cacumina, semen althææ, lini, fœnugræci, furfures, hyssopum, maluam, violas, incoque vino albo. dein vnge, Accipe dialthęæ semunciam: pulueris cumini drachmam: misce. Vel fiat emplastrum ex diachylo dissoluto in oleo amygdalino dulci. Aut accipe dialthææ vnciam: olei amygdalini dulcis semunciam: misce: & calidè vnge: dein insperge pulueres cumini exactè tritos: & superpone his folium caulis calfactum super cineres, ac butyro antiquo, non salito illitum: hoc præclarè omnes dolores sedat. Aretæus, insignis medicus, lateri imponit lanam sulphure fumigatam vnguento imbutam in quo anethum rutave incocta sit. Vnguentum resumptiuum & pectorale commodè oleis & adipibus miscetur: remisce sẽper aliquid croci. Cùm metus adest empyematis, iungis cataplasmatis Aretæus sinapi: vbi nimirum morbus productior, dolor pertinax, & expectoratum humidius. Vel talis fiat sacculus, Accipe florum chamæmeli, meliloti, cuiusque pugillum: seminis anethi semunciam: fœniculi drachmas duas: seminis maluæ sesquidrachmam: (si adsit flatus, seminis rutæ ℥. j) fiat sacculus: qui vino irroratus admoueatur. Accipe olei chamæmelini, & lilini: cuiusqoe semunciam: pinguedinis gallinæ, butyri, singulorũ drachmas duas: muccaginis seminis lini & fœnugræci, cuiusque drachmã: pulueris ireos scriptulum: croci semiscrupulum: misce. Si fuerit *In notha pleuritide.* notha pleuritis; vt si in musculis consederit malum, fiat emplastrum ex pice, & oleo anethi: & si frigida fuerit materia, adiice drachmas duas sulphuris. Pix, vt hoc notes, non bene liquatur ni ei aquæ aliquid affuderis. Quin cucurbita etiã in notha pluritide lateri affigatur. Accipe radicum althææ coctarum, & perfectè tritarum, vncias tres: florum chamæmeli, & seminis lini, cuiusque vnciam: farinæ hordei vncias duas: cum oleo chamæmelino & viulaso fiat cataplasma. Aliud: Accipe foliorum maluæ, & furfurum, singulorum manipulum: florum chamæmeli & meliloti, cuiusque semimanipulum: seminis althææ, lini, fœnugræci, singulas semuncias: radicum

althææ

althææ sescunciam: tere: adde pinguedinis anatis & gallinæ, cuiusque vnciam: farinæ hordei, quod satis sit vt fingatur cataplasma. Aliud, Accipe radicum althææ concissarum in taleolas, vncias duas: coque, & adde florum chamæmeli & meliloti manipulos duos: ficus sex: coque ad dimidias: & colaturæ adiice, farinæ seminis lini & fœnugræci, cuiusque vnciam: croci scriptulum, vel scriptulos duos: olei anethi & amygdalini dulcis, quod sit satis vt fiat inde cataplasma. Vel accipe vnguenti dialthææ vnciā: misce oleum amygdalinum dulce, quò fiat vnguentum molle. Cùm iam resoluendum est, addes puluerem ireos, thymi, & gentianæ: & inde superpone folium brassicæ ad ignem tabefactum, & butyro, vt antea dixi, illitum.

Suppuratio. Et cùm ad suppurationem vergit, sublato metu affluxus & phlegmones, vt euocetur humor, fiat emplastrum ex pice. Accipe radicum althææ & liliorum, cuiusque vnciam: ficus quatuor, coque ex vino albo, cum pauco aceto: dein cum oleo lilino & adipe pinsentur in mortario, vt ducat formam emplastri mollis, cui inspcrge puluerem nasturtij, sinapi, singulorum drachmam: Alij addunt lapathium acutum, semen fœnugræci: pistentur, & traiiciantur setaceo: addunt farinæ fabarum & hordei, cuiusque pugillum: iunge quid chamæmeli. Coque ad crassitudinem: mox remisce cribro traiectam materiam, dein affunde oleum oliuarum, chamæmeli, & amygdalorū amarum, & vitellos ouorum; admoue à fotu. Fiunt interdum fotus, vbi frigida est materia, ex iua, chamæmelo, cumino, aniso, fœniculo, scabiosa, ruta, aneth, malua, parietaria. Si foras erumpit malum, in augmento admoue caricas coctas cum farina hordei, & adipibus. Si fuerit œdema, ne intrò rapiatur materia, admoue vesicatoria. ita enim in pestifera agendum: & emplastrum de meliloto admoue.

Ordinis ratio. Diximus Medicamenta quæ ad Pleuritidem præteribuntur, dicata esse eius causæ, vel dolori. Causæ, quæ nimirū toto corpore fusa est, vel quæ pectore est cōcepta. Quæ toto corpore fusa est vt sit abigenda diximus: quæ pectore concepta, euincitur topicis & remediis intùs sumptis. de Topicis transegimus: iam vt peculiaribus medelis, ea materia quæ pectori insedit, eximi debeat, agemus.

Linctus. Hæc materia ad expectorationem præparatur linctu maximè.

Cautio. Sed summa cautione in horum vsu est transigendum. In omni parte inflammata adest vrens calor & tensio, quæ in membranas est violenta, quæque contiguas partes vnà in tensionem abripit. Propterea frigidis redintegrari debet: ea tamen relligione, ne repellas aut stringas, etiam ineunte morbo; maximè si phlegmone occupauerit sinistrum latus. Quare in vsum vocentur ea quæ modestè frigent & humectant, ne ex arida tussi vena se aliqua in partibus laxet.

In biliosa materia. Sint itaque frigida & humida in secundo ambitu. Mirandā vi illud est, Accipe seminis papaueris nigri, misce cum diapenidio & sapa: lingat ineunte morbo eo, qui à bilioso sanguine. Vt, Accipe pulueris seminis papaueris nigri semidrachmam: diapenidij ex sapa vncias duas. lingat. Vel Accipe seminis papaueris rubri semidrachmam: seminis botrydis drachmam, sirupi de calamintha sescunciam: lingat. Ineunte pleuritide biliosa, propina aquam citrulli & melonum, vel cucurbitæ cum sacchare. Et vtatur initio sirupo violato & iuiubarum, cum duplo aquæ sacchari: ad quartum id agat diem. Caue à sirupo portulacæ & lactucæ. Deinde propinetur sirupus violatus cum sirupo glycyrrhizæ, & de farfara. Vel accipe violarum manipulum: gummi Arabici drachmas duas: seminis cydoniorum, seminis maluæ, singulorum scriptulos duos: gummi tragacanti sesquidrachmam: aquæ libras quatuor: infunde horis vingenti quatuor, bulliant ad dimidias partes, & cum libra vna penidiorum, fiat sirupus; detur cum decocto hordei & seminis psyllij. Vtitur etiam Aretæus diacodio cum fartula campana Sirupus nymphææ; muccago seminis psyllij (nam refrigerat, sopit, mollit) cum sacharo penidiorum; ita etiam muccago althææ, & pulpa iuiubarum; vel cum saccharo crystallino Radicem althææ coque sub cineribus: dein concinde in taleolas, & coque ex aqua hordei, dum melleam ducit ideam. Accipe sirupi violarum, sirupi de iuiubis, conseruæ violatæ, sacchari crystallini, sirupi capillorum veneris, farinæ amyli, singulorum semunciam: lingat. Sæpe vtor sirupo violato & capillorum veneris: iungo interdum quid conseruæ violatæ, & diatragacanthi, vel sacchari penidiati. Cùm biliosa pleuritis consociatur crassæ destillationi, adiicio anteà descriptis sirupum de liquiritia. Vel remisce suaue insulsumque butyrum conseruæ violatum: & speciebus diaireos simplicis. Conferunt enim humectantia & modestè abstergentia. Madescat semper os ab aliqua re.

In pituitosa pleuritide. Quod si pleuritis initiū fecerit à pituitoso sanguine, initio dum expectorata spumosa, tenuia, paucaque prodeunt, propina decoctum hordei, passularum & liquiritiæ, cum sirupo violato, moxque adiice sirupum capillorum veneris. Si viscida materia fuerit, commodè inibit vsum oxymelitis simplicis: abstergit enim & attenuat, neque accendit febrem, inquit Galenus. Quin etiam opportunè hîc in vsum vocatur sirupus liquiritiæ: nam lenit & attenuat modestissimè. Ni enim in glycyrrhiza leptomeria quid valeret, non vrinalis esset. Sirupus glycyrrhizæ fiat ex aqua farfaræ: remisce diapenidion, & diaireos species. Quæ verò attenuant magis, quæque plenè concoquunt, in declinatione inflammationum offeremus; vt vrticæ semen, hyssopum, prassium. Oxymeliti itaque talia quædam tunc incoquimus. etiam decoquimus radices ireos, liquiritiæ, marrubium ex hydromelite, quod commendauit Alexander Trallianus.

Præstans remedium. Nonus melli addit vrticæ semen & amygdala. Aretæus, si liquida crudaque expectorata fuerint, accipit myrrhæ drachmas duas: croci drachmam vnā: piperis grana quindecim. mellis libram vnam: sumat ante cibum dimidiatam mystilam: confert in longo malo, inquit Aretæus.

Scribon. c. 22. Hoc medicamentum, inquit Scribonius Largus, fuit Apuleij Celti, præceptoris Valentis & nostri: & nunquam vlli se viuo compositionem eius dedit, quod magnam opinionem ex eo traxerat. per cochleatium hoc deuoratur cùm præfocari videntur à glutinoso expectorato; pleuriticos liberat ab omni periculo. datur cochleari aqu in a vel sena: nam tussim lenit, & ægri excreant facilè, eius vsu, quæ obstant transitui spiritus.

Cap. 16. Paulò aliter illud commemorat Marcellus Empiricus. Quidam hîc in secretis habent radices helenij: has coquunt sub cineribus: dein spoliatas à cortice coquunt has cum melle, vel cum decocto hyssopi, botryos, vel farfaræ. Accipe semen vrticæ, & lini torrefacti æquales partes, dilue cum melle. Aliud: Accipe sirupi capillorum veneris: adde conseruam capillorum veneris: iunge quid diaireos & sacchari crystallini. Ab ecleg-gmatis illis crassioribus lubenter abstinemus: quod minimè permittunt vt pulmones alas suas liberè expandant, qua re maximè opus est hîc, vbi expectoratum promoueri debet. Accipe oxymelitis simplicis vnciam: sirupi de farfara semunciam: looch penidiorum sesquidrachmam: lingat.

In Pleuritide à Melancholico sang. Si à melancholico sanguine inuaserit pleuritis, eadem vsui erunt quæ pituitam diximus domare. quod si ab adustione melancholescat sanguis, vt is mollescat, dabimus sirupum capillorum veneris, & de pumis, vel bora-

ginis.& fiat decoctum ex maturis minimeque astringentibus passulis;& ex ficubus. Accipe sirupum capillorum veneris, cum conserua violarum, misce postea parum mellis. A cibo, ne vomat.à lambitiuia pax sit. Vt tussim ferat, pectus illinatur oleo amygdalino dulci, cum butyro loto in decocto maluæ & althææ. Si ad suppuratum se conuartit malum hoc, erit maturandum, rumpendum, astergendum, consolidandum. Sed longè præstitisset expectorando malum exclusum fuisse: etenim à supputato metus tabis adfertur. Cùm tamen nobis etiam nolentibus eò repit malum, suppuratum promouebimus decocto ficuum ex mulsa, ad crassitudinem mellis deducto, cui iungemus crocum. Hoc etiam prouebit ad maturitatem, Accipe muccaginis caulium & seminis althææ, cuiusque semunciam: muccaginis ficuum drachmas duas: butyri recentis, & olei amygdalini dulcis semunciam: croci semiscripulum: leni igne misce, & cum cera fiat vnguentum molle: extendatur super lanam succidam; quater die illine, ac applica. Accipe iuiubarum, sebesten, vtriusque numero quindecim: glycyrrhizæ, passularum, cuiusque semunciam: radicum maluæ, althææ, inulæ, cuiusque semunciam: dactylorum, ficuum, vtriusque duo: coque ex aquæ libris duabus, ad mediæ partis euaporationem: colaturæ affunde olei amygdalini dulcis recenter extracti vnciam: sacchari quod satis sit. semper aliquid huius iolabij ore contineatur. Rumpit abscessum tussis, vociferatio, vomitus, sternutatio, concussio corporis vehemens. Si symptomata mitigantur superstite grauitate lateris, stude vt ex suppurato fiat expuratum. Accipe radicum althææ vncias quatuor: contusis his adde butyri vnciam vnam: mellis sescunciam: stercoris columbini drachmas duas: misce: & calidum loco qui priùs dolebat admoue. Facto exputato. purga vlcus aquâ hordei saccharatâ: &, si febris remissior, hydromelite, vel aquâ ex melle distillatâ, aut decocto cicerum rubrorum. Accipe aquæ hodei libram: mellis rosati vncias tres: radicum althææ semunciam: bulliant ad tertiæ partis consumptionem: lambat colaturam sæpe. adiici potest inulæ radix. Vel coque inulam, quam dein misce cum melle & saccharo, fiatque linctus. Vel vtatur sirupo nicotianæ. Secretum quibusdam est remedium, si quis quater in die bibat vncias quatuor aquæ hederæ terrestris calidè: nam mundat à sanie, & arcet empyema & phthisin. Dein glutina bolo, symphyro, & talibus. Obseruatione dignum quod doctissimus Aretæus annotauit, Si, Inquit, incolumes reddũtur Pleuritici, paulùm tamen adhuc tussiunt, & caliditas subinde repetit atque infestat: ad hæc penitùs discutienda, maturandum est. Aut enim quæ relinquuntur recidiuas faciunt: aut ad suppurationẽ conuertuntur. Curationis capita breuiter repeto. Si pituitosa fuerit Pleuritis, à vena secta iniice clysterem ex oleo rutæ cum butyro. Dein foue locum oleo in quo coxere ruta, anethum, & flores cyperi: adiice interdum aliquid sulphuris. hoc agat ad tertium vsque diem. Quarto die fiat cataplasma ex farins seminis lini, melle, & oleo rutæ. Si expectoratum fuerit liquidius, misce farinam seminis fœnugræci. Et si expectorato liquido prodeunte, dolor perseuerat, studendum vt foras suppuret: quare sinapi misce in cataplasmate & semen nasturtij, & pyrethrum. Et vt cataplasma nõ algescat, impone illi vesicam semiplenam oleo tepido. Post septimum diem si perseuerat dolor, scarificatæ cuti admoueatur cucurbita, & linteolum imponatur scarificatis partibus oleo & sale madẽs. Sequenti die iterum admoue cucurbitam, quò sanguis saniosus ac vlcusculis impactus extrahatur. Tertio die à scarificatione, ceratum rutaceum lateri ac vlcusculis imponatur: nec vnquam nudum latus relinquatur. Hac arte vel discutietur, vel in pus mutabitur materia morbifica, S. Deo iuuante. Si in pus, id promoue cataplasmate ex radicibus althææ, & caricis. Postea, cùm meliùs expectorat, radicem siccam brassicæ vnà cum cauiibus vres; & excipies cinares veteri axungiâ suillâ, vt fiat cataplasma, quod impones cũ folio brassicæ: id discutit ac mitigat dolores. Si diu perseuerat dolor, adde baccas lauri, aliquid nitri & euphorbij ac seminis rutæ, rubedo inde efflorescet. Sed, antequam prouisio habita sit totius corporis, hæc agi non debent. Tunc etiam præclarè conferunt hæc, Accipe florum chamæmeli, meliloti, maluæ, cuiusque manipulum: seminis fœnugræci semunciam: fiat decoctio ad libram vnam ex aqua: foueat latus expressis in hoc decocto spongiis. Dein accipe olei amygdalini dulcis, chamæmelini olei, pinguedinis gallinæ, butyri recentis, singulorum semunciam: fiat linimentum. Si tenui à materia ac acri natus morbus sit, accipiat decoctum violarum, capillorum veneris, passularum, & glycyrrhizæ, cum sirupo iuiubino, violato & tussilaginis: lingat sirupum violatum vel iuiubinum cum diatragacantho: postea vtatur sirupo capillorum veneris. Purga diacatholici vncia: vel accipe cassiæ drachmas sex: electarij de succo rosarum drachmas duas: sirupi violari, & rosari, cuiusque semunciam: & cum vnciis tribus decocti pectoralis fiat haustus. propinetur opportuno morbi tempore. Si flatulenta fuerit materia, sumat diacatholici drachmas quinque vel sex: specierum hieræ semidrachmam: nam hîc febris abest, estque dolor vagus. Coque flores chamæmeli ex ceruisia: potet, modò non sit mulier ingrauidata; & illinat latus oleo anethino & rutaceo. A grauiori pharmacia abstineat & à phlebotomia. Vel fiat sacculus ex semine cumini, & floribus chamæmeli; immerge eum vino albo. Vel fabrica sacculos ex furfure, floribus chamæmeli, rutæ, anethi semine, & lini, & nigellæ. Vel coque illa ex aqua pluuiali, & cum spongia foue. Dein illine oleo amygdalino amaro, & chamæmelino: & panno albo laneo contegatur latus. Extenuatis ita flatibus, cucurbitam admoue quatuor vel sex digitis sub loco dolente: sit ea magna, sine scarificatione, largamque flammam habeat: bis vel ter eam admoue. Si hoc modo non discutitur flatus, argumento erit pituitam viscidam in vitio esse, quæ magis attenuanda erit apozemate ex radice inulæ, petroselini, hyssopi foliis, seminibus ex quatuor calidis: iunge liquiritiam & paussulas: libræ colaturæ adde sirupi byzantini & oxymelitis, singulorum sescunciam: sacchari vnciam: duobus diebus hoc vtatur: dein purga. Accipe agarici scriptulos quatuor: turperi semidrachmam: zinziberis scriptulum: infunde aquæ capillorum veneris & vino. Colaturæ adde diacatholici, & benedictæ laxatiuæ, cuiusque drachmas duas. His actis, repete fomenta & cucurbitas. Vtatur radice inulæ condita cum aniso: & frica locum dolentẽ diu manu madente ab oleo amygdalino amaro & aqua vitæ: deinde tege panno laneo molli, albo. & bibat interdum decoctum florum chamæmeli. Cautione summa in phthisicis à latere laborantibus transigendum: nam bis nonnunquam immittuntur pulmonibus venti contumaces; cùm horum pulmones, perpetuis circumflui madoribus, adhærent lateribus pectoris, quasi bis agglutinati præter naturæ legem, solùm fotus & sacculi admoueantur, cucurbitæ, & deinde emplastrum de meliloto. Iam ad Diætæ rationem venio. Hæc summa hîc cautione præscribenda, nam vt opportunè illa

Svppvratvm.

Obseruatione.

Anacephalæosis ex Aretæo.

Optima quædam remedia.

Ad flatum.

Cautio in phthisicis.

Victvs ratio.

illa aut sinistrè in vsum ducitur, ita vel in salutem vel in mortem trahuntur ægri. Occasio medendi ac nutriendi momentanea ac fugax est in pleuritide nā vel ipse cibus optimus, qualis est prisana, enecat, si non loco ac iure exhibeatur in decursu huius ma-
Ex libris de victus ratione in morbis acutis. li. Quare ex sententiâ Hippocratis hanc rem transigere volo. vt Hippocrates ostendat mortis causam sæpè esse cibum nec loco nec iure exhibitum, in primis dotes quamplurimas optimi edulij enumerat, nimirum prisanæ, quæ tamen enecat, non opportunè propinata. Hac enim ratiocinatione vti videtur,
2. Acut. 38. Quicquid calorem febrilem (quia omnis morbus acutus est cum febre symptomatica, vel est ipsa febris essentialis) extinguendo, pugnat cum febre, humoris putris portionem pepasmi participem mitificando, alteramque portionem, quæ est pepasmi expers, excludendo: obstructiones, quæ sunt causæ antecedentes febris, tollendo: præterea quod stomacho qualitatibus primis, secundis, & totâ substantiâ est gratum, & omnis molestiæ expers: id conuenienter ad morbos acutos præscribi potest. Huiusmodi autem est prisana. Calorem enim febrilem extinguit. Nam perpetuò frigidum manet hordeum, ex quo conficitur prisana, vt scribit Galenus De alimentorum facultatibus, vbi De hordeo, neque vlla arte vim calfaciendi acquirere potest. Sed, omni præparatione adhibita, insitam refrigerandi vim retinet. humectandi verò vel siccandi vi, variè, pro varia præparandi ratione augetur. Hordeum enim glumâ suâ castratum, in aqua coctum donec quàm maximè intumuerit, humectandi vim acquirit. Humorum etiam putrium vim infringit: nam prisanæ succus est mitis, læuis, & moderate humidus. Portionem pepasmi participem ipsius materiæ morbificæ, læuitate adiuuat ad coctionem: & alteram, pepasmi expertem, excludit per lubricitatem & per contemperationem. obstructiones fluiditate tollit. Stomacho grata est, omnibus à qualitatibus totaque substantia. Molestiæque omnis est expers; nam sitim inducere nequit, cùm nec calfaciat nec obstruat, nec in bilem vertatur. Stomacho etiam tumultum non infert, quia succo est æquabili, omnis flatus expers. Prisana igitur, ex sua natura considerata, cibariorum omnium cerealium præstantissima rectè est
2. Acut. 31. habita in morbis acutis. Attamen, inquit Hippocrates, si cui conclusis adhuc in aluo fæcibus sorbitionem ex prisana dederis, nondum aluo subducta clystere, conceptum iam dolorem exacuet is: aut si dolore careat, statim nouum inducet: tum etiam frequentior & suspiriosus fiet anhelitus: nam à cibo ingesto distenditur venter & intenduntur intestina, vnde comprimetur diaphragma. Quod his de causis malū est, nam crebro motu pulmones incalescunt ac desiccātur. Quare illa nobis cautio adhibenda est in lateralis doloris assiduitate, qui ad fotus nihil omnino concesserit (sæpe affluente materia noua) nec expectoratum rectè procedat (sed si siccus manet morbus) sed cum summo lentore concoctionis expers sit, (ita vt cum summa difficultate excludatur) nisi dolorem quies sedauerit aut aluum ciendo (in pleuritide costarū inferiorū cathartico ex elleboro) aut venam secando (ad mutationem coloris, in pleuritide costarum superiorum, ad amotionem causæ coniunctæ) aut alterutrum adhibendo quod duxerit esse vtile, prisanamque cum ita adhuc affecti sunt (hoc est dum doloris summa adhuc sunt omnia, nec vlla pepasmi signa edantur in propria morbi materia) dederit, celeriùs opinione hi moriuntur: nam pereunt intercepta respiratione, & suffocato calore natiuo: Quia labefactabitur vtraque œconomia, nutricatus, & respirationis. Hac itaque de causa, inquit Hippocrates, illi qui integra prisana inconsideratè
2. Ac. 34. vtuntur cùm siccus adhuc est morbus, & doloris cùm adest assiduitas, & respirationis difficultas, septimo die aut celeriùs moriuntur, strangulato calore ab intercepta respiratione. Alij quidem mente percalsi (per materię morbificę metastasin ad caput) alij verò ab orthopnœa, & stertore strangulati: à materiæ contumacia, bronchiorum obstructione, & lateris infirmitate. Ab inopportuna enim huius prisanæ propinatione, anxia redditur respiratio. Itaque frequen-
s. Ac. 37. ti & multa respiratione quamuis nitatur thorax, tamen expectoratum cum summo lentore coniunctum pepasmique expers, transmissionem spiritus prohibet. Atque ita, inquit Hippocrates, in ægri perniciem mutuas tradunt operas; expectoratum enim dum cunctatur suppressum, densam efficit respirationem: hæc autem densior reddita expectoratum glutinosius reddit, effluereque prohibet. Quare si
2. acut. 22. adhuc siccior sit morbus, copiosiùs tunc prisana exhibenda non est: sed ante sorbitionis accessionem præstat propinare melicratum, aut vinum dulce, prout alterutrum videbitur consentaneum. Vtendum
2. acut. 43. itaque potione si quis dolor viget, in sicco morbo, oxymelite. Quodsi inexplebilis sitis adfuerit, & melicrato dilutissimo, & aqua vtendum. Non enim
Oxymelitis dosis. oxymelitis tantum præbendum quantum postulat æger, quia ab eo labefactatur aluus. sumat vna dosi vncias tres. Nam oxymelite in magna copia non est vtendum. propterea Hippocrates ad melicratum & aquam abit. Morbus petit oxymel: (ad incidendum, attenuandum, & ad explicandas pulmonum alas, quò expectoratum procedat) sed si eo sitis non extinguitur, melicrato vtemur: si nec illud sitim placarit, ad aquam eundum. Deinde verò post melicrati aut oxymelitis vsum, si & dolor concesserit
2. Acut. 44. (fotu, cathartico, sponte naturæ, venæ sectione,) nec aliud vllum signum calamitosum appareat, (non stertor, nec difficultas spirandi) sorbitionem dare oportet ilicò non plena manu (cùm os humescere inceperit, & expectoratum procedere) neque multam (quia diuturna officij vacuitate facta est aluus ignauior) sed exacto morbi septimo vel nono die (nimirum abstinendum à multa & crassa prisana) si ad illud tempus vsque ægri vires valeant, id faciendum. Cùm autem iure prisanæ vsum init (sopito iam
2. Acut. 45. Distinguit Hippocrates anxiè inter vsum glandis & clysteris: quare non fortibus vtitur remedijs dolore, ac procedente expectorato) si pridianæ fæces non aluo cesserint, siquidem valeat æger, & sit florenti ætate, clystere cienda est aluus emolliente: si autem infirmior sit, balano qui ex melle cocto conficitur: nisi vltrò conuenienter feratur. Et cùm æger iure vtitur prisana, hoc est, iam sedato dolore, ac procedente expectoratu, videndum erit vt loco
2 Acut. 46. etiam ea vtatur. Nam, inquit Hippocrates, cùm frigidi sunt pedes (quod euenit initio paroxysmi per affectionem caloris natiui, à contrariæ materiæ occursu in superiore ventre) prisanæ vsum inhibere oportet (ne corrumpatur in ventriculo à materia morbifica, fiatque morbi causa; & ne in thorace difficultatem spirandi adferat) maximeque poto abstinendum. Sed eùm febrilis calor ad pedes descenderit (restitutis temperatisque hypochondriis, quæ incendio conflagrabant, & thorace) tunc exhibenda prisanæ sorbitio est. Cæterùm ineunte prisanæ
2. Acut. 4[?] vsu potissimùm cremore prisanæ erit vtendum (vt assuescat natura ignauior facta, & vt faciliùs concoquat) deinde verò prisanâ integrâ. Verum qua arte accessio adiungenda sit sorbitioni, præclarè docet Hippocrates libro secundo De morbis acutis: longiùs excurrerem si huc cuncta conferre velim. Hæc
Summa. summa est. Cùm iure vtetur prisana æger, inspice motum & magnitudinem morbi, & ægri peculia-

tem naturam. Nam quò propiùs abest à statu, eo parciùs nutriatur: vt status commodè inediâ transigatur. & quo longiùs abest à statu, eò liberaliùs nutriatur, vt liceat τὴν ἀκμὴν in inedia transigere. Sensim enim copia attenuanda erit cùm venitur ad statum, ita vt biduum vel triduum per inediam tunc transigat. Sed tamen peculiaris naturæ ratio est habenda: nam picrocholi non ferunt inediam; at phlegmatiæ, facilè. Quare nota in primis ex symptomatum magnitudine motum & magnitudinem morbi, vt scias quando vigor in procinctu sit futurus: Si enim septimo vel nono die videatur is adfuturus, ineunte morbo non fraudabis ægri genium, sed cùm ferè ad vigorem ventum est. Quare longè minùs peccant illi qui ineunte morbo cyceona, hoc est mixta prauaque alimenta, offerunt ægro, quàm qui ptisanam illis præbent imminente vigore. Nam vigor transigi inediâ debet. Si igitur tardè veniet ille, primùm (placato antè dolore) liberaliùs habeantur vsque ad morbi statum: sin tertio vel quarto die expectetur vigor summus morbi, ilicò abstineat à cibo, modò vires id ferant, hoc est si non sit antè exhaustus ab aliqua euacuatione, vel si sit picrocholos homo, hic enim inediam non feret. Doctum enim medicum virium imbecillitas in cibum nunquam cogere debet, sed causa infirmitatis. Causa infirmitatis est exhaustum, vel oppressio à materiæ morbificæ copia; hæc vacuationem nullaque ratione cibum petit: illa, cibum flagitat. Tecmarsin autem benè medendi in potu eleganter docuit Hippocrates libro tertio De victus ratione in morbis acutis. Docet enim ibi quomodo potionum quatuor genera simplicissima, vinum, aqua, melicratum, & oxymel commodè in vsum duci debeant, vtque in his considerandum Quid, Quantum, Quando, Quibus, cum virium distinctione. Aperit enim harum quatuor rerum naturam, quò conuenienter quæ cuique adhibendi sit ratio doceat. Nihil enim temerè est pronunciandum de alimentis aut medicamentis: sed Indicatiune sumpta à morbo, viribus ægri, peculiarique cuiusque natura & consuetudine: quo modo adhiberi conuenienter possint in qualitate, copiâ, vtendi modo, & occasione. Possem, si velim, vtilissima ac præclara inde afferre; sed video me in huius morbi descriptione iam satis prolixè breuitatem violasse: quare supersedeo. Ita flexit prudenter Hippocrates ptisanæ, vini, aquæ, melicrati, oxymelitisque vsum ad curationem pleuritidis; vt rectè pronunciârit Aretæus, In alimentis medicamenta esse. Si biliosa fuerit pleuritis, non absque insigni febre, cauebis ab aëre calidiore. Nec tamen horrido frigore præditus sit: sit temperie moderatus. In pleuritide pituitosa & melancholica sit etiam calidus aër. Magna, vt antè diximus, cautione opus est in cibi exhibitione. Dum dolet, abstineat. Ardens febris vix in septimum excurrere solebat; quid igitur censebimus de pleuritide, quæ consociatur ardenti febri? Propterea Hippocrates non solùm ptisanam in vsum ducit, sed etiam melicratum. Cùm ergo luce & loco pastum inire poterit æger, quibus vtemur? ptisanâ. Auenzoar triticeo furfuri tantum aquæ affundit, quantum opus est vt supermadeat & inundet. Post duodecimam horam exprimit denso linteo. accipit id quod in colaturæ fundo sidit: fit inde pulticula. Quidam addunt amygdala, & semina maiora frigida, cum saccharo. Idem ille Auenzoar spinachiam præbet. Primò fiat pulticula liquidior: secundò, crassior: tertiò, misce amygdala. Deinde eadem ex pullorum iusculis, & tritis eorum carnibus: dulcorentur saccharo violato. Ius pulli in quo coxit pimpinella: vel semina melonum, amygdala, pinei nuclei, papauer, vel tussilago, aut passulæ. Et gelatinæ. mala dulcia cocta. Pauata cum saccharo. Vbi expectorare cœpit æger, inquit Razes, cottidie manè propinabis ex eo decocto quod descripsi ad Destillationes: idque perpetuò ante hordei decoctum: dum restituatur æger. Passulæ leuiter coctæ cum saccharo. Octauianus Horatius manè semel cibum dat: nam, inquit, vespertinæ huiæ vitia quasi renasci cogunt, commotionem interea addentes: Ita inquit, faciliùs ægritudinem refrenabis. Trallianus teneros & humidos pisces præbet, vt turdum marinum. In pituitosa Pleuritide non sit victus tenuissimus: nam euagari longiùs eius mora potest. In oculis sit ægri natura. In biliosa, victus ratio sit refrigerans: pedes animalium, pisces, si æger inter spirandum strepitum non reddit. In pituitosa sit abstergens, attenuans; iusculis incoque semen botryos. Si, dicit Aretæus, humida & copiosa materia per os feratur, sulphur ignem non expertum & nitrum in oua inspergito, vel resinam, vel terebinthinam, si glutinosa fuerit pituita. & piper in ouis, & in ptisana. Iusculis etiam inde petroselinum, adiantum, origanum, & talia. Aqua testudinis præclarè refrigerat: sumatur cum saccharo violato. In genere, inquit Aretæus, cibus calidus & humidus esto, lenis, æquabilis; ouum. Auenatum commendat Trallianus. Sint cuncta dulcia, pinguia, ex sententia Actuarij, & tactu tepida. Potus sit aqua saccharata: hæc deterget, coquit, lenit, nutrit. Accipe aquæ, vel decocti hordei libram: sacchari vnciam, ad vncias tres; adiice parum cinnamomi. Iulep violatum cum aqua cocta: vel sirupus de iniubis in biliosa materia. Sirupus capillorum veneris, nam incidit pituitam sine calore: & sirupus de liquiritia. Decoctum iniubarum, passularum, hordei, & botryos. Nihil æquè, inquit Trallianus, Pleuriticis accommodatum est ac aquosa mulsa. Si, dicit Trallianus, phlegmones feruor iam cessat, nec admodùm febricitet, vrticæ semen cum hyssopo ptisanæ incoque: absterget viscida. Vesperi amydalorum succum bibat. Vinum negari his debet, nam adest inflammatio Et aqua actu frigida pota est his calamitosa: nam ne aër quidem frigidior his concedi debet. Quicumque Medici, inquit Aretæus, aquam frigidam pleuriticis concesserunt, neque qua ratione id fecerint assequi valeo, neque experimento confirmare: siquidem si qui à frigida periculum euitarunt, hi profectò mihi non laborare pleuritide visi sunt. Si is tempore cibatur hordei aqua tepidè, cum sirupo violato, adianthi, vel de glycyrrhiza; in pituitosa materia, cum oxymelite simplici. Vel misce hos sirupos cum hydromelite in quo cocta est glycyrrhiza. Accipe aquæ libram: aceti, mellis, cuiusque semunciam: sacchari vncias duas: coque. Ægyptij nunc vtuntur Mastahalcb potione, omnibus febribus dicata. Sitim extinguit ac ardorem, & venalis est, ac in laterum dolore Ægyptiis expertum. fit hoc modo, Accipe seminis melonum vncias quatuor: seminis anguriæ, cucurbitæ, cucumerum, singulorum vnciam: liquiritiæ, sacchari crystallini, cuiusque sescunciam: seminis anisi vel fœniculi drachmas tres: fiat contusio minutim in mortario: pecia excipe, & aquâ rosatâ lac emulgeatur exprimendo: sumat id. In ardentissimis febribus addunt his semen endiuiæ, lactucæ, psyllij, portulacæ, papaueris albi; & daucum si flatus adsit: Si dolor, iungunt semen

Alimentum & Medicamentum vt in vsum sit ducendum.

Aër.

Cibus.

Ex furfure.

Cap. 14.

Cautio.

Potus.

Nota de frigido potu.

Prosper Alpinus lib. 3 De Medicina Ægyptiorum.

men althææ, maluæ, meliloti, fœnugræci; lini, *Somnus.* ſeſami. Si vigiliæ fatigant, accipiat ſirupi violati vnciam: ſirupi papaueris ſemunciam: decocti hordei EMPIRICA. vncias tres: detur ſub noctem. Iam Empirica quædam ſubnecto. Primò potet aquam cardui benedicti: poſt ſeptimum diem da mel, cui intrita ſint amy- *Intus.* gdala & ſemen vrticæ, adde butyrum. Quidam accipiunt manipulum magnum cardiacæ herbæ, ex qua extundunt ſuccum cum vino: potet calidè. Coque flores papaueris erratici ex aqua ſcabioſæ: expreſſam bibat aquam. Alij in principio, dum adhuc affluit materia biliosa, coquunt flores rubri papaueris in aqua pimpinellæ, & ſingulis tribus horis propinant vncias tres vel quatuor: poſt tertium diem præſcribunt ſudorifica, vt ſuccum cardui benedicti: nam ſi is primùm daretur, irritaret fluxum: & ſi papauer poſtea propinaretur, expectoratum ſiſteret. Quidam præſcribunt aquam herbæ & radicum pimpinellæ, acetoſæ, prunellarum cum radicibus diſtillatarum: ad vncias quatuor, manè. Razes præbet ſcobis dentis aprugni ſcriptulum: cum cochleare olei lini. ſumitur etiam cinis priapi tauri cum vino. Quidam accipiunt vnum aut alterum ouum equi comedentis auenam: & ſi à calore nata ſit pleuritis, in aqua endiuiæ, ſin cum frigore innaſcitur, in vino macerant: deinde per peplum tranſcolant: & tepidè propinant: ac lecto vt ſudet copioſè iubent. aiunt id valdè refrigerare Noui ego principes qui eo remedio in ſe vtebantur ipſi. Vel ſumat hauſtum ſucci ſcabioſæ cum puluere radicis ſcabioſæ & corallo, adde ſaccharum: hoc ilicò rumpit apoſtema. Accipe olei ſeminis lini vncias duas: ſucci althææ tantundem: potet manè & veſperi. Dioſcorides drachmam balſami dat cum melicrato, vbi antiquum malum eſt. Idem leucacanthæ radicis ſucci cyathi menſuram dat cum hydromelite. Dant alij pulueris querni viſci ex vino drachmam. Alij recentis olei ſeminis lini vnciam. Accipe membranam diuidentem nucleum nucis iuglandis, & nucleorum iuglandium cuiuſque drachmas duas: radicis meu ſcriptulos quatuor: ernei grana duodecim: fiat puluis: da eius drachmam ex vino vel aqua. Nonnulli exhibent cortices auellanarum cum inſculo. Probant alij decoctum radicum phu cum ſaccharo ſi bibatur: & ilico iuuare affirmant. Pomo dulci incoque thus, comedat cum ſaccharo penidiato, manè & veſperi duas horas ante paſtum. *Foris.* Pellis ouina, inquit Dioſcorides, pice liquida circumlita, & ſulphure viuo illita, quod ipſum etiam pici eſt inſpergendum; imponatur. oportet autem mediam partem pellis illinere, ne pix diffluat. Accipe radicum althææ, ſub cineribus in folio caulis coctarum, & cribellatarum vncias tres: ſeminis lini, fœnugræci, florum chamæmeli, cuiuſque ſemunciam: coque in decocto caricarum: adde, in fine, adipis porcini recentis vnciam: fiat cataplaſma. Caules braſſicæ cum radicibus cremati cum ſuillo adipe *Notanda. Tetr. 2. Serm. 3. cap. 68.* admoueantur, vbi non adeſt magna febris. Admonendum putat Aëtius, ex craſſis crudiſque cibis, veluti ſunt bulbi ac fungi, crudos humores gigni, qui ſe repentè in vacuum thoracis locum ingerunt, aut in ipſum etiam pulmonem, ac copiâ ſui diſtendunt membranam coſtis intextam, ac ideam veræ pleuritidis fingunt adeò, vt etiam viam ſpiritus intercipiant, vehementémque ſpirandi difficultatem adferant. Vnde quidam Medici errore ſeducti, venâ cubiti inciſâ, multóque ſanguine euacuato, mortis cauſam ægris præbuerunt. Quare diligenter interroga de victus ratione: ac pulſus & calorem tenta tactu. Supini decumbunt: intercepta laqueo videtur illis reſpiratio, vt vix loquantur: non ſitiunt. Clyſmo leniente eluatur aluus, dein ex calamintha & centaurea. illinantur oleo rutæ & anethi. Bibant hydromel pulegiatum, in quo caricæ coxere. Oribaſius *4 loc aff 51.* author eſt, quum diuturnis doloribus thorax citra febrem detinetur, vt palmulæ pingues cum fœnugræco decoquantur, ſuccus exprimatur: cui mel copioſum admiſcebimus: coquantur iterum ad mellis craſſitiem: eo multùm ante cibos vtatur. Vires erigantur inſtaurantibus, quibus immaduit pimpinella, calendula, borago, violæ, cum pauco hyſſopo. Fit ſacculus ex furfuribus, leui ebullitione ex aqua admouetur fortiter expreſſus. Vel ex ſpongiâ fiat fotus imbutâ decocto radicum althææ, ſeminis lini, florum chamæmeli & meliloti. Coque parietariam ex oleo, in patella, leuiter: admoue. Si materia fuerit humida, fiant ſacculi ex milio, furfure, ſale. Vinum rhodites commendat author Geoponicus. Si INFLAMMATA fuerit membrana Mediaſtina, quæ *Fol 206. Mediaſtini inflãmatio.* nectitur oſſi ſterno: ſeca bis venam vel ter, nam repetita ſectio effundit prauum ſanguinem; & illine oleo violato. bibat libram aquæ cichorei frigidam à vena ſecta. Illine frigido actu oleo, & inde cum aqua endiuiæ fiat epithema: vel ex farina hordei & his fiat cataplaſma. Hyeme tepidè admoue hæc: & tandem adde oleum chamæmeli, ſine aqua. & addo farinam fœnugræci, cum croco tandem. Sed, ni venæ ſectio iuuerit, ferè moriuntur. Fiat decoctio ex violis, hordeo, endiuia, capillaribus herbis, paſſulis, cum ſirupo violato & endiuiæ, de liquiritia, de farfara. tepidè dentur. Cocta purgentur Rhabarbaro & manna. Sola vtatur priſana tepida. Bibat aquam ſaccharatam. Poſt ſeptimum diem vtetur iure pulli & ouo. Aluus clyſtere molleſcat antequam detur cibus ſemper: ne alioqui fiat ſpirandi difficultas.

CAPVT III.

De Empyemate.

QVorum Pleuritis neque diætâ, neque fomentis, aut ſanguinis detractione, nec aluo prorupta quieuit, caruitque libera & liberali anacatharſi, in *NOMEN.* vomicam abire ſolet: hoc eſt, eius phlegmone pus ſuſcipit. quæ vomica cùm rumpitur, pus effundit inter thoracem ac pulmones; dicitúrque tunc ea affectio Empyema. Hippocrates Empyema nominare *7. Aph. 44.* conſueuit omne partium omnium phyma quod in pus alteratum eſt. nos verò ἐμπύους ſeu purulentos vocamus eos, quibus collectum pus ſtabulatur inter pulmones & thoracem. Apud Hippocratem etiam in vtraque ſignificatione legitur. Quare empyema hoc differt ab empyo vel purulento, quòd empyematis nomen, omni cuiuſque partis ſuppuratæ apponatur; empyi verò non dicuntur niſi hi, quibus pus natat capacitate thoracis. Tales empyicos vocat Vo- *Definitio & eius explicatio.* micoſos Aurelianus. Eſt autem empyema, de quo nos agimus, oppreſſio ſpacij pectoris & pulmonis à purulenta materia. Diximus eſſe oppreſſionem, nam morbus hic eſt mala conformatio, qua ſpacium id quod eſt inter pectus & pulmones, oppletur à purulenta materia: nam inde actio thoracis intercipitur & pulmonis; nec enim alas ſuas pulmo expandere poteſt, nec thorax ſuum in conniuendo officiũ facere; vnde ægrè reſpirant ægri. Si verò ita materia congeratur in viſcere, non autem in ſpacio thoracis, vt inde in molem turgeſcat thorax, cenſebimus illum morbum ad magnitudinem referri debere. Sed in *12 Method 12.* cuncto empyemate oppreſſio patentis priùs ſpacij adeſt; ſed non vbique ſe conſociat tumor, nec enim ſemper tantâ copiâ circumfluit materiæ thorax, vt in illum tumorem ſurgat thorax, quo actio eius lædatur. Sed à quibus rebus fit hæc ſpacij pectoris *CAVSAE.*

oppressio? Non sanè hîc aqua hoc facit, quæ in pectoris hydrope hoc vitium inferre solebat, sed est materia purulenta. Dico non pus, cùm interdum ab æmula puri materia hoc vitium sobolescat: talis est

Puris & purulentæ materiæ discrimen.

pituita & sanguis putrescens. Omnia enim perspiratu carentia ac alieno in loco vehementiùs incalescentia putrescunt: sed non idem semper modus. Discriminatur itaque materia purulenta à vero pure. In optimo pure fit media putredo, à calore extraneo resistente coctioni. Puris enim confectio ab vtroque fit calore, natiuo & eo qui est præter naturam. vel potiùs, fit coctio secundum naturam, sed rei quæ

Pus merum vnde.

præter naturam est. Purum merúmque pus fit à materia nutricia, hoc est, sanguinea, siue ea biliosa, pituitosa vel melancholica fuerit. Hæc verò nutricia materia nec vndequaque bona est, nec plane corrupta, sed semimala, attamen pepasmi capax: quia bonitas superat in ea materia, & calor natiuus vincit eum qui est præter naturam. Si enim pepasmi expers illa esset, sanè natura hanc non euinceret, illáque membro, vbi eius focus est, perniciem inferret, & gigneretur pus fœtidum, nigricans, fœdum. Pus verò

Pus non merum.

2. Progn.

vltimo.

2. Aph. 47. & 5.

Simplic. 3.

quod non merum est, venit à materia excrementitia. Vt qui ex diuturno morbo partium spirabilium fatigati, tandem pus spuunt. cuiusmodi sunt qui ex perenni prolapsu catarrhi, aut ex succorum in thorace synathrismo, vel ex succorum crudorum lateribus hærentium copia, ac iam putrescentium, illum iam incipiunt expectorare, quorum maxima pars in

5. Epid.

Phthisin abit. Tale quid euênit vxori Hippiæ, quæ per triennium tussierat, deinde in empyema venit, mox hydropica euasit: videtur tamen conualuisse mensibus euocatis. Quare pus interdum ex pulmonibus expectoratur, nec tamen propterea pulmones

7. Aph. 30. & 35.

in corruptelæ suspicionem venire debent. Nam scribit Galenus, pituitam ex capite pectori illatam puri similem reddi. est enim hæc purulenta materia, non autem merum pus, nam est ex materia excrementitia, cùm merum pus, ex nutricia materia sobolescat. Ita sanguine in thoracem labente ex capite, & ex catarrhis inde manantibus, quin, authoribus Paulo & Aëtio, seroso salsóque ex humore à toto corpore in cauitatem thoracis excusso, materia hæc purulenta ibi gigni potest: vel ex abdomine, vt in hydrope ex suppressis mensibus, vel ex corde in thoracem

7. Aph. 8.

eructatur. Verum empyema quod merum pus habet, ortum ducit à pleuritide, cuius materia non benè ex-

14 Method.

pectorata fuit. Nam phlegmone non facit abscessum, nisi in pus versa: nam ineunte phlegmone spargitur materia, quæ in sinum se colligit, ac vomicam facit: quâ ruptâ, effunditur materia in cauitatem thoracis. Quin verum etiam pus effundi potest ex

7. Epid.

inflammato pulmone, quod Polycratis vxori euenit. quin ab angina: hoc est, post affectus inflãmatorios: nam horum materia est nutritia. Obseruatum fuit longa die materiam in pulmone interdum coaceruari cystíque obduci, ita vt oui magnitudine interdum extussiatur. Hoc innuisse videtur Aretæus, vbi ait, Humor aliâs iners imbecillúsque inhæret, aliâs acris & mordax, & ad mortem vsque putrefaciens. Nam dixeras empyema oriri à plaga, cruditate, frigore, diuturna tussi, pleuritide, vomicâ pulmonis, catarrho diuturno, & acuti morbi in id decubitu. Sanè ex remotissimis etiam partibus, fit occulta in pectus puris translatio. Sed, inquit Aretæus, Magnum profectò miraculum est quo modo id fiat, vt ab exili tenuíque membrana nihil crassitudinis habente, tanta copia puris effundatur. Causa est inflammatio ex sanguinis multitudine, ob quam membrana crassescit. Annotauit Galenus, quosdam octo heminas puris sensim exclusisse. hemina, decẽ vncias æquat. existimare quis possit, totum nutricatum eô abripi.

Differentia.

In empyemate, vel totus thorax repletur purulentiâ: vel dextra aut sinistra solum pars thoracis repletur: non enim datur excursio materiæ à dextris ad sinistras partes: quòd membranæ diaphrattoudes ossi pectoris annexæ, id non admittant: parietis enim interiecti vice funguntur, ac thoracis spacium mediastino intercepto diuidunt. Præterea hæc materia vel purum pus est, vel purulentia. Est sanè vehemens affectus hic, mali moris, cum morâ putrescat fœdè materia; est non intercalaris, sed perennat: contagione fœdum, quòd miasmata fœtida effundant ægri cùm animam reddunt: non ex sympathia, sed idio-

Dubium.

4. Loc. aff. 7.

pathia in vitio est. Sed estne hoc vitium acutum? author enim est Galenus ab Empyemate homines subitò rapi: & causam aduectit, asseritque id fieri tum ob vim affectus, tum ob virium labefactationem. Si ob vim affectus, igitur ratione sui. imò peracutum malum hoc est, cum celerrimè hominem enecet.

7. Aph.

Galenus alibi tamen asserit hunc affectum esse diuturnum, cùm in diem vsque quadragesimum excurrat. Responsio est, aliud esse ῥῆξιν, vt loquitur Hippocrates, hoc est, expurationem vel suppurationis ruptionem; aliud esse suppuratum, hoc est puris in membrana collectionem. ῥῆξις, hoc est ruptio, peri-

Suppuratum & expuratum.

culi plena est, si fuerit magna, nam ilico interdum enecat, reclusis vasibus arteriosis, quæ à pure claudebantur. De hoc malo loquitur Galenus, dum pro-

6 Aph. 27. & loc. 7.

fert illam sententiam, in libro De locis affectis: nam collineat non ad suppurati magnitudinem: sed ad ῥῆξιν. Sed si sermo fuerit de collectione materiæ morbificæ purulentæ, hæc materia colligitur ac detineri poterit in quadragesimum vsque diem. qui ad

Signa.

diuturnitatem pertinet. Iam ad notas venio. Empyematis notitia comparatur ἐκ τῆς ἀπεμβεβηκυίης peripneumoniæ: videlicet ex modica aut nulla expurgatione sputi, tum ex infecta Medici curatione intra decimumquartum diem: deinde ἐκ τῆς ἐπιγενομένης; ex rigore qui antè non fuerat, & ex grauitate loco doloris. Sic copia & abundantia puris innotescit ex va-

Puris copia thorace contenti vt noscatur.

cuitate strepitus, à concussione: & forti dyspnœa. Præterea empyemata rigore & noua febre oborta denunciantur, quoniam puris acrimonia vellicantur & eroduntur partes, quæ sunt viciœ atque communes obsessæ. & pondus adest partis quæ antè dolebat. Empyematis mox affuturi, hoc est, ῥῆξιν futuram esse, tria hæc sunt signa, febris horrifera, hoc est, crebra horroribus, quorum causa est in parte primùm omnium horrescente, pus scilicet vomicam

Empyici redduntur cum celeriter & vehementer perhorrescunt.

erodens: cibi fastidium: quem ne quidem in conspectum admittunt, à venenata suppurati aura stomachum inficiente & resoluente: ephidrosis denique, hoc est, exudans sudatiuncula indidem commota, per exolutiones frequentes, quas ab illo pari tetro

Empyematis inchoati & perfecti signa.

vapore necesse est. Empyematis itaque inchoati signa sunt, febris exacerbata, horror, & dolor prægrandis. Perfecti autem, nondum tamen rupti, febris remissio atque doloris, sed horror increscens, & gra-

Horror vnde.

uitas pro cruciatu sæui doloris. Hîc rigor cietur non ἀπὸ τῆς ἀγγείων, hoc est, à cacochymia è vasis expressa: sed à pure in vomica concepto. Sed nascentis puris acrimonia mordens vicina corpora, eodem modo

Grauitas vnde.

ciet horrorem, quo acria medicamina. Grauitas autem dolori acuto succedanea, signum est syllogisticum mutatæ phlegmones in suppuratum: quoniam supporati non tanta est tensio, quàm phlegmones crudæ. Sed grauitas ibi manet: quoniam morbificus humor, velut in ergastulo quodam conclusus, foras non exit. Cita autem puris confectio, citam quoque

Ruptura signum.

habet rupturam, nisi aliò cursum inflectat, & per anacatharsin vacuetur. Ac tum grauitatis & febris

Lib. 3. de victu.

leuatio est: quod signum in primis narrat Hippocrates puris in thoracem effusi, Μετὰ τὴν ῥῆξιν δοκέει ὑγιὴς

A pulmone purulentia signa. Vide quæ adfuerint uxori Polycratis 7. lib. Epid.

Ὅτι ἐκ στενοχωρίης εἰς τὴν εὐρυχωρίην ἐλθὸν τὸ πῦον, καὶ τὸ πνεῦμα ὃ ἀναπνέομεν, ἕδρην ἔχει ἐν τῷ πνεύμονι. Hoc est, ruptâ vomicâ sanus sibi videtur esse ægrotus; quòd ex loci angustia, plus abiit in amplitudinem: ac spiritus quem spiramus, in pulmone sedem inuenit. Est igitur signum syllogisticum puris in thoracem effusi, & ruptæ pulmonum vomicæ; fugax leuatio grauitatis: Nam ea non multò post, longè percipitur grauior & molestior. Animaduertimus etiam pulmonum inflammationem in purulentiam mutari; scilicet in peripneumonia quæ habet sæuum dolorum cruciatum scapulæ atque iuguli, pectorisque oppressionem, & meteorismum spiritus, calidam expirationem, febrem continuam cum anxietudine, quæ diebus criticis anacatharsin nullam habuit: sed eos cum delirio exegit ad decimumquartum vsque diē: eadémque nec phlebotomiâ quieuit, nec pharmaciâ, nec diætâ, nec parotide, nec abscessu crurali. Hæc, dico, signa sunt, quæ opinionem faciunt phlegmones affectantis viam ad empyema, si ante fatalis ad mortem non fuerit, nec ægrum ante decimũquartum diem in exitium præcipitârit. Difficilis respiratio huic affectui ascribitur: sed hoc signum est ἀμφίδοξον antecedentis & consequentis. Est enim antecedens vomicæ iam iam rumpendæ: ita enim prodidit Hippocrates, qui ait, Accedere necesse est dolorem, dyspnœam, & ptyelismum, ante puris eruptionem. Vbi Galenus super dispnœa hæc scribit, Difficulter toto morbi decursu spirant, maximè verò vbi dolor accesserit. Sed non est firmiter fixa difficilis hæc respiratio, sicut ea quæ rupturam consequitur. Sic autem fit. Ruptâ vomicâ, ægro sibi melius esse

Lib. 3. περὶ νόσων.

videtur: sed, inquit Hippocrates, labentibus inde diebus pectora pure implentur, indéque tusses & febres, atque adeò cæteri omnes dolorum cruciatus ipsum magis fatigant. ac morbus ipse tum maximè innotescit. Est igitur difficultas aucta spirandi signum ἀμφίδοξον prægressæ rupturæ, aut iam futuræ. Ac prægressæ quidem, firmiter fixa & stabilis, quæ vires acquirit eundo: futuræ autem fugax & leuiter pressa ad exiguum tempus. In hoc sane malo est cita multùm & præceps occasio in medẽdo. Ergo ne occasio medendi præripiatur in suppurato & expurato, eius arripiendi opportunitatem adfert dierum criticorum obseruatio. Plurimæ, inquit Hippocrates, suppurationes rumpuntur (non autem omnes, quædam enim multò antè rumpuntur, vt qui cum sputo bilioso expectorant purulentum die septimo, ferè moriuntur die decimoquarto) quarum scilicet primigenia phlegmone inoffenso cursu mutationem habuit humoris phlegmonici in empyema, non in gangrænam: hæ, inquit, rumpuntur, & pus in thoracem, vomicâ ruptâ, effundunt: quod inde citò euacuari debet. aliæ quidem vicenûm dierum spacio, inquit; hoc est, vigesimo die à facta consistentéque inflammatione laterum aut pulmonum: hæc enim inflammatio in pus mutatur, nisi intra decimumquartum diē

Tempus ruptionis aliud quã vulgus Medicorum putat.

cœperit expurgari. Non enim verisimile est vigesimo die rumpi, ex quo pleuriticus vel peripneumonicus, in expectorati vacuitate grauiùs febricitauit inchoato pure, indéque eùm perhorruit: móxque loco doloris grauitatem percepit pure confecto: quæ cuncta ferè eueniunt sub decimumquartum diem inflammationis pleuriticæ vel peripneumonicæ, si, cùm eò ventum est, expectoratum non ritè processerit. Sic enim viginti dierum numerus produceretur ad trigesimum quartum totius historiæ. Atque ita pus in vomica hærendo lethale euaderet, ac conclamatum esset in omni empyemate. Quod falsum est. Quare vigesimum diem numerandum putamus à primo die totius historiæ morbi, quo primùm æger decubuit: eundémque ipsum diem vigesimum, septimum esse vel nonum à quo febris exacerbata est cũ horrore, indéque percepta grauitas pro sæuo dolore: prout illa celeriùs, hoc est, vndecimo, aut seriùs, id est, decimoquarto exoriuntur. Ac si quis ab horrore nouos labores experiatur partium afflictarum, in meteorismo spirationis, in tussi & ptyelismo, idque continenter & fortiter, vomicæ ruptionem habebit, quoad longissima esse potest, intra septimum horroris diem: quibusdam enim fit eo celeriùs. Quò igitur celeriùs fit empyema, eò celeriùs quoque rumpitur. Nam celeritas in pure conficiendo posita est in calore humoris & partis obsessæ: tarditas contrà: quò spectant ægri vires, ætas, natura, regio, anni tempus, atque tempestas. Atqui celeritas aut tarditas empyematis, celeritatem quoque ac tarditatem adfert ruptionis. Celeres quidem motus, celeres mutationes edunt. Aliæ verò supputationes, inquit Hippocrates, rumpuntur quadraginta dierum numero. hoc est, spacio dierum viginti septem ab horrifero empyemate, si exortum fuerit decimoquarto: vt exoriri solet cùm intra illud tempus libera non fit expectoratio, aut nulla omnino cùm fit. Sed quatuordecim

Dies vt numerandi in acutis.

dies, quibus in expectorati vacuitate fit empyema, numerandi sunt non ab historia pleuritidis aut peripneumoniæ adhuc mitis, sed ab incremento exacerbatæ: vt decimusquartus ab incremento, fit vigesimus ab historia totius morbi. nam ad eam legem examinandi sunt quatuordecim dies, quibus iudicantur omnes morbi acuti. Nam vbi prima inuasione mitis per dies aliquot est morbus, cuius acumen dein explendescit, ab eo acuminis die ineunda est computatio. ita decimusquartus dies, ab acumine computando, fiet sæpe vigesimus, si κατὰ φύσιν addas priores dies, numeraueris que ab ineunte morbo. Sic igitur empyema fiet vigesimo die, post quem exolescit vis acutorum morborum. Itaque factum empyema vigesimo, non ampliùs naturam retinet morbi acuti, sed ἐκ μεταπτώσεως, hoc est, ex degeneratione acutus. est enim metaptosis peripneumoniæ in empyema. Cæterùm vt morbi acuti duabus septimanis iudicantur infra vicesimum: sic tres vt minimùm exiguot septenarios supra vigesimum, qui acuti sunt ἐκ μεταπτώσεως. Atqui illi tres septenarij, quadragesimo absoluuntur, quo empyema in thoracem effunditur, si totum expectorato purgatum non fuerit. Totum dico: nam, asserente Hippocrate, si quàm celerrimè phyma pulmonum coquatur, totúmque expectoretur, ipsaque vomica exhauriatur, inde salus. Siquid supersit reliquiarum, aut si noua subinde fluxio cooriatur in partem afflictam, periculosum erit. Itaque ex sententia Hippocratis, non antè pus è vomica erupturum est, quàm exorta fuerit noua quædam species doloris, tussis, dyspnœæ, cum ptyelismo: vt si hæc omnia simul non fiant, neque appareant, empyematis ruptura longiùs, & medici opinione seriùs protrahitur. Non nullis etiam sexaginta dierum spacio suppurationes rumpũtur. nam à quadragesimo non est alia sperabilis crisis ante sexagesimum. Ergo supputati omnis ratio ineunda tum ex humore morbifico, tum ex parte obsessa. quare motum morbi examina ex ægri etiam temperamento, ætate, anni tempore & tempestate, humoris contumaciâ. Vt ergo præuideas quando empyema sit erupturum, & eo erupto promptè ea remedia adhibeas quæ pus exire faciunt, ne cunctando fiat tabificum, hæc signa Hippocratica obserua: Quibus empyicis (pure adhuc in vomica hærente, quod nequit expectorari,) initio (suppurati confecti) dolor est fortis & contumax (distentâ puris à copia membranâ, ac dum illa vellicatur) vnáque difficilis respiratio (parua & frequens, à distenta membrana) & tussis, (ab ichore qui exudat ab empyemate) cum ptyelismo, (ab ichore

exudante

exudante à membrana in pleuritide vel in peripneumonia) ad vigesimum diem (ex quo laborauit prægrandi pleuritide, aut peripneumonia) eóque celeriùs ac decimumseptimum: si empyema celerius factum sit) ruptionem expecta (non anacatharsin.) Quibus autem leuior, seriùs pro ratione. (vbi ad vicenarios ac septenarios dies criticos attendendum.) Vbi itaque comparanda est empyematis notitia, tum in vomica tum in eruptione, acri indicio espendenda est occasio temporis, qua motus & mutationis signa eduntur, ne ipsa medendi occasiu præripiatur, sed singulari iudicio arripiatur, quamuis illa sit præceps & fugax. Notandum itaque illud tempus quo noua species doloris oboritur in puris pepasmo: cũ enim illud oboritur, dolores ac febres grauiùs vrunt, quã confecto: tenditur enim tunc maximè membrana ab intemperie calidâ occupata, ac pars phlegmone obsessa, est sensus acerrimi. Vel, Inquit Hippocrates, illud tempus obseruabile à quo primùm grauitas molestissima obuenit (facta nimirum puris coctione, ac pure collecto in vno loco) aut quando febris exacerbata primùm fuit (à feruore sanguinis dum fit pus, nam dolores tunc sunt vehementes.) & si tunc rigor inuasit, (etenim est hoc signum ἀχώρητον empyematis inchoati atque confecti) accedere autem necesse est dolorem, dyspnœam, & ptyelismum ante ruptionem, Quasi dicat, Vt occasionem arripias in puncto empyematis è vomica erupturi, nouissima cõferre oportet cum primis. Vt si compertũ tibi fuerit cùm phlegmone in pus abiit, ídque quã citò aut serò: & præuideris quãdo euentura sit ruptio empyematis, eam prognosin confirmabũt dicta iã signa, quæ sunt τεκμήρια empyematis iam iam è vomica erupturi. Hæc abundè prosequitur Hippocrates in fine libri secundi Prognosticôn: quos libros nuper cõmentariis planos ac explicatos reddidimus: hos adeat, qui plura de his velit. Paucis hoc addo, Apostema iam venisse ad pepasmum dignoscemus ex doloris mitigatione, & ex pondere in parte affecta, febrísque remissione. Itaq; in primis distingue certis notis empyema quod fit, factum, & quod erumpere properat. Cùm tumor in pus vertitur, nascitur febricula vehementior, inordinata, & sæpè cum rigore & torpore frigido, & lactatione corporis, tum loci fluor incendiosus, grauedo, tensio, & sæpè stimulans dolor & pulsus. Tum celer pulsus atque humilis, & sæpe sudor capitis & colli. Talia hæc eueniunt cùm intra dies quatuordecim ab ineunte pleuritide non sedatur dolor. Dehinc perfecta purulentatione rigor ac tremor corporis, & febrium recedit inquietudo ac dolorum: verùm loci occupati grauitas increscit, siccatussis. Cùm iam abscessus erumpit horrescunt, ac febris esplendescit maior, vires labascunt. Fidendum tamen si expectorata sint bona: nam mox febris mitescit ac recreabitur. Effusum, ilico, pus fluctuatione se prodit, & expectorato. De tempore quo expectari ruptio debet, antè egi. quo febris, dolor, ac respirationis anxietas maiores, hoc citiùs ruptio eueniet. In expurato anima fœtet ob pus prouolutus subitò in aduersum latus æger, fluctuationem sentiet in thorace puris. expectoratum si ore elidatur in aquam puram, fundum petit: nam pus est: modò quassatione facilè in partes abeat. alioqui pituita etiam sidit, at non quassu ita diuellitur. Breuiter repero magni res momẽti. Quod adhuc colligitur apostema, signum sui præbet grauitate thoracis (dolor remittitur pure facto,) tussi dolorifica ac inani, tenui febre ac ordinis experte: hæc maximè noctu affligit. Cùm in procinctu iam ruptio est, grauiùs febricitãt non sine horrore, anxiè respirant. Rupto autem abscessu, pus expectoratur, ac febriculâ hecticâ tenentur dum pus expectoratum fuerit, squalent manus ac pedes ex fuliginum copiâ

Plurima talia signa refert Cælius Aurelianus, lib. 5. Tardarum passionum cap. 2.

eò delatarum: ab iisdem rubent maxillæ. respiratio anxia redditur; ac tandem, acriore reddito pure, vellicantur illæ partes quæ purulentiam habent sensiles. coctio tandem frangitur, inquit Aretæus, & consumitur caro, mens delirat, ac rectus distenditur. Vbi empyema oboritur ab angina vel à peripneumonia, vtrumque tunc latus ab effuso pure ferè occupatur. In latus quod pus habet facilior est decubitus: nam alioqui in pulmones funditur. calet occupatum maximè latus. sudat thorax, sitis vrit. Si à catarrho initium duxerit empyema, vel ab hydrope vnde materia funditur in thoracis capacitatem, non verum pus expectorabunt: aderitque febris vaga: quæ tamen tãdem grauescet: & suprema thoracis pars hoc pus cõcipiet Si ad inferiora viam pus affectat, inquit Aretæus, acutus dolor partes superiores (vbi erat abscessus) occupat. aluus humida est, primùm aquosa cum pituitosis deiiciens, deinde cruenta quædam circumfluentia, rursúmque carnosa, quum iam effractus abscessus est. Hæc pus sequitur aut per aluum, aut per vrinæ vias elabens. Sed meliores excretiones sunt quæ per vrinæ fundũtur vias. Postquam natura ægri & mali nobis cõperta fuerit, cogitabimus quid suadeat hoc malum agendum esse quô fugetur. Quare tres ponimus curationis scopos, primus sit, vt sputũ ad exclusionem paretur, vt, si crassius fuerit, attenuetur: si tenuius, incrassetur: nam expectoratum vt cõmodè excludatur, debet esse mediocre. Secundus sit, vt erumpat ex tumore. Tertius, vt ex corpore excludatur expectorãdo, vel vrinam fundendo, vel per aluum vt secedat. Quare primò studebimus vt ex supputato fiat expuratum, quod fit coquendo & rumpendo. deinde vt absterfione mũdum reddatur vlcus, ac vt pars redintegretur. Suppurationem fœlicitant ea quæ modestè calfaciunt ac humectant cum quadã viscositate, ne grauiter disiiciant madores. Quare in hac curatione ordine ac certa serie opus est: primũ, dico, (cùm natura ad suppurationem malum transfert) eam promoueas suppurationem eâ cautione, ne id quod crassum est relinquatur, exhaustis partibus tenuioribus in abscessu. Dein, ne ante pepasmũ aperiatur apostema Id cùm erupit, erit abstergendum: & ne pus in tabem vertat pulmones, erit excludendum, quod fit expectorato, vrinâ, aluo. Id dum fit, cauendũ ne viæ per quas fertur pus excedantur. Sin foras in latus viam affectat hæc materia, eô ducatur. Sed antequã curationem instituamus, ne id frustrà fiat, diligenter perpẽdemus num eas Indicationes absoluere liceat: interdum enim mali vis non admittit vt eas peragas, quare ad Prognosin iam venio, vt noscamus quid curabile, quid nõ redintegrabile sit huius mali. Plurimi sanè quibus ex interna phlegmone incidit empyema, lento tabescunt morbo ac moriũtur, cùm iam in tuto res eorum versari putabantur. Etenim à pepasmo dolores, febres, & phlegmones sedantur, verũ vomica hæret, in qua sæpe malignè putrescit pus, vnde partiũ internarũ corruptela, vel febricula tabida ex fuligine in cor delata, inde mors. Aut vomica rupta, sed tardiùs, iam prostratis viribus ac expectorationi imparibus, calamitatem adfert. Quare si suppuratum in expuratũ non abeat circiter diem vigesimũ, in angustu spes erit. Itaque hoc malũ ancipitẽ habet euentũ salutis aut mortis. Si febris diu perseuerat, & si nihil expectoratur, in phthisin degenerat. Ægrũ ad tabẽ tendere hinc scies: febris interdiu minùs, noctu magis affligit: si sudat, nec alleuatio cõsectaria illi veniat: sique inanis quædã tussiendi fatigat cupiditas, nihilque magni momenti si expectorarit. Materia enim acris & putrida stimulat pulmones ad tussiendũ: caui euadũt oculi, rubent maxillæ, summi digiti incalescunt, cibos non appetunt. Si, expuratũ cùm factũ est, pus non prõptè excludatur, exulcerat

pulmo

Transitus ad aluum vel ad vrinas signa.

INDICATIONES *curandi.*

PROGNOSIS. *Vt noscas num extabescat.*

pulmones, hinc illa tabes. Qua iam cõsistente, & genæ liuescũt, exudat collum & frons, & carnes liquescunt, & homines pingues pallescunt. Vomica autẽ quæ est à peripneumonia, rũpitur citiùs: & nisi hæc etiam citiùs perpurgetur, tabescunt ab ea priùs suppurati. Iam verò tabidi facti, qui ex intùs concepta phlegmone tales facti sunt, breui moriuntur: atque tanto breuiùs, quanto ex phlegmone ardentiore purulentiã concepere. Pulmo sanè facilè putrescit propter humidam, mollémque substantiam qua prædi-

Cautio. tus est. Cùm autem empyema rumpitur, in strangulatus summo periculo versantur, si multum, subitaneúmque pus emananit: nam id pro tegmine est arteriis: sin pedetentim emittatur, præclarè ad salutem id facit. Attamen celeriter expectorari debet, idque album, mitigatum, inodorum, læue, rotundum: aut aluo deturbatum, tutum & salutare. Pallidum, biliosum, inæquale, prauum est: maximéque liuidum, atrũ, & putridum: exedentia enim vlcera denunciat. Per vrinas etiam fœliciter iudicatur: nam vena azygos inserit se interdum arteriæ aortæ ramulis, interdum cauæ venæ bifurcatæ, ad renes: interdum venæ adipali vel emulgentibus. Vidimus venam azygos in sinistram emulgẽtem inseri ad initium venæ cauæ. Aretæus per secessum etiam fæliciter hac calamitate ægros defuugi asserit. Si tamen rationem consulas, audacis naturæ negocium dicas: non alias enim vias video quibus eò eat quàm per cor & per iecur: an non cùm cor feriet putida hæc cloaca syncopen; cùm hepar attinget & intestina, dysenteriã mordaci vi concitabit, ac vi hepatis fractâ hydropem funestum inferet? sed nonit illa polydædalas vias nobis fortè incompertas. Quicumque ante quadragesimũ diem rectè à pure purgantur expectorando, vel vrinam purulentam fundendo, vel ex aluo profundẽdo, liberantur. Si virtus fuerit valida, nec adsit lipothymia, pus erudum cum non prauo odore, curari poterit: nam abest febris errans, è catarrho nata, nec hectica fatigat. Cùm enim fœtoris expers est pus, mũ-

Aretæus. dum vlcus esse testatur. Prætcrea, si excretionem benè toleret, febréque vacet, rectè coquat, color si decens sit, cibúmque si petat, faciléque si expectoret viribus firmis, validúsque feratur pulsus, euadet. At si febris superuenerit, cunctáque in deterius flectantur, calamitosum. Ossis autem sterni lentè abscedit

Obseruatio. empyema ob frigus partis. Sed tamen obseruaui, id plerumque funestum esse, ob expectorandi difficultatem. Lien verò, iecur, pulmo, & diaphragma celeriùs quidem pus ducunt, sed ob officij necessitatem, lethalia sunt hæc eorum vitia. Vt breuiter dicam, Empyematis materia vel subitò nimiâ copiâ suffocat, vel in tabem vertitur ab ea pulmo, vel expectoratur, aut emingitur, vel per sedẽ excluditur, vel traducitur foras in pectoris musculos. Qui plura præ-

folio 238. sagia quærit, accedat libri secundi Prognosticôn Aphorismum quadragesimum octauum, & sequentes distinctionis nostræ: quorum sententiam breuibus commentariolis aperuimus. Iam ad Curationẽ

CVRATIO. Phlebotomia. venio. A phlabotomiâ hîc pax sit: etenim non sanguis sed pus euacuari debet, proptereáque corpus languet: nam cordi vicinus locus fœdatus est purulentiâ quæ bellum cordi indixit. Quare nec ratione reuulsionis, deriuationis, aut euacuationis, vtilis esse potest phlebotomia. Summæ enim Indicationes curandi hîc sunt, vt materia nondum expurata ad pepasmum promoueatur, deinde vt pus erumpat, tertiò

Chirurgia. vt pus excludatur. Si forsan sanguinis copia in vitio

Paracentesis. fuerit, infernis partibus, vice phlebotomiæ, cucurbitas imponemus. Sed vbi pus thoracis in spacio fluctuat, audebant proaui nostri pectus aperire: quòd

Valer. 1. lib. 6. Plin. 7. lib. 50. casus rem hanc docuerit. Refert Valerius Maximus, & Plinius, Diuinæ fortunæ vulnus Pheræo Iasoni à quodam, exitij eius cupido, illatum fuisse. Nam cùm inter insidias gladio eum percussisset, vomicam, quæ à nullo Medicorum sanari poterat, ita rupit vt hominem pestifero malo liberaret. Quo euentu edocti *6. Aph. 27.* Medici, cùm vix decimum ægrum à concepto empyemate vltrò euadere animaduertissent, ad thoracis sectionem ac eius vstionem se conuerterunt. Verùm hîc nihil fiat temerè: Si natura nec per abscessum, nec per effusionem quicquam moliatur, sique nulla alia ad salutem via aperiatur: sed sint vires integræ. Quare optimum factu fuerit, ne medẽdi subripiatur occasio, ad pharmaca fortiter expectorantia venire ilico. verùm si triginta elapsi diebus plurima adhuc materia in pectore perennet, adeò vt nulla spes sit eam excludi posse decem sequẽtibus diebus, non expectandus erit dies quadragesimus, sed ilico pertundatur thorax. Quodsi iam quadragesimus dies elapsus fuerit, frustrà secabis. Et hæc molitio aggrediẽda erit ea prædictione, nimirum malum hoc totâ suâ naturâ calamitosum esse, solámque hanc viam patere ad salutem, dubiam tamen eam esse. Quare præstaret hac de re primum sermonem iniici ab ipso ægro vel ab eius amicis. Admonet Oribasius, aperiendum *9. Synops. 3.* esse pectus virtute validâ, crudo humore, antequam ille putrescat, modò ille morbus non fuerit hæreditarius, nec sæpe laburauerit æger ex empyemate. Non tamen ilico ab expuratione aperiendum latus, sed ab illa ruptione differendam esse sectionẽ dicit Hippocrates in Coacis, in decimumquintum diem, quò iterum mitescat pepasmo: nam ab effusione crassescit & refrigeratur; ilicóque secetur à decimoquinto die, ne putrescat ac vires atterat. Sectio non fiat vbi cartilagines sunt, nã ibi musculus triangularis tegit interna illa pectoris, nec etiam propè ad spinam fiat sectio, nec ad diaphragma. Aperiat spacium inter tertiam & quartam costam Legitimã, infernè sursum numerando. fiat incisio obliquè, supernè dorsum versus: nam interni intercostales musculi eò vertunt suas fibras. Spaciũ etiam inter quartam & quintam costam commodum videtur, nam illud carne vacat plurimâ. Palmæ latitudine abi à spina dorsi: nam diaphragma parte pectoris postica decliuius est quàm anticâ. Scindatur foramen mediocre, quò commodè elabi pus possit. nec sit nimia patulum, ne spiritus vitalis effundatur: tenui id fiat nouacolâ: & spongia imponatur, ne flatus exeat. Primò semicyathus effundatur, postridie cyathus. vt ritè effundat pus, tussiat, ægróque lateri incumbat. Vt facilè egrediatur pus, infundatur à chirurgo mulsa, ita commodè effluet. In sectione molienda caue ne ferias infernas costæ partes, nam ibi insculptus est sinus arteriæ & neruu: sed, si costa secanda, ad superiores partes eam seca. Cautio etiam adsit ne secandus æger validè febriciter, vel iam cachexiâ teneatur. Pertusum locum cura oleo rosato ad biduum. Tertio die munda & eoque mellis sextam partem cũ aqua, ad tertiæ partis consumptionem, iniice, ac voluat se æger in aduersum latus: effundatur, repetatur dum clarum redeat, si vires id ferunt. si grauis putredo adsit, fiat decoctio ex myrrha, lupinis, & melle. Cùm tandem nihil puris profert iniectio, strepta sẽsim tenuentur, ac claudatur vlcus. Illinc strepta melle rosato, terebinthina & farina hordei: adde myrrhã, sarcocollam si magis abstergendum: si maturandum, misce vitellum cum pauca fœnugræci farina. Deinde fiat sesarcosis mastice, thure, mumia cum terebinthina. Tandẽ foue decoctis ex vino rubro, balaustiis, nuce cupressi, tutia. Sicca partes quæ expuunt excrementa in hanc partem, ne fiat fistula. Perlustra si lubet obseruationes quas doctissimus ac diligentissimus Schenckius collegit libro Obseruationum Medicinalium secundo. *Obseruatione 231.* Pauli Æginetæ sententia aliò abire

Pauli sententia de pertusione thoracis.

abire videtur. efficacissimum, inquit, remedium in vstione inuentum est. Verùm, dicit, qui sectione vel vredine pertuderunt latus, aut statim mortem attulere, vitali spiritu aceruatim vnà cum pure euocato, aut fistulas incurabiles efficiunt. Sententia itaque Pauli est, vt inurantur pectori & dorso cauteria non penetrantia, sed in cute solùm. Illisque indendas dicit radices aristolochiæ longæ oleo imbutas. Vnum, dicit, cauteriũ inuratur inter clauiculatũ commissuram, sursum tracta cute, ne ferias scilicet subiecta vasa: duo verò parua paululum ad mentum à soporariis arteriis abeundo: duo sub mammis grandiora aliquantum, inter quartam & tertiam costam: alia duo inter quartam & sextam paululum nutantia retrorsum: & aliud in medium pectus, & aliud supra os ventriculi. Tria autem à tergo, vnum in medium dorsum, & ab vtraque spinæ parte duo profundiora: sed ne pertundant pectus; quod Arculanus etiam prohibuit. Videtur sententia Pauli esse, Quia naturæ beneficio pus foras interdum extruditur, atque in externos musculos abscessus erumpit, eò etiam prolectandam esse hanc materiam. Nam plerumque vsti aut secti moriuntur, vel à fistula calamitosa enecantur tandem.

2.4 capite de orthopnoica & anhelosis. 4. loc. aff. 8.

Poterimus hanc molitionem inchoare à vesicatoriis: deinde cauteriis potentialibus incumbere, vt fecit Aëtius: nam, authore Galeno, omnium Empyicorum facultas languida est. Quare si tibi mens sit aperiendi, à cauterio frustrà adhibito id fiat. Quæ autem cauteria in soblimibus partibus, vt sub mento, sub mammis, sub scapulis inuruntur, auersionis causa maximè faciunt ad salutem, nam deriuant succos à capite labentes ad thoracem. Verùm materia morbifica exhauritur à loco infimo vbi strepitus sentitur: ibi maximè vrendum ac secandum. Noli temerè pertundere pectus, nisi tumor aut mutata qualitas foris appareat, argumentum præsentis puris. Tunc cauteria admoue, non tamen vltra costas peruadentia, sed propè ad costas accedatur, latáque potiùs quàm alta fiat plaga, ducta ad costarum excursum. Locus vstus secetur phlebotomo bis, ter, dum locum deprehenderis puris; id enim absque dolore fier. Cunctatio nocet in tali tumore: nam metus est ne intrò se conuertat apostema, & expuratum faciat.

Pharmacia.

Vt iam tandem ad Pharmaca veniamus, videndum quò natura & materia viam affectet. Si ad aluum inclinat, propina mel rosatum laxatiuum, cum manna, ex decocto seminis cnici. Vel propina vnciam cassiæ ex decocto pectorali.

Cautio. Si per aluũ.

Cautio adsit, ne dum huc repit materia, abradantur ab eius incursu intestina. sint igitur in promptu enemata ex lacte, decocto hordei, furfurum, maluarum, seminis psyllij, seuo ouillo. Leuiter itaq; materia purgetur: & si crassior materia puris fuerit, accipiat hierá simplicem cum agarico trochiscato: vel da diaturbith cum Rhabarbaro.

Si per vrinã.

Quodsi materia effuderit se per vesicam, quia materia puris crassior est, extenuetur succo marrubij cocti cum melle. Fiat etiam decoctum ex asparagis, alkekengi, cicerum, pimpinellæ, betonicæ, fœniculi, petroselini, capillorum veneris, seminum melonum, radicum pentaphylli. Coquatur aliquid seminis vrticæ in aqua hordei, adde mel. Accipe quinque radicum aperitiuarum maceratarum in vino albo, glycyrrhizæ, singulorum vnciam: seminum quatuor frigidorum maiorum, cuiusque semunciam: adianthi recentis manipulum: cicerum rubrorum semimanipulum: coque ad dimidias: aromatizetur drachmis duabus ireos siccæ, & dulcoretur saccharo.

Obseruatio.

Vrinalia remedia potenter iouare solent: nam catarrhus is qui ad pulmones illabitur ibique putrescit, non solùm ducit originem à capite, verùm interdum excluditur à toto ambitu venarum in partem imbellem: huic itaque promptè remedio est sudor & vrina. quare decoctum radicum Chinæ cum scabiosa & aliis pectori vrinæque dicatis rebus proderit. Corpus, ne quid affluat ad pectus, ter mense purgetur cassiæ vncia, cum agarici recenter trochiscati scripulis duobus.

Rumpentia.

Si nondum expuratum factum est, vt suppuratum rumpatur, à leuioribus auspicandum erit, ne exhaustis tenuibus, id quod crassum est remaneat, néve ante pepasmum fiat ruptio, quod calamitosum. Res calidæ, leptomeræ rumpunt suppuratum, vt sirupus de prassio, & de hyssopo: Auicenna in hanc spem præbet theriacam & mithridatum: nam vnà calorem naturalem firmant. Fiat fotus ex malua, althæa, meliloto, chamæmelo, semine fœnigræci, lini, & cydoniorum malorum cum spongia. Mox illine oleo chamæmelino & lilino, cum adipibus, iunge muccagines seminis lini, fœnigræci, althææ: adde ceræ quod satis sit vt fiat vnguentum molle. Vel, Excipiatur diachylon, pinguedine gallinæ & oleo chamemælino & lilino. Aut folia caulium coque cum butyro: postea misce crocum, farinámque hordei, fiat emplastrum. Accipe fermenti tritici vncias tres: petiâ excipe, ac in libris octo aquæ dimitte: abductâ petiâ, addes aquæ illi mellis libram: bulliant ad consumptionem tertiæ partis: cola. Sæpè bibat ex hac aqua: & pulticula etiam ex hac fiat cum ficubus. Lacti etiam addat mel, & comedat. & ficus comedat. In secunda mensa pineis & amygdalis amaris & dulcibus vtatur. Semper tamen materia coquatur, quo felix fiat expuratum. Bibat decoctum ficuum, dactylorum, passularum, seminis fœnigræci, seminis althææ, radicum maluæ. Si crassior sit materia, adde radices lilij: si calor vrit, adiice hordeum & violas, iunge saccharum. Fiat linctus ex semine maluæ, & lini, cum sirupo violato: misce cum decocto præscripto, teneat in ore ac deglutiat. Cuncta semper propinentur calidè. Cunis quidam voluunt ægrum. Si ad vicesimum diem non rumpitur, plerumque moriuntur. Sin rumpatur, ac pus bonum effundatur cum febris remissione, plerumque conualescunt. Prodest hæc potio, quæ fit ex glycyrrhiza, iuiubis, ficubus, passulis, dactylis, semine althææ, adianto recenti, scabiosa, hyssopo, hordeo: dulcoretur cum saccharo penidiato: & aromatizetur drachmâ ireos: & duabus drachmis cinnamomi.

Expectorantia. Dubium.

Ruptum apostema expectoraro maximè excludi solet. Sed dices, quo quæso modo expectorabitur materia illa quæ fluctuat inter thoracem & pulmonem? Respondemus, tussi. nam ea comprimit alas pulmonis adducto vehementer thorace. Cùm verò asperæ arteriæ fines magis in peripheria pulmonum pateant, quàm læues arteriæ & venæ, ac multò ampliora habeant ora, quæ nec ita compressa concidant, sunt enim cartilaginea, in asperas arterias cómigrat, & expectoratur. Vtatur hydromelite, oxymelite, sirupo de liquiritia: & tandem infunde hos sirupos decocto ireos. Quidam probant looch de caulibus, & looch de scilla. Ego, summi Dei beneficio, curaui quosdam, de quibus conclamatum erat, hoc succo. Accipio ruberrima recentis brassicæ folia, iubeo conscindi, ac ollæ indi, coquíque in balneo obturato vase. Liquor is præbetur cum saccharo manè & vesperi. Sed facilè corrumpitur hic succus, recens sæpè opus est. Vbi pus excerni cœpit, etiam dari poterit decoctum hyssopi, ireos, & glycyrrhizæ, ex aqua mulsa in qua decoxit prassium & tussilago, vel hypericum, aut capillares herbæ; addimus, vbi lenta materia, aliquid nicotianæ. Vel lingat looch de scilla cum looch de pulmone vulpis. Tandem cum Auicenna deueniemus ad Diasulphur, remedium enim id est potentissimum. sumet cum vitello oui. Et bis in septimana sumat terebinthinam, nucis paruæ copiâ. Nam omne studiũ adhibebimus vt tota materia

expecto

expecturetur intra dies quadraginta. Quare si materia fuerit crassior, extenuabitur succo marrubij cocti cum melle: & aqua mulsa cum semine anisi. Da sulfuris ignem non experti drachmam: &, vt fuerit febris, misce frigida: quale est sirupus violatus, de iuiubis, sacchatini crystalli sirupus. vel superbibat lac amygdalinum, & emulsionem seminum melonum. Consolidatio fit lacte. Da nucis ponticæ quantitatem antidoti Panaceæ descriptæ à Nicolao Myrepso; est præcellens id remedium. Si operosa hæc cõpositio non placet, vtatur antidoto Philoxenio, ab eodem descripta. Scribonius hoc commendat: Seminis lini, nasturtij, vrticæ, radicum ireos Illiricæ, æqua pondera misce, & cum melle despumato frequenter exhibe. Galenus dissecantia materiam & vias liberãtia præscribit: & dum phlegmone adest, mediocria, vt ptisanæ cremorem & mulsam. Cùm iam mitescit, dabimus valentiora, vt semen vrticæ cum mulsa, origanum, hyssopum, calamintham, pulegium, radices ireos, oxymel ex marrubio. Ex interuallis detur theriaca, & mithridatium, & antidotus Esdræ. Potet bolum Armeniæ. Vbi in intestina repit pus, cum sirupo rosato miscebis drachmam masticis, bibat cum aqua endiuiæ: ita non inflãmabuntur intestina. Cura adsit vt tandem venias ad sarcosin, ita tamen vt interdum repetas abstergentia: quin hæc nonnunquam consocianda erunt. Lac commendatur, & aqua destillata ex cancris & hordeo, & sacharum rosatum cum bolo Armeniæ. Præclarè ad salutem facit si ab expurato illico vtatur aqua hordei cum rubro saccharo, vel melicrato. Accipe mellis semilibram: sacchari librã: aquæ libras quattuor: coque despumando, dum tertia pars exhauriatur: aceto ad saporem temperetur in fine decoctionis affuso: coque puro igne. accipiat huius vncias duas, cum aquæ scabiosæ, lilij, hyssopi, cuiusque vncia, bibat id in aurora. Post binas horas poterit calidè sumere vncias quattuor aquæ hordei, ad semilibram vsque. Quin tale decoctum præclarè etiam præscribitur nonnunquam. Accipe capillorum veneris, hyssopi, calaminthæ, prassij, cuiusque manipulum: ficuum pinguium vncias tres: passularum sescunciam: liquiritiæ vnciam: radicum apij & fœniculi, drachmas quinque: pinearum vncias duas. seminis fœnugræci semunciam: fiat decoctio. accipiat vncias quinque cum melle. Interdum adiice hyssopum, radices ireos, semen vrticæ, dactylos. Detur rusticis drachma picis liquidæ cum melle. Enula campana cum semine vrticæ & pineis, adde iridem, myrrham, crocum, pulmonem vulpis, cum saccharo crystallino. Quin ex his iam dictis puluis fieri poterit, cuius cochlearium sumat cum sirupo, vel potu, aut cum succo caulium. Bibat manè vncias sex caprilli lactis calidi, cum saccharo. Variis in hoc malo remediis pugnari debet, est enim periculi plenum ac præceps. quæ res me cogit vt selectam quandam copiam remediorum proferam Dabis interdum melicratum in quo cnxit pulegium, hyssopum & thymus, vel ruta viridis, & prassium, cum puluere ireos. & glycyrrhiza. Optimum est hydromel cum iride & plurima glycyrrhiza. Eclegma fiat ex lini semine frixo, cum nucleis pini & melle. Tandem reparatis viribus, terebinthina vtatur. Si tabescit, Esdræ antidotus præscribatur: forisque admoue emplastrum Mnasæi: & mithridatio sæpe vtatur vel theriaca. Hippocrates dat nucleos cum galbano ex melle. Sed iterum repeto, studendum esse vt ex suppurato fiat bonum expuratum. Quare cum ex febris dolorisque remissione, & ex grauedinis incremento circa locum afflictum maturationem factam intellexeris, tussiat data opera sæpè, hora interiecta, & in ægrum decumbat latus. Digito vomitum prouocet, prouocet dico; non tamen promoueat. Rupta à vomica propinari etiam potest ius antiqui caponis, in quo coxit hyssopus, capillus veneris. Progresso malo ad cerata transeundum est. Foris etiam admouemus remedia quo ex suppurato fœlix fiat expuratum. Accipe farinæ fœnugræci & lini, cuiusque vnciam: radicum althææ vncias duas: ficus decem: passularum vinginti paria: florum chamæmeli & meliloti, cuiusque pugillum: traiice cribro raro: adde butyri recentis vncias duas: iunge oleum chamæmelinum, & parum olei iuniperi: admoue hoc emplastrum calidum pectori. Si placet materiam foras trahere, adiice aliquid fermenti veteris: nam egregiè discutit. In primis enim hîc notandum est, num pus foras trahi debet, an verò intùs rumpendum sit apostema. id enim vel calamitatem vel salutem adferre solet. Etenim magna copia puris collecta in regione arteriæ venosæ sæpè cor suffocat. Quare coniectandum num pus in ea parte consistat. Vt maturescat pus, fiat fotus ex decocto maluæ, fœnugræci, seminis lini. & si dolor vrget, adiice anethum, parietariam, melilotum. A fotu illine muccagine fœnugræci, lini, cum adipibus: vel admoue diachylon cum muccilaginibus: est sanè id efficax. Vel brassicæ folium ad ignem tabefactum illinatur butyro vel adipe anatis, & lateri admoue. Tandem iunge emplastro de muccilaginibus radices ireos. Tardè ad fimos veni. Vbi pus maturum, hoc decocto rumpatur, Accipe origani manipulum: decoque cum aliquot alliis: dein copiosè mel insperge. Dentur etiam terebinthinæ lotæ drachmæ tres. Rupto abscessu, vt antè monui, vide quò id vergat, eò abducas. Molle remedium hoc est, Accipe muccaginis seminis lini & fœnugræci singulas semuncias; adipis gallinæ, anseris, butyri, cuiusque drachmas sex: styracis calamitæ semunciam: olei violati quod sufficit: vngatur pectus. Vel Accipe micam panis, vel farinam hordei: coque ex hydrelæo: adde radices althææ, maluæ, & caricas; iunge oleum amygdalinum, adipem anserinum & crocum. postea. vt rumpatur, fingantur cataplasma ex fimo caprillo. Cùm factum est expuratum, tunc diaphoresis vtiliter instituitur. propterea fouebimus pectus decocto thymi, hyssopi, sambuci, chamæmeli, ireos, spicæ, aristolochiæ rotundæ. filtro id agatur. ter vel quater tepete hanc impositionẽ singulis vicibus. dein sicca locum panno calido, illumque illine oleo lilino, anethino, balsamo, & oleo ireos. Si maiorẽ vim quæris, adiice sulphur. Fiat emplastrum ex radicibus althææ, & ex radicibus ireos recentis: coque simul: adde axungiam & farinam fœnugræci & lini, oleumque lilinum: asperge, cùm opus est, fimum columbinum. & tunc tussiat, vomituriat, subitoque se conuoluat in ægrum latus Vel accipe caricarum pinguium libram: tere cum adipe suillo & oleo amygdalino. Vesicatoria pectori admouentur etiam. Hoc etiam decoctum validè in periferiam corporis materiam prolectat: Accipe radicum cucumeris agrestis & ebuli, artemisiæ, hyssopi, calaminthæ, dictamni, cuiusque manipulum: coque ex æqua, & fiat fotus. Vel poma duo colocyntbidis incoque vino albo vel aquæ: est efficax is fotus. Accipe adipis anseris, olei amydalini amari, cuiusque vnciam: myrrhæ drachmas tres, ceræ parum: fiat vnguentum molle. Aliud: Accipe farinæ hordei semilibram: caricarum pinguium vncias duas: terebinthinæ claræ vncias tres, fimi columbini, nitri vel salis drachmam: misce; fiat emplastrum lento igne. Imponatur per tres vel quattuor horas: nam fit siccum & effœtum. Iuuat etiam oleum irinum si fotu admoueatur. & oleum illinitur ex nucleis pinearum cum resina. Et *πίττωσις* ex pice liquida valdè commendatur, nam coquit & flatus amouet. Fotus ex lixiuio salicis & sulphuris. Huc emplastrum

Sectione prima. c. 228. Capite 240. — *24. Met.* — *Cautio.* — *Topica.*

discutit succrescentem materiam: Accipe corticum radicum vlmi, liliorum, cuiusque vncias duas: maluæ, violarum, hyperici, chamæmeli, singulorũ duos manipulos: coque & contunde, adde fermenti ex atro pane vncias tres: farinæ seminis lini & fœnugræci, cuiusque sescunciam: olei amygdalini dulcis vel butyri insulsi & olei violarum, cuiusque duas vncias: fiat cataplasma. Ah expectorata materia robur pectori addatur, & lacera vniantur. Vtatur radicibus inulæ cum symphyti radice: coque eas contusas cum melle. Sæpè vsum ineat theriacæ & mithridatij: quibus etiam ad fœlicem expectorationem vtendum est. Dodecathæon Pauli, Accipe ireos Illyricæ, erui, hyssopi, seminis vrticæ, liquiritiæ puluerisatæ, fœnugræci, singulorum semunciam; bulborum contritorum sescunciam: seminis lini semonciam: nigellæ, pulegij, cuiusque drachmas duas: nucleorum pini tostorum vncias tres: piperis nigri drachmam: cum melle fiat electarium: sumat cottidie ante prandium drachmas tres. & Diaprassium probatur, Accipe marrubij, ireos, hyssopi, pulegij singulorum semunciam: caricarum vncias tres: nucleorum pini contusorum vncias quattuor: coque ex aqua dum tertia pars maneat: fiat fortis expressio: accipe mellis despumati ad pondus decocti; misce, & lento igne ducatur ad spissitudinem mediocrem. Fiunt etiam suffitus ex thure, myrrha, styrace, aristolochia, su fure apyro, & nicotiana: ad siccationem & dissipationem puris. & ex decocto ireos cum sulphure. Cibus sit facilis coctionis & egestionis, & euchymus: optima est ptisana cum melle. Si in aluum repit materia, comedat oluscula ex beta, malua; & spinachiam cum butyro: & poma dulcia conferunt elixa cum butyro. ficus, passulæ, dactyli. Vtatur ouis recentibus, carne vitulina, pullis. Puls etiam fiat ex hordeo, auena, vel milio: auiculæ etiam proderunt. Ius cicerum cũ hyssopo & petroselino: sit autem ius pulli vel galli. Maximè talia præscribimus, si ad renes viam affectat materia. quin tunc etiam vtimur asparagis. sed tandem, cùm glutinandum est, pedes præscribimus vitulinos & porcinos: oryzam præbemus etiam ex lacte, & caseum lactescentem adhuc ac salis expertem. Caueat à leguminibus, piscibus, horæis fructibus, herbis crudis, & à frigidis. Priscianus admiscet pultib. piper. Potus sit aqua mulsa, cui incoxit origanum, & hyssopum: & cicerum ius cum passulis decoctum. Vinum tenue dulce cum aqua saccharata dilutum. Si fœtidum sit pus, dabis decoctum fœnugræci & dactylorum: vel bibat lac asininum. Testudinum vsus commendatur, & sirupus inde confectus cum aqua ex illis distillata. Decoctum si bibant ligni Indici & saxafras (ex cereuisia nimirum his decoctis) iuuat. Quin Indorum lignum coquitur cum humectantibus, vt cum althæa, & radice symphyti, scabiosa, glycyrrhiza, & foliis aristolochiæ longæ: additur mel. Aëris omnem fugiat intemperiem, maximéque humidam & frigidam, & ventos australes & aquilonares. Caueat ne cubile sit loco humido. Clausis fenestris dormiat. Plurimi sanè hoc morbo occupati, quibus integra superest ætas, si citra offensam in diæta, expectorationi studerent, euaderent, qui alioqui aut cibis à te alienis indulgentes, aut aërem intempestiuè captantes, ventisque se dantes, vel plurimo potu algioso vtentes, sua sibi damna augent, aut in nouum empyema se præcipitant, cùm iam ferè priore empyemate essent defuncti: quemadmodum Polemarchi euenit puero. Aluus ducatur cottidie, duarum vnciarum passularum dulcium esu. Quies prodest expectorationi: si per aluum fluit materia, leniter ambulet, sic enim materia facilè eò repet: si vrinarum vias materia accesserit, moderata exercitatio proderit. Metus & timor absint. Empirica quædam celebrantur, vt Aquæ hederæ vncias accipe quattuor: calidè bibat, idque quater cottidie. id ruptum apostema à sanie liberat, & ne in phthisin incidat prohibet. Accipe cornuum cancrorum fluuiatilium elixatarum libram: pista ac tunde, & cum farina hordei fiat cataplasma. maturat hoc vomicam pulmonis. Si à catarrho, lauetur caput singulis septimanis ex lixiuio in quo decoxit maiorana, calamintha, abrotanum, folia lauri, pulegij. sicca benè. ac caueat curiosè, eo tempore quo lauit, ab aëre. & vertici capitis inspergatur puluis ex styrace calamita, benzioino, myrrha, iride, & rosis. Aqua hederæ misceatur cum aqua testudinum aut cancrorum; quater de die bibat. Scabiosa rumpit apostema, maceretur in aqua eius, ac puluis remisceatur, & vnà cum theriaca bibatur. Hæc de Empyemate.

Corroborantia. — *Paul 3. lib. 31.* — *Diæta.* — *7. Epidem.* — *Empirica.*

Capvt IV.
DE ASTHMATE,
hoc est,
Anhelatione.

Asthma Græcis ab ἀσθμαίνειν, hoc est anhelare, nomen habet, vnde ab Aureliano anhelatio dicitur; suspirium à Quinto Horatiano appellatur; ab Aretæo etiam ὀρθόπνοια nuncupatur, quòd ὀρθίῳ σχήματι facilè spiritum ducant, decumbentes enim strangulantur. Est autem Asthma respiratio difficilis, frequens, & velox, cum sonitu; facta ob meatuum pulmonis interceptionem, citra febrem. Dixi in Definitione, asthma pertinere ad respirationem. Sunt autem triplicia respirationis instrumenta, nimirum excipientia, deducentia, & adiuuantia. Præcipuum verò respirationis instrumentum est pulmo. Vt naturam huius morbi rectè percipiamus, indagandum num respiratio sit actio voluntaria, quæque κατὰ τὴν προαίρεσιν fiat; vel num sit actio merè naturalis, quæ sola naturæ vi editur: an potiùs sit ex his temixta quædam actio. Auerrhoës credit Galenum voluisse hunc prorsus esse voluntarium motum. Nos putamus, quod etiam Galenus, Auicenna ac probi authores censent, hunc motum esse permixtum ex naturali & voluntario. Cùm enim volumus, sorbemus, vel flamus: & dormientes nihilque cogitantes, respiramus. Propterea Galenus scripsit, respirationem habere instrumenta cum naturalia, tum voluntaria. Naturalia, vt pulmo, qui princeps est organum respirationis; qui dilatatur ac comprimitur, non quidem sui ratione per se, sed ratione musculorum thoracicorum, quorum sequitur motum: etenim nerui motorij non deueniunt in pulmones. Conueniunt verò ad respirationem musculi & diaphragma haut vt organa naturalia, verùm vt voluntaria. Propterea Galenus hanc actionem spirabilem confert egestioni vrinæ & fæcum: quòd vrinæ excretio sit motus mixtus: vesica enim vt naturæ instrumentum est, (quod & excernit & attrahit sine nostro imperio & arbitrio) ita musculus est voluntatis. Id autem animaduersione dignum est, quòd etiamsi respiratio sit motus mixtus ex naturali & voluntario, tamen lege facultatis ita constitutum est, vt motrix voluntaria, sit domina & imperatrix. hinc est quòd Galenus hoc modo loquatur, cùm dicit, pulsum esse actionem merè liberam: quòd nesciat voluntatem dominam. Respiratio itaque non est merè libera: quare nec mirum si quidam retento spiritu, se necarunt: exemplum est apud

Nomen. — *Quid sit.* — *Definitionis explicatio.* — *Gal. 5. De vsu part.* — *Respiratio qualis sit actio.* — *2. Collect. 19.* — *2. De motu musculorũ 6.*

3. De motu musc. 6. Quæstio. apud Galenum seruus Barbarus. Voluntas itaque in actione respirationis superat: attamen est motus mixtus. Sed dices, Galenus tamen asserit totum negotium respirationis esse à voluntate: si ita, quid igitur imaginamur hîc naturæ locum esse. Respondemus, quodsi ita subsultim legatur Galenus, sibi refragari videbitur eodem ipso loco, vbi sanè admittit naturæ etiam locum esse in actu respiratorio. Quare decisionem dubij huius adferimus ex libro Galeni De respirationis causis; Dicimusque respirationis opus absolui inspiratione externi aëris, & expiratione aëris interni fuliginosi. Vtraque hæc actio fit à voluntate: hoc est quod Galenus voluit, à voluntate scilicet fieri non solùm aëris expulsionem, sed etiam inspirationem. Nec propterea infert, à sola voluntate fieri respirationem. *2. Aph. 26. & 3. De diffic. resp. 11.* Diximus præterea in definitione, esse difficilè respirationem, intellige tum inspirationem, tum expirationem. tunc enim Asthma adest, cùm non solùm est densa respiratio, sed etiam valdè cùm est densa cum sono. Scripsimus in Definitione, hunc affectum nasci ob Meatuum pulmonum interceptionem. Ita actionem hanc læsam respirationis, referimus in suam causam, quæ est morbus in mala conformatione. *7. Π[ερὶ] τῶν. 6. & De diffic. respir. 2. 3. 15.* In pulmonibus sunt rami asperæ arteriæ, & venæ arterialis, arteriæque venalis, & pulmonis ipsa substantia laxa & spongiosa. Cùm autem propagines asperæ arteriæ, quæ disseminantur in pulmonum substantiam, in angustum rediguntur, maximè hunc affectum proferre solent. vt cùm à crassa, lenta, viscidáve materia infarciuntur illæ propagines asperæ arteriæ; vel cùm asperæ hæ arteriæ (nam per has proximè fit respiratio) à lævibus arteriis turgescentibus comprimuntur, quod Antipatro medico euenit. *4. De locis aff. Respirationis causæ.* Respirationis in vniuersum sunt tres causæ, nimirum Vsus triplex: instrumenta quoque triplicia: & causa vna efficiens. Vsus dico triplica, scilicet caloris temperatio, spirituum nutritio, & fuliginis exclusio. Instrumenta quoque triplicia, larynx, aspera arteria, pulmones cum thorace. *Actio musculorum thoracis in vigilantibus est voluntaria ab electione: in dormientibus verò est voluntaria ab instinctu.* Causa verò efficiens vna est, voluntas: quæ in vigilantibus mouet musculos ab electione: in dormientibus verò ab instinctu. Iam ad Causas veniamus quæ huic actioni officiunt. Quicquid eiusmodi est vt claudat pulmonum meatus, huius morbi causa esse poterit. Hoc autem euenire potest ab intemperie spirabilium partium; eritque hæc intemperies materiæ expers interdum, plerumque tamen materiæ erit particeps. *Cavsæ. Fumus Mercury & cauerna metallica siccant pulmones. Historia.* Sine materia, vt cùm animalis facultas stupet, ita vt thorax alas suas ac pulmones non explicare possit. Ita à siccitate in angustum cuncta ibi interdum arctantur, quod chymicis nonnunquam euenit, & auri ferríque fabris. Vidi in quodam Typographo adeò siccatos pulmones, vt aridum pomú fere dici potuissent. Ita madore etiam interdum occupantur pulmones, vt in se concidant. Attamen hoc malum plerumque materiæ particeps est; eaque ferè est pituita à capite vel toto corpore in pulmones influens; vel ibi colligitur. Hæc autem cunctis pulmonum vasis se insinuat, quin & ipsas pulmonum spongositates inuadit. *Obseruabile de flatu.* Quin copiosus crassúsque flatus plerumque se iungit cum materia asthmatis auctore: qui auctor paroxysmorum esse videtur. Ortum habent à cruditate, ocio, somno à cibo, & à loco humido. Materia quæ asperas infarcit arterias, est plerumque crassa, lenta, viscida, ibi genita, vel eò fluens, vt cùm ab autumnali frigore à capite exprimitur, quæ ibi morâ *3. Aph. 22.* concrescens, bronchiis infarcitur. Hæ sunt ferè causæ quæ faciunt vt per Idiopathiam spirabiles partes hoc tædio affligantur. *Per sympathiam.* Quin & per sympathiam affliguntur hæ partes, ac inde asthma proferunt; vt si apostema partibus vicinis conceptum, pectus opprimat; vel hydropicus si id fecerit tumor. Vel si in spina dorsi constiterit apostema: nam inde intercipitur spiritus animalis, illiq; aditus intercluditur à diaphragmate, ac pectoris musculis. Vel si nerui alij qui ad pectus & diaphragma feruntur conuellantur, vel soluátur. aut *6. Aph. 49.* si gibbus nascatur; distortis ad interna vertebris, ob humorem pituitosum quo occupātur ligamenta spinæ: quod sensim euenire solet. Quin si pectus naturâ angustius factú sit. Vel si vitium infernæ partis, deorsum trahat diaphragma, vt pédulum hepar aut lien. Vel cùm vterus sursum repit. *Historia.* Vidi hanc affectionem in muliere fusca, benè habita, ætatis mediæ. secui venam. purgaui, multa alia, frustrà: tandem dedi mithridatium optimum: ilico restituta fuit S. Dei beneficio. hæc vix spiritum nictando ducebat. *Causa externa.* Euenit vt flatus, tendendo, diaphragma opprimat: imò vidi quę hac ratione obierant. Victus mala ratio, quia in flatus est fœcunda, fomes fœcundissimus huius mali esse solet, vt si quis præter naturæ legem sæpè potet. Ita quicquid opacú crassumq; præbet aëra, ad hunc morbum facit, vt vbi acerui sunt frumentorum minimè diffusorum: & vbi hypocausta cuiusvis animæ receptacula. Hinc enim caput grauatur, ac suum vitium in imbelles pulmones elidit facilè, ac imbecillitatem illi addit: hincque fit vt tandem œconomia pulmonis stupeat, vnde ex proprio vitio laborare, ac synathrismum facere solet. Causa verò cur quosdam maximè de nocte media inuadat est, quód id tempus maximè madeat sua natura. nocte enim, dicit Aristoteles, maximè pluere solebat. *Signa.* Iam ad signa venio: In omni motu concitatiore se profert hic affectus. Cùm enim ex illa motus exagitatione validior calor surgat in corde, magna euentatione illi opus est. nec alia via illi patet quam respirationis ductus. cùm verò infarctus à viscida crassave materia pulmo alas suas explicare nequeat, necesse est vt frequentia respirandi resarciat id, quod eius robori denegatur. Hinc crebra illa anhelatio ac pectoris oppressio. Et supinus homo asthmate fatigatus decúbere nequit, quòd ita partes spirabiles opprimantur. Spiratione sibilus vel stertor auditur à pituita crassa adhærente lateribus pulmonis & bronchiis asperæ arteriæ. Hic enim spiritus exiens ac obstaculum inueniens, sibilú edit. Præclarè de his Aretæus: In accliui, inquit, itinere, difficilis & ægra spiratio editur, flatus adsunt & eructationes præter rationem; humida, obscura & sono carens vox est: multum & frigidú aëra cupiût. Sub diuo ambulant: quælibet enim domus ipsis ad trahendum spiritum parua & angusta est. Erecti respirant, tanquam omni aëre attracto potiri cupientes: & ob id os aperiunt tanquam eo ampliore egentes. Tandem pallescunt & quadam cacochymia fœdantur. Sudor circa frontem & iugula emanat. Reiiciunt ore pauca, tenuia, frigida, veluti quædam spumæ efflorescentia. Pulsus parui, vigilia & caliditas. in cibos odiú, & corporis extenuatio. Sed illud peculiare habet τὸ ἀσθματῶδες, quòd tussiunt tanquam quid expulsuri; sed irritus is labor. sed si quid vi extruditur ex pulmone, illud exiguum est, rotundum, grandinosum, album: nam concretorum humorum plenus est pulmo, quamvis non supputet. periodos habet hæc afflictio longiores. Optimè ex respiratione hic affectus dignoscitur: nam hæc illis est imbecillima, authore etiam Rase, creberrima, & velox, (modò non fit ex imbecillitate: tunc enim non est velox) ná non aliter ac hi qui cursu elatiore fatigati anhelant. Maximéque hoc eis euenit, dum supini decumbunt: tunc enim subsident partes thoracis, & in angustiá abducuntur. *4. Loc. 7. aff. 7. Π[ερὶ] τῶν. 6.* ná totus thorax tunc supra spiná quasi concidit. at sedenti patulæ fiunt partes. frons his sudat in paroxysmo, nam vbi anxia respiratio est, cor patitur,

& caput in ſympathiam trahitur. Interdum altum ſpirare nituntur, nam cor his calet. Ieiuni cùm ſunt, & ſereno cælo liberiùs reſpirant. Sed frigido humidoque cœlo, aut cum crapula humeſcunt, ægrè ſpiritum ducunt. multóque magis ſi recens deſtillatio in arterias, veteri iam malo impeditas incidat. nam is catarrhus rectè præfocans appellatur. facilè proditur, inquit Aurelianus, ſi ægrotantes itinere aſcenſibili gradiantur, atque ocius pergant. Futuri imminentiſque paroxyſmi notæ ſunt, thoracis grauedo & præfocationis ſenſus cum igneo feruore, & ſegneſcit corpus, murmurant hypochondria. Cùm itaque hæc paſſio varias ſortiatur cauſas, eas his notis diſcriminabimus. *Notæ differentiarum.* Quando ex contumaci bronchiorum obſtructione inuadit hoc malum (hinc enim ferè naſcitur) ita tunc difficilis reſpiratio vrget, vt diaphragma etiam ſuum officium conferre cogatur vnà cũ omnibus intercoſtalibus muſculis. Cumque eum progreſſum fecit vt degeneret in orthopnœam, tunc neceſſariò operam etiam ſuam conferunt muſculi ſuperiores, & etiam abdominis: nam huc abducuntur partes cunctæ à neceſſitate. Vt omnis homonymia vitetur, ſciendum eſt, Difficilem reſpirationem triplicem eſſe; *Reſpiratio difficilis quotuplex.* vel enim frequenter anhelant; hæc nomẽ retinet generis, dicitúrque Dyſpnœa, hoc eſt difficilis reſpiratio. vel reſpiratio valdè frequens euadit cũ ſtrepitu, diciturque Aſthma. vel frequentiſſimè reſpirant, ac Orthopnœam hanc appellant. hinc eſt quòd Aretæus dicit, aſthmatis ſpecies eſt τὸ πνευμῶδες, quaſi dicat pulmonarium. habet tamen quæque idea ſuos paroxyſmos. In vniuerſum hæc affectio à variis ſuis cauſis, variè diſtingui poteſt: ſunt autem vniuerſim difficilis reſpirationis cauſæ tres; nimirũ, vitium partium ſpirabilium, facultatis mouentis proſtratio, & neceſſitas. Nos autem maximè inſtrumentorum vitia perpendimus. Si ſit materiæ expers pulmo, nullum pondus ſentitur, nec vlla aderit tenſio, nec expectoratum procedit. Calida ſi intemperies in vitio fuerit, ardorem percipient quendam, ſpiritumque magnum ac frequentem ducent: quin talis etiam edetur pulſus arteriarum. iuuabitur ab vſu rerum frigidarum, ac rerum calidarum vſus præceſſit. Ex aduerſo euenient hæc omnia, ſi à frigore fuerit. Materiam adeſſe denunciat grauitas pulmonum; ſonus auditur, ſi ſit materia in trachea arteria. qualis autem materia ſit, expectoratum indicabit. Quò materia morbifica longiùs receſſerit ad exiguos tracheæ arteriæ ductus, eò ægriùs expectorabitur. Quodſi materia ſtabuletur in arteria venoſa vel in vena arterioſa, plerumque Aſthma fatigabit quod ſit tuſſis expers: vel ſaltem inanis erit illa tuſſicula. Arteria venalis ſi fuerit à materia occupata, tremulus editur pulſus, ac ipſum etiam cor tandem in tremorem ac ſyncopem abripitur. Quodſi mollem carnem pulmonis obſederit materia, tuſſis laborioſa fatigabit. Quin interdum flatus pulmone aut ſpacio thoracis concepti hæc tædia adferunt; ſed hoc non fit ſine moleſta tenſione, panditq; tum ægrè ſe pulmo, cùm in inani pectoris regione venti dominãtur. Si verò hi in ipſis ſe inſinuauerint pulmonibus, hinc id noſces, quòd tunc ægrà ſe ſtringant pulmones. Sin ab aliis partibus proficiſcatur anxia reſpiratio, ipſæ id dicent, vt ſi quis catarrho laborans vel hydrope, ſubitò in difficilem reſpirationem trahatur. Nam quod ex congeſtione proficiſcitur aſthma, id ſenſim ſubnaſcitur. Sin fuerit ab afflicta ſpina, vel à neruis, tunc etiam aderit reſolutio alicuius partis. Qui rarum & magnum ſpirant, hi ex phlegmone in dyſpnœam trahuntur. Qui vero frigidam auram expirant, laborant ex dyſpnœa ex calore naturalè imbelli. Propriè dictum aſthma quia conſiſtit in pulmonum cõniuentibus bronchiis, propterea conqueritur æger ſe maiore anxietate emittere quàm admittere ſpiritum. Sin ipſam pulmonum ſubſtantiam occuparit materia, erit dilatatio difficilior conſtrictione: nam materia extra fiſtulas quæ conſedit eas premit. Si ſenſim increuit malum, ſine ſteriore ſinéque expectorato, & ſi in exercitio præter morem anhelat, erit à tuberculo. Sin expectoratum aquoſũ fuerit cũ ampullis, naſcitur à pituita flatulenta. Quodſi homo pleuritidi diu implicitus fuerit, de purulentia ſuſpicandũ erit. Si ilico in anxiã reſpirationem trahatur homo, ſine dubio catarrhus deciduus è capite vel toto à corpore id effecerit. nã, vt ait Priſcianus, frigido phlegmate pulmonibus adhærendo, cauernæ vel meatus quibus naturaliter ſpiritus redditur & accipitur occluduntur. Quodſi malum conſedit in læuibus arteriis, quæ naſcuntur ex vena arterioſa, & ex arteria venoſa, præceſſit pulſus inæqualis, vt euenit Antipatro: quodſi prorepat malum, in palmum ac ſyncopem degenerabit. Num verò ſynathriſmo ſenſim congeſta ſit materia, vel an ex capite ſubitò influxerit in pectus, hoc modo id deprehendemus, *4 loc. aff. vlt.* vbi à cõgeſtione, aderit fracta vis partium ſpirabilium, ac pedetentim hæc ſpirandi difficultas irrepſit: Sin verò antè catarrhis vexatus fuerit homo, inde natum eſſe aſthma argumento erit. *5. lib. 10.* Crudum tuberculum pulmonum agnatum arteriis vt noſcatur, docet Fernelius. Eſt hoc vehemens ſanè malũ, *Differentia communes.* ac mali moris, diuturnum & acutum: diuturnum dico, ratione totius hiſtoriæ; acutum verò ratione paroxyſmi; etenim vel pauculis horis enecare poteſt. Eſt affectus intermiſſionis particeps, & parti peculiari aſcriptus, ſcilicet pulmonibus. Natura itaq; huius mali cùm deprehenſa fuerit, huic contrariã medelam opponamus. *Indicationes curatiuæ.* Diximus plerumq; craſſam materiam hic in vitio eſſe: quare ratio ſuadet hanc eſſe attenuandam: ſi viſcida fuerit, vt diſſecentur, lenta abſtergeantur, quô aptior expectorationi reddatur. Quare, quod in tuſſi etiam obſeruabile, remiſcebimus etiam, præter calida & ſicca, quæ humectant & molliunt. Præterea ea cautio eſt adhibenda dũ craſſa attenuamus, ne dum attenuationi operam damus, id fiat nimis imbelli medicinâ, quæ tenuando nimis fundat materiam, dumque nihil exhaurit, ne eam in maiorem molem prouehat, vnde geminaretur facilè infarctus. Iterúmque cauendum, ne adeò leptomeriã excellat remedium, vt partes tenues nimis exhauriãtur, ſeſtanſque craſſitudo in duritiem reſtagnet. Itaque hæc remedia modeſtè exhauriant. Aut ſi opus ſit magna vi attenuandi, perpetnò conſocietur vis mollium. Vnde repudianda ſunt in aſthmate ea remedia quæ nimis æſtu ac ſqualore excellunt: ſed ſẽper his iungantur quæ madore quodam algioſa ſunt: ita tamen vt quæ ſtricto frigore circumfluunt abſint: quale opium, mandragora, hyoſcyamus: nam talia expectoratum intercipiunt. Eſt tamen his locus, vbi catarrhi vehementia eô cogit. Poſtquam materia morbifica fuerit expectorata, erit ſiccandum, partéſque quæ affundunt materiam, quæque eam excipiunt erunt firmandæ, ne id ampliùs faciant. Si malum hoc maximè ſubnaſci videatur à flatulenta materia, indicatio naſcetur vt facili niſu ſolutioni ſtudeas flatuum, rebus nimirum diſcutientibus: deinde vt ab infarctu vindicentur obſtructa. Si febris emicuerit, fricentur extrema. ſi ſit à catarrho, is ſiſtatur. Si fuerit ab anguſto pectore ab eius vi fracta, prouiſio habeatur ne in illud ſe præcipitet catarrhus, & vt fugiat cuncta quæ plethoricis cauſa caput impleut. Si ortum ducat ab aliqua alia parte, hac ab iniuria arceatur. perpetuóque id ſtudium adſit vt explicent ſe alæ partium ſpirabilium: pulmo purus ſit ac robuſtus. Iã videamus, antequam ad exercitationem pragmaticã *Prognoſis.* veniamus,

veniamus, num eas Indicationes absoluere pote sit. Si sit ab influxu materiæ, quæ toto à corpore exclusa fuit, excitatum malum hoc, metus erit ne in peripneumoniã degeneret, maximè si adsint febris quædam præludia. In senibus incurabile hoc malum est: in iuuenibus etiam vix excluditur. Diuturnum asthma hydropis author est: nam die se iungit hepatis tumor. Periodicum asthma præter opinionem nonnunquam subitò enecat. Periculosa etiam hic est tremula spiratio cum pulsu inæquali. nam, inquit Trallianus, si cor etiam patiatur, non diu sufficiet. Tremula spiratio periculosa est, si vnà scapulæ & homopiatæ cum musculis intercostalibus vehementer moueantur, fractis iam viribus Si nuper grauiter afflicto noua catarrhus accesserit, maximè humido & frigido tẽpore, & si cruditates præcesserint, sique tenuior materia diffundatur quæ asthma facit, hi paroxysmi suffocationis periculum adferũt. Annosum asthma vix excuti potest: nam longa die contumaciter adeò inseritur materia bronchiis, vt vix, imò ne vix quidẽ, euelli possit. Dũ enim ibi hæret, ita cũctando indurescit pituita, vt in gypseã quandã substantiã solidetur. Vnde sensim maxima eius copia in cauernis pulmonum cumulatur, in orbem quasi sæpe redeuntibus distillationum vicissitudinibus Vidi qui hanc ob causam calculos ac grandines fundebant. Recens nati pueri asthmatici non sanantur: plura enim mala hos fatigant: nam noui hospites ab vtero in aërem ambientem veniunt illis insolentẽ: accedit noua cibi ratio, & inflammatio vmbilicalis, adde & dentitionis tædia. Itaque cùm intùs in vtero ab his laboratum sit, & etiam foris, si accesserit iam anhelosus spiritus, quo modo tenelluli hi tot mutationibus pares esse poterunt? quare his pulmo facilè in putredinem abit. Prouectiores verò pueri, faciliùs defunguntur hoc malo. de his loquitur Aretæus, vbi ait, Pueri faciliùs liberantur quàm mulieres, nam ipsorum natura in incremento est, quæ vehementissimè potest calfacere. Hydropi si subitò superuenerit, perniciosum est. Pulsus in iuuene si intermittit, lethale in hoc malo. Si thorax sit angustus, vel si gibbus eum premat ex luxata vertebra natus, ægrè curatur A tuberculo etiam qui gibbi fiunt ante pubertatem, moriuntur. nam tuberculum arcet dilatationem pectoris, & cùm viscera augentur, necessariò suffocantur in asthmate. Si fit ex catarrho natum asthma, ne ille auferatur, malum reuiuiscet. Declinare indicat malum sputum crassius, ventris deiectio copiosa & aquulenta; vrina liberali manu profusa, & sibila minora. Releuantur, inquit Aurelianus, excluso humore per nares muccilento Mulieres, inquit Aretæus, huic malo magis sunt opportunæ quàm viri: quia madent & algent. Sed viri hoc vitio capti, faciliùs pereunt. Idem autor affirmat asthma cùm incrementa ducit instar comitialis morbi, nonnunquã hominẽ strangulare Cùm vertitur in melius hoc vitium, tunc tussis fit rarior. plura saniosa excernuntur & humidiora, sõmni longiores fiunt, vrina copiosa scaturiet, licet nondũ in ea quicquã subsidat, vox sonantior clariórq; redditur, sõni longiores fiunt. Τὸ πνευματῶδες, inquit Aretæus, anni non excedit spacium: Nam si Autũno incepit ægrotare, vere aut æstate futura vitã finiet: sin hyeme, futuro autumno. In hoc, dicit, morbo, leui momento ad perniciẽ opus est. Nonnulli suffocantur ante alia symptomata epigenomena; aliis in hydropem circa ilia, aut in eum qui anasarca dicitur morbus iste mutatur ac desinit. Si verò ex his eluceat ægrũ redintegrari posse, ad curationem veniemus.

Curatio.

Hæc autẽ in hoc vitio duplici ratione iniri debet; nimirũ, vel ratione ea vt arceamus ac frangamus causam huius mali, vel vt per paroxysmos persebla vitemus. Hoc est vt vel præseruemus eos ne in paroxysmum incurrant, aut vt præsentem iam paroxysmum mulceamus. Primùm de Præseruatiua, quæ instituitur extra afflictionem.

Præseruatio

Hic ilico prouisio habeatur totius corporis, vt illud purum sit.

Phlebotomia

Si itaque adfuerit febris, vel si solemnis aliqua euacuatio fuerit suppressa, & si expectorata fuerint rubra, vena pertundatur, alioqui non. Si tamen fuerit à vapida materia quæ à corde venit, & à succis qui arteriis continentur, ex Auicennæ sententia est ferienda vena sinistri brachij. Propterea ita scripsit Q Horatianus: Contingit etiã hoc malũ mediis ætatibus adhuc calidis, quos phlebotomo liberare necesse est: alioqui ieiuniis vtendũ: proderit etiã potandi continentia. Cucurbitæ interdũ loco venæ sectionis veniant.

Cauteria.

Quidã ponè aures & in vola manus vesicas mouent: hoc fit reuulsionis causa; vt etiam quæ cruribus inuruntur & brachiis: sed maximè suturæ coronali, vbi catarrhi vitio obnatum fuit. Vesicatoria etiã vtiliter imponuntur interstitiis costarum, quò foras repat materia: quin his tandem cauteria imprimantur superficiaria; fluant trientem anni: his succedant ilico fontanellæ brachiorum & crurum. Fricetur pectus in ruborem vnctã manu oleo chamæmeli: & partes inferiæ fricentur manè. Fiat etiam lotio pedum ex decocto saluiæ, betonicæ, maioranæ, florum stœchados, & chamæmelorum. Iã ad Purgantia venio. Seriatim erit præparandum & purgandum.

Præparantia vniuersalia.

Præparatio instituatur decoctionibus quæ fiunt ex aristolochia, helenio, iride, semine vrticæ, hyssopo, liquiritia, capillis veneris, hordeo, semine lini & fœnugræci, fœniculi, scabiosa, prassio, betonica. passulis, dactylis, farfara, thymo, viola, ficubus. His adde sirupos; vt de hyssopo, de liquiritia, de prassio, boraginis, oxymel, botryos. Si materia indurescere videatur. accipe adianti manipulum; violarum semimanipulũ: glycyrrhizæ vnciam: radicum rusci, asparagi, cuiusque semunciã: seminis maluæ drachmas duas: aquæ libras quattuor: coque ad mediæ partis consumptionem: colaturæ adde sacchari vncias duodecim: mellis clari vncias tres: aquæ hyssopi vncias quattuor, coq; dũ ad sirupi formam veniat. vbi crassa solùm materia vitium facit, accipiemus oxymelitis simplicis, sirupi de hyssopo, & de liquiritia, singulorum semunciam: decocti glycyrrhizæ, hyssopi, boraginis, vncias quattuor. Interdum vtimur etiam sirupo capillorum veneris, de duabus radicibus, violato, calaminthæ, stœchados, iniubarum, melle rosarum, aceto scyllitico. additur aliquid croci. decoctũ ligni guaiaci, & ligni sassaphras commẽdatur valdè. Accipe radicum enulæ, ireos, cuiusque vnciam: acori ℥ij. hyssopi, farfaræ, scabiosæ, singulorum manipulum: glycyrrhizæ sescunciam: fœniculi drachmam: passularum Corinthi, vncias tres: dactylos quinque: seminis fœnugræci semunciam: florum violarum, thymi, cuiusque pugillum: coque ex aquæ sesquilibra: ad tertiæ partis consumptionem: adde mel: & parum croci. vel sumat cotidie oxymelitis scillitici cochlearium, ex decocto liquiritiæ, hyssopi, aristolochiæ, & capillorum veneris. Si adest vnà intemperies frigida, incoque lacti pugillum porri; sumat vncias duodecim, & potet serum. Varia præparantia scribo, nam in hoc malo pluribus opus est purgantibus: quare & variè coquẽdum & parandum.

Cautio.

Cautio in his adhibeatur ne hæc nimium ferueant; talia enim relinquunt crassũ succum insanabilem. Eâdem lege etiam abstinendum à frigidis crassis, ac infarctum inferentibus. Quòd verò Galenus interdum his vtatur, hoc fecit quò catarrhus sisteretur qui à capite pectori molestus est. tunc nos etiam lubenter vtemur diacodio, sirupo

 papaueris,

papaueris, & cydoniorum, bolo, theriacâ recentatâ cum pauco philonio. Admonuit etiam Auicenna cauendum esse à validis vrioalibus, ne senoibus partibus abreptis, crassæ resideant. Cùm varia materia in vitio fuerit, vt crassa & tenuis, miscebimus sirupum de hyssopo cum sirupo myrtillorum vel de iuiubis. Durior si fuerit materia, vtemur fœnograeco, passulis, ficubus, iuiubis, malua. Si cohibendus catarrhus, propinabimus sirupum papaueris cum decocto myrti: & vt facilis ducatur anima, remisce parum croci. Si sit materia calida & asperum pectus, ex sententia Mesuës accipies ficus siccas decem, & iuiubas triginta, sebesten totidem: passularum, liquiritiæ rasæ, cuiusque drachmas decem: seminum althææ, cydoniorum, hyssopi, violarum siccarum, singulorum drachmas quinque. decoquantur ea aquæ libris tribus, vsque ad libram vnam. Dosis eius sit omni manè vnciarum trium: cum myrobalanis & violis, ab aureis quattuor, vsque ad vnciam. Et post illud sumat manè & serò electarium; quod accipit capillorum veneris, seminum melonum, citrullorum, singulorum drachmas quinque: confice cum sirupo violato. dosis eius sit drachmarum triũ. Si iuncta sit febris, detur ei cubanti aqua citrulli aut cucurbitæ, in qua emulgeatur semen portulacæ, & psyllij. Si fuerit febris expers, sumat lac caprillũ, quo extinguat sitim. Cùm his materia morbifica ad mediocritatem redacta fuerit, ita vt sine vi viam inueniat, excludatur à toto corpore: succisa enim causa antecedente facilè vindicabitur pectus à molesta illa congestione, quam infert illi affluxus perennis.

Purgantia tutum.

Quare iam de purgantibus causam antecedentem ago. Crassis itaque attenuatis, ac tenuibus coctis, corporéque meabili, Instituatur purgatio causæ antecedentis.

Cautio.

Caue summopere ne purgatio præscribatur tempore paroxysmi. Præterea, si ægrè excludatur materia, ea tunc abducatur repetitis vicibus, ne vires fatiscant. Nec sint vectoria pharmaca, ne fiat anhelitus interceptio: sintque talia quibus iam vsus subscripsit. attamen trahant à remotis partibus. tale est agaricum præparatum. quinetiam clysmis fit reuulsio. Quotidie extra paroxysmum, dum sanus videtur homo, aluus ducatur passulis & ficubus. Ægineta iubet vt validè (nimirum periodis quibusdam) continuóque (scilicet modestè) purgetur: nam euacuata intestina liberiorem concedunt anhelitũ. Si catarrhus in vitio est, pilulæ, sine quibus dictæ, omniũ sunt præstantissimæ. vel accipe pilularũ cocciarum, & aurearum, & de agarico, singulorum scripulum: trochiscorum alhandel grana tria: fiant pilulæ septem. Si materia in ventriculo & mesaraicis venis stabulari videtur, exhibe drachmas duas

Aët. 2. 4. 57.

specierum hieræ, cum melle rosato laxatiuo. Sæpe repetatur purgatio: nam, dicebat antiquissimus medicus Archigenes, maximum remedium est fortior purgatio instituta, per interualla: assiduò autem lenioribus solutiuis aluum mollire oportet: quale hoc est, Cnici acetabula duo: optimè contundantur, & cum sero lactis decocta, percolatum serum modico melle permistum bibatur. Commendat Aëtius pondus drachmæ vnius ad quattuor sabinæ herbæ tritæ, & deinde absinthij potum præbet. Mihi placet galli decoctum. Accipe agarici trochiscati recenter semunciam: polypodij recentis vncias duas: seminis carthami leuiter contusi drachmas sex: foliorum senæ vnciam: liquiritiæ rasæ drachmas duas: seminis anisi drachmam: in gallo veteri tosso coque ad putrilaginem: Accipe huius decocti vncias quattuor, cassiæ, sirupi de mentha, cuiusque semunciam, rhabarbari infusi vt decet, scripulos duos: diacarthami drachmam vnam: fiat potus. Vel hoc modo, Accipe huius decocti vncias quattuor, sirupi violati, capillorum veneris, singulorum semunciam: fiat potus. aut solùm dulcoretur hoc decoctum sacchato vel melle. Ita perennis quædam fiet humorum à pectore reuulsio; adest enim quædam humoris etiam prauitas. Iuuat etiam vsus pilularum cocciarum, & de hiera cum agarico, diaturbith cum rhabarbaro, & dilutum agarici, cassiæ, mannæ, carthami, polypodij, diaphœnici, electarij Indi. Accipe mannæ vel cassiæ vnciam vnam, adde trochiscorum de violis scripulum, si materia sit biliosa.

Trochisci de violis.

Trochisci de violis ita fiant: Accipe florum violarum mediocriter exiccatorum drachmas sex: turbith optimi semunciam: succi liquiritiæ, mannæ, cuiusque binas drachmas: scammonei drachmas duas: fiant trochisci. Verùm si corpus fatiscit, ab his abstine: & potiùs hoc vtere; accipe agarici recenter trochiscati scriptulos duos: rhabarbari electi scriptulos quattuor: cinnamomi, & zinziberis, cuiusque semiscriptulum: infunde aquæ capillorum veneris & vino tenui: macera totâ nocte, colatuiæque addantur mannæ optimæ drachmæ duodecim: vel vncia: misce, fiat haustus breuis, sumat in diluculo. Si pilulæ vtiliores videntur, quòd à capite veniat materia; accipe pilularum cocciarum scripulos duos: trochiscorum alhandel grana quattuor: fiant pilulæ quinque: eas deglutiat in diluculo, & supersdormiat. Quòd si materia morbi fuerit tenuis, vtiles erunt pilulæ sine quibus dictæ. Auenzoar libenter colocynthide hîc vtebatur.

Cautio.

Nos eam cautionem semper adhibeamus, vt nunquam ea vtamur nisi præparata: est verò optimè parata in trochiscis alhandel, hoc est, de colocynthide. Propterea pilulis de hiera cum agarico etiam adiicimus hos trochiscos, & cum oxymelite fiant pilulæ. Vtiles etiam sunt pilulæ masticinæ, & aggregatiuæ. Sed spaciis quibusdam interpositis est purgandum, nam materia est viscida, nec pharmaco trahenti, nec naturæ expellenti facilè cedens. In Vniuersali autem declinatione vomat, modò fuerit *εὐεμής*, hoc est, si vomat ea facili, alioqui non sine metu suffocationis hoc fieret.

Vomitoria.

Si ventriculus circumfluit pituitâ, oxymelite in vomitum irritetur: vel misce decoctum raphani cum oxymelite. Oxymel Gesneri forte est vomitorium. Non dentur vomitoria nisi vbi induciæ sunt à paroxysmo: vbi enim difficilis adest respiratio, id non fieret sine graui metu suffocationis: nimium enim ille nisus affligit pectus, metusque adest ne materia in œsophagum adducta, opprimat asperam arteriam. Iubet Rases vt post sinapis & mellis esum homo in vomitum irritetur, & aluus vt ducatur his catapotiis: accipe agarici grana octodecim; trochiscorum alhandel grana sex: elaterij grana quattuor: succi liquiritiæ sesquidrachmam: fiat massa: sumat ad drachmæ pondus. Deinde, inquit, nostrum detur præparans remedium cum confectione: & iterum vomat, & ventrem deiiciat. & hæc tentanda, ait, donec redintegretur æger.

Particularis purgatio pectoris.

Postquam igitur prouisio habita fuerit de causa antecedente, tandem ad eam materiam euellendam veniemus quæ pectoribus concepta est, ibique anxium spiritum premit. Hæc autem materia cùm plerumque sit crassa, lenta, vel viscida, erit incidenda & detergenda cum emollientibus. Leniunt ac emolliunt viola, cassia, pineæ, vitelli ouorum, iuscula pinguia, sebesten, liquiritia. Abstergent vnà butyrum, fœnugræcum, semen maluæ & althææ, & ex hoc muccago, caricæ, passulæ. Absterget mel hyssopites, & sirupus hyssopi, thymus, prassium, origanum, crocus cum melle, laurus, enula, aristolochia rotunda, centaurium, looch sanum & expertum, looch de pino, & de scilla, cappares saliæ, porrum cum melle, iris. Decoctum calaminthæ

cum

cum ficubus & passulis crassos humores expectorat, ac spirabiles partes explicat. Accipe thymi, hyssopi, prassij, baccarum lauri, quantam videbitur. incoque aquæ, colaturæ adde mel. Plerumque vtemur in hoc malo, liquiritia, capillis veneris, tussilagine, croco. præcellit etiam decoctum passularum & fœnugræci cum castorei parua parte. vt, huius decocti vnciis tribus incoque semiscriptulum castorei. Vel gutta ammoniaci detur cum oxymelite: potens id est remedium. vel detur decoctum hyssopi, & ficuum cum melle & croco. Vtilia etiam hæc sunt, mithridatium, theriaca, athanasia, diamoscus, philonium,

Obseruabile. quod proprietate quadam iuuare videtur. Meminerimus in primis esse maturandam, vt ficubus, dactylis, vuis passis, capillis veneris, fœnugræco, melle, sirupis. Deinde edocendam esse materiam è pectore, vt vrticæ semine decocto in hydromelite, & cæteris talibus. post dies octo interserere purgationem per aluum vel per vomitum. Hinc sicca materiâ, ac spirabiles partes explana, vt suffitu sulphuris, auripigmēti cum croco, & cannâ excipiatur. Si sola pulmonum intemperies adsit sicca, vnde in squalorem aridum trahuntur pulmones, id gemina ratione euenit, vel enim est febris particeps, vel eius expers. Si febris fuerit expers, mollibus foueatur pectus vnguentis: potet lac asininum, quod vim hordei & maluatum redolet. Balneo vtatur aquæ dulcis, ouis indulgeat

Cum febre. & restaurantibus. Sin febris fuerit particeps, vtatur aqua hordei, & iolabo, & aqua melonum, vel cucurbitæ cum saccharo. Vescatur cocta lactuca & cucurbita cum butyro. Manè & vespera bibat aquam citrulli, cucurbitæ, vel melonum. Vnge pectus oleo violato cum muccagine psyllij extracta cum aqua lactucæ vel citrulli. Vtatur sirupo violato: cùm febris declinat, ineat balneum. Eodem modo habeatur æger cùm pulmones ex calore laborant. In crassa materia pectore concepta, præclarè ad salutem facit oxymel, & mel scylliticum, & acetum scilliticum: secundò radix dracuntij vel dracunculi minoris, & aristolochiæ rotundæ, & galangæ, & capparis; deinde aurum, iris, helenium. Præterea hyssopus, marrubium, tussilago, scabiosa, semen vrticæ & nasturtij:

Pueris. ex his fiant apozemata & sirupi. Pueris præbetur scriptulus nasturtij, linteo excipitur & maceratur ceruisia calida, tota nocte: manè leuiter exprimitur,

Cautio. adde mel rosatum colatum. Cautio ea adsit, vt semper admoueamus flatus discutientia. Si varia mate-

Varia materia. ria in vitio fuerit, vt si ea fuerit crassa & tenuis, miscebimus sirupum de hyssopo cum sirupo myrtillorum vel de iuiubis. Durior si fuerit materia, tunc in vsum ducemus ficus fœnugræcum, passulas, iuiubas, semen maluæ, althææ. Si sistendus catarrhus, vtilis erit sirupus de papauere, diacodion, cum decocto myrti: & vt facilius eat redeatque spiritus, parum croci admiscebimus. Potio fiat ex patulia, ficubus, hordeo, iuiubis, glycyrrhiza. Accipe loch de pino vnciam: boli drachmam. vel accipe diatragacanthi frigidi, looch de pino, cuiusque semunciam: pulpæ sebesten drachmas duas: croci grana quinque; cum sirupo violato fiat linctus. Si crassior fuerit materia, vtatur radice enulæ condita melle: & fiat sirupus ex enula, nicosiana, fœnugræco, & passulis. Cautio ea adsit, vt sensim ad fortiora veniatur. Accipe oxymelitis simplicis, sirupi de hyssopo & de violis, singulorum æquales partes; lingat. adde tandem oxymel scylliticum, looch sanum, & de pulmone vulpis, sirupum de prassio. vt vehementiora illa temperentur & quasi emolliantur, consociamus sirupum de pomis, de buglossa, capillorum veneris; vel emulsiones seminum maluæ. Si pauperes, accipiant radicum fœniculi vnciam: glycyrrhizæ semunciam: passularum, ficuum, singulorum vnciam: capillorum veneris, hyssopi, cuiusque manipulum: coque ad dimidias: huius vnciis duodecim adde sacchari & mellis quod sufficit vt dulcescat, croci scriptulum: coqui poterit ad apozematis vel ad sirupi formam. Accipe ligni guaiaci vncias quattuor: vel sarzæ parillæ, aut ligni sassaphras siue radicum chinæ (quod maximè horum conuenire videtur ægro) sescunciam: scindatur in taleolas, & maceretur horis viginti in aquæ libris tribus: deinde adde conseruæ violarum vel botryos vncias tres: dactylos septem: addi possunt caricæ: semen fœniculi, folia adianti, hyssopi, scabiosæ, prassij. semen vrticæ, liquiritia, passulæ: radix ireos, helenij. coque in balneo horas octo. colaturæ bibat vncias quattuor manè & vespera. Aliud. accipe hyssopi, calaminthæ, adianti, origani, farfaræ, cuiusque manipulum: radicum ireos drachmas sex; seminis vrticæ drachmas tres: ficuum, dactylorū, iuiubarum, cuiusque duodecim: coque ex aqua ad sesquilibram: adde mellis despumati vncias quinq; Si vis vt simul purget adde polypodij, seminis carthami, passularū, cuiusque vnciam: agarici recens trochiscati vnciam: foliorum senæ vncias tres: & cum saccharo fiat sirupus: aromatizetur diaireos simplicis drachmâ: dosis sit duarum vnciarum, cum decocto capillorum veneris & tussilaginis ius galli decrepiti, inquit Mesuë, confert omni asthmati. de hoc antea: at *δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά*. Accipe radicum ireos, seminis carthami cuiusque semunciam: seminis vrticæ drachmas tres: pulegij, summitatum thymi, hyssopi, singulorum semimanipulum: cinnamomi scriptulos quattuor: leuiter tunde, tenuisque linteo excipe, ac ventri galli insue. Pro senibus: Accipe calaminthæ glycyrrhizæ, hyssopi, pimpinellæ, pulmonariæ, rorismarini, omniū ad libitum: bulliant ex aqua, & cum melle fiat sirupus: adde semunciam agarici: sumat manè. Si simplex remedium velis, propina aquam scabiosæ, betonicæ vel tussilaginis. & primùm adde oxymel scylliticum: deinde sirupum de prassio: tertio purga pilulia de agarico, cū granis tribus trochiscorum alhandel, & superbibat tale decoctū: accipe succi liquiritiæ, hyssopi. capillorū veneris: piperis nigri, amygdalorum amarorum, aristolochiæ rotundæ seminis vrticæ, cuiusque semidrachmam: fiat decoctio. Fit ecligma ex melle, croco, myrrha, & pipere. vel radix dracuntij coquitur in aqua, & contūditur cū saccharo & sirupo violato. scilla etiā assatur, & cum melle & oxymelite teritur: vel cum sirupo prassij. Diatragacanthum cum pauca guttula olei anisi vel fœniculi confert: & conserua enulæ: puluis pulmonis vulpis cum sirupo de farfara: diairis: diasulphur cum vitello oui. Si materia fuerit admodùm crassa, fingatur sirupus ex nicotiana hoc modo. accipe nicotianæ siccæ ma-

nipulos tres: hyssopi ac calaminthæ siccæ & prassij, *Sirupus Nicotiana.*

cuiusque semimanipulum: capillorum veneris ac scabiosæ, singulos manipulos; ficuum siccarum numero decem: dactylorum pinguium tantundem: fœnigræci, radicum apij, fœniculi. singulorum semunciam: seminis fœniculi & anisi cuiusque drachmas tres: seminum vrticæ semunciam: radicis ireos drachmas duas: glycyrrhizæ drachmas decem: coque in libris quattuor aquæ, vsque ad tertiam: & adiecto saccharo & melle, fiat sirupus: sumat bis die, manè & vesperi cochlearia duo. interdum radices gentianæ & aristolochiæ addi possunt. Conserua helenij cum speciebus diaireos, & pauco croco, adiecto sirupo capillorum veneris & de hyssopo, ac saccharo crystallino. Accipe sirupi de prassio, de hyssopo, singulorum semunciam, looch de pulmone vulpis & de scilla, cuiusque drachmas duas: radicum helenij drachmam: succi glycyrrhizæ, sacchari crystallini,

ſingulotum ſcriptulos quattuot : croci ſemiſcriptulum:fiat looch. Aput Meſuën Illud Serapionis commendatut:accipe ſcillæ aſſatæ drachmas ſex : radicum lilij cœleſtia ſemidrachmam : hyſſopi, vel naſturtij,praſſij,cuiuſq; drachmaa duas:myrthæ,croci, ſingulas drachmas:tere & confice cum melle,explicat alas pulmonum, ae attenuat craſſa. Si ab initio vocaris,præſcribe gargariſma calidũ, quod materiã affluentẽ arcet;vt radicem cyperi cũ iuiubis,ficubus, dactylis. Conſtantinus Africanus ex Ioanne Damaſceno ita præſcribit : accipe catieas quinquaginta,iniubas centum:aquæ libras nouem:coque vſque ad tertias : colatutæ adde ſapæ ſemilibtam : & ſacchari librain:℞ fœnugtæci manipulum:hyſſopi pugillos duos:ſpicæ drachmam:ficus ſex:fiat decoctio ad libram : colaturæ adde mellis puri vncias quattuor. Quidam ſabinam coquunt, baſilicum, rutam, praſſium,ſemen maluæ,aniſum,cum reliquis pectoralibus. Quidam iubent vt oleum piſtachiorum ſemper contineatur ore. Hoc præclate ad expectorationem facit:accipe ſirupi capillornm veoetis vnciam:croci ſemidrachmam : miſce exactè,vt diſcrimen nullum appareat. ita mel ea ſcilla cum nucleis pineis:adde looch de pulmone vulpis, & ſanum dictum looch. Accipe ſanguinis ſuilli recẽtis,carninm limaciarũ, cuiuſqoe librain:pulmones tres vulpium: carnium bubonis vncias octo : diſtilletur ex hia aqua in balneo ; Hæcque aqua ore teoeatur,ac ſenſim deglutiatur:& ex ea bibat vncias tres, cum ſacchari drachmis tribos,& croci granis octo : & adde ſanguinis bubonis ſiccati,& pulueris pulmonis vulpis,cuiuſque ſcriptulum: ſumat hæc quinque horis ante prandium. Accipe mellis virginei putgari vncias tres:mannæ recentis & pioguis vncias duas:iulapij capillorum venetis vnciam : auri puti folia duodecim:miſce in mortatio : teneat in ore,ac ſenſim deglutiat. Mel ſic purgatur , reponitur in vaſe vitteo cùm eſt liquidum:& quovis die ſpumam auſer. Quadraginta diebus hoc vtatur , Accipe aqoæ optimæ libras triginta : coque ad dimidias : tunc adde cicerum rubrotum vncias ſex : ſinapi in linteo ligati drachmas duas:macera loco calido horas viginti quattuor : dein abiice ſinapi, & coque eiceres dum aqua redeat ad vnam libram : exprime eiceres & aquam per linteum ſpiſſum:ſume vncias ſex cum ſcriptulo croci ; ſex hotis ante eibum id agat, nec exponat ſe frigori. abſit cruditas à ventriculo dum vſum huius init. Sirupi nicotianæ vnciæ adde liquiritiæ puluetiſatæ ſcriptulum. Scille extrabe melliginem aquâ vitæ , euapotando extractam : da eius ſcriptulum cum mulſo. Sumat tandem cottidie ſemidrachmain pulueris pulmonis vulpis , cum ſirupo de nicotiana , & pauco mithridatico : nam his opus eſt vt pulmo robur ducat. Sorbetur etiam fumus ſiccotum foliorum nicotianæ fiſtulâ ad id comparatâ. Iecur etiam vulpis ſiccatum commendatur : talia enim attenuant , aperiunt , diſcutiunt flatus. Sumat interdum ſulphuris viridis grana ſex ex ouo : ita etiam diaſulphur,& diamuſcum Meſuës

9 Sympſ. 5. ſumuntur. Attamen, ex Oribaſij ſententia,laudamus medicamenta ſecantia, quæ non potentiſſimè calefaciunt : quale eſt oxymel ſcylliticum,& ſcylla aſſa, cumque melle trita. vel radix cocta ati , & eodem modo concinnata. Vel mel ſcylliticum , cum decocto hordei , glycyrthizæ , paſſulatum , & thymi. Oleum etiam terebinthinæ in pauca quantitate ſumitur : ſed ita extillari debet vt tradidimus libro noſtto Methodi primo. ita etiam oleum ſulphuris acidiſſimum , cum aqua farfaræ , ac ſirupo capillorum veneris, adiecta pauca copia radicum conditatum enulæ. Decoctum ligni ſaſſaphras hîc maximo ſolatio eſſe ſolet , ſi addantur pectoralia frigidiora, vt conſetua violarum ; & talia. Guaiaci decoctum potens etiam ad hoc malum eſt. nam mittentes partes roborat, & à centro ad peripheriam ductum humorum vocat. Sumat cottidie terebinthinam, à ſemidrachma ad ſemonciam , cum pulnere hyſſopi vel praſſij : & ſoperbibat decoctum pectorale. vel theriaca vtatur aut mithridatio , vel aurea alexandtina , ad tobur pectoris : & vino iuoiperi. Extrahatur iu aqua vitæ ros ſolis , adde dactylos , paſſulas , liquiritiam, praſſium , ſemen botryos , & crocum. Accipe ſarzæ patillæ vncias duas : conſeruæ violarum vncias tres : dactylos ſeptem : coque in duplici vaſe ex aquæ libris octo. Cùm propinabitur addes parum croci. Accipe aquæ roris ſolis cochlearia duo : vini baſtardici cochlearium vnum: ſacchari cryſtallini ſemunciam : oui vitellum : ferueant ab igne : adiice parum panis hordeacei , vratur manè pro ientaculo ; Fiat pilula ex thure ; eam ſumat dormiturus. Accipe ſol. meliſſæ & praſſij, cuiuſque ſemimanipulum : conſeruæ roſarum vncias tres ; theriacæ optimæ vnciam ; infuode aquæ vitæ libræ medicæ. ſumat eiua aquæ coclear , ae ſudet : id agat biduo repete poſt hebdomadam. *In pueris.* Si puer fuerit qui cum aſthmate conflictatur à materia frigida , exhibeatur ei mel cum myrrha. Si materia fuerit calida ; accipe ſeminis papaueris albi drachmam : tragacaothi ſemidtachmain : ſeminis cucurbitæ drachmas tres : contnode omnia , & cum decocto ſebeſten fiat liquor. Confice diartagacanthum eum ſucco farfaræ , miſce mel cum ſemine lini & croco. fiat linctus. Radia dracuntij cocta in aqua hordei , piſtetur cum ſaccharo & ſirupo violato. Coque aliquid guaiaci cum foliis lauri , radice helenij , praſſio , & paſſulis corinthiacis. Sed iam manum de tabula tollo : farraginem prolixam medicatatum rerum , earumque noo ea triuio , habes : tu variè miſce , vt ſuadent variæ Iodicationum circumſtantiæ. Iam ad ea quæ foris admouere licet venio. Commendat Oribaſius pectori admoota attrahentia : vt ſi ſpuma nitri com iride cribro *Foris. 9. Sym 5.* tenuiſſimo traiecta oleo excipiatur , & affricetur. Ego ſoleo ſumere ceram albam & butyrum recens, æquali copia : his liquefactis adiicio tales pulueres; indéque emplaſtrum factum pectori admoueo. interdum addo qoid olei rutacei & lilini. Quin dropax Pauli , adiecto melle anacardi , admouetur ſuturæ coronali (quando inde manat malum) ac plurima aqua extrahitur. loco mellis anacardi licet vti cantharidibua vel eophorbio. & pro errhino miſce granum vnum elaterij in lactis vnciis tribus. Capiti admouetur etiam ſacculus ex furfure toſto. Thoraci autem impouc olea & vnguenta calida , vt irinum, anethinum , rutaceum , cum adipibus : & oleum amygdalinum , chamæmelinum , keirinum , laurinum , cum muccagine fœnugræci & althææ , & butyro , & cum croco. vngueotum Agrippæ. Accipe olei amygdalini dulcis , butyri recentis, cuiuſque vnciam : ſucci aranciorom ſemunciam: aquæ vitæ drachmas ſea. Accipe olei iaſmini vnciam : muccaginis ſeminis althææ & fœnugræci extractæ in aqua ſcabioſæ , ſingulorum drachmam ſemiſſem : cum cera fiat linimentum. Balneum ſulphurearum aquarum his confert. Hoc Meſuës probum eſt , nam maturat & lenit ; accipe ceræ citrinæ vnciam : olei keirini ſemunciam : adipis anatis & gallinæ , muccaginis ſeminis fœnugræci , & lini : myrrhæ : cuiuſque drachmas duas: fiat vnguentum , myrrha exactè pulueriſetur , & miſceantur cum muccagine , dum diſſoluatur in ea. Oleis etiam indimus ſemen vrticæ,calaminthara , helenij radices,

aocthum,

anethum, dracontium, ſtyracem, & talia. Primò thoracis regio fricetur linteis. vituli adipe etiam vtimur. Si materia ſit calida, accipe olei violati vel amygdalini dulcis vnciam: muccaginis ſeminis pſyllij drachmas duas, cum pauca cera fiat linimentum. *In pueris.* Caueant nutrices ne puerorum huic paſſioni obnoxiorum capita igne & tegumentis calefaciant. & ab ingluuie abſtineant nutrices, vſumque aromatum & vini fugiant. Auenzoar capiti inſpergit caryophyllos, cinnamomum, macem. Balnea tepentia, non calida laudantur: fiant ex ſulphure cum chamæmelis, & ſtœchade. non ſudet in his. Fiat ſuffitus, quo ex ore eliciatur aqua; accipe ſulphuris viridis drachmas duas: ſandarachæ drachmam: cum gummi tragacantho diſſoluto fiant trochiſci: imponat vnum carboni, fumumque excipiat. Iam, hanc ſiccitatem pulmonibus conciliant ſuffitu & fumo nicotianæ ſiccæ, quem hauriunt fiſtula in rem hanc facta. Gentilis tamen mirè commendat ſuffitum ex arſenico præparato: ita etiam ex ſulphure præparato. Tandem venimus ad thoracis picationem, & ſinapiſmos: quin ad cauterium, quod medio pectori inurimus. Iam ad victus rationem abeo. *Diæta.* Aërem fugiat frigidum & humidum. Differtur interitus, dicit Aretæus, opere cóficiendo, aut lanis elaborandis pulmo incaleſcit, & accenditur, quemadmodum calcis opificibus, aut ærariis, aut ferrariis, aut ignis in balneis excitatoribus. Primis diebus tenuiter: ſaturitas his mala, dicit Meſuë. poſtea tamen, quia in diem excurrit malum, liberaliùs habeatur. Vniuerſim, inquit Raſes, à craſſorum & acidorum, & auſterorum vſo ægrotus diligenter arcendus eſt. quin à valdè calidis, frigoréque potenti excellentibus abſtineat, nam inde craſſeſcút materiæ morbificæ. Cibi coquantur cum hyſſopo, fœniculo: & quaſi oxymelitis vim gerant iuſcula. ſitque victus extenuans, calidus moderatè, & ſiccans. Si à pituita natum malum, condiantur cibi melle, petroſelino, thymo, calamintha, & maximè hyſſopo. *Cautio.* Attamen antequam expectorato madeſcere inceperit os, perſeueret in tenui diæta, ac ſolo oxymelite vel hydromelite contentus ſit. Si à ſiccitate cauſa ſit, vel à valida coarctatione arteriarum pulmonis, dabimus lac melonum cum amygdalis dulcibus extusú: cum ſirupo de pomis, vel de boragine. Carnes, cùm eò ventum ſit, commendantur elixæ: nam aſſæ expectoratum impediunt. Iuſculis incoque extenuantia, vt tuſſilaginé vel eius radices contuſas; fortiter dein exprimantur: hoc mirè confert: alioqui incoque paſſulas, iniubas, dactylos, ficus. aut talibus venter pullorum infarciatur, vt calamintha & hyſſopo, & reliquis. Si adſit ſiccitas in pectore, iſtic vſus lactis maximè commendatus eſt ab Aretæo. *Pueri.* Puerorum cibus melle condiatur: vel ante lac ſumat mel. Melliti cibi plerumque hîc vtiles, niſi æger ſit picrocholos vel megaloſplachnos. Ius concedatur pulli, in quo ciceres coxere. Vt breuiter dicam; Multi curantur victu tenui, vſu mellis, & decocto guaiaci cum hyſſopo vel thymo. Sit aër clarus, à paludibus ſemotus, ſiccus, apricus, inſolatus. Montanis vtatur auiculis, fugiat vſum crudorum fructuum, piſcium & leguminum. Memoriæ hæreat illud, parcitas cibi & *Potus.* potus curat aſthma. Potet ſirupum cryſtallini ſacchari ex decocto ſebeſten, ſi materia morbifica calet. Alioqui vtetur mulsâ, deio vino tenui dulci, ſi febris ſit expers. Mulſa etiam coquitur cum hyſſopo vel praſſio. Exhibetur etiam vinum enulatum. Præſtaret tamen, initio vti ſolo decocto glycyrrhizæ, hordei, & paſſularum, vbi tenuis materia in vitio eſt. Aqua hordei cum praſſio, adiecto melle; vtilis, vbi ma- *Motus & quies.* teria eſt craſſior. Exercitium ſubitaneum vitet: nam plurimi ita interiere. Fricetur manè etiam thorax. Cantionibus ſe oblectet. Dormiat elato thorace, quaſi ſeſſili quodam ſitu, nam ita recreabitur pulmo. Et dormiturus, capiti aſpergat puluerem caryophyllorum, ireos, & ſantalorum. Fugiat iram & mœrorem. Iubet Meſue vt id ſtudium habeant, quò aluus emolleſcat. quare vtantur decocto galli veteris cum carthamo, vel agarico, & polypodio: adiice epithymum, iridem ſiccam, calamintham, origanum, vel hyſſopum, cum paſſulis. Vel initio menſæ detur carthami decoctum ex iuſculo carnis. Et oua ſorbilia, butyrum, aut oleum amygdalinum dulce cum ſaccharo vel melle. Vſum ineat ficuum, & paſſularum. Purgetur vel vomat eo tempore, quo affligi illi ſolemne eſt. Saltem his quotannis purgetur: & decoctis, aliiſque rebus pectori robur addatur. quare vtetur aliquot diebus decocto ſaſſaphras. Poterit quin ſemel ſeptem dierum ſpacio purgari his pilulis, quas veſperi cubiturus ſumat: accipe pilularum aſſaiereth Auicennæ, drachmam: agarici trochiſcati, rhabarbari cuiuſque ſcriptulum: cum ſirupo violato fiat maſſa: ſumat ſemidrachmam. Flatuum cauſa vtatur diacymino aut diaſpolitico. Hactenus docuimus quomodo intercalari illo tempore, quo ſilet paroxyſmus, *In Paroxyſmo quomodo tranſigendũ.* huius mali cauſa domari poſſit. Nec ſine periculo, flagrante morbi exacerbatione, vſum iam dictorum remediorum ineas: nam, authore Galeno, In paroxyſmo potiùs eſt blandiendum, quàm curandum: tunc enim minimè ſiccandum, ne ſuffocentur ægri. Hoc itaque tempore abſint cuncta purgantia, ne materiæ copia irruens ſubitò in pulmones, ſuffocentur. Potet tunc aquam hordei coctam cum paſſulis, iride, hyſſopo. Si tenuis ſit materia, aquæ hordei adiice penidia, & liquiritiam. Parum moſci diſſoluatur in aqua calida, in qua coxit ſemen ocymi, & per infundibulum accipiat fumum, & mox potet aquam illam, adiecto ſirupo capillorum veneris. Naribus & humeris, & locis ſupra renes paululum & ſcapulis da cucurbitas. Frica pedes & liga. Veſicatoria admoue ſuturæ vel ceruici, vel ponè aures, ac palmæ manuum, vel carpo: hæc enim maximè reuellunt ruentem humorem. In humero fiat fontanella. In anxia reſpiratione da moſci & ammoniaci, ſingulorum grana duo, ex oxymelitis ſimplicis vnciis duabus. Cauterium medio pectori inuſtum, extremum remedium eſt. Sit in aëre libero, ac frigore quodam temperato. Solue ab omni ſtrictione: & menſæ manibus incubet. Potet aquam hordei, cum croco, ſaccharo, ſirupo violato, & puluere pulmonis vulpis. vel ex hoc parum ore contineat, & ſenſim riget interna. Si æger adeò à difficili reſpiratione opprimatur vt mori videatur ſubitò, da croci ſemiſcriptulum, cum vini maluaticâ duobus cochlearibus. Sed nihil magis iuuat quàm auerſionibus ſtudere: quare ſuppoſitorium acre præſcribe: nam dum ſtando reſpirant, enemati locus vix eſſe poteſt. Miſce cum melle trochiſcos alhandel & ſalem. Si locus ſit, da talem clyſterem, Accipe decoctum centaurei minoris & maioris, furfurum, chamæmelorum, & ariſtolochiæ: cui adde mel roſarum ſolutiuum, oleum amygdalorum dulcium, & chamæmelorum: accipe ſolius decocti vncias ſex: adde diaphœnicôn drachmas ſex. Ille clyſter diſcutit, euacuat, & euaporat. Caue à pharmaciâ; ne materia mota, & in pulmones irruens, ſuffocet. Meſue quidem in plethora venam baſilicam ſecat, in ipſo paroxyſmo: ſed, dicit, ſi ſigna aliorum humorum appareant, ſuperſedeant à purgatione, vomitu & enemate, dum paroxyſmi vehementia abierit, dumque expectorare inceperit mitigata pepaſmo, dumque meliùs ſpirat: tunc cautè hæc in vſum ducere oportet. Quare, authore Meſue, à vomitu abſtine: nam hîc ſuffocat. In vomitu ea materia quæ in ventriculo concepta eſt

vacuatur

vacuatur quidem, ſed non ea quæ paroxyſmi author eſt:& dum ea vomitu ſurſum fertur,comprimit aſperam arteriam:vt ſuffocet. Verſus augmentum fricetur pectus linteis aſperis, quo ſe recludant pori. Illine oleo amygdalino dulci , cum butyro, miſce parū croci. Si flatulenta ſit materia , accipies moſci ſemigranum:croci ſcriptulum : vini albi calidi ſemicyathum. Si intra quadraginta dies,inquit Meſuë,paroxyſmi non declinauerint, in ſcapulis fiat ſcarificatio admotis cum cucurbitis : da hierā & clyſmata acria. Sin longiùs excurrat paroxyſmus,ſinapiſmus admoueatur pectori. Suadeo , ſi paroxyſmus excurrit in quartum diem , vt cucurbitæ inter humeros ponantur cum ſcarificatione : & dropaces vel ſinapiſmi & veſicatoria pectori imponantur. Q. Horatianus emplaſtrum pectori imponit ex nitro,pipere,abrotano, caſtoreo , & Cyprino vel laurino ceratorio. Foueri etiam pectus poteſt decocto ſaluiæ , chamæmeli , ex vino non ſtringente. deinde illine oleo amygdalino dulci. Flabellis illi recenteretur aër. Vult Cælius Aurelianus vt pectus molliuſculè tegatur lanā poſt forū ex oleo amygdalino,violaceo,& lilino calidè. Manus & pedes aſperiuſculè fricentur. Cibo non repleantur:id enim opprimit thoracem : quare eo tempore ſit victus tenuiſſimus. da igitur mulſam,vel oxymel ſimplex:vel his adde aliquid ſucci ptiſanæ. Vel vtantur cereuiſia cocta cum ficubus paucis. Supinus vitetur decubitus:nam vt ſcribit Aretæus,ſtrangulationis periculum adfert. Sæuitiam mali mitigat aëris ſerenitas, vitæ ſobrietas, corporiſque quies. In vigi-

Ad vigilias. liis accipe theriacæ optimæ ſemidrachmam;vel ſcriptulum:Philonij Romani grana ſex:croci grana tria:

Empirica. miſce:capiat horā ſomni. Iam adiicio quædam ab vſu remedia. Vſus obſeruauit præclarè in initio maturantia remedia præſcribi , ac intercalari die quarto vel quinto præberi pillulas coccias. Tertiò , vt hoc vtatur , Accipe ſeminum quattuor frigidorum maiorum, amygdalorum dulcium, pineatum,ſingulorū vnciam & ſemiſſem:fœniculi, aniſi, hyſſopi, praſſij, capillorum veneris,calaminthæ,cuiuſque ſemunciā: ſeminis hyoſcyami albi drachmam:ſeminis papaueris albi drachmas tres : liquiritiæ raſæ, ſeminis maluæ,ſingulorum drachmas ſex:croci drachmas duas: opij ſcriptulum : olibani vel ſtyracis calamitæ drachmas binas:conterantur, & miſceantur cum mellis & ſacchari duplo ponderis omnium:recunde in vaſe vitreo. Doſis veniat ad binas drachmas : ponat ſub lingua & tranſglutiat:vel miſceat cum decocto hyſſopi:& ieiunet poſtea horas ſeptem. Fermentetur benè ante vſum. Noctu ponat drachmam vnam ſub lingua, & tranſglutiat. Vtatur pullis coctis cum ſpinachia vel beta,vel cum ſaccharo & croco,paſſulis, & pauco aceto. Et ſi corpus ſit plethoricum , poſt

Cap. de aſthmate. quartam purgationem ſecabant venam quidam Arabes dicit Meſuë,vt Iſaak Heben. Si craſſa eſt materia aſthmatis,vtantur ſirupo de praſſio , quem deſcribit Meſuë;ſin ea tenuis,de iuiubis. Semel ſingulis ſeptimanis vtatur tribus pilulis aſſaireth , cum Rhabarbaro & agarico:dein vtatur errhinis ex ſucco nicotianæ. Alij purgationem inſtituunt ex diacarthamo. vel diaturbith cum rhabarbaro. Deinde ſorbent ſuffitum nicotianæ:& caput fricant tali ſacculo,accipe radicum acori vncias tres:milij vncias duas : torrefiant in ſarragine:fiat ſacculus. ac totum corpus ſiccant hac arte, Accipe ligni guaiaci libram:aquæ libras duodecim:coque vltra dimidias:in fine coctionis adiice betonicæ,capillorum veneris,cuiuſque ſemimanipulum : polypodij vncias duas: paſſularum vnciam:ſeminis carthami ſeſquiunciam:manè bibat vncias octo, & ſudet:veſperi ſex vncias potet. & tenuiter victitet. Pro potu, accipe ligni guaiaci vncias ſex : paſſularum corinthiacarum vncias duas : aquæ libras duodecim:macera horis decem : coque ad dimidias , & colentur : quibus adde ſacchari albiſſimi vncias quattuor:ſumat pro potu, dum ſumitur decoctum.& ſingulis octo diebus porgetur mannā ex decocto pectorali. In vſu guaiaci perſeueret dies viginti quinque. Hauſtus fumus nicotianæ potentiſſimè ſiccat cerebrum. Fiat magiſtralis ſirupus ex radicibus polypodij, enulæ, farfaræ ſiccatis, ireos, & althææ; folijs farfaræ, pulmonariæ , nicotianæ,calaminthæ, ſatureiæ, ſemine vrticæ, maluæ,paſſulis,iuiubis. coque ex mulſa:& cum ſaccharo fiat ſirupus. adde vel ſaccharum penidiatum. tempore vſus adiice parum olei ſulphuris. da cum mulſa. Huius etiam ſirupi vnciæ, remiſce ſpecierum diaireos calidæ Nicolai ſcriptulos duos : pulueris pulmonis vulpis ſcriptulum: miſce : vtantur pro eclegmate. Illud etiam probum eſt, Accipe aquæ radicum helenij libram : incoque ei gentianam,ariſtolochiam rotundam, thymum,pulegium ,origanum : colaturæ adde olei ſulphuris tantum quantum ſatis eſt vt leuiter aceſcat. Oribaſius commendat ariſtolochiam rotundam , ex aqua potam. Gratiſſimum remedium hoc eſt,& nuper natū, Accipe aquam vitæ, cui iniice rorem ſolis:hæreat in ea dum optimè in flauedinem tingatur aqua vitæ; deinde inclinando cola, ac iterum nouum rorem ſolis inde ; ac id ſæpius repete. tandem quæ velis pectoralia adiice,dactylos,paſſulas,liquiritiam,aniſum, crocum , & talia. Potio theriacæ ex aqua nicotianæ diſtillata. Sumat manè ex ouo flores vel oleum ſulphuris. Vel accipe ſulphuris viui ſemilibram , fiat puluis ſubtilis : infunde aquæ farfaræ horas viginti quattuor:& cum eadem aqua abluatur : & cum ſacchari optimi copia decenti fiat electarium : Sumat ſemunciam manè & veſperi in ingreſſu lecti : & in ipſo paroxyſmo. Vel immitte aliquid illius ſulphuris aquæ vitæ , & huius guttulas ſume cum ouo. Caſtoreum etiam potatur cum melicrato. Quidam alternis diebus ſumunt ſemunciam terebinthinæ claræ. Pomum in quo coxit rhus , mirum in modum confert. Accipe curiones (ita Latinus author Marcellus Empiricus vocat illa animalcula quæ ſub madidis tectis ſtabulantur : millepedes appellant alij cæruleos , nos *piſſebedde* , Galli *cloportes* , Itali *porcelletti*, Germani *eſel*)hos in olla calcina dum albeſcant : fiat puluis, melle excipe : ante & poſt cibum exhibe cochlearium. Mirificè hoc confert. Vſu etiam doctus *Calculum curat.*

ſum,ſi bis adieceris milij ſolis ſemen,molliter ab hoc atteri calculum renum & veſicæ. neſcio quid pinguedinis de ſe fundunt illa animalcula,etiam in puluerem exiccata. Coquat æqualem partem ſucci ſcillæ cum melle,& id lingat. Hoc ſequens Aëtij eſt:accipe opij drachmam ; ſulphuris viui.plantaginis, ſeminis hyoſcyami,ſucci radicis dulcis,ſtyracis,myrrhæ,thuris,terebinthinæ, ſingulorum drachmas duas : croci drachmam vnam:cum vino fiant trochiſci, pondere drachmæ vnius. vnum bibat: præbet ægrè ſpirantibus doloris alleuationem. Sirupus de ligno aloës deſcriptus Capite De Palpitatione cordis. Ammoniacum cum pice humida ex melle. Myrrha ex ouo. Hyſſopus,praſſium ,ruta decocta ex hydromelite. Semen vrticæ ex melle. decoctum centaurei Meſuës. Curiones linteo excepti vino macerantur : exprimitur,& potatur:ilico iuuat : hoc æuo Græcis familiare remedium. Diatragacanthæ tabella irrigata aliquot guttis olei fœniculi. Accipe florum violarum, radicum glycyrrhizæ,ſummitatum lupulorum,cuiuſque manipulum:foliorum ſenæ vncias duas:aniſi drachmas tres:coque ex hydromelite ad vncias duodecim; adde colaturæ ſacchari cryſtallini vncias:ſumat vncias duas Accipe crocum ad pondus ſcriptuli vſque,

moſci

mosci granum dimidium : bibatur ex vino optimo calido. Sed si hysterica fuerit mulier, loco mosci pone castorei scriptulum. Folia ocymi & crocum infunde aquæ vitæ : da cochlearium. Sumat manè ouum liquidum cum drachma puluerisati pulmonis vulpis. Conditæ radices ireos, vel helenij. Radices siccæ ireos, valerianæ, & farfaræ, coctæ cum passulis, liquiritia, semine securidacæ & fœniculi : adde botryn, hyssopum, veronicam marem, scabiosam; adde parum croci tempore vsus. Pinei ex melle. Fiat electarium ex pice & melle. Semen nasturtij bibitum. Porrum capitatum ex melle lingat. Aqua vitæ cum iolabio violato. Guttam ammoniaci cum oxymelite præbet Q. Horatianus, vel cum castorei puluere. Idem decoctum præscribit ex semine fœnugræci, cum passulis, & ruta viridi. Sunt trochisci, dicit Q. Horatianus, magna approbatione diffamati, conficiuntur sic. Anisum, sulphur viuum, guttam ammoniaci, castoreum, & melanthium, ex æquo omnia, tunsa ex aqua miscentur, & fiant trochisci: vnum da tritum ex oxymelite. Accipe aquam hordei, cui incoque vrticam cum semine eius, adde semen nasturtij, & folia calaminthæ : vbi lenta est materia : adde ficus, & radicem bryoniæ, colaturæ adde mel. Pauperes vtantur baccis lauri cum melle. Laurus, inquit Mesuë, eiusque baccæ, & oleum, omni ratione admota. Audite quæso quid dicat Mesuë. Ad superfluã humiditatem pulmonum & pectoris, inquit (puto illum loqui de pulmonibus qui defatigari longo affluxu viscidæ materiæ tandem putrilaginem ferè contrahunt) accipies arsenicum tritum ac remixtum cum vitellis ouorum; deinde accipe ferulam, & incide eam per taleolas rotundas, easque illine eo medicamine, & siccentur : sed priùs illine, tempore vsus, cum seuo tenum caprarum vel boum Fiat suffitus ex iis, & recipiat fumum ore ex infundibolo. Hoc agat aliquot dies, ter de die : id siccat, & sanat. Verùm si inde siccantur nimium pulmones, humescant vsu sirupi violati & decocto ficuum: dein repete suffitum, & non neglige eum, quia sanat, inquit Mesuë. Idem agit, inquit Mesuë, sulfur citrinum, si remisceatur cum æquali parte arsenici, & cum seuo caprarum fiant trochisci: ex his fiat suffitus Eodem modo committitur arsenicum cum myrrha & croco, fiuntque trochisci ex his cum seuo tenum caprarum aut boum. Decoctum galli veteris cum hyssopo & carthamo. Hermes, vt scribit Mesuë, hoc mirabile proposuit ad asthma & tussim, Accipe puluerem siccatorum foliorum sabinæ, sintque ita comminuta vt alcool, vnciam vnam : iunge cum butyri sæpiùs loti semuncia : mellis colati quod satis sit. Sumat binas drachmas. vel sumat cum decocto passularum & hyssopi. Semen nigellæ ex melle linctum. Accipe folia brassicæ rubræ, scinde: poculo inde: coque in balneo, succum manè bibat : sed cottidie coqui recens debet. Accipe ammoniaci scriptulum vnum : fiant pilulæ tres: sumat eum ouo sorbili. Si caussa sit frigida, sumat croci scriptulum: mosci semigranum: vini albi optimi semicyathum: calide bibat. Accipe succi ocimi semunciam; parum boli Armenæ, potet. Commendantur etiam hæc, olei philosophorum aliquot guttulæ : mithridatium, cui accessit parum philonij: confectio de museo, aromaticum nardinum; athanasis magna, & diasulphur.

Caput V.

De Peripneumonia: *quæ etiam Pneumonia appellatur. Latinis Pulmonia, vel Inflammatio Pulmonum.*

Pulmo viscus est plurimis tædiis expositum: nam attrahendi caussam in se continet : in eius enim medio æstuosissimum totius corporis viscus sedet, cor, vitæ ac spirandi principium. Id quoque pulmoni attrahendi frigidi aëris desiderium inicit, siquidem ipsum incendit. Quare hoc viscus & attrahendo sibi non rarò malum accersit, & materias exclusas ab aliis partibus facillimè accipit, eóque fit, vt sæpè grauissimis morbis implicetur. Inter quos non minimus est Peripneumonia, quæ est phyma phlegmonodes, quod facit rheuma concitatum, ac in pulmone consistens, febri consociatum. Dixi esse Phyma phlegmonodes. Idcóque adest intemperies calida materiæ consociata, quæ pulmones tendit. Phlegmonoden tumorem dixi; talis autem sanguineam materiam morbificam hanc innuit esse : etenim bilis non potest hærere in tam raro corpore, ideoque rarò à bile nascitur. Imò rarò primarius affectus est peripneumonia, feréque aliis morbis est succedanea: nam faucium & oris tumores huc abire solent. Si hæc primaria affectio fuerit, fit à sanguinis tanta copia, vt à vasis in substantiam pulmonis incidat. Sed plerumque ex valentibus in pulmones distillationibus, vel anginâ, aut suspirio, aut pleuritide, aliisve morbis contrahitur. Prætetea diximus in definitione, Quod facit rheuma concitatum : influit enim materia sanguinea quæ nutat ad naturam biliosam, pituitosam, aut melancholicam. Non aliter ac in pleuritide. attamen id differunt, quòd, vt plerumque pleuritis soboles est sanguinis biliosi, (rarò pituitosi, crassi) ita rarò pulmonis phlegmone nascitur ex bilioso sanguine, verùm plerumque ex pituitoso sanguine. Nam membrana costis intexta est densa: at laxus pulmo; hincq; est quòd densior succus membranæ illius corpus peruadere nequeat: at is per pulmones facilè fertur. Tenuis verò sanguis facilè se traiicit per mẽbranam: verùm tenuis ille sanguis non imbibitur nec inhæret pulmonum substantiæ, quamvis alioqui hos peruadat; attamen ita vt allabitur iterũ elabitur. At crassior succus illisus pulmonum substãtiæ hæret ita, vt ea tendatur. Diximus etiam in definitione, Ac in pulmone consistens. Scribit Cælius Aurelianus veteres vehementer de sede affecta conflixisse Diocles solas venas pulmonum affligi defendebat : Erasistratus arterias : Herophilus arterias & venas simul: Asclepiades verò pulmonum brõchias: Praxagoras lobos pulmonis spinę vicinos: Demetrius Herophilus voluit cũ Celso integros pulmones affligi : Soranus volebat pleuritim esse, cùm pars pulmonis affligeretur. Nos scire debemus duabus partibus expleri pulmonem totumq; absului: dextra scilicet & sinistra, mediana quadam linea interceptæ, duabusq; aliis velut fibris instructæ, ac tribus intertextæ vasis: antè quidẽ arteria venosa: pòst, vena arteriosa: inter quas media decurrit arteria aspera. Omnibus in pulmonem ramosè distributis vsque ad illius tunicam à subcostali ortam, neruulosque à sextã coniugatione sortitam. Affirmamus itaque carnem totam pulmonis inflammari, modò in hac, modò in illa parte, vel totum corpus pulmonis id pati, turgentibus etiam vasis. Febri consociatum diximus in definitione. Nam Celsus dicit, magna febris adest.

Definitio & eius explicatio.

4 De caus. puls. 12.

Locus affectus.

Sanè

Sanè ob vicinitatem cordis non potis est vt sit febris exper. Hæc autem maior aut minor erit, vt fuerit maior materiæ morbificæ. Hactenus definitio explicata est, iam ad causas venio. Veram peripneumoniã facit rheuma in pulmonibus consistens sanguinis, multa & effeta bile perfusi, propterea que temperamento calidissimi, substantiã tenuissimi & qualitate acerrimi. Quibus ex causis anadrome fieri solet omnisque orgasmus concitari: tum maximè vbi ad vim concitatam efficientis causæ, accedit suscipientis præparatio. Quare fieri potest ab influente materia per vasa: propterea que à quaque materia sanguinea nascitur: sed facilius à sanguine pituitoso, rarò à bile in tam raræ texturæ corpore prouenit, nam tenues labitur ea in auras. Affluit autem hic sanguis vel à corpore cordis, luxuriante sanguinis copia: & si, corde calidissimo, pulmo obruatur materia illabente à capite, à calore inardescit hæc materia, ac peripneumoniam facit. Prouenit etiam peripneumonia, cùm à synatrisino sensim materia aggeritur, ex nutricatus pulmonum copia: & hæc non subitò premit, sed sensim ingrauescit. Fit etiam à pleuritide cò translata: rariùs ab angina, ab asthmate fit etiam cum cunctando in pulmone pituita putrescit: sed bilis, vt dixi, non ita hæret laxo in pulmonis corpore. Notat Auenzoar, pulmones interdum ex viscosa quadam sanie laborare, sine apostemate, ab irruente pituita, quam consequitur etiam difficilis respiratio. Nascitur interdum peripneumonia à virulenta materia, vt à lepore marino. Sæpè fit à catarrho: dum enim materia præcipitatur ex capite in pulmones, si euenerit vt æstu incanduerit cor, sanè ab illo calore phlegmone explendescet in pulmone. Quodsi catarrhus non adfuerit, non ita facilè inflammantur pulmones, sed potiùs hecticæ febres exilient à squalido illo cordis ardore. Quare Galenus scripsit, Si catarrhus non fese consoc at, potiùs pulmonem hinc fatigabit phlegmonodes quædam aff. ctio, vel erysipelas. Quare Galenus videtur maximè causam eius reducere ad catarrhum. Veratamen peripneumonia quæ per se affligit, fit à tanta sanguinis copia, vt à vasis in pulmones ruat, hac pueri non laborant: nã ante pubertatẽ nulla est concitatio neque collectio sanguinis excãdescentis à bile: nam huic ætati nulla est sanguinis redundantia, quia ad incrementum & ad nutritionẽ absumitur. Nulla illi etiam causa est orgasmi, vbi sãguis non est acrior nec tenuior, nec calidior. Annotat Cælius Aurelianus ab opij vel hyoscyami vsu, per tussim, hoc malum inferri posse. Iam ad Differẽtias venio. Peripneumonia est inflammatio, propterea que adest intemperies calida; talis autem erit per se, vel ex euentu. Per se, cùm ea agnoscit sui causam materiam morbificã quæ peculiari sua natura æstuat, qualis est bile multa perfusus sanguis, sanguisq; purus ac putus. Per aliud, cùm prouenit à pituitoso vel melancholico sanguine: nã talis materia à sua natura friget; sed ex euentu, cùm putredine inquinatur, euadit calida; ac ita intemperiẽ æstuosam profert ex euentu. Quare hæc inflãmatio erit biliosa, pituitosa, sanguinea, vel melancholica. Ita à causa efficiente. Ratione verò loci occupati differentias ponere licet, vt modò hæ, modò illæ pulmonis partes affligantur, vtq; consedisse maximè videbitur phlegmone vel in pulmonis affusione, aut in arteriis venosis vel tracheis, & in harum propaginibus. Est hoc malum cõsociatum, phlegmone cum febre. Vehemens est hic morbus, plerumq; in calamitatẽ abit: est mali moris, difficilisque iudicij. Ad signa iã propero, vt rectè dignosci hoc malum possit. Huic malo febris adest acuta, difficilis respiratio, parua & frequens, & in spirãdo metcorismus, calidaque expiratio, dolor sub omoplata, qui prorepit ad iugulum & mãmam, pectoris grauitas, anxietudo & iactatio, & interdum delirium. Facies rubore flagrat, quòd cerebrũ impleatur causa plethoricis: hinc enim malæ rubent, ac oculi tument. Pectus, inquit Aëtius, absque dolore graue pondus habet, nisi diaphrattondas membranas feriat illa inflammatio: tunc enim medio pectore dolent. Lingua his sicca est: expectoratum procedit nullũ: vel si quid, spumosum. & interdum cruentum & biliosum. Lingua primò ex flauo rubescit: prorepente morbo fit crassa nigra, tandemq; finditur, & breuitate quadam crassescit, ob membranam retractam. pulsus sæpè intercurrens est: supinus cubat, nam in latus nequit. Sedendo quasi dormire cogitur. Collum sæpè turget, à vaporum surrectione, liuet vrina. Tanta in hoc malo adest difficultas respirandi, vt ægri existiment se mox suffocandos. Non tamen æquè dolent: nã, dicit Aretæus, neruos habent exiguos & graciles, ad motũ ciendum opportunos: ob id non dolent nec, inquit, arteriæ asperæ pulmoni insertæ sentiunt, sunt enim cartilaginosæ. Attamen membrana quæ obtegitur pulmo duas accipit neruos sexta à coniugatione neruorum, quare grauantem quendam dolorem sentiũt. Calor foris non ita æstuat, at grauis intus flamma vrit. Magis russuus hic quàm in pleuritide, ab irrita contentione & concussione thoracis, quem icbor latescit exudans ex inflammata parte. Malæ autem rubent, quia pulmonum anathymiasis tussiendo expressa, ibi subsistit propter angustiam venularum: & his se iungunt spiritus, & sanguis. Pulsus adest mollis, non durus, non serratus; inæqualis quia in angustum premuntur arteriæ, nam pulmones comprimuntur à phlegmone. Magnus quidem videtur pulsus, verum languidus est, & vndosus, maximè si pituitã sanguis imbutus fuerit. ratione autem phlegmones redditur magnus, hæc enim arteriarum tunicas irritat. Quod caputtur, inquit Rasis, spumosum est. Si expectoratum rubescat, à sanguine natam peripneumoniam denunciat: si flauet, bilem loquitur, vt albicans pituitam: nam nigricans, melancholiam pronunciat. Accedunt etiam familiares notæ ex habitu corporis, & dominantis succi, vnde facilè colligas quis humor ibi in vitio sit. Perspecta à morbi huius natura, iam videamus quo modo adimi possit. Ratione intemperiei calidæ oritur indicatio refrigerandi intemperiẽ calidam. ratione materiæ quæ iam influxit, nascitur indicatio eam auferendi: ratione verò influentis, & fluxuræ, reuellendi. Sed quia non licet partem euacuare aut roborare, nisi primùm habita fuerit prouisio de toto corpore, hoc primùm agendum. Si itaque tumor hic assurgit ex cumulo biliosi sanguinis: & si repletionis & inde affectionis natæ remedium est repletionis propria euacuatio: nascetur Indicatio euacuandi id quod inflãmationem facit talẽ, quodq; laxitatem adfert, ac in primis doloris remissionẽ inde que partis obsessæ redintegrationem. Præterea id quod dolorem facit vt foras euocetur: quare expectorato erit studendum: nam id salutiferũ peripneumoniæ est epiphænomenon. Et ab omni phlegmone exudat tenuior portio humoris, modò densitas partis obsessæ id non impediat. Ita pulmo inflammatus humiditatem quandam effundit in spacia sua interna, quæ sunt arteriæ bronchia: ea auferenda est expectorando. Meatuum spirabilium laxitas etiam præclarè ad salutem facit, quò fumidi vaporis abundantia à corpore perspirabili euacuetur. Nam in Coacis scripsit Hippocrates, cocta corpora celeriùs à plenitude & peripneumonia intereunt. Sed videamus iam num his Indicationibus satisfacere possimus. Vt verum dicam, vix & ne vix quidem hoc à morbi malignitate obtinebimus. Hoc sanè genus morbi, inquit

Margin notes (left): CAVSAE. — Notatio ex Auenzoare. — 4. de locis aff. 3. — Pueri eo non tentantur hoc morbo. — DIFFERENTIAE. — SIGNA. Hippoc. lib. 3. De morbis.

Margin notes (right): Signa differentiarum. — Indicationes curatiuæ. — PROGNOSIS.

inquit Celsus, plus periculi quàm doloris habet; & plerumque in calamitatem abire solet. Nam occupatus est hic pulmo à materia quæ tendit ac opprimit meabilem anhelitus viam. Hæc autem materia altè est immissa carni pulmonum: éstque cordi proxima: & propterea validis opus est remediis & calidis. Verùm talia ad inflammationem faciunt; nec sine motu violento expectorari materia hæc morbifica potest: cùm, ex aduerso, inflammatæ parti debeatur quies. *13. Meth 5.* Propterea Galenus vnicam spem salutis agnoscit virium robur: nam tussiendi libido sensim vires atterit. Quin etiam datus cibus morbum inflammatorium auget: quia & febris & phlegmone à cibo exardescunt. Quare vbi vires titubare incipiunt, conclamatum esse existima; equidem à tussi fatigationem ferre minimè poterunt. *2. Prog. 42.* Attamen, authore Galeno & Auicenna, minus periculi adfert si à pituitoso fuerit sanguine. Si hæc inflammatio fuerit biliosa, hoc est erysipelatodes, erit periculi plena. Attamen obseruatum est sputum flauum paulo permixtum sanguine, ineunte morbo editum, salutariter euenire. Sed si cruentum floridum sputum fuerit, dicit Aretæus, bilioso & spumante est perniciosius, hoc enim significationem adfert pulmonem exedi. Propterea etiam pronunciat Aëtius, Cruentum sputum esse malum. *Quæstio. 2. Aph. 34.* Dicet quis, videtur Auicenna aduersari Hippocrati, qui scripsit, Minus periculi esse à morbis quorum causa respondet parti obsessæ, eique est congener. Pulmonum autem genuina temperies est calida, miniméque algida. Quare phlegmone à pituitoso sanguine oborta, erit periculosior, vtpote parti morbo obsessæ, nimirum pulmonibus non analoga. Quidam respondent, discriminandum esse inter temperiem natiuam partium, & inter ascititiam earum temperiem. Nugæ. *Interpretatio. Aphor. 34. lib. 2.* Respondemus, Aphorismum eum rectè esse accipiendum, ac ita ipsè accuratè pro se respondebit. Dicit Hippocrates eos morbos minùs calamitosos esse, qui analogiâ respondent temperiei & talibus. Ex qua sententia malè inferas, Hic morbus est analogus temperiei ægri, ergo minùs periclitatur. Nam vix fieri potest vt aliquis morbus reperiatur, qui ratione alicuius rei non sit analogus, & ratione alicuius rei sit analogus. Vt causus iuuenem implicans humidum frigidum & pituitosum, illi quidem esse analogus ratione ætatis: non analogus à temperie. Est tamen minùs huic periculosa, quàm seni calido & sicco, cui analogos erit ratione temperiei, at illi non erit analogos ratione ætatis: attamen huic periculosior euenit. Itaque non ad vnicam temperiem solam debemus collineare, sed cuncta intueri debent. Ita inflammatio biliosa pulmonis, analoga est substantiæ pulmonis: attamen non est analoga eius compagini, structuræ, & habitui. Nam habitus esse potest mollis vel durus, rarus vel densus. Pulmones naturâ sunt molles, non duri: sunt rari, non densi: sunt laxi. Si habitum inspexeris, facilè animaduertes biliosam inflammationem minimè esse analogam substantiæ pulmonum, attamen temperiei pulmonum responder hæc inflammatio biliosa. Quare Auicenna ex Galeno, quem ibi imitatur, benè dixit, erysipelatodem phlegmonem pulmonis periculosiorem esse pituitosâ. Nam licet biliosa sit consocialis illi ratione temperiei: attamen est maximè dissentanea ratione habitus & compaginis. Ad reliqua præsagia venio. A bile itaque est periculi plena hæc affectio: quamuis alioqui bilioso ex sanguine nutriatur pulmo. Sed symptomatum magnitudine pereunt ægri, vbi à bile malum hoc est, nam cor in ingentem febrem trahitur. Quidam, inquit Cœlius Aurelianus, in pleuriticam passionem redeunte malo, releuati vixerunt, accedente dolore, qui illius permutationis est indicium. Sed plerumque id non fit: nam vt plurimum hi pereunt morbi magnitudine. Ab angina vel pleuritide si fiant peripneumoniei, plerumque septimo die pereunt: vel abit malum in empyema, mox ad tabem. Alioqui his rationibus finiri poterit: vel per insensibilem transpirationem, vel expectorato; vel induratione, quod rarò fit, vel in caput translatâ materiâ & ad neruos, vel per diadosin transfunditur in pectus, vnde pleuritis, vel in crus deponitur, vel per vrinas & aluum euacuatur, aut degenerat in pus, aut in putredinem. Fluxus etiam menstruorum & hæmorrhoidum subsidio esse solet. Expectoratum si rectè processerit mitescente febre, euadet. Sin praua quædam signa appareant, non vltra decimumquartum diem viuet. Sin cuncta prauitatem præseferant, etiam citiùs interibit, &, vt præsagit Aretæus, septimo die. In melius verò vergit, authore Aretæo, si vehemens oboriatur haimorrhagia, vel si aluus biliosis spumantibus ἀθρόως feratur: & per vrinas bonis ægrotorum rebus materia hæc morbifica interdum excluditur. *Haimorrhagia quæ bona, & quæ mala.* Haimorrhagia sanè iuuat liberalis, vbi sanguinea vel biliosa peripneumonia fatigat ægrum: at in pituitosa minimè iuuare solet. Hinc est quòd Galenus huius morbi prognosin iungat cum lethargo, vbi ait, In lethargo & peripneumonia non iuuat haimorrhagia. *Diarrhœa vt distinguatur. 6. Aph. 16.* In Diarrhœa etiam opus est destinctione, nam modò ad salutem, modò illa ad interitum apparet & facit: si, inquit Galenus, ea euenerit ab hepate adeò vi huius morbi afflicto ac presso vt nequeat nutricatú ad se prolectare, nec cibum mitigare, adeóque si cunctando in ventre putrescat is, hoc immanitatem indomitam morbi arguit; nam natura putridum id alimentum deturbat, cùm eo ali nequeat; vel pressâ naturæ vi, nisu morbi effunditur aluina deiectione. At in moderatiore peripneumonia, vbi oboritur diarrhœa à signis pepasmi editis in expectorato & vrina, præclarè ea ad salutem euenit. *Cautio in obnascente abscessu.* In crus deponitur aliquando hoc malum, non tamen ilico: hoc cùm fit, in victorialem triumphum est exiliendum: sed cogitandum ἀποστάσεων & μεταστάσεων crebram esse vicissitudinem. Et cuncta quæ aliò certis è locis commigrant, eò sæpè remigrant vnde abierant. Sic abscessus crurales peripneumoniæ, nisi fistulentur, paliudromen sæpe inflectũt ad ipsos pulmones. Quin frequens est peripneumoniæ mutatio in empyema: eò nimirum venit, ni intra dies quatuordecim cœperit expurgari. *Empyematis nota.* Nota eius est, quòd sputum salsum dulcescere incipiat, nam tunc fit empyema. Pleuritidi succedanea grauior est primogeniâ. illa verò rarò in pleuritidem abit. Ex angina, vt etiam antea monoi, mortem infert etiam infra septimum diem: vel infra vigesimum facit purulentum. Si diebus criticis nullam anacatharsin habuit, sed si delirat vsque ad decimumquartum diem: nec quieuit phlegmone hæc nec phlebotomiâ, nec pharmaciâ, nec diætâ, nec parotide, nec abscessu crurali, indicium erit phlegmonis viá affectantis ad empyema, si antè non fuerit ad mortem fatalis, nec ægrum intra decimumquartum diem ad exitium præcipitarit. Sunt autem pleuritidis & peripneumoniæ dies critici tertius, quintos, septimus, nonus, vndecimus, decimusquartus. *In Coacis.* Vnde scribit Hippocrates, sputum flauum pauco permixtum sanguine, peripneumonicis ineunte quidem morbo editum, salutare est multúmque confert: septimum verò diem agenti, aut prouectiori, securitatis minus est. Patet itaque hoc malum periculi plenum esse, funestiúsque ipsa pleuritide partis principatu, & præ vicinia cordis, ac difficultate curandi: dum enim pulmo vibret se perenni motu, fieri nequit vt facilè curetur. *Empyematis futuri significatio.* Vbi expectoratum non procedit, si tamen lethalia non apparet, attamen febris perseueret cum grauitate pectoris, empyema nascitur. Quæ si

non excludatur quadraginta diebus, fiet tabidus, vel suffocatur : & ægrè sensim tunc sensim spirare incipit. Interdum abscessus non rumpitur, sed doloribus, atrophia, tussique ac febri perit. Vel ita extenuato rumpitur : ac moritur. Senibus est lethale malum. Obseruatum est, si à vena secta effluxerit sanguis niger, qui non congelatur, id mortis significationem adferre. Parotides hîc lethales sunt. Iuuenibus hoc etiam malum calamitosum esse asserit Aretæus. Iam ad curationem venio. Quia verò peracutum lethaléque hoc malum est, nam adest inflammatio repletióque pulmonis, propterea præmaturè ferenda subsidia sunt. Nam, authore Auenzoare, Dum sanies nõdum prouenit, curari poterit phlebotomiâ & tenui victu. Sed éstne vena secanda? sanè venæ sectione nihil à pulmone aut à corde, à quo solo accipit pulmo sanguinem, abduci potest: nam obstant cordis cuspides, qui sinum eius dextrum claudunt ita, ne quæ intùs sunt, foras erumpant. Quare sola ratione plethoræ, vel affluxuri ad pulmones & ad cor sanguinis, vena pertundi debere videtur. Et propterea nec in vigore morbi, nec in aliis morbis cõsectaria peripneumonia pertunditur vena. Sed præclarè causam venæ necessariò secandæ præbet Aretæus: Seu pituita, dicit, seu spuma, seu quæuis alia humiditas tumorem faciat, venarum inanitionis ampliorem pulmonis locum ad respirationes trãsitum efficiunt. Quænam ferienda vena? Qui adest tumor pulmonis, quem facit rheuma in vtramque pulmonis partem pariter æqualitérque concitatum, ibíque consistens: vnde significatio fit necessariæ in vtroque brachio phlebotomiæ, ad retractionem rheumatis concitati, &, si fieri possit, (nam natura ignotas etiam tentat vias) ad consistentis detractionem, dum crudus manet tumor, nec liberam habet trãspirationem. Huic sententiæ subscribit Aëtius: Statim, inquit, si vires ferãt, secetur vena in vtroque cubito : primò modicè absque lipothymia: idque repetatur. Prima itaque sectio sit moderata: secunda sit largior (contrario modo ac in pleuritide) nam in secunda sectione non ita prosternuntur ad lipothymiam. Cautio itaque adsit ne ad animi deliquiũ procedatur vsque: nam id, inquit Aretæus stragulatum auget. Itaque repetitis vicibus aperiatur vena recollectisque viribus: nam venæ sectio, inquit Aretæus, malum tollit, si sit à sanguinis copia. Declinante morbo admoue cucurbitas pectori, tergo, dorso, & largè sanguis educatur, inquit Paulus: nam dicit Aretæus, id solamen præbet, spiritibus foras euocatis, quibus pulmo opprimitur. Obseruatũ à Medicis fuit in peripneumonia quadam, in qua si sanguis primo vel altero die detractus fuisset, euadebant quinto vel sexto die. quarto verò vel quinto sãguinem detraxisse, nihil profuit, morbo iam confirmato. Hîc nullus seruatus cui expectoratum biliosũ vel sanguini permixtum erat. A venæ sectione, inquit Aretæus, humores & flatus deorsum trahantur glandibus ex melle, rutâ, nitro. Aëtius vult acri clysmate aluum duci. Si sit à catarrho, accipe seminis carthami vnciam: agarici recenter trochiscati semunciam: glycyrrhizæ semunciam: capillorum veneris, hyssopi, cuiusque semimanipulum: hordei mundati manipulum: passularum minorum vnciam: seminum quatuor frigidorum maiorum semunciam: fiat decoctio ex aqua ad vncias duodecim : colaturæ adde sirupi violati vncias tres. sumat manè vncias quatuor calidè. Si sanguis bilescit, loco agarici adde rhabarbarum. Experiẽtissimus ac doctissimus Medicus Arabs Auenzoar iubet vt præscribamus hîc abstergentia cum aliqua incisione & siccatione, absque calore qualis est, inquit, terra sigillata, quia à proprietate conuenit pulmoni : & quamuis strictione quadam prædita sit, hoc non nocet. capillorum veneris vsum

Curatio. — *Num vena sit secanda.* — *Quæ vena secanda.* — *Quando sit secanda vena.* — *Cõtra emittendi sanguinis.* — *Cucurbita.* — *Obseruatio.* — *Præparatio & aluiducta.* — *Terræ sigillatæ vis.*

idem author laudat post decimumquartum diem. Quin idem cortices citreorum valdè conferre ait vbi sanies in pulmone, nam ibi mirum in modum solatio esse solent, inquit. Hos itaque coqui vult ex aqua, eámque bibi cum sirupo ex scariolis vel de rosis recentibus. Cape, inquit Abenzoar, bolum armeniæ, & terreo impone vasi, quod carbonibus appone: tegmẽ eius habeat in medio foramen, quò aqua rosata cõspergi possit, ac fumus quo erumpat. Æger illum fumum sæpè die excipiat: id excitat cor & pulmonem. existimo eum loqui de ea morbi parte vbi ad purulentiam ventum est. Bibat is etiam lac recenter mulctum, ita vt aërem non sentiat. theriaca tunc etiam prodest. Si pituitescat materia, Accipe radicum maluæ, fœniculi, glycyrrhizæ, cuiusque vnciam : hordei mundi, scabiosæ, capillorum veneris, vngulæ caballinæ, hyssopi, cuiusque manipulum: florum cordialiũ pugillum vnum : passularum minorum vnciam vnã: iuiubarum & sebesten, singulorum septem: prunorũ subdulcium duodecim: fiat decoctio ex aqua ad sesquilibram: dulcoretur saccharo. Huius decocti libræ infundimus postea foliorum senæ vnciam : & bibat bis die: ita vt aluus cottidie bis vel ter excernat. In duplici vase soleo decoquere brassicam rubram cum vrtica : liquamen cum saccharo manè propino ad vncias quatuor vel quinque. Si bilis ferocia perfusa sit materia morbifica, propinabimus sirupum ex succo cucurbitæ, & decoctum seminis psyllij, & seminis maluæ cum violis. Et sirupus sacchari crystallini, cum decocto seminis lactucæ, & cum emulsione quatuor seminum frigidorum maiorum, & seminis papaueris, adiice sirupum de violis. Auenzoar commendat capillos veneris. Cassiam exhibet cum sirupo de mastice. Aqua melonum & cucurbitæ : in qua fiat emulsio seminum frigidorum: adde sirupum violatum. Coquatur in sero lactis hordeum, pruna, malua, & violæ: dulcora saccharo. Si à pituita sit, lingat myrrham. Et exhibe decoctum ficuum cum iride. vel mulsam cum nucleis pineis & cucumeris semine: tandem cum hyssopo & ruta. Foris attractoria admoue, sintque talia quæ simul coquunt & flatus discutiunt. nam dicit Aretæus, humores, calor, & spiritus foras educendi sunt. His itaque prodest extremorum deligatio, & acrium illicio. Fiat ceratum ex puluere ireos, oleo, & cerâ: extendatur super corium; ita euocabitur sine turbatione materia & coquetur. Ægineta etiam præscribit oleum rutaceũ cum puluere ireos, adipe, butyro, medullâ, croco. Celsus salẽ benè tritum & cerato exceptum pectori imponit; quia leniter cutem erodit; eóque impetum materiæ quo pulmo vexatur euocat. Q. Horatianus probat fotus & cataplasmata pleuriticorum; & iubet ceratis addi sinapi, quò ad exteriorem cutem, pulmonis laborantis malum euocetur. Interdum tamen vtimur emollientibus, vt medullâ ceruinâ cum resinâ : & vt attrahat, iungimus ireos puluerem, & quò magis trahendum, eò plus resinæ iungendum. quin resina terebinthinæ etiam deuoratur, quo per vrinas materia deriuetur: éstque præcellens remedium. Contegatur, ex sententia Aretæi, thorax lanis oleo imbutis, cum nitro aut sale. Optima dicit inunctio ea est, quæ ex adarce fit. Est autem adarce, spuma quædam salsuginosa, concreta in palustribus locis, per siccitates proueniens, in arundinibus ac cremiis adhærescens. Halcyonij formam imitatur. Acerrimum est & calidissimum medicamentum. Hippocrates libro De vlceribus eam ὀρχομένιον appellasse videtur, quòd ea in lacu Orchomenio copiosè proueniat. Nos eius loco vtimur sinapi. ita Aretæus hîc vtitur sinapi cum cerato humido. Imponimus etiam lanam succidam ex dulci oleo. Illinatur totus thorax hoc vnguento bis vel ter die, Accipe butyri recentis insulsi,

Citria. — *In pituitosa.* — *In biliosa.* — *Electuaria.* — *Pituita.* — *Foris admouenda.* — *Adarce quid.*

insulsi, medollæ cruris vituli, olei amygdalini & violari, singulorum vnciam: terebenthinæ claræ semunciam ireos drachmas tres: croci scriptulum: ceræ quod satis sit, vt fiat vnguentum molle. Declinationis tempore dorso medio interscapulari & pectori admoue, quo foras malũ à pulmone prouocetur, & consperge sinapi, quo leuiter arrodatur cutis. Oxyrrhodino somnum cõcilia, ne in delirium veniat. Alui immoderatior fluxus leniter stringatur refrigerantibus. Si natura crisin tentat per sudores, admoue tunc pectori vesicam aquâ tepidâ semiplenam. *Roborantia.* Tandem vtantur enula campana saccharo incrustata. Iam ad *Victus ratio.* Victus rationem venio. Aër sit media quadam temperie præditus caloris, frigoris, ac lucis. Iubet Auenzoar vt ab omni specie carnis omnino abstineant, ob inflammationem qua tenentur. & ego dico, inquit, quòd omnes species carnis sunt malæ in hac ægritudine, nã stomachus debilis est. Cancri coquantur, quo omnis graueolentia abeat: colatura carnis eorũ detur, inquit Auenzoar; nam, dicit, vehementer eam Galenus commendat: pulmoni est quædam cognatio cum cancris: quare hîc summè conuenit. Alioqui hordeato transigant ad septimum diem: deinde ad ceruisiariam pultem & ad poma veniant. Sola aqua hordei primò in potum veniat, vel aqua cocta cum saccharo violato. Inclinante morbo detur tenuior ceruisia. ab vndecimo liberaliùs viuat. ius pulli & dein oua sorbilia dentur. toto morbi decursu vinum absit. Ius pulli cum passulis: & protracto in morbo eóque declinante, adde crocum & hyssopum. Pruna coquantur cum saccharo. Comedat butyrum recẽs. *libro 3. De morbis.* Hippocrates ineunte morbo exhibet potiones dulciores. quarto die, quinto, & sexto non ampliùs dulces dat, sed pingues. nam vt expectorent maximè studet Hippocrates. Talis est ptisana cum iure pinguis gallinæ. Vel propina ineunte morbo, vt diai, hordeata; deinde sorbitiunculã ex pane, saccharo, & butyro, cũ ceruisia leuiter cocta. vel panatã sorbeat. In fine morbi sumat colatitiũ cum emulso hordei & saccharo. Magis hîc cuncta incidant quàm in pleuritide. Quare potus redoleat vim hyssopi aut origani, inquit Aretæus, vel piperis. flatulenta cuncta nocent, autore Aretæo. Bibat aquam coctã cum sirupo violato. Pluribus diebus, inquit Celsus, à vino abstineat in refectione, ne morbus reuiuiscat: diúque sit leue alimentũ. Potus modicus sit, nã docuit nos Aretæus madefactionẽ pulmoni bellũ indicere: nam à gula & vẽtriculo trahit. Sorbile ouum concedit Celsus. Passulæ coctę. Vide ne cibi copia ventriculũ & diaphragma premat. Q. Horatianus dat prisanam cum puluere ireos. In duabus libris hydromelitis coque ireos drachmas tres. *Historia.* Narrat Auenzoar Historiam de ægro Hispano, quẽ curauerat eius auus. Hic Hispanus, inquit, ea hoc malo ita extenuatus fuerat, vt moles eius carnea omnino fatisceret. Hunc, inquit, curauit auus meus: nam eum alebat pane optimè fermentato cum saccharo rosaceo, ac pane benè fermentato cum oleo oliuarum. Hic ad pristinum robur corporísque molem antiquam redintegratus fuit: vixitque diu post auum meum, tãdémq; ex alio morbo obiit. Existimo eum loqui de pustuleris. Die potiùs est dormiendum quàm noctu. ante declinationem parciùs dormiat. Celsus vult vt frictio fiat in brachiis, primúmque in scapulis, in cruribus & pedibus, leuiter contra pulmonem, ídque cottidie bis facere. Breui- *Empirica.* ter iam subdo quædam empirica. Si à quarto morbi die procedat expectoratum, vel si id sincerum fuerit, extremáque frigeant & liueant, vnguésque curuentur, ac vigiliæ vexent, ilico moriuntur. Quando istis accidit inflatio pedum, authore Auenzoare, tunc mors in procinctu est. Si sanies sit viridis vel nigra, morientur intra vigesimum diem, inquit Auenzoar: nec ferè moriuntur antequã pedes inflentur. Si diarrhœa iam prostratis viribus oboriatur, celerrimè moriuntur. Scribit Hippocrates in Coacis, vt hoc quamuis non suo loco hîc dicam, Quibus vrinæ in peripneumonia crassæ, hoc est mediocris consistentiæ, mox ante quartum diem tenues fiunt, (à fatiscẽte natura, ac à metastasi ad cerebrum, vnde delirium) mortiferum. Quò citiùs, inquit Auenzoar, mala sputa expectorat, eò citiùs morietur. At si tertio saniem excreuerit, non superabit diem sextum. Sed si fortis ægri vis fuerit, morietur octauo. Sin saniei expectoratio cœperit sexto die, decimum is diem non superabit. Hi, dicit Auenzoar, sanguinem non expectorant, nisi rupto apostemate. Septem diebus ni curetur, enecat: nisique intra eum diem haimorrhagia liberalis oboriatur, vel spontanea diarrhœa. Insania certam indicat mortem. Ab angina intra septimum diem occidit, vel in tabem abit. Addo remedia quædã Empirica, Accipe ligna mali viridia, verte in cineres sine remixtione aliorum cinerum: his adde fœniculum, anisum & glycyrrhizam: bulliant in vino albo; adde modicum mellis, & cola: bibat cyathũ manè & vesperi. Ius in quo cancri sunt cocti. Aqua lenticulæ palustris bibita. Iulep rosatum. Philonium Romanum cum hydromelite. Iris cum melle & pipere: nam debent crassitudinem dissipare, inquit Aretæus. Decoctum ficuum cum iride. vel mulsa cum nucleis pineis, & cum cucumeris semine: tandem cum hyssopo & ruta. Pomum dulce in quo coxit thus Marcellus Empiricus hoc proponit, Accipe seminis dauci, alterci, thuris, myrrhæ, croci, partes æquales: fiant pastilli ad denarij semissem: detur vnus ex aquæ mulsæ cyathis duobus.

Capvt VI.

De Ervptione Sangvinis *per os.*

GRæci hunc affectum ἀναπτυσμὸν καὶ ἀναβολὴν dicunt. Quum ab ore fertur sine screatu, ἔκπτυσις vocatur, hoc est, expuitio. Cùm guttatim ex ore, vel copiosè etiam prolabitur è capite, nondum dicitur ἀναγωγὴ, hoc est reiectio vel eruptio, sed πτύσις, hoc est spuitio, vel αἱμοῤῥαγία, inquit Aretæus. Cùm à pectore & infernis partibus, pulmone, asperâ arteriâ, locísque spinæ finitimis, ἀναγωγὴ, hoc est Eruptio *Definitio & eius explicatio.* dicitur. Quæ est reiectio sanguinis per os, quacunque ex parte eò delatus fuerit. Dixi esse reiectionem per os, quò abeat à profluuio quod fit ex naribus, vtero, sede. Per loca non decentia hæc fit eruptio cruenta ac crudelis, qua plurimi tyranni animam effuderunt. *Tyrannis frequens malum.* Qui, vt sui sanguinis pro patria parcissimi, alieni autem auidissimi, ita, fatis vrgentibus, inaudita sanguinis effusione animam plerumque fundunt. Quod ingenuè fatetur apud Iosephum Aristobulus Hyrcani *Historia 13 Antiquit.* filius, qui primus coronam Iudææ inter Machabæos sumsit: hic matrem postquam fame necasset, optimúmque eius fratrem Antigonum insidiis trucidasset, tactus factorum pœnitentiâ dum ægrotaret, maiorem animus fecit corporis morbum: crescentibúsque doloribus, sanguis per os erumpebat. Cum verò qui illi à cubiculi erat, sanguinem expectoratũ ab eo efferret, cespitãs cõcidit eò loci vbi fratris Antigoni obtruncati ab eo sparsæ à sanguine hærebant maculæ. Tumultu autem ac fremitu à satellitibus oborto, qui contumeliâ id actum interpretabantur; vnde recognita ab Aristobulo, animi mordaci pœnitentiâ actus in lachrymas se effudit, geméusque in hæc verba erupit: Ita nihil Sanctum latet Deum ex meis sceleribus, qui sine mora fraterni sanguinis effusi:

pœnam à me repetit. ô miserum corpusculum, quādiu nolentem retines animum? quem manes materni fraternique in pœnam euocant, cur hunc tenuis vnà cum sanguine effundere? non officiosè satis particulatim sensimque eis cruorem hunc offers. Quin age parenta ita his parentibus, qui tuo scelere oppressi iacent. Vix ea loquutus, cùm iussisset se in locum fraternæ necis gestari, animam cum sanguine fudit. Ità apud Suidam legimus Hippiam Pisistrati filium, profligato exercitu Persico, in Lemnum fugisse, & ibi morbo extinctū fuisse inter magnos cruciatus, cùm amisisset visum, & ruptis venis sanguis confertim per oculos efflueret. Et nostro æuo obseruatū fuit, ptincipem quēdam virum, cuius authoritate aut permissu laniena fœda per Gallias edita fuit, sanguine prolabente ex oculis, auribus, naribus, ore, vesicâ ac sede, miserè atrocissimóq; hoc mortis genere occubuisse. non dormit semper Adrastia Nemesis, vel vt verè dicam, Dei iustitia vindex scelerum. Attamen & popularis etiam talis morbus est, qui quemuis inuadat, ob corporis nostri fragilem œconomiā. quid enim præter coagulatū sanguinem sumus? sanè ex eo solo cōstat nostrum corpus, ac ex eo perennat. Haud noui, inquit Trallianus, an aliud æquè periculosum sit πάθος, vt sanguinis excretio. Nō enim solùm ipsum per se, dum immoderatā adfert euacuationē, enecare solet, sed plerumq; origo ac causa esse solet diuturnorum ac calamitosorum membrorū. Quare studiosè in diagnosin causarum huius mali vt deueniamus conādum est, ac explorandū quænam pars hîc in vitio sit: vt rectè, & sine cunctatione medelam adferamus.

Causæ. Internæ.

Cùm enim in cunctis morbis cunctatio nocua sit, tū verò maximè calamitosa in sanguinis eruptione esse solet. Erumpit itaq; ex ore sanguis; quare perpendēdum ex quibus ille veniat partibus: & ob quas causas. Efferri potest ex venis ac arteriis gingiuarū, linguæ, palati, & ex partibus ori accolis: narium ex vasis, cerebri, gulæ, ventriculi, iocinoris, lienis, vteri: uā à suppressis mensibus nonnunquam erumpit per os sanguis. Quin etiam ab aspera arteria, pulmone, & pectoris è venis interdum effertur sanguis. Sed cur erumpit sanguis ex his vasis? Hoc sanè symptoma nascitur à violata vnione, vel à mala conformatione. A mala conformatione, vt cùm vasa nimium rarescūt, aut cùm sua oscula aperiunt. Quare tribus de causis erumpit sanguis, vasorū rupturâ, erosione, vel apertione, adde rarefactione. Sed cur his passionibus inuoluuntur hæc vasa? Id sanè fit à causis externis, vel ab internis. Internæ hærent in vitio ipsorum vasorum, vel facultatis, aut sanguinis.

Ratione vasorum.

In vitio vasorum, vt si ista fuerint naturâ molliora, vel duriora, aut nimium gracilia, quod etiam euenit ab vsu aloës, & rerum acrium & validè abstergentium: nam ita emanare ac quasi per illa transsudare sanguis potest si ebullierit.

Ratione facultatis.

Ratione verò facultatis, vt cùm expultrix vis nimio impetu surgit. Hæc per osculorum apertionem, vel eorum per poros elidit sanguinem: maximè tamen id per apertionem osculorum peragere solebat: non autem à vasorum laceratione. Sed cur hoc agit vis expultrix? quia irritatur copiâ vel acrimoniâ sanguinis.

Ratione sanguinis.

At ratione sāguinis fit vasorum laceratio, vt in athletis præ copia. vel si tenuior sanguis fuerit, per poros manat: aut cùm acrior vel flatulentus fuerit, validéque moueatur vt quasi turgeat, rumpit vas.

A lacte.

Vel acrior eius vis recludit vasorum ora. Refert Mesue ex Ruffo, à suppresso lacte id fieri interdum: quo reuocato, sanguinis eruptio sistitur.

Obseruatio.

Obseruatum etiā est, ex pulmonis phlegmone aperiri ac erodi etiam vasa. maximè si cor ac hepar incendio incanduerit. sed hoc omnino funestum est. Hæc de causis internis, quas mox propiùs ipsis morbis adhibebimus: iā

Externæ causæ.

De externis pauca dicamus. Inter externas causas sūt ictus, lapsus, exclamatio, ponderis perferendi conatio, vomitus vehemens, tussicula perseuerans, venus plurima, imperitè suppressa haimorrhoïs: copiosior cibus & flatulentus mediatè id facit, nam inde talis fit sanguis. Frigus cōtrahit venas, quæ propterea facilè rumpuntur, cùm extendi nequeant. Quare abūdantia sanguinis vel per se, vel cum crudo humore & frigido, & cum flatuoso spiritu ad rupturam facit: nā ab his causis profusè & repentè effluit. Quin tempus humidum & calidum, inquit Aretæus, id facit, vt ver calidum & humidum.

Venenum. Exemplum.

Venenum hanc calamitatem interdum attulit: exēplo est Aratus Sicyonius Græciæ vindex iustus, & moderatus in victoria, expertus fortunæ inconstantiam, & insidas regum familiaritates. Hic à Philippo Macedonum rege patre Persei, cuius potentiam mirè auxerat, veneno cum filio suo necatus fuit. Cúmque sanguinem vomeret Aratus pater, præsentibus amicis solitus est dicere, ταῦτ' ἐστιν ἐπίχειρα τυραννικῆς φιλίας: hæc sunt præmia tyrannicæ amicitiæ.

Luna.

Quinetiam Luna tenuirima subiens, dormientem si feriat, eruptionem sanguinis accersere potest. Ita De Gradi refert de sibi noto Medico, qui si sub radiis Lunæ ambularet, ilico trahebatur in cruentam eruptionem ex ore: at sub lucido sole nil tale illi eueniebat, etiamsi se nudo capite soli daret: quod, authore Auicenna, non aliunde quàm ex aucto à Luna madore eueniebat.

Hirudo.

Scribunt cuncti medici ab hirudine pota ventriculum lædi, ac hinc sanguinem euomi. Opinio hæc ex Hippocratis scripto concepta esse videtur, vbi ait, Si cuipiam fauces implētur sanguine sæpè singulis diebus ac noctibus, neque caput antea doluit, nec tussim habet, ne vomuit, nec febre correptus est, non dolet pectore vel dorso: huius considerandæ sunt nares & fauces, si quod vlcus habere videantur eo loco, vel βδέλλαν, hoc est, hirundinem, vel varicosam venam, quam ex similitudine βδέλλαν appellauit. Iubet itaque Hippocrates considerandas esse nares & fauces, an vlcere obsessæ sint.

Lib. 2. Prorrhetico.

Galenus alibi etiam bdellæ meminit.

4. Loc. aff. 5.

Scribit ita Cælius Aurelianus, Depressâ linguâ, inspicientibus visu locorum probatur asperitas, plerūque etiam, vt Erasistratus dicebat, tubercula quæ Græci condylomata vocant, visibus occurrunt, quæ sunt similia haimorrhoïdis, ex quibus sanguis fertur. Sic Dioscorides quidam antiquus Hippocratis interpres, varicosam venā hîc significari enarrauit. Galenus contendit Hippocratem de animali hæc retulisse. Sed an possit ita diu faucibus hærere incognita quamuis plena cruoris hirudo? an homo possit atrocissimos illos cruciatus ferre? Sanè quæ Plinius de Elephātis, reclamant. qui scribit eos cruciatus maximos sentire haustâ hirudine.

8. lib. 10. 6. lib. 18. lib. 6.

Et Columella vbi de bobus loquitur, hirudo, inquit, cibis trāsitum intercludit. Affirmat etiam Dioscorides, haustā hirudinem dignosci à suctu. Nec Hippocrates alias illas notas cōsociasset, si per βδέλλαν animal intellexisset. Ita enim scribit, quasi dicat, Si nihil horū adsit, vlcus aderit, vel varicosa vena. Sunt autem varices, venæ tumentes in cruribus, temporibus, ventre, maximéque circa vmbilicum. Quinetiam interdū occupant pectus & pulmonem, authore Hippocrate libro primo de Morbis, & libro De internis affectibus.

2. lib. De partibus animalium.

Asseruit Aristoteles haimorrhoïdes nōnunquam effluere ex ore labore nullo, nec ex arteria violenter. Sed iā à causis externis reuertamur ad cuiusq; effusionis peculiarem causam. Diximus sanguinis effusionem nasci à vasis ruptis, apertis, erosis, vel rarefactis. videamus itaque vnde hæc maximè eueniant.

Ruptionis causa.

Vasorū ruptio est omnium frequentissima. huius causa est lapsus, casus, ictus, clamor: plethora sanguinisq; ebullitio ab euacuatione solenni suppressa: ventositas biliosi sanguinis, si quid accedat quod acriorem sanguinem

guinem reddat,vt ira:aër calidior vel frigidior:tussis violenta:clamor : vomitus in his qui ægrè vomunt. In hoc affectu ineunte, copiosè effunditur sanguis; hinc parciùs, & cum aliquo dolore. *Apertionis causa.* Aperiuntur autem vasa; quòd eorum ora sint lata nimium: vel ab vsu rerum laxantium ac madefacientium & calidatum, vt à tali diæta; vini vsu,ac à frequenti balneo. vel id fit ab acrimonia sanguinis vnde irritatur excretrix vasorum vis,vt fit in his qui frequenter aloë vtuntur. Quin à retentrice labefactatâ id interdum euenit:nascitur hoc etiam à plethora:& etiam à sanguinis motu, qui ab exercitio vel ab animo. Sunt etiam quædam quæ proprietate quadam id agunt, vt euphorbium, ruta agrestis, aloë. Dignoscitur reclusio oris vasculi, quia ineunte morbo parciùs effluit sanguis,mox copiosiùs : éstque doloris expers. éstque magis spissus rubicundiórque,quàm is qui ex pulmonis substantia venit. *Erosionis causa.* Vasa verò eroduntur ab acerrimis succis illabentibus in pectus. Propterea expectoratus cruor puris ideam gerit interdum:nam corpus pulmonum est in tabum pronum. Sensim expectorarum induit sanguinem, maximè si corrosio in carne pulmonis constiterit,& non in vena. Et deinde aliquando confertim erumpit sanguis : éstque plerumque fœdus sanguinis color,cùm pareè extussitur, ob miscellam rodentis succi. In primis morbi auspiciis paucus expectoratur sanguis liuidus ac quasi virescens. *Diapedesis causa.* Sanguinis verò exudatio à vasis fit, ex sanguinis tenuitate ac venarum raritate.ebullitio sanguinis agitati huius maximè causa esse solet.paucus ac tenuis hic prodire solet. Noui mulierem quæ singulis menstruis spaciis sanguinem ore reddebat: nam, autore etiam Aretæo, hoc modo in spacio aliquo collectus sanguis,benè effunditur.Quædam eliso dente, periodis, illà cauea, menses reddebat. *Signa differentiarum.* Sed quia magna curationis in hoc affectu pars est, exacta cognitio speciei huius affectionis, ac loci vnde sanguis erumpit diagnosis,hoc est,vt internoscamus num ex vase rupto,aperto, aut exeso effundatur sanguis;& num ex pectore,pulmone,hepate,aliâve parte proficiscatur, & num ἀρτηριῶς, vel symptomaticῶs fundatur,nos,etiamsi hęc δὶς κ̀ τρὶς,(quia καλά)de his exactè transigemus. Quibus ocium est examinent commentaria nostra ad decimumtertium Aphorismum libri quinti Aphorismorum Hippocratis. *Signa rupti vasis.* Si ruptum fuerit vas, plenâ manu ilicò profluit sanguis. & causæ illæ præcessere quas antea enumerauimus. *Signa erosi vasis.* Erosio vasis si in virio fuerit,paulatim,& non conferrim, ineunte morbo, prodit cruor : præcessit vsus mali cibi, & acerrimus catarrhus tussiculosus. Hoc est quod dicit Aretæus, Roga num priùs tussierit,difficiléque respirarit,nausea adfuerit. Nam vascula pulmonis à diuturna copiosâque distillatione exeduntur, detritis attenuatísque tunicis. Processu itaque temporis multum sanguinis erumpit. Febris plerumque sequitur hanc effusionem. Aëtius ex Galeno refert etiam inter causas,acrem materiam, quæ gignitur in ipsis pulmonibus. *Notandum.* Et dulcis catarrhus glutinosúsque diu ex capite illabens, pulmones pedetentim exedit & in tabum vertit : nam ibi cunctando putrescit ac acris euadit. Vidi in sectis cadaueribus plus quàm tricies pulmonum ambitum viscosa lentâque materiâ obductum adeò, vt pectori pulmonem adglutinaret. *Signa aperti vasis.* Vasorum apertionem nihil tale præcedit, prætetquam quòd interdum conspicua plenitudo adsit vasorum. interdum balnea præcessere frequentia, victúsque humidus & calidus, & mora in loco calido. Euphoria quædam sequitur hanc exclusionem, si moderatè euenerit : maximè à mensibus, vel haimorrhoïdibus suppressis solebat nasci. *Signa rarefacti vasis.* At vasis rarefactio citra rupturam est: hinc est quòd non subitanea euenit effusio ab hac, neq; cum profusione multi aut crassi sanguinis. Deprehenso iam affectu,veniamus ad notas loci affecti,quò noscamus ex quonam loco effundatur sanguis:hoc est, *Ex qua parte effundatur sanguis.* qua in parte sit illud ruptum, apertum, exesum, vel rarefactum vas. Præclarè hoc axioma pro cynosura hìc erit, Omne excrementum ideam partis præsefert vnde fertur. Inspice itaque sanguinem, & examina eius substantiam ac consistentiam, colorem,quantitatem,tempus periodúmque excretionis,& excernendi modum,hoc est,num spuendo, screando,vomendo,tussiendo excludatur. Ex venis atrior, ex arteriis purpureus prodit:ex pulmone spumans albicánsque a purpura. Profluit enim ex vasis oris, narium, cerebri, ventriculi, lienis, iecoris, vteri, asperæ arteriæ, pulmonis, pectoris : vel prodit à membrorum substantia. *An ab ore.* In primis itaque interrogetur æger,quo modo efferatur sanguis. Nam si simplici expuitione excludatur, ex vasis oris dicemus eum emanare. quara hìc rimari debent oris affectus. Attamen nonnunquam in simplici hac expuitione sanguis labitur ex vasis narium vel cerebri : Sed tunc insolens aliqua titillatio palati adest,ac libido tussiendi, sine multa tussi. Cùm à naribus ita manat acrior sanguis,hæ rubere solent. Cùm à capite, id feruore vel dolore in querelam venit : sonant aures,inquit Aretæus,vertigo interdum fatigat,vel percussus præcessit, aut frigus ingens,vel calores,vinum largius:nam ab ebrietate rarefacta vena etiam sanguineum sputum mouet. at à sanguinis eruptione tædia capitis mitescũt. Quin is sanguis qui ex capite dimanat, interdum in ventriculum vel in pectus effunditur. *A quo viscere.* Omnis autem qui ex ventriculo in os rapitur sanguis, vomitu reiicitur. Venit autem ad ventriculum,vt iam dixi,vel à capite,vel ab hepate,aut liene,vel ab ipsis ventriculi venis funditur. Qui à ventriculi venis venit, authore Auicenna,paucâ copiâ manat,&,inquit Aretæus,niger concretúsque, etiamsi ab arteria fluxerit. Si à vena, multò compactior & nigrior est, nausea multa adest, crebri virulenti ructus. Si multa collecta sit materia,angorem consectarium habet, & vertiginē resoluuntur, exæstuant, assiduè dolet ventriculus; à vomitu leuantur. Nam cùm ab hepate,liene,vteróve prodit, magnâ copiâ funditur. Nam cùm ex hoc vel illo viscere dimânet,aperiet pręcedens de visceribus querela,& sanguinis moles,character,ac qualitas indicium dabit. Nigrior & crassior,est soboles hepatis;non admodùm nigricans sæpè ex liene prodit. Si odoris grauitas adsit, ab vtero est:maximè si euenerit à suppressis mensibus. Si præcessit hypochondrij dextri tẽsio,quæ à vomitu sanguinis mitescit,ab hepate erit. Magna ex vena profluit,maxima sanguinis copia,& frequentiùs,& crassior. Si per screatum excludatur sanguis purpureus ac paucus,ille veniet ex initio tracheæ arteriæ,vel ex faucibus. Raro tamen à gula rarefacta elabitur,nam cibi & potus hanc dẽsant & refrigerãt. nec erosiones patitur,nam fluxiones non diu eò perseuerant : quia vel expuuntur,vel ad inferiora pelluntur. *A Gula.* Attamen ruptio gulam fatigat:expuitúrque tunc sputum cruentum,flauum,exiguum,cum nausea & vomitu.& tussicula adest, consentiente gulæ arteriâ, nam secundum illam extenditur,& illi adhærescit; deglutita calida vel frigida nocent:dolor interdum interscapulum ferit. Si verò non à læsa gula, sed à ventriculo nascatur malum, præcessit vomitus,& screatus ille est doloris expers, nec assiduo excreatu prodit. Nec etiam necessariò is sanguis qui screatu eliditur, ex vase gutturis funditur; nam ex capite & ex ventriculo eò incubuisse potuit. Cùm manat ex faucibus, non pleuâ manu effunditur sanguis, sed modicâ copiâ : & reliquæ partes extra querelam sunt : & in læsa parte percipitur dolor, éstque vox inde rauca. Estque hic

ſubflatus ſanguis, nec exactè miſcetur cum ſputo, adéſtque nauſea vel vomitus, & tuſſicula interdum, ob laryngis (quæ etiam fsux Latinis dicitur, teſte Aureliano) cum gula coniunctionem, dicit Aretæus. *Cum tuſſi.* Si ſanguis prodit cum tuſſi, id euenire poterit, eo veniente ex partibus ſpirabilibus, capite, vel vẽtriculo. Sed quo magis ab imo proficiſcitur pectore, eò maiori cum tuſſi expectoratur. Maxima autem cum tuſſi egreditur ex pectoris vaſis, & minori copiâ quàm ſi à pulmonibus excluderetur: éſtque is qui à pectore labitur nigricãs & grumoſus, nam in bronchiis grumeſcit: & doler pectus aliqua parte. Cùm ab vtero ſurgit ſanguis, vel à ventriculo, aderit quidem tuſſis, ſed non adeò moleſta, & maior acerbiórque eam comitabitur vomitus quàm tuſſis. Quin etiam ex aduerſo euenit, vt materiam ex pectore dimanantem comitetur vomitus: etenim vt ſanguis ex ventriculo affluit in pulmones; ita ex aduerſo, qui eliditur ex pectore, manat in ventriculum. Sed ſi primo prodit à pulmone, magis cõtinuò fatigabit tuſſis quàm vomitus. *A pulmone.* Nam floridus & ſpumãs cum tuſſi fuluúſque erumpit ex pulmone ſanguis: & repentè vberiórque è pulmone labitur. Eſtque hic ſanguis, ἀφρῶδες ἐπανθίσμα, hoc eſt ſpuma fulua efflore ſcens: Hoc eſt, ſanguis minutiſſimis bullis obſitus, à & ſpiritu & calore pulmonis, continenter follis modo agitati. Maximè ſi eroſio in cauſa ſit, éſtque rotũdus ſpumans ſanguis ſic, vt pars à parte diſtincta ſit: indolentia adeſt, & rubor in facie maior. Quare vide copiam effluentiæ, & modum: qui tanquam vomendo fit, & ſine dolore. Sæpe euenit vt ſanguis ex capite in pectus delabatur per ſomnum, qui deinde cum tuſſi expectoratur, ſiue ſpuma nigricans: hi ſub ſole fuere, vel *Cum ſpuma.* aliunde indoluit caput, oculi rubent. Qui tamen ex capite ſanguis in pulmones labitur, interdum ſpumeſcit. Spuma enim naſcitur ex vapida materia, cui ſe craſſamentum aliquod remiſcet, conſociante ſe vnà calore, aut motu, vel vtriſque. Eſt enim ſpuma nihil aliud, quàm minutiſſimarum bullarum generatio in circumtenſo humore, vel à ſpiritu vel à calore. An igitur ex his non ſpumam ducat illapſus in pulmones ſanguis? ſanè multum ſpumifera eſt pulmonis conditio ac natura. Probum ſanè eſt argumentum: ſpumoſus ſanguis expuitur, igitur prodit à pulmone. At minimè ita benè vertas, Non eſt ſpumoſus, igitur non prouenit à pulmone. Nam non ſpumoſus prodire poteſt ex vaſe pulmonis lacero. At qui ex propria pulmonis ſubſtantia prodit ſanguis, eſt mera *Obiectio.* ſpuma. Dicet quis, Galenus author eſt ſpumoſum ſãguinem non poſſe aliunde prodire, niſi ex pulmone. Reſpõdemus, aliud eſſe ſpumam ſanguineam, & ſanguinem qui habet ſpumam. In recens mactatis ac iugulatis bobus dum profunditur ſanguis, in ipſo ſanguine natantem animaduertimus ſpumam ſanguineam fuluâ purpurâ quaſi albicantem; hæc à pulmonum ſubſtantia venit, éſtque mera ſpuma. Sed ex vaſis pulmonis ſæpe effunditur purpureus ſanguis, qui non eſt ſpuma. Quare rectum iſtud ratiocinium eſt, Spumat, igitur ex pulmone dimanat. Sed non rectè ita, Non ſpumat, igitur non labitur ex pulmone. Cùm ex propria pulmonis ſubſtantia excernitur, mox aderit febris hectica ac purulentum expectoratum, cum animæ fœtore: nam nulla ferè corporis pars æquè facilè in putredinem trahitur ac *Ex pectore.* pulmo. Ex pectore profectus nigricat, & dolor adeſt in ſterno, non adeſt ſpuma ſanguinea, attamen poteſt habere ſpumam; & nigreſcit, nam in bronchiis quaſi grumeſcit. Spuma quam gerit, facilè euaneſcit. ingens, dicit Aretæus, tuſſis hîc fatigat ſine expectorato. Attamen nigricans & grumoſus ſanguis tuſſi reiectus non ſemper à thorace venit, nam nuper per ſomnum ex capite illapſus grumeſcere potuit. Phlegmonem iam vulnus contraxiſſe, argumento eſt febris cum ſputo purulento pauco. *Ex iecore vel liene.* Ex iecore vel liene cùm prodit, tumor vel dolor in alterutro viſcere præceſſit, & ſanguis eiectus niger eſt & concretus.

Indicationes curatiuæ. Ex perſpectis cauſis mali, ac deprehensâ ex parte affectâ, videamus quid agere debeamus. Generalis hîc quædam oritur indicatio, nimirum accidendi humorum copiam: & vt ilico conglutinetur lacerum vas. Nam, dicit Cælius Aurelianus, omne vulnus quod vſque in tertium diem glutinari non potuit, neceſſariò tumeſcit. *Notandum.* Notandum hîc maximè obſeruabilem eſſe impetum erumpentis ſanguinis, & cauſas effluentis ſanguinis. Si ad impetum eius collineauerimus, orietur inde reuellendi ſanguinem à vaſe lacero indicatio: id fit per epaphairesin ſanguinis, & per frictiones, fotus, vincula, & cucurbitas. Præterea refrigerandus eſt ſanguis, ac eius acrior vis caſtiganda. *A cauſis.* Sin ad cauſas huius ſymptomatis oculos mentis direxerimus, ſi ſit fractum aut inciſum vas, naſcetur indicatio agglutinandi, & citra morſum adſtringendi. Si fuerit abraſa pars, orietur notio nutriendi: nam carne implendum id, quod arroſum eſt, & pharmacia ſarcotica opus eſt, & ſi acrior humor adſit, purgandus. Sin anaſtomoſis in vitio fuerit, dilatatum os adſtringendum ac claudendum. Si per diapedeſin emanat cruor, naſcetur indicatio denſandi illud vas. Sed tamen, ratione diſtributionis, vt hæc ſicca remedia ferantur ad partes ſpirabiles, miſcenda erunt calida quædam leptomera. Quamuis interdum narcotica miſceamus: nam hæc algiosâ ſuâ vi ſiſtunt ſanguinem, & ſomnum conciliant, ſicque tuſſim mitigant. Vt itaque medicamenta ſtringentia penetrent, melli remiſceri debent. *Præcipua Indicatio.* Summa ſit Indicatio hæc, vt vulnus concreſcat antequam inflammatio ſuperueniat. *Quæ metuenda hîc.* Quatuor in hoc affectu maximè ſunt formidanda: primò, ne nimiâ copia effundatur ſanguis; vnde Indicatio oritur eum ſupprimendi. Secundò, ne ſuffocet nimia vbertate. tertiò, ne grumeſcat in aliqua parte. quartò, ne vlcus faciat putridus ſanguis. *Cautio.* Ea itaque cautio adeſſe debet, ne, vbi opprimuntur à ſuccorum copiâ, materia ſupprimatur aſtringentium vſu: néve ſanguinis irritetur eruptio, à vi tenuantium remediorum. Si à catarrho periculum eroſionis adſit, educenda erunt acria, & temperandus erit ſanguis potu ſeri lactis, & dein lactis. Si humores acres & ſalſi à capite venientes pectus exedant, mitigandi erunt, & aliò reuellendi, diuertendi, vel excludendi. Tuſſis interim ſedetur. Quare ilico abondantia vacuetur: dein ſanguis ſiſtatur obturatis dilatatis, vel glutinatis ruptis, at citra morſum, eroſis ſarcoticis *Prognoſis.* & cibis ſuccoſis occurrẽdum. Sed videndum ac perpendendum num potis ſit has Indicationes perficere. nam interdum huic malo mederi licet, interdum non. Temeritas à promiſſione abſit: nam Sanguis, inquit Hippocrates, qui ſurſum fertur, cuiuſmodi fuerit (ſpumans, flauus, niger, fuſus, concretus,) malum *4. Aph. 25.* præſefert. Maximè ruptis vel exeſis venis, aut bis dehiſcentibus illis partibus, quibus remedia non facilè adhiberi poſſunt. Nam Galenus in commentario ibi, aſſerit Hippocratem loqui non de ſanguine qui per nares ſed qui per os erumpit. Nam, vt primùm demonſtrauimus, ægrè dignoſcitur pars vnde dimanat. nam interdum ſuſpicio nos inuadit de capite, cùm tamen ex pulmone erumpat ſanguis. Et quamuis à capite pulmones inuaſerit, attamen inde facilè pulmones abradi poterunt: maximè ſi ſanguis is ſalſus fuerit. Sanguis, inquit Hippocrates, ab ore fluens, ſi *7 Aph. 37.* cum febre, malum: ſi ſine febre, ſalutare. Explicat ibi Galenus illud Salutare, ſignificare curabile: ad differentiam alterius, curationem abnuentis. Id voluit, vitium hoc naturâ ſua periculi plenum eſſe. Verùm interdum curabile malum eſt, cùm

prodit

prodit ex gingiuis, ex oris partibus, ex ipso ventriculo, ex capite, gutture, pectore. Alioqui si à visceribus, vt liene, hepate, vel pulmonibus erompat, *4. Aph. 25.* cuiusmodi tandem is sanguis fuerit, dicit Hippocrates (id est, quacumque qualitate, tempore, & excernendi modo erompat: hoc est siue niger, siue purpureus, siue dilutus, siue seri sit naturalis particeps, siue expers: siue fusus, siue concretus, siue vomitione è ventriculo & vicinis partibus, siue expectoretur è thorace cum tussi & dolore, vel ex pulmonibus subflauus & spumans) calamitosum. Quia vena lacera in illis partibus ægrè restituitur suæ continuitati: & etiam quia res ea excernitur, quæ ex naturæ lege ibi continetur. Propterea ita loquitur Aretæus, Haut mite vitium, sanguinis enim exitus est: sanguis autem omnium est alimentum, omnium calor, omnium color: terroremque incutit sanguinem ab ore intueri. Si dimanat à pulmonibus, ex qua *A pulmone.* causa veniat, perpendendum erit. Si enim per diapedesin exilit, aut per anastomosin, curari poterit: nam orificia vasorum claudi poterunt, & tunicæ densari. Etenim menstruorum suppressio, vnde sunt dolorifica lumborum mala, sæpè sui seri expressionem mouet in fundum ventriculi, & inde ad stomachum; Similiter etiam ex pulmonibus erumpit, lenitionemque symptomatum inde inuenit, osculis vasorum illic reclusis. Quodsi ex laceru pulmonum vase erumpat sanguis: notandum erit num ex fracto vase prosiliat. vel num ab inciso vel ab aroso. Vtcumque fiat his modis, periculi plenum est. Vnde Ouidius:

Cernis vt è molli sanguis pulmone remissus
Ad Stygias certo limite ducat aquas?

Propterea ludit in hac re noster senex paranomasia, vbi ait, αἷμα τῷ πνεύμονι, ὀλέθριον: quasi dicat, idem est. Si abundè feratur nectar viuificum, cor exhauritur nimiâ copiâ. Est autem ruptio magnæ venæ difficulter sanabilis, de qua ita Hippocrates libro 1. περὶ νούσων: φλὲψ αἱμορρόος ἢ συμφύει. hoc est, non coit. Sed tamen curari potest, mediocri copia modò effundatur, si à prudenti medico, dicit Galenus, antequam vas inflammetur, agglutinetur; si accesserit inflammatio, curari non poterit. & rupto vasi sæpe intra triduum phlegmone superuenit. Nam antequam agglutinetur, abradetur vas pulmonis, & exulcerabuntur pulmones: quibus exulceratis, actum est. etenim in spongioso pulmonum corpore pus firmiùs hæret, vnde aerius redditum, arrodit molle pulmonum corpus: inde calor, difficilis respiratio, & tabes. Quare conclamatum est, vbi ex abrasione effunditur sanguis. Quod ita pronunciauit Oribasius, Hi soli incurabiles, quibus ex vitiosis succis erosio euenit. Nam, dicit Aretæus, parte membri deficiente, ad solidationem vlcus non ducitur: rupturæ verò facilior solidatio, quia vulneris oræ se contingunt. minimus, inquit, in rarefacto vase metus est, nam refrigeratio & astrictio satisfacit huic malo. Quibus sanguis ex iecore funditur, subitò deficiunt: non ita facilè quibus ex liene, sed in ascitem abeunt vbi ex liene perseuerat effusio; nec hi tunc restituuntur. Ab hepate rarò fit; cùm semel à liene vomuere, curari possunt; quarta vomitione sæpe deficiunt. Omnium itaque difficillimè curatur sanguinis eruptio quæ ex pulmone excluditur; cùm à rupto vel eroso fit vase. Nam pulmo in perenni versatur motu, &, vt dixi, quòd ex spongioso corpore non facilè pus excludatur, indeque pulmo facilè in purulentiam trahatur. accedit quòd, cum pulmo alatur tenui ac acri sanguine, is difficilè consolidari possit: maximè cùm pulmo sit defluxionibus obno- *Gal. 5. methodi.* xius. Maturet itaque curationem Medicus: nam, vt breuiter dicam, cùm ad erosionem pulmonum ventum est, funestum ac calamitosum semper malum est. Præterea obseruatum fuit, eos qui ex copioso vini vsu sanguinem expectorant, rarò euadere. Quibus prostratis viribus effluit sanguis, moriuntur. Ab arteria si exilit sanguis, periculosum, nam vulnus frequenti concussione dehiscit. Quibusdam scribit Rases euenire sanguinis eruptionem certis quibusdam vicissitudinibus: is supprimi non debet, nam id valetudini prodest. Hoc, authore etiam Aretæo, huic malo familiare, vt mœror & vitæ desperatio comitetur exiguam sanguinis excretionem; nam iugulationi id simile est: quis id non perhorrescat? nam & tauri sanguinis profusione ilico intereunt. Sed illud summâ admiratione dignum, quòd in sola *Admirandum.* ex pulmone reiectione, quæ omnium sæuissima est, homines animum non despondent, cùm tamen in extremo discrimine versentur: indolentia causa est, damnosior, quàm terribilior. Contra, sæpe dolor, qui & exiguus, mortis metum iniicit, vt in colico. Erasistratus, inquit Aurelianus, facilè curabiles succulentos homines dixit, atque fortes & paruicollos, quos microtrachelos appellant, hoc est, qui minimæ longitudinis habent colla. Difficilè verò curari posse tenues ac debiles & porrecta collorum longitudine formatos: nam tussiunt facilè. Asclepiades difficilè curari dicebat succulentos & carnosos, ob vehementiam spirationis: ita & ætates medias & & pueros, celeriùs enim spiritum ferri. Si itaque ex *CVRATIO. An vena secanda?* his eluceat aliqua spes sanationis, ilico ad curationem veniemus. Videamus ergo quid chirurgia hîc prosit. Vehemens est hoc vitium, nam præsidium vitæ, sanguis effunditur: quare & prompto & valido remedio hîc opus est: tale est venæ sectio. Galenus *9. Meth.* emisit sanguinem in iuuene qui refrigeratis spiritus instrumentis sanguinem reiiciebat. Subscribit Galeni sententiæ Aretæus, qui ait, Si sanguine distentæ sint venæ, in qualibet sanguinis profusione secetur vena: siue ex fractura, aut erosione sanguis profluit, conducit. & cùm rarefactio in causa est, ne copiâ vena frangatur. Si tamen, dicit Aretæus, æger fuerit tenuis & inops sanguinis, venam ne scindito. Iam modum seruandum dicamus in venæ sectione. *Modus venæ secandi.* In erosione priusquam sanguinem expuant, vena angusto secetur foramine: dein purga, ac auerte catarrhum: & caput pulmonesque firma. Admonet tamen prudenter Trallianus, vbi ait, Omni modo in cubito secanda est vena: at vbi iam expuunt sanguinem ab erosione, vita (inquit) sanguinis missionem: nam exuccum est horum corpus, ac in tabem pronum. Et Paulus, vbi admodùm acris est defluxus, ait, non seca venam. Si vena secanda, inquit Trallianus, χρὴ ποιεῖν κατὰ μικρὸν καὶ μὴ ἀθρόως, hoc est, non confertim euacuandum, nec vna vice, sed repetitis vicibus, duabus tribúsve horis interpositis. Iam videamus qua copia sit educendus sanguis. Ex *Copia emittendi sanguinis.* vitium suada effluat sanguinis copia. præstat id agere repetitis vicibus, donec ea repetitione accidat tua ea sanguinis copia Nam vbi passio fatigat hæc à salsedine, bis aut ter secuit venam Galenus Vt repeti posset, ligetur vulnus imposito oleo & sale. Et Galenus in cacochymia vtitur epicrasi, qua edomabat succorum ferociam: idque maximè cibis. In muliere tamen Romana, quæ à catarrho sanguinem expuebat, abstinuit Galenus à venæ sectione, nam in bidui inedia erat. Aretæus vult vt prorsus ante animi defectum cohibeatur sanguis, & ne ita multus auferatur: nam, dicit, & per os eiectio hominem labefactat. Et, dicit, iterum detrahito post paucum sanguinem, repetatur postridie, & perendie. Quare frequenter repetenda est phlebotomia

ante quartum diem, dum recens est malum, sine vlcere, si vires firmæ. Abduc tres vel quatuor vncias singulis vicibus. *Tempus.* Quo tempore pertundenda vena? Ineunte id fiat morbo. Si tamen, inquit Mesue, turget ab acerrima bile sanguis, isque efferuescat, purgetur primum cholera: dein seca venam: tandem refrigera. *Quæ vena?* Quæ vena pertundenda? secetur cubiti vena. Puto ex saluatella rectè abduci, si ex thorace & pulmone fluxerit non copioso impetu. Si ex vtero in os repit sanguis, quò is impetus auertatur, bene pedis pertunditur vena. Hoc est quod dicit Trallianus, vbi ait, Iuuat illos etiam non minus ex imis corporis partibus sanguinis detractio. Et testatum reliquit, se plus auxilij hac arte præstitisse; ob validiorem, qua præcellit auersionem. A sanguine educto, suadet Trallianus vt quiescat æger, & vt non magnum spiritum trahat, & aquosam poscam sorbeat: ita grumi soluentur, & repelletur sanguinis effusio. Si ex hepate venit sanguis, authore Archigene, vena dextri cubiti erit ferienda si ex liene tumente, saluatella vena aperiatur. Sin vires aut ætas non admittant venæ sectionem, cucurbitæ admoueantur naribus, lumbis (modò ab infimis partibus non prodeat sanguis) vel hypochondriis, non pectori: si ab vtero, infernis. *Cucurbita.* Qui cucurbitas iecori & lieni sine scarificatione admouêt, id interdum bonis ægrotum rebus efficiunt, interdû id cum calamitate ægrotum faciunt. Nam si ex ictu vel lapsu vas fuerit in his partibus ruptum, hincque natura sanguinem reiecerit per os aut nares, tu id si impedis, visceribus phlegmonem accerses insignem. Quodsi in his vas fuerit reclusum, non autem ruptum, aut erosum, tutò tunc cucurbitæ admouebuntur. Licet etiam à phlebotomia haimorrhoïdes excitare. *Frictio.* Vtantur etiam ad sanguinis reuulsionem frictionibus & ligaturis: articulos, inquit Q. Horatianus, & extrema femorum fasciculis competenter stringantur: fiat id lata fascia, sine dolore. *Medicamenta.* Primo die, cùm stringentia sumit, vesperi ab omni cibo prorsus abstineat, inquit Oribasius. secundo die nutri, & iterum quid sanguinis trahe. Et primo die à vena secta, ter tribus horis poscam tepide bibat. Triplici autem de causa hîc præscribimus remedia, vt fluxus viæ intercipiantur, cogendo vascula: vel vt defluentem humorem compactum & crassum efficiant, ne distillet: vel exiccent incursus, sanguinem in antiqua sede retinentes, ne fiat exundatio & effusio. Si sit ab anastomosi, *Ad anastomosin.* obturandum atque adstringendum. Xenocrates, apud Galenum, hædi sanguinem concretum, pari mensura aceti elixabat: dabat drachmas tres. Dari hæc possunt ex sirupo de rosis siccis, vel ex sirupo myrtillorum, aut cydoniorum malorum: dilue decocto rubi aut polygoni. Tenuia interdum remiscemus, & plerumque mel, quò ad remota loca efferantur. Accipe lapidem hæmatitem in pollinem versum; cui affunde aquam virgæ pastoris vel plantaginis, dum aqua rubescat: dein adde sirupum myrtillorum & de portulaca. *A ventriculo.* Si à ventriculo exudat sanguis, remiscemus cum adstringentibus aliquid absinthij. Si affatim cum vomitu prodierit, à vena secta rhoë vtemus & omphacio: accipe lapidis armenij, gûmi arabici, balaustiorû, thoris, omnium æquas partes: propina tres inde drachmas cum succo cydoniorum. Sin à iecore effluat sanguis, miscebimus adstringentibus cicoreum, & agrimoniam. Fiat decoctio ex tribus santalis, cum rosis, violis, nenuphare, absinthio, balaustiis, fiat fotus. Bibat seri lactis chalybeati libras duas, & vngatur vnguento santalino. Si à liene, addimus ceterach. Sin ab vtero, adiiciemus capillos veneris & parthenium, pro vehiculo. Cùm à pulmone, remiscemus spicam, & semen ammeos. Si à capite, consociamus betonicam. In venarum rarefactione, adstrictio satis est, vt posca, & decoctum palmularum; vel antiquum saccharum rosarum satisfecerit. *Rupto in vase remedia.* Si sanguisuga inhæserit naribus, modico sale admoto cadet. Quodsi ventriculum inuaserit, bibat aquam salitam: vel incoque aceto thymum, & vomat: qua exclusa, propina semel aut bis decoctum symphyti maioris: vel da corallum rubrum, vel bolum, aut masticem, vel conseruam veterem rosarum, cum lacte chalybeato. Si lacerum vas dehiscat amplè, non facilè coalescet: erit medendum glutinantibus. *Cautio.* Sed in his cautio adsit, ne in parte quæ ruptum vas habet, sanguis ibi circumfluat, dum scilicet glutinantia illa propinamus: tunc enim damnosum erit omne glutinans, & etiam quicquid refrigerat. Sed primùm propinetur quid, quod concretum sanguinem fundit: teneat ore vncias duas poscæ tepidæ, ac sensim deglutiat. Redditis tussi grumis, ilico glutinantium ineatur vsus. Si leuis fuerit ruptura, erit stringendum symphyto, polygono, conserua rosarum cum bolo. Accipe tenuium orbiculorum radicis consolidæ maioris, manipulum: lactis libram: coque dum tenerescant radices: bibat cyathum huius lactis bis die, cum saccharo penidiato. Commendat Galenus in omni ruptura vasorum, siue ea magna vel exigua fuerit, lapidem haimatitem. Hic in pollinem redigitur exactè, daturque sæpè ad scriptulos quatuor: vel syndone excipitur, ac vino immergitur, leuiterque exprimitur, id bibitur manè. diu id agat: hoc etiam pus expuentibus prodest. Vel da scriptulum eius ex succo granatorum. Mesue eum in pollinem redactum exhibet ex muccagine seminis psyllij. Propina boli optimi drachmam, cum vini adstringentis rubri cyatho. Accipe radicum consolidæ maioris vnciam: pulmonariæ, pyrolæ, polygoni, bugulæ, bellidis minoris, tussilaginis, portulacæ, plantaginis, singulorum manipulum: seminis acetosæ, portulacæ, cuiusque drachmam: fiat decoctio ad libram vnam: colaturæ adde sirupi de portulaca, & ex myrtillis, cuiusque sescunciam: vel coque hæc ex ceruisia. Et vtatur in omni cibo portulacâ: & fiat conditum ex conserua rosarum veteri, & ex radice symphyti condita, bolo, cum sirupo de portulaca. Accipe specierum diatragacanthi frigidi scriptulos duos: boli scriptulum, sacchari sescunciam, cum aqua farfaræ fiat tabulatum. Si valida fuerit vnitatis laceratio, vtemur omphacio, acaciæ drachmâ, vel hypocistide, gallis, balaustiis, malicorio. sint sine morsu glutinantia, vt tragacantum, corallum rubrum torrefactum & ex aceto extinctum. Commendat Aretæus rhei radicis drachma vt accipiatur ex succo seridis & plantaginis, & ex poscæ cyathis quatuor. Et melli cocto includit quędam, quò fiant catapotia, vt gallam, rhoën, semen lapatij acuti. Quæ bibuntur, inquit Aretæus, tanacia sunto, vt concretionem efficiant, vt coagulum leporis: sed parcè detur: nam coagula copiosa *Cautio in coaguli vsu.* interimunt, inquit Aretæus. datur ad obolos quatuor: terra lemnia ad tres drachmas, cum decocto rubi & palmularum. Si febre vexantur, neque affatim tunc eruptio erit supprimenda, neque remedia in paroxysmis danda: quia à febre multi citiùs quàm à sanguine intereunt. Poscam tepidam initio sensim deglutiat: idque, inquit Oribasius, bis aut ter agat, dein stringentibus vtemur ex posca, mox illis ex melle. *Rasis præcellens remedium.* Rases in vena rupta, erosa, aut aperta, à vena partitim secta, accipit thuris, sanguinis draconis, cuiusque drachmas tres & scriptulum: succini albi drachmas quinque, lapidis haimatitis, terræ sigillatæ, singulorum drachmas decem: aluminis drachmas duas cum semisse: balaustiorum drachmas

tres:

tres : opij drachmas duas : rharbarbari drachmas duas, cum ſucco portulacæ fiant trochiſci decem : quotidie vnum da cum ſucco ocimi maioris aut portulacæ. Si incrudeſcat ſanguinis eruptio, alterum trochiſcum ægro ſomnum inituro porriges. Et ſi dolet pectus, ex aceto & aqua miſcebis dictum trochiſcum. Qui album etiam lingitur cum bolo & tragacanto. Symphyti maioris decoctum : & portulacæ ſuccus potens eſt remedium : & ſi herbam eius comedant. Annotat Marcellus Empiricus, eo die quo quis vtitur ſymphyto, acetum non eſſe guſtandum : *Notatio.* hoc enim, dicit, eius vires reſoluit. raditur, inquit, hæc radix cultello eburneo, & datur ſextans libræ ex ea. Aqua ex foliis quercus, & ex rubi fructu & eius ex cacuminibus. Polygoni ſuccus cum terra lemnia, vel bolo, portulacæ ſuccus cum porri ſucco, adiecto pauco aceto. Accipe thuris in pollinem redacti drachmam : ſumat ex cochleari cum poſca, vel ex decocto myrti, vel lentis aquatilis. Accipe terræ ſigillatæ, thuris, amyli, coralli, gummi, aluminis, ſingulorum drachmam : acaciæ, ſymphyti, cuiuſque ſcripulos binos : cum ſucco porri fiant trochiſci : ſumat vnum ex poſca. Si ſanguis erumpit ex arteria, dabis ſucci polygoni vncias duas vel tres per triduum. ita etiam propinatur ſuccus plantaginis : vel polygoni manipulus coquitur ad tertiam : bibat cyathos tres. Si ex eroſo vaſe profunditur ſanguis, erit corpus nutricatu redintegrandum, ac pars *Ab eroſione.* eroſa glutinanda. catarrhus à pectore auertendus, caput ac pulmones roborandi. Verùm nutricatus votis minimè reſpondet dum corpus impurum fuerit. at tale plerumque id eſt cùm abraduntur vaſa. quare hîc interdum corpus leniter erit mundandum purgatiunculâ. Paretur itaque materia morbifica ad excluſionem, hoc modo : Accipe boraginis, bugloſſæ, lactucæ, portulacæ, capillorum veneris, pulmonariæ, ſingulorum manipulum : glycyrrhizæ ſemunciam ; hordei deglumati pugillum : iuiubas viginti ; ſeminum quatuor frigidorum maiorum, vnciam : florum cordialium pugillum : fiat decoctio ad libram : colaturæ adde ſirupi de roſis ſiccis & violati & de papauere, ſingulorum vnciam, ſacchari penidiati vncias duas : fiat potus clarus : aromatizetur drachmâ dia tragacanthi frigidi caphurati. bibat bis die cyathum. Poſt biduum ita purgetur, Accipe præſcripti decocti vncias quinque : tamarindorum pinguium ſemunciam : ſebeſten duodecim : corticum omnium myrobalanorum, cuiuſque drachmam : rhabarbari drachmas duas : ſantali citrini ſcripulum : expreſſioni adde ſirupi roſati laxatiui vnciam : miſce : fiat hauſtus. Ita ſenſim bilioſi & nitroſi ſucci vacuentur. Sed vt dixi, antea præparetur materia ſirupo roſato, & de nenuphare, ex papauere, ſirupo de oxyacantho, & de granatis : cum aqua portulacæ, calycum roſarum, plantaginis, portulacæ, equiſeti, polygoni, acetoſæ : adiectis quatuor granis caphuræ. Attamen vbi catarrhi materia acerrima eſt ; quia hæc plerũque eſt ſeparata à ſanguine, & eſt tenuis, illicò, ſine præparatione purgari debet. Abſtine à ſcammo- *Cautio.* niatis, nam venas aperiunt. Sed dices, Galenus 5. methodi 14. talia præſcribit, & aloën, & colocynthidem, ſcammonium. Reſpondemus, eum illa præſcribere non in præſenti eruptione ſanguinea, ſed vbi è catarrho acerrimo metus eſt ab abraſione. non autem in rupto aut aperto vaſe. Quidam præbent rhabarbari vſtulati ac in pollinem redacti drachmas duas cum aqua portulacæ. Vel ſemen portulacæ aſſum emulgeatur in aqua fructuum, cui miſce rhabarbarum : nam id proprietate quadam ſtringit ſanguinem. Sed, vt monui, bilioſus ſanguis ad excluſionem paretur ſirupo ex ſucco acetoſæ, ex omphacio, ex ſucco granatorum, cydoniorum malorum, ex myrto : cum aqua ſolani, plantaginis, vel portulacæ. Si æger ſit febris expers, interuallis purgetur, diluto rhabarbari cum manna, ex decocto tamarindorum, paſſularum & cæterorum talium. Purgato itaque, ſi opus eſt, corpore, & ſi ſanguis nimium profluit, ſiſtatur adſtringentibus, glutinantibus & refrigerantibus. Bis aut ter in die hac vtatur. Accipe lapidis haimatitis loti cum aqua plantaginis, coralli rubri ſimiliter loti, cuiuſque ſcripulos quatuor : terræ lemniæ drachmas duas : margaritarum ſplendidarum ſeſquidrachmam : ſeminis plantaginis drachmas duas : miſce, fiat puluis tenuiſſimus : adde trochiſcorum de carabe drachmam ; ſumat ſeſquidrachmam cum aqua plantaginis & ex roſarum calyculis : affunde ſirupi de ribes duas vncias. Si hac non ſiſtitur, veni ad maius remedium, Accipe Philonij Perſici drachmam vnam ; lapidis haimatitis ſemidrachmam : ſirupi cydoniorum vncias duas : aquæ plantaginis quod ſufficit vt diluantur omnia. accipiat tempore ſomni drachmam : ſacchari perlati, conſeruæ bugloſſæ, cuiuſque vnciam : vel miſce cum ſaccharo optimo, & tege foliis auri. Præſcri- *Catarrh.* bantur ſemper talia, quæ vim habent retundendi humorum acerrimam vim : Vtraque hîc ſanguinis miſſionem, dicit Trallianus, & vſum acidorum & etiam adſtringentium. Si ſit ab acri catarrho, vtatur diacodio, & ore contineat conſeruam roſarum. Vel hoc linctu vtatur à purgatione, Accipe conſeruæ roſarum veteris, & contuſarum radicum ſymphyti, cuiuſque vnciam : conſeruæ farfaræ vel adianti & nenupharis, ſingulorum ſemunciam : coralli rubri vſti & loti aquâ roſaceâ, haimatitis, terræ lemniæ, carabes, pulueris diapapaueris, diatragacanthi, cuiuſque drachmam : cum ſirupo de ribes fiat electarium : ſumat caſtaneæ molem manè & veſperi, & longè à cibo. Vehementer laudo puluerem Haly ad tabem. Rondeletius hoc vtebatur : accipiebat caphuræ grana quatuor : aquæ roſatæ vncias duas : ſirupi papaueris vnciam : miſce. hoc ſanguinem ſiſtit, eiuſque flammulentam vim ſedat. Succus plantaginis, vbi à corroſione malum eſt, potens ad ſanitatem eſt. Sed vide ſemper num plus ſanguinis aut puris hîc prodeat : Si plurimum ſanguinis, vtere adſtringentibus : Sin multum puris & parum ſanguinis, erit potenter ſiccandum. Quare tunc cum Galeno 5. Meth. 6. vtemur ſolis trochiſcis Andronis Polyidæ, vel trochiſcis ex charta combuſta. Alioqui pus perdit pulmonem. Sin ab eroſione ſanguis copioſus effluat, ſolis aſtringentibus ſiſtatur : dein vbi pus miſcetur ; miſcebis tu etiam trochiſcos. tandem cùm pus expectoratur merum, ſolis vteris trochiſcis. Commendatur etiam à Græcis & Arabibus coagulum hœdi, leporis, vel cerui : nam deterget materiam aörtam eroſionis cauſam. Datur magnitudine ciceris, ex iis quæ acrem vim reſtringunt, vt aquâ ferratâ, mulsâ, lacte, vino granatorum. Fiat linctus ex conſerua roſarum, cum ſucco plantaginis. Fit etiam conſerua ex foliis plantaginis. Præbentur etiam decocta cochlearum, teſtudinum, & inde aqua deſtillata ; remiſcetur aqua chalybeata, in qua coxli ſemen botryos ; nam abſterget. ſi tuſſis vexat, adde ſirupum myrtillorum. Horâ ſomni ſumat drachmam coralli vſti, vel haimatitis vel Lemniæ terræ, vel trochiſcorum ex electro, de ſpodio. Attamen ſi vſu adſtrin- *Cautio.* gentium difficilis reddatur reſpiratio, ilicò redi ad lenientia. Iubet Paulus, vt exhibeamus ea quæ opium habent, vbi ab eroſione malum venit. Vbi acris eſt materia, accipe ſirupum violarum ac papauerinum cum miua cydoniorum. Et non ſolùm narcotico- *Narcotica,* rum vſum inhibimus vbi ab eroſione periclitatur æger,

ægex, verùm etiam in omni ſputu ſanguineo vbi neceſſitas vrget, ſiue id fuerit à diæreſi, ſiue vomitu feratur, ſiue à rupto vaſe aut aperto, eò veniemus: cùm ſcilicet nimiâ profunditur copiâ ſanguis. Præterea vbi vehemens eſt agitatio & ſomni paupertas. Author enim eſt Cælius Aurelianus, toſſicularia immodica in hoc malo eſſe vitanda. Narcotica potentiſſimè

5. Morbidi. tuſſim ſedant. Galenus vtitur diaſpermate, & theriaca noua. Nos, quia theriaca noua ſæpe caremus, recentare theriacam ſolemus, hoc modo. Accipe theriacæ optimæ ſemidrachmam: Philonij Romani grana quinque vel ſex: miſce: propina cum aqua papaueris rheados. Emulſio fit ſeminis papaueris rubri etiam, in aqua rheados papaueris: hoc enim orgaſmum ſanguinis infringit. Si vomit ſanguinem, Accipe philonij ſcriptulum cum conſeruæ roſarum & conſerua mentæ. In catarrhorum illapſu potentiſſimè etiam hæc ſuccurrunt. Damus Philonium Rom. cum polygoni ſucco, vel cum plantaginis ſucco, vbi vomitu erumpit ſanguis. In grauiori tuſſi remiſcemus philonium cum aqua roſata, vel cum vino diluto. Interdum loco diaſpermati ſumat ante ſomnum duas pilulas de cynogloſſa Nicolai. Oribaſius laudat ſi veſperi cubituro detur theriaca noua trium menſium, cùm malum euenit ab eruſione & catarrho. addit, cùm particularum ſedata eſt inflammatio, eæque rediere ad temperiem, theriaca

Excellens remedium. & lacte vti licet. Præclarè hoc ſiſtit: accipe lapidis haimatitis in pollinem redacti ſemunciam: caphuræ ſemidrachmam; ſeminis hyoſcyami albi, ac albi papaueris, cuiuſque drachmas tres: terræ ſigillatæ, corallorum rubrorum exactè puluerisatorum, cuiuſque drachmas duas: conſeruæ veteris roſarum vncias duas: ſumat manè & veſperi drachmam vel ſemidrachmam. Sæpe vtimur ſirupo papaueris, ne enaſcatur in pectore eryſipelas phlegmonodes. Stringit etiam egregiè philonium Meſues cum ſucco plantaginis, vel cum decocto maſticis. Philonium etiam Perſicum, & aurea Alexandrina, trochiſci de terra lemnia cum aqua plantaginis trochiſci diaſpermaton Galeni, ex paſſo. trochiſci de corallo Nicolai: & de carabe. trochiſci de electro Galeni. trochiſci ſtellæ, in aurora datur ſcriptulos.

Cautio. aſter Galeni. Sed ſi ſtringentium vſu ſanguis in pulmone retentus inceperit putreſcere, da aperientia & reſoluentia, quò prodeat ſanguis niger & putidus: ac poſtea mundum viſcus reddatur, & glutinantibus curetur. Si in ventriculo concreuit ſanguis, vacua aloë, vel da thymbram ex aceto. Quibus ex capite influit ſanguis in thoracem vel ventriculum, his non ſtringentia, ſed diſſoluentia debentur: vt aqua nu-

In Diapedeſi. cum, coagulum cum melle, pix. In diapedeſi confert portulaca, aſſatum ſemen papaueris, iuiubæ, mucilago pſyllij cum puluere ſubtiliſſimo haimatitidis loti cum aqua plantaginis. Vel accipe haimatitidis ita præparati ſemidrachmam: ſucci portulacæ vel plantaginis, vel mucaginis pſyllij vnciam: Pſyllium aſſum, & conquaſſatum cum ſucco portulacæ, dum fiat muccoſum. Accipe ſeminis hyoſcyami albi ſcriptulum: ſucci arnogloſſæ ſemunciam. Acetum,

In omni eruptione ſanguinis. inquit Cælius Aurelianus, ex Themiſonis & Theſſali decreto, in rupto vel aperto vaſe ſincerum dabimus ore retinendum, vel gargariſandum, aut ſorbendum, ſpreto quorundam iudicio, qui aſperum aut tuſſiculam commouens, atque fluorem promouens acetum dixerunt: ſiquidem etiam gelatum ſanguinem ſoluit. etenim aſperat, vel, tuſſiculam commouet, ſi iugiter & immodicè fuerit datum. Contunde mala punica cum aceto, expreſſum ſuccum coque: tandem adde mel. addice capita papaueris ſicca cum ſemine. Accipe boli Armeniæ drachmam: conſeruæ roſarum antiquæ ſemidrachmam: fiat puluis, & cum ſirupo de roſis ſiccis, vel cum ſucco portulacæ fiant pilulæ inſtar ciceris. teneat vnam in ore: & capiat dormiturus quatuor. Accipe looch de portulaca ſeſcunciam: diatragacanthi frigidi ſemunciam: miſce, ſumat ſæpè. Studebimus vt robur *Roborantia.* viſceribus afferatur hoc modo, Accipe terræ ſigillatæ, boli, coralli vtriuſque, benè præparati, carabes, lapidis haimatitis præparati, cuiuſque drachmam: ſeminis portulacæ, & plantaginis, ſingulorum ſemidrachmam: amygdalorum dulcium, penidiarum lotarum in aqua portulacæ & roſarum, vel per noctem infuſarum in aquam myrtillorum, cuiuſque ſeſcunciam: ſpecierum electarij diatragacanti frigidi drachmas duas: ſpecierum diarrhodonis abbatis ſemidrachmam: pulpæ caponis vel turturum, aut carnium teſtudinum coctarum cum aqua extinctionis chalybis ſemilibram: ſacchari albiſſimi quod ſatis eſt vt fiat confectio ſolida, ad formam ſacchari perlati. Vel ſaccharum ſoluatur in aqua arnogloſſæ, fiatque confectio ſolida per morſellos, pondere ſemunciæ; ſumat mane & veſperi vnum. Accipe conſeruæ roſarum, cornorum, radicum ſymphyti conditarum, cuiuſque vncias duas: ſpecierum diarrhodonis abbatis, diamargariti frigidi, trium ſantalorum, aromatici roſati, ſingulorum drachmas duas: cornu cerui, coralli rubri puluerisati, ſingulorum ſeſquidrachmam: trochiſcorum de terra ſigillata, de carabe, de ſpodio, ſingulorum quatuor ſcriptulos: ſeminis acetoſæ, portulacæ, plantaginis, cuiuſque drachmas duas: aquæ portulacæ, plantaginis, roſarum, vini granatorum, ſingulorum vncias quatuor: decoctionis duarum turturum & vnius perdicis libras quatuor: cum mica panis albiſſimi & infuſa in vino granatorum, & carnibus vnius capi fiat diſtillatio. Mox accipe huius diſtillati libram: coletur per manicam cum conſeruæ roſarum ſolutæ in aquæ plantaginis vnciis duabus: ſantalorum & ſpicæ, cuiuſque ſemiſcriptulo. Vel Accipe aquæ ſalicis libram vnam: conſeruæ roſarum ſemilibram: fiat mel: detur bis in die ad ℥ij in potu. Nam arcendus eſt æger à vino: vel illud diluatur decocto roſarum. Vitet dulcia vina, nimium enim dilatant pulmones. Iam ad ea venio quæ foris admouentur. Vt itaque *Topica.* ſanguinis orgaſmus placetur, pectus & collum hoc illinatur. Accipe olei maſticini, cydoniorum malorum, & myrtillorum, ſingulorum vnciam: ſeui hircini aquâ roſatâ diluti drachmas tres: pulueris coralli rubri, boli, ſanguinis draconis, olibani, maſtiches, cuiuſque ſemidrachmam: ceræ albæ, quod ſatis ſit vt fiat vnguentum. Vel vnge pectus oleo roſato vel myrtino: hæc enim non attrahunt alas partium ſpirabilium. Si potenter ex ſpirabilibus partibus funditur ſanguis, ſolue in aceto ſuccum acaciæ, vel hypociſtidos, vel aloën, & ſpongiâ admoue. & potet vinum ex prunis ſylueſtribus. nam, authore Aretæo, præſentiùs remedio ſunt quæ deuorantur & potantur, quàm ea quæ foris admouentur. Attamen omnieâ parte ſuccurrendum in tam præcipiti malo. Aretæus ille idem iubet vt emplaſtra admoueantur refrigerantia, & ſiccantia: addit acetum, & ſalicis foliorum ſuccum, thus, myrrham, alumen, æs vſtum, & talia. iubetque vt emplaſtris ſpongiæ pauco aceto perfuſæ ſuperdentur. Vel fiat epithema ex palmulis vino nigro coctis in emplaſtrum, cum puluere malicorij & acaciæ. Aut lentis farina tenuia per incerniculum tranſmiſſa, ex vnguento roſato & cera impoſito pectori, & remiſce ſymphyti radicem tuſam & cribratam. Radices pruni ſylueſtris coque in aceto, contundeque in placentæ ſpeciem, & remiſce rhoën & myrtum. Iubet Trallianus vt fre-

quentes

quenter hæc mutentur, ne incaleſcant: id enim, inquit, ſanguinem eò vocat. propterea vult vt locus ſæpè oleo roſato cum pauco aceto rigetur. Emplaſtrum diapalma roſaceo & modico aceto ſoluitur. Quin Trallianus in eroſione, quæ fit à præcalida capitis intemperie, fluxionis authore, ſuadet vt roſaceum capiti infundatur ex alto, ægro in balneo hærente: nam balneum acerrimos ſuccos mitificat. Ac interim purgetur corpus à falſis humoribus, à præparatione ſcilicet, vt antè diximus. Si à pectore ipſo venit ſanguis, Quintus Horatianus poſcâ frigidâ ſpongiam malidam thoraci adhuc calenti imponit, frequentiùs immutando: deinde oleum myrtinum miſcet aceto, poſtea verò cum vino. Idem ſuadet Paulus Ægineta. ſed tepidam admouet poſcam: & poſt ſeptimum diem lanam ſuccidam cum roſaceo vel myrteo cum aceto: aut alumen, acaciam, malicorium, thus, & talia. Emplaſtrum etiam barbarum pectori imponitur. Nonus, Græcus medicus, initio admouet pectori lanam ſuccidam cum aceto & oleo roſato vel myrtino: dein emplaſtrum de ſalicibus diaïteon dictum. Eorum remediorum quæ foris & etiam intùs adhibentur longiſſimam ſeriem recenſet Aëtius.

Aët.3.4.63. *Diæta.* *Aër.* Iam ad diætam venio. Aër ſit frigidior, inquit Aurelianus, cui etiam ſubſcribit Aretæus. Vitetur aër fumoſus, & ventoſus, & nimium madens: niſi aeris ſuccus in vitio ſit. Euaporatio fiat ex aceto in quo coxit ſantalum, roſa, caphura. Conſternatur ſolum pampinis, ſalice, quercu. Sanguinei colores ne oculos feriant. Ineunte morbo parca manu detur ſorbitio: imò inedia eſt hîc vtilis. audet hîc Cælius Aurelianus triduanam inediam præſcribere. *Cibus.* Sint alimenta frigida actu & vi: nam calor ſanguinem euocat. Vbi à rupto vaſe venit malum, vtetur ptiſana cum amylo, vel pomo cotoneo: lutea ouorum comedat, inquit Trallianus, & panatella vtatur. Ab oleo & multo ſale caueat. Farina oryzæ ex decocto cytoniorum malorum & palmulatum. ſi non tuſſit, cum aceto: nam, inquit Aretæus, per varia eundum. Fiat pulticula ex biſcocto pane in puluerem tuſo. Coque cibos cum omphacio. Si fament, edendi libidinem extinguant coctâ lactucâ cum aceto, & ſpinachiâ, acetoſâ, portulacâ. vita nitroſa. Poſt ſeptimum diem pulli conceduntur, vbi non ampliùs expuit ſanguinem. nam iſtis, authore Aretæo, minimè ea quæ ægrè concoquuntur danda ſunt. Pedes etiam ſuum, & piſces ſaxatiles, aceto adiecto inter coquendum. Si lacti aſſueuit, inquit Trallianus, ſumat id, modò non febricitet. Coronea & pyra concede. Piſtacia & malum punicum reiicit Trallianus. Si ſummum periculum in metu eſt ob ſanguinis effuſionem, tunc, inquit Aretæus, iniucundis ac ægrè mitigabilibus etiam vtemur, modò ſalutem adferant. tunc gallâ aridâ tritâ cibi aſpergantur. oua craſſiùs cocta, cum malicorio aut gallâ exhibe. & potus ſit paucus. Hæc ſtringunt & refrigerant. Sin ſanguinem & ſpiritum velis craſſiorem efficere, lac, amylum, & alica proderunt: & hæc miſce cum lacte, ſed hæc ſorbitio non ſit liquida: adde palmulas. Coquitur far in lacte, cum malicorio. *Cautio.* Sed cautio ſit, nam immoderatus ſiccantium vſus, tuſſi quibuſdam venas lacerauit. hîc, ne quid nimis: nam inſida ſunt hæc mala. Vbi ab eroſione prouenit malum, vitet acria & acida, detur ptiſana, malua, amylum, Et ſi non febricitat, vtile erit lac, tragacanthum, & lactuca. His ſeptimo die, nam titubant horum vires, gallinæ concedantur ſine ſale. Raro euenit vt calor his non oboriatur, nam acris plerumque catarrhus in vitio eſt, vbi ab eroſione vitium eſt. Dentur aſtaci & piſces duri, pedes ſuilli, pomacei fructus cocti madentes, non ſtringentes, & paſſulæ, portulaca, cucurbita, plantago, vituli extrema, cuniculi, ſed parcè: cancri in lacte vel aqua hordei cocti, pyra, pruna acida & ceraſa condita. ſumat manè ſemen papaueris; & os riget diacodio; vel ore contineat conſeruam roſarum. Lac caprillum ſanguinem craſſiorem reddit, & ſiccam intemperiem caſtigat. Lac chalybeatum ſiccat madentes nimium pulmones, & vnà abſterget. Gallinæ aſſandæ venter rebus adſtringentibus infarciatur. Sed Oribaſius cùm prouenit malũ ex deſtillatione, vult ægrum ali ſolâ ſorbitione auſterorum fructuum. Acidum lac in quo coxere lapilli fluuiatiles. oua ex aceto cocta. Pro ientaculo ſumat pulticulam factam ex aqua roris ſolis & ex farina auenæ. Vel fiat puls ex lacte cocto cum farina hordei & ſemine papaueris. Raſes iubet vt thus obſoniorum & agreſtam cibis miſceamus, & interdum terram ſigillatam. Portulaca confert. Meſue laudat leporem. oryza. Sorbeat dormiturus priſanæ patinam cum conſerua roſarum veteri: & manè ſumat ouum cum ſuccini drachma. Abſtineat ab omnibus flatulentis, vt à leguminibus, à frixis in ſartagine, ab acribus, à muſto, pomis crudis, à carnibus antiquis ſale conditis. Non comedat vbi cruditas reſtat. abſtineat ab vſu petroſelini Macedonici, ſalſamentis, & à caſeo veteri; hæc enim rupto vaſi bellum indicere. Sin à rupta vena periclitatur, caueat à ſatietate, à crudis, & à vino meraco, à flatulentis, ab ira, nec leuet pondera manu: ventrem ne cohibeat, nec vllas euacuationes ſolemnes. Si ab exercitio ſanginem expuit, caueat à clamore, & à venere. Potus, inquit Aretæus, omnino parciſſimus eſto. *Potus.* Incoque ceruiſiæ maſticen. Accipe amyli, coralli rubri, gummi Arabici & tragacanthi, cuiuſque drachmam: coque in libris decem aquæ chalybeatæ, ad tertiæ partis conſumptionem, & cola: pro potu. Ad ſitim vtatur ſirupo de roſis ſiccis, vel cotoneorum ex aqua chalybeata. Quidam, inquit Trallianus, toto anno à vino abſtinuit, ſolo lacte contentus, cui interdum farinam incoquebat, euaſit, cùm etiam pus excerneret. Balneum & venerem vitet. Fricentur brachia, crura; & vincula interdum his iniice. Silentium his prodeſt, atque exigua reſpiratio. Lecto decumbat non tremulo, ſed firmo; concuſſio enim malum exaſperat. non nimium ſit profundus ac cedens lectus, nam nimium calere non debet. ſit ſublimior decubitus, & ſupinus, attamen omnis moleſtia abſit. Aluus quotidie faciat officium: ſin minus, excitetur tamarindis, caſſiâ, ſirupo roſato, rhabarbaro, myrobalanis, vel aſſumat terebinthinam mole nucis. Ante cænam & prandium aſſumat toto anno ſemunciam conſeruæ roſarum veteris, & interdum addat parum terræ lemniæ. Caput ſæpè lauetur veſpertino tempore, cùm non ampliùs egredietur domum, ex decocto florum chamæmelorum, & agarici drachmæ: agaricum linteo innectatur, & poſtea exprime. Et caput aſpergatur puluere ex ladano, ſantalis, roſis rubris, iride, gummi iuniperino, caryophyllis. Si periculum ſit ne à catarrho ſanguinem ſpuat. ſumat in ore cùm ingreditur lectum quantitatem ciceris ex bolo: nam præſeruat citra periculum: quamuis cum periculo curet. Nouas cicatrices, dicit Aretæus, ſolidabimus geſtationibus, mollibus frictionibus, peregrinationibus, animi oblectamentis, cibis variis atque vſitatis. Igitur hoc modo hominem inſtaurare, carneque replere, & nouâ cicatrice ſolidare neceſſe eſt. Ad virium robur fiat conditum: accipe conſeruæ roſarum antiquæ vncias duas: conſeruæ radicum ſymphyti maioris vnciam: margaritarum ſplendidarum, coralli rubri loti cum aqua roſarum & ſubtiliſſimè puluerifati, cuiuſque drachmam:

cum

cum sirupo de symphyto fiat conditum. Sub noctem
Empirica. contineat hos trochiscos sub lingua; Accipe terræ sigillatæ semunciam: gummi Arabici, tragacanthi, amyli, cuiusque drachmam: macis scriptulum: spicæ nardi semiscriptulum: penidiorum vnciam, misce, & cum sirupo myrtino fiant trochisci instar lupulorum.
Electarium de styrace. Electarium de styrace, Accipe passulatum exacinatarum, & cribro setaceo transmissarum vnciam: glycyrrhizæ rasæ & subtilissimè puluerisatæ drachmas sex: ligni aloës, nucis moscatæ, cumini, cuiusque scriptulos duos, & grana quindecim: styracis calamitidis sesquidrachmam: boli Armeniæ præparati drachmas duas: sacchari in aqua betonicæ dissoluti quod satis sit vt fiat electarium in tabulis. Eacipe adstringentia melle, vel sirupo myrtino, vel sirupo papaueris. Si in potu exhibere quid velis, id misce cum succo portulacæ, granatorum, vel polygoni, vel cum lacte vstulato, aut cum aqua distillata limacum. Accipe aquæ ex limacibus distillatæ libram: coletur per manicam, cum conseruæ rosaceæ & consolidæ vnciis tribus, & santali citrini scriptulo: ac spicæ semiscriptulo. In initio ad grumos sanguinis soluendos sumat acetum cum aqua ita temperatum vt bibi possit, & adiice coagulum ciceris mole. Corallum torreatur, & in aceto extinguatur. Accipe conseruæ rosaceæ antiquæ vncias duas: conseruæ radicum symphyti vnciam: pulueris diatragacanthi frigidi, & diapapaueris, singulorum scriptulum: trochiscorum de terra sigillata, vel de carabe, aut de spodio semiscriptulum: sacchari rosati tabulati, quantum sufficit vt fiat tabulatum. Et superbibat aquam equiseti: vel da dormituro drachmam trochiscorum de electro. validè sistit sanguinem. Succus vrticæ bibitus quibusdam secretum remedium habetur. propinant diebus sex succi illius vncias quatuor; & iusculo pulli & veruecis incoquunt ipsam vrticam. Alij præbent succum centinodiæ. Puluis mororum siccatorum, rhus cum succo millefolij. Antiquus Empiricus Marcellus coquit sanguinem bubulum vel hædinum cum aceto, vult vt per cochleare assiduè gustetur. Succus cauliculorum rubi in sole ad mellaginem redactus. Althææ radicis decoctum, inquit Oribasius, & mentastri, ilicò supprimunt sanguinem. Centaorei maioris ex aqua dantur drachmæ duæ si febricitarint; alioqui ex vino. Grumos abigit thymus ex aceto coctus. Decoctum radicis symphyti datur cum eiusdem radicis puluere. Accipe myrrhæ drachmas tres: croci drachmam: opij drachmas duas: thuris drachmas duas cum dimidia: seminis hyoscyami albi drachmas duas: corticum radicum hyoscyami albi drachmas duas; Cortex tenuissimè per se cribretur, dein crocum, hyoscyami semen, myrrha, thus: quibus misce opium pridie aquâ maceratum: subinde exiguum aquæ adiicitur: fiant exigui trochisci, pondere duorum scriptulorum: dantur in noctem ex aquæ cyathis tribus. Marcellus empiricus hoc laudat: Accipe acaciæ, hipocistidos, balaustiorum, cuiusque drachmas duas: opij drachmam vnam. balaustium cribratur; cætera pridie macerata in aqua miscentur diligenter, vt fiant trochisci ad pondus semidrachmæ: dantur ad pondus surgendo drachmæ, ex cyathis duobus aquæ. Succus ligustri propinatur per triduum. succus vel puluis foliorum sabinæ, ex vino vetere picato, inquit Marcellus, sanat in vitæ discrimine constitutum. Succi basilici vulgaris dantur vnciæ duæ. Si calet admodùm, da succum portulacæ vel plantaginis. Si sanguis fuerit coagulatus in pulmone vel ventriculo, dabis oxymelitis vnciam: cum coaguli leporis vel hædi granis quinque: adde aquæ saccharatæ vncias duas, misce. Aqua chalybeata coquatur cum tragacantho asso & gummi Arabico. Refert doctissimus ac diligentissimus D. Io. Schenckius, hoc puluere quendam curatum fuisse à Iulio Scaligero, quem descripserat ex Serapione, Accipe spodij, rosarum rubrarum, boli Armeniæ, terræ Serap. 2.
sigillatæ, haimatitis, singulorum semunciam: co- tract. 35.
ralli rubri, carabes, margaritarum non proforatarum, cuiusque drachmas duas cum semisse: gummi, tragacanthi, singulorum drachmas duas: seminis papaueris, portulacæ, seminis maluæ, seminis rosarum rubrarum; seminis arnoglossæ, cornu cerui combusti, amyli torrefacti, cuiusque drachmas tres: terantur, misceantur, fiat puluis. Huius dosis drachmæ tres. datur cum aqua pluuiali. Bononiensis Medicus celeberrimus hoc in secretis habebat: accipiebat seminis hyosyami albi, seminis papaueris albi cuiusque drachmas decem: terræ sigillatæ, coralliorum rubrorum, singulorum drachmas quinque: sacchari rosati antiquissimi, quantum satis est vt fiat electarium. dosis huius est semidrachma manè & vesperi. hinc crassior redditur sanguis. Io. Crato Medicus Cæsaris huic præfert vsum diuturnum chamædryos. Accipe fimi murini scriptulos duos, anisorum semidrachmam: fiat puluis tenuis: summat totum cum aqua plantaginis. Accipe testam oui crudi, abstrahe internam membranam: calcina: da duas drachmas ex sirupo de rosis siccis; vel ex semuncia sirupi de portulaca aut de myrtillis. Mesue iubet vt manè sumat semen psyllij assum & conquassatum in aqua rosata, cum coriandro asso. eodem modo etiam semen portulacæ cum aqua rosarum. hæc incrassant sanguinem. Ita etiam semen retorridum papaueris conteritur cum aqua expressionis portulacæ, dum fiat mucaginosa. sic & semen hyoscyami. Bolus Armeniæ cum succo plantaginis. Decoctum cancrorum & hordei cum sirupo de papauere. Aqua è floribus ligustri, vel ex foliis quercus, vel equiseti, datur ad vncias sex cum saccharo. Accipe carnium limacum coctarum in vino austero, & in aqua plantaginis, nimirum libris duabus: conseruæ rosarum, & consolidæ maioris, cuiusque libram: fiat distillatio. accipe huius liquoris distillati libram: sacchari vncias: santali flaui scriptulum: traiice per manicam. Guttulæ aliquot olei sulphuris cum aqua bursæ pastoris vel plantaginis. Ad virium robor, ac- Ad virium
cipe conseruæ cornorum, symphyti, rosarum, cuiusque vncias duas: specierum diarrhodonis abbatis, diatragacanti frigidi, trium santalorum, aromatici rosati, singulorum drachmam: cornu cerui, coralli puluerisati, cuiusque duas drachmas: trochiscorum de terra lemnia, & de spodio, & de succino, singulorum drachmam: seminis acetosæ, portulacæ, plantaginis, cuiusque sesquidrachmam: vini granatorum, succi plantaginis, singulorum vncias quatuor: decocti duarum turturum & vnius perdicis libras quatuor: micam panis infusam vino granatorum, & cum carne vnius capi fiat distillatio: Illud ius traiice per manicam Hippocratis. Looch de portulaca cum philonio Persico. accipe theriacæ aut diacurcumæ drachmam: coaguli leporis scriptulum: cum aqua scabiosæ vel hyssopi id soluit grumos sanguinis, vel aqua nasturtij pota. Alexis laudat fimum muris potum cum succo plantaginis & saccharo. Stringes, Accipe sirupi myrtini & papaueris, cuiusque vnciam: boli scriptulum. sumat noctu. Cinerem corticis suberis sumat ex aqua vel vino. Accipe mumiæ drachmam, succi equiseti vnciam: aquæ equiseti sescunciam: bibat frigidè. Hactenus de sputo sanguinis.

Caput VII.

De Phthisi, hoc est Tabe.

Varia nominis significatio. Tres tabis species.

CVm Tabes generaliter accepta, sit viuentis corporis ex siccitate consumptio, tres eius species apud authores celebratæ fuere: quarum vna Atrophia dicitur, in qua totum corpus suo nutricatu fraudatur, quamuis ab affectu tali interdum vel peculiaris aliqua pars gracilescat, eùm ea sola suo fraudatur genio. Hæc nasci solabat à concepta intemperie valida, vt cùm pulmo squalet & ardet: vel cùm partis neruus resoluitur. Secunda eius species est, cùm corpus prauis circumfluit succis, quos cùm partes non in sui nutricatum prolectant, corpus arescit. Hoc est quod dicit Hippocrates, qui ventres habent calidos, carnes habent frigidas. hoc est, quibus cacochymia obsita sunt viscera, his non attrahitur is sanguis à partibus corporis carneis: vnde illæ frigidæ fiunt: nam tantum habent partes caloris, quantum habent sanguinis. Tertia species Tabis est Phthoë, hoc est corruptio, vt interpretatur Cælius Aurelianus, quæ plerumque vlcus pulmonis consequitur, & per excellentiam Phthisis & Tabes dicitur: de qua nos hic agemus. Dicitur Aretæo φθοὴ, φθὸν, & φθίνας, quando ab empyemate, vel illapso pure corroditur pulmo. Dicitur autem Phthisis ἀπὸ τὸ φθίνειν, decrescere. Athenienses propriè hoc malum φθόν dixere, hoc est, corruptionem. appellatur etiam φθόρημα.

Libro De internis passionibus.

Hippocrates recenset etiam tres species Tabis; vnam quæ fit à fluxu materiæ pituitosæ à capite in pulmones: secundam à labore; tertiam à spinali medulla, ex qua luxuriosi in primis laborant. Sed nos agamus de ea, quæ à pulmone exulcerato nascitur, cui consectaria est febris. quam ita definimus: Phthisis est totius corporis accisio, orta ab vlcere pulmonis.

Definitio. & eius explicatio.

Dixi esse accisionem corporis totius: immutatur enim corpus in charactere & mole, nam affligitur pars princeps, cuius officio vita carere nequit. Hæc autem macilentia dum nondum officit actionibus corporis, est symptoma in mutata qualitate. Consistit enim hoc qualitatis symptoma in mutata naturali mole & charactere. Potest autem hæc macilentia tandem in censum morborum venire, cùm ingrauescens eò peruenit, vt corporis actioni officiat.

Dubium.

Sed dicet quis, Si macilentia hæc est symptoma, igitur vlcere remoto, cedere ea debebet, nam symptoma sequitur morbum vt vmbra corpus. Respondeo, non quoduis symptoma habet suum τὸ εἶναι, & suam perennitatem à morbo, sæpe enim ab excluso morbo perseuerat symptoma, vt euenit in ictero. Quare id potissimum locum habet in eo symptomate, quod immediatè refertur in morbum. At qualitas mutata non semper refertur ἀμέσως in morbum (quemadmodum tumor paruus) sed actio læsa semper eò refertur. Et hinc est quòd morbus definiatur per actionem. Ideò diximus hanc maciem non dependere ab vlcere pulmonis, sed inde ortam. Et hoc discrimine distinguitur hæc phthisis ab ea tabe quæ nascitur ex senio, & ab intemperie frigida & sicca. Præterea in definitione diximus, Cum febre hectica. cùm enim pulmo pure ac vlcere occupatus sit, cumque eor pulmonibus quasi inhabitet & vndique ab iis inuoluatur ac tegatur, fieri nequit quin plurimi vapores saniosi ac putridi cor feriant, ac solidas eius partes in squalorem ac calorem abripiant: quare spiritus vitales incendio conflagrantes, è corde in totum corpus emissi, id vnà in consimilem intemperiem abripiunt. Hinc nascitur funesta illa macies: cùm partes corporis nectare ac ambrosia illa diuina, quam à corde temperato accipere solent, spolientur. Indita partibus naturalibus vis tunc fatiscit: nam partes cunctæ exæstuant incendio, ita, vt non possit alimenta coquere, sed potiùs euanescat vi incendij in tenues auras. Vltimò diximus in definitione, Orta ab vlcere pulmonis: hoc enim obtinet rationem causæ coniunctæ Tabis. huius autem causæ sunt, apertio, erosio, vel ruptio alicuius vasis pulmonum. Horum autem causæ sunt tum antecedentes, tum procatarcticæ, quæ vim habent aperiendi, rodendi, vel vlcerandi.

Causæ.

Nascitur hæc vera phthisis ex vlcere pulmonum. Omne vlcus fit à causa mordente ac lacerante vnionem partis, ac deterit quid suâ illâ acerrimâ vi, ab ipsa parte, nam ita discriminatur à vulnere. Hoc autẽ ei euenit à salsa acriue materia: nam suauis pituita ac sanguis abradere partem nequeunt, nisi putredine contaminata fuerint. Putrescit autem sanguis, dum ex vasis fusus, circa pulmones cunctatur. Nam etiam sanguis acerrimus nonnunquam effunditur ex corde in pulmones: vnde illi exeduntur. vel laxatis vasis ibi congeritur, & in vomicam abit: quæ cùm rumpitur, subitò intereunt homines. hic præcessit sanguinis expectoratio, & anima fœtida.

Pulmo facilè putrescit.

Nulla enim pars corporis faciliùs pulmone putrescit, propter madidam & excrementosam mollemque eius substantiam. Interdum dulcis pituita, quæ à capite eò illapsa fuit, ibi cunctando putrescit. vel ab angina aut pleuritide pus si thoraci innatat, post quadragesimum diem pulmones abradit. Iccuc ac hectica febris nonnunquam hoc etiam vitium protulit. Quin semen parentum aliquando hanc calamitatem corpori inseruit, vt cùm tenellulâ carne pulmonum nascuntur homines: & his quibus scapulæ alarum more prominent, phthisis facilè euenit. Vel aura venenata in cubiculis aut ex vestibus expirans hoc malum infert. nonnunquam variolæ & exanthemata intrò recurrentia sanguinem prauâ ac indicibili qualitate contaminant, vnde is inutilis nutritioni redditur.

Historia.

Vidi ex fistula thoracis pulmonem summam ariditatem contraxisse adeò, vt in exactum marasmum exaruerit. Hoc euenit Illustri virgini Franciscæ Egmondanæ Comiti. præcesserat sputum fœdi puris paucum, cum exiguo sanguine, πυώδεα sputamenta appellat Aurelianus. Itaque Phthisin primigeniam efficientium causarum duo genera sunt (omitto iam φθίνειν τινίαν, & eam quæ consectaria est empyemati) vnum, catarrhi vis effera: alterum, venæ ruptio in pulmone. Has duas causas potissimùm agnoscit Hippocrates. hine istud pronunciat septimo libro Aphorismorum, ἐπὶ αἵματ☉ πτύσει, πύου πτύσις, à sputo sanguinis, sputum puris; vbi Galenus author est, non omnem sanguinis expuitionem, pus edere, sed eam tantùm quæ maligna est, qualis de pulmone omnino est. nam dicit quinto libro Aphorismorum, ἐπὶ πύου πτύσει, φθίσις ῥύσις, hoc est, ad sputum puris, phthisis, & effluentia, nimirum alui aut capillorum.

Aph. 15.

Aph. 9.

Propterea Hippocrates notam huius causæ tabiferæ posuit ætatem quæ definitur à decimooctauo ad trigesimum quintum annum. Est enim hæc ætas potissimùm ruptionis capax præter cæteras, idque vel casu vel diætâ. Altera causa erat, quæ erodendo facit vlcus, scilicet à feritate catarrhi in pulmones prolapsi. Est enim, ferina distillatio, statim malefica atque tabifera. Prior phthisis species est iuuenum succi plenorum, quibus haimorrhagia supprimitur: altera verò hominum alatorum & angusti thoracis, idque tempestate austrina, quam excipit aquilonaris, nam boreas si austrum exceperit, fœcundus in catarrhos esse solet. Causa autem coniuncta Marcoris ast

est humidi inopia : antecedentea sunt multæ, eæ autem ad duo capita reuocantur, fluoris copiam, & distributionis inopiam. Qui appulsu ferini catarrhi phthisici euadunt, vnguibus vncinati euadunt & macíari. *Signa.* Iam ad signa venio. Primò fatigat admodùm tussis, & expectorant absque dolore sanguinea, mox sordida, deinde emaciatur corpus, & hectica febre occupatur : tandem cibum respuunt, sitisque crescit, ac faciem cadauerosam induunt. Fit itaque phthisis, quia pulmones exulcerantur. Hoc autem vlcus necessitate quadam secum rapit, ob vicinitatem cordis, hecticam febrem, (quamvis hectica febris sine vlcere possit esse : at hoc non euenit sine hectica) & totius corporis maciem consumptione sanguinis, & infectione tabifica aëris quem spirando ducimus. Macies sanè magnum documentum est phthiseos, quam facit ἡ φθίσις, per vlceris edacitatem, febris corruptionem, & spirationem tabificam; hæc enim vberrimum corporis habitum extenuant. Causa autem quamobrem vlcus pulmonis extremam adferat faciem, hæc est, quia pulmones plus sanguinis & succi exhauriunt, & alimenti capescunt, quàm à corde suppeditari possit. *5. Aph. 9.* Scribit, vt antea dixi, Hippocrates, hanc potissimùm euenire à decimooctauo ad trigesimum quintum annum. Id ita accipiendum, vt plerumque ita eueniat, ob susque deque habitam victus rationem: nam apud hos incautum & intempestiuum viuendi genus viget. Quin plethora & efferuescens sanguis circumfluit in iuuenibus, atque violentissimæ exercitationes, vnde duriora iuuenum vasa facilè lacerantur: vnde tandem phthisis quæ non à ferina nascitur distillatione. Attamen hæc ætas temeraria à crapula congerit fæcundam catarrhorum sobolem, vnde ferina distillatio valorumque partium spirabilium exesio. Puerorum vasa non ita facilè rumpuntur, nam mollicula illa cedunt : at faciliùs abradantur quàm in iuuenibus. *Naturâ qui phthisici.* Naturâ ad phthisin nutant, quibus scapulæ in dorso alarum more prominent: nā tales sunt pectore angusto, colloque longo : nam hi obnoxij sunt cunctis distillationibus. *Dolor.* Cùm pulmo obsessus est vlcere, excluditur sine dolore pus, quod aquæ iniectum sidit, ac quassatum facilè soluitur. *Pus.* Nam sæpè putrida pituita viscida fallit puris imagine. hoc pus non est semper cruentum. fœtet anhelitus ipsi ægro. tussis adest doloris expers. *Distinctio nū ex pulmone.* Præcessere causæ quæ potuere vlcus facere, vt sanguinis expectoratum. Sed hîc distinctione est opus, vt notes num ille sanguis ex pulmone veniat. nam quidam ilico, postquam conspiciunt sanguinem ore reddi, existimant hunc ex pulmone venire. Quia rectè dicitur, expectoratur sanguis spumosus, ergo proficiscitur à pulmone: non tamen ex aduerso : vt si dicas, Non est spumosus, ergo non profluit ex pulmone. nam ex vase rupto in pulmone sanguis plurimus spumæ ex- *5. Aph. 14.* pers fundi potest. Spumosus verò prodit ea substantia pulmonis. Pulsus est paruus & languidus, nā cadit *Pulsus.* naturæ vis ab vlcere pulmonis. Hecticorum pulsus adest, nisi quòd aliquantulum mollior sit. Adnotauit ad huius mali diagnosin Aretæus, illi adesse assiduā febrem, quæ nunquam intermittere videtur: interdū tamen latere eam sudore ac corporis frigore. sed in noctem emicat calor: ac interdiu rursus in visceribus delitescit. angor, imbecillitas, & colliquatio horum patet. Nam si per diem, inquit Aretæus, corpus febrē euaderet, cur non fieret robustius & morbi tolerantius? vt enim recessit, grauia magis intenduntur, arteriarum motiones paruæ & imbecilles fiunt, vigilant, languet calor, & alia omnia patiuntur quæ febricitantes comitari solent. Profectò febris cottidiana se huic malo consociat. Vespertina adest extremorum frigiditas, & matutina caliditas, sudor vsque ad pectus calliditate infestus. Hoc est quod dicit Aurelianus, vbi ait, Sequitur ægrotantes febricula latens, quæ sæpe initium sumit declinante die, atque veniente luce leuigatur, attestante tussicula plurima initio noctis atque fine, cum sputis saniosis Sequitur oculos exoletus aspectus, & corporis tenuitas, quæ nudatis membris proditur magis quàm ex aspectu vultus. Vox raucescit, ceruix non nihil tortuosa est & à siccitate intenta. Digiti tenues, & digitorum ventres lati, nam præ macie rotunditatem amittunt. Hinc vngues adunci sunt, depasto eorum fulcimine. caui oculi, ac facies cadauerosa. *Ouidius in Trist.* *Ossa tegit macies, nec iuuat ora cibus.* Iam videamus quibus nam documentis varias huius mali ideas discriminemus. *Marcor varius.* Est in hoc morbo valida macies, ita vt nonnunquam non solùm symptomatis, verùm *Signa diuersarum causarum.* etiam morbi rationem subeat. Nam vi huius mali, solidæ partes corporis totius arescunt, quarum propria humiditas semel effosa, reuocari nequit. Hæc aredo si sola fuerit, atrophia dici potest. Si verò calori coniungatur, retorrida tabes dicitur vel marasmus ἀτροφία vel amburens : si verò frigori, ex morbo senium appellatur : non aliter enim ac senes *Gal. 7. Meth. 6.* squalent & algent. Variæ autem huius solitarij ac primi squaloris sunt differentiæ. fit enim is exhausto ea vasis sanguine plurimo, vt fit per inediam, ac per valida exercitia. secundò, vbi ros nutritius, quo rigatæ partes madent, absumitur, vt euenit per diuturnas febres. tertiò, vbi ex eisdem causis adeps & caro consumitur. quartò, vbi ipsæ solidæ partes affliguntur. Tres priores hæ ideæ in tabem referri nequeunt : sola tertia species triplici tabis genere affligitur, vt propiùs à succulenta ad solidam partē venit arefactio. Sed nos agimus de ea quæ venit ex vlcere pulmonis. Hoc autē vlcus consedit in substantia pulmonis, vel in eius membranis, vel in bronchiis, hoc est in ramis asperæ arteriæ, quæ disseminatur per substantiam pulmonis. Si vlcus pulmonis consederit in eius venis vel arteriis, copiosè effundetur sanguis, non ita cùm in bronchiis vel in carne pulmonis vlcus consederit. Itaque fieri poterit vt sanies in vlcere pulmonis expectoretur, sine aliquo præambulone sanguine. Quare accersiti ad tabe purisque expectoratione marcescentam hominem, qui negat se sanguinem in expectorato vidisse, pronunciate pulmonis carnem vlcera occupatam esse. attamen eunte vlcere, tandem venæ abraduntur, & sanguinē fundunt. Discernitur autem causa efficiens hoc modo: Nascitur hoc vlcus ab acerrima materia, quæ vel ratione putredinis conceptæ in vitio est, vt cùm dulcis pituita à capite in pulmones delapsa, ibi cunctando putrescit: vel si salsa pituita abradat vasa: illa, insipida erat cùm à capite in os ac pulmones laberetur: hæc, salsa & acris. Si tabes ab exedente materia primordia duxerit, plerumque cruenta præcedunt expectorata. Si verò à parentum semine illata sit mollities pulmonis, hi plerumque citra cruenta expectorata è vita migrant. Puris autem formæ infinitæ ferè sunt : est id atrum, liuidum, sincerum : pallido alboque, aut albo & viridi mixtum: latum, rotundum, durum, glutinosum, diffluens : odore carens, fœtidum. Interdum putrida pituita mentitur pus, & aquæ immissum calidæ, fundum petit : hic bacillo opus est, quassata enim non dissilit, quod puri familiare. Ita si remiatum fuerit pus pituitæ, illud subsidit : hæc natat. Attamen Aretæus maximè credit aspectui. qui igne aut aqua, ait, humiditates diiudicant, hi mihi agnoscere non videntur phthoën : nam visio quolibet sensu certior est. Fit frequenter antecedente sanguinis fluore : aliquando etiam ex longi temporis tussicula siue catarrho, quo thoracis intimæ partes

lacerantur,

laceratur, & primò leuius. Est autem phthisis mixtum ac complicatum malum; adest enim vlcus & febris hectica, partiumque consumptio. Ad mortem fatali calamitate excurrit. Contagiosum tandem à nimia putredine euadit. Per essentiam hic morbus partem affligit. Iam, deprehensâ naturâ huius affectus, ponamus Indicationes, quæ indicent quid hîc maximè sit agendum, quò debelletur. Duplex hîc nascitur Indicatio, quarum vna sumitur ab vlcere pulmonis: alia, ab iis vitiis quæ se consociant huic vlceri: vt est hectica febris, & macies totius corporis. Adest hîc in pulmone soluta vnitas ac partis eius abrasio: itaque iunctione ac restauratione opus est. Verùm id fieri nequit, ni primò fuerit mundum.

Indicationes curatiuæ.

3. Methodi 5. Nam, authore Galeno, in vlcere necessariò duo excrementa nascuntur, tenue, & crassum. Tenue siccandum, quod crassum detergendum: & ratione abrasæ partis, nutriendum, ac lacte muliebri redintegrandum: ita diutiùs viuent. Sed parti non licet sitè subsidia adferre, nisi priùs prouisio habita fuerit totius corporis. Primò itaque, inquit Masues, vlcus abstergeatur. secundò, auertatur influxus ab vlcere. tertiò, expectoretur materia, & pulmones siccentur. quartò, procuretur consolidatio. quintò, accidentia mitigentur. Hæ itaque Indicationes curatiuę spectant ad vlcus pulmonis. Sunt & aliæ Indicationes curatiuæ in hoc affectu ratione consociatarum affectionum. A capite enim ferè catarrhus illabitur in pectus, vbi exulceratus est pulmo: nam is intemperie ractus tanquam cucurbitula quædam in se vndique madores prolectat. Quare illabens aliunde in pectus materia, indicat purgatione opus esse, & vt Diaspermato, vel talibus remediis sistatur infusio, vtque caput siccius euadat, minusque fœcundum in madores. propterea ceratum ex rhapsia illi admonis Galenus. humor etiam diætâ temperandus: plurimùm enim prodest proba victus ratio. Ratione verò hecticæ febris est refrigerandum & humectandũ: & ratione maciei nutriendum. Hectica si primum siccitatis ambitum non excessit, interdum curatur. attamen ni vlcus pulmonum auferatur, non poterit amoueri hectica: quo ablato, hectica interdum sedari poterit: quod tunc fiet, cùm nondum ad summum vigorem se extulit.

Notandum. Quæ lenta excrementa pectore concepta sunt, educantur extenuantibus, incidentibus, & abstergentibus. sed, dicit Auicenna ex Galeno, libro De attenuante victus ratione, circa finem, Hæc non tantùm incidenda sunt aut calfaciẽda, quæ expectoranda veniunt, sed etiam moderatè humectanda, ne siccata sputa ac lentescentia tusses excitent, vnde vas rumpatur. hæc ibi Galenus.

Prognosis. Iam videamus num ad has metas arte deuenire liceat. Adest febris hectica ab vlcere pulmonis, quæ, nisi consocietur, vlcus curari nequit. Sed quo modo consociabitur vlcus? nam necessariò omne vlcus duplici excremento circumfluit: at hoc à pulmonibus vix eximitur, nisi tussiendo expectoretur: at tussis alas pulmonum vibrat ac lacerat. Quare ægrè curatur vlcus pulmonis: nam vnione opus est. Hîc verò de vera vnione nulla spes est: etenim nec pulmonis caro eiúve venæ & arteriæ reponi possunt. Quare doctissimus Medicus I. Montanus dicere solebat, Vbi vnum curaui, centum ferè mortui. & Q. Horatianus ait, Hos plena sub desperatione non vt medelis, sed magis solatio visitamus. In sicca tamen corporis cõstitutione admittit callum, (nam siccatur vlcus, & quasi callo obduratur) modò exiguum fuerit vlcus: idque solùm in principio. Attamẽ etiamsi vlcus maximum fuerit, cum puris vberrimo prouentu, non deseremus miserum ægrum: sed vt putrem vlcus seruetur operam dabimus: ita enim diutiùs viuet homo.

4. loc. aff. 9. & 9. Meth. 8

4. loc. aff. 5.

Ab alto vlcere cor euentari nequit (id putida sputa significant,) hæcque causa est febris hecticæ in hoc malo. Notatum fuit phthisicos restaurante victus ratione interdum ad vicesimum annum perseuerasse: nam non æquè praua est omnis purulentia: his nec aluus nec capilli fluunt. Sæpe falsa phthisis species, pro vera se nobis offert: qua depulsa, de vera falsus triumphus celebratur. Quidam enim ex vlcere thoracis in phthisim abeunt. & pectus facilè fert hæc vlcera, cùm eius substantia non æquè mollicula sit vt pulmo, nec ita prona in putrilaginem: nec anfractibus spongiosis bibit pus quò ægrè id excutiatur: nec ita fluxionibus pectus expositum est, & non ita æstuoso à sanguine nutritur. nec amplis venis rigatur. Quæ verò vlcera profunda pulmones inuadunt, ægrè curantur. Mortem in limine esse hæc tria denunciant, si concurrerint, expectoratum fœtidum, diarrhœa, capillorum defluuium. Si hæreditarium ac à semine parentum immissum sit malum, sanationis erit expers. Si aluus iam emaciatis perturbetur, actum. Anginæ succedanea, est calamitosa. Cùm tabidi à pure tandem sanguinem expectorant, ad vltima ventum est. Senes in hoc malum non incidunt facilè; sed minimè, cùm eo detenti sunt, euadunt: (quod etiam asserit Aretæus:) quamuis diu in tabe viuant, inquit Mesue. Et iuuenes à sanguinis sputo huc dilapsi non facilè sanescunt. at pueri assiduâ tussi vsque ad phthisin diuexati, facilè redeunt. Quæ à retentis menstruis huc venerũt, ægrè redeunt. Quibus ab alui solutione prurit corpus, non bonum est. Graciles & delicati in hoc vitiũ proni sunt, quibus scapulæ alarum more prominent, oblongo præditi collo, albidi. Regiones frigidæ atque humidæ, huiusmodi affectiones pariunt. Phthisicis, inquit Hippocrates, quibus ad ignem sputum olet grauiter, & si vnà capilli fluunt è capite, moriuntur. Vt igitur odoris sputi periculum fiat, igni superfusum, vel in vitro vel peluà admotum, siue sputum sit pus, siue pituita salsa & putris. Cur explorandi odoris causa vult expectoratum in ignem imponi? Quia cùm odor sit corporum mixtorum & madidorum, non autem ἀμίκτων ἢ ἀχύμων, quæ nullam edunt anathymiasin per quam fit odor; inde adeò accidit corpora mixta & succida, tam ἄοδα quàm εὐώδη, si fortè nimis coacta fuerint, vel alieno humore perfusa, πυρὸς δ' ὅσα πυρώσεως μαλακῆς, ἥ κατὰ μικρὸν ἐκθερμαίνουσα ποιήσει τὴν ἀναθυμίασιν, δι' ἧς γίνεται ὀσμή. hoc est, molli flammâ indigeant, quæ calfaciens sensim, vaporem excitabit, per quem fit odor. Sed eam anathymiasin odoriferam, eorum corporum succidorum quæ intra se abditum habent odorem, non solùm igne blando & lento, sed etiam terendo excitari docuit Hippocrates; vt in radicibus: sic in sputo graueolente τοῦ [illegible]: quod scribit attritum digitis, expirare virus fœdi odoris. Ergo πύρωσις humorem perfusum dissipando, & diducendo meatus subiecti corporis, anathymiasin excitat odoriferam. Pro desperatis itaque habendi sunt, quorum exulceratio posita est in vitio inemendabili nobilissimæ partis, cuius vitale officium est atque viuificum: ipsa verò corrupta, putri halitu vitalem cordis calorem suffocat, tum vlceris edacitate extinguit, cum spiratione ipsa tabifica. Aquæ marinæ immissum pus si sidat, mortale: est enim à σπλάγχνων pulmonis. nam est fœtidum, amucosum, cœnosum. & tale pus cunctando & incalescendo fit durum & graue. tale pus ad citam mortem fatale est, percutiente vitali pulmonis officio: tunc enim cumulatè colligitur, nec facilem habet exitum, & pestifera aura cordis calorẽ disperdit. Dein ab oppressione puris in thorace fit asthma, & in gutture orthopnœa: atque ita phthisici vitam finiunt suffocati. Quare si iam expectoratum

Puris exulcerandi ratio.

Theophrast. de odor.

libro 2. de iudicat.

non procedit, ac mens ætate inceperit, ferè quatriduo huic mors veniet, peritque æger à côcitata aluo, ipso loquente: quare anceps hîc mortis tempus est. Hæreditariâ à phthisi integræ familiæ interdum occupantur, idque variâ ideâ: nam quidam pus expuunt post sanguinis exclusionem: quidam humorem diu aquosum ac subflauescentem, tandemque pus cruentum édunt: alij sine expectoraro contabescunt prauo, ob tenellulos pulmones. Pus si elliditur, nec tamen hectica adhuc adsit febris extenuatioque quæ oculis conspicua sit, curari poterit: nam siccase tunc licebit, ac putredinem coërcere ita, vt callus inducatur. Quare hîc lac locum non habebit: nam nulla hîc indicatio senutriendi & humectandi, sed potiùs Tabias mittendi, hoc est siccandi. Phthisis empyicorum non sanatur: nec hîc vanâ spe lactandus æger, ne subeat suspicionem occisi quë sors ipsius peremit. Fit plerumque calamitosa tabes cùm à ruptione venæ arteriosæ, tum à catarrho ferino è capite, sed periculosissimè ab emphyemate, nam anastomôsis rarò adducit exulcerationem: sed catarrhus *διαβρώσεως* author est.

Curatio. *4 Methodi l. 8. c. 52. 14.* Si itaque aliqua spes curationis fuerit, succurratur. Galenus optimè prosequitur curationem quatenus phthisis adhuc sanabilis est: hoc est, dum adhuc cruentum vlcus nullam phlegmonem sentit: tunc enim id reuulsionibus & adstringentibus curat. Nam, ni fallor, tunc nondum aliam faciem sumpsit, quàm rupti vasis pulmonis: Dicit enim hoc sanabile esse, si primo, secundo, tertióve die adhibita medela fuerit. Sin ad phlegmonē & pus venerit, non omnino esse sanabile, sed callo obduci posse, quò longior eueniat vita. Sed nulla sperabilis curatio: nam dic iterum atteritur illa cicatrix. Hoc autem fit siccantibus, vt theriacâ, sulphure, vitrioli vel sulphuris oleo, & talibus: & his quæ arcent phlegmonem, vt diaspermate, quod etiam acrem obtundit materiā. Quare profectò non video ego quid possit illa remediorum farrago, siruporum, conseruarum, eclegmatum, opiatarum, potionum. Hæc enim emolliunt pulmones, & effetam vim vlceris promouent. quin potiùs omnifariam siccandum. Propterea, post prouisionem habitam totius corporis, ilicò danda erit theriaca recens: quò cohibeatur in pulmones influxio, vtque phlegmones dolor ac attractio cedat. Dein præbe theriacam cum floribus sulphuris, & decoctum guaiaci cum auricula muris, sarza, sassafras, radicibus Chinæ & caryophyllatæ, ab humectantibus abstine. Hæc ita fiant dum nondum febris adest: nam ea vrgente, conclamatum erit, authore Galeno. Nam tunc corpus erit madefaciendum, vnde altiùs serpet phthoë & in therioma abibit.

Cels. 3 lib. 22. *Paul 3. c. 32.* Hoc est quod clamant Celsus & Paulus, ilicò enecetur. Sed ne practicum ordinem violemus, breuiter de remediis dicamus quæ totum respiciunt. Nullus est phlebotomiæ locus vbi adest hectica febris & macies. nec hîc sanguinis copia adest: quæ etiamsi

Chirurgica remedia. *3. Meth. 8.* adesset, vena tamen pertundi non deberet. Vbi verò Galenus videtur phlebotomiam proponere, rectè eius sententia accipi debet. Non enim ibi agit de vlcere, sed de violata vnione pulmonis & eius vasorum. quin ibi admonet ilicò succurrendum esse summo auxilio, antequam sese consociarit phlegmone vlceri: nam vnionis solutio coniuncta inflammationi, non sanabile malum est. Gloriatur Galenus se plerosque curasse: sed hi non erant phthisici, sed eò propendebant, erat violata vnio & fractio venarum.

Obseruabile. Tabidi longa die emaciati quandoque pleuritico dolore fatigantur à flatibus, qui pulmones eorum lateri agglutinatos à membrana costis intexta diuellunt, remedio his est fotus ex decocto anethi, meliloti, chamæmeli, cumini, vel hæc sacculo excepta ac vino madente imponuntur. hîc phlebotomia est calamitosa: nam à lenta pituita inuiscati pulmones costis hærent.

Cucurbitæ supra & infra scapulas admoueri poterunt. *Cucurbitæ.*

Cauteria. Cùm à cerebro præcipitatur materia ad pulmones quæ ad vlceris incrementum facit, quid tunc agendum? Dicimus, si tale vlcus foret in quo spes esset vt callus induci possit, præclarè ad salutem faceret cauterium suturæ coronali impressum. Id enim ibi nullum dolorem concitat, nihilque periculi adfert. quare res illa extra trepidationem sit. Propterea itaque hoc cauterium inferimus, quò callus gignatur firmior, qui alioqui per distillationes minime solidus foret, ac facilè incursu catarrhi abraderetur, vnde maius etiam vlcus euaderet. Cùm autem nulla calli efficiendi spes affulget, non sine prædictione cauterium inuri debebit. Dicemus enim hominem sanari non posse, sed à cauterio S. Dei beneficio vitam protrahi posse, eamque iucundiorem futuram, nam vlcus mundius euadet. Cauete tamen ne *Cautio.* cauteria inuraris cùm non longè abest mors. Si sub summa desperatione, inquit Q. Horatianus, iam eos obsederit naturæ fragilitas, cauteria partibus thoracis infigo: si fortè patefactis vulnerum meatibus eorum digestionibus releuentur. Sed hoc agendum succulento adhuc corpore, alioqui gangrænam inferes à cauterio.

Vesicatoria. Vesicatoriis vtimus in metacarpo & malleolis, sub poplite, scapulis & mento. Accipe cantharidum sine capitibus & pedibus drachmam: vnam caricam, & fermenti parum, cum aceto scillitico fiat pasta: manè, amotis capillis admoue coronali: dimittatur per horas octo vbi vesicam dedit, acu foretur: vnge butyro, & tege folio brassicæ super cineres calefacto. Iam dicamus aliquid de pharmacia.

Pharmacia leniens. *Clyster non nutrit.* Hoc in morbo potiùs lenientibus remediis vtendum, quàm validè soluentibus: clysmi maximè probantur, quia tutò illorū initur vsus. Quidam existimarunt clystere corpus nutriri posse. non puto. nā si id ita esset, non opus esset vt cibi ad nutricatum in

3. De tempera. ventriculo mitigarentur, vt asseruit Galenus. & extrema venarum cùm desinant in cutem, corpus totū si vino immergeretur, eo nutriri possit: quod falsū est. Quin asseruit Galenus intestina non esse dicata con-

9. De vsu partium. coctioni, vt nec venas sanguificationi. Emolliatur aluus mannâ, cassiâ, sirupo ac melle rosato solutiuo, melle mercurialato. Accipe passularū vncias tres: iuiubarum vncias duas: medullæ seminis carthami semunciā: coque in iusculo pulli, adde mannæ vnā vnciam.

Pharmacia purgantia. Incunte morbo, dum vires vigent, Accipe rhabarbari, & rhapontici, cuiusque drachmam: (sit hæc summa dosis) cassiæ drachmas sex: fiant boli: vel infunde illa sero lactis, & expressioni adde mannæ vel extractæ cassiæ vnciam. His vtendū maximè si catarrhus molestus sit (nam ratione causæ interdum conuenit purgatio, nō ratione tabis,) tunc etiam tales pilulæ vtiles erunt, Accipe aloës rosatæ drachmas tres: rhabarbari, agarici, cuiusque drachmam: seminis carthami scripulos duos: myrrhæ scripulū: zinziberis & cinnamomi, singulorū grana octo: beniouini semiscripulum. Fiat puluis: & cum melle rosato fiat massa mollis: ex huius drachma formentur septem vel octo pilulæ, quas sumat in diluculo. Si vlceri pulmonis iungatur capitis repletio, ac inde distillatio, veniemus ad vsum carthami & agarici: absit scammoniū, colocynthis, & turbith.

Preparatoria quando hic locum habeant. Si verò à catarrhis periculum futuræ phthisis imminet, præparanda erit materia ad exclusionem, studendumque vt lenta, viscida ac crassa materia incidatur, attenuetur, & abstergeatur. Quare emollitâ priùs aluo cassiâ, per biduum sumat mellis rosati & oxymelitis, cuiusque vnciam: mox purga pilulis cocciis, vel diacarthamo. Sin tenuior ac acrior fuerit materia, quæ à capite præcipitatur,

vel

vel quæ toto à corpore in pectus influit, hoc ea modo paretur. Accipe radicum siccarum ireos drachmas sex: ficuum pinguium sex: passularum corinthiacarum vncias duas: iuiubarum, sebesten cuiusque octo: florum violarum pugillos duos: glycyrrhizæ rasæ semunciam: seminis melonum drachmas sex: seminis althææ & vrticæ, singulorum drachmam: fiat decoctio ex aqua hordei, ad libram: colaturæ adde sirupi violati & capillorum veneris cuiusque vncias duas: fiat apozema. bibat bis die cyathum magnum. Deinde purgetur rhabarbaro, agarico, carthamo, & pilulis aureis. Initio absterge vlcus lacte asinino vel caprillo, cum modico melle crudo. Lac bubulum est crassum, muliebre est mediocre, camelinum est tenuissimum, ouillum est medium, caprillum tenue, equinum & asininum mediocre. Scribit ita Rases, In colliquatione à tussi quæ à diuturno morbo aut post crebra cruenta sputa, aut multas puris reiectiones patitur, porriges lac asininum potandum vtiliter, hinc caprinum cum pauco sacchato paucoque pane. Est enim lac vtile vlceri pulmonis, maciei, & hecticæ febri. Quare in hæc verba tandem erumpit Razes, quin si huiusmodi lactis genere capiatur, etiam id aquæ loco, quoties sitit propinabis. Sed non vtatur lacte vbi borbotygmi ventris adsunt ac pendula hypochondria: nec sitibundis præbeatur, aut cui caput dolet, cuique ructus praui adsunt; nec vnquam impuro ventriculo exhibeatur. Quare antea purgetur aluina regio quàm ad vsum lactis veniat: id fiat decocto galli veterit cum manna. Sed si accesserit putrida febris, abstineat à lacte, eiusque loco ptisana vtatur: eaque febre deuictâ, ad vsum lactis redeat. Lacti non superdormiat, nec id aliis cibis misceat. Si adsit viscerum obstructio, author est Mesue vt tunc lacti incoquatur polypodium: si venter fluit, iniice sumachium vel balaustia, vel hypocistidem. quodsi tussis molesta sit, adiice tragacantham. sin stomachus imbellis est, adda diarrhodon. Mesue ita vult lac coqui, vt adiiciatur quinta pars aquæ, & lapilli fluuiales igniti in eo extinguantur sine fumo, dum aquosa pars fuerit consumpta. Febricitantibus, inquit Mesue, præbeatur lac acetosum; nam est butyri expers. Vel sumat aquam coctam cum cancris fluuiatilibus, misce sirupum myrtinum vel papaueris. In vsu lactia, primo die sumat vncias tres, postridie adiice vnciam, dum sensim ad libram vel sesquilibram veniatur. Lac etiam coquitur cum saccharo rosato. Absterget etiam vlcus hydromel; accipe aquæ libram, mellis sescunciam: radicis siccæ ireos drachmam, glycyrrhizæ drachmas duas: coque. Vel vtemur secundo decocto fœnugræci, cum octaua parte sacchari: vel si hyems, cum pauco melle. Accipe mellis libram vnam: succi caulium semilibram: coque in formam eclegmatis; da semunciam ex mulsa in qua nux resinosa pini coxit, cum prassio, & glycyrrhiza. Vel ex butyro, melle, & terebinthina fiat eclegma. Accipe looch de farsara drachmas tres, de pulmone vulpis, & de pino, cuiusque drachmam, conseruæ botryos semunciam: misce cum sirupo capillorum veneris, vt fiat eclegma. Aliud, accipe pulueris pulmonis vulpis, succi glycyrrhizæ cuiusque drachmas duas: sirupi capillorum veneris, & de farfata, sirupi sacchari canditi, cuiusque semunciam: olei fœniculi grana quinque: fiat linctus. Præparatur pulmo scissus in partes, & lotus vino albo, dein bulliat in aqua rosata cum paucis baccis myrti crassè contusis; semel ebulliat, & abstergeatur aqua rosata & vino; dein siccetur & vertatur in puluerem. Philoniū Persicum, est vltimum, nam mundificat & siccat putrida, consolidatque vlcera, sistit catarrhū & tussim

Vlcus abstergentia & purgantia.

Lactis natura.

Absterget & glutinat.

Cautio in vsu lactis.

Præparatio pulmonis vulpis.

sedat. datur eius drachma cum aqua rosata & vino puro. sed non recens detur; nam fermentari debet antequam vsum eius ineas, per menses tres. Potiones fiunt ex capillo veneris, marrubio, hyssopo, iride, botryde, glycyrrhiza, passulis. Hoc mihi sæpe in vsu fæliciter fuit, Accipe brassicam rubram conscissam: inde poculo, & diu in balneo coque: manè eo liquore vtatur. sed hic succus alternis diebus recentari debet, nam facillimè putrescit. Si materia sit admodùm viscida, valida quædam exiguâ copiâ remiscebimus mitioribus, vt drachmam vnam looch de scilla, vel diasulphuris, aut diaireos, cū vncia sirupi de farfara vel capillorum veneris, vel liquiritiæ, aut violarū. Commendatur admodùm puluis Haly ad tabem. teneat pilulas bechicas ore hic vtemur hordeato cum melle. Abstersum vlcus siccandum est, & callus ei imponendus. Lac absterget & glutinat. accipe lactis librā vnam: aquæ rosatæ vncias tres: bulliant simul rusis siccis, & chalybe candente ab igne tingatur. Fiat cōserua ex foliis pilosellæ vel ex auricula muris: hanc edat manè, vesperi, & post cibum, eo modo etiam vtatur conserua rosarum, cui interdum additur aliquid boli, vel sanguinis draconis. Magno successu quidam vtebatur in potu & omni cibo conserua rosarum rubrarum: solaque ea victitabat nonnunquam, adeò vt Venetorum pharmacothecas omnes eâ inanierit. Accipe myrrhæ vel galbani, styracis calamitæ, cuiusque drachmam: dissolue in sirupo myrtino, & exhibeatur. accipe sulphuris semidrachmam; sorbeatur ex ouo. Accipe myrrhæ drachmam: mellis semunciam: sumat alternis diebus lambendo. ita etiam galbanū: id purgat pulmones. Siccat & confortat pulmones, authore Mesue, sirupus vel rob myrti cum puluere de pulmone vulpis, addo parum olei fœniculi. Vltima verò ad siccandum, inquit Mesue, sunt sulphur & arsenicum, vt diximus vbi De empyemate. Vtantur cochleis, cācris, testudinibus. Accipe sanguinē suillum, cochleas purgatas, ranas, cum germinibus rubi, fiat distillatio in balneo: potent hanc aquam donec iterum eualescant. Fit etiam destillatio ex foliis aristolochiæ, consolidæ, lichenis, rubi, rosæ, bolo. Sumat etiam omni manè decoctum chelarum & caudarum cancrorum ex aqua hordei, cum saccharo. trochisci de caphura etiam laudantur. Testæ cancrorum in fictili vase crematæ misceantur cum looch de papauere & sirupo capillorum vel botryos, cum aliquot guttis olei sulphuris. Mesue commendat conseruam rosarum recentem non vnius anni, nam magis absterget quàm vetus: in omni cibo, inquit, ea vtatur, purgato tamen antea vlcere, alioqui læderet: dici nequit quot ex ea conualuerint, authore Mesue. Ego, inquit Mesues, eam do ex lacte calido non febricitanti: febricitanti verò, ex aqua hordei in qua cancri fluuiales coxere. quodsi inde stringi videatur pectus, dabis hyssopi sirupum. Quædam, inquit Arculanus, comedit quadringentas libras sacchari rosati, & curata fuit. Accipe marrubij vel scabiosæ vel hyssopi aut botryos, coque ad dimidias in sex libris aquæ: adde libram vnam mellis: coque ad consistentiam mellis, adde puluerem pulmonis vulpis: terget & siccat. Looch de pulmone vulpis cum aliquot guttis olei sulphuris. Accipe radicum consolidæ vnciam: succi plantaginis condensati semunciam; pulmonis vulpis drachmam: sacchari rosati antiqui vncias duas: cum sirupo capillorum veneris fiat lambitiuū. Hoc assiduò hæreat in ore, nam validè purgat etiam sordes. Accipe seri lactis semilibram, huic infunde rosas, ac dio per noctem expone, mox cola, ac adiice sacchari rosati semunciam; boli drachmam: adde mel vel sirupum rosatum aut myrtinum. vel cancri poterunt primùm sero incoqui. quin ex aqua

Sicantia vlcus, agglutinantia & callum inducentia.

Quadam etiam describit Mesue, in fine capitis De Phthisi.

Historia.

hordei hæc propinari poterunt. Sumat manè guttas ſex acidiſſimi liquoris ſulphuris ex cereuiſia. Potet ex hoc decocto, accipe radicum Chinæ vncias tres: aquæ libras ſex: coque ad dimidias: potet manè cyathum magnum, & iterum à meridie hora quarta: & in prandio duos inde hauriat ſcyphos: nam quæ ſudores & vrinas mouent, proſunt pectori: nam materia ex venis in pectus venit. Et manè ſumat ouum cum puluere Haly. Accipe ſirupi violati: olei ſulphuris guttas decem: ſumat cum decocto auriculæ muris: eſt hoc excellens remedium. Manè ſumat ex cochleari mellis horum aliquid: halauſtiorum in puluerem redactorum vel hypociſtidos, aut terræ lemniæ, pulmonis vulpis, carabes, cancrorum vſtorum, ſeminis portulacę, coralli, tragacanthi, ſuccire ſiccati fœniculi, trochiſcorũ Andronij, adde guttulam olei ſulphuris. In littoribus Oceani hîc paruæ admodùm

Lib. 2. De teſtaceis. cochleæ inueniuntur, Rondeletius eas turbines ruberoſos vocat, nos appellamus *kleen kinkhoornkens*, has calcinabis & miſcebis cum melle vel cum ſirupo de farfara, adimunt ilico tuſſim prauam, quã vocamus de *kinkhoeſt*. Solatio ſunt etiã mithridatium,

Corroborantia. theriaca, ambroſia, athanaſia. Tandem pectoris vis roboretur: accipe diatragacanthi frigidi recenter parati drachmas tres: ſpecierum diaireos ſimplicis ſeſquidrachmam: aromatici roſati, diamargariti frigidi, cuiuſque ſcriptulos duos: boli armeni præparati drachmam: pinearum mundatarum, amygdalorum dulcium excorticatorum, ſingulas ſemuncias: ſeminum melonum recentium excorticatorum: ſeminis papaueris albi, cuiuſque drachmam: ſacchari roſati tabulati, ſacchari cryſtallini, ſingulorum ſeſcunciam: ſacchari penidiati vnciam: muſci boni grana octo, puluериſentur omnia pulueriſanda vt decet, & cum infuſione gummi tragacanthi extracti in aqua roſarum fiat maſſa: teneat partem ore. Aliud: Accipe diatragacanthi frigidi, diapenidij ſine aromatis, cuiuſque drachmas tres: pulueris pulmonis vulpis ſeſquidrachmã: ſucci liquiritiæ & capillorum veneris, ſingulorum ſcriptulos duos: pulueriſentur puluериſanda, & cum ſirupo myrtino fiat electuarium: de quo ſæpe ſumat. Aliud, accipe pinearum mundatarum vnciam: infunde aquæ calidæ, deinde exiccentur panno lineo: amygdalorum dulcium ſemunciam: ſeminum quatuor frigidorum maiorum mundatorum, cuiuſque drachmam: ſpecierum diatragacanthi frigidi ſeſquidrachmam: diaireos ſimplicis ſcriptulos quatuor: piſtachiorum vnciam: ſirupi capillorum veneris quod ſatis ſit vt fiat looch. Curatio breuiter

Curationis anacephalæoſis. ita inſtitui interdum poterit: Potus loco vti poterit hoc decocto: accipe hordei mundati pugillum: glycyrrhizæ recentis ſemunciam: dactylos quinque: ſacchari vncias tres: aquæ libras ſeptem: coque ad hordei crepaturam vſque: deinde iniice pauca fruſta cinnamomi: quò tenue quoddam aroma inde proleſtet potio. Lac muliebre ſumat manè hora ſexta vel ſeptima: tepidè immulgeatur vaſculo narantij in tepida aqua. nec poſtea dormiat, nec etiam validè ſe exerceat. Interdum loco lactis ſumat vitellum recentis oui ſorbilem, cui admiſce ſcriptulum florum ſulphuris & ſacchari cryſtallini: nonnunquam his affundat tria vel quatuor cochlearia aquæ roris ſolis, aut decoctum adiiciat cancrorum cum vino baſtardico. aliquando vtetur ex ouo puluere Haly. Ex floribus ſulphuris cum puluere Haly inſcripto aduerſus rabem, fiant trochiſci cum ſirupo de farfara: lectum ingreſſurus accipiat vnum, ac ore teneat. Accipe carnium teſtudinem nemoralium libras duas: adde conſolidæ radices contuſas, & tria ſantala: diſtilletur cum aqua ſcabioſæ. Quidam vtebatur pro cibo ſolâ priſanâ veterum, & bibebat aquã ſaccharatam, & manè ſumebat decoctum chelarum ac caudarum cancrorum ex aqua hordei, cum drachmis duabus ſacchari. hac arte euaſit. Coque pugillum hordei mundari ex aqua, ad horas duodecim: miſce ei ſimplex ſaccharum roſatum: vtatur eo in vltima parte cœnæ. interdum adiice contuſa amygdala vel pineos nucleos aut piſtachia. Os irrigetur ſæpè ſirupo nicoſianæ, cui inſit ſulphuris flos vel puluis Haly contra rabem, vel puluis pulmonis vulpis. Decoctum ſaſſafras cum paſſulis, dactylis, & conſeruâ violarum, ac capillorum veneris. Teneant pilulas bechicas in ore. Accipe theriacæ drachmam vnam: conſeruæ roſarum drachmas duas: ſumat ſemel ſeptimo die manè. Commendantur etiam pilulæ de ſtyrace. Si verò macilentia hectica à curatione

Macilentia elegans remedium. perſeuerat, hoc modo ei ſuccurratur. Accipe lactis recentis quartarios duos: diſtilla inde libras tres, (organo id fiat rhodoſtagmatis) & abſterge, ſubinde ſublato operculo, pinguedinem: dulcor addatur ex ſaccharo perlato. Huic aquæ algioſæ iam affunde quaſſata duo albumina ouorum recentium, ac miſce transfuſione frequenti. Singulis huius aquæ libris adiice margaritarum ſolutarum ſemiſcriptulum. & accuratè miſce. vtatur hac potione frigida cùm valdè ſitit: & in prandio & in cœna ſi adlubeſcit. Accipe aquæ pimpinellæ, aquæ roris ſolis, cuiuſque vncias quatuor: aquæ ex floribus roriſmarini vnciam: liquoris tartari rectificati vncias duas: margaritarum ſolutarum vnciam, ſirupi violarum, ſirupi fragorum, ſingulorum vncias duas: ſirupi papaueris rubri vnciam: miſce. Sumat manè ieiuno ſtomacho, & à prandio hora quarta vncias quatuor & horam abſtineat à cibo & potu. Accipe dactylorum quibus cortex & membranula interior abſtracta ſit, vuarum paſſarum abductis acinis, ſingulorum vncias duas: diacotoniati, conſeruæ roſarum damaſcenarum & rubrarum, violarum, vetonicæ altilis rubræ, cuiuſque vnciam: radicum ſatyrionum conditarum, vncias duas: radicum eryngij conditarum vnciam vnam: in marmore confunde in maſſam: ſumat ſemunciam cùm ſomno ſe dabit. Aliud, Accipe lactis caprini quartarios duos: cinnamomi contuſi, dactylorum demptis calculis, cuiuſque vncias quatuor: agrimoniæ manipulum: fiat diſtillatio: ſumat manè & veſperi cum ſaccharo. Aliud, accipe caput ſucciplenum ritè paratum: hordei mundati, paſſularum Corinthiacarum, ſingulorum manipulum, ventri innectantur: affunde vini Gallici rubri quartarios duos: adiice parum cinnamomi: bulliant dum exoſſetur: dein in mortario caput teratur: poſtea per ſaccum Hippocraticum coletur: ſumat tepidum manè, meridie, veſperi, cum trium ouorum recentium vitellis. Aliud, accipe ſeui carnis bubulæ, ouillæ, vitulinæ, cuiuſque libram: dactylorum ſemilibram: paſſularum Corinthiacarum vncias quatuor: vini paſſi, quod iam Baſtard vocant, quartarios duos: miſce, & lento igne diſtilla. In tabe *Foris.* foris etiam quædam admouentur. Nonos, antiquus medicus, pectus inungit butyro, oleo laurino, & terebinthinâ, vel oleo rutaceo: tandem mnaſæo emplaſtro vtitur. Accipe vnguenti reſumptiui recentis vncias duas: vnguenti de althæa vnciam vnam: olei amygdalini dulcis, violacei, lilini, cuiuſque ſeſcunciam: ireos Florentiæ exactè pulueriſatæ drachmas duas: ſtyracis calam. drachmã: croci grana quinque: moſci grana ſex: cum modico ceræ fiat vnguentum. vngue eo pectus manè & veſperi. Accipe ſacculũ ex milij octo partibus, & ſalis torrefacti vna parte: is bis vel ter calidè capiti manè applicetur. Iam de victus ratione aliquid adferamus. Aëris maxi- *Victus ratio.* mè ratio habenda: hic enim perpetuo pulmones ferit.

ferit. vbi pus expectoratur, corpore non extenuato, sit ficcissimus aer: attamen non frigidus. à nebulis & pluuiis caueat, vitet paludes & flumina. Si ferant vires, præstaret eum in mari viuere, nam inde ficcantur vlcera, dicit Aretæus. Marcellus empiricus laudat vt commorentur vbi pix conficitur: ibique cochlearum carne cum vino excocta assiduè vesci. Cibi modò abstergeant, modò agglutinent. Initio, dum mundandum, vtemur ptisana, & iure cicerum. postea, quo glutines, da fercula ex oriza & alica: hæc coquantur cum pedibus vitulinis, vel cum radicibus consolidæ. In hoc morbo facultas nutrix admodùm prostetnitur; quare ea erigatur, quod optimè fiet ab vsu lactis. Hoc enim assumptu suaue est, potu facillimum, nutritu solidum, & quamuis esca à pueritia familiarius est; colore delectabile, guttur læuigat, facilem spiritum reddit expectorando, aluum mollem facit, vlceribus blandum subsidium & quolibet alio benignius. Si quis multum lactis poret, inquit Aretæus, nullo alio eget alimento; nam nationes lacte vescentes frumentum non edunt. Propterea Rases ita scripsit, Lacte si delectatur æger, illud loco aquæ, quoties sitit, propinabis. Sed si à lactis potu in febrem æger rapiatur, ptisana loco lactis veniat: vel potet paruam ceruisiam cum sirupo de myrto vel de granatis. Sed febre quiescente, ad lac redeundum. Si autem denuò lac fatigarit, eius vsus fugiendus: sed ea molestia iterum propulsa, lactis vsus repetatur. Hæc quadam vicissitudine fiant, dum necessitas vrget. In lactis vsu absit capitis dolor, nec iam ampliùs effundat se humor in pectus, nec lac facilè in putredinem abripiatur in ventriculo: nam his nocet lac. Initio solùm vncias tres capiat, cum pauco melle rosaco, quinque horas ante cibum id bibat. In dies accessio huic moli fiat, dum ex eo ventriculum affligi ac quasi pondere premi testetur æger; vel dū acidos edat ructus. Hoc auxilio vtatur quadraginta diebus: interimque remediis abstergentibus & ficcantibus indulgeat. Sin per hæc præsidia etiam contabescat æget, scito nullam ampliùs sperabilem esse salutem. Sed interim in vsu lactis summo studio cauendum ne aluus lubrica fluat: nam plus colliquescit à partibus solidis, quàm possit ab ingestis resarciri. Non sint etiam hi qui lactis vsum ineunt, tumentibus hypochondriis ab obstructione præditi, nec siticulosi: nec etiam tunc haimorrhoïdibus tententur. Potet ex vasculo facto ex bolo, & potui immittat folia myrti, vel radices consolidæ maioris, aut corticem medium fraxini, aut radicem caryophyllatæ. Carnes vitulinæ ratione macici commendantur: nam celeriter nutriunt, nec mole opprimunt ventriculum, quia celeriter excernuntur. Razes laudat etiam auium & hœdorum carnes, oua, far: pulmo. Fiat maza panis ex pineis cum passulis. Hoc ego vtor in valida macie, Accipio caponem, hunc putgatum, vt decet, iubeo scindi in tenues laminas, ossa etiam fracta adiici, dein eodem modo duas libras carnis musculosæ ac fucciplenæ ex veruece, addi curo: vino albo vt lauet iubeo, ac vt ollâ vel poculo oblongo excipiant, nullúmque liquorem effundant, ac vt coquant horis viginti quatuor. Dein puro panno exprimant. Quantum ad aluum attinet, diligentet præcauere debet æger ne illa fluat turbetúrve. &, inquit Razes, si fuerit soluta, hoc puluere stringatur: accipe gummi Arabici, spodij, boli, feminis myrti, omnium æquales partes, & redigantur in puluerem: accipiat vno die drachmas tres, cum sirupo albi papaueris & myrti succo cocto. Hic tussim vnà stringit. Curæ graues ab animo absint; nam, vt cecinit Petronius Arbiter,

Sed velut tabes tacitis concepta medullis,
Intra membra furens, curis latrantibus errat.

Γαλακτοποσία.

Cautio in lactis vsu.

Si, inquit Mesue, vigiliæ vexant, accedemus vsum papaueris: idque prudenter agendum, ne spiritus viæ constringantur. detur emulsio papaueris cum sirupo papaueris: vel scriptulum philonij Persici. Balnea si vires non resoluerent, vtilia essent. Addo iam quædam Empirica. accipe hordei deglumati vncias sex: cancrorum fluuiatilium crasso modo contusorum, abscissis pedibus, benè lotorum cum aqua furfuracea, & dein cum aqua calida, numero duodecim: capillorum veneris contusorum manipulos tres: feminis papaueris albi femunciam: parietariæ, verbenæ, hyssopi, enulæ, foliorum vrticæ, farfaræ, cuiusque manipulum: passularum vncias tres: carnis testudinis lotæ in vino vncias tres: coque exactè ex aqua: huiúsque aquæ accipe libras tres: facchari albi libras duas: fiat sirupus. accipe huius sirupi vncias tres: aquæ limacum, capillorum veneris, maluarum, cuiusque vncia. misceesimar bis die, stomacho vacuo. Quidam, inquit Razes, lacte caprino curati fuere. Saccharum rosatum cum lacte calido, in mundo vlcere salutariter datur. Montanus cuidam præscripsit vt non alio cibo vesceretur præterquam saccharo rosato, ita conualuit. Accipe boli drachmas duas, specierum diatragacanthi frigidi drachmam vnam: cum saccharo dissoluto in aqua capillorum veneris fiat tabularum; sumat sæpè drachmas duas. Cancri fluuiatiles crudi triti vel etiam cocti & cum lacte potati maximè conferunt, dicit Aëtius. Cardanus optima sibi comperta remedia describit in sua Methodo medendi, capite xxv. Hamech filius Zezar, inquit Mesue, hoc mundificabat vlcera pulmonis & ea consolidabat, Accipe iuiubas quinquaginta: passularum enucleatarum drachmas triginta: feminis maluæ femunciam: cancrorum fluuiatilium drachmas viginti, capillorum veneris manipulos duos: coque ex libris tribus aquæ, ad libram vnam: adde sirupi papaueris, facchari, sapæ, cuiusque vncias sex: decoquantur ad mellis spissitudinem: dein adde feminis cucubitæ excorticati vnciam vnam: gummi Arabici, tragacanthæ, feminum cytoniorum, amyli, feminis portulacæ, amygdalorum dulcium, singulorum drachmas decem: papaueris albi drachmas quinque: hæc optimè attrita remisceantur reliquis; da manè & serò drachmas quinque. Vtuntur quidam fælici successu carnibus testudinum: nam catum vsus commodus est his qui ob igneum totius feruorem, vnde valida alimenti exhaustio, tabescunt: aliis verò hecticis minimè conueniunt, quia sunt coctu difficiles. Hi tamen vti potetunt iusculo ex testudine, hoc modo parato: accipe sanguinem ex iugularis testudinibus: mox abiectis coriis in frusta secentur, & ex aqua coquantur: bis hoc fiat; cum secundo decocto, eóque quasi in cremorem abeunte, sanguinem remisce, & coque: licet partem gallinæ adiicere. Hoc ius propina. Hoc madefacit ac algiosum est, & coctu facile. carnes verò abiiciendæ. Conueniunt etiam trochisci de caphura cum sirupo de papauere vel cum aqua pimpinellæ. Quidam ex vsu solius decocti guaiaci sanati fuere, de quibus iam condamatum erat: nos ei adiicimus aliquid olei sulphuris. Bibitur per duos vel tres menses: purgato primùm cacochymo corpore clysmo, mannâ, sirupo rosato solutiuo. Addere huic decocto soleo alchimillam, saniculam, pyrolam, quinquefolium, veronicam. caueat à salsis & acribus: patum vini coucedo. Contunde simul radices conditas symphyti, & conseruam florum hyperici: adde species diatragacanthi frigidi, semen papaueris, corallum, cornu cerui: hæc sanguinem sistunt etiam. Accipe conseruæ vel facchari rosati veteris vncias tres: succini drachmas tres: philonij Romani drachmas duas: misce. sumat manè & vesperi drachmas

Empirica.

4. Contin. Fol. 92.

Mesue cap. De Phthisi.

Testudinum caro. Ad maciem hecticam.

tres:& superbibat decoctum myrti cum melle. Accipe pulueris pimpinellæ & auriculæ muris cum melle: sumat manè drachmas duas cum aqua pimpinellæ. Comedat olus ex pulmonaria. Accipe pulueris ex pulmone vulpis drachmam: sumat ex vitello oui. Vsus etiam frequens terebinthinæ prodest. Memoriam lubet hîc refricare summi mei amici, virique summi, D. Foresti, ac vtilem ex scriptis suis historiam narrare. *Forestus lib. 16. 58.* Monacha quædam phthisica pro deplorata à medicis relicta, vt Romæ nobis relatum est, sequenti remedio intra duos menses sanata fuisse dicitur. Ventri pulli mundati inserebat vncias tres facchari rosati, lentóque igne ex aqua coquebat, benè cooperta ollâ. Ex illo decocto supra cineres macerato, ac manè contuso pullo eóque diluto, in lecto sumebat, & superdormiebat. euasit. Alius monachus, qui omnino emaciatus erat, duo oua recentia igne aduerso assabat ita, vt albumina vix coalescerent. albuminibus reiectis vitellos patinâ excipiebat, ac illis addebat sulphuris viui ad fabæ molem saccharóque crystallino aspergebat eadem mensura, cum salis momento: hæc sumebat horâ vnâ ante cæteros cibos, & superbibebat vini dulcis cyathum vnum. interdum iungebat aquam roris solis his vitellis. Pro tussi vtebatur eclegmate ex sirupo glycyrrhizæ, violarum, & ex speciebus diatragacanthi frigidi. Idem distillabat limaces teneros ante ortum solis in vineis collectos: cuius cochlear etiam interdum capiebat cum vitellis ouorum. ita ille emaciatus, ante paucos menses euasit pinguis, & præter medicorum expectationem euasit. Ibi etiam describit puluerem Haly contra tabem. Si tanta fuerit sordis copia, inquit Aurelianus, *a Lib. Tard. 14.* vt & putruosa euadat, vtemur polline erui ex melle decocto. Mundo iam vlcere, vtare aqua distillata ex hedera terrestri, cum sacchato rosato vereri: id agat per dies quatuordecim. Aliud: accipe succi hederæ terrestris semilibram: sacchari vncias quatuor: fiat sirupus; sumat eum conserua rosata. vel loco succi hederæ accipe succum veronicæ. Accipe pulueris pulmonis vulpis drachmas duas: sumat cum sirupo myrtino vel cum aqua veronicæ. bolum commendat Serapio. Pulmonaria non vulgaris ad dimidium decocta cum sacchato. Ros solis auxilio est in pituita putrida, nam siccat. Accipe olei sulphuris semiscriptulum, remisce cum lolabio violato. Laudatur cocta herba, *Ingrassia di porci* dicta Italis: ex illa paratur sirupus, conserua, puluis: quin in cibo præbetur. Gummi cedri cum melle, adiecto exiguo galbano. Sumat thus, masticen, & agaricum trochiscatum ex cocta terebinthina: fiant inde pilulæ. Accipe marruhij odorati manipulum, incoque aquæ libris quatuor; donec ad tertiam partem redeat: colaturæ adde mellis boni libram: & rursus decoque donec ad suam redeat consistentiam: misce radicum ireos drachmas duas. Aliud ex Dioscoride, accipe butyrum recens, terebinthinam & mel: vnà coque, & sumat manè cochlearium. Sextus ait, equi spumam vel saliuam si hiberint phthisici, & qui malè tussiunt, sani euadunt, equus morietur. Et Marcellus, ad phthisicos, inquit, remedium & præsens & maximum est, nam etiam vitæ dubios sanat, & quibus superesse spes nulla videatur, equi saliuam vel spumam cum aqua calida bibendam per triduum dabis: etiam quem tussi intoleranda & diutina laborate videris, hoc remedio liberabis: ægrum quidem sine cunctatione sanabis, sed equum mors subita consequitur. Scribonius cerui pulmones cum suis gurgulionibus virgulis tensos, in fumo donec arescant suspendit: ac puluerem ex melle præbet. *Nutrientes morsellos describit Aurelianus folio 525.* Si phthisis sit ex animi dolore vel ex splenis vitio, vnà cum difficili tussi, Accipe vrticarum paruarum siue Græcarum magnam copiam: extundatur ex his succus, & fortiter exprimatur: bibat manè & vesperi ex hoc succo vncias duas bis die; manè vesperi horâ somni. Si atrophia adsit, accipe vini Rhenensis libras duas, ollæ infunde, adde auri optimi partes aliquot: benè obturatâ ollâ bulliat dum tertia pars vini exhauriatur: cùm refrixit adime aurum, & tinge pauco aromate: sumat manè cochlearium vnum aut alterum. Pectus verò hoc illinatur, Accipe medullæ cerui, vituli, butyri, axungiæ porci & gallinæ recentis, cuiusque drachmas duas: tragacanthi & gummi Arabici infusi in oleo nenupharis & violarum, cuiusque drachmam: ceræ albæ parum, vt fiat vnguentum molle. Accidentia quædam non minimi momenti huic malo superuenire solent, quibus ita remediandum. *Ad accidentia quæ se iungūt tabi. Ad febrem.* Febris si vrget, Accipe aquæ violaceæ, portulacæ, cuiusque vncias quatuor: sirupi violati vel granatorum dulcium vncias duas. Tunc etiam vtilis erit sirupus de iuiubis cum decocto psyllij, & seminis cydoniorum, cum trochiscis de caphura: deinde redeat ad vsum sacchari rosati recentis simplicis. detur ptisana, & pharmacis leuibus excludatur paratus humor. *Catarrhus.* Catarrhus sedetur pilulis de styrace, diapapauere, & sirupo de papauere. *Ad fluxum alui.* Ad ventris fluxum, Sumat ius restaurans coctum cum malis cotoneis, symphyto, sumachio, & aqua rosarum. Et vino inde cotonea. Rases hoc vtitur: accipe gummi Arabici, spodij, boli, seminis myrti, singulorum drachmam: da cottidiè drachmas tres ex sirupo myrtino vel papaueris. Aliud, accipe conseruam rosarum cum bolo, adde sirupum myrtinum. Lac acidum coquat cum biscocto. Accipe aquæ radicum althææ & petroselini, cuiusque semilibram: gummi Arabici, tragacanthi, cuiusque drachmam: amyli sesquidrachmam, glycyrrhizæ drachmas duas: coque: colaturæ adde sacchari vncias duas: sumat bis die. Accipe ladani drachmas duas: masticbes drachmam: olei absinthij semunciam: misce: vngat stomachi regionem. *Ad sputum sanguinis.* Ad sputum sanguinis, accipe sacchari rosati semunciam: diatragacanthi frigidi drachmas duas: radicum conditarum consolidæ vnciam: lapidis haimatitidis præparati drachmas tres: boli, succini, terræ Lemniæ, sanguinis draconis veri, singulorum drachmam: cum sirupo myrtillorum fiat electarium: sumat sæpè drachmam. *Præseruatio.* Sed præstat venienti occurrere morbo: quare robora pulmones & sicca. Vtere pulmone vulpis siccato, cum succo glycyrrhizæ, capillis veneris, semine fœniculi, cum sirupo myrtino & oleo sulphuris. Confectio dicta ambrosia, athanasia: sirupus nicotianæ auxilio sunt. Venus grauis absit: vnge nares dormiturus rebus calidis & siccis, vt vnguento spicato, oleo caryophyllorum. Si acrior succus incurrit pulmones, accipies sirupi de succo portulacæ vncias duas: decocti portulacæ vncias quatuor: misce: vtatur diebus sex: dein purgetur mannâ ex decocto capillorum veneris & violarum. duodecimo die accipiat pilularum de hiera cum agarico, & aureatum, cuiusque scriptulum: fiant pilulæ sex. Si sanguis emittendus, id fiat in Maio: abstrahantur vnciæ quatuor: & postridie id repete. deinde toto Maio bibat lac recens mulctum; adiice parum sacchari: sensim copia lactis veniat ad vncias decem: nec somnum aut exercitium ilicò à lacte ineat. Æstate feruentiore; vtatur manè & serò conseruæ rosatæ semunciâ, & superbibat aquæ portulacæ vncias quinque. Cœna sit parca, cùm ingreditur lectum comedat hordeatum cum simplici saccharo rosato. Laudatur etiam conserua foliorum auriculæ muris.

CAPVT

Capvt VIII.

De *Palpitatione Cordis.*

Nomen. Affectus παλμὸς τῆς καρδίας qui dicitur Græcis, plerumque à nostris Palpitatio cordis vocatur, ab Auicenna appellatur Tremor cordis, Marcellus empiricus Cordis pulsum & Salissationem nuncupauit. Cor itaque in hoc affectu intremit & palpitat. Impropriè tamen dicitur hic affectus cordis *Libro De palpitatione.* palpitatio: nam, authore Galeno, vnicam palpitatio agnoscit causam, nimitum frigus, & flatulentum spiritum; éstque palpitatio propriè virium partium non organicarum, sed carnis. Et hoc est quod scripsit Auenzoar, tremores cordis non esse eiusdem speciei cum aliarum partium tremore: nam, inquit, à vaporibus & fuliginibus fit ille tremor in aliis partibus, vt musculis & cute: cordis verò tremor euenit à repletione cordis. Nec etiam propriè tremor dici potest: nam in tremore sursum & deorsum tota pars fertur, sine dilatatione. Nos recepto nomi- *3 De locis aff.* ne vtemur Palpitationis cordis. Est sanè Cor nobilissimum totius humani corporis membrum: quo intacto, potis non est vt homo moriatur: hoc verò labefactato, cunctæ partes in consensionem abreptæ fatiscunt. Est enim cor princeps vitæ radia, calidi natiui ac vitalis fons. Id, si Peripateticis fides, ita se in humano corpore habet, sicut in orbe Intelligentia prima, & est velut microcosmi rex nobilior, solidamento suo coërcens vitales spiritus; nam igneus est illi vigor. Hoc diuinum viscus plurimis expositum est iniuriis, quibus extimulatam inter- *Definitio & eius explicatio.* dum saltum edit, quem Palpitationem vocamus. Est autem palpitatio cordis, deprauatus motus systoles & diastoles cordis, ab excretrice cordis vi excitatus, quo expellatur id quod cordi molestum est. Diximus in hac definitione, Palpitationem cordis, esse deprauatum motum systoles & diastoles cordis: Nam cor alto & forti pulsu quasi saltat in hoc affectu: dum enim nititur se ea more suæ naturæ extendere ac constringere, neutrum benè peragit: nam ad vtrumque motum festinat, ac tremulum quasi anhelat. Hæc autem maximè conspicua sunt in carotidibus arteriis, quæ per ceruicem repunt. Diximus ab exeretice vi cordis excitatus. nam tremulo illo motu excutere nititur vaporem. Rarò autem in paroxysinum hunc se erigit cor, nam extra exercitationem rerúmque calidarum vsum intermittit plerumque. Quare hæc est momentanea, non vera palpitario. grauis tamen est hic affectus; magnóque Dei beneficio factum, Cor non sensu præditum fuisse: nam quod principium est, ipsum citra noxam tutum esse debet, ne illo vitiato corruant cætera. Est autem Palpitationis natura quid toto genere præter naturam. Quamuis enim conuulsio, palpitatio, rigor eo conueniant quòd genus commune agnoscant Motum deprauatum, qui est præter naturam: quædam tamen sunt opera solius Naturæ coactæ: quædam verò solius morbi: quædam tum morbi tum natu- *Lib De Palpitatione cap. 4.* ræ. Inter illa opera quæ soli morbo ascribuntur sunt vera palpitatio & conuulsio. est hæc palpitatio sym- *Causæ.* ptoma, quod est actio læsa facultatis vitalis. Iam ad causas venio; scribit Galenus, omnes hoc morbo tentatos euasisse vena pertusa, vel attenuante victu. Quare existimauit vel ex copia, vel ex crassitie succorum hoc tædium nasci. copia enim pressu motum intercipit. Crassities verò succorum infarcit ita ora *3. Epid. 3.* venæ arteriosæ, vt sanguini liber exitus negetur. Interdum per malignas febres euenit hæc palpitatio vt illi qui in Meliboea iacebat: huic palpitatio cordis aderat ab initio vsque ad diem mortis. Pau- *3 lib. 34.* lus Ægineta subscribere videtur Galeni sententiæ: scribit enim hunc affectum fieri ex copia vel ex efferuescentia sanguinis concepti. Quicquid cordis venas, arterias, vel ventriculos nimium grauat, hanc passionem adferre potest. Talia sunt plurima excrementa à vena arteriosa pulmonibus infusa, ac cordi per arteriam venosam illata; nam pulmo non videtur eguisse tanta vena, quanta arteriosa est, ad sui nutritionem. & à multo sanguine cor obstruitur. Galenus hunc affectum referre videtur in intempe- *lib. De Palpit. cap 3.* riem frigidam: nam dicit omnem palpitationem esse effectum frigoris vincentis. Sanè intelligit ille mediatam & remotam palpitationis causam: nam id quod citò fit & citò perit non potest immediatè in intemperiem referri. Quare sæpè fit à vapida mate- *3 loc. aff 7.* ria, quæ citò excuti potest. Galenus dicit in hoc affectu connexum partium violari: & eo nomine ad malam conformationem vel situm prauum reuocari possit. Auicennæ tamen videtur tum à frigore, tum à calore hunc affectum subnasci posse. quin ipse Ga- *4 Aph. 65.* lenus à cordis inflammatione palpitationi similem motum in corde gigni ait: quare dicendum videtur à calore etiam hoc malum nasci. Respondendum, id potiùs referendum esse ad validum cordis pulsum, qui nonnunquam altiùs se se effert, necessitate euentationis anxio pressóque corde. Ita *2 De causis Acut. 15.* Aretæus dicit à stomacho hunc affectum fieri posse: nam, inquit, vicinus cordi bona & noxia illi impertitur. Profectò si vera palpitatio à calore & siccitate nasceretur, in hecticis perpetuò illa fatigaret. Quare frigus mediata causa efficiens palpitationis cordis esse videtur. Hoc autem vel ipsum cor occupauit, vel alias partes, vnde tandem cor affligitur. Nam vicinæ partes, vt pericardium & pulmones algiosam intemperiem cordi inferre possunt, non aliter ac lien hepati. Ita cùm aquosa substantia, quæ in pericardio circumfluit, frigidior fuerit, vel quis tumor frigidus occupet vicinas cordi partes, refrigeratur cor, atque hinc flatus generatur, ex quo tandem palpitatio surgit. & ex obstructionibus languidum redditur cor, inde flatus nascuntur. Noui *Historia.* nobilem mulierem quæ ex nimio sanguinis profluuio ex vtero sæpè in palpitationem cordis incidit: ita vt non solùm cor, sed omnes totius corporis arteriæ validissimè palpitarent: tandem longis annis ad atrophiam lapsa. Hæc nulla ferebat aluum subducentia: nam ab his ilicò totius generis arteriosi palpitationem incurrebat. Importantur interdum vapores in cor, vt ab hypochondriis, vtero, ventre, per arterias; facilè ex liene id fit cùm per arteriam expirat flatulentam auram, vnde in angustum cogitur cor. Externæ causæ sunt crapala, flatulenta edu- *Externa causa* lia, exercitatio, ingrauidatio, potus aquæ algidissimæ, aër ab extincta candela infectus, venenum, ira, *Differentia.* timor. Est sanè hic affectus vehemens; nam cor, pars cuius officio vita carere nequit, afficitur. est malum peracutum, contagij expers; dies in multos excurrit, nam intemperies frigida non citò placatur. est malum intermittens. Differt palpitatio à palpitatione, ratione maioris & minoris: nam interdum ab astantibus exauditur sonitus, ac pectoris tegumenta quatiuntur. Nonnunquam exigua est palpitatio: quædam sæpiùs recurrit, alia rarò fatigat. Interdum magna prostratio virium adest, polydædaláque pulsuum varietas. est periodica, éstque quædam non periodica sed vaga. Dignoscitur palpitatio tactu, quo *Signa.* in imo pectore sentire manu eam solemus tardam & raram, nam intermittit. Si hac ideâ non sentitur, non erit vera palpitatio, sed erit pulsus arteriæ. Si id vitium à tumore aquoso pericardij fuerit, erit cor

ita

ita affectum vt quasi in aqua natare videatur, ac suffocari. Si ex pulmonibus fuerit, præcessit maxima pulsus inæqualitas, quam excipit ægra respiratio. Si labes hæc aliunde à remotis partibus importatur, illinc symbola affectarum partium elucebunt. Quiescente corpore plerumque intermittit hoc malum: exercitio, vino, venere, balneis, irâ recrudescit. A flatibus quæ fit, non ita diu perennat, nec ita vehementer affligit: mitescit à discutientibus flatus. Vbi à sanguinis copia est, quæ opprimit cor, varius tunc éditur pulsus, iam magnus iam paruus, tardus iterúmque velox: & videbitur cor suffocari ac stringi.

Indicationes curatiuæ. Perspectâ affectus huius naturâ, iam ad sanationem pergamus. Causa in primis abscindatur: quare flatus si in vitio fuerit, is emoliẽdus erit. Sed flatus vel geniti sunt, vel generantur. si geniti, vel iam actu in corde concepti sunt, & id premunt: hîc Indicatio nascitur liberandi cor à flatibus, quare discutiendum. Si à flatuum incursu ne cor inuadatur metus fuerit, erit reuellendum: quatenus verò generari possunt, tùm noui flatus, qui irrepet in cor, metus adsit, ne is gignatur prohibemus, intemperiem frigidam, flatus authorem, castigando: quare calfaciemus. Vt breuiter dicam, spiritus halituosi generationem impediemus, materiámque crassam attenuabimus vnde illa surgit, & à corde flatum arcebimus. Id fiet subducendo materiam ex qua subnascitur: & cor, ne facilè spiritum halituosum admittat, robore afflabimus. Tolletur materia vi bonæ diætæ, extenuantibus & vacuantibus remediis. Si fuerit à plethora, vnde succrescit sæpè aquæ copia in pericardio, imò metus inde ne in phlegmonem trahatur cor, secanda erit vena dextra quam basilicam vocamus. Si à spiritu halituoso qui à liene, seca sinistram. In præcipiti casu, vnde metus syncopes, auerte potenter frictione, cucurbitâ, vinculis, soppositoriis, clysmis. Si partis alterius à communione irrepit malum, hanc vacua, auerte, robora. Si venenum in vitio sit, id euomatur, ac pinguibus rebus obtundatur: & bezoat cum theriaca propinetur. Sed positis his scopis, videamus num illos attingere possimus: & num facilè vel ægrè:

Prognosis. nam sine prædictione sæpè non sine rubore agitatur sanatio. Ex frigore cordis si eueniat, est lethalis: nam cor redditur imbelle ac fœcundum in flatus. Si diu perennat, occidit repentè: nam curari nequit quæ iam inueterauit. Quibus longis spaciis redit, ante senectutem iis fatalis est, nam ex syncope vel causo moriuntur. Si euenerit ratione pericardij vel pulmonum, non æquè est calamitosa, ac si per idiopathiam eueniret: frequens hypochondriacis malum: nec in iis desperandum. Quæ à frigore fit, plerumque per syncopem in mortem abit: Quæ à calore, vt in plethora, per causum occidit: vel in aneurisma abit.

Curatio: & primùm de Chirurgia. Phlebotomia. Iam ad curationem pergo. Antiquus medicus Nonus hic præter sanguinis emissionem non agnoscit aliud remedium. & Galenus scribit omnes ex venæ sectione opem sensisse. Si his euenit qui ex ephebis euadunt, vel mulieribus quibus non respondent menses, vel his qui se liberaliùs carne & vino inuitant, vel talibus quibus haimorrhoides obstructæ sunt, hoc est, quibus in iecore totóque corpore copiosus sanguis conceptus fuerit, his, inquam, venæ sectio necessariò præscribitur: ita etiam his quibus ob has causas, copiosa aqua in pericardio circumfluit. Sed quænam vena est aperienda?

Quæ vena. Razes secat venam axillarem dextram, vbi sese consociat febris cum pulsu veloci. Si à sinistro hypochondrio venit malum, feriatur vena sinistri brachij. Si a mensium interceptu fuerit, pedis vel poplitis vena recludenda. Sed qua copia effundendus sanguis?

Copia. Audet Ioannes Arculanus extrahere octodecim vncias, imò ad syncopen vsque, dum metus adest phlegmones, vel suffocationis repentinæ & mortis: rapta subitò materiâ in cor, quo cor subitò opprimatur. Attamen, ait prudenter, inducias dare malo, præstátque partitim illa fieri: & tales euacuationes fiant extra paroxysmum. Nam, dicit, in paroxysmo potiùs reuulsioni studendum. mox subdit, si phlegmones metus adsit, fiat phlebotomia reuulsoria: attamen omittatur si potis sit: similiter, dicit, ventris solutio: ne fortè materia agitata ampliùs, influat in cor, vnde suffocatio & mors, vel fortè syncope ex resoluta facultate: tempore autem quietis securiùs hæc fient. Viden vt trepidet in hoc negocio Arculanus? nec sane immeritò, quamuis Auenzoar scribat maximam copiam sanguinis esse extrahendam: nam hic non agnoscit aliam causam palpitationis cordis, quàm plethoram cordis. Auicenna tamen admonet ne vnica vice extrahatur magna sanguinis copia, ob vires. Quare author sum ne quis ad animi deliquium proueliat sanguinis effluuium: nam consilium est vt à corde abducamus: at deliquiũ animi in cor rapit sanguineos. Vere commodè fit. Quare nota benè num hæc morbifica materia sit remixta cum sanguine, vel num sit sanguinis expers, & num hæreat in Pectore materia frigida: nam scribit Galenus phlebotomiam interdum profuisse, interdum non.

Lib. De tremore. Cucurbita. Vincula tempore paroxysmi & frictiones cum linteis odoratis admoueantur. Cucurbitæ tibiis admoueantur; nam dolorem ita inferes. Vmbilico impone magnam cucurbitam: sed habeat in apice foramen: quo, cùm lubet aperto, ilicò cadat. Imò ad caustica veni; tibiis ac carpo impone phœnigmos. Cautio in his sit, ne vras neruos & arterias.

Radix ranunculi. quare caue à radicibus ranunculi, nam prauè cum indicibili quadam malignitate vrunt, sæuósque dolores cõcitant. vita etiam capita & fines musculorum: tenta potiùs his partes carnosas. quare mediæ parti musculi brachialis hæc impone. Fiat etiam reuulsio clysmis & glandibus.

Pharmacia. Iã ad Pharmaciã venio. Præparatio & purgatio fiat rebus naturæ ferè consocialibus. Vt per ius veteris galli, cuius vẽter melissâ, buglossâ, caryophyllis, cinnamomo, perfusis aquâ rosatâ impleatur: bibat id ius manè & serò horis quatuor ante cibũ: & cùm purgare vis, macera in eo iure epithymũ, agaricum, senam, & coque in eo polypodiũ, semen carthami. Si necessitas vrget à symptomatica trãslatione, etiam ante præparantiũ vsum purgetur. Præparetur materia frigida oxymelite simplici vel cõposito, sirupo byzantino, sirupo de cortice citreorum, de fumaria, de duabus & quinque radicibus, prassij, liquiritiæ, melle rosato, de hyssopo, de epithymo, de pomis, & de lupulis. Adde aquam melissæ, fœniculi, enulæ, rorismarini, scabiosæ, prassij, betonicæ, anisi, galangæ, vel decoctum caryophyllorũ, & fœniculi. Accipe summitatum calendulæ, melissæ, cuiusque manipulum: calaminthæ, rorismarini, betonicæ, cuiusque semimanipulum: scordij pugillum: cinnamomi semunciam: passularum Corinthiacarum vnciam: macera hæc in vino Rhenensi, & coq; in balneo: sumat in aurora per quatuor dies, & deinde purgetur. Si aqua in pericardio fuerit concepta, vtatur decocto ligni guaiaci, cum betonica, borragine, adianto, vrtica, enula, roremarino, radice sicca ireos, aqua florum sambuci. Deinde purgetur. Sint purgantia mediocria: vita scãmoniata. Sumat sescunciam sirupi rosati laxatiui cum sena, ex decocto melissæ. detur etiam manna & cassia: electariũ de psyllio: electarium lenitiuum cum decocto florũ & fructuum cordialium: in quo decoxit semuncia tamarindorum. Vtatur diluto agarici recenter trochiscati: pilulis de hiera cum agarico, elephanginis, masti[illegible]nis, aggregatiuis, sine quibus: vel purgetur foliis se[illegible] & epithimo, ex sero lactis maceratis. Sẽper adde q[illegible]d

vini

vini vel aquæ cordialis. Purgato corpore ſtudendum erit vt cor roboretur. *Roborantia.* Hæc ſiot ſemper moderata calore & frigore, ne cor alterent: caleant ita vt cinoamomorum, vel mace, & vt borago, meliſſa, & calendula. Radix bugloſſæ ſaccharo condita. Vtemur dulcibus, odoratis, modeſtè calfacientibus; vitales ſpiritus roborantibus, ac à fumoſis ſpiritibus eos vindicantibus, vt meliſſâ, vioo Hippocratico, ex libra viot & ſemuocia cinnamomi. Narcotica etiam his nou malè iunguntur, ne vis eorum quæ cordi ſtudent, cùm ſiot tenuia aromata, ilicò euaneſcat: hæc cauſa fuit, quòd veteres opium cardiacis importarunt, ſed his non vteodum ante tertium à mixtione menſem. Aromarum calor dometur ſirupo boraginia vel de pomis. ſiot ſemper grata remedia. Margaritæ his commeodantur. Accipe florum cordialium, ſingulorum pugillum: florum garyophyllorum ſemimanipulum: coque leuiter in aqua bugloſſæ & meliſſæ libris duabus: adde vioi albi vncias quattuor: caryophyllorum drachmas duas, cardamomi ſemidrachmam: croci ſcriptulum: ambræ ſemiſcriptulum: cinnamomi drachmas tres: dulcoretur ſaccharo: ſumat manè. Si quid caloris ſubeſſe ſuſpicio fuerit, remiſcemus roſam, violam, nymphæam, ſantala, capburam, acetum, omphacium, berberim, ceraſa acida, pruna acidula, aceтоſam, mala granata, citria, aurantia, perſica, caraben, coriandrum, cydonia mala, pyrà, poma, lac acidum, diarrhodon abbatis, diamargariton frigidum, trium ſantalum, corallum, margaritas, coroua, hyacinthum, boraginem, bezoar lapidem. Calorem delet ſirupus violatus, endiuiæ, acetoſæ, de tibes, oxyſaccharum, citriorum ſirupus; cum aqua roſata, lactucæ, vel radicum plantaginis. Diabugloſſatum, diaboraginatum. Hoc præclarum remedium eſt: Accipe margaritarum, ſeminis baſilici caryophyllati, ſemioia citreorum, cardui benedicti, cuiuſque drachmas decem: caryophyllorom, cinnamomi, ſingulorum drachmas duas: macis drachmam: croci ſemidrachmam: ambræ ſcriptulum: ſingula in pollinem vertantur: dein miſce cum aqua roſata. & tere in lapide marmoreo cum auri lamina; eo vſque dum auri color eluceat in his pulueribus: adde ad pondus omnium cortices citreorum conditos, cum aqua roſara & cum ſirupo conſeruationis nucis myriſticæ fiat opiata: ſumat quotidie manè ſemunciam. Vtemur etiam aromatico roſato, diacymino, diacalaminiho, dianiſo, theriacâ, mithridatio, pletes archon, compoſitione de hyacintho. alkermes. Accipe ſpecierum diarrhodonis abbatis, diamargariti frigidi, cuiuſque drachmam: trochiſcorom de capbura ſcriptulum: pulueris diambræ ſemidracbmam: conſeruæ roſarom dracbmas duas: ſacchari in aqua roſara ſoluti, quod ſatis ſit vt fiat electarium ſolidum: ſumat tres dracbmas, & ſuperbibat cyathum aquæ boraginis. Accipe margaritarum præparatarum, coralli robri, vnicornu, auri optimi, cuiuſque drachmam: cum lulapio roſato fiat puluis ſubtilis: ſumat ſcriptulum ex aqua cordi dicata. Aliud præſtans: accipe macis ſemunciam: cinnamomi, caryophyllorum, cuiuſque vnciam: roſarum perſicarum manipulos decem: vini maluatici quattarium: digerantur diebus quattuordecim: deſtilla per balneum: deſtillatæ aquæ immitte moſci dracbmas duas. eſt hæc aqua guſtu ſuauiſſima. ſi plures rates velis, conſule caput de ſyncope. Accipe vini optimi libras duas: adde dictamni, byſſopi, thymi, calaminthæ, roſmarini, calendulæ, meliſſæ, menthæ, cuiuſque pugillum: caryopbyllorum cinnamomi, ſeminis baſilici, granorom paradiſi, cuiuſque drachmam: croci ſcriptulum. expone ſoli æſtiuo: accipiat ex illo vino quotidiè manè vnciam, poteſt addi parom lapidis bezoar ſingulis doſibus. ante paſtum poteſt inde bibi hauſtus. Accipe ſucci bugloſſæ depurati ad ignem vncias duas: ſacchari dracbmas duas: bibat in lecti ingreſſu per dies decem. Accipe ſucci depurati boraginis, acetoſæ, endiuiæ, cuiuſque vncias tres: ſacchari ſemilibram: fiat ſirupus. Conſerua meliſſæ cum grano muſci. Coque cardiacam ex vino. Accipe muſci ſemigranum: croci ſcripulum: vini albi calidi ſemicyatbum: ſoluatur muſcus pauca in aqua vitæ. Immacera aquæ vitæ ſummitates meliſſæ & calendulę, & cinnamomum; da guttulas paucas cum vino, initio menſæ. Crocum infunde aquæ vitæ, dum albeſcat crocum: id calcina, & fermenta cum prædicta aqua: & inclina; da granum eius ex iuſculo vel vino: reuocat id vitales ſpiritus. idem fiat in caphura. Semper quod reliquum eſt calcina: & redde cineribus liquorem, ita fundent ſalia. Accipe theriacæ ſemidrachmam: croci grana octo: moſci granum: propinà cum decocto meliſſæ ex vino, vel ex vino in quo coxit cinnamomi ſemidrachma, & macis ſcriptulus: ſumat tertio die ſemel. Accipe margaritarum drachmas duas: ſuccini albi drachmas tres: raſuræ eboris drachmas duas: coralli, hyacinthi, ſantalorum, cuiuſque drachmam: caphuræ ſemidrachmam: muſci, ambræ ſingulorum grana octo: lapidis bezoar ſcriptulum, conſeruæ violarum, nenuphatis, cuiuſque vnciam: cum ſirupo violato fiat electarium. Accipe conſeruæ bugloſſæ, vncias duas: corticum citreorum conditorum vnciam: aromatici roſati, diambræ, cuiuſque drachmam; cum ſiropo nucis moſcatæ fiat conditum. Accipe pulueris aromatici roſati, & caryophyllati, cuiuſque drachmam: pulueris diambræ ſemidrachmam: ſeminis ocymi ſcriptulom, raſuræ eboris ſcriptulos duos: ſantali albi & rubri, ſuccini, ligni aloës, ſingulorom drachmam; cum conſerua corticum citreorum, & florom boraginis & meliſſæ, fiat electarium. Accipe florum cordialium, radicum bugloſſæ, ſingulorum vncias quattuor: croci drachmam: miuæ cydoniorum vncias tres, vini albi optimi libras duas: piſtentur, & miſceantur ſimul: macera in balneo dies quatuordecim: dein diſtillentur his per alembicum: ſumat vnciam. Radix helenij condita, & cortex citrij. angelica. Si æſtus vrget, accipe aquæ roſaræ, ſucci acetoſæ depurati, ſucci aranciorum, partes æquas: cum ſaccharo fiat ſirupus. Raſes exhibet paſtillos ex moſco, quorum compoſitionem hoc capite deſcribit, & ait hos etiam ſyncopi dicatos. Raſes, vbi conſociat ſe febris, & vbi pulſus eſt velox, à vena ſecta, dat trochiſcorum ex caphura dracbmam, cum croci granis tribus, ex ſucci granatorum vnciis tribus. quatuordecim diebus continuis hoc agit Sed, inquit, ſi hæc præſidia iooibo ceſſerior, lac acidum potui præbeto, & hoc capite deſcribit hos trochiſcos. Et huc eodem loco tradit Electarium ex moſco, quod valdè commendat: & ventrici languenti confert, ventriculoque frigido, & faſtidio. Quæ valdè calent, dentur ex aqua roſata. Accipe conſeruæ violarum, roſarum, bugloſſæ, cuiuſque vnciam: trium ſantalorum, ſeminis baſilici, xyloaloës, caryophyllorum, cuiuſque ſemidracbmam: nucis moſcatæ conditæ drachmas tres: cinnamomi drachmas duas: ſeminis aniſi, fœniculi, carui, ſingulorum ſcriptulum: muſci grana octo: croci ſcriptulum: ſeminis papaueris albi ſemidrachmam, ſaccbari perlati cum aquâ roſata ſoluti quantum ſufficit vt fiat opiatæ forma, addi poſſunt enula condita, ſuccinum, ſemen citrij, terra lemnia, coriandrum, cornu cerui, bezoar, ſpodium, rhabarbarum, capbura: fermentantur cum iulapio ex ſucco granatorum. Iam venio ad ea quæ foris admouentur. *Foris admouenda.* Epirhema: Accipe aquæ meliſſæ, boraginis, cuiuſque vncias quinque: bis immacera meliſſam, baſilicum, crocum, lignum ſantalum & aloës,

diambram,

Epithemata. diambram, cinnamomum, vel caryophyllos, rosas rubras, corallum, lauendulam, vel rosmarinum, folia lauri, maces, cortices citrij: aliqua horum inijce: colatutæ adde quid vini aromatici, vel aceti, vel aquæ rosatæ. Accipe aquæ melissæ, boraginis, cuiusque vncias quattuor: trochiscorum Rasis de caphura semiscriptulum: santalorum omnium drachmam: fiat epithema. Accipe aromatici rosati, pulueris lætificantis Galeni, singulorum drachmam: croci semiscriptulum: aquæ buglossæ vncias octo: aquæ melissæ, vini albi, cuiusque vncias quatuor: fiat epithema: addi poterit etiam aqua rosata, & acetum. Accipe aquæ rosarum vncias tres: aceti rosati vnciam: vini maluatici semunciam: beniouini, caryophyllorum, cinnamomi, santalorum, balsami Americani, radicum cyperi, singulorum semidrachmam: mosci, ambræ, cuiusque grana sex: fiat puluis, & misce cum liquoribus, & inde ampullæ angusti oris, pergameno pertuso operculetur; insperge faciei vibrando. Accipe basilici folia, melissæ, cardiacæ, rosarum rubrarum, feruescant in aqua menthæ, & applica cordis regioni.

Sacculi. Sacculi: Accipe foliorum melissæ manipulum: rosarum rubrarum, anthos, florum boraginis, cuiusque pugillum: foliorum lauri, quattuor: seminis basilici, caryophyllorum, macis, corticum citrij, cinnamomi, cuiusque drachmam: ambræ, mosci, singulorum grana quattuor: fiat sacculus: qui rigetur aqua rosata & vino odorato. Accipe pulueris caryophyllorum, nucis moscatæ, cinnamomi, singulorum semidrachmam: pulueris rosarum, diambræ, cuiusque drachmam: florum boraginis semunciam: fiat sacculus; ex vino applica. Accipe florum rorisinarini, rosarum, cuiusque pugillum: citrij sicci, macis, ligni aloës, santalorum omnium, seminis basilici, singulorum drachmam, spicæ Celticæ & lauendulæ, foliorum lauri, cuiusque semidrachmam: fiat puluis & sacculus: aspergatur vino albo & aquâ melissæ vel boraginis: adde quid radicum cyperi, vel pulueris diamargariti frigidi. Crusta panis madefacta in aceto & vino, vt fiat pulticula: sed primùm torreri crusta debet: puluerem caryophyllorum, diamargariti frigidi, diambræ, vel aromatici rosati, vel lætificantis Rasis.

Linimenta. Linimenta: Accipe vnguenti rosati semunciam: olei cinnamomi scriptulum: mosci, ambræ, cuiusque grana sex; misce. Si æstu incandescant viscera, accipe vnguenti rosati, & santalini, cuiusque semunciam: olei nymphææ, drachmas sex: coralli, margaritarum, cuiusque scriptulum: caphuræ semiscriptulum: misce. Abluat, biduo vel triduo, se vino ab vnguentis: Accipe theriacæ semidrachmam: succi limonis drachmas duas: croci semiscriptulum: margaritarum, coralli rubri, cuiusque scriptulum: caphuræ grana duo: misce cum paucis guttis vini albi, vt fiat linimentum: syndone exceptum, calidè cordi admoue.

Vermes. Si poeris à vermibus cor tremit, accipe aloës, myrrhæ, singulorum drachmas duas: croci semiscriptulum: succi citrij drachmas duas: vini albi fortis drachmam: applica cordi super petiam. & vmbilico hoc, Accipe farinæ lupinorum amarorum, aloës, singulorum drachmas tres: succi absinthij drachmas duas: misce cum oleo nigellæ, & super petiam admoue vmbilico. Si æstuat cor, Accipe olei nymphææ vnciam: santalorum drachmam: rosarum rubrarum scriptulum: caphuræ grana duo: ceræ parum, vt fiat vnguentum pro regione cordis. Fiat vnguentum ex essentiis cum oleo myristicæ nucis.

Victus ratio. Iam vt haberi homo in victu debeat expendamus. Quicquid vitæ spiritus exhaurit, cauendum. Aëris æstus & frigus validum nocent: aër sit purus & odoratus. Si æstuat aër, castigetur aquâ rosatâ, aceto, salice, pampinis, floribus nymphææ, rosarum, violarum, santalis, caphurâ, pomis cydoniis. Si nimis aër perfrixit, temperetur croco, musco, ladano, caryophyllis, iunipero. *Aër.* Componatur pomum ex musco, ambra, styrace, caryophyllis, cum ladano.

Cibus. Cibus in copia sit mediocris: est enim morbus diuturnus. Qualitate sit attenuans, calfaciens moderate. Condiantur cinnamomo, croco, caryophyllis, mace, pipere, hyssopo, serpillo, rosmarino, melissa, menta, saluia, boragine, fœniculo. Columbæ, vel capo cum mace coquantur: ita perdices, cuniculi, auiculæ. vitulina caryophyllis sparsim repleta. Olus ex boragine, melissa, foliis fœniculi. Abstineat à rapis, castaneis, leguminibus, & à fructibus crudis. Pullus coctus cum ciceribus rubris, melissa, pimpinella, boragine, & aromatibus: iusculo ex his vtatur. Si febris adfuerit, inquit Rases, lac acidum potet, & pullus vel caro vitulina aceto & agrestâ condiantur, cum citreorum succo: vel cum hordeo mundato coquatur, lactucâ, acerosâ, portulacâ Si flatus fatigant, à cibo sumat puluerem ex rosis rubris, cinnamomo, glycyrrhiza, semine coriandri, anisi, ameos: Scribit Rases, carnem accipitris totâ substantiâ hîc conferre.

Potus. Potet ceruisiam & vinum antiquũ. sit vinum tenue, suaui odore; vitet potentia vina, nam vinum impetu quodam cor inuadit, indéque fit vt augeat obstructionem cordis. Potui immitte calendulam, melissam, pimpinellam, buglossæ flores. Fiat hippocraticum ex aqua hordei & pauco vino, cum cinnamomo, dulcoretur iulapio rosato. Vinum diluatur aquâ rosatâ & boraginis, ita vt aqua boraginis parum rosatæ vim redoleat. Vinum absinthites commendatur. Sirupus acetosus, & Iulep violarum & rosarum (si febris adsit) cum aqua hordei, & rosata pauca.

Motus. Exercitium hîc non confert. Caueat ab omnibus animi affectibus, irâ, vigiliis, venere. Aluus quotidie officium suum faciat: accipe absinthij, cardui benedicti, singulorum manipulum: chamædryos, rorisinarini, cuiusque semimanipulum: radicum recentium polypodij vncias tres: foliorum sennæ vncias tres: radicum mechuacan vncias duas: macis, caryophyllorum, singulorum semunciam: hæc infunde vasculo vini: & post decimumquartum diem bibat quotidie cyathum ante cibum: quò aluus naturæ respondeat. Portet sapphirum vel hyacinthum in regione cordis, auro inclusum. Non stringat admodum thoracem veste. Et tegat pectus veteri linteo, quod maduit in aqua lauendulæ, quodque iam siccum est, & semper caleat id.

Empirica remedia. Iam breuiter ex nostro more Empirica subnectam. Accipe pulueris crassi nucis moscatæ, caryophyllorum, masticis, singulorum drachmas duas: cinnamomi drachmas tres: ligni rosei in taleolas scissi semunciam: croci scriptulum: balsami Americani drachmæ semissæ: syndone excipe, & infunde sesquilibræ aquæ rosatæ: coque ad exhaustionem tertiæ partis: colatutæ adde sacchari libram, coque ad sirupi consistentiam: adde parum musci optimi. Hic sirupus recreat algentem ventriculum & cerebrum, cordi dicatus est, asthmati etiam remedio est. Accipe aquæ boraginis, è floribus curiosè distillatæ vncias sex: sirupi de succo boraginis drachmas decem: iulapij rosati, aquæ cinnamomi, cuiusque semunciam: margaritarum solutarum drachmas duas: auri dissoluti drachmam misce: sumat cochlearium. Si æstus sit molestus, potet succinum cum aqua acetosæ: si non æstuat, cum aqua melissæ id potetur. Marcellus Empiricus iubet vt succinum verum immittamus in aquam feruentem, & illic esse patiamur: atque inde per triduum laboranti singulos cyathos repefactos demus bibendos. Succus cardiacæ manè sumatur cum saccharo. vel aqua ocimi cum scriptulo diambræ. Accipe philonij Romani scriptulum: croci

grana

grana octo: caphuræ grana quatuor: musci grana duo: dentur cum vino vel cum aqua rosata. Accipe cordium porci numero duo: corda cerui vel bouis tria: coque ex aqua vt tenerescant: dein cõfige caryophyllis, galanga, adde seminis basilici drachmas tres, & tantundem macis: florum buglossæ, boraginis, cuiusque manipulum: florum rorismarini semimanipulum: temperentur in vino Maderico per noctem, & distillentur omnia in alembico. Accipe huius aquæ vncias quatuor: sacchari parum: si calet homo, adde aquam rosatam. accipe huius aquæ semunciam: quã remisce cum vini hippocratici vnciis duabus. Caphura syndone excepta collo suspenditur. Sæpe vtatur hiera picra. Sumat alternis diebus per horam ante cibum pilulam vnam aut alteram de hiera, vel alephanginas. Accipe florum cordialium, melissæ, cuiusque manipulos tres: radicum buglossæ vncias quatuor: croci drachmam: miuæ cydoniorum vncias tres: cinnamomi semunciam: affunde aquæ vitæ optimæ libras duas: macera frigidè; dein distilla: vel inclina. Accipe caphuræ tritæ & croci partes æquales: cum oleo rosato fiat vnguentum: vnge cordis regionem. Tere melissam cum boragine, & calefac in patella terrea cum aqua rosata & aceto: & regioni cordis admoue.

CAPVT IX.

DE SYNCOPE.

Nomen: & morbi vis. ** intercipere vires.*

Syncope, quam Q. Horatianus appellare videtur καρδιακὴν διαφόρησιν, & totius corporis & virium plenam resolutionem, dicitur παρὰ τὸ * συγκόπτειν, τὸ συμπίπτειν: quâ, inquit Aretæus, nihil maius, nihil celerius. quid corde ad mortem vitámve potentius? Alexander lapsum virium vocat. Est enim syncope vinculorum facultatis vitam fouentis dissolutio: nam, authore Aretæo, est cordis & vitæ ægritudo.

Definitio, & eius explicatio.

Quam ita definimus, Syncope est præceps vehemén(s)que iactura cunctarum virium, maximéque vitalium. Dixi esse iacturam cunctarum virium: quia non ita enecatur spiritus, vt & ἐνέργειαν & δύναμιν simul tollat: nam id mors esset. Dixi præterea esse iacturam vehementem & præcipitem; quò abeat à lipothymia: quæ est tenuis quædam spirituum iactura. Adiunxi cunctarum virium adesse iacturam: nam prosternuntur in terram, ac omnibus externis sensibus spoliantur. Tandem addidi, Maximè vitalium: etenim pulsus vix micat, ac omnes cordis affectus sopiuntur, spes, ira, timor. Quin aliæ facultates ab hac vitali hîc trahuntur: proptereáque in cor refertur hoc symptoma. Rectè itaque Aretæus scribit Syncopen cordis morbum esse. hic reprehendit quosdam qui asseuerarunt stomachi affectum syncopen esse: quòd in nonnullis vires refectæ sint cibo, vino, & frigidâ ægritudo sublata. iidem, inquit, mihi videntur opinati Phrenitim capillorum capitis & cutis affectum esse, quòd capillorum detonsione & cutis irrigatione Phrenitici releuantur. Verùm cordi vicinus stomachus perniciosus est, vnde in cor tam noxia quàm vtilia deriuantur. At stomachus vitæ neque principium neque sedes est, sed tamen noxa per stomachum, vt à cibis malis infligi cordi potest; nam inde cor palpitat, linquitur, vertigines, sudor inuictus, resolutio corporis totius: hæc à stomacho. Quare Q. Horatianus scribit sibi nunquam claruisse indicium manifestum quo tentari in aliquo naturam cordis intelligeret. Certum est ex frigidis ventriculi succis cor alterari. Hoc autem cordis horrendum symptoma vt debellari possit, primùm exploratum nobis esse debet vnde originem principiáque ducat: hoc est, cuiusnam morbi vmbra sit & effectus.

Causa.

Curato enim morbo, auferetur vnà symptoma, quod hîc syncope est. Morbi sanè cuncti referuntur vel in intemperiem corporis, eiúsve partis, vel ad hanc malam conformationem, aut hærent in praua magnitudine, numero, vel situ: vel referuntur ad continui solutionẽ. Syncope effectus malæ temperiei esse nequit: si enim tenuis quædam intemperies cor occuparet, pulsum solùm cordis affligeret; at si valida ea intemperies perennaret, mortem adferret, vel subitò, aut pedetentim. Si pedetentim, sanè non ex syncope, verũ ex intemperie mors veniret: quod si confertim intẽperies cor percellat, enecabitur consectario huic ab affectu, vt à phlegmone. Quare syncope sui authorem agnoscet morbum in mala compositione, nã inuadit subitò & confertim: Quare intemperies immediatè non erit causa syncopes Nec continui solutio syncopes causa erit: nam vulnus si sinus cordis penetrauit, sanguinis ex profluuio opprimentur homines. Sin vulnus non penetrarit, mox aderit vnà phlegmone, dein syncope. quare syncope morbus erit in mala conformatione. nimirum à cordis dilatatione vel strictione, (substantiæ enim mobili, qualis est spirituum quies, mors est) cordis penè extinguuntur spiritus. Hi itaque morbi sunt vnde syncope nascitur. Fit igitur à mala conformatione hæc passio; nam fit dum ad peripheriam dissipantur spiritus, vel dum cẽtrum vi coguntur Hæc eueniunt dum meatus cordis non ex lege naturæ compositi sunt, sed cùm nimium dilatantur vel contrahuntur: si enim id non foret, spiritus vitales exhaurirentur, nec opprimerentur. Quare dum datâ viâ à ductibus patentibus à centro in peripheriam feruntur, fit maxima spirituum dissolutio. Exhauriuntur autem spiritus, quia rariores euadunt: vel rara corporis textura, spiritus tenues sinit fluere in auras acri etiam cùm vritur calore corpus, patulum redditur: vel validus animi motus spiritus disiicit, vel excretio immoderata: aut doloris acerbitas (vt in vulneribus musculorum temporalium, & in tendinibus vulneratis) morbi magnitudo, inedia, aneurisma, vel ruptio abscessus subitanea, in parte cui arteriæ plurimæ intexuntur: vel si neruosa pars affligatur, quæ vasorum societate cum corde iungitur, vt euenit in fractura calcis: nam hæc non frangitur sine valida contusione vicinarum partiũ, inter quas etiam sunt arteriæ. labor longus spiritus cordis etiam exhaurit: hoc etiam facit orificium vẽtriculi si inflammetur, vel si ab acerrimo succo incurratur, vel si frigida à materia fatigetur. Nam magna sympathia iungitur orificium stomachi cordi: quia magna illa arteria quam aortam vocamus, ex sinistro corde oritur, & descendit illa vnà cum œsophago, cui membranis iungitur ad os ventriculi. vel id euenit ab hysterico alióve veneno. Quare, vt breuiter dicam, sex videntur esse causæ corruptelæ spirituum, nimirum suffocatio caloris natiui, alienæ materiæ commixtio, alimenti defectus (vt in boulimo) dissipatio spirituum, (vt fit ex dolore, labore, vigiliis, gaudio) vel quia non mouentur, vel quia alterantur, vt à veneno.

Spiritus ex rebus sex corrumpuntur.

Graue ac perniciosum hoc symptoma facit, (nã lõgè extra naturæ limitem trahitur homo, nam cor affligitur) vt prolixiùs præter meum morem in causarũ eius vestigationem incumbam: quare iterum, bona venia, hoc ago. Syncope, vt antea demõstrauimus, nascitur ex dilatatione vel constrictione præter naturam ductuum cordis. Hoc autem fit ex spirituum vitio. Spiritus autem vitales vitium agnoscunt in motu, vel quòd illis remisceatur quid vnde contaminentur. Si motu in vitio sunt, id erit

ex vitio interno vel externo. ex interoo vitio, vt ex dolore. Dolebit autem pars qua prope abest à corde, vt os ventriculi: vel quæ longiùs à corde recessit. Si non processit longè à corde pars dolori implicita, ex cordis constrictione syncope erit: sin pars doluerit longè à corde posita, erit syncope à resolutione. Externæ causæ sunt, vigiliæ, gaudium effusum, quale, Sophocli & Dionysio euenit, & Diagoræ. & etiam tristitia. Si quid remixtum fuerit spiritibus vnde illi fatiscunt, illud hætebit vel in eorum substantia, vel erit ex eorum qualitate vel copia. Substantia eorum vitiom babet ex nimia crassitie, adeò vt sese expandere nequeát, sed stipant aditus & exitus, & vna quasi in sede sese colligunt: vel nimia tenuitate & raritate præditi, cuncta circa cor pandunt, vel raro in corpore exhauriũtur. Copia spirituum molesta est, quia circumfluunt vberiùs, vel quòd nimis accisa sit eorum quantitas. copiosi nascuntur ex vberrimo sanguine: inopia verò illorum est ab exhaustu: vt ex vigiliis, validis animi commotionibus, ac ex corporis fatigatione nimia. Prauitas qoalitatis interdum iungitur spiritibus: & hinc cordis vasa subsidunt. boc contagium vel foris infertur, aut intus gignitur. si intus, nascitur vel ex materia corpore concepta, vel ex solidis cordis particulis. Si non sulùm praua qualitas, sed materia illud vitium faciat, illa erit vel mole corporea prædita, vel tenuis & vapida.[1] Crassamento corporeo illa prædita est, quæ in pestiferis febribus cordis succos fœda pernicie inqoinat, vnde spiritus cordis premuntur. Vapida illa aura prodit à toto corpore vel à peculiari aliqua parte: à toto, vt in febribus mali moris: hoc est, cùm putrida aura, non tantùm veneno delibuta, in putredinem rapit cordis succos. A parte interdum surgit, vt ventriculo, hepate, vtero, liene, & à pede. Quodsi à solida cordis parte ortum traxerit, id fiet, quòd in eo sit conceptum vel erysipelas vel inflammatio. Inter externas causas est aër, pestilentibus miasmatis inquinatus; & cibi quidam, vt fungi venenati, & animalium & plantarum toxica. Acutissimum itaque hoc vitium est, & mali moris: nam vires prumptissimè deiicit. Constaot autem vires in solidorum corporum substantia, temperamento, & spiritibus. Resolutio solidorum fit non nisi in longissimis morbis, extenuato iam corpore, vel per acutissimas febres quæ corpus liquant. temperies autem substantiæ mutatur, cùm immodicè corpora calefiunt, vel refrigerantur, aut madescunt, aut siccantur. spiritus alterantur ab aëre vel ab humoribus: & ab his quæ venenum eiaculantur: substantiam vel essentiam eorum corrumpunt affectiones & motus vehementes animi, corporisque labores immodici. Plerumque tamen euenit syncope à flatu qui cor distendit: argumento est incursus subitarius, qui mox soluitur, aurium sibilus, palpitatio in aliqua parte; & virgines non meostruatæ, & ingrauidatæ fœminæ, icterici, splenici, melancholici hoc affectu maximè tentantur: quin & ea quæ recreant bos maximè talia sunt quæ flatus discutiunt. Subscribere huic sententiæ videtur Aretæus, vbi ait, Huius morbi est tenoris naturæ destructio, auctore frigido & humido, quippe hoc oppressi intùs & in cute frigescunt, non sitiunt: frigidum spirant. Et Oribasius scribit, ab humore frigido crudoque os ventriculi occupante syncopen nasci. Per febres autem ardentes etiam euenit syncope, maximéque per paroxysmos, vt cùm opprimitur in augmento calidum cordis, vel vbi in statu paroxysmorum delirantes homines se iactant vehementiùs, id sanè euenit à vi ardoris, vt rectè scripsit Q. Horatianus, vbi ait, per Causos flammare interiora ardoribus: ac iuuenibus dicit frequentem banc esse passionem: ac sexto die febris Causi euenire, maximè, inquit, cùm æstate calor incanduit. Doctissimus medicus Salius Diuersus syncopes illius quam Hippocrates Libro quarto De morbis acutis describit, à concrescente sanguine huc non temerè retulit: vt cuius sanguinis culpâ spiritus vitalis aditu prohibetur à cerebro, obstructis carotidibus arteriis, ac venis iugularibus. nos eam Apoplexiæ ascripsimus. Vidi sanè coralli more in vasis concreuisse sanguinem in quodam cadauere, maximéque in sinistro sinu cordis ac in arteria aorta: quod cadauer, vt causam mortis videremus, à doctissimo meo collega D. D. P. Pavvio anatomico exercitatissimo ac celeberrimo apertum fuit. Aretæus maximè illam syncopen describit quæ nascitur à valida causo febre, & vocat talem Syncopen tenoris naturæ destructionem. Et per illam vstoriam febrem in qua syncope hominem fatigat, quid miri euenire scribit Aretæus, propriáque syncopes à corde profectæ signa ita recenset; sensus, in tali febre, aciem exactiorem habent, vt videant & exaudiant plus quàm antea, mente etiam sunt firmiore & animo puriore. Proinde non tantùm præsentia declarãt, verùm etiam futura verissimâ diuinatione prædicũt. Hæc à corde sunt (non à stomacho, vt quidam putârunt.) vbi & anima & eius natura inhabitat, ad quod & virtutum ibi sitarum calamitas pertinet. Hæc etiã disertiùs idem author explicat capite quarto De causis acutorum morborum. Arteria, inquit Aretæus, in his tremula est, exiguis motibus & crebris: imò pulsus formicat, extrema algent. flos faciei deformatur in colore, charactere & mole. sudor, inquit Q. Horatianus, viscosus & frigidus perseuerat interemptis viribus: nam tempora, ceruices, pectus gelido sudore madent. totum corpus friget, proptereaque alget sudor, nam per frigidam cutem erumpit. ac eo sudore maximè tentatur caput, ob summam cognationem quæ illi est cum capite. Aëtius vocauit talem sudorẽ syncopticum. fit ille sudor resolutâ facultate retentrice, quæ alimentarem succum præ imbecillitate continere nequit. Quare longè abit hic sudor ab aliis sudoribus excrementitiis. A lipothymia abit maiori vi: nam sudor alget magis in Syncope: in Lipothymia enim tepet. obmutescit syncope prostratus: in lipothymia loquũtur, audiunt, vident, at omnia illa ægrè. Ab Apoplexia differt; nam in apoplexia pulsus non languet, nec ita pallore deformatur facies: imò sæpè rubent hi. Vt tam perniciosum malum auerti posset, signis peculiaribus quælibet eius causa internosci debet, quò aptè illa exscindi possit. Quare cùm ita prostratus homo iacet, accuratè perpendemus num ab exhaustu vel ab oppressione æger laboret. Causæ quæ ægros exhauriunt plerumque apertæ sunt, vt immoderata aliqua excretio, dolor, motus, lætitia, inedia, vigiliæ, æstus. Si absint manifestæ causæ, id malũ euenire putabimus ex succis corporis tenoioribus, & quia corpus rariore texturâ in vitio est. quare perlustretur corporis ægri fabrica. si à raritate corporis nascatur syncope, facies cadauerosa aderit. Æstus & febris hominem soluit facilè: propterea etiã Aretæus hoc malum causo potissimùm ascripsit. Sed si à succorum copia opprimantur vires, pulsuum maxima aderit inæqualitas, vel ab eorum cruditate frigidisque succis languent ægri: his erunt pulsus parui, interdum vnus ictus in pulsu negligitur inter trigesimum & quadragesimum: & nausea & pallor corporis tunc aderunt. Si fuerit à crudis succis quibus opprimitur os ventriculi, his hypochõdria flatibus suspensa videntur, ac totum corpus à flatu turget, non sine liuore. Si sit à prauis succis ac acribus, sentient morderi os sibi ventris, eumq; vellicari. Quare cùm à

Libro De morbis Capitis.

Coralli more congelatus sanguis.

SIGNA.

2. Lib. De caus. Acut. Pag. 11.

Mirum.

Pag. 12.

Signa Differentiarum.

venticulo

ventriculo est, Is sua mala aperiet. Si inquit Aurelianus, defectione fuerit stomachus affectos, humor sequitur saliuarum, & humecta aquositas, & nausea vel vomitus liquidorum atque cibi, frigus etiam articulorum. initio enim nunc frigore nunc calore afficiuntur. In cardiacis verò nec dolor, neque post cibum grauedo, neque vomitus esse perspicitur, & torpor frigidus perseuerat. Dehinc sudor aliquando cardiacis crassos excluditur, & malè redolens, vt saniem simulet: his verò qui stomacho patiuntur, tenuis atque aquatus sudor inuenitur. Item animi defectio stomacho patiente, magis accessione fit; cardiacis verò recedeore. Scripsit Asclepiades, cardiacos atque eos qoi stomachi imbecillitate laborant ita internosci, quòd in cardiacis omnibus pulsus sit paruissimus atque imbecillus, cordis verò saltus maior & vehemens, cum grauedine thoracis, atque spiratione præfocabili. In his verò qui stomacho patiente deficiunt, validus in arteriis pulsus, saltos verò cordis imbecillus inuenitur. Rectè Paulus, calefactum cor, magnam & densam édit respirationem: at tandem refrigeratum, raram & paruam. Si flatus in causa fuerit, subitò inuadet, ac ilicò desinet: asthma tunc fatigabit, & motus genarum tremolus aderit vel alia in parte, sibilus aurium. Quales autem in corpore circumfluunt succi, crassi vel tenues, tales etiam spiritus. A pama febre etiam interdum contaminantur spiritus. Quodsi quæ peruersa qualitas ea aliqoa peculiari parte aspiretur spiritibus, id inde colliges, quòd diu antè ea pars negocium fecit ægro, vt vterus à suppressis mensibus. ita ab hepate, liene, mezenterio, intestinis hoc euenire poterit. Iam τὰ λεχθέντα συγκεφαλαιώσαντες dicimus, duplici à causa plerumque nasci syncopen, scilicet à tenuibus succis, & à crassis. Tenues, acres & biliosi succi cùm stomachom fatigant, trahuot vnà cor in syntimoriam. nam dissipantur inde eius spiritus. Hi cadauerosam faciem præ se ferút. Talis idea etiam euenit his, qui tenuibus succis cùm sint præditi, rara corporis textura fruuntur: nam his euanescnnt facilè spiritus ab inedia, vigiliis, labore, euacuatione, dolore. A crassis si fuerit succis, totum corpus cruditate turget, ac liuore deformatur, hypochondria suspensa videntur. Deprehensis causis, iam ad Indicationes curatiuas deueniamus. Si vi doloris abripiantur spiritus, nascetur indicatio mitigandi dolorem. quod etiam narcoticis agemus ad tempus.

Indicationes curatiuæ.

Quod si à nimia animi vel corporis iactatione vehementiùs spiritus moueantor, proferetur indicatio sistendi illos motus. Si verò à spirituum crassitie pronascatur syncope, hi & materia vnde surgunt erunt attenuandi: sin tenuiora illa, ad crassamentum reducantur. Copia spirituum si in vitio fuerit, ad mediocritatem ea reuocetur. Qualitas si noxam intulerit spiritibus, ea temperetur: quod si ea elui nequeat, excludator. Pars si vitium fecerit, ab ea fiat auersio. Paroxysmo præsente oritur indicatio prohibendi spirituum euacuatiooem: quod fit aquâ rosatâ inspersâ. Deinde studendum vt spiritus incrementa ducat, & vt cor firmetur; quod fit vino, ouis, aquâ carnis. reuellendi ilicò vapores ad peripheriam corporis, quod fit frictione, & sternutatione. Itaque prima hîc indicatio est, vt æger excitetur, & vt spirituum sistatur euacuatio, ac vt exhausti illi reuocentur. A paroxysmo statim caosa remotissima amoueatur. Dolor spiritus si soluit, ilicò mitigetor: dein caosa eius auferatur. si humor doloris causa sit, amoueatur. Dolor placatur fotu lenientium remediorum; vt si pars dolens foueatur remediis tepentibus à primo caloris gradu & laxantibus: vel etiam vtimur stupefacientibus, si materia fuerit acris & æstuans. Totumque studium eò vertatur, vt, dum extra paroxysmum est, spiritus redintegrentur. Iam ad Præsagia abeamus. Præclarè admunet Aretæus, sedulò hîc prognosticæ operam nauandam: futura enim si prospexerimus pericula, ipsa antequam inuadant propulsabimus. Ea spirituum inopia oborta syncope longè est periculosior quàm ea quæ fit ea eorum copia: nam facilius est demere quid è corpore, quàm ei addere. A dolore iliaco oborta, est lethalis, vt etiam ea quæ euenit per febres malignas, nam ea syncope aboleri nequit dum febris illa viget. Syncope quæ propriè cardiaca dicitur est lethalis stomachica verò est curabilis, vt si bile fatigetur, vel aurâ iniquâ feriatur, vel prauo succo obsideatur à iecoris magna inflammatione, est lethalis. Hoc dicere videtur Paulus, vbi ait, Si fortis fuerit, auxilium non admittit: si verò vires aliquo adhuc modo consistunt, aliquando auxilium sentit. A nimio feruore in causis, inquit idem author, obnascitur, quòd cor primaria laboret inflammatione vel erysipelate, citam mortem adfert. Si ob tenues humores, inquit Oribasius, in syncopen abripiantur, & si his iecur vel ventriculus inflammetur fractis iam viribus, leuari non poterunt. Si caput in humeros vel thoracem delabatur, pulsu & respiratione abolitis, liuida vel viridi facie. nec à remediis sternutet, mors adest. Quæ consectaria est nauseæ, tutior est; nam à stomacho est Sed si sine hac à cordis palpitatione inciderit, periculi plena est; hæc enim à corde est Non ilico salutem nunciabis cùm quis a syncope sibi redditur; nam si pulsus non redit nec color viuidus, & si algiosus æger semper permanserit, ilicò relabuntur. Si aër quem expirant frigidus fuerit, est calamitosum. Aër quem spirando trahimus cor ingreditur: quare venenosa aura calamitosam præbere syncopen solet. Quæ est à vulnerato corde, lethalis: vnde Ouidius,

Prognosis.

Gal. nat 3. loc. fect. à

Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.

Iam de curatione agam. Si iam iam inuasura sit amoue eas causas quæ fœcundæ in Syncopen sunt: vt si æstus fatigat, refocilletur: si hæmorrhagia affligit, sistatur. Sin in paroxysmis febrium labitur in syncopen ob corporis teniorem texturam, antequã paroxysmus inuadat nutriatur. ita etiam transigendum in his qui ilico recidunt cùm iam iam euasere: his detur nouus aër, cibus offeratur, & auerte per frictiones, vincula, & per cucurbitulas. Tempore paroxysmi aspergantur aqua rosarum frigida, cum pauco vino odorifero, & caryophyllis, santalis, cum granis 4. caphuræ. nisi malum sit ab alui eruptione, vel à frigore. & partes extremas his foue. Si fuerit ab exhaustu spirituum, præbebimus acetositatem citreorum, cum aqua rosata vel acetosæ, cum grano musci: & abstineat à frictionibus & vinculis, det se ocio, & propina illi vinum, ac grati odores adferantur. Accipe aquæ carnis vnciam: miuæ cydoniorum malorum vnciam: musci grana duo: nisi fuerit præfocationi ab vtero obnoxia. Cùm prostratus iacet, clama, concute, frica faciem, tempora, annularem digitum, & pedes, ac sale madente à vino frica pedes, aperi os, ac salem illi inde. Cordi admoue odorifera & naribus, modò non sit hysterica. sternuat. lingua fricetur theriacâ. supini iaceant. auribus insusurra quædam murmura, & frica aures. Excitati odorentur malnaticum, acetum, micam panis tostam, ea vino vel aceto cum caryophyllis. & frica ventrem mano inuncta oleo macis, nam ita spiritus in corde collectos reuocabis, maximè si à vtero origo sit syncopes. sternutatio promoueatur, naribus indito puluere

Curatio.

Tempore paroxysmi quid agendum.

nigellæ & pauco acoro. Sudor nimius per causum si fluat, foue faciem aqua myrti cum vino stiprico: & corpus frica leuiter oleo rosato cùm puluere rosarũ *Recreari id à syncope.* & menthæ. Detur decoctum pulli cui basilicum incoxit, id enim maximè probatur: adde qoid vini; & *Phlebotomia.* parum croci & ambræ. Sed éstne vena pertundenda in syncope? Sanè si analogia esse debet inter morbos & remedia, hic profectò valido remedio vtendum. Sed cautione opus est ea, vt adsint coïndicantia, vt ætas & virium robur. Si enim ab exhaustu laborat æger ex syncope, à phlebotomia verẽdum erit. Phle- *2. Acut. 38.* botomia, inquit Aurelianus, nihil à iugulatione differt; quippe cùm hæc faciat, quæ ipsa nititur passio, mentem disiicere & corpus in mortem per sudores soluere, ac ad cor affectum sanguinem reuocare, atque casum virium augere. Quare existimo doctum Medicum non debere collineare ad fractas vires, sed ad causam fractarum virium. Propterea doctissimus Aretæus inquit, nisi fractus fuerit pulsus, frigúsque extremas partes occupauit, aut causæ nisi aliquæ corpus exhausere, vt vigiliæ, mœrores, aut sensibus compertæ euacuationes, aut habitus, ætas, anni tempus, hominis timiditas impediaot, vena cædenda est. Loquitur ibi Aretæus de ea Syncope cui iungitur Causus: quod si, inquit, multa prohibeant, vtpote lingua aspera & sicca, & nigra, in omnibus facultas perpendenda est: nisi priùs morbo, inedia, laboribus labefactata sit; nam & defectu & strangulatu etiam prosternitur. At vbi præ multitudine Syncope fit, ac inflammatio aliqua insignis fuerit in præcordiis aut iecore, nequaquam procrastinare expedit. Etenim quamuis euanidi sint spiritus, modò solidæ partes valeant, vires constare poterunt. Quare in Athletarum habitissima constitutione, actu existente in syncope vena erit secanda: etenim solida membra sunt infracta, quamuis spiritus sint labefactati. *Copia.* Propterea Auicenna dicebat, Si fuerit à sanguine, proderit phlebotomia. Attamen non plena manu hauriendus hîc sanguis, nam cor spiritúsque laborãt. Subita & copiosa euacuatio, inquit Aretæus, naturam vitiat: nam vel minimus error in syncope ad perniciem ducit & protinus, dicit, alimentum detur, nam natura priorum repulsu, & nouorum adiectione lætatur. At quænam vena erit ferienda? Feriatur, inquit Aretæus, vena cubiti eáque dextri vel sinistri lateris, hoc est, eius lateris quod sæpiùs in querelam *Quando.* venit. At quando est vena pertundenda? iam tum cũ syncope affligit. etenim tunc id nostro calori euenit qood igni, cui si imponantur copiosa ligna viridia, proculdubio extinguetur ex lignorum copia: quam nisi abieceris, suffocatur: ita initio suffocationis caloris vena erit pertundenda, nec cunctandum dum suf- *In cruditate num vena secanda.* focatio fiat. Quod si syncope, inquit Oribasius, ex copia crudorũ succorum circum præcordia stabulantiũ enata fuerit, sanguis emitti non debet, sed sola frictione contenti sint: quæ fiat à cruribus & brachiis, tandémque tota spina fricetur: id fiat toto die. Nam vacuatione quadam opus est, & nec phlebotomiam nec pharmaciam ferunt. deinde incalescentibus artubus à frictione, oleo laxãte inunge, & hyeme oleo chamæmelioo. Et quia succus is plerumque crassus est, attenuantibus vtatur, vt thymo, origano, hysso- *1. ad Glauc. 14.* po. Sed cur Galenus in syncope ab exhaustu vtitur vinculis ac frictionibus? Id agit non ratione talis syncopes, sed eius causæ, hoc est inopportunæ euacuationis, vt eam sistat. & propterea hæc admouet *Historia.* oppositis partibus. Rusticus quidam Pataui supinabat ægrum ex colico dolore in syncopen prostratũ, & digitum minimum immittebat eius vmbilico, ac voluebat bis aut ter ægrum, quò digitus penitiùs inuaderet vmbilicalem fossam, mox magna vi digitũ extrahebat, ita vt plurimus aër vnà elideretur: atque ita ille ægros subitò reuocabat. In pharmacia hîc prudenter transigendum: nam, authore Aureliano, perniciosissimum est in cardiacis, fastidio præsente, ventris fluorem etiam clystere commouere. Pro cautione, ne incidat in syncopen, si materia fluctuat in ventriculo, vomat, imò etiam premente iam syncope id agendum cùm ventriculus impletus est. Propina cereuisiam tepidam cum oxymelite & succo raphani, si materia sit lenta. A butyro & oleo abstinete, premente adhuc syncope: nam loquor de ventriculo pituita obsesso, cuius robur illa laxarent ac prosternerent. Sin acris tenuisque materia ventriculum fatigat, accipiemus decoctum tamarindorum cum manna & sirupo rosato laxatiuo: nam ita vnà robori studebis ventriculi, & pugnabis cum materia morbifica. Mel mercurialatum confert vbi pituita ven- *Cautio.* triculum occupat. Sed cautio adsit, ne hæc propinentur dum syncope in procinctu est, sed antè: alioqui presso à materiæ copia ventriculo, afflictio accederet ab adiecto remedio. Alia ratio est vomitorij, nam pluma oxymelite delibuta facilè promouetur, ac citò suam historiam agendi absoluit. Leuibus potiùs clysmis vel suppositoriis vtendum actu premente syncope. Clysmis iunge vncias 4. vini maluatici, quod fortè est veterum Aruisium vinum. Attamen si nimia euacuatione illata est syncope, quiescat, ac fa- *Preparãtia. A calida causa.* ciem vino irroret. Præparantia remedia in præseruatione locum tantùm habent. In causa calida vtemur sirupo ex citreis malis, ex succo granatorum, de pomis, oxysaccharo, sirupo de succo acetosæ, de limonibus, de persicis. valdè commendatur citoniorum malorum sirupus, vt etiam limonum, violarum, rosarum, endiuiæ; cum aqua buglossæ, violarum, cardui benedicti, acetosæ, nec non rosarum, nymphææ, de myrto. Vel horum siruporum detur interdum cochlear sine aqua, nam eam labefactatus ventriculus *Puluis.* non benè fert. Quin puluis etiam præscribi potest, Accipe seminis & corticis mali citrij, seminis acetosæ, singulorum scriptulos duos: rasuræ eboris, margaritarum splendidarum, cuiusque semidrachmam: vnicornu grana; fragmentorum saphyri & smaragdi, cuiusque semiscriptulum: fiat puluis subtilis: conseruæ rosarum semunciam: detur per interualla cum sirupo de acredine citreorum: vel da eum ex vino in quo aurum extinctum est. Accipe succi acetosæ, de cerasis rubris, pomorum odoriferorum, boraginis, endiuiæ, citriorum, limonum, singulorum vncias tres vel quatuor: cum saccharo violaceo, rosaceo, vel penidiato fiat sirupus. Vel ad pondus omnium iam dictorum succorum adiice aquam rosarum: detur hic sirupus per interualla. ribes etiam est vtilis, & rubi Idææ conserua. & diaberberis. In cau- *In causa frigida.* sa frigida vtimur melle Hispano, cum caryophyllis, cinnamomo, & granis paradisi. etiam præscribimus sirupum de hyssopo, de calamintha, de corticibus citreorum, cum aqua melissæ, cardiacæ, boraginis, calendulæ. Puluis etiam his præscribi potest, Accipe cinnamomi scriptulum: nucis moscatæ, cardamomi, corticis citreorum, granorum paradisi: singulorum grana octo: remisce duplicem partem sacchari: vel fiãt ex eo trochisci pondere drachmæ vnius: da drachmam ex vino. Præparata materia pharmaco excludatur tẽpore prouisionis. Attamen cautè hîc agẽ- *Purgantia.* dum: vbi enim à crudis circa os ventriculi succis nascitur febris & syncope, non erit purgandum: sed leni clystere, si mediocres vires, aluus ducatur. Præterea sola mulsa vtantur cum hyssopo, id- *Ex Oribasio.* que triduo, & deinde fricentur. Si aluus se præcipitat in fluxum, sit mulsa magis cocta, vel detur ptisanæ cremor. Si, inquit Aëtius, ob tenues

humoras

humores laborant, sensim euacuari debent: nam validam non fuerunt euacuationem. Quare purgatio hîc quidem vtilis est & necessaria fere, sed virium infirmitas hanc non admittit. Et pharmaca redolent aliquid virulenti, vnde viscera ac spiritus affligunt. attamen fœdis abductis succis, spiritus splendidiores euadunt. Quare hîc laudo vt extracto vtamur rhabarbari, epithymi, agatici, myrobalanorum. Accipe Rhabarbari optimi drachmas duas: agarici recenter trocbiscati drachmam: vel Epithymum aut fenam, si melancholia in vitio fuerit; infunde hæc in vino albo & aqua boraginis, (in patua copia capiatur aqua,) adde cinnamomi scriptulum, & zingiberis semiscriptulum; macera tota nocte: & manè ebulliant, & fiat fortis expressio: & in hac expressione solue mannæ electæ sescunciam: cassiæ recenter extractæ vnciam: sirupi rosati laxatiui vncias tres. Sumat alternis diebus cochlearia duo, ante cibum per horam. Si nihil effecerit, adde loco stimuli drachmam electarij de succo rosatum singulis vicibus. Tamarindi & pilulæ alephanginæ etiam vtiles sunt. Si in purgatione vel ilicò à purgatione irruat syncope, accipies theriacæ optimę scriptulos duos: philonij Romani grana octo: aquæ cinnamomi semunciam: aquæ cardui benedicti vncias duas, calidè bibat. Vel accipiat terræ sigillatæ drachmam ex vino. & micam panis ex vino sumat.

4. *Actu.*12.

Cautio.

Cor roborantia.

Cor toborantia remedia sunt ea quæ spiritus rectèt ac nutriunt, vt viuum & oua, vel quæ illustrant spiritus, vt margaritæ: nam Auenzoar primam laudem ascribit margaritis, vbi ab actibus succis fatigatur stomachus. vel quæ cogunt ita spiritus ne euanescant, vt carabe, terra sigillata, corallum: vel quia cordi orificioque ventriculi suauia sunt, qualia sūt aromata dulcia: vel quia temperie sua blandiuntur, vt borago, aurum: aut abstergent à spiritibus & sanguine melancholiam, vt myrobalani, melissa: vel proprietate robur addunt cordi, vt hyacinthus, semina citrij, buglossa, calendula. Hæc omnia aliena sunt à summo calore & frigore. propterea vbi refrigerari remediis cor debet, remiscę semper aliquid aromatis: nam frigida claudunt vias, & tutelæ sunt spiritui calidoque natiuo. Inter cardiaca hæc sunt, tormentilla, pentaphyllum, dictamnus, carduus benedictus, angelica, myrtus, stœchas, maiorana, pimpinella, aromata, zedoaria, cortices citriorum, muscus, ambra, mace, saccharum, mel, vinum, Acetosa, rosa, ribes, caphura, acetū, santala, nymphæa. Conserua boraginis, & rosarum. electarium de gemmis, diambra, diamoscum, electarium de pomis Mesues, aromaticum muscatum Mesues, pleres archōn Nicolai, confectio Xyloaloës Mesues, diarrhodon Nicolai, lætificans Mesues, electarium de citreo, oleum basilici, persica condita, theriaca, potio muscata Nicolai, mithridatium, Meobani puluis, confectio acetosæ, poma cōdita, sirupus de pomis & de prunis, conserua vuarū, rob de citoniis & de pytis, trochisci de ligno aloës. Oleum cinnamomi. Conserua violarum, iulep rosatum cum speciebus trium santalorum. Vbi vires flaccescunt cum febre, Accipe hordei excorticati pugillos duos: coque ex aqua: & primæ ebullitionis aquā abiice, & affunde alteram tepentē: coque dum bordeum crepat. colaturæ libræ vni infunde melissæ, calendulæ, acetosæ, endiuiæ, singulorum semimanipulum: macerentur calidè horas sex: colaturæ adde succi de ribes vncias duas: sirupi de acredine citreorum sescunciam: cinnamomi semunciam: macera: ac dein traiice per manicam albam: vt fiat claretum: adde sacchari perlati vncias duas. vtatur pro potu: adiice ad penetrationem quid spiritus vitrioli. Si non adsit febris, Accipe vini libram: huic immitte vncias tres panis tecentis & assati: colaturæ adde cinnamomi drachmas duas: postea adiice libram aquæ: sacchari vncias tres: coque, & in fine adde rosarum rubrarum pugillos duos: colaturam eius misce cum præscripto vino, & distilletur per manicā. Aquæ linguæ ceruiæ, immacera ocimum & melissam, cum summitatibus calendulæ: dosibus singulis colaris adde croci grana quatuor, & ambræ granum. Accipe mithridatij scriptulos duos: theriacę scriptulum vnū: sirupi de corticibus citreorum semunciam: aquę melissæ, cardui benedicti, angelicæ, cuiusque vnciam vnam: fiat haustus. detur manè. Hoc medicamentum à purgatione detur: valet etiam plurimum in veneni suspicione. Immacera vino tenui summitates calendulæ & melissæ, cum flauedine citreorum: adde granum croci & musci. Accipe specierum diarrhodonis abbatis, confectionis alkermes, aromatici rosati, singulorum semidrachmam: macis, cinnamomi, cuiusque semiscriptulum: conseruæ violatæ drachmas tres: sacchari in aqua cinnamomi dissoluti vncias quatuor: fiat confectio in tabulis: sumat manè semunciam. Theriaca confert omnī Syncopi: attamen si ea nata fuerit à calore, non exhibenda, ni accesserit frigidorum remediorum miscella: nam tempere prædita cuncta amat hoc genus mali. Si Syncope fit à spirituum euanida vi, Accipe succorum densatorum rosarum rubrarum, acetosæ, & radicum pentaphylli, cuiusque semunciam: caphuræ scriptulum: seminis acetosæ & citreorum cuiusque semiscriptulum: conseruæ rosarum & acetosæ singularum vnciam: cum sirupo de granatis fiat electarium: detur ad semunciam essentia sapphyri, cum iulapio violato & vino. Os ex corde cerui calcinetur, & extrabatur eius essentia cum aqua vitæ. citra calcinationem ita etiam extrahitur potissimum robur ex cornu cerui, monocerotis, ex musco & croco. Si ob igneas inflammationes in syncopen trahantur, vide quo modo haberi debeant apud Aleaandrum libri duodecimi Capite tertio. Si, dicit Auicenna in libro De viribus cordis, imbecillitas cordis ortum ducit ex aquosis fuccis, propinabimus vrinalia & sudorifica remedia: at si ex succis crassis, abstinendum: nam ab horum vsu magis crassescerent. Foris etiam imponenda sunt pectori remedia sub sinistra mamma, nam ibi est locus cordis. Sed audi quid cautionis in his notet Aëtius, In crudorum & crassorum succorum copia, ait, nec cataplasmata nec perfusiones admouebimus, donec multitudo euacuetur partim, & partim concoquatur. qui enim hæc in talibus affectibus adhibent, ipsi, inflammationes, per ea quæ faciunt efficiunt, non animaduertentes præcordia inde lædi. Sed in crudis fuccis fricetur corpus oleo chamæmelino, vel anethino. In tenuibus succis illinatur corpus oleo myrtino, rosaceo, vel cidoniorum malorum, & his puluis rosarum inspergatur. A nimio sudore si soluantur vires, frigida admoue membris externis, ac epithemata frigida cordis regioni applica: ea aqua rosara & nymphææ, santalis, aceto, aqua acetosæ, scabiosæ, specie-bus diamargariti frigidi, trochiscis de caphura. Accipe olei citoniorum vnciam vnā, caphuræ grana duo: vnge pectus. ita vtimur vnguento & oleo rosato, & myrti. Calida quæ hîc foris commodè admouentur, hæc sunt: oleum cinnamomi & caryophyllorum. Crocum, muscus. Accipe caryophyllorum, cinnamomi, cuiusque scriptulos duos: corticum citreorum, ligni aloës, singulorum drachmam: rosarum rubrarum pugillum: speciarum trium santalorum drachmam: croci, musci, singulorum grana tria: vini odori vncias sex: aquæ melissæ, cardui benedicti, maioranæ, buglossæ, cuiusque vncias quatuor: misce; fiat macetatio horis duodecim: fiat expressio: & materia

Cum febre.

A tenuitate spirituum ex corporis rarâ à textura.

Cum inflammatione. *Pagina* 318 D

Cautio.

Frix.

teria quæ expressa est in facculum consocietur, qui madescat ab infuso calido: & tepidè cordis regioni imponatur. Fiant sacculi ea floribus nymphææ, boraginis, rorismarini, rosarum, melissa, serpillo, santalis, corallo, musci granis, & vino generoso irrorentur. Accipe micam panis retorridam: hanc macera in vino maluatico; adde puluerem caryophyllorum, cinnamomi, granorum paradisi, mentæ siccæ: fiat cataplasma, quod admoue pulsibus manuum, & hypochondrio. In victus ratione aëri prima cura debetur, ob spiritus, qui languent in hoc

Diæta. affectu. Si ob tenues humores in Syncopē cadūt, vel à dissipatis spiritibus, cutem stringere oportet: sit aër itaque frigidus: olfaciat acetum cum aqua rosata. & pectus à vestibus liberum sit. admoue naribus rosas conspersas aceto: & micam citoniorum malorum solutam vino rubro, ori instilla. In hoc malo premente semper debet captari aër frigidus, non aliter ac in asthmate, quò pressum æstu cor recreetur: sed dum non vrget paroxysmus, mediocri temperie præditus aër eligendus venit. Odoretur aquam lauendulæ. olfaciat rostum panem, madentem ea vino aromatico cum caryophyllis: si calet, adde acetum, santala, caphuram: nisi hysterica fuerit mulier. Cùm à dissipatis spiritibus nascitur syncope, ea quæ eos reuocant sint stringendi quadam potentia prædita,

Cibus. vt myrtus, cidonia mala, rosæ. Si sit à crudorum humorum copia, abstineat à cibo, melierato victitet cum origano vel pulegio, hyssopo, cinnamumo: id agant ad quartum vsque diem, si pulsus ea lege naturæ feratur. at in paroxysmo vtatur vino cum calida aqua hyeme: ratione symptomatis id permittes. Deinde sumat ius pulli cocti cum ciceribus. hinc vitellos ouorum, dein alas auium. Si cruditas sit ex talibus succis qui in alimentum verti possunt, tenuissimè habeantur ægri, & frictionibus indulgeant. At qui ea tenuibus humoribus in syncopen abripiuntur, maxime sunt nutriendi, inquit Oribasius: tunc vsui sunt fructus adstringētes, pyra, poma, pistacbia, oua cum vino, cerebrum porci. Si adsit cacochymia quæ non ita reuocari in nutricatum potest, exhibeatur panis ex vino; nam si ab exhaustu spirituum laboraret, potiùs potandum vinum esset, quàm alendus cibo: nam potu faciliùs reficimur quàm cibo. Et etiam in cacochymia ea crudis succis ac crassis, si neque venticulus neque iecur, inquit Oribasius, inflammatione occupentur, (nam si in tali cruditate inflammatio incidit, desperatus æger erit) tunc enim loco mulsæ oxymel commendatur, panis, inquam, vino tinctus fœliciùs nutricatum promoue-

Vini vsus in syncope. bit: nam agitarentur illi succi ea mero vino: igitur hi pro condimento habeant vinum. In causa calida detur restaurans succus cum succo granatorum, vel citriorum, vel cum aqua rosarum: vel ius pulli cum agresta, & poma odorata. In frigida causa vinum confert, sed non ita detur vt vnico impetu cor fe-

Dubium. riat. Sed dices, Galenus tamen in Methodo medendi asserit cunctis à syncope laborantibus vinum tenue, flauum & calidum esse propinandum: cùm tamen libro ad Glauconem, interdum excludat vsum vini: rursum modò tenue vinum & aquosum, modò crassum commendat. Auicenna propinat vinum crassum, & nigrum, austerum: nam Galenus talibus fructibus iubet indulgere eos. Paulus tamen vino oligophoro vtitur. Respondeo, cunctos hos non malè id præscribere, modò loco & iure præscribantur singula. Etenim interdum solius symptomatis ratione propinamus vinum tenue & calidum: vt cùm iam actu hominem deiicit syncope: aliter transigendum dum ea abest, cùm scilicet cum causa morbifica pugnamus. Ita vbi haimorrhagia syncopen, adferet, vinum crassum & austerum tunc præscribit Galenus: at in paroxysmo, tenui ac calido vtitur. Vinum enim, inquit Aretæus, naturæ incrementum adfert, vbi inflammatio abest; nam in hac dolores auget. nec in plethora vinum est propinādum. Si febris adsit cum cacochymia, præstat mulsa vino. Si copiosi & crudi adsint succi, ni vires satiscant, mulsa victitent, alioqui febrem adferet vinum, abreptis illis succis per venarum spacia, vnde infarctus. Quare caue ne dum crudis succis consulis ac syncopi dum studes, toti corpori noceas. Hinc est quòd Galenus vinum pani indat, nam ita nec viscera ferit, nec fundit cruda. Si febris adsit, nec valida fuerit syncope, à vino abstineat. da iuscula cum succo malorum punicorum. Si valida iam iam inuasura est syncope, cum febre, propina vinum oligophorum paue acceptum. Si febris absit, & à ventriculi languore si proficiscitur syncope, da vinum tenue & calidum, quò peruadat tunicas ventriculi. si sit ab haimorrhagia, da vinum austerum. Si à sudore, da vinum actu frigidum aquâ dilutum: ita inhibebis vnà sudorem. Si squalet admodùm præ æstu corpus, cum iusculo pulli cocto cum hordeo præbe vinum, vel cum cereuisia & pane misce vinum. Si laborat corpus ab exhaustu à vacuatione, dabis vinum tenuissimum, vel hippocraticum, aut aquam cinamomi, cùm scilicet iam actu syncope affligit, nam celeri refectione tunc opus est. Sed si ea his causis imminet syncope, dabis austerum crassumque vinum, sitque id frigidum actu: hoc enim euacuationem (vt diai) sistit. Quare in omni syncope, vbi febris magna non adest, est exhibendum vinum. nec merum detur vbi cruditatis plena sunt omnia: nec per inediam tutò illud exhibeas conuulsioni aut cephalalgiæ obnoxiis. Plerumque sit vinum mediocre, aromaticum; detur cum iure restaurante, si sit ab inanitione. Si æstuat corpus, temperetur cum aquâ rosatâ. Si stomachica sit syncope, misce micam cydoniorum. Vtatur vitellis ouorum ex iusculis & agresta, vel succo granatorum vel arantiorum. dein alis auium. Quibus à cruditatibus syncope, non permittendum, inquit Oribasius, vt largè bibant: sed primis tribus diebus mulsa sint contenti: ab aqua abstineant vesperi, inquit Aëtius, illis detur vinum, non manè. iuuenibus tamen, ait, non ilico ineunte morbo vinum concedatur. Coque pullum dum despumatus sit: adiice hordeum tunc deglumatum, coque simul dum exusserur ferè; eximo pullum, ac cum affuso pinguiore illo iusculo, abiecto hordeo, coque: adiice agrestam, vinum, macem, cinnamomum, saccharum, aliquid croci. In corpore sit summa quies, & in animo hilaritas. Cùm causus se iungit syncopi, cumque iam ad vigorem morbi ventum est, inquit Aretæus, humiditas verò iam iugulum & frontem irrorat, extrema algent, & pulsus titubat, tunc paulum quid alimenti triticei sumendum, & vinum est gustandum, & caput & vesica præmunienda irrigationibus. Sed tamen vinum non pleno ore ingerendum ad saturitatem. Nam, quidam inopportunè repleri, postea cibi & potus inappetentiâ excessere vitâ, nam natura resoluitur copiâ. Vetustum & nouum vinum vitare iubet Aretæus. Si euenit syncope à morbo diuturno, eupeptis & euchymis vescatur. Vino colluat os. Author est Aretæus, si multus sudor emanat, & concidant arteriæ, vox acuta reddatur. & pectus calore destituatur, vinum vt potet liberaliter. in solo enim vino, refrigeratis, spes posita vitæ est. Id itaque modò cum cibo, modò sine cibo dabimus, ita lassitudo non obrepet: nam qui exiguas vires habent, post assumptum cibum valdè laborant. Quibus autem ob flauam bilem, authore Oribasio, os ventriculi lædentem, syncope

cope incidit, vinum frigidum, tenue, antiquum illis offeratur. Sudores etiam coërcendi, epithemate corpus refrigerante & astringente. Si febris adsit; refrigeretur cubiculum riuis obstrepentibus, foliis arborum ac herbarum refrigerantium. Mentis oblectatio adsit; nam illa animam fouet & naturam suscitat vitæque restituit. Leue sit operimentum, vt calor à pectore exhalet. Spongia ex frigida faciei admoueatur, quò cutis raritas conspissetur. Calida cataplasmata pedibus admoue, cum pipere & aceto. Balneum est aduersissimum his qui ex cruditatibus circa præcordia conceptis in hæc tædia trahuntur: his bene crura, brachia, & spina fricatur, &, ne lassitudo fatiget, vngantur à frictione oleo chamæmelino, & anethino, nec vacuum tempus detur à frictione, nisi vt somno operam det, qui etiam non debet longior concedi. Si sit à veneno vel ab apostemate interno, parciùs dormiant, nam nullus omnino à somno arceri debet. Per somnum semper adstans notet faciei colorem & characterem, anhelitum etiam obseruet & pulsus motum. quare nota num per somnos potiùs obrepat syncope, an per vigilias. Si per somnum facies mutetur, anhelitus af-
Empirica. fligatur, pulsus flaccescat; excitetur. Veteres animi deliquium & cordis dolorem vulgò vino curabant. vnde Iuuenalis,

Calcatámque tenet bellis socialibus vnam,
Cardiaco cyathum non porrecturus amico.

Sirupus ex aloë confert: hunc descripsimus Capite De palpitatione cordis. Bulli calamum aromaticum in aqua rosata: bibat. Accipe pimpinellæ, millefolij betonicæ, cuiusque manipulum: bulli in vino ad tertiæ partis consumptionem: vtatur cyatho manè. Extunde succum ex citreis & persicis. Rubi Idæi fructus conditi. frigidi vini haustus, si febris non obstat. ribes. Accipe margaritarum, coralli rubri, cuiusque scriptulum: lapidis bezoar semiscriptulum: auri foliati numero duo folia: vnicornu tantundem: cum iulepo rosato fiat subtilis puluis: sumat scriptulum cum aqua boraginis: adde parum conseruæ acetosæ. Accipe essentiæ margaritarum, semiscriptulum: sumat cum duobus cochlearibus aquæ boraginis, & semuncia sirupi citreorum: adde parum vini tenuis. Acetum, vinum, & sal simul misceantur, & panno albo laneo pulsibus manuum applicetur. Vel id fiat cum aqua rosata, cui parum caphuræ & croci immixtum sit. Accipe florum tiliæ & rosmarini aliquot manipulos, & summitates melissæ: testâ excipe, & adsperge vino: adde nucem moscatam & cinnamomum: macerentur octo diebus in furno calido: dein distilla in balneo: huic aquæ iniice flores lauendulæ, & cinnamomum, & nucem myristicam, & caryophyllos: & digere. & distilla. hac aqua asperge lipothymia prostratos, & ori eorum eam infunde. Accipe macis semunciam: cinnamomi, caryophyllorum, cuiusque vnciam: rosarum pallidarum manipulos decem: vini maluatici quartarium vnum: adigere diebus quatuordecim: distilla in balneo rosis impleto: diuites adiiciant drachmam musci. Coquatur ius restaurans cum floribus rosarum, boraginis, buglossæ, saluiæ, rosmarini, betonicæ, violarum: adde cinnamomi, macis, caryophyllorum, cuiusque drachmas duas: nucis moscatæ semunciam: vel cocta hæc & contusa, distilla per balneum. Aquæ vitæ compositæ hîc etiam locum habent: ego vnam describo, Accipe florum lilij conuallij manipulos quinque: vini maluatici libras tres, aquæ vitæ libram: per mensem digere: & distilla: huic tunc liquori adde, caryophyllorum drachmas duas: macis sesquidrachmam: piperis longi drachmam, florum lauendulæ manipulos duos: cinnamomi drachmas tres: seminis fœniculi drachmas sex: digerantur tribus septimanis in sole, ac distillentur tepidè. semicochlear datur etiam huius aquæ apoplecticis: & si quotidie duæ vel tres guttulæ tantùm sumantur, præseruant hominem ab apoplexia.

FINIS.

INDEX

Rerum Memorabilium, quæ in hoc primo Tomo continentur.

Amygdalatæ

B

Balneum.

C

à

Catarrhum

Index Rerum.

Index Rerum.

Fœtus

Index Rerum.

Index Rerum.

Mollia

Index Rerum.

Index Rerum.

Q

R

Index Rerum.

Symptoma.

Index Rerum.

Hypoftafis

Index Rerum.

F I N I S.